
Digitized by Google

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA ALESSANDRINA
M
d
4
ROMA

Digitized by Google

III. A. a



V. CL.

ANDREÆ ALCIATI

EMBLEMATA

CVM

Commentarijs

amplissimis

IX. P. 19.

ALEXANDRINA

Digitized by Google

ANDREÆ ALCIATI
EMBLEMATA
CVM COMMENTARIIS
CLAVDII MINOIS I.C. FRANCISCI SANCTII BROCENSIS,

& Notis

LAVRENTII PIGNORII PATAVINI.

Nouiſſima hac editione in continuam vnius Commentarij ſeriem congeſtis, in certas quaſdam quaſi Claſſes diſpoſitis, & pluſquam dimidia parte auctis.

OPERA ET VIGILIIS

IOANNIS THVILII MARIAEMONTANI TIROL.
Phil. & Med. D. atq; olim in Archiduc. Friburg. Briſgoiæ
Vniuerſitate Human. liter. Profeſſoris ordinarij.

Opus copioſa Sententiarum, Apophthegmatum Adagiorum, Fabularum, Mythologiarum, Hieroglyphicorum, Nummorum, Picturarum & Linguarum varietate inſtructum & exornatum: Proinde omnibus Antiquitatis & bonarum literarum ſtudioſis cùm primis vtile.

Acceſſerunt in fine Federici Morelli Profeſſoris Regij Corollaria & Monita, ad eadem Emblemata.

CVM INDICE TRIPLICI.



Patauij apud Petrum Paulum Tozzium,

Sub Signo SS. Nominis IESV. 1621.

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuerendiſsimo Patri, ac Domino

D. NICOLAO DE ODDIS,

Monaſterij celeberrimi Sancti Benedicti Patauini Abbati optimè merito,

Petrus Paulus Tozzius Bibliopola S.P.D.

EA eſt, Reuerendiſſime Pater, excellentium tuarum virtutum illecebra, ea morum ſuauitas, vt planè ferreus ſit, qui Te, vel ſemel allocutus, non admiretur, colat, atq; ipſis ferat in oculis. Ego verò plumbeus ſim, ſi toties à Te omni humanitate exceptus, ac prouocatus, nō coner, quoquo modo poſſum, publico aliquo indicio, meā erga Te obſeruantiam, ac penitus addictum animum teſtari. Hoc vt efficiam, non incommodam occaſionem præbent ANDREÆ ALCIATI ICti. Clariſſimi, & Poetæ optimi EMBLEMATA penè diuina, quæ quidem ego ſummo ſtudio ac diligentia recudenda curaui, cū nouo, eoq; omnibus numeris abſoluto Commentario: in quo quid præſtitum ſit ab eius Auctore Ioanne Thuilio Germano, Viro eruditiſſimo, ac tui Studioſiſſimo, malo docti per ſe cognoſcant, quàm vt ego nimis laudando, velle videar venales, vt inquit ille, merces extrudere. Hoc vnū affirmare auſim, doctiſſimorum virorum fretus teſtimonio ac periculo, quæcunq; in aliorum ad hanc vſq; diem editis Cōmentarijs deſiderari poterāt, in hoc vnū ſummo iudicio ac delectu fuiſse congeſta, ac noua methodo digeſta: addito inſuper ab eodē Thuilio inſigni auctario ex Græcis Latiniſq; Auctoribus cōcinnato, quo tanquā regia claui Emblematum arcana ſenſa, & interiora myſteria reſerantur.

Hoc igitur munus, ſiue Auctorem, ſiue argumētum, ſiue labores in eo enucleando, ac plusquam dimidia parte augendo exantlatos ſpectes, minimè leue; cui potiùs quàm Tibi, Reuerendiſsime & Doctiſſime Pater, deſtinarem? qui acerrimo ingenio præditus tantā bo-

narum artium ſcientiam, tantam humaniorum litterarum ſupelle-ctilem Tibi comparaſti, vt inter religioſiſſimi iſtius Ordinis viros, perpaucos habeas, qui tecũ aliqua ex parte comparari poſſint, ſuperiorem omninò neminem. Quis enim ignorat, Te in ſubtilioris Philoſophiæ, Theologiæ, ac ſacrarum litterarum ſtudijs (quæ tua propria profeſſio eſt) ita eſſe verſatũ, vt in illis inſigniter excellas? Quibus tamen non eò adhæſiſti, vt non etiam in lætos atq; vberes Ethices, Politices, & Hiſtoriæ cãpos excurreris; imò verò in amœna Muſarum ac Poeſeos vireta diuerteris. Harũ rerum teſtes habeo multos, doctos ac probos viros, qui perſæpè mihi affirmarunt, ſe à conſuetudine congreſſuq; tuo, omni eruditionis ac ſuauitatis genere condito, ſemper doctiores ac probiores euaſiſſe. Neq; tamẽ quis exiſtimet, Te ætatem ita in literis contriuiſſe, vt nullam attigeris eius vitæ partem, quæ in actionibus, ac rerũ agẽdarum vſu verſari ſolet. Etenim Principum virorũ, & purpuratorum Antiſtitũ, quibus carus es, amicitiæ, honoresq; ac magiſtratus à tui Ordinis Patribus frequenter Tibi crediti & cõmiſſi, ſatis declarant, quanta prudentiæ laude floreas, quantumq; valeas in muneribus obeundis: ad quorum ſummũ faſtigium Te iam pridem occultis amoris & iudicij ſuffragijs prouectum, nemo Comitiorum veſtrorum conſcius ignorare poteſt. Quamquam animi tui magnitudo dignitatum culmina mereri magis, quàm conſequi exoptat; cùm ſat ſcias, honoribus non minus dignos eſſe, qui meriti ſunt vt potirentur, quàm qui potiuntur.

Sed vereor profectò, ne harum rerum commemoratione offenderim eximiam tuam modeſtiã, quæ potiùs ſuarum virtutum ac meritorum conſcientia, quàm laudum, licet verarum, titillatione delectetur. Finem itaq; epiſtolæ imponam, ſi priùs humaniſſimũ Genium tuũ enixè deprecatus fuero, vt non tã munus, quod exhibetur, quã exhibentis animũ Tibi deuinctiſſimũ reſpiciat; quem eſſe munerum optimum, non minus vero, quã eleganti prouerbio traditũ eſt. Vale, ac diu felix viue, Benedictini Ordinis columẽ ac decus ſingulare.

Prȩfatio

Digitized by Google

PRAEFATIO
IOANNIS THVILII MARIÆMONTANI TIROL.
DE NOVISSIMA HAC SVA EMBLEMATVM Alciati editione.

ACuleata verborum licentia paſſim ab exteris vellicamur nos Germani (Lector candide) & mordaci ſale perfricamur,ac ſi nihil noſtro Marte inuenire , nihil noſtro ſtylo & filo texere nobis datum ſit , ſed ſolùm opera aliorum colligere , aliorum inuenta ſeruili labore corrogata in lucem protrudere . Vnde ſcriptor quidam Italus hac opinione imbutus , nihil dubitauit ſalsè de nobis pronunciare , *Germanos cerebrum in dorſo geſtare.* id eſt, ſcripta proferre magis laborioſa quàm ingenioſa . Verùm næ illi ſiniſtrè de nobis iudicant: Nam præterquam quod ingenioſiſſima monumenta, Germanorum genuinos partus,Italis,Gallis,& cuiuis alteri Nationi abundè reponere poſſem ; videas ea, quæ à Germanis indefeſſo labore ex alijs colliguntur (vt hoc aduerſarijs demus) plerumq; elegantiori methodo,adde & cultiore veſte in publicum prodire. Nec minorē, me iudice, meretur laudem accurata Diſpoſitio & Elocutio , quàm tumultuaria Inuentio. Sed quid? vbi iam ampliùs apud exteros eſt Theologus,Iureconſultus,Medicus,Hiſtoricus,Poeta,aut alius grauis Autor,quē non mulierculæ & cerdones ſua lingua redditū legant? Ecquid hoc aliud, quàm aliorum ſcripta recoquere,& peregrina veſte,fortè etiam Minerua & omnibus Gratijs inuitis,induere & inducere? quod certè Germanis nō tam frequens & ſolenne eſt,qui malunt Auctores natiua Venere decoros venerari,quàm adſciticio fuco tam turpiter rudi plebeculæ proſtituere . Quòd ſi remoto velo ſenſum meum liberiùs oſtendere licet (licebit autem bona eruditorum pace) aliud ſubeſſe reor,vnde nobis illud cōuitium impingatur; nempe ſincerus candor,& Germana fides. Siquidem Germani memores,*benignum & plenum ingenui pudoris eſſe,fateri per quos profeceris*; ſuum cuiq; aſſerunt, & quoad fieri poteſt, candidè indicant, dum interim illi,qui nobis id obtrudunt,egregiè diſſimulantes aliorum vigilijs inſidiantur,& labores ſuffurantur,paſſimq; illud εὕρηκα, εὕρηκα, Archimedis,inſtar gracillantis gallinæ,quæ longum peperit ouum, ſtentorea voce ingeminant,maluntq; ſæpe in plagio deprehendi , quàm mutuum reddere, aut inuentionis gloriola priuati .

Digitized by Google

Sed quorſum iſthæc tam calidè? inquis. Quia *proximus ardet Vcalegon*: ad me ſcilicet, & Commentarios hoſce meos non-meos, quos ſi ſub tam rigida cenſura vocaueris, non effugient conuitium illud doctiſſimi cuiuſdam Galli, *Librum eſſe Germanicum*. Quid tum poſtea? Sanè hunc qualemqualem laborem non ideo viliorem cenſendum eſſe exiſtimo, quod ex alijs libauerim, vt apes: ſicut nec aranearum textura ideo melior eſt, quòd illæ ex ſe fila gignant. Sed propiùs ad rem.

Occaſio huius editionis. Dum in peregrinatione mea crurum debilitate & abſceſſu periculoſiſſimo Venetijs & Patauij ferè integro triēnio lecto affixus detinerer, & tædio penè contabeſcerem, ſtudiis ſeuerioribus aliquandiu nuncium remiſi, & cum amœnioribus Muſis denuò in gratiā redij, cępiq; per latos & lætos Philologię campos toto animo (quia corpore prohibebar) liberiùs euagari, quò tempus ab amicorum alloquio & deſtinato ſtudio vacuum fallerem. Neq; tamen vnquā eo fine, vt aliquid in lucem producerē; certus, id non niſi elumbe & eneruе, quippe ab imbecillo & iacente profectum, futurum. Interea Emblematum Alciati nouam editionem meditatur Petrus Paulus Tozzius, vir ſanè induſtrius, & qui ad rem literariam iuuandam & exornandam nullis parcit ſumptibus: is inſtat & vrget, vt opus mea lima politum lucem videre poſſit. Huic tam laudando conatui religioſum viſum eſt non annuere. Quapropter ex diuerſis Commentarijs Claudij Minois, Franciſci Sanctij (Sebaſtianum StocKhamerum vix Commentatoris nomine dignor, quia in ſola epigrammatis reſolutione occupatur, pauciſſimis, ijsq; ſatis vulgatis ſententijs & fabulis additis; adhæc vix mediam Emblematum partem hoc ſuo more explicat) & Notis Laurentij Pignorij hactenus editis vnum continuū textum exorſus ſum: tum quod arbitrarer penſum eſſe à me non prorſus alienum; tum verò quod fato quodam ad me deuolutum augurabar. Nam ad Minois Galli manum & induſtriam, ad Sanctij Hiſpani ingenium, ad Pignorij Itali eruditionem, ſolùm alicuius Germani videbatur requiri labor & connexio. Vnde factum eſt, vt ſuſceptum opus neſcio qua lubentia ſub manu excreuerit, & vltrà quàm promiſeram, & meum erat inſtitutum, auctum fuerit, præſertim cùm viderem laborem hunc meum ijs probari, quibus ipſe probari ſemper ſtudui. Tractaui autem Emblemata prout mihi offerebantur, & vt herbæ quædam ſine ſerentis cura ſurgunt, ita & hoc in ingenij mei agello opus, dum diuerſos ſcriptores ſucciſiuis horis libo, & ea, quæ in lecto lecta, diligentiùs ruminor.

Methodus obſeruata. Vt autem & laboris aliorum, & meæ induſtrię & methodi conſtet ratio, neve me aliquis lege plagiaria conuenire poſſit, tribus verbis te, Lector

Digitized by Google

ctor beneuole, edocebo. In primis ſingula Emblemata in quatuor Claſſes diſtribui, quas numeri in margine appoſiti vbiq; indicant. I. In primam Claſſem ea congeſſi, quę ipſam picturam reſpiciunt, fingendo, formando, iuuando, exornando, aut etiam corrigendo. Idem præſtitit in elegantiſſimis ſuis Emblematis Hadrianus Iunius, ſed in Alciatinis ante me adhuc nullus: niſi quod Pignorius plurimas figuras ex venerandæ Antiquitatis monumentis paſſim correxit, & feliciter reſtituit, cui ſanè hac in parte multum debemus. II. Secunda Claſſis fontem & originem Emblematis indicat; vbi plerumq; ea adducuntur, quæ ad elucidationem totius Emblematis faciunt, vt Hiſtoriæ, Fabulæ, Mythologiæ, & variæ variorũ ſententiæ. In qua quidem Claſſe egregię certarunt Minos & Sanctius, ita vt dubium ſit, vtri palma meritò debeatur: ſtrictius quidẽ ferit ſcopum Sanctius; ſecurius & fuſius Minos. Nec ego ſum hic totus ἀσύμβολος. III. Tertia Claſſis tota circa explicationem epigrammatis, & inueſtigationem thematis occupatur. In qua Claſſe ſatis parcus fuit Sanctius, copioſior multò & accuratior Minos; ego verò poſt Pignoriũ latius ſum exſpaciatus, & potiùs tyronibus quã emeritis ea opera conſulere ſtudui. IV. Quarta Claſſis omnium maxima, Emblematis finem oſtendit, mores informat, ſalutaria monita vndequaque petita ſuggerit, & ſæpius in diſcurſus pios, & qui Chriſtianum hominem ad virtutis amorem & peccati odium inflammant, ſe diffundit. Quam me, præter ea, quæ Minos communia fecit, totam mihi bono iure vendicare poſſe, iudicabunt ij, qui meas cum aliorum lucubrationibus conferent. Hæc de mea methodo.

I. Prima Claſſis.
II. Secunda Claſſis.
III. Tertia Claſſis.
IV. Quarta Claſſis.

De fide verò, eam in excerpendo, colligẽdo, & afferendo quàm potui adhibui maximam: ipſa verba Autorum obſtinatè retinui, nec facilè cuiusquam ſententiam verbis meis amplificaui vel ornaui, ſed lectori nudam proſtitui; ſicuti nullius laborem in compendiũ coegi, niſi vbi fortè præſtitit ſeligere quàm colligere. Hinc videas ſæpe locos adductos ad faſtidium vſq; prolixos, ſic enim in fundo, vnde deduxi, inueneram, ſecurus tituli, quo quisq; in poſſeſſionem illius venerit. Neq; vllius dicta aut faſtidioſè neglexi, aut odioſè vellicaui, aut alieni Patrisfamilias ſupellectilem alteri ſciens adiudicaui. Sæpe etiam aliquid annotaui, quod non valdè opus, ne ſi quis apud alios fortè in id incidiſſet, meam induſtriam accuſaret, & culpam negligentiæ impingeret. Offendi quoq; plurima ex ijs fontibus hauſta, qui publici ſunt, & qui mihi æquè atq; alijs patent, eadem etiam meo vaſe, ſi non æquè capace, ſaltem non minus puro, haurire poteram: quia tamen alii occuparant, induſtriæ laudem potiùs eorum

Fidelitas Auctoris.

eſſe

eſſe volui quàm meam. Itaq; ſub aliorum nomine pluſcula dico, quæ poteram etiam meo, præſertim ea, quæ in libris, quos docti ab omni æuo publicos eſſe voluerunt, habentur. In ſententiarum diſcrepantia non niſi rariſſimè iudicium, aut coniecturam meam interpoſui, quia mihi placeat, cuiuis iudicium eſſe liberum debere: deinde quòd pleraq; in hoc genere ſint huiuſmodi, vt ſine detrimento Reipub. ſecus ſentire liceat: Deniq; ne dum inter Gallum, Hiſpanum, & Italum (gentes populari odio diſſidentes) ego Germanus me arbitrum ſtatuerem, potiùs partibus quàm rei veritati ſtudere cenſear; & dum huius ſententiam probatum eo, illius improbatum, Flaccus in me illud torqueat:

Nil agit interpres, qui litem lite reſoluit.

Amicorum & fautorum meorum nõnumquam data opera honorificam interſero mentionem, vt gratam eorum recolam memoriam, & vt eorum ad poſteritatem tranſmittam nomina (ſi quid tamen ex me poſteritate dignum) quibus aliud reddere mea prohibet tenuitas.

Occupatio. Ridebunt fortaſſe ij, qui in periſtylijs anſati ambulant, & quibus elegantiæ literarum meræ næniæ præficarum ſunt, quòd centonem exhibeam ſuo cuiusq; autoris filo & colore tam curioſè formatum. At rideãt & irrideant quantum velint: Ego ſanè, ſi me meo metior pede, Germanus ſum, & proinde (quod etiam ipſi volunt) melior in aliorum ſentẽtijs & laboribus colligendis, quàm in nouis inueniendis. Finge tu tibi vnum aliquem è prima claſſe literatorum Alciatum commentari, an tu, vel aliquis mei ſimilis propterea rem factam habere exiſtimes? minimè verò: quippe felices illæ & eruditæ animæ ex ingeniorum ſuorum acumine doctrinæq; copia alios ferè æſtimant; & quod nos nodum Gordium, & Sphingis ænigma cenſemus, id illi tanquam pueris & aniculis notum, ne verbulo quidem dignantur. Et tales qui ſunt, edunt plerumq; ſua tãtum, nimium ſeruile rati in ſententijs aliorum corrogandis operam ponere, etiamſi ad lucem Autoris facere non ignorent. Quare ſi Commentatoris nomen mihi inuideant, quod id maioris ingenij & doctrinæ ſit, ſaltem fidelis Eclogarij partes egiſſe me, negare non poterunt. Id licet ſit mediocris iudicij & eruditionis, tamen eſt laboris tædioſiſſimi, & ſupra fidem non experti; quem ſi ab initio vel per nebulam præuidiſſem, ſubdubito, an aliquis pater patratus hanc operam à me impetraſſet.

Obiectorum ſolutio. Sed video quoſdam hinc & inde in me arietare: hi quidem, quod nimius ſim in auctorum citationibus, cum potiùs ipſos locos adduxiſſe oporteret: illi verò contrà de tædioſa locorum enarratione conqueruntur, vbi locum obiter indicaſſe ſatis fuiſſet. Vtrinq; vallum obijcio. Illis quidem,

me

me non tãto abundare otio, vt ſingula exſcribere poſſem, præſertim cum ea ratione Opus in immenſum excreuiſſet: parcent itaq; homini alijs rebus occupato, & boni conſulent libri commoditatem, cum præſertim nihil omiſſum ſit, quod ad lucem Autoris neceſſariò requiri videbatur. Hi verò æquo animo ſuſtinebunt prolixitatem, quæ in multorum bonum conſultò à me attentata: quotus enim quiſq; eſt, qui tantum laboris in iſtam curam impendat, vt ſingula inueſtiget? imò qui omnes auctores in parato & tanquam numerato habeat? Ego ſic exiſtimo, vix centeſimum quemq; atq; inter doctos & diuites, ne dicam de tenuioribus, habere omnes, à quibus lucem & ornatum noſtro Alciato ſumus mutuati. Neq; enim ignoro, quid ipſe laboris deuorarim, dum libros, quos hic laudo, ex Bibliothecis & tabernis librarijs eruo, & amicorum Muſæa & pluteos excutio. Qua in re præter Bibliothecam, quam Nationis Germanicæ membra hic Pataui j comportarunt, & poſteriorum liberalitas indies auget, multum debeo Muſæo D. Ioannis Andreæ Cioli, D. Ioannis Baptiſtę Canclini, & Franciſci eiuſdem filij, amicorum longo vſu probatorum; maximè verò neceſſari j cuiuſdam mei & penè domeſtici, cuius ſincerus candor & cum probitate coniuncta modeſtia, hic nominari non vult, ſed in præcordijs meis tam ſolidum fixit *Robur*, vt inde euelli ſalua hac vita nunquam poſſe *Sperem*. Horum itaq; benignitas & hic, & alibi ſemper mihi patuit, laboresq; meos non parum promouit.

Verùm enimverò quis, quæſo, hic ſeruet modum, qui æquè gratus ſit omnibus? cùm præſertim aliud vulgus, aliud docti ament. Quis ingenij ſortisq; tam felix, qui vbiq; τρὶς ἓξ βάλλει? Sapientiſſimos quoq; viros, ſapiẽs Romanus ait, multa delinquere, & neminem eſſe tam circumſpectum, cuius diligentia non aliquando ſibi excidat, & ſe veluti perdat. In rebus arduis conatus in laude, effectus in caſu eſt. Mihi quidem conſcientia pro teſtimonio dicit, me bono Reipub. & literarum omnia, quæ potui, voluiſſe. Fuit verò (ne & hoc neſcias) in opere hoc excolendo eadem cura, quæ in producendo, nimirum ſecura. Non enim mihi in ipſa ſtudiorum incude poſito, & rei familiaris anguſtia laboranti tantum otij, vt in vnius operis cultura totos dies conſumere liceat, ne mihi contingat quod Lyſippo, quem ſtatuæ vnius lineamentis inhærentem inopia extinxit. Ideoque horum laborum veniam ſpero, laudem certè non quæro; imò *Excuſatio.*

Et veniam pro laude peto, laudatus abundè,
Non faſtiditus ſi tibi, lector, ero.

Neque errare mihi turpe duco, eſt enim initium ſapientiæ. Inſignis poeta Accius, ætate & ingenio maturo Pacuuio Tragędiam ſuam, cui Atreus

nomen,

nomen, cum Tarenti recitaret, exclamauit Pacuuius: O canorum ſcriptum & poetici ſpiritus, magnificentia turgens; verùm

Carmina nulla probas, molli quæ tramite currunt,
Sed quæ per ſalebras, altaq; ſaxa cadunt.

Reſpondit placidè Accius, id veriſſimum eſſe, ingentique ſe ideo lætitia perfundi, ſperare enim ſe quod deinceps elaboratiora producat. Ingenia namque humana eſſe vti poma, quæ acerbiora felicius tempeſtiuiusque matureſcant, molliora citiùs putreſcant. Quare & mihi, ſi quid minus ad prudentiæ Solem coctum do, condonandum, non enim ex ijs ſum, qui perfectiſſimè me ſcribere cenſeam, ſed in eorum numerum me repono, qui & ſcribendo proficiunt, & proficiendo ſcribunt: Nihil enim ſimul & inuentum & abſolutum eſt.

Accipe igitur, Lector candide, has meas lucubrationes, velut præmiſſum ad incerta viarum exploranda nuncium; cuius periculo ſi cognouero, mihi paucos duntaxat hoſtes eſſe (omnium enim morſum aut inſultum effugere, quis in tanta Rhinocerotum, & in alienis ſcriptis malè ingenioſorum multitudine ſibi promittere auſit?) maiora poſthac fidenter in Famæ campum producam.

Viderit iſta Deus, qui nunc mea pectora verſat:
Neſcio quid certè mens mea maius agit.

Itaq; quæ mea mens fuit in hoc labore ſubeundo, in agendo fides, eadem tua ſit in ſuſcipiendo & iudicando, vt tua legentis beneuolentia creſcat ſcribentis facultas. Vale.

VT ea, quæ ſupra de Methodo & Claßibus dicta ſunt, magis eluceſcerent, placuit Emblema effingere, & rationis meæ aliquod ſpecimen præbere, quo paratior ad cæterorum Commentariorum lectionem accederet ſtudioſus. Hoc autem quidquid eſt, ſacrum eſſe volui ei, cui Liber ipſe dicatus eſt, cùm non habeam magis dignum ſtudiorum meorum auſpicem, qui tutiùs reliquum agmen mihi ducat.

Nullius

Nullius indiga virtus.

EMBLEMA

IOANNIS THVILII,

Ad Reuerendiſſimum Patrem ac Dominum D. Nicolaum de Oddis, Abbatem.



PRæſcribit Medicus pilulas, vt viſcera purget,
Quas parat artifici Pharmacopola manu.
Has demum argenti, vel bractea contegit auri;
Non vim, ſed formam tegmen at illud habet.
Vera ita nullius ſit quamuis indiga Virtus,
Nil tamen externis perdit operta bonis.

COMMENTARII.

I. IN officina Pharmacopœi probè inſtructa ſtet rotundum monopodiũ, in quo pyxis ſeu arcula, vulgò Scatula dicta cum operculo remoto pingatur, continens pilulas nonnullas formatas: & quia hæ plerunq; bracteis aureis obduci ſolent, libellum, quo huiuſmodi bracteæ aſſeruantur, & cultellum ad vſum appingi curauimus. Poſſeſſorem Emblematis indicant inſignia gentilitia trapezophoro inſculpta; vti etiã

eiuſdem

eiuſdem cognomen ipſæ pilulæ, tum integræ, tum compreſſæ obſcurè produnt.

II. MEDICINAE Coryphæorum placitum eſt, vt Medicus lautus & elegãs non modò citò & tutò, ſed etiam iucundè medicinam faciat. Quapropter vt ægrotantiũ ori & palato conſulatur, pro pharmacis acribus, fœtidis, & amaris deglutiendis, ars pilulas excogitauit, quæ plerunq; ex aloe, colocynthide, agarico, opopanace, ſagapeno, & alijs purgantibus guſtui inſuauibus fieri conſueuerunt, conſiſtētia ſolida, figura ſphærica, & parua quantitate. Ad harũ verò pilularũ inſuauitatē tegendam & fallendam, ex auro vel argento foliato extrinſecus artificioſè velantur, non vt inde virtutem aliquam recipiant, ſed ſolùm vt gratia maior oculis & palato concilietur. Nã ſi paulisper in ore ſtabulentur, atq; dentibus aut lingua compreſſius attingantur, non tantùm quendam triſtitię ſenſum guſtui excitant, ſed velut horrorem & ventriculi ſubuerſionem proritant. Non ſecus vera virtus nulla ad ſui conſummationem re indiget, ſed ſe ipſa contenta eſt; imò eo pluris æſtimanda, quo plura contemnit. Et quamuis amiciatur bonis externis, diuitijs, honoribus, dignitate, amicitia, valetudine, forma, viribus, & his ſimilibus; nulla tamen ei fit acceſſio aut ſupplementum, niſi fortè in ſpeciem, atq; ad difficultatem (ſiquidem ad ardua tendit) aliqua ratione mitigandam. Rectè itaq; ſenſit Romanus Orator Tullius, dum ei, in quo ſit virtus, nihil deeſſe ad beatè viuendum putat. Et alibi inquit: Præſidij ad viuendum in virtute ſatis eſt. Cui ſuffragatur quoq; Comicus (vnde nos noſtrum Emblema eruimus) in Amphitruo:

Pilula cur inuēta.

Cur auro obducantur.

Fons Emblematis.

——Virtus præmium eſt optimum.
Virtus omnibus rebus anteit profectò:
Libertas, ſalus, vita, res, parentes,
Patria, & prognati tutantur, ſeruantur:
Virtus omnia in ſe habet: omnia adſunt
bona, quem penes eſt virtus.

Nec abludit Sillius Italicus lib. 3.

Ipſa quidem virtus ſibimet pulcherrima merces.

Quanti igitur æſtimanda eſt virtus, quæ nec eripi, nec ſurripi poteſt? neq; naufragio, neq; incendio amittitur, nec tempeſtatum, nec temporum permutatione mutatur? Qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt diuites; ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas, ſoliq; (quod eſt proprium diuitiarum) contenti ſunt rebus ſuis. Teſte enim Sophocle,

Qui verè diuites.

Ἀρετῆς βέβαιαι δὲ εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι.
Virtutis ſola conſtans perpetuaq; poſſeſſio.

Diuitias ergo ſine diuitum eſſe, tu verò virtutem præfer diuitijs: nam ſi voles virtutem cum diuitijs comparare, vix ſatis idoneæ tibi videbuntur diuitiæ, quæ virtutis pediſſequæ ſunt.

III. *PRÆSCRIBIT Medicus*] Pręcipit, conſtituit, imperat Pharmacopœis.

Pilulas] Pilulæ, medicamenti genus, à paruæ pilæ vel globuli forma ſibi nomen adoptauerunt; quæ quod non edantur, nec linguntur, ſed integræ deuorentur, Græcè *καταπότια* dicuntur, *ἀπὸ τοῦ καταπίνειν*.

Pilula.

καταπότια.

Vt viſcera purget] Humores peccantes expellat: hinc pilulæ aliæ dicuntur phlegmagogæ, quæ pituitam; aliæ cholagogæ, quæ bilem; aliæ melanagogæ, quæ ſuccũ melancholicum deturbant.

Pilularũ differentia.

Artifici manu] ſecundum artem, non temerè.

Bractea contegit auri] aurum & argentum foliatum, & malleo ductum bractea dici poteſt. Hinc Bractearius, qui huiuſmodi bracteas facit. Dicitur autē bractea *ἀπὸ τοῦ βράγχειν*, *à reſonando*. & differt à lamina, quod hæc craſſior, illa ſubtilior.

Bractea vnde dicta.

Non vim, ſed formam] nullas addit vires folium auri pilulis, ſed tantum pulchritudinem, & formæ gratiam conciliat, palatumq; fallit.

Tegmen] quidquid aliud tegit: dicitur etiã tegimen, tegumen, tegmentum, tegumentum, tegulum, tegillum, diminut.

Tegmen.

Nullius ſit quamuis indiga virtus] Emblematis epigraphe. Lucretius lib. 1.

Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri.

Nil tamen perdit] nullum damnum vel iacturam patitur.

Externis operta bonis] amicta & ornata bonis fortunæ. Externa bona ſunt omnia, quæ à fortuna dependent, vt diuitiæ, gloria, amicitia, &c.

Bona externa.

IV. VIRTVTEM ſe ipſa contentam eſſe, ſupra dixi; nec tamen bona externa prorſus reijcere. Ita eſt: etenim virtutis veræ comites ferè perpetui ſunt bona corporis & fortunę, non vice verſa; ſiquidem ſingulari Dei nutu prouiſum eſt, vt amaror huius

ius radicis, quæ tã dulces & precioſos parit fructus, ſaltem aliqua dulcedine permiſceatur, ne primo ſtatim aditu ſectatores deterreãtur: At ſemel perfectè poſſeſſa virtus, externa omnia vilipendit, quippe quæ nullius rei indigeat diuitijs potior, vtiliorque generis ſplẽdore; vtpote quę ſola cõſeneſcat mentibus, cũ quibus bona fide coaluerit.

Apoſtrophe.

Ad tuũ tribunal appello, Preſul Reuerendiſſime, cur enim nõ ad Iuſtitiã plus quam Prienenſem appellem? imò tete omnium virtutum viuum exemplar ſtatuo. Verùm antequã ad culmen virtutum tuarum veniamus, age myſticum illud intremus biuium, ab omnibus decãtatum, quo ſecuriori paſſu tua legamus veſtigia.

Biuium Herculis.

Notũ eſt, quam ſpacioſa ac patenti ſemita perueniatur ad perditionis vaſtũ ac formidabilẽ ſpecum: ad arcem verò virtutis cælatam ſideribus, radiantem & fulgidã, arcta, preſſa ac lubrica, vbi ex legione hominum aut myriade integra vix decimus periculi ſecurus tutò pertranſeat. Ex Delphico pronunciatum hoc tripode, nec ex cortina Sybillę certius oraculũ; diuini enim oris teſtimonio comprobata ſententia eſt, cui adſtipulatur conſenſus doctorum & vniuerſa Chriſtianæ profeſſionis antiquitas. Et de duplici porta non minus: altera, quę mortis regiã intrantibus aperit, capaci & ampla: altera, quæ vitæ, nimis anguſta illa quidem ac

Anguſta cæli porta.

humili, quò gigantes iſti terreſtres, & grandia ſpirantes Polyphemi non inferunt pedem; quò nec Sardanapalus penetrat, nec Epicurus cum turgido ſaginati vẽtris ſui tympano: vbi crumena talentis prægnans, & recenti crapula fumans ingluuies, & bullientis choleræ tumor, & ſpuma libidinis circum præcordia efferueſcens, & picatus ſtertentis ignauiæ lentor aditũ nuſquam inueniunt, & in primo ſtatim veſtibulo cum dedecore retunduntur. Cur enim non præcludatur monſtris iſtis cœleſtis ianua? cur à foribus repelli & excludi colluuiem ſordidã ac peſtilentem non cõueniat?

Qui non poſſint ingredi per anguſtã portam.

Sic enim ſæpe mecum diſcurro: Superbię tumor ex altis illis ſedibus deturbauit inflatum Luciferum, nefas igitur ſperare acceſſum, quibus arrogãtię vento inflatur & protuberat pectus. Generalẽ cataclyſin introduxit ſola libido, & circumfudit orbẽ fatalibus vndis, non igitur ſperandus libidinoſis per illã portam tranſitus. Quia peccatum eſt in naturã ſuccubis viris & muliebria paſſis, arſerunt Sodoma & Gomorrha terribili incendio, vindicante turpitudinẽ rei flamma & ſulphure diuinitus iniecto, quomodo igitur de occupando cęlo cogitet, qui iiſdem ſordibus inquinatus, promiſcua aut inceſta ſe Venere polluit? Aut quomodo recipiãt ſedes illę pertuſum aliquod doliũ viniperdæ ventris, craſſi & pinguis, cũ integras vrbes deglutiuerit iã olim prodiga vinoſitas? Submitti debet collũ & curuari poples ad terrã vſq; ſi in votis eſt aut ſpe liber per illa limina tranſitus: rependũ intrò macerato corpore & attenuato prius ſalutaribus ieiunijs, non diſtento, nec in molẽ creſcente à laxiore paſtu & ſagina.

Clauis ad portam cæli.

Hęc clauis prima fuit ad recludendã hãc ſeram, laborũ nimirũ & inediæ tolerantia voluntaria, qua prę iuit electis ſuis ſtupendo magis quã imitando exemplo, ſpeculũ patientiæ & humilitatis Chriſtus. Plures accingunt ſe animosè ac viriliter ad illud iter, ſed aſperitate deterriti reuocant pedẽ aut deficiunt, & contingit illis quod olim Hebræis, per vaſtiſſimas ſolitudines ad promiſſionis terrã contendentibus, quam, duobus exceptis, è tot millibus tamẽ nullus apprehẽdit. Poteſt & nobis euenire nauſea correptis inter ſentes illos & ſpineta, ſi carnibus aſſueti mũdanæ vanitatis in medio laborioſæ peregrinationis deſerto, reflectamus oculos ſæpius, & reſpiciamus ad ollas Aegypti.

Nicolai de Oddis laus.

Non ſic tu, Pręſul digniſſime, qui ex turbulentis mundanarũ illecebrarũ procellis fortiter enauiſti, & in ſecuro Religionis portu, tãquam in arce & faſtigio virtutũ, acquieuiſti. Hic lux tua viuaci virtutũ flãma accenſa, velut in mõte poſita ſtatim radios diſpergere longè lateq; cępit, adeo vt ad diuerſas profeſſionis tuę dignitates ſępiùs vocatus, ampliſſimis magiſtratibus condecoratus fueris, & tantũ non honoris apicẽ aſcenderis: quem plurimorũ vota iam dudũ in te transferre conati ſunt, niſi ingenita tua modeſtia potius refugiſſet quã affectaſſet. Sed ſcis, gloriã eſſe crocodylum? Etenim quã huic muneri aptus ſis vel vnũ tuum monaſterium hic Patauij abundè teſtatur, qđ non modò magnificis ædificijs adornaſti, ſed etiã nouo iuuenũ ſeminario, & creſcente Religionis ſobole locupletaſti;

Seminarium inſtitutum.

quã tanta ſolicitudine, tanto ſtudio bonis literis imbuendam curas, vt ſub graui curarum domeſticarũ mole nulla hac potior videatur: hem, quantus ergo hinc maturitatis fructus expectandus?

ctandus? Quid dicā de numeroſiſſima librorum ſupellectile, quam in nouam abs te inſtitutam Bibliothecam comparaſti & intuliſti, eoq; ordine & elegantia diſpoſuiſti, vt vel primo intuitu cuilibet Auctorū ſingulorum occurrat noticia. Ecce quantum tibi debeat commiſſa familia? quā ita gubernas, cui ita virtute preis, vt quisquis tuum ingrediatur monaſterium, ſibi videatur omnium virtutum theatrum ſubire.

Bibliotheca.

Diſciplina domeſtica.

Hic enim te Præſule humilitas nihil ſinit altum ſpirare, vela contrahit, nec laxat turgenti vento. Nuſquam titillatio laſciuiæ aliqua, aut occultus ignis ſe prodit, quia ad regulam ſacræ pudicitiæ & honeſtatis omnia decenter attemperas. Vbiq; moderatio eſt in ijs, in quibus vita conſiſtit, & correctio exceſſus; vbiq; cupiditas ad naturæ leges frenata, quæ parſimoniæ amica faſtidit copiam.

Pietas.

De tua in Deum pietate iam dixiſſe oportuiſſet, quæ alpha eſt & caput cæterarum virtutum, diſponitq; cor & ſeram recludit intratutis alijs, quæ ex his mundanis abripit ad florida illa beatorū atria.

Liberalitas, & cætera virtutes.

Ingratus ſim cuculus, ſi tacitus prætercam liberalitatem, qua tot egeſtate preſſos ſubleuas, nec vnquam vrgente caſu manum claudis afflictis: certè hanc ego domi pleno animo mihi commentari ſoleo, & pleno ore foris prędicari non deſinā. Quis igitur neget, in te, ceu in φροντιστηρίῳ, perfectum virtutum circulum completum indies cerni? vbi iuſtitia quærit, prudentia inuenit, fortitudo vendicat, temperantia poſſidet, ita vt iuſtitia ſit in affectu, prudentia in intellectu, fortitudo in effectu, temperantia in vſu. De rara tua doctrina & eruditione, affabilitate, & Neſtoreo eloquio, manſuetudine, morum elegantia, & candore ſincero (qui me ſtatim primo congreſſu ita cepit, vt ſæpius exclamare cogar: o reliquū priſcæ ſinceritatis germen) nihil dicam, ne pro Emblemate panegyrim inſtituiſſe videar. Sed vide quò te, Reuerendiſſime Prę ſul, deducam? Cum has omnes virtutes ita in numerato habeas & poſſideas, nulla me Hercle re alia indiges ad beatè viuendum: de his tamen tam raris dotibus nihil minuunt amplæ opes, quibus fortuna mater te ditauit; nec generoſa proſapia & maiorum priſcæ imagines, quos abhinc quingentis circiter annis ex Vngaria profectos, Peruſiæ iura dediſſe & rerum ibi potitos, imò pace & bello claros, cognatione iunctos fuiſſe cum primis Italiæ familijs, Columnarum, Bentiuolorum, Ballionorum, & aliorum Romanorum. legimus apud Hiſtoricos fide digniſſimos Guicciardinū & Ionium: & ex his Oddis Peruſinis Anno Chriſtiano 1298. quidam hic Patauij Prætorio præfuit, cognomine Vngarus, à quo Oddi Patauini originem ſuam traxerunt. Nec ſolùm Peruſinis & Patauinis terminis concluſum ſtetit ſtirpis tuæ decus, ſed Franciſcus frater tuus ſede Neapoli fixa, opibus & honore clarus, inter nobiles Centum viros, quos Continuos vocāt, vſque ad annum 1615. vixit, ea dignitate ad filios & nepotes propagata. Nimius ſim, ſi in enumerandis tot illuſtribus viris, qui ex hac Oddorum familia prodierunt, & ſatis propria virtute innotuerunt, inhærerem.

Eius illuſtris familia.

Amici.

Nihil deniq; detrahit ornamento tuarum virtutum, imò plurimum auget amicitia, quæ tibi non modò cum multis ex purpuratorum ordine interceſſit, ſed etiam cum viris toti orbi claris: inter quos meritò habetur Torquatus Taxus, poetarum Italorum facilè princeps, qui nobis Hieroſolymam tam eleganti poemate ab obſidione barbarorum liberauit, ſimulq; linguæ Italicæ ſuum nitorem reſtituit; cui tu non modò amicitia, ſed etiam cohabitatione aliquandiu & contubernio iunctus fuiſti. Quis etiam amicitiā inter te & Reuerendiſſimum Abbatem Angelum Grillum, illud Italiæ decus, neſcit? Laurentium Pignorium itidem, & Martinum Sandelliū, duos eruditorum Patauii apices, tibi natale ſolū & cōmunia ſtudia magno literarū bono & patrię honore cōiunxerūt. Taceo Iuliū Cæſarem Capaciuni, Andreā Chioccū Medicū Veronēſem, duo literarū lumina, quorum neceſſitudinis tecum docta proſtant monimenta, reciprocæ veſtræ epiſtolæ typis datæ.

Affabilitas.

Ecquisnam tuam non ambiat, non amplectatur, non emat & amet amicitiam, quam tam iucundis, tam eruditis, & cedro dignis cōdire ſoles colloquijs? ego ſanè ſine aſſentatione gloriari poſſum, me numquam abs te, niſi doctiorem diſcedere. Sed *ne tua virtus meo encomio indigere videatur*, hic deſino, quia oratio, non materia, me deſerit, ſed ſuſtinet officij mei pietas, quæ verſu concludere iubet:

Si pietas, doctrina, fides, ſi candida virtus
Eſt mundo reliqua, hanc inclitus Oddus habet.

IVDI-

IVDICIA ET TESTIMONIA VIRORVM PRÆSTANTISSIMORVM DE HAC NOVISSIMA EDITIONE EMBLEMATVM ALCIATI.

Martino Sandellio Laurentius Pignorius Salutem.

QVæris ex me (amice) quo potiſſimum litterario negocio fallam ocium hoc æſtiuum, hiſce præcipue diebus, queis
Exoriturq; Canis, latratq; Canicula flammans,
Et rabit, igne ſuo geminans incendia Solis.

Ego verò oblecto me accuratiſſimis lucubrationibus Thuilij noſtri, in Emblemata Cl. Viri & nunquam ſatis laudati ANDREAE ALCIATI. Illas vt habeam à prælo penè recentes curat honeſtiſſimus vir Petrus Paulus Tozzius, cuius induſtriæ & impenſis debebunt quandoq; ſtudioſi non minimam profectus ſui partem. In illis (ſi hæc ſcire aues) elucet eruditionis apparatus & concinnitas ea ſanè copia, vt poſſis appellare Menſam Apollinis & Muſarum, Indicam Solis, fabularum & figmentorum plenam, magna veritatis mole opprimentem, & non dubie obruentem. Sunt hæc quidem & ab alijs dicta: at hic noſter in eam nouæ methodi ſeriem redegit, vt Colchidem illam ſatis iam decantatam æmulatus, vetulum Aeſonem recoxerit, reſtitueritq; primæuæ & quidem vegetæ iuuentuti. Iam verò quæ ipſe de ſuo addidit, quam pulchra, quam acria, quam limata ſunt? ſtylus ipſe acutus, inuentio & diſpoſitio elegans, aculei molli vrbano illiti, quos nemo declinet, imò verò lubens excipiat, admittatq; Mihi ſanè Emblemata hæc nunc demum verè Emblemata videntur. Thuilij enim lucubrationes inſtar aurei vaſis mihi ſunt, & quidem magni ponderis, quod hæc Alciatina toreumata aptè conueſtiant, ornatum non modò commodatum ex ſe ipſis, verùm etiam ſplendorem ab auro obryzo ſumptura mutuum, magna cum ingentis precij acceſſione. Tu cum primum hæc videris, ibis ſat ſcio in ſententiam meam; tu Patauina Siren,

Qui ſolus legis, ac facis diſertos.

Vale & ſitim æſtumq; res ſuas ſibi habeant, res ſuas ſibi agant, iubeto. Ex Bibliothecula noſtra, XIV. Kal. Aug. MDCXX.

IOANNI THVILIO MARIÆMONTANO Phyſico-Medico Polymathia inſtructiſſimo, QVI ALCIATI EMBLEMATA ſudato ærumnali labore & improbo ex Cimmerijs tenebris vindicata, eruditionis varietate, linguarum elegantia emendauit; Aliorum Hypomnematibus auxit; maiori cultu, nitore multiplici illuſtrauit, ELOGIVM hocce teſſeræ inſtar REDHOSTIMENTI impensè magis PETRVS PAVLVS VENTVRINVS ſiſtit. Macte Virum MAXVME hoc TVO GENI, INGENI Q. vigore.

AN-

ANDREAE EMBLEMATA ALCIATI
SVVM
IN NITOREM IN CANDOREM
ELEGANTIAE OMNIS IN CERTAMEN
REVOCASTI
IOHANNES THVILI
AC
IN TÆTRO IACENTIA SITV
AD VENEREM REDIERE SVAM
VOCES HINC INDE ET VOTA
QVO TACITVRNIORA HAEC
AD STVPOREM
EO CONTENTIOSIORES ILLAE
AD PLAVSVM
A NVLLO AETATIS INGENIQ. FLORE
FAVORE ET FAMA ADSPIRANTE
ISTHAEC
QVAM A TVO
THVILI
VIRTVTVM ADMIRANDE PROME

PRO COMMENTARIIS
IN ALCIATI EMBLEMATA
SCRIPTIS COLLECTIS EDITIS
A IOANNE THVILIO
PHILOSOPHICAE SCIENTIAE ARTISQVE MEDICAE
DOCTORE EXCELLENTISS.MO

Παύλου Αἰμιλίου τοῦ Καδμέως

CARMINA

Ἀλκιάτοιο βίβλοισιν, ἐν οἷς ἘΜΒΛΗΜΑΘ' ὁ γράψε,
    Πολλοὶ πόλλ' ἀγαθῶν Ἔμβαλον εὐφρονέως·
Ὧν τινας εὐσήμους μᾶλλον συλλέξατο, ἐκδούς,
    Κλεινὸς ἸΩΑΝΝΗΣ, καὶ προσέθηχ' ἱκανά.
Ἐλλογίμως, φανερῶς τε ὁμῶς τάδε πάντ' ἐτέλεσσεν
    ἈΛΚΙΑΤΟΥ τεύχους Ἄλκαρ ἔχων πινυτοῦ.
ἈΝΔΡΕΟΥ ἔκ τε Ἀνὴρ, ἔκ τ' Ἄλκιμος ἈΛΚΙΑΤΟΙΟ,
    Ἦν φάος ἔκ τε φάους, φῶς μέγα φωτὶ πορών·
Ἶσον ἀποστίλβων τε νόῳ, σελάων τ' ἐπέεσσι,
    Κ' οὐδενὸς ἐκφανέων δεύτερος ὢν μερόπων.
Εἵνεκά τ' ἀμφοτέρων ἐσθλῶν, γλώσσης τε φρενός τε,
    Ἔλλαχεν ἀτρεκέως κύδεος οὐρανίου.
Ὅττι δὲ εὐφραδίῃ κομψῇ καὶ φέγγει λαμπρῷ
    Αἰὲν ὑπὲρ ἄλλους ἔπρεπ' ἀναμφιλόγως,
Οὐδὲν θαῦμα πέλει· καὶ γὰρ ΘΟΥΙΛΙΟΣ ἐστὶ
    ΤΥΛΛΙΟΣ, ἠδὲ ΘΕΟΥ ΗΛΙΟΣ αὖ τελέθει.

De

De Commentario luculento in Alciati Emblemata, à IOANNE THVILIO, V. Cl. in lucem edito.

SI fortunatos quondam, ſua ſi bona norint,
Agricolas, pleno protulit ore Maro,
Nunc, quibus Alciati Thuilius eſſe ſequeſter
Contigit, anne illos ſæcula docta manent?
Grammaticos bona ſæcla manent, bona ſæcla Mineruæ
Symmyſtas, Themidos quoſue perurit amor.
Neritio quis Moly Duci, amuleta veneni
Mercurium Ææi mira dediſſe putet?
Mendaci quondam fingebat Græcia fama
Talia, quæ grandi pangis Homere ſono.
Auctor hic en veram Antidotum tulit, Aurea chartis
Sæcula deſcribens, Ferrea ſæcla ſimul:
Nigrantes ſcelerum radices vellit, & almæ
Virtutis flores, lactea dona, parat.
Munere ſic Diuum, diuinis viribus auctus
Alciato immenſum robur ineſſe docet;
Hinc, quæ feſtiuis Emblemata cuderat horis,
Seria virtutum ſtemmata fronte gerunt.

And. Chioccus Med. Veronenſis.

DE EODEM.

EXcutit Alciati ſolers Emblemata Minos:
Sanctius *& vires exerit ingenij.*
Pauca quidem, ſed docta tamen Pignorius *addit;*
Vltimus aſt punctum THVILIVS *omne refert.*
Gallus *&* Hiſpanus *certat, certatq́;* Latinus,
Soli at GERMANO *palma decora datur.*

Beneuolentiæ ac ſingularis affectionis gratia accinebat
Bernhardus Langvvel Hamburga-Saxo, Inclytæ Nationis Germanicæ DD. Theologorum, Medicorum ac Philoſophorum p. t. Conſiliarius.

All'Eccellentiſs. Sig. Giouanni Thuilio
Per l'Emblemi dell'Alciato da lui commentati,
Madrigale di

Gio. Maria Auanzi.

Queſte carte diuine
Ocean di ſcienze, e di dottrine
Contengon quant' accolſe Tolomeo,
Nel celebre Muſéo.
Penna non pur viuace,
Ma eterna, con lor pace;
Più tu n'inſegni ſola
Ch' i Licei, l'Academie, e ogn'altra Scola.

E I D E M.

Forma dat eſſe rei; minor eſt, quæ ſuſcipit illam,
Materies; nullus mi negat hocce Sophus.
Materiam Alciatus libro huic, dat THVILIVS omnem
Formam; erit hinc maior THVILIVS Alciato.

Honoris & amicitiæ ergò
Iudebat
Iohannes VVolffgangus Beer
Auguſtanus, Conſiliarius
Bohemicus, & Nat.Germ.
Bibliothecarius.

IOHAN-

IOHANNI THVILIO

PHILOSOPHO, MEDICO, PHILOLOGO EXIMIO,

A. ALCIATI EMBLEMATA

In priſtinam natiuamq; repoſta Orcheſtram, nouo eoq; lautiſsimo amicta habitu producenti.

QVicquid carmine finxit ALCIATVS,
Quæque Emblemata pinxit ars APELLIS,
Hæc THVILIVS, Herculis labore
Claro reſtituit Libro hoc nitori.
Euectus ſuperas Liber ſub oras
Dis litem atque Deabus excitauit,
Quisnam plus mereatur inde laudis,
Inuentor, Graphium, vel Explicator?
Tandem, poſt varias opiniones,
Hermes veridicum leuans bacillum,
Dis plaudentibus & Deabus, hacce
Rixas compoſuit ſolutione:
Quod ſi intelligeretis, ecquis eſſet
Gradu dignior altiore laudis,
Aurum qui eruit abditum fodinis,
Aut qui cudit, & induit figura, aut
Vti hoc deniq; qui facit fruiq;
Ambabus manibus mihi daretis,
Maiori quod in æſtimatione
Commentaria ſint THVILIANA,
Quàm, quæ carmina finxit ALCIATVS,
Quæq; Emblemata pinxit ars APELLIS.

Applaudebat Veronæ in itinere Theodoricus
Reſchingeder Neopyrgo-Pal.

AD EVNDEM.

Contendere diu libri de Auctore nouati
Diſparibus votis, turba nouena, Deæ:
ANDREAS cecinit; quid tum? dixere priores:
Altera pars, facilis ſed JANVS explicuit.
Hoc opus, hic labor eſt, quæ non componimus, illa
Et benè percipere, & ritè docere rudes.
Pieridum Præſes veniens ad iurgia Phœbus
Componit litem, conciliatq; animos:
Iungite fœdus (ait) Muſæ concorditer: Auctor
Sit JANVS-ANDREAS, dignus vterque cedro.

Amicitiæ nunquam intermoriture hoc pignus apponebat
Franciſcus Canclinus Venetus.

EIDEM πολυμαθῆ.

Diuerſis diuerſa placent: non omnibus idem
Eſt ſtomachus natus quemlibet eſſe cibum.
Es grauis Orator, lepidusq; Poeta, THVILI,
Hiſtoricus, Medicus, Muſicus, atq; Sophus:
Dete nites varia; quin es aptus ad omnia. Si non
Hiſce placere potes, nemo placere poteſt.

Idem eidem.

Dum nomen tento proferre, THVILIVS; aio
TVLLIVS: errorem non malè lingua facit.

Honoris & obſeruantiæ ergo alludebat
Ioan-Baptiſta VVindthier Schonganus Bauarus Medicinæ in Patauino Lyceo ſtudioſus.

V. C.

ANDREÆ ALCIATI, I. C.

MEDIOLANENSIS

VITA,

PER CLAVDIVM MINOEM

IVRISC. CONSCRIPTA.

ANDREAS ALCIATVS in pago Alciato ſeu Alzato Mediolanenſi natus, è nobili Alciatorum familia, Iuriſconſultorum & politorum hominum gloriam incredibili ſtudio ac virtute longo poſt ſe reliquit interuallo. Is adoleſcens cùm primum ingenij cultum caperet, non pœnitendos inſtitutores, à quibus edoceretur, nactus eſt, ſed maximè Ianum Parrhaſium, qui Romæ ac Mediolani litteras humaniores ſummo omnium applauſu docuit. Eas primas artes Alciatus auidè arripuit, ſeque ijs non leuiter tinxit, earum tamen vſum omnem ad peritiam iuris, cui ſe totum addicebat, optimè referendum eſſe duxit, vt ea ſtudia, in quibus alij, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcunt, huic vni ancillarentur. Ille itaque quod ſeriò & percupidè eam iuris ſcientiam perſequeretur, breui admodum ſpatio temporis ita promouit, vt dignus exiſtimaretur, qui Doctoris inſignibus cohoneſtaretur. Eo primùm honore donatus ſic ab omnibus ſuſpiciebatur, tantamque de ſe admirationem concitabat, vt de rebus etiam grauiſſimis, & quæ non niſi veteranis, & longo vſu exercitatis viris proponi ſolitæ eſſent, argutè politèque reſponderet. Rogatus enim à Quæſitore, quem appellant, hæreticæ prauitatis, de re admodum perplexa & dubia, quæque iam antè multos ſanè doctos, tum Theologicæ rei peritos, tum iuris profeſſores exercuerat, ita ſatisfecit, vt Quæſitor ille non tam ab homine, quàm ab ipſo edoctus oraculo abierit: agebatur de ſupplicio Lamiarum, & earum mulierum, quæ veneficæ aut ſortilegæ vulgato vocabulo nominantur: ſed cùm Lamiarum ſeu ſtrigum non eſſet vna ſpecies, ex iiſq; aliæ dicerentur in Crucem imminxiſſe, CHRISTVM Deum abnegaſſe, præſentes ipſas & vigilantes, veneficijs atq; deuotionibus infantes extinxiſſe: aliæ nonnullæ aliquando matribus interminatæ, noctu ad earum filios, quamuis foribus obſeratis, valuiſque occluſis irrepſiſſe, eos faſcino preſſiſſe: quos pueros conſtabat morbo repentino captos, & medicis non cognito deceſſiſſe. Reſpondit in has illaſque Quæſitorem debere ſuo fungi munere. Quanquam enim (dicebat) ex ijs aliæ reuera, & vt vulgus loquitur, perſonaliter non acceſſiſſent, tamen id Lemuribus ſuis videri mandaſſe. Quædam etiam nihil vltrà egiſſe arguebantur.

Alciati ſolum patrium.

Præceptor Alciati Ianus Parrhaſius.

Alciatus Doctor creatus.

Ingenioſa Alciati deciſio.

bantur, niſi quòd ſub arbore Tellina choreas duxiſſent, quod tamen hæ negabant. Et ea quidem vna ſuſpicione, quamquam ſolo vulgi rumore vagaretur, eas tamen volebat Quæſitor tormentis ſubijci, eo quòd in fauorem fidei, conſciorum & conſceleratorum teſtimonium admitteretur. Alciatus contrà, id verum eſſe de ijs, quæ vigilantes vidiſſent, non quæ dormientes & in ſomnis, multaq; alia præclarè, quibus totam hanc quæſtionem ſoluit, vt nihil ad eam dubitationis relinqueret.

Profeſſor apud Auenionenſes.

Ergo Mediolani per triennium moratus, ſeſe foro parabat, munusq; aduocationis cum aliqua laude, certè magna fide ac religione ſuſtinebat, cùm nomen cœpit eius ad exteras nationes, nedum ſuos Italos propagari. Accitus enim eſt ad publicum profitendi munus ab Auenionenſibus, propoſito ei ſtipendio ſexcentorum, cum nunquam ad eum diem cathedram, quod ipſe ait, conſcendiſſet. Qua in vrbe per aliquot annos ita ingenium ſuum & induſtriam probauit, vt vnus penè inter laudatos iuris interpretes, ſolusque egregiè doctus prædicaretur. Ea hominis fama excitatus FRANCISCVS I. ingeniorum ſolers & munificus æſtimator, Alciatum ad Biturigum Academiam vocauit, Anno Chriſtiano 1529. honorario illi duplicato, adeò vt pro ſexcentis, ſecundo ſui aduentus anno, mille & ducenti præſtarentur. Qua in vrbe Galliæ celebri, & qua nobilium auditorum frequentia, quantum ille laborum ſumma ſua laude pertulerit, idque quinquennium explerit, quo fuit in Gallia, ſuperſunt etiam hodie teſtes longè multi, laudati viri, qui Alciatum docentem audiuerunt: teſtes etiam libri editi æterna digni memoria, quos ille ſucciſiuis horis ſummo ſtudio, parique ingenio reliquit. Cum enim ad laborem, non ad otium ſe vocatum à magno Principe, & in Academia Galliarum florentiſſima intelligeret, ne quid de ea laude, quam multis magniſq; vigilijs conſecutus erat, imminui pateretur, initium duxit ab ea Conſtitutione, quæ eſt De quinque pedum præſcriptione. magna omnium, ſanèq; doctorum hominum admiratione, eoque ſucceſſu laudis, vt is labor, vel potius indefeſſi animi contentio, ianuam famæ nunquam intermorituræ aperuerit. Non eſt mihi animus ſingula percurrere, quæ magna doctrinæ laude, parique dignitate toto eo quinquennio perfecit; eius orationem vix poſſum tranſilire, quam ille habuit ex tempore, cũ FRANCISCVS Rex auditorium eius ingreſſus, præſens intereſſet. Eam vnam laudem è multis non vltimam fuiſſe cenſemus, tanto Principi placuiſſe, eius auditoris animum demulſiſſe, vt quaſi Regia illa maieſtas Iuriſprudentiæ in ſuo ſedenti ſolio faſces ſubmittere videretur.

Ad Bituriges euocatus.

Ea viri ad publicam vtilitatem nati virtus, cum in dies incrementum caperet, FRANCISCVS SFORTIA Mediolanenſium Dux, ſui popularis amore ac gloria captus, eum moras nectentem, penèque tergiuerſantem ad patriam reuocauit: vtque omnem excuſationis remoram interciperet, ſenatoria dignitate ornauit, & vt Ticini docendi partes ſuſtineret, ab eo impetrauit. Oratione ea, quam publicè Ticini habuit, fatetur ipſemet ſe de longinquis regionibus à principe Sfortia ſola virtutis commendatione agnitum, fuiſſe reuocatum, & ſummæ dignitatis codicillis ornatum, amplo etiam donatum honorario, vt profeſſionis munus obiret. Paulò poſt certis de cauſis Bononiam, ſtudiorum omnium altricem petijt, in qua totos quatuor annos ea celebritate ius ciuile docuit, vt nullus ſatis doctus è ſcholis redire putaretur,

Ticini docet.

Bononiæ.

taretur,niſi qui Alciatum audiuiſſet. Quod quoties animo complector,ſuccurrit illud Homericum de Tireſia,

Οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκίαι ἀΐσσουσι.

Nam præter eloquentiam,qua ille vnus ſua ætate prudentiam iuris illuſtrabat, linguæ vtriuſque cognitionem, qua ſuos æquales omnes anteibat, ingenio adeò felici & vbere hiſtoriam omnem vetuſtatis hauſerat & expreſſerat,vt nihil penitus ignorare videretur:iuris labyrinthos ita ingenioſè penetrabat,ea myſteria purè diſerteque tractabat,vt veterum laudem penè adæquaret, recentium induſtriam facilè ſuperaret. Ticinũ reuocatus, ita iubente CAROLO IMPERATORE, *per annos aliquot illic reſedit,nihil de incœptis laboribus remiſit,gloriã,quam tot vigiliarum impenſis mercatus erat, auxit,vt putaret ſibi exẽplar propoſitũ Herculis,cui apud tragicũ,finis vnius laboris,ad ſequentem gradus pararetur.Ferrariam deinde inuiſit,Ducis* HERCVLIS *honorificis adductis conditionibus, & proſtratã Academiã ea ſolertia extulit,qua cæteras euexerat, peneq; excitarat. Ea in vrbe,vt in alijs,quas incoluerat,non modò viua voce profitendo,ſed & permulta variaq; ſcribendo id effecit,ne viuis & præſentibus modò conſuleret,ſed & poſteris idem multò cumulatius præſtaret.*

Ticinum reuocatus.

Ferrariæ docet.

Poſt multos tandem peregrinationum labores, Ticinum repetijt,in eaq; vrbe ſuarum fortunarum tabulas poſtremò collocauit;docuit tres, quatuorvè ad ſummum annos,vir qui nullis ætatis difficultatibus,neq; quietis alicuius, quam capere poterat, blanditijs delinitus,à cœpto opere ac ſtudio ceſſauit. De qua tamen adeò frequenti concurſatione,quam pleriſq; ſuſpectam præſentiebat,ſeipſum publicè ita purgauit, vt non temerè rationem probabilem reddiderit. Quid enim ſi Auenione primùm, quid ſi Ticini,Bononiæ, Biturigibus profeſſus ſit,tanquam qui nuſquam poſſet conſiſtere? prompta enim excuſatio hæc illi fuit;nam dum bellicos furores ſubterfugeret,tutamque ſuis quietem ſtudijs perquireret,diutiſſimè peregrinatum,principumq; iuſſionibus huc atq; illuc agitatum certam ſedem tenere non potuiſſe dicit. Enimverò meminerat Plautini verbi, Dij nos tanquam pilas,homines habent:ita ſe raptum inſtar lignorum,quæ pro fluctuum impetu feruntur,varieq; agitatum:quicquid tamen erroris hoc fuerit,in publicam ſemper vtilitatem ceſſiſſe. Alijs etiam rationibus inconſtantiæ huius culpam deprecabatur,neminem eſſe dicebat,qui Solem vituperaret,quòd dum radijs & calore ſuo cuncta viuificet,ambitum terræ omnem circumquaque percurreret; nec quemquam,qui eo animo fixas ſtellas laudaret,vt errantes improbaret. Celebratum Homeri carminibus Vlyſſem, quod mores hominum multorum & vrbes viderit,ſed & philoſophos veteres,vt Pythagoram,Platonem,Apollonium,alioſque multos,doctrinæ cauſa,peregrinationes maximas ſuſcepiſſe: Dionem Pruſienſem, quòd ad Celtas & Sarmatas ſe contuliſſet,tanti à Traiano Imperatore factum, vt reuertentem aureo curru exceperit: & Ariſtotelem, ei qui ciuilis adminiſtrationis ſtudia profiteretur,admodum conuenire peregrinationem,exiſtimaſſe,idque Hippodami Mileſij exemplo,qui diu per multas vrbes errarit, priuſquam aliquid ſcribere ſit aggreſſus. Idem de Lycurgo,Solone,Zaleuco,Philolao,multiſq; præterea alijs proditũ,hinc illud apud Sophoclem, οἴκοι μένειν δεῖ τὸν καλῶς εὐδαίμονα, domi manendum cuncta cui ſunt proſpera, *ſapientes de ijs intelligere duntaxat,qui priuatim vitam*

Ticinum redit.

Cauſa frequentis peregrinationis.

agerent,

agerent,quiq; domi & in otio marceſcere citra publicum incommodum poſſent: alioqui publico literarum profeſſori,qui verſaretur in hominum luce & frequentia,haudquaquam conuenire,linguam quæ plurimis Academijs prodeſſe poſſit,intra vnius loci cancellos,in quo propter bellorum ſtrepitus & horrores gymnaſium nullum ſit,concludere;multùm profeciſſe hac ratione profeſſores alios: ſibi peregrè agenti firmiſſimũ ſemper fuiſſe in doctrina præſidium, legalem hanc profeſſionem ſibi tanquam Palladis ægiferæ clypeum,quo ſuperatas Gorgones,id eſt, monſtra omnia fabulæ prodiderunt. Et hæc quidem ille,vt paſſim multa de ſua peregrinatione:quam tamen tam crebram locorum mutationem nihil moramur, quin potius eximiam hominis ſollertiam admiramur. Ille diſciplinarum liberalium, Hiſtoriæ omnis, Græcæ & Romanæ linguæ fretus ſubſidijs,iuris ſtudia nitori priſtino fœliciter reſtituit, æmulatus veteres quoſdam magni nominis Iuriſconſultos,Herennium Modeſtinum,Antiſtium Labeonem,Atteium Capitonem,aliosq; qui pares fuere in vtriuſq; linguæ cognitione, artiumq; meliorum facultate.

Cur aliquando à communibus opinionibus diſſenſerit.

Iam verò ſi quid aliquando inter diſputandum pronunciarit aduerſus receptas à maioribus opiniones,hoc non eo animo fecit, vt lectorem etiam reluctantem in ſuam ſententiam pertraheret,ſicuti obiectum illi fuit à quibuſdam maleuolis,qui omnia eius conſilia ſiniſtrè acciperent. Multa enim dum doceret, varia quaſi fercula, vt in apparatiſſimo conuiuio,ſolitus erat apponere,ex quibus quod magis ſaperet, vocati conuiuæ pro ſuo arbitratu eligerent. In qua tentanda iudiciorum alea,quàm ſe prudenter & circumſpectè geſſerit,id argumento eſt,quod ſe ad vtrumque compararit: vt ſi fortè populari aura exciperetur,non ideò tamen exultaret;didicerat enim ex Biante, plures eſſe malos;& non quicquid continuo multis placeret, id ſapientibus arridere: contrà ſi paucis probaretur,non ideò remittendum animum,cum, deſerto ab omnibus auditoribus diſcipulo, Antigenides, mihi cane & Muſis, *dixerit. Sic enim aduerſus inſanam hominum quorundam petulantiam,adeoque caninam facundiam ſeſe obfirmabat,vt neq; cauillis moueretur, neque conuicijs ab incœpto curſu reuocaretur. Qua de re tamen maturius paulo poſt.*

Alciati paradoxa in lucem edita.

Duodecim poſt annos cum ciuilis & Pontificij iuris profeſſorijs inſignibus donatus eſſet,Paradoxa & diſpunctiones in publicum emiſit,opus, vt ipſe dicit,elaboratum horis ſucciſiuis,& à candidato adhuc & tirone. Quoties enim ea,quæ à ſuis doctoribus acceperat,ſtudio ipſe ſecum perpenderet, ſi qua eſſent, quæ probabilibus argumentis digna refutatione viderentur, ne quod occurrebat, memoria protinus excederet, quibuſdam quaſi aduerſarijs deſcribere conſueuerat: quæ omnia tum in manus accepta,cum paulò accuratiùs expolijſſet,in codicem veraſq; tabulas referenda duxit, tandemq; ſtudioſis omnibus communicauit. Quod opus non tam vt gloriam,cuius illa ætas ſolet eſſe auidiſſima,captaret,à ſe fatetur editum,quàm vt ratione aliqua Doctorum,qui tum ſtudia iuris profitebantur,iudicium conuelleret,qui bonarum literarum cognitionem non modò Iureconſulto non neceſſariam vbiq; aſſeuerabant, ſed contrariam potius,& ſerijs omnibus ſtudijs blanda quadam & illici voluptate repugnantem:quapropter non ſecus quàm à nauigantibus Homericas illas Sirenes,euitãdam, Vlyſſiſq; ſequendum exemplum,qui ſe malo nauis alligaſſet,ſocijſq; aures cera illeuiſſet,

Operis illius occaſio, & finis.

uiſſet, ne vocum modulatione capti à cœpto curſu aberrarent. Quæ tamen quia dici fierique hominum more agnoſcebat, qui ea facilè aſpernarentur, quæ aſſequi ipſi non poſſent, à ſuo propoſito non diſcedebat, nihiloq; ſeciùs induſtriam ſuam excitabat. Interdum tamen eorum conuicia non ferebat, qui quòd elegantius quàm cæteri diſputaret, pro obſcuro inceßebatur vulgo, adeò vt imperiti auditores ceu noctuæ ad Solem caligarent: quin etiam aliquando inclamarent, Indoctius loquare, ſed apertiùs. *Quod tamen non tam auditorum, quam Profeſſorum iudicium fuit, qui creſcenti gloriæ Alciati apertè inuiderent. Ex ijs Doctoribus neminem in pretio fuiſse habitum conſtat (vno aut altero exceptis) qui non omnium aliarum artium rudis eſſet. Satis igitur ſibi factum eo tempore arbitrabatur, ſi ſuum literis humanioribus honorem ſeruaſſet, iungiq; eas ſua ætate ſapientiæ ſtudijs poſse docuiſſet. Quod dum viua voce, & ſcriptis conatur, iuris Doctores tanquam transfugam eum inſectabantur, ijdemq; libris editis laceſſere non deſinebant: apud Humanitatis verò profeſſores, tanquam omninò alienus eſſet, nec ſibi locus, nec ratio vlla conſtabat: quorum alij eum tanto æri ſoluendo non eſſe, alij prædijs prædibusq; non ſatis idoneum, alij alia comminiſcebantur; quo factum, vt maximam apud omnes inuidiam, gloriæ loco, adeptus ſibi videretur, & huius incaſſum cœpti conatus tæderet, vel potiùs malo edoctus laboris eum pœniteret, donec paulatim libri, quos emiſerat in publicum, & docendi ratio, quam ſequebatur in multis gymnaſijs ſeſe inſinuarint.* Alciatus inuidia preſſus.

Nec verò ipſe, quoties occaſio fert, diſſimulat, ſe reiecta ſæculorum aliquot ante lapſorum conſuetudine, quam iuuenis erat amplexatus, ad imitationem & præſcriptam veterum iuris explicandi rationem omni conatu ſtudioq; reuocaſſe. Sed quod obſeruaret, eſſe qui barbaras & impolitas interpretationes elegantioribus præferrent, & tritico neglecto cum atauis veſci mallent glandibus, cùm primùm hanc diſciplinam profiteri cœpit, eo quod nondum ſibi tantum auctoritatis comparaßet, ſeruire ſcenæ ac tempori cogebatur; quantumq; fieri poterat, ſtudia ſua diſcipulorum auribus accommodabat. Interea tamen de trita vulgataque docendi ratione identidem querebatur, ſuosq; monebat, ad vtilitatem publicam valdè pertinuiſſe Iuſtiniani edictum obſeruari, & eam ſtudiorum ſequi methodum, quam ipſe proœmio Digeſtorum præfixißet. Humana quadam curioſitate deceptos longè multos modum non tenuiſſe, & eò planè deuentum, vt Alciatus ipſe, quique in eodem ſtudio verſarentur, dare manus conſuetudini pridem receptæ cogerentur, non enim æquales, non auditores, non gymnaſiorum præfectos omninò permißuros antiquatum & obſoletum morem in vſum reuocari; pluris eos facere cœptam ducentis ab hinc annis docendi viam, quàm legislatoris ipſius iuſſum: itaq; ſe ea de re ſecurum fore poſthac, neque moturum eo nomine controuerſiam: id nihil eſſe aliud quàm aduerſus torrentem natare, eique ſe diſcrimini permittere, vt qui Methodus docendi Alciati.

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

In quo cùm diutius hæſiſſet, non deſtitit tamen, quin ſe totum componeret ad veterum imitationem: non tamen, in tanta opinionum varietate ac diſſenſione, alicui ſectæ nomen dedit, aut in alicuius magiſtri verba iurauit, quòd optimè cenſeret, vt in omnibus alijs artibus, ſic in ea maximè, quam profitebatur, primas partes tenere ſanum iudicium;

Alciati candor, & induſtria.

Quot capita, tot ſenſus.

dicium; vix quoq; fieri poſſe, natura dubiæ ſanitatis eſſet, idem legalis ſapientia certus doctor euaderet. Nec verò eſt quod quis exiſtimet αὐθαδίας *aut etiam* φιλαυτίας *eum ſtudio captum quædam ſuo tempore innouaſſe, aut ſecus docuiſſe quàm qui ſuperiore ſæculo floruiſſent, ſi quibus locis erraſſe veteres doctores animaduerteret, eorum nominibus parcebat, ſed tanquam aliud agens oſtendebat quatenus eis ſtandum eſſet; in quo ſuum candorem certè laudandum exhibuit. Nouerat enim tributum fuiſſe vitio Ariſtoteli, quod quæ compilaſſet, eis accepta non referret, à quibus acceperat: contrà vbi eos peccaſſe animaduertiſſet, nominatim carperet atq; inſectaretur: ſibi Iuris interpreti agendum eſſe modeſtius, quia moralis quam profitebatur ſapientia, hoc ceu inhumanum & inciuile non admitteret; altercandi ſtudium eiuſmodi ad nihil conferre aliud quàm artis opprobrium, nec cedere in laudem altercantis. Eo conſilio Alciatus ſua ſtudia publicæ vtilitati prodeſſe voluit, & citra omnem ambitionem bona fide ſuos auditores docuit. Videbat hominum varia eſſe iudicia, & quot capita tot ſenſus: eſſe qui breuitatem eam affectarent, quam veteres Dynus, Oldradus, Rainerius ætate ſua ſecuti ſunt; alios, qui copiam maiorem vellent, etiam citra acumen vllum, qualis in Barbatio, Felino, aliiſq; nonnullis agnoſcitur; quoſdam ſubtilia perquirere, & cum Aretino, Socino, Ruino imaginari malle, vel* ἀεροβατεῖν, καὶ περιφρονεῖν τὸν ἥλιον, per aera incedere, & citra Solem ſatagere, *quod de Socrate Ariſtophanes ait. Sed ipſe longo vſu didicerat, neminem vnum ſequendum eſſe, at optima quæq; de ſingulis decerpenda: quod prudentiæ opus planè ſingulare ab eodem perſecutum, nedum tentatum, quo ſuum Iuriſprudentiæ lumen redderet. De elegantia verò & polito genere dicendi, quam in iuris Doctore non ferebant moroſi quidam veterani, vt qui à ſuis magiſtris perſuaſi, errorem vſu confirmatum mordicus tenebant, ille quædam diſputauit, idq; ſuis vigiliis conſecutus eſt, vt vincta barbaries à Philoſophia & Iuris latifundiis ablegaretur. Quod cum faceret, non tamen veterum, doctorum ſanè hominum, auctoritatem eleuauit: de iis ſemper candidè ſenſit: eorum doctrinam magni fecit, quanquam ſermonis elegantia caruerint: id enim vitium non hominum, ſed temporum fuiſſe perſpiciebat. Conuenire quidem Iuriſconſulto oratoriæ artis facultatem cenſebat: faciliorem enim aditum ad ius Quiritium præſtare, non tamen corpus efficere, ſolam eius ſuperficiem colorare, maximos fuiſſe Iuriſconſultos Bartolum, Baldum, Caſtrenſem, Accurſium, quos conſtat ne ſummis quidem labiis politiores artes attigiſſe: eorum non ferendam cenſuram, qui ſupercilio grauiſſimo in eos inuehuntur eo vno nomine, quòd bonarum literarum rudes extiterint: id enim perinde eſſe, ac ſi quis minoris Aſtrologum faciat, quod Muſicam ignoret: Galenum præſtantiſſimum medicum nullo habeat in numero, quod Euclidis Geometræ nunquam circinum in manus ſumpſerit.*

Alciati lectio.

Eos itaq; ſummos iuris Doctores euoluebat, quos propter inſignem peritiam colebat imprimis, neq; ob linguæ minus politæ horrorem dedignabatur: interea tamen quicquid ex eorum fertilibus areis ad ſuum excolendum ſtudium colligebat, puræ Latinæq; locutionis fluuiis irrigabat. Quod apertiùs quàm antea ſibi faciundum cēſuit, accitus in ſcholam Biturigum, cùm tertius Pandectarum tomus pro lege Academiæ eſſet explicandus: titulum enim De verborum obligationibus, ad explicandum eſt

aggreſſus,

aggreſſus, in quo non prætermittebat, quæ à Bartolo & recentioribus copioſius & acutiùs ob materiæ ſubtilitatem explanata fuerant, qualia ſunt, quæ ad moræ purgationem, quæ ad pœnalis ſtipulationis commiſſionem, quæ ad renuntiationem fideicommiſſorum pertinent. Et profitenti frequentes aderant nobiliſſimi ex Gallia, Germaniaq; adoleſcentes, qui eius doctrinæ illicio capti, eaq; Suadæ medulla non leuiter allecti, vnà cum viris doctiſſimis, qui ei frequentes aderant, mirati tamen eum tritam in ſcholis & nimium patienter approbatam docendi rationem conſectari, ſtimulos illi admouerunt, ne id quod ſciret meliùs & politiùs eos ita celaret, vt inuidere videretur. Cum ergo incuſabant illi, vt qui ceu Plautinus Euclio, quos in pectoris penu theſauros haberet, occluderet, nec in apertum referret, dicebant nihil abſurdius, quàm qui optima queq; haberet in manibus, ad imitandum ea non proponere; obſeruabant eum aduerſus legum ſcita, quæ tractaret ipſe, non ſolùm facere, ſed & recentiores alios iuſſiſſe Iuſtinianum κατὰ πόδα interpretationes fieri, nihilq; magis ſemotum ab antiquorum vſu & conſuetudine, quàm toto anno decem leges magno apparatu explicare, verboſèq; commentarios conficere: cœpiſſe quidem Pyleum, Accurſium, Azonem, & Gloſſematum ſcriptores alios, quod in ſe fuit, leges ad litteram explicare, nec id eis infeliciter ceſſiſſe negotium: ſubſecutos Bartolum, & qui didaſcalici rectè nominantur, vt ſunt Caſtrenſis, Alexander, Iaſon, qui certis doctrinæ limitibus & cancellis ius concluſere, hos non parua laude dignos, ſuoq; ſæculo principes habitos, non putabant eſſe ſequendam nouiſſimam opinioſorum ſectam non multis antè annis enatam, quæ modum omnem exceſſiſſet, quæq; iam in ſtudiorum perniciem retineretur: hos eſſe vt viperinos fętus parentibus exitiales, vt qui ætate poſteriores ſeniorum ſententijs aduerſarentur, omnemq; horam quam doctrinæ impendiſſe debuerant, contradicendo inſumere, de Bartoli verbis, aiebant, non debere Doctorem ita anxiè ſollicitum in multis & à propoſito alienis immorari, ſatis eſſe quod ſentiret intelligi, & breuiter admoneri, clarioreq; ordine quam feciſſet ipſe: non illius tantùm, ſed cæterorum ſententias, ſi quæ ad rem facerent, adducendas videri, ſe minimè probare fatebantur Doctores eos, qui ſuggeſtus paſſim occuparent, quatuor aut ſex ad ſummum leges toto anno interpretari ſolitos; Alciatum centũ poſſe: & quot illi Conſtitutiones, eum totidẽ integros cũ ſuis titulis tractatus: illos, viros quidẽ bonos, ſed non ſatis eruditos, ſola in rubrica tres menſes inſudare; quà ex lectionũ pompa neminẽ ferè doctiorem redire domum; multos, ſed ignaros, Doctorum laborem admirari; paucos qui inde aliquid proficerent.

Stimuli, quibus incitabatur Alciatus ad mutandã docendi rationẽ.

Et ea quidem ſanè vehementi & acuta auditorum oratione permotus Alciatus, vt qui ſe omnibus vtilem & morigerum doctorem præſtare cuperet, poſtea non niſi perſpicua & luculenta oratione docuit, non niſi quæ optima eſſent propoſuit, immò iudicio & ratione ſuis ea conuiuis apponi voluit, quæ conferrent ad valetudinem, non quæ cuiq; facerent ad ſtomachum. Iam verò cum ipſe ſuo munere defungi poſſet vnius horæ ſpatio, maluit tamen clepſydras duplicare: nempe vt viua voce, integra hora doceret, altera verò dictaret, quò qui poſſent, aut etiam vellent exſcribere, id ceu auctarium ab eo conſequerentur. Opportunè id quidem & ingenioſè cogitatum ab erudito homine, qui citra fucum omnem doceret, intelligebat enim Iuriſconſulto memoriam eſſe maximè neceſſariam, quam non parum obtunderet aut etiam imminueret

De eius officio docendi.

anxia-

anxia illa cogitatio, quæ circa iuris ſubtiles quæſtiones implicaretur. Poſt auditionem ideò aſſiduam & diligentẽ non poſſe leuari meliùs, quàm ſcriptione obſeruabat: quamquam enim eſſent aliqui, qui valerent excellenti illo naturæ bono, memoria, tamen & temporis interuallo, & curis interdum hebetari, quædam in ipſo orationis curſu minus ab auditore percipi, quæ ex commentario facilè intelligeret. Quam præclaram ſanè & commodam docendi rationem pleriq; poſtea ſunt omni conatu perſecuti, ſed neſcio an ex multis pauci ſint aſſecuti.

Bellicis tumultibus agitatus Alciatus.

Ex hoc flagranti ſtudio, ſummaq; animi contentione ad id gloriæ peruenit, quam nunquam antè ſperauerat, id non ſemel faſſus eſt, vt ad idem ſtudiorum iter ingrediundum adoleſcentes excitaret. Bellica primùm clade, afflicto cenſu, cùm nuſquam in patria pedem figere tutò poſſet, ad profeſſionem iuris, quam ſacram ancboram vocat, ſe confugiſſe ait: ab ea ſalutem, honorem, opes, ſummum denique decus eſſe conſecutum. Vtq; Zenonem dixiſſe ferunt, cùm naufragus enataſſet, ſe nunquam feliciùs nauigaſſe, quàm cum rebus amiſſis vacare Philoſophiæ cœpiſſet: ſic Alciatum, cùm in patria nimio otio marceſceret, atrocitate bellorum tandem excitatum cœpiſſe peregrinari, & ad diſciplinam confugiſſe, quæ illi fuerit vt Myrtili clypeus: fuiſſe illum ingentis animi militem, ſcuto dimicare ſolitum, quem, cùm ad expeditionem maritimam nauigaſſet, ſubmerſa fortè naui, eidem clypeo innixum, in tutum ſe recepiſſe. De hoc legitur epigramma Græcum, quod ipſe retulit in claſſem Emblematum. Id eiuſmodi eſt:

Vide Emblema 162.

Bina pericla vnis effugi Myrtilus armis,
  Cùm premererque ſolo, cùm premererque ſalo.
Incolumem ex acie clypeus me præſtitit, idem
  Naufragum apprenſus littus ad vſque tulit.

Profectionis autem ad alias nationes occaſio quanquam non vna eſſet, eam tamen à multis exteris approbari voluit, non ſe vltrò, vt omnis egentem opis, erronem, & ignotum obtrudere. Hic ne quidem poſſum tranſilire ſanè lepidum ea de re carmen Albutij Aurelianenſis ad Alciatum, quo eum monuit, vt de tumultibus Italicis ſe ſubduceret, in Galliam concederet, illicq; profiteretur, in quo materiam ſumpſit à pomi Perſici translatione, quod ſuo in ſolo noxium, in exteris conſitum tandem haberi cœpit in pretio. Sic ergo ille:

Vide Emblema 143.

Quæ dedit hos fructus arbor, cœlo aduena noſtro,
  Venit ab Eoo Perſidis axe prius:
Translatu facta eſt melior, quæ noxia quondam
  In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi;
  Alciate, hinc vitam degere diſce tuam.
Tu procul à patria, in pretio es maiore futurus:
  Multum corde ſapis, nec minus ore vales.

Scripta quædam ſua correxit.

Sua quædam correxit ætate maturior, quæ ſibi adoleſcenti fatetur excidiſſe, ex eo à quibuſdam reprehenſus, id ſe feciſſe maxima ratione, nec ſine exemplis innuit. Cùm enim famæ ſuæ conſuleret, noluit in publica ſtudiorum cauſa præuaricari. Idem factum

ctum ab Hippocrate, Medicorum Principe, qui ne poſteri errarent, quædam malè à ſe tradita primus correxit. Fecit M. Tullius, qui cum libri Rhetorici, quos adoleſcẽs emiſerat, parum probarentur, alios oratorios adornauit, & à ſe antè tradita damnauit, & earum rerum occaſione, in quibus lapſus eſſet, nouis libris editis ſuam gloriam permultum auxit. Eodem etiam modo Fab. Quintilianus, duobus à ſe ſcriptis libris de Rhetorica, quod nec ſibi, nec alijs placerent, duodecim illos magna cura elaboratos, ſingulari doctrinæ laude confectos edidit. Quod ergo alijs gloriæ datum eſt, fraudi non debuit eſſe Alciato: dandam hanc ſcriptoribus veniam, hocq; præmio ad ſtudia illuſtranda, vel etiam quoquo modo eſſe alliciendos, in quibus emendatio ſit erranti conceſſa. & noua, quod dicitur, permittenda lima, qua niteant & poliantur ea, quæ aut incuria fuderit, aut humana natura parum cauerit, vt ait Flaccus. Nec verò inficiatus eſt, rectè ab eodem ſuaſum, vt in nonum annum ſcripta premantur, quæ diutius durare velimus: ſed ferè nullum eſſe ex omnibus, qui ſit præceptum hoc ad vnguem ſeruaturus; quoſdam enim, qui ex tempore, quàm à cura præſtantiores habeantur; alios qui ſic ingenio ſuo indulgeant, vt compeſcere nimiam licentiam non poſſint; nonnullos etiam reperiri, qui à ſe conſcripta ſemel approbent, corrigendi tædium non ferant; dixiſſe Ouidium decentiorem eſſe faciem, cui næuus ineſſet aliquis.

Hac celebritate famæ notus Alciatus, vt à viris ſolidè doctis cultus eſt (miſſos lubens facio exteros) imprimisq; Iacobo Minutio, Ioanne Selua, Petro à Stella, multisq; alijs, qui verè ſanèq; de ingenijs iudicare poterant: ſic à quibuſdam certè maleuolis & inuidis obtrectatoribus malè acceptus, & nonnumquam exagitatus eſt. Longouallium infeſtum habuit, hominem interdum ſine mente ac ſine iure tumultuãtem, Alciato detrahentem, alios etiam in eam contentionis rabiem velis remisq; pertrahentem. Fuit etiam illi æmulus, & σύνδρομος *in Italicis Academijs, Doctor quidam iuris, nomine Alexandrinus, à quo non ſemel prouocatus, ſæpèq; conuicijs impetitus nihil reſpondit: vt tamen interdum ſolet eſſe acrior viri boni iracundia, indignè tulit eum quaſi ſibi opponi, & in eodem ſuggeſtu ſucceſſorem nominari, quod oſtendit hoc carmen:* Alciati amici. Maleuoli, & æmuli.

Altiuolam miluus comitatur degener harpam
　Et prædæ partem ſæpe cadentis habet:
Mullum proſequitur, qui ſpretas Sargus ab illo
　Præteritaſq; auidus deuorat ore dapes:
Sic mecum Oenocrates agit: at deſerta ſtudentum
　Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

Vide Emblema 142.

Ita læſus ſibi temperabat, ſed tamen ne foro cedere prorſus videretur, iniuriam acceptam interdum vlciſcebatur: quod idem fecit prouocatus intolerabili planèq; indigna Franciſci Floridi maledicentia, qui Zazium, Budæum, Alciatum, viros incomparabiles fuerat auſus laceſſere: poſtquam enim hominis inſaniam, petulantiam, oriſq; duritiam pertuliſſet, ipſe qui ſtyli acumine facile confodere Floridum poterat, ſatis habuit hoc vibrare ſatyricon, nomine paululum immutato, verſoq; in Ranciſcum Olidum.

Audent flagriferi matulæ, ſtupidique magiſtri
　Bilem in nos olidi pectoris euomere.

Vide Emblema 164.

Reddemuſne vicem opprobrijs? ſed nonne cicadam
Ala vna obſtreperam corripere iſtud erit?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flagris?
Negligere eſt ſatius quod nequeas regere.

Ad Bituriges carmen.

Relictis Biturigibus Italiam repetens, vrbem eam in ſe beneficam, hoc tetraſticho, grati animi teſte, donauit:

Vrbs Biturix inuitus amans te deſero amantem,
Quinq; per æſtates terra habitata mihi:
Nunc opus ad vitulos eſt à verucibus ire,
Ergo vale, & felix ſit tibi lanicium.

Reſponſum.

Quod tamen ab homine candido candidè ſcriptum carmen maledicus quidam nugator, Alciati nomini neſcio qua cauſa infenſus, ita ſugillauit, vt totidem numeris ei calumniosè occineret:

Non nos, ſed noſtros nummos Alzatus amabat,
Qui tacitus ſpretis vanuit hoſpitibus.
Ille ergo valeat vitulos paſturus: at illum
Noſtra vel horrentem frigore lana teget.

Ex quo illud verum intelligimus vſurpatum iam olim, felicitatem omnem inuidiæ obnoxiam: ſolam miſeriam carere inuidia. Qua tamen nugacitate minimè deterritus Alciatus, perinde ſe geſſit vt Hercules ille in ruſticum Lyndium, cuius inſanas voces contumeliarum plenas non magis curabat ac muſcas: aut vt Hecate, quæ canum latratus nihil moratur. Ea ratione facilè conijcimus ſcriptum Emblema aduerſus inanem quorundam impetum:

Vide Emblema 165.

Lunarem noctu vt ſpeculum canis inſpicit orbem,
Seq; videns, alium credidit eſſe canem,
Et latrat: ſed fruſtrà agitur vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

Alciati detractor quidam.

Sed & Doctor quidam nouus, & Ciſalpinus profectus in Vniuerſitatem Tectoſagum (ea eſt Tholoſa) in ea peregrinatione non ſolùm Italorum vitia, qui quorundam mos, ſed & virtutes ſe addidiciſſe gloriatus, cuiuſdam legis aggreſſus explicationem in eum ſermonem incidit, vt diceret, aliter à ſe legum nodos intelligi quam ab Alciato, qui nihil apud nos, *inquit,* facit, quàm quod florettat iura. *Docti tum quidam aderant, qui his auditis, ſeu hominis arrogantiam peroſi, ſeu riſus captandi cauſa, dixerunt:* quæ Alciatus florettat iura, iſte oletat. *Ea fuit magnæ & præſtantis ſanè virtutis comes inuidia, quæ virum omni genere laudis admirabilem toto profeſſionis tempore continenter exercuit.*

Alciati morbus, mors, & ſepultura.

Is quanquam ſano, viuidoq; habitu corporis à natura conformatus, quo tempore de minuendis laboribus, quos multos grauesq; pertulerat, ob ætatem ingraueſcentem cogitaret, neq; dum excederet annum ætatis octauum & quinquageſimum, dolore pedum primùm leuiter correptus, deinde paulò grauius & crebrius, adeo vt continuæ febris ſymptoma illi morbo adiungeretur, paulatim confectus intra decem & quatuor dies, integris ſenſibus, animam Deo reddidit, ineunte anno Chriſtiano, ad Romanæ cu-

xiæ

viæ calculum, 1559. *Ticini ſepultus honorificè in Baſilica vrbis, vir cui (auſim dicere) plus ſua patria, quam ipſe patriæ debeat: vnus qui multis annis obſitam & occupatam quibuſdam quaſi opinionum ſenticetis, & vinctam barbariæ laqueis Iuriſprudentiam aſſeruit, vindicauit, perpurgauit: quem qui perſtrinxerunt, aut inuidi, aut etiam maleuoli; qui parciùs laudarunt, parum candidi; qui pro dignitate coluerunt, eiusq; doctrinam ſanè vtilem ſunt amplexati, gratos ſe & probos, nec leuiter eruditos præſtiterunt.*

Hic ſymbola hominis omni laude poſteritatis digniſſimi non prætermittam, quæ ad raram illius doctrinam virtutemq; prædicandam non parum pertineant. Vnum fuit gentilitium, vt ipſe in Emblematis teſtatus eſt, ad nomen Alciatorum familiæ alludens; in ſcuti planitie depicta conſpicitur Alce, fera Germanica, quæ vnguibus tenet epigramma, μηδὲν ἀναβαλλόμενος. *cuius ſymboli explicationem ipſemet edidit Emblemate in ordine* 3. *ad hunc modum:* Alciati Symbola.

Alciatæ gentis inſignia ſuſtinet Alce,
  Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος. Vide Emblema 3.
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti,
  Qui tot obiuiſſet tempora geſta breui?
Nunquam, inquit, differre volens: quod & indicat Alce,
  Fortior hæc dubites, ocyor annè ſiet.

Alterum ſymbolum ſibi ipſi proprium & præclarè fecit, vti me pridem Paulus Iouius docuit, eo libello ſanè venuſto, quem de ſymbolis armorum & amoris, lingua patria ſcripſit. Caduceus eſt Mercurij inter duo Amalthea cornua, cum inſcriptione hac, ἀνδρὸς δικαίου καρπὸς οὐκ ἀπόλλυται. *huius hæc eſt ſententia:*

Anguibus implicitis geminis caduceus alis
  Inter Amaltheæ cornua rectus adeſt. Vide Emblema 119.
Pollentes ſic mente viros, fandique peritos
  Indicat, vt rerum copia multa beet.

In ea tamen icone Alciati, ad viuum expreßa, qua me nuper donauit ANDREAS THEVETIVS, *Coſmographus Regius, vir lectiſſimus, ſubtus expreßa oſtenduntur inſignia familiæ Alciatorum: quorum alterum gentilitium eſt, cuius ſic ſe planities habet à laua, turricula, in qua erecta ſtans aquila corona inſignita ſummo in apice conſpicitur: à dextra, repagula quatuor: ſupra ſcuti planitiem, galea (ſignum dignitatis equeſtris) ſuperius etiam ceruinum caput, porrectis & eminentibus anterioribus animalis pedibus, in apice ſententia eſt, de qua dixi,* μηδὲν ἀναβαλλόμενος. *Quæ ſingula ſi quis attendat accuratè, facilè percipiet, ab ingenioſo & ſolerti homine nihil aut cogitatum aut prætermiſſum, quod ad illuſtrandum nomen ſuum (vt optimi cuiuſq; gloria ducitur) aut augendam rei literariæ dignitatem conduceret.* Inſignia gentilitia Alciati.

IVLII CAESARIS SCALIGERI EX LIB. POETICES VI. DE ALCIATI Emblematis IVDICIVM.

ALCIATI, præter Emblemata, nihil mihi videre contigit: ea verò talia ſunt, vt cum quouis ingenio certare poſſint. Dulcia ſunt, pura ſunt, elegantia ſunt: ſed non ſine neruis. Sententiæ verò tales, vt etiam ad vſum ciuilis vitæ conferant.

LILIVS GYRALDVS LIB. II. DE POETIS NOSTRORVM temporum.

ALCIATVS poteſt inter poetarum collegium & conſortium reponi, eò quòd eius extant carmina plurima diuerſis in vrbibus iam impreſſa, vt ſunt Epigrammata & Emblemata. De hoc enim illud veriſſimè dici poteſt, quod eſt apud Ciceronem de Scæuola, Iuriſperitorum eloquentiſſimus, eloquentium Iuriſperitiſſimus: addam ego, & polyhiſtor, bonusq; poeta. Sed noſtra commendatione non indiget Alciatus, qui ſuis ſcriptis iam toti orbi illuſtris & clarus habetur.

BARTHOLOMAEVS ANVLVS,

Libello, cui nomen fecit De Iuriſprudentia à primo ſui ortu ad Academiam Biturigum deducta.

ALCIATVS tandem Alcides velut alter, & Alce,
Μηδὲν ἔργον ἀναβαλλόμενος, καὶ πάντα διελθών·
Ad Gallos venit tanto eius nomine motos,
Apperuitq; viam ruptas per vt Annibal Alpes,
Qua ſua fida comes Juriſprudentia, rerum
Regina, ad regni tranſcenderet intima Franci.
Hunc Biturix, mediam quam tota amplectitur vrbem
Francia, Metropolis gremio felice recepit;
Hunc Biturix magnis excepit honoribus, ampla

Et

Et mercede, prius quantam non ceperat vllus,
Ac Saluatori (qui munere functus honeſto,
Iamque ſenex erat emeritus) ſuccedere fecit.
Primus ab Auſonijs leges regionibus ille
Tranſtulit ad Gallas doctor clariſſimus aras,
Doctrinæ humanæ pariter, Iuriſque peritus,
Eloquio pollens, lingua & polyhiſtor vtraque.
Primus & ille tuba veluti clangente vocauit
Militiam ad iuris ſtudioſos vndique mundi
Partibus ex varijs turba coeunte frequentes,
Auribus appenſos dicentis ab ore diſerto,
Mirantesque virum tantùm ſua verba ſonantem.

IO. M. TOSCANVS SVO
Italiæ peplo, lib. 3.

CHara mihi ante alias vrbs noſtræ gentis origo,
Et cui debentur teneris documenta ſub annis
Prima meis, quam natali præponimus oræ;
Inſubrum regina tibi quo munere grates
Vberius referam, quàm ſi quo ſidera adibas
Alciati æternis intexam nomina chartis?
Clarius hoc non priſca tibi, non vltima ſecla
Conceſſere decus: princeps polluta negando
Barbariæ ſancta heu legum myſteria monſtro
Herculea purgauit ope, & viuacia ferro
Colla renaſcentis ſuperauit & ignibus Hydræ.
Hic quam compedibus miſerè conſtrinxerat audax;
In ſcelus omne dolis fucans violentia rectum,

Iuſtitiam cæco produxit carcere in auras,
Fallendique artes ſublata ambage retexit.
Margine qua Siculo tellus ad littus Iberum
Porrigitur, quaque Aemonias declivat ad Arctos
In Scythicum pelagus, ripamque binominis Iſtri,
Noſſe quibus labor eſt veterum decreta Quiritum,
Hoc duce ſacra petunt priſci penetralia iuris:
Hoc ſine tuta via eſt nulli, veſtigia ſi quis
Alterius premat, in præceps hunc deuius error
Tranſuerſum trahit, & ſperato fruſtrat honore.

Andreas in Alciato, Mediolanenſi pago natus, ſexcentos ante annos à barbaris hominibus captiuam detentam Iuriſprudentiam primus in libertatem aſſeruit. Ab illis enim elegantiſſima veterum Iureconſultorum reſponſa, fœdis & ineptis commentarijs deturpata, locis etiam innumeris ob inſcitiam deprauata reſtituit, & priſtino nitori reddidit, ſuis ea doctiſſimis æquè ac elegantiſſimis notis illuſtrans. Teruntur quotidie doctorum manibus numeroſa eius de Iure Ciuili volumina, quibus magiſtris apud Tranſalpinas nationes illuſtres emerſerunt Iuriſconſulti, Duareni, Cuiacij, Zazij, Hottomanni, vel alij, quorum fama peruulgata eſt. Poeticam fœliciſſimè eum attigiſse argumento ſunt Emblemata toties Typis recuſa, atq; in Italicam, Gallicam, & Hiſpanicam linguam conuerſa.

CLAV-

CLAVDII MINOIS
EPISTOLA
priorum editionum.

PROTOGENEM pictorem ſua ætate nobilem, tàm improbo fuiſſe ſtudio, tamq; indefeſſa pingendi cura diligentiaque, memoriæ proditum eſt, vt Apelli parem in omnibus futurum dicerent, ſi manum de tabula tollere potuiſſet: adeò vtile in omni vitæ humanæ inſtituto vulgatum illud, μηδὲν ἄγαν, vt Iſocratea in compoſitione cura diligentior à pleriſque reprehendatur. Quod ideò à me dictum volo, amice Lector, vt planum tibi faciam, quis meæ commentationis in hæc Emblemata modus à me ſit adhibitus: in quo nimirùm è multis, quæ facilè cogere citra negotium poteram, ea duntaxat in ſuos locos contuli, quæ ad rem præſentem magis accommodata viderentur. In quo malui breuiùs omnia perſequi, & leuiter attingere, quæ nemini eſſe ignota ſuſpicabar, quàm quaſi ῥαψῳδεῖν, perque locos communes identidem exſpatiari. Sed ne te pluribus morer, non erit alienum, ſi re ab ouo ducta, quod aiunt, huius meæ lucubrationis conſilium explicem, vt eadem via compertum habeas, quid quantumque in literis contenderim, quoſq; labores hactenus incredibili facultatum penè omnium inopia laborans, in ipſis pueritiæ meæ rudimentis ſum perpeſſus. Quo tempore cùm ſperarem me liberatum iri difficultatibus, &, penè dicam, miſerijs, quibus exerceri & interdum obrui pupillus ſolet omni parentum ope deſtitutus, manendum quaſi aliqua in vigilia mihi ſtatuebam, neque animum ita deijciebam, vt à liberalium artium ſtudio penitus auocarer: tametſi neq; fortuna, neq; alia melior occaſio hunc mihi fructum, quem Dei beneficio videor conſecutus, haudquaquam polliceri videretur. Nam me (anno ætatis duodecimo) per ſeptennium fermè ad inferiores relegatum ſcholas, & nodis, quibus me expedire non niſi ſerò admodum potui, detentum conſtrinxit inimica & certè moleſta ſortis conditio, quæ ſtudia mea neſcio quo veterno quaſi ſopita & fermè extincta reddidit. Quibus tamen in ærumnis ſic animus occalluit, vt ſeptem anni citiùs elapſi ſint, quàm meum me otium tam malè collocaſſe ſenſerim. Quæ quanquam vera ſint, tamen cùm exantlatos à me labores in memoriam reuoco, eſt certè quod ſummo & præpotenti Deo immortales habeam gratias, qui me hoc veluti gyro includi primùm voluerit: atq; me, quanquam ea ætate nimium rudem, nec dum ſatis confirmatum, prouinciam ſuſcipere conceſſit, ad quam partim ætatis imbecillitate, partim etiam ingenioli modulo ac captu omninò eram ineptus. Poſtquam enim linguæ Latinæ & Græcæ, Mathematum & Philoſophiæ Peripateticæ rudimenta de-

ta delibaſſem,earumq; diſciplinarum cognitionem aliquam certè mediocrem percepiſſem in palæſtra viri literatiſſimi L.Baezæ,Hiſpani hominis (cuius in Logicis & Arithmeticis commentationes in lucem editæ à doctis commendantur) opportunitatem aliquam ſum nactus ea omnia recoquẽdi ſedulius, quæ per triennium & eo plus in Philoſophico ſtadio primùm hauſeram. In quo quidem diuturna certè,parumq; vtili meditatione retexendo,hærẽdum mihi diutius fuit quàm vnquam cogitaſſem, vt quaſi ſcopulum Siſyphium toto fermè ſeptennio effractis penè viribus voluerem. Quæ tamen à me dicta, nolim à quoquam ſic accipi, ac ſi quas in ſtudijs ærumnas pertuli, tam moleſtè ferre debeam: nihil enim eſt quod tanti faciam labores neſcio quos,aut ſpontaneas illas moleſtias,quæ ſtudioſos comitari ſolent: quãquam tamen (vt id ingenuè ac liberè) dubius ſim an ratione aliqua conqueri mihi liceat,quòd fortunam non tam iniquam habuerim, quàm ingenium inani admodum & ruſticano quodam pudore præpeditum. Dei enim Optimi Maximi beneficio (cuius munere ac dono ſum id quod ſum) recreari paululum occepit ingenij mei languor:& ita hucuſq; perueni,vt nunquam me pœnituerit tantillis laboribus adeptum ſtudiorum fructus vberiores quàm vnquam cogitaſſem: non quòd ingenio me valere iactem (quod in me quàm ſit exiguum,planè ſentio) ſed quòd mihi naſci contigerit tempore feliciore, quo inciderim in præceptorem cordatiſſimum,multiplici rerum cognitione locupletem, &, quod in maximis duco, cui meum ſtudium probari haud dubiè perciperem. Ex eo itaq; cùm exceſſi, quantum in me fuit, bonorum auctorum Græcorum Latinorumq; pomœria libero & quieto animo peruolutaui,erat enim mihi otij ſatis: bibliothecas virorum aliquot eruditorum adij, quantum mihi conceſſum fuit;& eruditionis alicuius comparandę inſtrumenta quam plurima perquiſiui,eaq; auidè arripui,quaſi diuturnam ſitim explere cupiens,vt ea mihi nota eſſent, quorum poſtea vſum aliquem,quanquam admodum mediocrem,ſum diligentia & ſtudio conſectatus. In his itaq; cum mihi viderer aliquantò implicatus,deq; multis multa conſultarem, commodè incidit in manus meas Alciati liber Emblematum, quem recens nobis Lugduno aduectum,& aliquot annis antè Pariſijs excuſum,noueram à Philologis omnibus non minimùm commendari. Quem cùm de manibus ferè non deponerem, & multa in eo perobſcura deprehenderem, in quibus hærebam diutiùs,& in multis nitendo ſudans, quòd tunc quos vellem imprimis libros non haberem,ſciſcitabar ex Leodegario Agathochthonio, Benedictino Diuionenſi,homine verè pio,& in Hebræa, Græca, Latinaq; lingua non mediocriter verſato, vnde mihi omnes nodi & ſcrupi diſſolui poſſent. Ille quidem de nonnullis me liberè admonuit,ſed hoc maximè,vt fontem ipſum, ſi fieri poſſet,adirem, ex quo nimirùm Emblema quodque ſumptum eſſe conſtaret:& Alciatum Alciato interprete, quoad eius maximè fieri poſſet, enarrarem:id eſt,Alciati ſcripta alia,quò id præſtarem commodius,ſedulò & accuratè voluerem:vtq; ingenij vires periclitari paterer,meq; nihilo ſegnius exerce-

exercerem, cùm ſtudia mihi alia grauiora non ſuppeterent, ipſa omnia Emblemata ſcholijs & commentarijs illuſtrarem. Cuius viri conſilio primùm non leuiter inflammatus, primas lineas (quantum per ætatem certè tenellam & conſilij inopem licebat) ducere incepi: in quo primo impetu ſatis mihi ſum conſcius, me non ſecus atq; vrſinum fœtum inconditum planè & informem peperiſſe. Quòd enim mihi hic auctor impenſiſſimè placeret, cum ſumma perlegi auiditate: cuius opes admirabiles vt accuratius & meliùs aperirem mihi, alios pleroſq; qui ad hoc argumentum tam plauſibile facere videbantur, deuoraui: perque multas Philologiæ areas locupletiſſimas ſumma cum voluptate exſpatiatus, ad extremum id mihi lucrifeci, quod nunquam fuiſſem conſecutus, niſi animum ad hanc rerum explicandam difficultatem applicuiſſem. Et quidem non potuit hic liber vel ob argumenti ſplendorem varietatemq; vel auctoris nomen clariſſimum apud omnes, qui non ſunt alieni à Muſarum amœniorum choro, non gratiſſimus eſſe: cuius lepores & concinnitatem eò pluris facio, quò video maiorem cum voluptate vtilitatem in eo coniunctam, quàm alijs penè innumerabilibus, qui quotidie manibus teri conſueuerunt. Quis igitur mihi iure ſuccenſeat, aut paulò etiam iniquius frontem corruget, quòd aliquas horas in eo explanando collocarim? Nõ enim meam qualemcunq; induſtriam & ſtudium ab hoc genere ſcriptionis putaui vnquam alienum eſſe debere, quanquam non parum in eo eſſe difficultatis agnoſcerem, quæ niſi ab homine & otio & literis abundante, vix ſolui poſſe videretur. Quòd ſi quis, vt ſunt varia & iniqua ferè hominum iudicia, animo reputet commentarium nullo labore à nobis abſolutum, cenſeatq; id operis quibuslibet aut etiam Grammaticulis committi non minus quàm mihi potuiſſe, vehementer errat. Quotus enim quiſq; eſt (abſit arrogantia dicto) qui vel Ethicæ diſciplinæ aut Phyſiologiæ ignarus, ne dicam hiſtoriæ aut linguæ Græcæ prorſus inſcius, qui vnum aut alterum Emblema pro dignitate enarrarit? At vt iſthæc miſſa faciam, quis noſter in eo explicando & illuſtrando libello conatus fuerit & induſtria, vt eruditos non latuerit, ita imperitis non poteſt non eſſe perobſcurum & valdè ignotum, qui non plus ea de re quàm cæci de coloribus iudicent. In quo ſi non ingenij dexteritas aliqua vel rerum peritia melior eluceſcat, certè diligentia quædam obſeruari non obſcurè ab ijs poteſt, qui ſunt æqui rerum æſtimatores. Id verò maximè, niſi fallor, perſpicuum erit in obſeruando fonte & origine cuiuſcunq; Emblematis, in comparandis vtriuſq; linguæ auctoribus, qui magnum videbantur adferre adiumentum ad ſingulas notas & explicationes, vt denique in cumulandis ijs locis, qui ſparſim apud Alciatum in ſcriptis alijs prolixiſſimis habeantur. Quæ cùm dico, ſcio equidem quid mihi obijci hoc loco poſſit: quaſi qui velim diligentiam ab omnibus approbari meam, vt nihil omninò concedam ijs, qui in eo libello primum enarrando elaborarunt, ſuamq; nobis induſtriam probauerunt. Certè, vt verum fatear, modeſtius de me ſentio, quàm vt velim incidere in minimam arrogantiæ ſuſpicionem: ſed vt aliorum ingeniorum ſum candidus æſtimator,

mator, ita velim hoc mihi tribui concedique, vt de me non falſa iactanti, mihi credatur Ne enim diſſimulare videar, ſcio ante annos octodecim, Sebaſtianum StocKhamerum Germanum in aliquot Alciati Emblemata ſcripſiſſe commentariola (ſic enim appellat) familiariter admodum & ſtudio facili concinnata: ſed an fuerit auctoris mentem, & argumenti ſplendorem ſecutus, aliorum eſto iudicium. Loquor dę Torneſij Lugdunenſis Typographi editione, non de alia quadam, quam ante aliquot annos adornauit Plantinus, hac noſtra ætate diligentiſſimus Typographus: ea enim aliquot acceſſionibus longè alia eſt quàm prior: quod non erit obſcurum ei, qui editionem vtramque conferre volet. at vel poſterior, vtut ſit, ea eſt tamen, vt eruditorum oculis non ſatis digna videatur. Sed eſto; ſcripſit StocKhamerus ille in aliquot Emblemata, non tamen attigit omnia: ſiquidem fortè diuinare non potuit quid in alijs auctor ſibi vellet; ita quædam perobſcura ſunt, vt vel multa rerum cognitione, vel Delio natatore ſit opus ei, qui ea commodè velit explicare. Adhæc, etiam ſi Bartholomæus Anulus, vir eruditus, breuibus verbis, omnium ferè Emblematum ſententiam complexus ſit, eum tamen non puduit aliquot intacta omninò prætermiſiſſe, quam ob cauſam neſcio, niſi quod veriſſimum eſſe video quod vulgò dicitur: *Docti eſt etiam quædam ignorare*: vel, vt cum Poeta, *Non omnia poſſumus omnes*. Nihil enim moror Ieſuitanæ familiæ ſodalem aliquem, quem accipio ante annos ſex in hac Academia publicè interpretatum hæc eadem Emblemata: ſed tamen quædam, nó omnia attigit: quamnam ob cauſam neſcio, nec vt ſciam ſum admodum ſollicitus: me tamen non fugit, ſi perſecuturus eſſet quod inceperat, aliorum quorundam induſtria ei fuiſſe vtendum, aut certè vigilias maximas eum impenſurum in explanandis rebus tam varijs, tamq; ingenioſè ab ingenioſiſſimo Iureconſulto excogitatis aut efformatis. Quod tamen dictum nolim, vt Ieſuitæ illi quicquam detrahi velim (quandoquidem lubens faueam literatis omnibus, cuiuſcunque profeſſionis & inſtituti habeantur) non hoc dico, inquam, vt mihi canere videar, qui nihil aliud poſſim de me aſſerere, quàm quòd ingenio penè nullo ſim: & ſi quid ſit, illud diligentiæ cuipiam velim tribui potius quàm acumini aut dexteritati. At ſi ad iuſtam carminum tam lepidorum explicationem multa deeſſe obiecerit aliquis: dico, nihil eſſe quod omnibus numeris abſolutum dici & perfectum poſſit. Sum equidem, vt verè dicam, quod potui, conſecutus, nullumq; vnquam laborem in bonis auctoribus euoluendis, qui in hoc mihi poſſent eſſe commodiores, effugi, vt ipſam auctoris mentem elicerem: quam ſi nondum aſſecutus omni parte videar, tamen quantum à me fieri potuit, conatus ſum; vt eo nomine noſtram qualemcumque diligentiam doctis non nimium moroſis probatum iri confidam. Quam ſi gratam ſtudioſis, vt vtilem ſpero, & aliqua dignam approbatione intellexero, efficient profectò, vt qualiſcunq; noſtra induſtria excitetur ad eam commentationem non modò illuſtrandam, ſed etiam locupletandam Quid enim deſperem ſtudium eiuſmodi gratum fore, cùm res per ſe iucunda & fructuoſa mirabiles amores

in ani-

in animis eorum,qui ſunt ingenui & liberales,excitet? Laudatur à nobis Orator, Poeta, Hiſtoricus, Philoſophus, aut aliquis alius ſcriptor,ſi γνώμαις inſignioribus tanquam ſtellulis effulgeat & ſplendeſcat:quæ cùm alicubi leguntur,digito aut tranſuerſo calamo notari ſolent, vt memoriæ commodiùs infigantur, & citiùs occurrant, cùm ijs opus erit. Atqui has ſententias non paſſim,nec ſemper,nec vbiuis reperire eſt facile, cùm nullum ſit Emblema, quod præter ſententiam non afficiat animum rei nouitate,& egregia quadam antiquitatis cognitione.Adhæc γνῶμαι ſunt interdum obſcuriores, neq; omnibus peruiæ eſſe poſſunt: Emblema aut ſubiectæ picturæ cauſa,aut carminis ἑρμηνείᾳ, aut ἐπιγραφῇ, aliquam facilitatem habet, in qua' poſſit animus conquieſcere. Proinde non mirum videri debet, ſi hoc ſcribendi genus & Alciato,& viris pleriſq; grauibus admodum placuerit, vt aliquid eiuſmodi ludis eruditis conſequi poſſent,quod ſtudia grauiora dulci (vt ita dicam) lenimento reficeret. Id enim ſimile præſtitere poſt Alciatum Gulielmus Perrerius Tholoſas,qui Moroſophiam centum Latinis & totidem Gallicis tetraſtichis conſcripſit. Hinc pegma Coſtalij habuimus,hinc Bartholomæi Anuli pictam Poeſim egregiè & ſollerter elaboratam:mitto enim Bocchij laudatum ingenium, qui in hoc genere ſummum ſe artificem præſtitit:poſtremoq; omnium optimè poſt Alciatum, ſi quid mihi credendum ſit, Ioannes Sambucus, & Adrianus Iunius, ſua nobis Emblemata cuderunt, quibus nihil ingenioſius aut accuratius adinuentum,nihil diligentius elucubratum aut abſolutum eſſe conſtat. Sed vt ſuperior ætate Alciatus fuit, ita,ni fallor, ſe priorem & ingenij ſollertia,& doctrinæ laude præſtitit:quem cum hoc in genere primas tenere dicam,quas ſuo iure mihi repetere videatur,non eſt quòd quis ſuſpicetur me nonnihil famæ doctiſſimorum huius ſeculi virorum Iunij, Sambuci, Achillis Bocchij detraxiſſe. Id verò ſtudij genus niſi fuiſſet liberale cenſendum & docto homine dignum,noluiſſent ipſi profectò viri tanti ſuam induſtriam contuliſſe,aut bonas interdum horas collocaſſe in ijs,quæ nihili facienda eſſe duxiſſent. Sed de his iam ſatis.

Supereſt vt breuiter totam noſtræ commentationis rationem explicem,ijſque reſpondeam,quos ad obtrectandum citiùs quàm imitandum paratos fore præſentio. In hac tota ineunda ratione nihil magis obſeruandum eſſe duxi,quàm ſcrupos omnes & mæandros difficiliores, vt locos etiam obſcuros enarrare, & Emblematum penè omnium originem ex ſuo fonte ductam repetere,poſtremoq; vſum cuiuſq; loci & ſententiæ facilem pro virili parte adijcere. Quàm verò perſpicuè & commodè id à nobis tentatum ſit, non dico perfectum, alij viderint:aliquid certè laboris & diligentiæ obſeruari non obſcurè poteſt,doctrinæ nullam mihi tribui darive laudem poſtulo: in quo tamen ab ijs,qui ſeriò docti ſunt,& literis politioribus exculti,facilius aliquam gratiam impetrare mihi videbor, quàm imperitis & quibuſdam nebulonibus,qui omnia non modò temerè vellicant,ſed,quod ait Comicus,niſi quod ipſi faciunt,nihil rectum putant. Nullum adhuc ſcriptorem legi,qui cuilibet

Conſiliũ & methodus Commentariorum Minois.

in omni-

in omnibus ſatisfecerit. Nam in multis cura aut labor deſideratur, in alijs ingenij dexteritas, aut Græcæ linguæ peritia, vel Latinæ proprietas: in alijs deniq; multorum auctorum lectio, aut hiſtoriarum cognitio: quaſi verò virtutes hæ omnes ſingulæ in ſingulis tam facilè deprehendi poſſent. Non enim me latet in Virgilij poemate, Seruij Grammatici diligentis & accurati operam ſæpenumerò deſiderari: quemadmodum nec deſunt, qui idem in Porphyrionis & Acronis commentarijs in Horatium obſeruent: ſed certè hi mihi videntur moleſtiſſimi cenſores, qui cùm nihil faciant, nulloq; ſe labore nobis commendent, importunè tamen de aliorum ſcriptis conqueruntur. Non tamen vt mea qualicunque commentatione præiudicatum alicui velim, quaſi mea tam vnicè probem, vt nolim aliquando vel emendari, vel caſtigari. A qua ſuſpicione quantum abhorream, qui me propius agnouerunt, facilè liberabunt: qui nihil aliud à doctis requiram, quàm vt haſce minutias ſua reprehenſione, in quibus erratum fuerit, aliquando dignentur: vt in ijs recognoſcendis parem diligentiam atq; operam impertiant. Non enim noſtros errores emendari feremus impatienter; neq; nos vllo modo piguerit audire potiora ſuggerentem & meliora: vt nec moleſtum erit priorem ſententiam commutare, ſi quid minus accuratè tractatum aut expenſum à nobis quiſpiam conqueratur. Quod dum facio, videri nolim in publica literarum cauſa præuaricari, & ea docere, quæ aliquando putem dedocenda. Quod tamen nec ſine exemplis nec rationibus me præſtiturum intelligent, ſi modò adſit aliqua in iudicando æquitas, cùm nemini dubium ſit, poſteriores cogitationes meliores eſſe: & in monumentis veterum legamus, Hippocratem artis medicæ principem quædam à ſe non ſatis diligenter tradita, primum emendaſſe, ne cæteri etiam in idem impingerent. Idem factum à M. Tullio meminimus, qui cum Rhetorici libri, quos adoleſcens ſcripſerat, non ſatis placerent, vt minus elucubratos damnare magna parte maluit, quàm corrigere; ſcripſitq; accuratius libros alios Oratoris, quos tanti fieri à doctis agnoſcimus. Sed & Fabius duos libros à ſe primùm De arte dicendi ſcriptos, quòd non ſatis probarentur, expunxit, & duodecim illos vtiliſſimos nobis magno ſtudioſorum omnium applauſu dedit, in quibus videtur & priores emendaſſe, & perfectius aliquid reliquiſſe. Quod illis igitur tantis viris laudi datum eſt in ſuis retractandis, non debet nobis eſſe damno vel fraudi, vt meminerint quorum maximè intereſt, doctiores permulta ſcire, non tamen omnia. Itaque vt ſeueriorem omnem obiurgandi anſam præcludam, ſubinde Horatianum iſtud apud eum, qui ſit reprehenſurus, oppono, vt & ſeipſum norit, & errata mea me non deprecantem ſuſtineat:

Si quid nouiſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his vtere mecum.

Lutetiæ, M. D. L X X X.

SYN.

SYNTAGMA
DE SYMBOLIS,
STEMMATVM ET SCHEMATVM RATIONE, QVAE INSIGNIA SEV arma gentilitia, vulgò nominantur. Deque Emblematis.

DE SYMBOLIS & rerum notis nonnulla plerique ſcripſerunt: eorum tamen nemo eſt adhuc, quod ſciam, qui eam rationem & argumentum ſit accurata diſputatione perſecutus. Id vt pręſtare quodammodo poſſim, quòd videam eas partes hoc loco mihi demandatas, de inuentione ſymbolorum, eorumq́; vſu & fine quædam, ſi non accuratè, at certè breuiter dicenda mihi videntur, ne ſubinde cogar anxiè repetere quæ ſemel dixiſſe ſatis erit.

Quæ fuerit inuentio prima Symbolorum.

Ægyptij & Chaldæi primi inuentores Symbolorum.

COMPERTVM quidem nobis eſt vel ſola coniectura, primos illos homines, ſed potiſſimùm Ægyptios & Chaldæos, qui in ſchola Memphitica philoſophati ſunt, imò ante expreſſam notarum aut characterum inuětionem & ſcripturæ vſum, reperiſſe ſymbola quædam rudia, vt animalium, vel ſiderum, vel rerum aliarum, quæ ἱερογλυφικὰ, id eſt, *ſculpturas ſacras* appellarunt: quod primum ab his factum eſſe conſtat, ne ab imperita multitudine myſteria & arcana ſapientiæ, quam colebant puris animis ac manibus, facilè profanarentur, ſed ab ijs duntaxat intelligerentur, qui ſacris iiſdem initiati eſſent. Quarum rerum initia prima fuiſſe admodum rudia & ſimplicia nemo ambigit, qualia ſolent eſſe rerum penè omniū principia, quæ à rebus minimis orta tandem progreſſum ampliorem, & certè maiorem conſequuntur. Quod nobis planum eſſe poterit, ſi eam inuentionem, quam Ægyptijs & Chaldæis acceptam tribuimus, conferamus cum ornatu, & accurata expolitione, quam huic præclaræ inuentioni Græci adiecerunt, tanta profectò cum venuſtate & apparatu, vt poſteriores Græcorum cogitationes prioribus his, & fermè incultis Ægyptiorum ſignis præferre non dubitemus. Eo enim factum eſſe crediderim, quòd etiam inuento ſcripturę vſu à curioſis quibuſq; ingenijs, ſed maximè Philologis, Imperatoribus, Ducibus, & alijs etiam, quibus politior quædam literarum cognitio, rerumq́; meliorum elegans & culta natura placuit, auctus ſit & aſſeruatus non ſine literarum politiorum ornatu, is ἱερογλυφικῶν vſus.

Græci Symbola inuenta poliuerunt.

Ad quam Philologię partem quodam modo hoc Syntagmate declarandam (non enim mei pudoris eſt magnum quidpiam de me polliceri. quicquid ſit, velim ſtudioſi æqui conſulant: nam alijs fortaſſe trado lampada, qui perficient quod hic à me inchoatum potius quàm perfectum) fingamus primùm nobis aliquem ordinem familiarem, vt eruditos homines, & maximè rerum antiquarum ſtudioſos hac qualicunque, ſed tamen familiari commentatione iuuemus.

Quid SYMBOLVM, & quotuplex ſit huius vocis acceptio.

Symbolũ quid.

SYMBOLVM ita Græci definiunt: σύμβολον ἐςὶν ἐξ οὗ ἐςὶν ἡμᾶς συμβάλλειν καὶ γνῶναι. *eſt id, quo aliquid coniectamus & cognoſcimus.* Vocabuli huius multæ ſignificationes ocurrunt, ex quibus hæ ſunt in primis.

Symbolũ pro ſigillo.

Symbolũ accipi vulgare eſt pro ſigno, quod epiſtolæ, vel vaſi, aut dolio, aut cæteris einſdē generis vaſis imprimitur, ne reſi-

gnentur

Pro ſigno bellico. gnentur à quibus minimè oporteat: idq; nos vulgari lingua Marquã nominamus.

Deinde pro bellico ſigno, quam Teſſeram vocant, Gallis *Mot du guet*. Nempe vox hæc Symbolum, pro belli ſigno ſeu teſſera, quæ datur militibus pugnaturis, quod in bellis ciuilibus olim etiam ſolemne habitum: quibus quoniam & armorum habitus par, & ſonus idem vocis, & mos vnus, atq; eadem bellandi inſtituta, ne qua doli ſubreptio fiat, ſymbola dux quiſque ſuis militibus diſtincta dat, vt ſi fortè quiſpiam occurrerit, de quo dubitetur, ſymbolum edat, & ita ſi ſit hoſtis vel ſocius facilè agnoſcatur. Quare temporibus motuum ciuilium, & ſeditionum inteſtinarum, C. Marij ſymbolũ fuit, Lar Deus; L. Syllæ, Apollo Delphicus; C. Iulij Cæſaris, Venus genitrix. In vigilijs etiam caſtrenſibus ſymbola id genus dari conſueuerunt, vt Palma, Virtus, Victoria. Quæ tamen præcepta ex vſu diſciplinæ militaris quotidie variari debent, ne hinc detur hoſtibus occaſio inſidiandi, & exploratores impunè verſentur.

Pro pecunia collatione. Tertiò idem ſonat ac collatio vel pecunia, qua plures in vnum conferunt ad epulas & conuiuia celebranda: quo ſenſu pleriq; viri eruditi etiam ſymbolum, & ſymbolam, vſurpant neutro & fœminino generibus, & quibuſdam rationibus confirmant, *Symbolam dedi*, apud Terẽtium, non *Symbolum dedi*, eſſe legendum.

Pro annulo nuptiali. Quartò, Symbolum nuptiarum annulum ſignificat.

Pro indicio. Quintò, coniecturam ſeu indicium, quo prænoſcimus aliquid, vel cõijcimus, vel obſeruatione dignum putamus, quo ſenſu ad res varias transferri teſtantur auctorum monimenta.

Pro numo. Sextò, pro Principis numiſmate ſumitur.

Pro nota quadam. Septimò, pro argumento, ſeu etymo, ſeu denique vaticinio aut nota quadam, qua quidpiam occultatur, ſed tamen doctis auribus intelligendum proponitur: quo ſenſu poſtremo nos Symbolum ad Emblematis naturam accommodamus, & veluti ad finem noſtri huius Syntagmatis explanare conamur.

De Symbolis Ægyptiacis.

OBSERVAMVS itaque à ſapientibus Ægyptijs ſymbola primum fuiſſe vſurpata illa, quæ *ἱερογλυφικὰ* nuncupabant, quibus ſuam raram illam quidem & reconditam ſapientiam ſolis ijs agnitam eſſe volebant, qui ea ſe dignos præſtarent. *Symbola cur inuenta.* Ab ea enim conſultò & prudenter hiſce ingenioſis & eruditis ſymbolis, vti iam admonui, profanum vulgus arcebant: eoq; modo arcana illa doctrinæ reuera primæ & arduæ, caſtis beneq; rotundis auribus, & præparatis animis excipi volebant. *Clemens Alexandrinus de ſymbolis.* Inſignis eſt apud Clementem Alexãdrinum locus 5. Strom. quo loco ait, Ægyptios & Hebræos ſymbolis vſos fuiſſe reconditis, vt ſapientiæ diuinæ eos participes efficerent, qui rebus ſacris initiati eſſent. Addit etiam nefas exiſtimatum Platoni, eum, qui minimè purus eſſet, ad purum quidpiam attrectandum accedere: quam ob cauſſam ſacra vaticinia ænigmatis reddita olim fuiſſe conſtat, nec vera myſteria oſtendi iis ſolita, qui temerè & impudenter accederẽt, ſed qui primum purgati eſſent, ſeſeque diligenter præpararent. Obſeruat idem, eos, qui ab Ægyptiis docerentur, primum arripuiſſe viam & rationem, quæ vocabatur *ἐπιστολογραφική*, id eſt, ad epiſtolas ſcribendas comparata methodus: alteram, qua ſacerdotes vtebãtur, id eſt, *ἱερογραμματεῖς*. tertiam & poſtremam *ἱερογλυφικὴν* nominabant, id eſt, ſacram quandam ſculpturam vel cælaturam: ex quibus maximè celebris fuit ea, quæ *συμβολικὴ* dicebatur. Longior eſſem, ſi exempla Clementis vſurparem, quæ eadem penè ſunt apud Orum Niliacum. Sed vnum id duntaxat. Omnes quotquot vetuſtis temporibus de rebus diuinis aliquid ſcriptis mandarunt, tam Barbari, quam Græci, rerum principia occulta eſſe voluerunt, & ipſum verum (*τὸ ἀληθές*) ænigmatis, ſignis, ſymbolis, & allegoricis quibuſdam figuris tradiderunt. Eadem fuere celebrata illa Græcorum oracula: quæ cauſa eſt cur Apollo Pythius cognomen *Λοξίας* habuerit, eò quòd obſcurè ac obliquè reſponderet. *Plutarchus.* Cum Clemente illo polyhiſtore vna coniungam Plutarchum, qui diſputatione *περὶ Ἴσιδος καὶ Ὀσίριδος* idem omninò docet, interq; alia oſtendit, hoc veterum Ægyptiorum inſtitutum fuiſſe, vt ab ijs legerentur reges, vel ex ordine ſacerdotum, aut eorum, qui militiæ nomen darent: eo quod illi ob fortitudinem, hi verò ob ſapien-

pientiam magni ac celebres haberentur. Si quis è bellicoſis rex crearetur, ſtatim ſe ſacerdotibus erudiendum dabat, idemque ſapientiæ particeps efficiebatur, eius in quã ſapientię, quæ fabulis pleraq; occultabat, & obſcuro quodam verborum inuolucro complectebatur. Hæc eius verba: ἐμβὺς ἐγένετο τῶν ἱερέων, καὶ μετέσχε τῆς φιλοσοφίας ἐπικεκρυμμένης τὰ πολλὰ μύθοις καὶ λόγοις, ἀμυδρὰς ἐμφάσεις τῆς ἀληθείας καὶ διαφάσεις ἐχούσης. Quod certè ipſi notant, cùm Sphinges ad templorum limina locant: innuunt enim eam, quam de rebus ſacris doctrinam profitentur, ea ſapientia conſtare, quæ obſcura ſit, & inuolucris quibuſdam lateat: de qua re vide Emblema 188.

Certè antiqua illa Pythagoræ ſymbola huius Philoſophiæ vſum non minimum præbuere; quæ cum à Tyrrhenijs (apud quos fuit educatus, teſte Plutarcho) aut ab Aegyptijs, vt relatum eſt ab Iamblicho nobili Philoſopho, accepiſſet, ita excoluit, vt magnam ſuæ doctrinæ partem hiſce myſterijs occluſam eſſe voluerit. Tradit enim idem Iamblichus, eos olim deſignaſſe per nauis gubernatorem, ſupremum Deum, primum motorem, & primam illã cauſam rerum omnium; vt oſtenderent omnia Dei prouidentia curaq; adminiſtrari: vt per mundi lutum, materiam aptam ad generandum, ipſumq; corpus intelligi volebant. Atqui & interdum non alio ſymbolo Deum deſignabant, quàm oculo depicto, cui & baculum ſeu ſceptrum ſubſtituebant: quandoquidem Deus vnus eſt, qui omnia videat, & penes quem ſit præcellens & regia dignitas. Nonnulli tamen ſtantem baculum ad aliud referunt, nempè ad naturam diuinam ἄφθαρτον καὶ ἀκίνητον, id eſt, mutationi minimè obnoxiam, & quæ nunquam labefactari aut imminui vllo vnquam pacto poſſit.

Dei Symbolum.

Oculus in ſceptro.

Hanc Aegyptiorum Philoſophiã Chæremon complexus eſt, vt & Orus Apollo Niliacus; auxit Pythagoras, illuſtrarunt excellentes quidam Philoſophi, & ſcriptores nobiles, Athenæus, Clemens & Cyrillus Alexandrini, Pauſanias, Porphyrius, Plinius, Apuleius, Plutarchus: quamque noſtra ætate penè intermortuam magno labore ac induſtria, imò verò admirabili penéq; diuino ingenio excitauit, ſuiſque perfecit numeris Pierius Valerianus, magnis illis Hieroglyphicõn Commẽtarijs. Cuius primæ ſapientiæ vſum, ne id diſſimulare videar, retinuerunt multò ante Pythagoram Moſes, Salomon, alijque Hebræorum ſapientes. Sunt & qui de Chaldæorum ſymbolis ex Pſelli commentarijs, quibus magica oracula ſeu Chaldaica Zoroaſtres exequitur, nonnulla poſteris reliquerunt. Sic enim in figura plantarum, florum, animalium, ſtellarum, rerumq; aliarum pleraque inuoluebant, vt minimè putem commodius ſapientiæ veterũ quaſdam reliquias ad noſtra vſque tempora tranſmitti potuiſſe. Id verò ſi quis velit oſtenſum eſſe aliqua exemplorum farragine, ſtatim colliget, pro fertilitatis ſymbolo *Papauer* vſurpatum, *Cupreſſum* pro morte, *Oliuam* ſignum pacis, *Laurum* & *Hederam* ingenij ſemper virentis, *Malum cotoneum* connubij notam iiſdem habitam fuiſſe, vt *Satyrum* vel *Capram* libidinis, *Leonem* terroris, iracundiæ, dominatus, *Solem* anni, *Lunam* menſis, & cætera alia longè multa, quæ immenſo labore patiq́ doctrina idem Pierius executus eſt.

Symbolorum ſcriptores & cultores.

De Pythagoræ ſymbolis obiter quædam.

VERVM quia de Pythagoræ ſymbolis meminimus, placet quædam huc adiicere, quæ ad id argumenti genus fortaſſe conducant, quęq́; rerum antiquarum ſtudioſi non auerſentur. Fuit vnus ille Pythagoras, primus modeſtiæ magiſter, & qui prior φιλοσόφου maluit, quàm σοφοῦ nomẽ ſibi tribui, & qui ad ſobrietatem, primum ſapientiæ omnis humanæ fundamentum, ſui ſæculi homines reuocauit. Cuius Doctoris ſanè præſtantis & omnium iudicio magni, ſententiæ præclaræ, quæ ſymbola vulgato verbo dicuntur, notis expreſſa ſub obſcuris, placet obiter enarrare, & aliquo interpretationis lumine inſignire.

Pythagoræ laus.

Prius illud occurrit, NE DEGVSTARIS EX IIS QVIBVS EST NIGRA CAVDA.] μὴ γεύεσθαι μελανούρων, *Melanuros ne guſtato:* ſic enim malumus cum Gyraldo reddi: non vt Ficinus & Guarinus Veronenſis, qui non aduertebant Melanuros eſſe ex genere piſciũ, quod poſtremò Eraſmus ex Plinio meminit. Simile fuit ænigma Antiphanis Comici, à Melanuro & Mugile cauendum. Monet itaq; ſcientes Pythagoras animal nigra

Melanurus piſcis.

cauda

cauda non eſſe attingendum: innuens, eſſe declinandum vitium, cui ſuccedat mentis nigredo, & voluntatis conflictatio moleſta; ſiquidem vitii facilitatem vitæ mox miſerabilis conſequitur difficultas. Apud Latinos atrum nigrumq; pro malo & improbo accipi, aliis locis dicetur commodius. Sunt ergo Melanuri, doloſi, fraudulenti, inſidiatores, ii denique omnes, qui aliud in ore promptum habent, aliud in pectore celant; ſicuti etiam fallaces, præſtigiatores, quiq; calumniis rem ſuam agunt aliorum diſpendio, etiamq; interdum exitio. Suidas, & alii quidam à Melanuro abſtinendum eſſe cenſuiſſe Pythagoram ſcribit, cauſamq; reddit occultiorem, de qua hic nihil attinet dicere. Obſeruandum adhæc, non bene ab Eraſmo ſepiam poni pro melanuro; eſt enim non rectè ſecutus interpretem Laertii: vt etiam in prouerbio, *Sequitur Perca Melanurum*.

Melanuri qui.

Stateram ne tranſilias.] μὴ ζυγὸν ὑπερβαίνειν. Sat erit ſemel admonuiſſe, vnius & eiuſdem ſymboli, vt adagii ſententiam eſſe prima quidem fronte generalem, quæ tamen ad varios vſus & ſignificatus traduci poſſit. Cyrillus Alexandrinus, *Stateram*, inquit, *ne tranſilito*, hoc eſt, auarus ne eſto. Item & Athenæus, qui hoc ſymbolo πλεονεξίαν, auaritiam fugiendam eſſe cenſet, & æqualitatem ſectandam. Sunt tamen qui præcipi putent ſtudiis in omnibus moderationem & temperamentum adhibẽdum: alii ſimpliciter ad pondera & menſuras referunt, quæ iuſtæ debent eſſe: nos de omni potius æquitate intelligi, vt ſit hoc tanquam ad reges principesq; monitum generale, vt etiam iudices prouinciarum, aliosque omnes, qui rempublicam adminiſtrant, vt legum ſeruata auctoritate ſe gerant, populosq; ſibi commiſſos iuſtè & legitimè in officio contineant. Nota eſt Iuſtitiæ pulcra deſcriptio ex Carneadis libr. περὶ καλοῦ καὶ ἡδονῆς apud Gell. 14. & Ciceronis verba illa magnifica ex oratione pro Cluentio: *Legum miniſtri magiſtratus: legum interpretes iudices: legum denique idcircò omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus.* Sed propius eſt veterum emblema, qui Iuſtitiã & Nemeſim ita pingebãt, vt ſtateram manu altera, & gladium altera oſtentaret: nimirum vt indicarent duo præſtantiſſima Iuſtitiæ munia, vnum quidem poſitum in facultate ſuum cuique tribuendi; alterum verò in puniendis facinoroſis. Exempla eorum qui ſtateram tranſilierint poſſem adducere Imperatorum turpium, & eorum, qui non principes, ſed peſtes ſuę reipublicæ fuere, vt Neronis, Domitiani, Heliogabali, Caracallę, Cambyſis, aliorumque nimis multorum; ſed hæc ſatis. Interea fuiſſe viros eruditos cum Lilio Gregorio, qui ex vno hoc ſymbolo duo fecerint, Græca deceptos lectione, in qua modò iugum, modò ſtateram, legimus. Nam apud Plutarchũ Sympoſiaco ita enunciatur, μὴ σάρον ὑπερβαίνειν. quo loco σάρον quidã pro ζυγὸν poſitum crediderũt. Sed ne multa; σάρος, vt Iulius Pollux explicat, eſt inſtrumentũ, quo pauimenta & areę verruntur, à verbo σαίρω, σαρῶ. Itaq; vertẽdum fuit, *Scopas non tranſiliendum*: hoc eſt, ne ſimus ad iracundiã proni, nevè leui de cauſa à ratione abducamur. Ita in carminibus aureis Pythagoræ præcipitur, ob leue erratum aliquod amico non eſſe ſuccẽſendum.

Varia huius ſymboli expoſitio.

Iuſtitia & Nemeſis emblema.

Alia explicatio.

σάρος quid.

μὴ ἔχθαιρε φίλον χρῷ ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς.

& quæ multa περὶ μετριότητος ab aliis diſputantur.

Chœnici ne inſideas.] χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι. Chœnicem Clearchus hemerotrophum nuncupat, id eſt, diurnum cibũ, & demenſum, quod in dies alicui impenditur: à recentioribus Latinis Sportula & Salarium. Rhemnius Fannius, aliiq; nonnulli, chœnicem menſuram aiunt eſſe quaterni ſextarii:

Qui quater aſſumptus ſit Graio nomine Chœnix.

Picus Mirandulanus in quadam oratione ſic expoſuit, vt omnia nos anima rationali metientes, ad menſuram & regulam cuncta dirigamus. ait enim: Præcipit Pythagoras, ne ſuper modium ſedeamus, id eſt, rationalem partem, qua anima cuncta metitur & examinat, ne otioſa deſidia remittentes amittamus, ſed rationis exercitatione ac regula & dirigamus aſſiduè, & excitemus. Hæc ille. Itaq; miſero otio vita traducenda non eſt, ſed id penitus excutiamus. Rectè Plautinus ille ſenex: *Adoleſcens cùm ſis, & cùm eſt ſanguis integer, rei tuæ quærendæ conuenit operam dare.* Itemq́; *Nimis homo nihili eſt qui piger eſt, nimisq; id genus odi ego malè. Vigilare decet hominem, qui vult ſua*

Chœnix quid.

Otium fugiendum.

ſua

ſua tempore conficere negotia: qui dormit libenter ſine lucro & cum malo comeſt. Monet itaq; ne ſimus ἡμερόβιοι, ſed exemplo formicæ futuris proſpiciamus. Vide Emblema 82. Cœlium Rhodig. lib. 16. variar. lect. cap. 17.

Ne cuiuis dextram inieceris.] μὴ παντὶ ἐμβάλλειν δεξιὰν. Edocemur id noto verſiculo:

Nec citò deſiſto, nec temerè incipio.

Cæterum porrigere, & dare dextram, eſt ſuppetias opemq; ferre; dare manus, victū ſe fateri; manum inijcere, vim inferre; manus addere, deridere. Monet autem, ne temerè quemlibet in familiaritatem admittas, ſed deligas quem diligas: quod conuenit cū Solonis apophthegmate à Laertio ex Apollodoro relato. Amicos ne citò pares, quos autem paraueris, ne reijce. Apud priſcos ſi quid firmum & illibatum eſſe vellent, id dextra ſanciebant, vt tradit Aurel. Probus. Accipiebant item dextram pro parte feliciore, religioſiore & ſanctiore; & dextrum pro felici & proſpero, vt Nonius retulit. Multus eſſem, & fortè nimius, ſi huc locos congererem de dextra porrecta, pro fidei ſacramento: ad alia itaq; veniendum. Vide, ſi placet, Emblemata 9. & 39.

Dextera quid ſignificet.

Arctum annulum ne geſtato.] μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον. Idem & Plutarchus. Flamines etiam Diales apud Romanos ea ratione vtebantur peruio & caſſo annulo. Plautinum illud ſymbolo huic quadrat, *Libera ſunt ædes, liber ſum ego, liberè me vti volo.* Adeò libertas res eſt inæſtimabilis, vt cenſent iuris auctores. Sanè annulum pro hieroglyphico poni ſeruitutis, qualis eſt maritalis, conſtat ex veteribus. Nam etiam quantum etymo nominis annuli colligimus, deducitur ab AN, particula, quæ *circum* ſignificat, ideoque compedum vel manicarum ceu vinculum annulus notam habet. Ex hoc ergo Pythagorei videntur monuiſſe cauendum, ne nos in eam ſeruitutem coniiciamus, quæ dura ſit & incommoda, qualis eſt connubii ſocietas & quaſi colligatio, duris implicita moleſtiis, ſolicitudinum morſibus, & quaſi laqueis, à quibus nos expedire minimè poſſumus, poſtquam volentes iugum trahere cœpimus.

Libertas res inæſtimabilis.

Ignem ne gladio fodito,] πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. Porphyrius ignem ſymbolum eſſe dicit naturæ, eamque ob rem in templis aſſeruari, capitaleq; fuiſſe, ſi ſacerdotes ignem ipſum extingui paſſi eſſent: quo pacto apud Romanos, virgines Veſtales, & apud Perſas igni præficiebantur: qua de re alii, & Clemens non parum multa. Symbolum igitur ita placet explicare, diuinam naturam, hoc eſt, Deum immortalem, non gladio impetendum, hoc eſt, linguæ acumine & maledicentia. Pleriq; hoc ſignificari dicunt, potentiorum iram non eſſe dictis laceſſendam; quod id non niſi communi, aut certè multorum periculo fieri poſſit. Etenim periculoſum eſt in eū ſcribere, qui poſſit proſcribere. Ex quo quidam cùm duceretur ad regem Antigonum, reus flagitii capitalis, qui ducebant, hominem bono eſſe animo monebant, futurum enim vt ſolueretur, cum ad regis oculos perueniret: At, inquit ille, Cyclopi me crudum vultis apponere? alludebat ad regem luſcum. Quod cùm regi delatum eſſet, hominem iuſſit interfici. Ita in ſuam perniciem miſer ille gladio ignem fodicauit. Quod de principibus dictum eſt, idem de aliis omnibus dici poteſt, neminem ſcilicet vel dicto vel facto lædendum, aut prouocandum, quod iracundiam excitet. Nam & ſapienter accepimus à Salomone, moderatus ſermo frangit iracundum animum, at durus furorem arceſſit. Et hoc quidem ſymbolum vnum ex iis eſt, quæ Andocidæ Pythagoreo à Græcis ſcriptoribus, non Pythagoræ ipſi aſcribuntur. Politianus aliter legit, πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. *ignem ferro ne fodicato.* Alii πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν. *ignem gladio ne ſcalpito.* Scio & alios eſſe prouerbii ſenſus, ex quibus quidam ita obſcœnè concepti, vt pudeat dicere: quod ad morum cultum, vel honeſtam doctrinam facit, magis placet, & iis finibus noſtra ſtudia terminantur.

Ignis ſymbolum naturæ.

locus intempeſtiuus.

Cor ne edito.] μὴ ἐσθίειν τὴν καρδίαν. Cicero de Bellerophonte, vertit ex Homero:

Ipſe ſuum cor edens campis errabat Aleis,

Et Phocylides, apud ignem ſedentem cor fruſtra non minuendū, præcepit hoc verſu:

μὴ δὲ μάτην ἐπὶ πῦρ καθίσας μινύθης φίλον ἦτορ.

rectè quidem: nam præterquam quod triſtitiarum moles, & curarum edacium onus aduerſam valetudinem & corpori infeſtā adducit, nec cogitationum quoque ſtudiis

liberum permitti eſſe animum. Non eſt igitur cor edendum, ſi ſimul & ſapere & valere cupimus. Sunt etiam qui hoc ſymbolo vſum Pythagoram fuiſſe aſſeuerant, quòd cordis caro comeſa, ſuapte natura non facilè concoquatur. Ex Cyrillo didicimus, cor ſupra craticulam impoſitum, prunis & igne ſuppoſito, apud Aegyptios ſignificare iram furoremq́; quòd cor edendum vetuit Pythagoras, eadem ratione cerebrum non edendum vetuit, hoc eſt, vt Græcè dicitur, *μὴ ἐσθίειν ἐγκέφαλον*, *cerebrum ne mandito*: quod ab alijs exponitur de obliuione fugienda. Ex quo Apuleius ait: Homines ſunt anxijs mentibus, brutis corporibus, vita querula. Rectè quidem & verè: nam quot in homine ſunt perturbationes, tot regnant quaſi prædones infeſti, & cruenti carnifices, qui nunquã conquieſcere miſerum animum permittant. Ea ratione de hominum conditione conqueſti ſunt Philoſophi longè multi. Silenus enim pronunciauit, optimum non naſci, aut quàm ocyſſimè mori. Huc referre poſſis Heracliti lacrymas de hominum miſerijs, Timonis *μισανθρώπου* ſolitudines, Poetarum & Philoſophorum ſatyricos aculeos. Saluberrimum itaq; hoc oraculum Pythagoræ ſapientis, in quo bona pars Philoſophiæ moralis occupatur, tenendum mordicus, vt quiſq; noſtrum meminerit, ſe non parum profeciſſe, qui malis affectibus ſeueram legem indixerit. Sit ergo, vt Flaccus monet,

Humana conditio.

Lætus in præſens animus, quod vltra eſt,
Oderit curare, & amara læto
Temperet riſu.

Nam & Chryſippus *λύπην*, quaſi *λύσιν* hominis appellat: etenim qui triſtatur & mœrore conficitur, quaſi ſeneſcit miſer, maciemq́; & pallorem contrahit. Ideoque Galenus hoc vnum præcipit ad tutandam valetudinem, à curis acrioribus & à mœrore animum ſubtrahendum, eo quòd inde morbis affligantur humana corpora, fieriq́; interdum vt ſanguis intra præcordia, quaſi vi quadam truſus, confeſtim extinguat inſitum calorem, ex quo tabes, aut etiam mors conſequatur. Sed vt vult Iamblichus, cor ideò & cerebrum mandi non permiſit Pythagoras, quòd quaſi duo ſint duces, & tanquam gradus ſedesve viuendi & ſapiendi. Quidam etiam ſunt, qui ſymbolum id ad amicos traducant, quibus non eſſe obtrectandum vel abſentibus, ratio ipſa ſuadet. Amicum enim & cor, & corculum, blandiendi cauſſa dicunt: vtq́ue ſine anima & corde viui, ſic ſine amicitia commodè vita traduci non poteſt.

Cor & cerebrum cur non mandendum.

A fabis abſtineto] *κυάμων ἀπέχεσθαι.* Timycha Pythagorica, cùm eam Dionyſius cogeret id myſterij patefacere, ipſa arcanum ne proderet, mordicus ſibi linguã præſcindens in faciem tyranni dicitur expuiſſe: quod idem ſcribit Iamblichus & Olympiodorus his ferè verbis in Platonis Phædone: Mulier, inquit, Pythagorica coacta enunciare, cur fabam non comederet, dicit, *φάγοιμι ἄν, ἢ εἴποιμι ἄν*. Rurſus coacta cum eſſet, ait, *εἴποιμι ἄν, ἢ φάγοιμι ἄν* Et demum linguam ſibi abſcidit, inſtrumentum ſcilicet & loquendi, & guſtandi. Tametſi abditum eſt (inquam) fabæ myſterium, Antiochæus in iis, quæ de fabæ natura ſcripſit, ad Michaelem Byzantium Imperatorem, ait, fabas malum ſuccum ſerre, inſomnia turbulenta facere, eamq́ue ob rem Pythagoram fabis abſtinuiſſe. Idem Plinius memoriæ tradidit. Heron 2. rei ruſticæ ex Geoponicis Didymi, idem cum Suida & Plinio; ſed dicit in fabarum flore auſpicium quoddam lugubre reperiri. Horatius Serm. 2. Satyr. 6.

Timycha Pythagorica.

Cur à fabis abſtinendum.

O quãdo faba Pythagoræ cognata, ſimulq;
Vncta ſatis pingui ponẽtur oluſcula lardo?

Origenes in eo, quem ipſe *φιλοσοφουμένων* inſcripſit, Zaretham ait Chaldæum has afferre cauſas, cur à fabis abſtinendum eſſet, quòd faba ſi macerata ad Solem per aliquod temporis ſpatium dimittatur, ſeminis humani odorem contrahat. Clarius etiam hoc exemplum profert, quòd ea florente, vna cum flore in olla circumlutata ſi concludatur, humoq; obruatur, & poſt aliquot dies effodiatur, pudendi muliebris effigiem habere reperietur, & mox etiam pueriles capitis. Lucianus eo Dialogo, cui *βίων πρᾶσις* nomen, illud precipuè notat, ſi viridem fabam folliculo exuas, apparere virilibus genitalibus ſimilem: coctam autem ſi nocturno tempore ad Lunam certo ſpatio dimiſeris, ſanguini perſimilem fieri. Acron. A faba, inquit, Pythagoras abſtinuit, quòd viridis in pyxide ærea ſeruata, vertitur in ſanguinem. Memoratur & illud Pythagoræ tributum apophthegma, qui rogatus, quo tempore Veneri opera danda eſſet: Cum te ipſo fieri debiliorem

Mira de fabis.

& im-

& imbecilliorem voles, inquit. Plutarchus de inſtitutione liberorum, abſtinendum interpretatur à ſuffragijs, quæ per bicolores fabas vt plurimum feruntur: id quod & Athenienſes inprimis feciſſe in principibus & magiſtratibus ſortiendis, teſtis eſt Lucianus. Et *κυαμοτρὼξ*, apud Græcos prouerbij vice dicitur in eum, qui inde victitat, hoc eſt, in dandis præſtandisq; ſuffragijs, quaſi Latinè dicas, *Faba roſor*. Scribit Pauſanias, quòd Pheneutæ Arcadiæ populi, fabam ideo immundam & impuram exiſtimant, quòd cum illic Proſerpinam quærens Dea Ceres diuertiſſet, omnibus, qui eam hoſpitio ſuſcepiſſent, legumina præbuit, præter fabas: quo argumento eam impuram eſſe agnouere, atq; idcircò eam Pythagoras prohibuit. Marcellus Virgilius *κυαμοὺς*, oua eſt interpretatus; cyamouq; quaſi *κύησιν*, fœturam & conceptum animalis intelligere maluit, ac ſi per ipſas fabas Philoſophus non minus ab animalis principio ſemineque abſtinendum innuat, quàm ab abſoluto iam & perfecto animali. Vide multò plura in Chiliadibus.

κυαμοτρὼξ qd.

Cibum in matellam ne immittas.] *Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν.* Amis Græcè, vas in quo vrina & excrementa deponuntur. Symbolum ita quidam interpretantur: ſordidos & inhoneſtos homines nō eſſe nutriendos. Sed placet interpretatio Plutarchi: ne ſermonem vrbanum immittas in animum hominis improbi. Nam oratio cibus eſt animi; is corrumpitur & putreſcit, ſi in animum inſyncerum inciderit. Non igitur ſunt (vt etiam in ſacris præcipitur) inter ſues ſeminandæ margaritæ. Vt enim ſubigenda, & cultu perdiligenti eſt paranda tellus, antequam ei ſemen mandes: ita non niſi rectè pureq; præparatis animis doctrina honeſta cōmittenda. Quorſum enim Horatius? *Nunc adhibe puro pectore verba puer.* Quod idem ipſum verbis alijs inculcat Clemens 2. Pædagogi: *βδελύττεσθαι γὰρ τὸ ἅγιον μολύνεσθαι ὥσπερ ὐν εἰκὸς.*

Amis qd.

Oratio cibus animi.

Ad finem vbi perueneris, ne retrouertare.] *μὴ ἐπιστρέφεσθαι ἐπὶ τοὺς ὅρους ἐλθόντα.* Sic Suidas: *ἀποδημοῦντα ἐν τοῖς ὅροις ἀνεπιστρεπτεῖν.* Hieronymus ſic enunciat: *Cum profectus fueris, ne redeas.* Exiſtimat enim Pythagoram animorum immortalitatem oſtendiſſe, nec aliud quàm *μετεμψύχωσιν*, aut *παλιγγενεσίαν* ſignificat. Mouebat igitur, non eſſe vitam expetēdam poſt mortem, vt Hieronymus exponit. Plutarchus de liber. educand. Cum moriendū eſt, inquit, & vitæ terminum in proximo eſſe videamus, id æquo ferre animo debemus. Suidas verò: Cum peregrinatum eſt in finibus, non retroflectendum; vel, quod idem fert, apud Diogenem, In finibus peregrinanti non redeundum; hoc eſt, non in concupiſcentijs & deſideriis, mutata iam vitæ ratione, viuendum eſſe, neque iis quidem voluptatibus, nec illecebris, quibus antea. Alio prouerbio dicitur, *A carceribus ad metam.* Sic ergo componenda vitæ ratio eſt, vt cum iam vitæ bona pars tranſacta ſit, non capiat nos ad pueritiam redeundi iners vanumq; deſiderium; ſed Deo, & naturę pareamus, & nugatoriam omnem ſpē ab animo propellamus; imò ne quidem ſperemus, niſi quod liceat.

Symbolū hoc variè enunciatum.

Superis impari numero, inferis pari ſacrificandum] *τοῖς μὲν οὐρανίοις περισσὰ θύειν, ἄρτια δὲ τοῖς χθονίοις.* Ea ratione (vt id obiter) quidam putant Pythagoram abſtinendum iuſſiſſe trigla piſce, quòd per eam ternionis numeri myſterium coleret. Iamblichus tamen Pythagoram ait Apollini ex ternario numero ſacrificaſſe, propter tripodem, vt ait, Veneri ex ſenione. Et Theon Smyrneus Platonicus, ternarium numerum in libaminibus ea cauſa ſolitum adhiberi fuiſſe, quòd primus ipſe inter numeros dicitur omnia eſſe. Sic & apud Græcos in compotationibus tertius crater Ioui ſoſpitatori, ſecundus ſemideis & dæmonibus tribuebatur. Huc ſpectat illud tritum, *Gaudet numero impari Deus.* Multa de ternario numero Proclus ad initium Timæi Platonis, & paſſim apud auctores veteres.

In numero impari myſteriū.

Seruatori tertius, adagiū.

Per publicam viam ne ambules.] *Διὰ τῆς λεωφόρου μὴ βαδίζειν.* Sic Olympiodorus retulit *φεύγειν τὰς λεωφόρους.* Fugiēdas vias publicas, vel à publicis viis deflectendum. Ficinus: Populares vias fuge, per diuerticula vadito. Politianus: Regiam viam declinato, per ſemitas ingreditor. Id traduci placet Gyraldo ad vitam cœnobitarum, quam bene, ipſe viderit. Quidam per Y, literam à Philoſopho deſignatam volunt fuiſſe, de qua multi multa. D. Hieronymus exponit: Ne vulgi ſequaris errores. Nunquam enim tam bene cum rebus humanis actum eſt, vt optima

plurimis placuerint. Huc pertinet Euangelij præceptum: *Ne in viam gentium abieritis*.

Laborantibus ſuccurrendum, non otioſis.

Tollenti onus auxiliare, deponenti nequaquam] Alij legunt φόρτιον συγκαθαιρεῖν, μὴ δὲ συναποτιθέναι. Ficinus ſic: Viro qui pondus eleuat, auxiliare, non tamen cum eo deponas. Sententia hæc eſt, Simul quidem tollendum onus, non ſimul tamen deponendum. In eos ſymbolum dici poteſt, qui pridem aliquot vitæ ſanctioris inſtitutum profeſſi, ad laxiorem demũ ſe viuendi normam, ſeu licentiam verius, contulerint. Olympiodor. in Platonis Phædone ita legit: μὴ ἀποτιθέναι, ἀλλὰ συνεπιτιθέναι βάρη. *Non deponenda, ſed vna ſubeunda onera*. Quod ipſe ita exponit: Simul in vita operandum, non autem contrafaciẽdum, hoc eſt, συμπράττειν τῇ ζωῇ, οὐκ ἀντιπράττειν. Cum eo ſentit Cyrillus: Non oportet (inquit) cooperari cuipiam ad ignauiam: ſed ad virtutes & labores. Idẽ Plutarc. Sympoſiacis.

Ollæ veſtigium in cinere confunde.] Poſt inimicitias iræ meminiſſe malorum eſt, ait ille. Sic habet Prophetæ vaticinium: Olla igne & carbonibus ſuccenſa; hoc eſt, cor plenum curis & ſollicitudinibus. Olla pro corde, cinis pro pœnitentia interdum ſumitur à ſacris Doctoribus.

Olla & cinis quid in ſacris.

Vnguium, criniumq; præſegmina vrina non inſpergenda] Ἀπονυχίσμασι καὶ κουραῖς μὴ ἐπουρεῖν. Quid verò dicas, ſi non calcandam, nec penitus negligendam rerum extremarum curam ſuo hoc ſymbolo docuit Pythagoras? Ideo, ſcribit Iamblichus, in die feſto nec vngues ſecari, neq; comas tonderi volebat. At contrarius eſt ſymboli ſenſus, ſi (vt Ficinus tranſtulit) enuncietur: Capillorum & vnguium ſuperfluitates poſtquam abſcideris, peſſunda: ac ſi innuat, de externis minimè curandum. Theodoretus capillos mortalitatis habere ſymbolum dicit; mortui enim ſunt, nec doloris ſenſum habent. Aliter explicat Parœmiographus.

Capilli mortalitatis ſymbolum.

Quæ vncis ſunt vnguibus non nutrienda.] Γαμψώνυχα μὴ τρέφειν. Monemur hoc ſymbolo, vt rapaces homines fugiamus, neve inter familiares & domeſticos habeamus: quoniam rapiendi deſiderio, inſatiabiliq; auiditate omnia confundunt & conturbant. Quod præcipuè in aulis principum eſt videre, & quibus ferè huiuſmodi rei familiaris magiſtri præficiuntur de induſtria, qui amplius aliquid concedere & conſeruare dominis oſtentãt, vt eo amplius ipſo rapiant & furentur. Vnguicurua igitur non nutrienda, nec domi habenda. Alij verò ſignificari volũt omnem rapacitatem è ciuitate exterminandam eſſe, quod & ſenſit Aeſchylus, qui leonis catulum non eſſe alendum in Repub. ſcripſit.

Æruſcatores aulici.

Οὐ χρὴ λέοντος σκύμνον ἐν πόλει τρέφειν,
Μάλιστα μὲν λέοντα μὴν πόλει τρέφειν,
ἢν δὲ ἐκτροφῇ τις, τοῖς τρόποις ὑπηρετεῖν.
Catulum leonis alere in vrbe non iuuat,
Sed mage cauendum ne leonem nutrias,
Quem qui educarit, eius & mores ferat.

Quod de Alcibiade Poeta intellexit tum temporis adoleſcente in primis factioſo, rerumq; nouarum appetente.

Aduerſus Solem ne loquitor.] πρὸς τὸν ἥλιον μὴ λαλεῖν. Vſu comprobatum eſt, eum in diſciplinis reliquis, nedum in prima re litteraria, non multum profecturũ, qui manifeſtæ veritati cõtumax repugnat. Sol pro Deo interdum accipitur. Ergo aduerſus diuinitatem loquendum non eſt. Aliter etiam effertur ſymbolum, *Aduerſus Solem ne meijto*. Quo cõmendatur verecundia. Apud Hebræos is loquendi mos eſt, vt aliquid contra Solem fieri dicant, quod in cõſpicuo & aperto fiat, vt eſt apud Moſem.

Sol pro Deo.

Hirundinem ſub eodem tecto ne habeto.] ὁμωροφίους χελιδόνας μὴ ἔχειν. Apud varios ſcriptores varia eſt huius ſymboli explicatio: Domeſticas hirundines ne habeto: Ne domi patere hirundines. D. Hieronymus reddit, Hirundinem in domo non ſuſcipiendam. Alius: Sub eodem tecto hirundinem ne habeto. Marſilius Ficinus: hirundinem domi ne ſuſcipias. ὁμωρόφιος enim eſt eiuſdem vel tecti vel culminis. Significatur, admittendos non eſſe in contubernium amicos illos fucatos, qui ſui compendij cauſa colant amicitiam. Auctor ad Herennium: Vt hirundines æſtiuo tempore præſto ſunt, frigore pulſæ decedunt; ita falſi amici, ſereno vitę tẽpore adſunt; ſimulatq; fortuna immutata eſt, deuolant omnes. Alij tamẽ de garrulis, & ſuſpicacibus dici malunt. Quo ſpectat illud Horatij: *Percunctatorẽ fugito, nam garrulus idẽ eſt.* Alexander Myndius, & Dionyſius Heliopolites, hirundinem in ſomnis malum ſignificare prodiderunt: vt non temerè videatur Pythagoras hirundinum conſuetudi-

Amici fucati non admittendi.

Vide Emblema 70.

tudinem vitandam præcepiſſe.

Semper ad migrãdum nos paratos eſſe oportet.

Stragula ſemper circumuoluta habeto.] τὰ στρώματα ἀεὶ συνδεδεμένα ἔχειν. Monere Pythagoram crediderim potius (ait Gyraldus) vt parati atq; expediti ſemper ſimus, quaſiq; in procinctu, tanquam peregrè abituri. Nam & in caſtris, cùm migrandum eſt, omnia conuoluta habere, & colligata, conuaſataq; ſolemus. Ad animum tamen conferri poteſt, ac ſi ab hac mortalitate ſit migrandum, ne nos imparatos mors offendat. Quaſi nos moueat, cum non firmam hic & ſtabilem manſionem habeamus, & varij plerumque caſus immineant atq; impendant, vt parati ſemper ſimus, quocumq; locorum peregrinandum ſit ſedesq; mutandæ: noſque in nobis ipſis omnia noſtra poſita habere, omnesq; fortunæ caſus longè virtute inferiores eſſe ducere debere; & demum tales eſſe, quales erant, qui ſua ſecum bona omnia in patriæ direptione ferre aſſeuerabant.

In annulo Dei figuram ne geſtato] *In annulo Dei imaginem ne circumferto.* Sic enim Iamblichus explicat, ἐν δακτυλίῳ θεοῦ εἰκόνα μὴ περιφέρειν. ea ſcilicet ratione, ne polluatur. Cyrillus, Deorum imagines, inquit, ne feras in annulis: in hanc ſententiam, & ſignificationem, de Diis ne facilè diuulges. Sed Cœlius Rhodiginus ſic interpretatur, non eſſe animam, quæ imago Dei eſt, merſandam in corpus, quo planè, vti annulus gemma, animæ vis contineri videtur, nec mancipandam. Sed, vt Gyraldus ait, ſymbolum nos monet, ne in delitijs & propatulo Dei effigiem ac memoriam habeamus: nam non temere, & vulgò Dei nomen pronunciandum Hebræis, nobisque: operta enim & arcana eſſe oportet diuina myſteria.

Non aſſumes nomen Dei in vanũ.

Sellam oleo ne abſterſerto.] Ἐλαδίῳ εἰς θᾶκον μὴ ὀμόργνυσθαι. Quidam putant, nos moneri, vt amicorum omnia ita curemus atq; propria: neque blandis verbis, & ſermonum fuco placeamus, ſed veri ſtudio: ſedes enim amicitiæ veritas eſt, non adulatio. Quid ſi nos ita interpretemur, vt θᾶκον pro throno & cathedra, vt Latini ſedem & ſellam pro ſolio & tribunali, id eſt, pro imperio & magiſtratu accipiunt? Oleũ pro aſſentatione poni, ex ſacris litteris proditum, vt & pro fictis ſermonibus palpoque: vt illud Dauidis: *Oleum peccatorum nõ pinguefaciet caput meum.* & Prou. *Oleum ore ferre.* de aſſentatione blandientium dici videtur. Et, *Oleum ferre in auriculam.*

Oleũ pro aſſentatione.

Coronam ne carpito.] Στέφανον μὴ δρέπεσθαι. Cyrillus, Hieronymus, alijque tradunt, Pythagoram eo ſymbolo monuiſſe diſcipulos, ne vrbium & ciuitatum, in quibus eos eſſe contingeret, leges decretaque contemnerent, neve violarent, ſed ea cuſtodirent ac inuiolata ſeruarent: neve magiſtratus principesque vrbium, qui & hodie per coronarum & diadematum inſignia ſignificantur, laceſſendo prouocarent. Id quod & Chriſtianis legibus præcipitur. Pindarus rectiſſimè dixit, legem omnium eſſe dominam, cui vt Deo parendum: & Ariſtoteles, aliiq; multi præceperunt: qua ratione Plato minatur excidium ei ciuitati, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præfuerint. Mitto præclaram diſputationem Dionis Chryſoſtomi de legibus: tantum admoneo, coronam pro regio faſtigio, ipſaque adeò nomophylacia multos ſanè auctores adnotaſſe, quorum rationes, quia ſatis celebratas exiſtimo, hic non recito.

Corona pro magiſtratu.

Quæ ceciderunt ne colligito.] τὰ πεσόντα μὴ ἀναιρεῖσθαι. Id & ſuperſtitiosè hodie à quibuſdam obſeruari monuit Gyraldus: quem tamen morem ſi ad animum, & animi cibum conuertamus, nihil ſuperſtitionis erit metuendum. Suidas huius meminit, ad hunc modum: τὰ πίπτοντα ἀπὸ τῆς τραπέζης μὴ ἀναιρεῖσθαι. & eadẽ ferme quę Diogenes affert. Sunt & qui ſic efferunt: μὴ γεύεσθαι ἅττ' ἂν ἐντὸς τῆς τραπέζης καταπίπτῃ. id eſt: *Ne guſtato quæcumq; in menſa deciderint.* Sunt qui paulò popularius explicant; *Quæ deciderunt, ne tollito*: hoc eſt, non decet quẽquam ſuarum rerum eſſe auidiorem, vt etiam vilem ſeſe demittat ob aſſem, quod Horatius ait. Niſi quis malit ad ſuorum mortem referre, quos ardentius appetere, vel requirere, præter humani iudicii modum eſt. Video & qui non malè ad lites accommodent, quas ſemel extinctas, non oportet reuiuiſcere, vt Iuriſconſulti aſſeuerant.

Explicatio ſymboli.

A gallo candido abſtineas.] Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ. Laertius, & Suidas ſcribunt, gallum album non attingendum, quòd Ioui ſacer ſit, & Lunæ, atque horarum nuncius & diei. Meminit 4. Sympoſ. Plut. ſed cauſam non affert. Scribit Pauſanias in Laconicis, in Methana ad Iſth-

mum vrbe, ciues contra Africum vineis floreſcentibus ac germinantibus infeſtum, galli pennis albis ac niueis remedio vſos fuiſſe, quem gallum homines in diuerſa trahentes diſcerpebant, per vineas diſcurrentes, demum in eundem locum redeuntes, vbi diſcerpſerant gallum ſepeliebant.

Pythagoræ in gallos albos amor.

Diuerſi hi fuere à Pythagoræ inſtitutis, quem tradunt gallum album adeo amaſſe, vt ſi quem videret, fratris germani loco ſalutaret, & apud ſe haberet: ſuis tamen ſectatoribus, qui politici dicti ſunt, permiſiſſe ait Iamblichus, vt gallum, agnum, & alia quædam paullo ante nata, præter vitulum, rectè ſacrificarent. Idem ferè Suidas.

Panem ne frangito.] Ἄρτον μὴ καταγνύειν. Plerique ſic interpretantur, vt dicant, hominis vitam diſtrahendam & conſumendam nõ eſſe, ea ſcilicet ratione, quòd panis ſit humanæ vitæ ſubſidium.

Cõcordia non violanda.

Alii verò ita, vt ad cõcordiam & communionem conſeruandam inducamur. Nam vt ex multis granis vnus panis conficitur; ſic ex multorum voluntate & conſenſu communio & concordia conflatur: quibus ita parnæ res creſcunt, vt contra maximę dilabantur. Ab ea Pythagorea ſuperſtitione Chriſtiani ſunt alieni maximè, quorum religio in fractione panis præcipuè ſita eſt ex Dominico inſtituto, hoc eſt, Chriſti Seruatoris, quo Deus ſeſe verè ipſum nobis exhibet. Apud Plutarchum Sympoſ. Lucius Tyrocheus eos Pythagoreos reprehendit, qui in amicorum ſociorumq; cęnis panem non frangebant.

Alexander panẽ gladio diuiſit.

Apud Q. Curtium, cùm Alexãder Macedo Roxanis amore captus, eam vxorem duceret, in medio cupiditatis ardore iuſſit afferri patrio more panem: quod erat apud Macedones ſanctiſſimum conuictorum pignus: quem panem diuiſum gladio vterq; libabat. Credo (inquit Curtius) eos, qui gẽtis mores condiderint, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe iungentibus opes, quantulo contenti eſſe deberent.

Sal pro amicitia.

Salem apponito.] τὸν ἅλα παρατίθεσθαι. Quia ſal à putrefactione ſeruat omnia, & ex puriſſimis liquidiſſimisq; conſtat rebus, aqua mariq; pro amicitiæ ſymbolo ſale vſi veteres Pythagorei. Huic ſymbolo nonnihil congruit Prouerb. *Salem & menſam ne prætereito.* nam ſale & menſa amicitia ſancitur, vt ex ſequentibus intelligitur. Antiqui ſalem apponebant in conuiuiis hoſpitibus ante alios cibos, quo amicitiæ firmitas ſignificabatur, vel quia conſeruat & producit rerum multarum corpora, vel quia ex aquis multis & fuſilibus ſal cogitur, & in ſolidum quid & vnum coaleſcit: ita ex diuerſo conuenientes animi coniunguntur.

Pro Iuſtitia.

Sunt qui hoc ſymbolo iuſtitiam ſignificari putent: nam ſal, inquiunt, nota modeſtiæ, quoniam in cibatu hominis admittitur, nec plurimus nec minimus, nam vtrumq; reſpicitur.

Pro Sapiẽtia.

Sed & ſalem myſticè ſapientiam prudentiamq; legimus: itaque dices in communi ſermone, omnibus in rebus ſalem adhibendum. Et faceto mordacique lepore quodam dicta, ſalem & ſales noſtri ſæpe dixere.

Pro acrimonia.

Quin & pro acrimonia ſal ponitur, vt oleum pro mollitia. Scribitur à Platone, ſalem diuinis rebus maximè conuenire: idcircò ab Homero diuinus ſal appellatur: quod ab Hebræis Plato accepiſſe videri poteſt, apud quos Moſes omnia, quæ in ſacrificio offeruntur, ſale condiri præcipit, cùm ait: καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλισθήσεται. In Euangelica hiſtoria, ſed alio ſenſu dicitur, *Omnis victima ſalietur.* Apud gentes ad placandos deos ſal apponebatur. Ouid. in Faſtis:

Ante deus homines quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

In via ne ſeces ligna.] ἐν ὁδῷ μὴ σχίζειν ξύλα. Via, vitæ humanæ curſum; & lignum, fortem animum, etiam in ſacris literis videmus ſignificare.

Publica non turbanda.

Malim tamẽ nos moneri, ne publica, & quæ ſunt vniuerſitatis, turbare velimus. Ad eam rem tit. iuris, Ne quid in loco publico, & ſimilia Prætoris interdicta.

Ne libes Dijs ex vitibus non amputatis] Μὴ σπένδειν θεοῖς ἐξ ἀμπέλων ἀτμήτων. Salomõ Rex maximus & ſapiẽs, vineã ſeu vitem, hominis ſtulti vitam intelligit, quæ ſine doctrina eſt bonisq; actionibus.

Vitis non putata, hominis ſtulti ſymbolum.

Et idò non vnius Pythagorę ſuis pręceptũ, ſed & antiquorum legibus cautum, vt meminit Plinius. Seruius Maurus in ſacris dici ait, vt is furore corripiatur, qui de vino ſacrificauerit, quod de vitibus eſſet imputatis. Romani etiam Iouis ſacerdotem (vt ait Plutarchus) ſub vitem ingredi noluerant, quod ſeum ſcilicet ebrium fieri nõ deceret.

Ne ſacrificato ſine farina.] μὴ θύειν ἄτερ ἀλφίτων. Hoc eſt, vt mundi ac mente candida, & expurgata conſcientia, probeq; expia-

Mente pura Deo ſacrificandum.

expiata, Deo ſacrificemus. Itaq; & gentes mola, quæ ex farina & ſale conficiebatur, victimarum capita, antequam mactarent, inſpergere ſolebant. Et Hebræi eadem cauſa, vt conijcimus, ſua pleraq; ſacrificia, farina & oleo conſperſa Deo offerre conſueuerant, vt eſt apud Moſem, Philonem, Ioſephum.

Adorato circumactus.] Προσκυνεῖν περιφερόμενος. Vertigine actus adorato. Plutarch. videtur hoc adſcribere Numæ, non Pythagoræ, qui & multa ſcitu digna de vertigine in ſacris affert. Aiunt quidam eruditi, hoc ſymbolo prudentiam circa diuinas preces voluiſſe indicare Pythagorā, ne in nos videlicet iure retorqueri poſſet, *Neſcitis quid petatis.* Scio hac de re multa, ſcituq; digna poſſe huc conferri: ſed quia Theologorum verius, quàm Philologorum penſum eſt, ad alia facio tranſitum. Interim vide Parœmiographum.

Vertigo in ſacris.

Adoraturi ſedeant.] καθῆσθαι προσκυνήσοντας. Exponitur ſic: Oportere certa vota concipere, & in his, quæ optima fuerint, perſeuerare. Id dictum ea ratione, quòd ſedentes meliorem pacatioremque animum aſſequi exiſtimant; (nam ſedendo & quieſcendo animus melior fit, teſte Philoſopho) eaque cauſa rectius de re quaque cenſere. Ergo indicem, dum ſententiam eſt dicturus, pro tribunali ſedere, tanquā Deo ſacra ſit facturus, legibus cautum eſt. Conſule Emblema 145.

Sedendo animus fit melior.

Surgens è lecto veſtigium corporis confundito.] Ἀνιστὰς ἐξ εὐνῆς, συνταράττειν τὰ στρώματα. Parœmiographus hic fallitur, qui putat idem eſſe hoc prouerbium, *Stragula ſemper conuoluta habeto.* cum hoc, *E lecto ſurgens, ipſa conturbes ſtragula.* Plutarchus Symp. hoc ait pertinere ad pudorem thalami & reuerentiam, quam tectam & illibatam eſſe oportet. Sic Gyrald. Surgens è lecto, ſtragula explicato, exponit è ſomno mortalis huius vitæ erige te ad diei lucem, & ad cœleſtium, diuinarumque rerum contemplationem: corporeos ſenſus deſerito, & perinde corporis veſtigium & ſtragula confundito: hoc eſt, ne ad momentanea & mortalia, ſenſuiq; obnoxia reſpexeris, eorumve memineris. Non poterit ergo rectè philoſophari, qui fluxarum rerū curam non abiecerit. Nam & ſacri interpretes per lectum, ſeu cubile, carnis voluptates interpretantur: quod & poetæ ſeculi, lectum ſeruare purum caſtumq; lectum non polluere, lectum fœdare dicunt.

Thalamo debetur reuerentia.

Lectus, carnis voluptates.

A piſcibus abſtineto.] Ἰχθύων μὴ γεύεσθαι. Quo loco dicit, nullum piſcem idoneum ad ſacrificium, de Aegyptijs intelligendum: nam & apud gentes quaſdam veteres de thynno & anguilla rem ſacram faciebant, quod pluribus oſtendit Athenæus in 7. Et M. Varro lib. 3. de re ruſt. de certis piſcibus rem ſacram fieri apud Lydios ſcribit. Non tamen exiſtimandum eſt, omni genere piſcium Hebræos abſtinuiſſe, quippe qui tantum veſci ijs prohibiti eſſent, qui pinnulis & ſquamis carerent, vt eſt apud Moſem. Sanè præter Aegyptios, & Syros abſtinuiſſe piſcium vſu legimus. Itaque apud eos Atergatis Dea colebatur, quæ ſic dicebatur, quia ſine piſce eſſet, quippe Syrorum lingua, *Ater*, priuatiua eſt dictio, & *Gatis* piſcem ſignificat. Homerus etiam videtur abſtinentiam piſcium aſſerere, quòd nuſquam ſuo carmine piſcium eſum oſtenderet: quod idem Plutarchus meminit. Meleager tamen Gadadeus ἐν χάρισι tradit, Homerum, cùm Syrus eſſet, iuxta patrium morem feciſſe, vt priſci illi heroes piſcibus abſtinerent. Sed potuit ea quoque ratione Pythagoras piſcium vſum interdicere voluiſſe, quòd fortaſſe ab Hebræis didiciſſet, piſces ignobiliſſima eſſe animalia. Tradit enim Philo in ſua coſmopœia, inter animalia primos eſſe creatos piſces, quia videlicet eorum ſit anima ignobiliſſima, vt hominis eſt acutiſſima: quæ autem amborum eſt intermedia, terreſtribus & volucribus data eſt: magis enim hęc ſenſilis quàm in piſcibus: hebetior verò quam in hominibus. Ergo inter animantes, Deus piſces primos condidit, magis corporis ſubſtantiæ, quàm animæ participes, & quodammodo animalia & non animalia, mobilia inanima, atq; ad ipſam ſolam corporis conſeruationem Deus illis indidit ſpiritum animalem, ſeu (vt dicitur) ſal carnibus inſpergitur ne facilè putreſcant. Vide Plutarchum περὶ σαρκοφαγίας, & H. Steph. ibidem. Conſule etiam Adagiographum, qui multa in ſymbolum *A piſcibus abſtineto.* congeſſit.

Piſcibus an ſacra fierent.

Gētes quæ piſces non edebant.

Piſces qualia animalia.

Vnde profectus Stemmatum vſus.

EX QVO factum eſſe conſtat, vt ſapientes quiq; poſteri inuentioni huic tam

ingenioſæ multum ornamenti adiecerint ſuis tum libris, tum diſputationibus: ſic etiam permulti nobiles & generoſi, viriq; principes, qui bellicis olim negotijs præfecti ſunt, vt etiam hodie, qui eundem dignitatis gradum obtinent, quò ſui nominis atque familiæ ſplendorem quàm latiſſimè propagarent, ſtemmata quædam & ſymbola ſibi vſurparunt. Et certè omnibus penè gentibus in more poſitum fuit, vt ſpeciale aliquod ſignum militare haberent, quo facilius cogi poſſent, & in vnum conuocari locum milites, qui vel fuſi vel ſparſi extra caſtra eſſent. Occurrit mihi quod Diodorus Siculus 1. Βιβλιοθ. retulit, quo loco initium eiuſmodi ſchematum videtur repe...

Ducū bellicorum varia inſignia.

...rere à temporibus Oſiridis, his planè verbis: τὸ δ' οὖν Ὀσίριδι συνεστρατεῦσθαι δύο λέγουσιν υἱοὺς Ἄνουβίν τε καὶ Μακεδόνα, διαφέροντας ἀνδρείᾳ ἀμφοτέρους χρήσασθαι τοῖς ἐπισημοτάτοις ὅπλοις ἀπό τινῶν ζώων οὐκ ἀνοικείων τῇ περὶ αὐτοὺς εὐτολμίᾳ. Pindarus enim teſtis eſt, Amphiaraum in expeditione Thebana pictum draconem in clypeo circumtuliſſe: Statius Capaneum hydræ: Polynicem Sphingis imagine vſos in ſcutis fuiſſe. In bello Troiano Agamemnon pictum habebat in ſcuto Leonem vnà cum epigrammate, οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν. Vlyſſes delphinem: Typhonem Hippomedon ore fumos efflantem: Perſeus Meduſę vel Gorgonis caput. Virgil. 7. Æneid. ad finem, graphicè nobis exhibet arma Turni picturis elegantibus & ingenioſis conſpicua, his omnino verbis:

Ipſe inter primos præſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt:
Cui triplici crinita iuba galea alta Chimæram
Suſtinet, Ætnæos efflātem faucibus ignes.
At læuem clypeum ſublatis cornibus Io
Auro inſignibat, iam ſetis obſita, iam bos,
(Argumentum ingens) & cuſtos virginis Argus,
Cœlataq; amnem fundens pater Inachus vrna.

Poſtes olim ſpolijs ornati.

Et Romanis in more poſitum olim poſtes ſpolijs hoſtium exornare. Verba hæc Polybij: ἔν τε ταῖς οἰκίαις κατὰ τοὺς ἐπιφανεστάτους τόπους τιθέασι τὰ σκῦλα. Virgil. 2. Æneid.

Barbarico poſtes auro ſpolijsq; ſuperbi,
Multaq; præterea ſacris in poſtibus arma:
Captiui pendent currus, curuæq; ſecures.
Et criſtæ capitum, & portarum ingentia clauſtra,
Spiculaq; clypeiq; ereptaq; roſtra carinis.

Neq; enim dubiū poteſt eſſe, quin & cæteri Nobiles ſuæ inſignia familiæ, ſeu ſymbola quædam propria ſibi vendicarint. Homerus alter 8. Æneid. id minimè ſibi prætermittendum putauit, cum Turni auxiliares copias memorat, quorum hominū arma ſignaq; diligenter & ſtudioſè perſecutus eſt. Cimbrorum & Teutonum bello illo horribili, quod in Mario Plutarchus deſcribit, id memoria dignum notat, eos populos, quanquam immanitate barbaros, ſuis in peltis, ſcutis, alijsq; id genus bellicis inſtrumentis, non modo nitorem armorum habuiſſe, ſed & depictas ferarum imagines. Nonnulli putant Marium primum Aquila pro ſchemate vſum, vt præter cæteros teſtis occurrit Val. Maximus. Primis enim imperij Romani temporibus, in expeditionibus bellicis cùm educenda eſſet acies, aut etiam manus conſerendæ, pro ſigno, fœni manipulis vtebantur: vnde legiones manipulares primò appellatas eſſe conſtat. Sed cùm incrementum aliquod cepiſſet imperium, ſigna alia ſibi finxerunt qualia fuere Lupi, Equi, Apri, Minotauri, pro vario Principum arbitrio, qui militibus præficiebantur. Sed vt ea demum Aquila vſurpari cępta eſt pro publico & perpetuo imperii Romani ſymbolo; ſic vſus inualuit, vt quæcunq; legio diſtinctas inſigniū notas haberet: quod poſteris ita tranſmiſſum eſt, vt eius rei memoria, quanquam longa temporum intercapedine, longoq; ſpatio, & penè vetuſtatis obliuione demerſa, ſcriptorum beneficio tamen nondum intermori potuerit. Dio tradit in Pompeii Magni annulo expreſſa fuiſſe trophęa tria, vt ante idem Sylla dictator fieri ſibi curarat. Plutarchus verò ait, in eo ſummi pretii lapillo, qui Pompeii fuit, quiq; poſt mortem eius, Cæſarem coegit ad lachrymas, Leonis cōſpicuam fuiſſe imaginem enſem tenentis. Quod genus doctrinæ reconditioris quanquam plerique ludicrum eſſe cenſeant, auſim tamen dicere, id ſapientibus olim hominibus familiare habitum, pro certo conſtare: quod declarant erudita & literata illa ſympoſia: quo maximè nomine Principibus digna videri debet ea exercitatio, quos ſi verè Principes agant, literatis

Aquilæ quis primus pro ſigno vſus.

Principū quale olim ſtudium.

ſatis colloquiis ſuas epulas condire par eſt: non vt inertes quidam aulici, & (quod dicebat ille) arietes in aureo vellere, qui lapillis & teſſeris, qui cubis, & foliorum luſu non modò totos dies terunt, in quibus luditur quidem, ſed interea permultum otij & pecuniarum impenditur, multoque plus temporis inſumitur, quàm neceſſe eſſet; cum in ea ſymbolorum doctrina exercenda, & liberis hominibus digna cognitione, non mediocris vtilitas capiatur, ingeniũ intendatur, iudicium augeatur, exerceatur memoria, mirifica oblectatio capiatur. Sed hæc miſſa faciamus.

Numiſmata quorundã Principum.

Quã enim ſuperioribus anteactis ſæculis hic ſymbolorum vſus magnis quibuſdã viris attulerit, exemplis innumerabilibus teſtatum habemus: Quin id antiquarij & ſtudioſi lõgè ante, & hoc noſtro ſeculo diligenter obſeruarunt in quibuſdam priſcorũ temporum numiſmatis æreis & argenteis, tũ ſaxis & ædificijs, longa ſæculorum caligine, & quaſi ſenio ferè omninò collapſis, ex quibus illorum veterum hominum ſtudium agnoſcunt in obſeruandis familijs, vel gentis alicuius ſtemmatis, aut effingendis iis, quæ ipſi ſuo arbitratu conceperãt, quæq; vel multis, vel certè paucis, & quidem eruditis atq; ingenioſis propoſita eſſe cupiebant. Siquidem, vt è multis pauca ſublegam, Alexander Magnus Serpentis imagine vſus eſt, quòd ſe à Ioue Ammone patre ſub forma ſerpentis eſſe natum credi vellet. Auguſtus Cæſar magnam ſui animi moderationem, alienumq; ab omni temeritate iudicium, id eſt, maturitatem in rebus gerendis oſtenſurus, in altera numi aurei parte, quod cudendum ea maximè cauſa iuſſerat, Papilionem vna cum fluuiatili Cancro cælari voluit; altero quidem tarditatem, altero verò celeritatem intelligebat. Eundem & Sphingis imaginem in ſigillo ſeu ſphragidio ſumpſiſſe memorant: quo pleriq; coniiciunt, eum deſignaſſe ſuam in rebus obſcuris illuſtrandis, & conficiendis negotiis alioqui perplexis admirabilem ſolertiam, quod tamen ſignum commutauit Republ. primùm compoſita, & imagine Alexandri Magni poſtea fertur vſus, fortaſſe vt Monarchiam, qua ſe dignum putabat, intelligeret: quam vbi magna, planeq; inaudita felicitate conſecutus eſt, non alia delectatus eſt imagine quàm ſua. Mæcenas eques Auguſto familiariſſimus, Ranam vſurpauit, fortaſſe Seriphiã, vt quibuſdam placet, ad arcani fidẽ, quam vnicè obſeruabat ille, deſignandam. Titus Veſpaſianus Auguſtum æmulatus, proprium ſibi ac peculiare ſchema vel ſymbolum habuit, quo maturandum eſſe præcipiebat, Delphinum anchoræ alligatum. Narratur hiſtorijs Eccleſiaſticis, & D. Hieronymi Commentariis literam Hebraicã *TAV*, ſalutis fuiſſe olim ſignum, etiam Paganis ipſis habitum, quod parietibus templi Serapidis paſſim viſum fuit. Nullus eſt ex noſtris, quin audierit aut legerit memorabilem illam Conſtantini Magni expeditionem aduerſus Maxentium, qua maximè ſignis militaribus ſignum Dominicæ Crucis tum primum cœpit. Et certè Crux meritò pro ſalutis nota vſurpari cœpta eſt, quòd T, literæ, quod fuit olim abſolutionis ſignum, videatur reſpondere, ſi picturam & lineas ſpectes. Vide quæ ſubiunximus de S. Cruce, Emblem. 150. & 151.

Alexandri ſymbolum. *Auguſti.* *Mæcenatis.* *Veſpaſiani.*

Ciuitatũ quarundam inſignia.

Quid enim, vt externa illa, quæ innumerabilia ſunt, tranſiliam, vt quæ leguntur de Athenienſium Noctua, Perſarum Aquila aurea, vel Solis effigie, aut igni ſacro; Thebanorum Sphinge, Oſiridis Cane, Cyri Gallo aureo, & aliis etiam pluribus, de quibus fidem ſcriptores faciunt? Sed neſcio quo modo nos magis delectant & afficiunt domeſtica, vt eſt nauis illa, quam pro ſtemmate habuerunt Franci veteres; ſicuti Sidonius Apollinaris & Panegyriſtes ille Pacatus teſtantur: quod idem ſignum Pariſiorum eſſe adhuc apertè videmus: vt tria illa Repagula rubea ſeu vectes, quibus in publico ſtemmate Burgundiones vſi ſunt; vt Vrſi, quibus Heluetii: vt Leones, quibus Germani quidã duces: vt Igniarium vnà cum ſilice, quo equites illi torquati, qui à Burgundo Duce primum inſtituti ſunt? longum enim eſſet in ſingulis immorari, & ad ea omnia explicationes adiicere. Quid, inquam, nunc memorem veterum illorum Gallorum ſtemmata & inſignia, quæ ſibi vel ingenioſi finxerunt, aut aliqua nacti ſunt occaſione, vel tanquam hæreditario iure poſteri vſurparunt?

Quia tamen multus eſſem, imò verò fortaſſe nimius in ea rerum veterum commemoratione, quas ſubinde fateri cogimur longa vetuſtatis obliuione nobis penè deletas & obliteratas: facilius videtur, meo

quidem

quidem iudicio, in ijs pedem, vt ita loquar, figere, quæ nou tam priſcorum hominum libris, quàm ipſo noſtrorum patrum, & quidem huius ætatis hominum exemplo, planè attinguntur. Itaque præter publicum & ſolenne imperij Germanici ſtemma, quod Carolus V. ſuperioribus annis pro imperatorio iurè habuit, ſymbolum etiam peculiare ſibi vendicauit, duas Herculis Columnas, vnà cum ſymboli anima VLTERIVS. Lodoicus XII. antequam ad regnum euectus eſſet, aliqua ratione Hiſtricem, quem Porcum ſpiceum vulgus appellat. Franciſcus I. felicis memoriæ Princeps, tria lilia, quibus alij Reges regio nomine fuerunt vſi ad hæc noſtra vſque tempora, & Salamandram aliqua cauſa propriam ſibi fecit. De Salamandra Franciſci I. hoc placet adijcere, quod pauci, aut nulli ex ſcriptoribus attigerunt vel ex noſtris, alioqui curioſis, & eruditis; fortè quia ſenſum Principis aſſequi non potuerint, aut quia noluerint teneros amores, quibus ille delectatus fertur impenſius, ſuis celebrare commentarijs. Accepimus enim à patribus, principem reuera maximum, à quibuſdam familiaribus non ſemel monitum, abſtineret ab vſu amorum nimio, oppoſuiſſe conſultoribus alioqui bonis ſuam Salamandram, quæ (ſeu ſaxum, ſeu animal ſit, non eſt hoc loco quærere) coniecta in focum crepitantem, dicitur algore ſuo flammas reſtinguere. Ad altiorem tamen ſenſum traxit Salamandram regiam auctor diſtichi, quod litteris aureis exſcriptum vidimus in regia Callirhoes, id eſt, ad ſaltum Fontis aquæ bellæ, his omninò numeris:

Symbolū Caroli V.

Lodoici XII. Galliæ Regis.

Salamandra Franciſci I.

Vrſus atrox, aquilæq; leues, & tortilis anguis,
Ceſſerunt flammæ iam Salamādra tuæ.

Celebratur Franciſci victoria de Heluetijs, quorum ſymbolum vrſus, quod & in numiſmatis ipſorum videre eſt: item de Germanico Cæſare, Carolo V. cuius inſigne Aquila, ratione Imperij: deque Duce Mediolanenſi, cuius gentilitium ſtemma Serpens, de quo nos ſpeciatim ad Emblema primum. Henricus II. eius filius, creſcentem Lunam, vnà cum hemiſtichio, DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM. Margaris Nauarræa Regina, magni Franciſci ſoror. Heroina verè illuſtris, Heliotropiū non ſine cauſa ſibi legit. Carolus IX. duas colūnas in ſe complicatas vnà cum, PIETATE ET IVSTITIA, deſcripto epigrammate: haud dubiè ſignificatum hoc ſymbolo duplici, principatū omnem Chriſtianum duabus niti quaſi columnis firmiſſimis, pietate ſeu religione, quæ Deo iūgit: & iuſtitia, quæ ſocietatem tuetur hominum, & concordiam ciuili vinculo firmat, vnaque homines hominibus conſociat. Henricus III. Gallico & Polonico regno potitus, ſymbolo trium coronarum ſpecioſo donatus, ex quibus duę ęqualiter iunctæ viſuntur, tertia verò ſublimior ac ſuperior, addito ſubtus emblemate, MANET VLTIMA COELO. Henricus IIII. rex inuictiſſimus, & Galliarum bono ſingulari natus, vel cuius heroicæ virtutes laudationem omnem ſuperāt, inter multa ſchemata, quibus certatim exornatur à viris eruditis, hoc ferè primum euulgatum, vt ſceptra duo colligata, enſe intermedio ſimul adnectantur, ad regni Franciſci & Nauarrici ius deſignandum, addito verbo, DVO PROTEGIT VNVS. Sed id quidem parum, ſi tanti tamque inuicti Principis res geſtas cum ſumma omnium admiratione velimus æſtimare, quem Thraſybulo, & Camillo ſuperiorem cenſere non dubitamus, imo ex noſtris, Carolo Magno, & Philippo Auguſto vel parem, vel certè nuſquam inferiorem cognoſcimus: qui tantum nobis profuit, vt merito iure illi ſalutem, vitam, ornamenta dignitatis omnia, libertatem debeamus. Id niſi ſponte confitemur, indigni luce communi ſumus. Pacem Princeps bonus armis quæſijt, imò qui nunquam niſi laceſſitus ad arma proſilijt. Et quis in magna etiam armorum licentia eo principe manſuetior? quis parta victoria in ſupplices ac victos clementior? quis in pactis conuentis, in inducijs, fęderibus, promiſſis omnibus conſtantior ac fidior? Communi quodam errore lapſos ſe fatentur, qui aduerſus eum coniurarant, poſtquam agnouerunt quis, & quantus eſſet, arma ſponte abiecerunt, manusq; dederunt: illi autem vicerunt, qui ſe victos faſſi ſunt; ipſeque Princeps duplici victor nomine, qui ſeſe vicit in victoria. Catharina Medicea, Regum mater, Iridem ſeu cœleſtem arcum, adiecto ſymboli argumento, φῶς φέρει ἥδε γαλήνην. Annas Mommorancius, militum magiſter, nudum Enſem, vnà cùm verbo

Henrici II.

Caroli IX.

Henrici III.

Henrici IV.

Eiuſdem laus.

Catharina Medicea.

Mommorancij.

bo ἌΠΛΑΝΟΣ: quo innuebat, ſe ab omni fraude alienum, operam fidam ac ſtudium in ſummo magiſtratu præſtitiſſe. Mareſcallus Santandreus nodum Gordium. Pleriq; idem tribuunt Regi Catholico, vt Iouius ipſe. Cardinalis Borbouius, paſtoriciæ dignitatis notam, Enſem ſeu gladium flammeum habuit, quo verbi diuini vim intelligi aiunt. Carolus Lotharenus Cardinalis Hederam altæ pyramidi hærentem, vnà cum verſiculi parte altera, TE STANTE VIREBO. Franciſcus Turnonius Cardinalis cęleſte Manna. Chriſtophorus Madruccius Cardinalis Tridentinus, Phœnicem ſe igni comburentem, vnà cum ſententia, PERIT VT VIVAT: Ferrarienſis deniq; Cardinalis Heſperidum mala ab inſomni non cuſtodita dracone, quo virtutes ſignificari conſtat. Alphonſus Aragonum rex libro aperto, ad libertatem deſignandam, vti maluit. Franciſcus Sfortia cùm Ducatum Mediolanenſem obtineret, Canis ſibi ſymbolum pingi fingiq; curauit, vnà cum epigrammate, NEMO QVIETVM IMPVNE LACESSET. Duo inter cætera Principum Italorum ſymbola, eruditis hominibus placuerunt, nempe vnum Laurentis illius Medicei, & alterum Proſperi Columnę: Ille quidem tres plumas habuit colore triplici diſtinctas, albo, viridi, rubeo, vnà cum SEMPER, adiecto vocabulo, quod eruditi homines ad virtutem triplicem, Fidem, Spem, Charitatem, retulerunt: Hic verò Columna, quo tempore Rauennati Reipub. præfectus, vrbem obſeſſam defendebat, duplicem ramum complicatum pro ſymbolo circumtulit, alterum è Cupreſſo, e Palma verò alterum, vnà cum ſententia adiecta ab eo eloquenti homine Antonio à Caſanoua, ERIT ALTERA MERCES. Illum quidem ramum, mortis; victoriæ hunc eſſe notam volebat: vt ſignificaret in ea expeditione ſibi certiſſimum eſſe mori, vel vincere. Quibus profectò notis & ſignis illuſtribus magni illi heroes ac Principes excellentem aliquam ſuorum animorum cogitationem non obſcurè oſtendi voluerunt.

Borbonij Cardinalis. *Caroli Lothareni.* *Franciſci Turnonij.* *Chriſtophori Madruccij.* *Alphonſi Regis.* *Frãciſci Sfortiæ.* *Laurentij Medicei.* *Proſperi Colũnæ.*

De qua quidem Philologiæ parte, ne cogar ſingula percenſere, cùm quoſdam viros excellenti doctrina, & antiquitatis vel maximè ſtudioſos aliquando diſputare audiebam, memini vltrò citroq; habitos ea de re ſermones eruditos, ex quibus tamen ad extremum, vt vno dicam verbo, nihil ferè præter coniectanea mihi comparaui. Nam vt priſca illa & externa prætercam, quidam auctores ſunt non omninò mali, à quibus accepimus, priorum Galliȩ Regum, qui à Pharamundo profecti ſunt, inſignia fuiſſe tres Bufones aut Rubetas: nonnulli tres Coronas malunt: alij Leonem qui Aquilam ad caudam habeat. In quo illi boni ſcriptores temerè interdum & ſine iudicio caligant; quippè qui quod Regum quorundam peculiare ſymbolum fuerit, ad alios etiam tanquam commune omnium referant. Videri autem certius poteſt, tribus Lilijs primum Clodoueum fuiſſe vſum, cùm primum ſuadente Clotilde vxore lectiſſima, religioni Chriſtianæ nomen dedit: quod liliorum trium ſtemma poſteri etiam Reges ad noſtra vſque tempora retinuerunt. Polydorus Virgilius in Anglica hiſtoria, quo loco vitam Gulielmi Nothi perſequitur, auctor eſt, Reges Anglos ad eam vſque regis illius ætatem certas inſignium notas minimè habuiſſe, ſed pro regum varia ſucceſſione, etiam ſigna illa fuiſſe varia. In quibus omnibus primò excogitandis, effingendis, exornandis, aliqua ratione pingendis vel ſculpendis, non video quid veri certiq; ſtatui certo poſſit; niſi dicamus pro animorum & opinionum varietate miram ſemper penéque incredibilem ſymbolorum eiuſmodi varietatem extitiſſe. Eſſet quidem imperiti hominis, parumq; in rerum veterum hiſtoria exercitati, qui auderet affirmare nullam ſubeſſe ſententiam in ea ingenioſa inuentione ſtemmatum, ſchematum, inſignium & ſymbolorum: quæ veteres ipſi non tam ſtudioſè affectaſſent, niſi ſuæ doctrinæ ſolertioris, ſuæ laudis & gloriæ, ſuarumque cogitationum aliquam non minimam partem alijs notam eſſe voluiſſent.

Regum Galliæ antiqua inſignia. *Regum Angliæ ſtemata.*

Symbolorum tria genera.

CAETERVM ne hoc quidem prætermiſſum velim. Symbola & Emblemata, de quibus hoc agitur libro, multiplicia eſſe & varia: quorum tamen rationem multiplicem ad quoſdam quaſi cancellos reuocare poſſumus. Quædam enim hiſtorica ſunt, alia phyſica, alia ethica, & certè allegorica, quibus aliquid petitum à fabulis

Symbola triplicia.

aut

aut rerum natura, ingenioſè ad mores vt plurimum traducitur. Hiſtorica ſunt ea, quæ ducuntur ex hiſtorijs, vt *Leænæ* ſtatua ærea in Acropoli Athenienſi poſita, de qua 13. Emblemate. Triumphus M. Antonij triumuiri de M. Tullio interfecto, 29. Emblem. Hunni Scythici deſcriptio, Emblem. 37. & c. Phyſica verò, vt Bacchi & Palladis ſimulachris eadem ara erectis, Emblem. 23. de Ciconiæ ἀντιπελαργίᾳ. Emblem. 30. quæ tamen ad mores omnia mihi reduci poſſe facilè videntur, quia ex ijs omnibus, quanquam non ſemper ita perſpicuè, moralis ſententia eliciatur.

Hiſtorica. *Phyſica.* *Ethica.*

Differre inter ſe ſchemata, imagines, ſeu inſignia, & ſymbola.

QVOD cum fortaſſe pluribus oſtendo, nolo mihi quiſpiam ſuccenſeat, vt qui nullum planè diſcrimen conſtituam inter ſchemata illa ſeu inſignia, vel arma, quæ vocantur gentilitia, imagines, & peculiaria hominum, vel publica nationum aut ciuitatum ſymbola. Scio equidem, vt primò de ſchematis, id facilè vel tacente me intelligi ab ijs, qui omninò non ſunt obtuſi: nullum ſtemma eſſe puto, quod ſymbolo & nota non conſtet, ſed tamen non omnia ſymbola ſtemmata eſſe poſſunt: Alterum enim, nempè ſymbolum, latiùs: ſtrictius verò & ſpecialius alterum accipi compertiſſimum eſt.

Omne ſtemma ſymbolo conſtat, non vice verſa.

Alia verò imaginum ratio, quamquam ad eundem fortaſſe finem olim Romani ſumpſiſſe videantur imagines, vt poſteri, & hodie Nobiles ſua illa ſtemmata. Ij certè nobiles erant, qui ſui generis imagines poterant oſtendere, teſte M. Tullio: quæ cauſa fuit, vt ſæpè imagines pro nobilitate vſurpari familiare ſit auctoribus. Eas Romæ patritij in primis ſibi tribuerunt, & qui ſoli maiores magiſtratus, nempè Aedilitatem maiorem, Præturam, Cenſuram, Conſulatum obtinebant. Quæ imagines quales fuerint, lib. 6. Polybius me docuit, Plinius 35. vt etiam M. Tullius permultis locis, & nos infra Emblem. 137. & 184. Erant enim ſimulacra quædam oris ſimilitudinem artificioſè fictam, coloribus & pigmentis adumbratam referentia, quas in maiore domus parte poſitas armaria lignea includebant. Eas autem imagines diebus feſtis exornabant apertis armarijs, [illegible]

Imaginũ ratio. *Imagines veterum quales.*

quę aliquis è propinquis aut affinibus mortuus elatus eſſet, in funere circumferebantur, addito, vt magnitudine quam ſimillimi apparerent, reliquo corporis trunco. Eas demum cereas fuiſſe me locus admonet Plinianus, quem citaui proximè: vt inde appareat maiorum imagines poſteris etiam temporibus nominatas, ſed non ita tamen vſurpatas. Nam inſignia Nobilium imagines habent illas quidem, ſed non humani vultus, vt fuere olim Romanorum. Pro quibus certè imaginibus poſteriora ſæcula cœperunt habere ſua illa, quę vulgò Arma vocitantur, id eſt, inſignia gentilitia: quæ vt ad honorem & gloriam veteribus vſurpata ſunt, ſic certè, vti credibile eſt, fuere poſtea virtutis præmia, & rerum præclarè geſtarum aperta teſtimonia.

His ſubſtituta arma gentilitia.

Quæ ſpectentur in ſymbolis.

AD extremum itaque quid ad conficienda ſymbola in primis obſeruandum ſit, adijciam, vt tandem (eorum gratia maxime, qui hanc liberalem & ingenioſam cognitionem colunt) formulam quandam apponam ſymbolorum conficiendorum, expeditam illam quidem & facilem, iuxta Iouij doctrinam, qui non modò notas heroicas Principibus multis excogitauit, ſed & artem quandam apertam & compendiariam admodum inchoauit potius quàm perfecit.

Symbolorum id proprium & peculiare eſt, vt gyris quibuſdam & mæandris, nempè obſcuris ſententiarum inuolucris obtegantur. Si enim tam aperta & popularis eſſet inuentio, nihil doctrinæ aut gratiæ in iis eſſe videretur: quod ſymbolis Aegyptiorum, Chaldæorum, Pythagoræorum, Græcorum, & aliorum autè quadam ex parte demonſtratum eſt.

Symbolũ inuolutũ ſit oportet.

Deinde, in eo vel maximè ſita eſt Symbolorum ratio, vt cum grauitate breuitateq; quadam plurimum ſententiæ contineant: quod obſeruãdum notat auctor grauis & acutus Demetrius Phalereus.

Sit breue & graue.

Id præterea obſeruatur vt plurimum, vt ſymbolum habeat aliquam cum adagio ſeu parœmia ſimilitudinem. Et quidem ſæpenumero fit, vt ſymbolorum & adagiorum eadem natura eſſe appareat, quamquam inter ſe ratione quadam differant. Quod Plutarchus diligenter obſeruauit

Sit ſimile adagio.

in

in quibuſdam: & præter eum Apuleius, qui etiam exemplum apponit, vt cùm olim diceretur, *Ex quocunque ligno Mercurium non fieri*, ſignificabant omnia & quæuis ingenia minimè ad doctrinam capeſſendam idonea, neque cuiuſque animum ita eſſe à natura informatum, vt ingenii cultum tam commodè capere poſſit.

Quæ tamen fortaſſe magis attinent ad ea ſymbola, quæ oratione viuaq; voce vſurpantur, non ea quæ παράσημα & ἄφωνα σύμβολα nominantur. Certè inter vtraque magna poteſt intercedere ſimilitudo, vt nuſquam eſſe non poſſit inter res & verba non minima cognatio: aut ſi magis placeat, vt ænigmata, ſic ſymbola ſunt alia in verbis, in ſententiis alia: quædam etiam in vtroq; imò interdum literis atq; ſyllabis. Quod pluribus illuſtrarem, ſi putarem id ſtudioſos aliquo tandem modo remorari.

Ars quædam inueniendorum & excogitandorum ſymbolorum.

Quinque maximè ſpectãda in ſymbolis inueniendis.

Ei itaque, qui ſymbolum aliquod vel
ſchema commodè volet effingere, ſpectan-
da hæc primum proponuntur, vt iuſta ſit
animi & corporis analogia (per animum,
ſententiam vno, altero, vel certè paucis
comprehenſam verbis intelligo: nomine
1. corporis, ſymbolum ipſum deſignari pla-
2. cet.) Deinde, ne ita tenebricoſum ſit & ob-
3. ſcurum, vt Delio natatore opus habeat.
Tertiò, vt facilè conſpici & dijudicari poſ-
ſit, ſi fortè aliquid interiectum habeat: vt
interdum ſunt ſidera, ſtellæ, Luna, Sol, i-
gnis, vnda, nubes, ſiluæ, rupes, ſpeluncæ, &
4. alia innumerabilia. Quartò, ne qua hu-
mana forma, niſi admodum rarò, depinga-
5. tur. Poſtremò, adhibeatur interdum ani-
ma illa ſymboli lingua quadam nobili minimeq; vulgari, vt id παράσημον καὶ ἄγαλμα, ingenioſaque inuentio, quæ cogitationem requirat, & eam quidem eruditam, multò plus dignitatis habeat & grauitatis. Id autem fieri ab eruditis, vel iis, qui à liberali & polita literarum cognitione auerſum animum non habeant, Græcè aut Latinè commodè ſolet: aut denique, ſi magis placeat extera quadam lingua, idque ſententia breui, arguta, graui, vel adagio, aut etiam hemiſtichio, integro verſu nonnunquam, qui vel recens natus, vel aliunde petitus ſit, dummodo argutiarum aliquid & ſalis contineat.

De ſymbolis, ſchematis, & ſtemmatum ratione iam ſatis: nunc tandem de Emblemate quædam commentemur.

Quædam de ſymbolis exempla Typographorum.

Non tamen mihi tempero, quin animi cauſſa, quorundam rei Typographicæ peritorum hominum huc adiiciam eiconas, quibus ingenioſè vti ſoleant in ſuorum librorum frontiſpiciis, quibus ſe vel ingenio, vel arte, meliorum litterarum adiumento neceſſaria commendent. Vnus in primis habitus literis primùm renaſcentibus, qui purè, nitideque typographicam illuſtrauit, ALDVS MANVTIVS Romanus, qui pro nota ſingulari ac propria ſibi ſumpſit Delphinum anchoræ alligatum, forte ad laudem maturitatis, quæ medias partes teneat inter nimiam ac præcipitem celeritatem, & tarditatem; de quo nos ad Emblema 20. cuius epigraphe, *Maturandum*. & nonnihil Emblem. 144. Excidit mihi memoria typographi ex ſolo Italico, qui etiam ante Aldi ætatem Sirenem habuit, qua vſus in ſuorum fronte voluminum, ad eloquentiæ (niſi me coniectura fallit,) ſimulacrum oſtentandum. Alioqui me non fugit Sirenum nomen ad alios flecti ſenſus, de quibus nos etiam ſuo loco. SEBASTIANVS GRYPHIVS Lugduni eam artem peruigili ſtudio illuſtriorem fecit, ſuamque ſollertiam nobili ſymbolo patefecit, captato ſui nominis etymo, vel alluſione potius. In tabellæ planicie Gryphis effigies, qui vnguibus pedis dextri ſaxum quadratum attollat: ſubtus orbis, ſeu figura ſphærica, ad cuius partem vtramque totidem alæ, ſeu plumæ adfixę: addito noemate, VIRTVTE DVCE, COMITE FORTVNA. Quæ verba duo vim ſchematis ingenioſi concipiunt.

Symbolũ Aldi Manutij.

Sebaſtiani Gryphij.

Frobenij.

Apud Germanos, Baſileæ, Frobenius, artis eiuſdem apud ſuos Roſcius, ſtemma libris editis affixit erectũ baculum duabus arreptum manibus, in cuius apice auicula, & ex parte vtraq; duo ſerpentes cōplicati, ſed nullo addito vocali ſymbolo. Credibile eſt virũ ſollertem his notis bene dicendi artẽ, quæ baculo innuitur, quaſi ſepiri ac colligari ſapiẽtia, quę apud veteres ſerpentis nomine ſignaretur, ſignificaſſe. Ioan-

Ope-

Ioannis Oporini.

Oporinus, eruditus ſanè vir, nedum typographus, Delphino inſidentem Ariona lyræ fides digitis attrectantem ſibi legit; forte indicans litteratorum virorum ſalutem in medijs ac tempeſtuoſis vitæ huius fluctibus tutam ac ſecuram: aut etiam eruditos homines à ſuis nonnunquam male haberi, ab extraneis excipi humanius. Nimis multus eſſem, ſi ſingularum vrbium Germanicarum velim colluſtrare officinas: alioqui fateor ingenuè plures eſſe vel Coloniæ Agrippinæ, vel Francofurti, vel Spirę, alijsq; celebribus Germaniæ ciuitatibus, quarum typographi eruditis ſuis ſymbolis non minus ſeſe orbi Chriſtiano commendarunt.

Roberti Stephani.

Sed ad Gallos venio, qui ſeſe ijs ſuperioribus æquarunt, vel certè nuſquam inferiores habiti ſunt. Inter eos nemo mihi occurrit illuſtrior, vel ſuo æuo peritior, aut diligentior Roberto Stephano, qui pro familiari ſchemate arborem habuit in ramos porrectam, addita figura ſpeculantis hominis, verbo aſſcripto D. Apoſtoli, NOLI ALTVM SAPERE: qua nota viſus eſt arguere nimis curioſam de rebus obſcuris ac diuinis inueſtigationem, & doctrinæ cuicumq; apponendum modum.

Simonis Colinæi.

Simonis Colinæi, politi hominis, laudata noſtris & exteris induſtria, qui vt litteras, earumq; gloriam nequidem tempore intermorituram ſuo agalmate repræſentaret, Saturnum falce metentem omnia depinxit, addito verſiculo vt ſymboli anima, VIRTVS SOLA ACIEM RETVNDIT ISTAM.

Andreæ VVecheli.

Non prætereo Andreæ VVechelij equum Pegaſum, de quo in fabulis, quod ſignum immortalis nominis per doctrinam comparandi.

Federici Morelli.

Elegās & bene ſubactum ingenium, iudicium par, mores inculpati Federici Morelli, cuius inſigne, Fons, perennes fluuios doctrinæ omnis ingenuæ ac liberalis ſignificat. Qui vir cùm in viuis eſſet, bona fide pręſtitit quod artis ſuit, & reliquit liberos, qui eandem palmam extendunt in dies vberius, nec vnquam Fontem illum ſinunt areſcere.

Sebaſtiani Niuellij.

Sebaſtianum Niuellium, probum & honeſtum virum, ſuæ iamdudum Ciconiæ delectarunt, notum ſignum τῆς ἀντιπελαργίας.

Iacobi Puteani.

Et Iacobū Puteanum, ſua Samaritana puteo proxima, non ad alium quæſita finem, quàm vt alluderet ad ſui cognominis aliquam rationem.

Nicolai Chenelli.

Nicolao Chenello, ſeu Querculo placuit Quercus, & telorum ſeu arundinum faſciculus vna colligatus, & arbori appenſus, affixo epigrammateio, VIS NESCIA VINCI. Quod ex Scylluri petitum monito ad filios, cùm morti proximus concordiam ſuaderet.

Chriſtophori Plantini.

Chriſtophori Plantini, cuius memoriam ſanctè colo, ſignum familiare ac proprium, circinus, cum erudita Gnoma, LABORE ET CONSTANTIA. Circulus in ſe circumactus laborem indefeſſum: idem in puncto hærens, conſtans animi propoſitum notat. Id ſanè Plantino ſphragidion conueniens, quo homine nullus laboris patientior, nullus in vitæ omni propoſito tenacior fuit, præter eam morū facilitatem, qua ſeſe omni hominum ſorti probauit.

Ægydij Beyſij.

Aegidius Beyſius, Plantini gener, vir certè bonus, idemque induſtrius, conatus ſoceri ſtudia æmulari, laborioſè & conſtanter ſeſe geſſit, & præpropera morte deſiderium ſui reliquit. Is, cū ante annos penè ſedecim ſymbolum ſibi peculiare ac proprium quæreret, me percontatus, rogauit aliquid reperirem, quod alijs ita commune non foret: ego illi ſertum albi lilij lubens exhibui, addito boni Poetæ hemiſtichio, CASTA PLACENT SVPERIS. Symbolum moribus hominis accommodum, quem notam ab omnibus illecebris turpium voluptatum in primis abhorrere.

Ioannis Richerij.

Nec verò poſſum tranſilire Ioannis Richerij Arborem vireſcētem, cum ſentētioſa nota, ὄλβιος αὐτάρκης. quę tamen parum admodum reſpondet arbori ei virenti, ſi bene corpus ſymboli cum anima æſtimemus.

Stephani Taſſeti.

Grauius ſanè & melius, meo quidem iudicio, Stephanus Taſſerus, Richerij ſocer, ante vſurparat arborem viroris plenam, addito verbo ex Dauide, FOLIVM NON DEFLVET. Hoc eſt: metuēti Deum nihil defuturum. Quę omnia quaſi per ſatyram conijcio, non ſingula perſequi cogito, quæ vt adgregare difficillimum eſſet, ſic non perinde frugiferū. Alioqui memini me, cum quidem plus otio abundarem, vel antequam me publici muneris ratio totum occupaſſet, ſelegiſſe librum ſymbolorum, quæ vulgus noſtratum *deuiſes* nuncupat, nō tam genio meo, quàm voluntati aliorum ſeruiēs Seorſum etiā, dum ſtudijs grauioribus quęro mihi ſolatium, non pauca ſcripſi emblemata, in quibus cecini mihi hactenus ac Muſis, de que ijs edendis nō ſū magnopere ſolicitus.

De

De Ænigmate & Anagrammatiſmo.

ET is ſanè locus me admonet, ijs faciam ſatis, qui pridem mihi aurem vellicarunt, ad hāc diſputationis inſtitutæ de ſymbolis perficiendam rationem, de affinibus ſymbolorum Aenigmatibus, atq; Anagrãmatiſmis; ſeu onomaſtrophia, quidpiam adijcerem. Verum de gryphis, ſeu ænigmatis, non eſt neceſſe hic commẽtari aliquid; & id nodi genus facilè permitto iis, quibus plus otii ſuppetat, & ingenij, vt qui in rebus obſcuris enodandis operam cum fruge aliqua locare poſſint. Quanquam enim emblemata longè multa videri ænigmatica poſſint, eo quòd doctrinæ reconditioris aliquid in ſe contineant: abſunt tamen non parum ab ænigmatis, & ſicuti res à verbis differunt. Alioqui de ænigmatum omni natura diſputationem adornare, hominis eſt vel egregiè ſolertis, vel non parum antiquarii, qui ve non aliunde occupatus poſſit ingenii aciem in aſpectum lucemq; proferre. Tantundem penè dixerim de tranſmutatis nominibus, in quibus bona pars ſtudioſorum hominum nimis operosè occupatur: & docti, indoctiq; his capiuntur aurium atq; oculorum illiciis, vt quamquam falli ſe interdum ſentiant, ludicro tamen, & ferè inani errore delectantur. Tamen in anagrammatiſmis non pauci ſudãt nitendo; alii poſt longam, certeq; faſtidioſam ἀκηδίαν, ſeu περιεργίαν, quam ſtrenuam inertiam Flaccus ait, nihil tamen proficiunt. Quid enim de iis, qui neſcio quid doctrinæ reconditæ in eiuſmodi putant eſſe litterarum metatheſi? Equidem non prorſus probo vel improbo ingenioſam iſtam litterarum miſtionem, dum quid γνώμικον in ſe habeat: ſed non ex eo mihi depoſcam palmarium, quia fieri poſſit, vt eiuſdem nominis & cognominis elementa flecti in contrarios ſenſus omninò poſſint: cuius rei exempla non pauca in plerifque virorum principum nominibus, nedum aliorum, in quibus variè contorquendis naſuti quidam & nimis otioſi luxuriant. Et hæc ſæculi noſtri ſcabies, vel opinio aſſentatrix, vt delicatus quiſq; ac nitidus ſuas laudes magis putet eſſe proprias ac peculiares, ex ſuo quęſitas anagrãmate, quaſi qui è ſuo fundo fruges eſſe meliores arbitretur.

Emblemata & Ænigmata differunt.

Anagrãmatiſmus artificium ad oſtentationem.

—— trahit ſua quemq; voluptas.

Nec faſtidio aliorum ſtomachum, meo diffiſus ingenio: ſed vereor ne nimia illa cura anagrammatum, nihil ferè aliud habeat quàm affectationem, & ſtudium vanitatis. Hic deſiſto, & ad alia, quæ magis inſtant, propero.

De emblemate.

PLERIQVE ſunt non ſatis acuti, qui Emblema cum Symbolo, cùm Aenigmate, cum Sententia, cum Adagio temerè, & imperitè confundant. Fatemur Emblematis quidem vim in ſymbolo ſitam eſſe: ſed differunt, inquam, vt Homo & Animal: alterum enim hic maximè generalius accipi, ſpecialius verò alterum, norunt omnes, qui aliquid iudicii habeant.

Emblema ænigma non eſt, quanquam interdum cum ænigmate aliquam ſimilitudinem habeat: Ratio enim quædam eſt apertior in Emblemate, propter notas, quę apertæ & perſpicuæ ſunt: Aenigma verò in verbis ambiguum eſt & obſcurum, vt etiam viros alioqui ſolertes & ingenioſos interdum longa mora teneat. At Symbolorum & Emblematum (de quibus maximè hic agimus) ratio debet eſſe clarior & apertior: vt quemadmodum ab iis imperiti arceantur, ſic docti homines aliquid habeant, in quo ingenium exerceant.

Emblematis & Ænigmatis differentia.

Neq; Emblema eſt γνώμη ſeu ſentẽtia, quanquam ſæpe Emblemata ſententias in ſe contineant: niſi fortaſſe qua ratione, Emblema ſumitur μετωνυμικῶς, pro epigrãmate ſeu explicatione Emblematis. γνώμη enim verbis exprimitur: &, niſi fallor, aliter γνώμη eſſe minimè poteſt, niſi pro eo vſurpetur, quod ἐνθύμημα diceremus. Emblema enim ſæpenumerò eſt ἄφωνον: nec ſemper neceſſe eſt in Emblemate eſſe adiectum epigramma. Denuq; vt vno verbo, Sententia & Emblema videntur mihi differre vt verba & res, ſeu ſigna quædam rerum, & res ſignatæ.

Emblematis & ſententiæ differentia.

Deniq; non eſt Adagium vel parœmia: quia Emblema eſt aliquid ingenioſè ab ingenioſis excogitatum, vt ita dicam: adagium verò ſermo eſt in ore omniũ verſans. In quo aduertendum, an ii acutè viderint, & non potiùs aberrarint, qui quaſcunque ſententias, adagia, ſimilia, apophthegmata, hiſtorias ad Emblemata poſſe reuocari cenſuerunt, quaſi ex re quauis Emblema cudi & confici deberet.

Adagij & Emblematis diſcrimen.

Super-

Supereſt itaq; Emblematis nomen explicemus, ſi prius Alciati verba ex Commentario in tit. De ter.& verbor. ſignific. appoſuerimus. *Verba ſignificant*, inquit, *res ſignificantur: tametſi & res quandoq; ſignificent, vt Hieroglyphica apud Orum & Charemonem, cuius argumenti & nos carmine libellum compoſuimus, cui titulus eſt EMBLEMATA.* Hæc ille.

EMBLEMA *quid, vnde dicatur; & quomodo id nomen propriè, quomodo figuratè accipiatur.*

DICITVR Emblema, quicquid in- *Emblema quid.* terſeritur ornatus cauſa, non modò parietibus & pauimẽtis, ſed & rebus aliis permultis, vt vaſis, pateris, veſtibus: cuiuſmodi ſunt clauiculi, aut imagines aureæ vel argenteæ, vniones & gemmæ, cæteraq; generis eiuſdem. *ζωωτὸν* vel *δαίδαλμα* dicitur Euſtathio, nempè ornamentum exemptile, quod innoxiè demi poteſt vaſis aureis vel argenteis, idemq; reponi. Id enim nominis deductum eſſe conſtat *παρὰ τοῦ ἐμβάλλεσθαι*, aut *ἐπιμβλῆσθαι*, quod eſt inſerere, interponere, vel iniicere. Antiquitus enim lapillis quibuſdam quadratis & minutè ſectis politiſque, in quibus eicones quædam intertextæ eſſent, ędes magnatum & Principum regiæ vt plurimum ornabantur, vt colligere eſt ex Pauſania, Plutarcho, Apuleio, Philoſtrato, & aliis pleriſq; cuius etiam rei vſum aliquem videmus in quibuſdam templis, tum ædibus publicis & priuatis, vt noſtra hæc ætas antiquitatis æmula pridem eſſe cœpit. Itaq; *μεταφορικῶς* hic Emblemata vocantur carmina, quibus imagines, agalmata, pegmata, & id genus alia ſcitè adinuenta, variè & eruditè explicantur. Sed & oratio variis verborum rerumq; pigmentis & lenociniis Rhetoricæ artis elaborata. Emblematis referta dici figuratè poteſt. Notum enim illud M. Tullii ex Lucilio:

Quàm lepidè lexeis compoſta vt teſſerula omnes
Arte, pauimento atq; emblemate vermiculato.

Verba ſunt Lucilii Poetæ Comici, apud quem Scæuola exagitabat Albutium, qui nimius eſſet in ornatu & ſtructura verborum: in quo non vitabat affectatum dicendi genus doctis auribus odioſum. Non poſſum ſubticere à M. Tullio Verrem reprehendi acerrimè, quod emblematum vim, quæ eſſet in Siculorum vaſis, abſtuliſſet: quodq; Suetonius ait, Tiberium elegantię verborum ſtudioſiorem, emblematis vocem aſpernatum in quodam patrum decreto: commutandum enim verbum cenſuiſſe, & pro peregrino Romanum conquirendum.

Emblema, vt accipitur à M. Tullio, & Vlpiano I. C. ornamentũ exemptile, quod pro hominum placito vaſis argenteis, vel aureis citra incommodum demi, rurſusq; reponi poteſt: cuiuſmodi ſigilla, aut rerũ, vel floſculorum, colorumve ſimulacra fabrefacta. Nempè *ἔμβλημα, ζωωτὸν, δαίδαλμα attachè pour orner les vaiſſeaux d'or ou d'argent*, vti rectè doctus Hadrian. Iunius. *χρυσένδετα*, Martialis, vaſa ex auro illigata, quæ cruſtas habent, aut torques ex auro nexiles, vt apud Baifium. Turnebus noſter gemmata vaſa, quæ conſertas auro gemmas, hoc eſt, *λιθίσκους χρυσενδέτους* teneant, expouit *χρυσένδετα*.

Cæterum pleriq; vel ſuſpicari, vel obiicere poterunt, hic ab Alciato Emblemata impropriè dici, cum ea carmina videantur potius expoſitiones eſſe & explicationes Emblematum, id eſt, eorum ſymbolorum vel ſimulacrorum, quæ ab antiquis petita hic magna parte repræſentat, & horum rationem tradit. Sed dicimus adiuncta non temerè aliquando ſubiectorum habere rationem metonymicῶs, & ſententiam vel epigramma dici poſſe, quod Emblema in ſe complectatur.

AD ALCIATI EMBLEMATA LAVDATIO,

Vice præfationis ad Emblematum explanationem

Habita Lutetiæ in regia Burgundionum ſchola, ix. Kal. Maias, 1576.

ETSI, AVDITORES optimi, non eſt meæ conſuetudinis, quo tempore ad aliquem egregium ſcriptorem explicandum aggredior, initio meæ profeßionis tam anxiè rationem reddere, cur hunc potiùs quàm illum ſumam in manus; propterea quòd ſtudioſis omnibus meam induſtriam & conſilium in officio meo perſoluendo, reiq; litteraria iuuanda probari iri confidam: tamen in hoc auctore certè nobili & acuto, ſed recenti nimis fortaſſe, vt mihi obijcitur, cauſa proponenda eſt, cur hunc enarrandum publicè, meiſq; commentarijs illuſtrandum inſtituerim, ne quid à me temerè & inconſulto factum eſſe videatur. Sunt enim nonnulli, non quidem mali & improbi, neq; alieni à literarum meliorum vſu & dignitate, qui dicant me non facere ſatis conſtanter, qui neſcio quo animo intermiſſis antiquis auctoribus, & ijs, à quibus ſolida puraq; doctrina petitur, mutato priore conſilio, ad recentiorem iſtum diuertam: ac ſi priſci illi ſapientes, & iam longa ſæculorum diuturnitate probati mihi non ſatis arriderent. Ego, Auditores, de me nihil poſſum excellens aut magnificum polliceri: ſed auſim tamen dicere, me non ita eſſe plumbeum, vt pulcram & vtilem veterum hominum doctrinam tam parui faciam, qui nullis vnquam laboribus & vigilijs peperci, vt ex eorum quaſi pomœrijs & fertilibus agris, ſtudiorum aliquem fructum tandem aliquando demeterem. Quia tamen ab ineunte ætate cognitionem rerum & antiquitatis (nedum verborum floſculos, in quibus alij permulti ætatem exigunt) mihi primùm comparandam eſſe duxi, operæ pretium me facturum putaui, ſi per varias melioris notæ ſcriptorum areas, libero & quieto animo exſpatiarer: nulloq; auctore inſalutato, qui aliquid ſelectioris doctrinæ habere videretur, copiam quandam vberem rerum, quæ cognitione digniſſimæ ſunt, mihi compararem, & è meliorum maximèq; locupletum, primæq; dignitatis hominum Græcorum & Latinorum fontibus meos hortos irrigarem. In quo negotio conficiendo nunquam in animum induxi meum, vt veteres potiùs quàm vetera conſectarer, atque ita quorundam religioni me addicerem, vt nullo iudicio in cuiuſdam magiſtri verba iurarem. E multis tamen quoſdam delibandos, non omninò deuorandos eſſe iudicaui: & ex ijs ea ſublegenda vidi, quæ ad ſtudiorum liberiorem progreſſum facerent: non modò vt qui lacunas ædium complent, quibus vnum ſtudium eſt, vt ea, quæ ſunt hiulca obturent; ſed vt locupletes lautiq; homines, qui cùm habeant quod eſt ſatis, & quibus vita ipſa carere tam facilè non poteſt, abundant etiam innumerabili, eaque varia rerum copia,

quippè

quippe qui ex magno aceruo quidpiam ſumere putent eſſe multò iucundius. Quod cùm dicere apud vos inſtituo, ſcio certè quàm facilius ſit ea de re initium præfandi reperire, quã exitũ: tamen ne videamur in immenſum tela iaculari, & de rebus, quæ ad inſtitutũ hoc noſtrum ſtudiũ non pertineant, longũ & odioſum proœmiũ texere, meam omnẽ orationem in duo capita conferã: quorũ primo, de Alciato quæ dicenda hoc tẽpore arbitror: altero verò de meo ipſius ſtudio atq; cõſilio pauca ſum dicturus; quæſo diligenter attẽdite.

STATIM vbi primùm ex pueris exceſſit Andreas Alciatus, atq; eas diſciplinas cœpit imbibere, quibus tenella ætas ad humanitatem ſolet informari, ad ius ciuile animum applicauit, primùm quidem Mediolani (nam ibi natus eſt loco nobili, & celebri vrbe & copioſa, doctisq; hominibus affluenti) naturæ bonitate celeriter omnibus antecellere ingenij gloria viſus eſt. Erat Italia his temporibus plena liberalium artium, in qua nempè ſtudia omnia, quibus ingenij cultus capitur, mirificè tum colebantur. Itaq; cum Alciati iam fama in aperto eſſet, ad quamcumq; ſe Academiam nobilem conferre vellet, ſic eius aduentus celebrabatur, vt famam ingenij expectatio hominis, expectationem ipſius aduentus admiratioq; ſuperaret. Quapropter hunc magna laude & ſumma omnium oblectatione apud ſe doctorem habuere Bononienſes, Ferrarienſes, Ticinij, eumq; ampliſſimis præmijs donauerunt: & omnes quotquot in Europa de ingenijs aliquid iudicare poterant, cognitione atq; hoſpitio dignum exiſtimarunt. Hac tanta nominis celebritate cùm eſſet etiam exteris notus, patriam primùm ſibi charisſimam armis & factionibus oppreſſam ad tempus deſerere cogitauit, & Auenione moras trahere maluit: quo loco profitendi munus ſibi demandatum, ſtipendio ſexcentorum ornatus, magna ſua laude ſuſtinuit. Deinde à Biturigum magiſtratibus accitus, ipſo etiam Rege Chriſtianiſſimo procurante, ſecundo quàm eo venerat anno, duplicatum habuit honorarium, & mille ducentis eſt donatus. Fuit illis temporibus iucundus Antonio à Prato Galliarum Nomophylaci, Ioanni Seluæ principi Senatus ampliſſimo, multisq; legationibus in primis illuſtri ac nobili: cultus tum à Budæo, tum ab Eraſmo, quorum alterum rariſſimum Franciæ lumen non iniuria poſſumus appellare, alterum, literatorum huius temporis in Germania primum: adamatus à Bembo, Cardinale doctrinæ laude commendatiſſimo: cultus deniq; ab omnibus ijs, qui virtutem & literarum gloriam adamabant; quos omnes, quamdiu vixit, deuinctos ſibi conſuetudine tenuit. Sed confecto tam longo itinere, à ſuo tandem Principe reuocatus (ferè fit enim, vt ipſa virtus in proprio & natali ſolo non niſi ſerò admodum cognita, ad extremum excipiatur, excepta reficiatur, refecta præmijs exornetur) à ſuo, inquam, Principe in patriam reuocatus, poſt ancipites variosque caſus & labores nomine publico exantlatos, in ordinem Senatorum honorificè cooptatus eſt; quam acceſſionem, vt ipſe affirmabat, ne quidem cogitans, honore omni maximo dignus, impetrauit. Eam verò præſtantiæ ingenij & eruditionis famam permultum auxit libris editis, quibus & ſuæ ætatis hominibus & poſteris conſulere ſibi propoſuerat. Et quidem intelligebat eos, qui verè docti eſſent, non ſolùm cum viui ſunt ac præſentes, ſtudioſos diſcendi erudire atq; docere, ſed hoc idem etiam poſt mortem monumentis literarum aſſequi. In quo ſuam fidem & ſtudium tam mirificè probauit, vt nullus hodie ſit eleganti & polita cognitione tinctus, quin huius ingenium ſuſpiciat. Neq; profectò hac parte video, quàm ſit æquum

opinio-

opinionem ſequi vel M. Antonij Oratoris, aut C. Lucilij, tametſi doctus & vrbanus à M. Tullio nominetur: Alter enim cur ſuas orationes edi nollet, probabilem rationem reddere ſolitus, id à ſe ita fieri dicebat, vt ſi fortaſſe quædam minimè alijs placerent, infitiari poſſet: alter verò, quæ ſcriberet, neq; à doctis, neq; ab imperitis legi velle: quod illi melius quàm ſe, hi autem nihil intelligerent. At qua fronte aliquis noſtrum artifici huic tam laborioſo ſuccenſere auſit? quis candido animo ſcripta non exceperit, quæ & doctis iucunda, & indoctis profutura ſunt? Neq; enim exiſtimandum nobis eſt, veriora illa & ſimpliciora cenſenda, quæ viua voce dicuntur, quæq; ſimulari, fingique poſſunt, quàm quæ omnium ſubiecta oculis, quaſi ad publicum quoddam examen proponuntur. Et hæc quidem, Auditores humaniſſimi, neceſſariò primum dicenda videbantur, ne quis fortè putaret, me illotis, quod dicitur, manibus aggredi auctorem velle tam lepidum, tamq; terſum & egregiè doctum, eumq; ſtudioſis adoleſcentibus proponere, niſi iuſtam aut certè probabilem conſilij mei rationem primum redderem. Occurrunt enim viri non imperiti quidem & ignari rerum, ſatisne conſtanter facere videar, qui relictis, aut certè ſepoſitis ijs auctoribus, qui priſco & meliore ſeculo floruerunt, vnum è recentioribus aſſumam potius, & ad eum explanandum aggrediar, cùm alios penè innumerabiles, eosq; maximè, quos poſteritas communi conſenſu approbauit, explicare hoc tempore, pro mea conſuetudine & ex officio, debeam. Ego verò, Auditores, non ſum is, qui veteres, vti iam dixi, potius quàm vetera eaq; præclara vnquam probarim: ac ſi antiquam & recoctam doctrinam, temporum ratione citiùs, quàm dignitate & vſu æſtimarem. Quis enim tam alienus eſt à recta ratione & iudicio, qui hominum ætatibus, non autem ſuo pretio aliquid æſtimandum, magniq; ducendum putet? Sed eò prolapſa eſt hominum inuidentia & cæca opinio, vt noua penè omnia, quamquam ſapientum iudicio præſtantiſſima, non modò faſtidiant, ſed etiam apertè damnent: quod idem ſuo ſeculo non temerè videtur ille conqueſtus:

Eſſe quid hoc dicam [*inquit*] viuis quòd fama negatur,
Et ſua quòd rarus ſecula lector amat?
Hi ſunt inuidiæ nimirum, Regule, mores,
Præferat antiquos ſemper vt illa nouis.

Quæ quamquam nos interdum moueant, retinenda tamen eſt cum rectè ſentientibus perpetua conſenſio, vt nunquam iniquis imperitorum quorundam opinionibus nos abduci patiamur. Quis enim Ennium, vel Pacuuium Virgilio? quis Lucano Andronicum Liuium? quis M. Tullij orationibus omni dicendi lepore ac copia tinctis, forenſes ac horridas actiones M. Catonis ſenioris anteponat? Equidem ſcio quàm non facilè ſe nouitas apud quoſdam inſinuet, vt honorificum aliquem locum obtineat: adeò

——nos noſtraq; liuidus odit.
——& niſi quæ terris ſemota, ſuisq;
Temporibus defuncta videt, faſtidit & odit:

non quòd rectius in ea re iudicium adhibeat, neq; quòd eo modo literarum dignitatem augeri velit; ſed quia non niſi ægrè patiatur ſe vltimo haberi loco, ſi res in certamen veniat: & induſtriam excitare ſe nihilo plus poſſe ſperet. At id quàm ab æquo & bono, quàm à recta ratione alienum?

Nam ſi tam Græcis nouitas inuiſa fuiſſet,
Quàm nobis, quid nunc eſſet vetus? aut quid haberet
Quod legeret, tereretq; viritim publicus vſus?

Quàm multi multa poßint obijcere, vltrò mihi in mentem venit: ex ijs enim moroſi quidam & tetrici caſtigatores, quæcumq; ſe vetuſtate commendant, ea penè ſola & in primis omni honore habenda putant: nouis auctoritatem omnem fidemq; detrahunt. In quo vt ſibi mirè placent, ita Plautinam cautionem in pergulis, in conuiuijs, in balneis, peneq; dixerim medio ipſo foro perſonant:

Qui vtuntur (*inquiunt illi*) vino vetere, ſapientes puto,
Et qui libenter veteres ſpectant fabulas:
Antiqua enim opera & verba cùm vobis placent,
Aequum placere eſt antiquas fabulas.
Nam nunc nouæ quæ prodeunt comœdiæ,
Multò ſunt nequiores quàm nummi noui.

Agnoſco, inquam, ego Comici verba, teneo mentem, ni fallor: non tamen boni illi viri mihi vnquam perſuaſerint, id in omne ſcripti genus eſſe torquendum, quod de ſolis fabulis Poeta ille perſpicuè & apertè pronunciauit. Quibus nimium ſeueris iudicibus vt non minus grauem quàm argutum opponam teſtem, Lyricorum principem Pindarum, quæſo, audiant: αἴνει παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων· *Vinum vetus laudandum eſſe vult, at etiam recentiorum flores hymnorum ſuam quoq; laudem mereri grauiter ac verè teſtatur. Ita quidem doctrinam veterem ac eruditam nullus non laudat: quis tamen floridas, vt ita dicam, recentium quorundam hominum ſcriptiones, & quaſi tenellas nouasq; Muſarum corollas labore ac ſtudio concinnatas non aliquo putabit honore dignas, non etiam debita ſua laude ornandas exiſtimabit? Vultis itaq; vno verbo dicam quod ſentio, Auditores, non poßum facilius quàm Plinij Iunioris arguta ſanè & opportuna ſententia: Sum ex ijs, qui miror antiquos, inquit ille; non tamen ita vt ingenia noſtrorum temporum deſpiciam: neq; enim in gignendis optimis laſſa eſt & quaſi effeta natura. Sit ergo recens Alciatus, dum tamen antiquam eius doctrinam eſſe conſtet. Quid enim excellentem illam, & eruditorum omnium calculis probatam prudentiam Iuris, quid eloquentiam, qua alijs præſtitit, in medium adducam? Sic enim iam olim non temerè didicimus hanc pulcherrimam Iuris dicundi facultatem reuera* πολυμαθίαν *eſse, & multiplicem atq; vberem rerum optimarum peneq; innumerabilium cognitionem, veram profectò & in actione poſitam, non vmbratilem quandam & in puluere latentem decertationem, ſed in omnium oculis ac luce poſitam ſapientiam. Quid loquar de Alciati admirabili dicendi peritia, deq; literarijs monumentis ab eo editis, quæ omnia non augeri verbis, nedum illuſtrari poſſe certò ſcio? Quanquam enim quidam è veteribus eleganter & acutè dixerit, facillimum eſſe laudare Solem, cum vbique præſto & ſemper eſſe poſſint laudationum argumenta penè innumerabilia: Ita cum difficilia non ſit hominem commendare, in quo tot egregiæ animi dotes eluceant: mihi tamen verendum eſt, ne quis obijciat illud olim à Phauorino nobili philoſopho vſurpatum. Vituperari ſatius eſſe, quàm remiſſè laudari. Adde, quòd ſi mihi aliquando ſtatuendum eſſet, vt Alciatum quadam inſigni meritaq; laudatione exornarem, putarem*

equidem

equidem non alio eloquendi genere mihi opus eſſe, quàm eo, quo celebritatem nominis Alciatus eſt conſecutus: vt qui olim ad laudandum commodè Pindarum, non alia quã Pindari lyra ſibi opus eſſe cenſebat. Quamobrem ſi certò teneam, nunquam, aut rarò admodum, parem gloriam eſſe in dicente vel ſcribente, atq; in eo, cuius laudes oratione celebrantur: tamen rei difficultate nullo modo deterritus, non poſſum quin pro ingenij mei tenuitate Alciatum commendem: quod ipſum tamẽ cum pro tantilla mea facultate vix conſequor, vt certè cuperem, huius meæ vocis teſtes aduocabo potentiſſimas & nobiliſſimas in Europa gentes, à quibus raram & exactam Doctoris huius ornatiſſimi eruditionem probatam fuiſſe à patribus accepimus. Primùm, teſtis eſt Italia, bonorum ingeniorum parens, quæ hunc Ferrariæ, Bononiæ, Ticini, ſumma omnium admiratione de ſuggeſtu fulminantem, ius ciuile magno applauſu, pariq; auditorum concurſu & frequentia docentem audiuit. Teſtis Gallia, quæ eum Biturigibus per quinquennium aluit regijs allectum ſtipendijs. Teſtis Germania, quæ præ cæteris ſemper induſtrios & ſollertes homines habuit; quorum opera factum, vt literarum cultus & exercitatio, pridem extincta Gothorum incurſionibus, cœperit hac tandem mundi ſenectute reuiuiſcere. Teſtes exteræ nationes omnes, in quibus tamen eſt aliqua humanitas atq; inſtitutio liberalis: quæ omnes vno ore, vnoq; conſenſu Alciatum excipiunt, ambabus, quod aiunt, vlnis amplexantur, adamant, exornant. Et certè ea fuit egregij hominis Suadela, vt etiam populos immanitate barbaros, multitudine innumerabiles, ſic etiam exteros abſentes demulſerit, vt mirer hoc penè vno Italo iuris ſtudium fuiſſe diuinitus excitatum. Quæ cùm dico, non eſt quod veſtrum quiſpiam exſpectet à me, vt nobiles huius noſtræ ætatis Iuris doctores inter ſe conferam, neq; enim id meum eſt: & quamquam mihi permiſſum ac conceſſum eſſe videretur, tamen ſcio in primis id & permoleſtum & odioſum ijs, qui ſeſe poſtponi alijs non tam facilè ferunt, quiq; vel ingenio, quod ait ille, cedere nolunt: in quo ſi putarem eos ne verbo quidem mihi fore moleſtos, tamen vt verè & ingenuè fatear; ——non meus audet

Rem tentare pudor, quam vires ferre recuſent.

Sed quid immoror in ijs, quæ omnibus eruditis hominibus probata eſſe confido? Enimuerò, Auditores, non eſt mihi animus calculum adijcere meum ad eas diſputationes, quas magna ſua laude ſcripſit Alciatus ad Ius illuſtrandum; de Emblematum libello nunc temporis habeo dicere; de eo inquam libello, qui, vt vident omnes, perexiguus eſt, ſi molem ſcripti conſideremus; at magnus certè & locuples & ornatus, ſi pretium, ſi dignitatem, ſi officinam rerum omnium ſelectiſsimarum, quæq; ſtudio & cognitione omninò dignæ ſunt, egregiè inſtructam: ſi, vt vno dicam verbo, bonorum mare aduertamus. Auſim equidem affirmare, nihil omnino eſſe quod philologi alioqui moroſi in eo deſiderent. Sunt enim non pauci, qui longiores verborum ambitus, qui prodigioſas, vt ſic dicam, foliorum & paginarum amplitudines, qui prolixam in doctrina farraginem non temerè faſtidiant. Quis enim tam patienti animo eam librorum molem euoluerit? An tantum nobis relictum eſt temporis? an otij? an vitæ denique, quam tamen breuiſſimam eſſe datam nemo non conqueritur, vt ad alia etiam præclara, & in quibus plus vtilitatis eſſe intelligimus, non primo quoque tempore properemus? Rectè Callimachus ille Grammaticus, & iure quidem dicebat, magnum librum, magnum eſſe malum: vt intel-

ligamus homines inſigni reuera magnoq; damno mulctari, quibus libri tam multi atq; ampli euoluendi proponuntur. At vt permulti ſunt, qui prolixitatem auerſentur, ſic profectò alij quidam nominari hoc loco poſſent non illiterati, non inertes, neq; postremo in numero ponendi, qui ſimilitudinem, ſatietatis matrem, vt crambem bis malè recoctam planè refugiant. Quid enim de ijs loquar, qui ægrè admodum ferunt ſibi quaſi onus quoddam grauiſſimum impoſitum humeris, vt è multis multa conquirant, & non niſi labore indefeſſo moleſtoq; ſtudia perſequantur? Sunt etiam permulti auctores, qui manibus teruntur, in quibus ſingulis non niſi fortaſſe ſingulas virtutes reperire eſt: adeò nihil ab omni parte beatum, aut omnibus abſolutum perfectumq; numeris reperiri à nobis poteſt. Scio alios quoſdam doctos & vtiles eſſe libros, è quibus res memoria dignas exprimimus: alios, qui verborum puritatem & elegantiam doceant: alios deniq; qui nonnunquam vtile dulci permiſceant. Nihil dico de ijs, qui nihil niſi ſpinas habent; aut ijs, qui propter obſcurum dicendi genus, aut inſperſas opiniones erroneas pium & cordatum lectorem ſæpenumero à legendo reuocant. Quis verò in hac Emblematum officina, & quaſi locuplete rerum optimarum penu breuitatem non laudet? quis varietatem rerum iucundiſſimam, & exactam pulcramq; copiam non amplexetur? quis multiplicem vnius libelluli theſaurum exigua mole comprehenſum non putabit excolendum, & nocturna diurnaq; manu verſandum? Ut enim de prima illa virtute, quæ breuis eſt, primo loco: certè Homerus ingeniorum vertex, quos egregios & ſapientes viros effingit, eoſdem etiam in dicendo parcos eſſe dicit: quantumq; mea mens diuturna lectione repetere poteſt, & veterem hiſtoriam recordari, non ægrè reperio, quamdiu manſerunt incorrupti hominum mores, ſermonem fuiſſe parciſſimum & breuiſſimum. Quod ijs perſpicere facillimum erit, qui priorum temporum auctores cum ijs, qui poſteri ſucceſſerunt, vnà conferre volent: vt Orpheum, Linum, & alios cum Homero, cum Heſiodo; Socratem, Platonem cum Chryſippo; cum Galeno Hippocratem. Ueterum enim ſapientum fuere ſententiæ perbreues, quaſi decreta quædam & placita, vt illa celebrata omnibus Pythagoræ ſymbola, Socratis, & aliorum quorundam ſapienter & argutè, doctè grauiterque reſponſa, quæ hodie circumferuntur, quibus quid eruditius? quid neruoſius? quid admirabilius? Nihil dico de Solonis legibus Athenienſium, Lycurgi Spartanorum; nihil de duodecim Tabulis, quibus mira breuitate contractis tam diu Romani vſi ſunt, vt non videam quid amplius poſteris acceſſerit, cùm Philoſophia primum loquax eſſe cœpit: vt ad rem Poetæ illud hoc loco exclamare lubeat,

—laudato ingentia rura, Exiguum colito.

Prætermiſeram Epictetum, in quem permulta confertur laus, quòd duobus verbis, ἀνέχου καὶ ἀπέχου, vniuerſam Philoſophiam complexus eſt. Quod tamen ita nolim ſeuerè accipi, vt omnino exulare velim dicendi copiam, non vtilem modò, ſed etiam neceſſariam: at vt veſtrum quiſq; intelligat, Alciatum ſua illa breuitate concinnum & gratum omnibus non iniuria videri. Iam verò quis breuem illam & argutam priſcæ doctrinæ ſyluam non pluris habendam ducat, quàm immanes ſcriptorum quorundam paginas, quæ mihi perinde videntur ac cibi neſcio qui, ex quibus alimenti minimum, reliquiarum multo plus, vt in cochleis & teſtudinum genere, capitur? Sed pergamus quæſo ad varietatem illam, quæ ſe commendat, quæ in delicijs habetur, quæ ſtudioſos paſcit animos,

mos, quæ eruditam cogitationem ſuſpenſam tenet. Quod cum meditor vnà mecum, exiſtimo eos ineptos eſſe minimeq; diligentes, qui ſemper idem aut legunt, idemq; ſemper canunt, neq; varietate rerum, quam nobis natura ipſa commendauit, ingenium perpoliunt. Quid enim morer Senecæ, acuti hominis, vita tamen inſtituto planè Stoici, monitum conſiliumq; grauiſſimum, quo non obſcurè variam lectionem, vt alienam à ſtudijs inſectatur? Reuera hic magni nominis Philoſophus non ſine iudicio videtur ſuam ea de re ſententiam dixiſſe: ſed nos naturæ certiſſimum quoddam præſcriptum ſequimur, eiq; paremus: quo nomine nullus eſt, opinor, qui nobis moleſtus eſſe debeat. Nam quocumque oculorum aciem flectamus, quamcumq; in partem ſeſe mens humana recipiat, multiplex & varium non tam numero, quàm infinitate diſtinctum deprehendemus. Plantarum enim, florum, herbarum magna eaq; admirabilis eſt in omni genere varietas: tam diuerſa animalium facies, ea colorum certè innumerabilium diſtinctio: imò verò terram ipſam videmus hac parte montibus eminentem, illa vallibus lacunoſam, fontium quadam perennitate, fluminum, lacuum, vaſtoq; Oceano irriguam, & certè à terra ſecretam, vt ipſa ſui maximum omnibus vbiq; ſpectaculum præbere videatur. Cuius naturæ tam ſapientis & prouidæ ſollertiam, homines ingenio maximè, & arte feliciter æmulati ſunt, ijs præcipuè rebus, quæ litterarum monumentis continentur. Etenim rectiſſimè putarunt ingenium humanum non eſſe ita ſterile & infecundum, & quaſi cancellis circumcluſum, vt ſua vi non continere poſſet ea omnia, quæ abundans & opulenta natura educere voluiſſet. Ne tamen vos morer pluribus, Auditores, ſi conferre libeat hunc tantillum libellum cum alijs longè plurimis: & ſi maturè iudicium adhibere par ſit, quis non capietur admiratione, vbi obſeruarit in eo vno innumerabiles opes contineri, quæ non niſi magna difficultate ſummoq; ſtudio in permultis alijs commodè obſeruari poſſint? Vt enim id aliqua parte reuocem quaſi ad calculos, in Alciato puram, terſam, & antiquam dictionem nullus, vt opinor, deſiderabit: acumen logicum non abeſt à præclara illa fabrica & inuentione rerum tam multarum: non iudicium & ordo, quo res tam variæ colligerentur: non hiſtoria rerum permultarum: non philoſophia morum & naturæ, quæ tota in omnibus Emblematis occupatur, vt quemadmodum in Homero pleriq; veterum dixerunt eſſe diſciplinarum omnium officinam quandam locupletem; ita in Alciatum vberrimè concurrunt, quæ hominis eruditi & ingenioſi laudatam aliquam ideam poſſint effingere. Quæ certè omnia non ideo à me dicuntur, vt aliquis veſtrum putet, me tam libera & aperta laudatione meos qualeſcumq; in hunc auctorem labores venditare cupere: quod profectò quàm alienum ſit à meo ſenſu, facilè quiuis intelliget, ſi verecundum animum meum, ſi meæ vitæ rationem, ſi minimum peneq; nullum ſtudiorum progreſſum viderit. Neq; verò is ſum, qui Alciati, viri certè maximi, dignitatem raramq; doctrinam cum mea tenuitate conferre audeam. Ille enim vir πολυΐστωρ καὶ πολυμαθὴς iocando libere, relaxandoq; animum, Emblemata omni ſale & lepore Attico tincta effudit: nos induſtria, ſtudio, cogitatione, ſenſu deniq; omni nullum non lapidem mouemus, vt ſi pro dignitate non poſſumus ad vmbilicum perducere quæ cogitamus, ſaltem tamẽ admiratione quadam rapti, coniectanea noſtra qualiacumq; potius, quàm ſeriæ doctrinæ fructum aliquem proponamus. Ille, vti ſe res offerebat (quando maxime à Iuris profeſſione honeſtam & liberam ceſſationem impetrabat) in medio ſuo otio negotium litera-

vium conſectatus, rem quidem pulcherrimam, dignamque omni regio apparatu, eruditorum hominum oculis ſpectandam propoſuit: ego verò, vt libelli huius guſtum aliquem meo arbitratu perciperem, innumerabiles penè auctores Græcos et Latinos aliqua, quod certè audeo dicere, diligentia & voluptate animi deuoraui, eamque continuam operam in perquirendo fixi atque locaui, vt qui Siſyphus verſat ſaxum, ſudans nitendo, ſed neſcio tamen an hilum profecerim. Et hæc mea certè mens, ea cogitatio, id iudicium, Auditores, vt cùm ea de re apud vos tam liberè verba faciam, poſſim adoleſcentiæ lapſum deprecari. Fateor enim neſcio quo ætatis feruore ante annos ſeptem contuliſſe & ſublegiſſe me in libelli quandam formam aliquas minutias, quas cùm amicis aliquot meis oſtendiſſem, mihi auctores fuerunt, vt de ijs edendis tum primùm cogitarem, & in publicam edi lucem paterer. Id certè, ne quid ego diſſimulem, mihi tum valdè placuit, vt qui meorum ſtudiorum aliquod vel minimum ſpecimen non ægrè ferrem ſtudioſis eſſe conſecratum: ad eamq; rem citiùs quàm licebat, neque tam maturè, vt oportebat, ad Chriſtophorum Plantinum, ciuem Antuerpienſem, regium typographum, ſcripſerunt amici meo nomine, vt quemadmodum is ipſe mihi coram pro ſua facilitate primum hic Lutetiæ pollicitus erat, deinde per litteras idem non inuitus confirmarat, libellus prælo committeretur: quod tamen, vbi exemplar ad eum miſiſſem, penè omnino ἀντίγραφον, & reuera κακόγραφον, diuturna & moleſta negotiorum mole auocatus, tam citò præſtare non potuit, vt ipſe conſtituerat. Sed ea tandem edita ſcholia, immatura penè omnino, neq; digna ſatis quæ hoc tempore, tam eruditis hominibus abundanti, lucem ferrent: tamen excepta cum applauſu à ſtudioſis, mihi animos admouerunt, vt quæ inculta parumq; terſa eſſe ſcirem, ſumpto quodam otio libero corrigerem. Meæ itaque partes ſunt, vt cùm mihi tam gratos eruditorum hominum animos expertus ſim, qui pro eo labore, alioqui tenui, gratias mihi non ſemel habuerunt, de caſtiganda illa editione cogitem: tum vt reſpondeam hominum de me bene meritorum exſpectationi, tum vt adoleſcentum ſtudia quacunque tandem ratione iuuare pergam. Quod negotium citiùs confeciſſem, & alacri ſtudio maturaſſem, niſi profeſſionis meæ continua cura & laborioſa contentio, in qua ceſſatori eſſe non licet, me penè omninò à ſubſeciuis ſtudijs abſtraxiſſet: niſi, inquam, me toto iam ſexennio exercuiſſet. Neque verò tam facile eſt ei, qui noſtræ huius profeſſionis munus ſuſtineat, animum ad res tam varias & multiplices applicare: quem certè magnum & arduum laborem ſi qui tam facilem eſſe putant, vehementer admodum errant. Nullus enim planè animus eſt vel adeò rectè à natura informatus, vt hoc quicquid eſt, quod facere debemus ex officio, qui non modò agendo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſſam eſſe vllam putatis, cur in tanto honore, quo maximè artes aluntur, tam pauci reperti ſunt hactenus, qui in hac profitendi laborioſa contentione pro dignitate verſati ſint? Non eſt longè repetenda ratio: ſunt enim omittendæ voluptates, prætermittendæ ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuia, confabulationes omniũ penè familiarium deſerendæ: quæ res vt plurimũ ardua & difficilis, in hoc genere homines à labore honeſtoq; conatu ſtudiorũ humanitatis auocat, & interdũ omnino abſtrahit. Non longè abiero, dicamq; hoc tẽpore quod tacitus nullo modo prætermittere poſſum: noſtra hæc profeſſio lõge grauior eſt, magiſq; ſeria, quàm ſuſpicari vnquam aut percipere poſſunt, qui dolium hoc numquam volutarunt.

runt.

runt. Nulla ſiquidem ars eſt digna hominis liberaliter educati ſtudio,cuius non aliqua cognitione oporteat tinctum eum eſſe,qui munus hoc aliqua laude & hominum approbatione ſuſtinere meditetur. In quo ego docendi munere obeundo quantò magis in dies prouehor, tanto etiam magis intelligo quàm abſim à perfectione ſummorum operum, huiusq; profeſſionis dignitate: vt quamquam videar pleriſq; nunc extra laboris aleam poſitus aliqua mea induſtria & exercitatione, imò verò hominum eruditorum approbatione:tamen haud dubiè fateri cogar,me fundamenta,quæ cogito, nondum bene iecisse. Et hæc quidem quamquam veriſſima eſſe conſtet, ſcio tamen quàm imperitis & parum cautis adoleſcentibus arrideant exoterica potius quàm acroamatica: quàm placeant,non ſollertes & induſtrij,non laborioſi & ingenui doctores, ſed clamoſi quidam & importuni ardeliones, vt etiam fumorum venditores,qui audacia quadam impudenti & intolerabili,iuuentutem ſibi deuinciunt, eoque nomine literarum gloriam inſigni quodam faſtu complere non verentur. Quid enim nos,nos inquam laborioſi & induſtrij, non vbicumq; faci ſcholaſtica probamus? quia faſtum omnem præcludimus; quia malumus ſtudere vtilitati audientium quàm voluntati; non pendemus ab aura populari; huic multorum capitum belluæ non obſequimur. Et hinc illæ lacrymæ, Auditores, vt nemini mirum ſit,cur etiam Iupiter ipſe,vt eſt in adagio vetere,ne quidem placere omnibus poſſit. Sed vna tamen optimè factorum conſcientia,& doctorum quorundam hominum de noſtris ſtudijs grauiſſimo iudicio ſuſtentamur atq; animum colligimus:quamquam nihil ſit quod me pœnitere debeat, vt eorum hominum,qui ab euentu metiuntur omnia,fortunam incuſare velim. Licet enim minimè gloriari poſſim, vt ille,cui mille Siculis errabant in montibus agnæ:neq; cantare audeam,quæ

—ſolitus ſi quando armenta vocaret
Amphion Dircæus in Actæo Aracintho :

tamen mea ipſe ſorte contentus,ſi fas eſt,ſi licet, Auditores,dicam ingenuè:

Non ſum adeò informis:nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis ſtaret mare. Numquam ego Daphnim
Cantando metuam,ſi nunquam fallit imago.

Sed iam nimis multa de me:in qua nimirum commemoratione, vereor ne quis exiſtimet me meas merces alienis nominibus velle carius vendere. Quod ſi facio, mei planè ſum immemor, vt qui naſutis hominibus me ridendum propinem. At ne patiar vos hinc non ſatiatos diſcedere,neve aberrem à ſcopo,quem mihi primum propoſueram,vtque vno quaſi faſce complectar,quæ hactenus à me dicta ſunt,quæſo, ſtudioſi Adoleſcentes (vos enim iam alloquor,in quorum gratiam noſtri hi labores inſtituti ſunt)quæſo,inquam,noſtri huius auctoris antiquam doctrinam diligenter obſeruemus & exoſculemur: peritiam iuris admiremur: eloquentiam conſectemur : ſuccinctum dicendi genus eodem cum doctis hominibus conſenſu approbemus: varietatem certè gratiſſimam iucundiſſimamq; venemur:cuius ſingulas easq; admirabiles virtutes ſi penitius intuemur, theſaurum habemus nullo auro nulliſq; gemmis conferendum: multoq; magis admirabilem,ſi eius vnius ſelectiſſimas doctrinæ gemmas cum aliorum vel certè permultorum floſculis comparemus. In quo Emblematum libello mea qualicumq; commentatione illuſtrando,non puto me omnino malè bonas horas collocaſſe: quamquam id dictum nolim,

vt

vt cornicibus, quod aiunt, configam oculos, aut me apud vos efferam impenſius, quod neq; veſtra de me expectatio, neq; meus pudor vnquam pateretur. Sed hoc vnum contendo: excuſetur, quæſo (id enim mihi non ſemel deprecādum) excuſetur, inquam, nimius adoleſcentiæ meæ feruor, qui libellum quaſi è nido implumē, vt ita loquar, & vt immaturum fetum emitti permiſerim: excuſetur deniq; nimia fortaſſe tarditas, quæ effecit vt nondum ſatis mihi facere potuerim, neq; ſupremam admouere manum in eo diligēter emendando, eo quòd continuum mearum prælectionum penſum ab eo, quod tam diu mihi propoſueram, me diutius auocarit. Sic enim mihi firmo quodam animi propoſito ſtatui, vt quamdiu mihi liberè ac quiete verſari hac in Academia licuerit, efficiam, vt qui eruditis hominibus rationem mei ocij conſtare velim. Quid enim verear apud vos meas hic fateri delicias? Adoleſcentes optimi,

Muſæ noſter amor Permeſſides.

In quarum ſtadio quamquam moleſto & ærumnarum pleno, honeſto tamen & laudabili, ſic me contineo, ſingulari Dei beneficio, vt nullus vnquam fuerit adoleſcens, qui me toto iam ſexennio profitentem de ſuggeſtu audierit, cui tamen modeſtia commendata ſit, cui honeſti cultus, cui deniq; humanitatis literæ, qui idem mihi ex animo non fuerit obſecutus. Nihil moror aliorum ſtudia & labores certè multos ſollicitudinum plenos; per me licet, oblectentur alij cæcis quibuſdam cupiditatibus: alij fori iurgia conſectentur, hi rei militari, aut mercaturæ faciundæ totos ſeſe dedant, alij lucris inhient, & opima ſacerdotia vel prece, vel pretio, ſi poßint, aucupari non deſinant:

Me verò primùm dulces ante omnia Muſæ,
Quarum ſacra fero, ardenti perculſus amore,
Accipiant, cœliq; vias & ſidera monſtrent.

DIXI.

INDEX

EMBLEMATVM IN LOCOS COMMUNES ad ſtudioſorum commoditatem digeſtorum.

Numerus prior ordinem Emblematis, alter paginam denotat.

Præfatio 1.
1 Inſignia Ducatus Mediolanenſis. 9.
2 Mediolanum. 18.
3 Nunquam procraſtinandum. 23.

DEVS SIVE RELIGIO.

4 In Deo lætandum 26.
5 Sapientia humana, ſtultitia eſt apud Deum. 33.
6 Ficta Religio. 40.
7 Non tibi, ſed Religioni. 46.
8 Quà Dij vocant, eundum. 52.

VIRTVTES.

FIDES.

9 Fidei Symbolum 56.
10 Fœdera 60.
11 Silentium 65.
12 Non vulganda conſilia 71.
13 Nec quæſtioni quidem cedendum. 76.

PRVDENTIA.

14 Conſilio & virtute Chimæram ſuperari, hoc eſt, fortiores & deceptores. 81.
15 Vigilantia & Cuſtodia 85.
16 Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. 91.
17 Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; 102.
18 Prudentes. 108.
19 Prudens magis quam loquax. 112.
20 Maturandum. 116.
21 In deprehenſum 120.
22 Cuſtodiendas Virgines 122.
23 Vino prudentiam augeri. 129.
24 Prudentes vino abſtinent. 135.
25 In ſtatuam Bacchi. 138.
26 Gramen. 151.

IVSTITIA.

27 Nec verbo, nec facto quemquam lędēdum. 157.
28 Tandem, tandem iuſtitia obtinet. 162.
29 Etiam ferociſſimos domari 167.
30 Gratiam referendam. 172.
31 Abſtinentia à *muneribus capiendis*. 176.
32 Bonis à diuitibus nihil timendum. 179.

FORTITVDO.

33 Signa fortium. 185.
34 Ἀνέχου καὶ ἀπέχου. 190.
35 In adulari neſcientem. 193.
36 Obdurandum aduerſus vrgentia. 198.
37 Omnia mea mecum porto. 203.

CONCORDIA.

38 Concordiæ ſymbolum 207.
39 Concordia 210.
40 Concordia inſuperabilis 213.
41 Vnum nihil, duos plurimum poſſe. 216.
42 Firmiſſima conuelli non poſſe. 219

SPES.

43 Spes proxima 224.
44 In ſimulacrum Spei. 227.
45 In dies meliora 232.
46 Illicitum non ſperandum. 235.
47 Pudicitia. 236.

VITIA.

PERFIDIA.

48 In victoriam dolo partam. 239.
49 In fraudulentos. 241.
50 Dolus in ſuos. 245.
51 Maledicentia. 248.
52 In receptatores ſicariorum. 251.
53 In adulatores. 255.
54 Ei, qui ſemel ſua prodegerit, aliena credi non oportere. 258.

STVLTITIA.

55 Temeritas. 261.
56 In temerarios. 264.
57 Furor & rabies. 268.
58 In eos, qui ſupra vires quidquam audent. 270.
59 Impoſſibile. 273.
60 Cuculi 275.
61 Veſpertilio. 279.
62 Aliud de eodem 281.
63 Ira 285.
64 In eum, qui ſibi damnum apparat. 289
65 Fatuitas. 292.

66 Ol;.

66 Obliuio paupertatis parens. 294.

SVPERBIA.

67 Superbia 296.
68 Impudentia. 302.
69 φιλαυτία. 305.
70 Garrulitas. 313.
71 Inuidia. 316.

LVXVRIA.

72 Luxuria 321.
73 Luxurioſorum opes. 325.
74 Tumulus meretricis. 329.
75 In amatores meretricum. 333.
76 Cauendum à meretricibus. 335.
77 Amuletum Veneris. 340.
78 Inuiolabiles telo Cupidinis. 343.
79 Laſciuia. 348.
80 Aduerſus naturam peccantes. 353.

DESIDIA.

81 Deſidia. 356.
82 Deſidiam abijciendam. 360.
83 In facilè à virtute deſciſcentes. 363.
84 Ignaui 366.

AVARITIA.

85 Auaritia. 369.
86 In auaros. 373.
87 In aulicos. 377.
88 In ſordidos. 380.
89 In diuites publico malo. 382.
90 In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur. 385.

GVLA.

91 Gula. 389.
92 Ocni effigies. 393.
93 In paraſitos. 396.
94 Paruam culinam duobus ganeonibus non ſufficere. 399.
95 Captiuus ob gulam. 401.
96 In garrulum & guloſum. 403.
97 Doctorum agnomina. 405.

NATVRA.

98 Natura. 409.
99 Ars Naturam adiuuans. 414.
100 In Iuuentam. 418.
101 In quatuor anni tempora. 420.

ASTROLOGIA.

102 Scyphus Neſtoris. 423.
103 Quæ ſupra nos, nihil ad nos. 426.
104 In Aſtrologos. 432.
105 Qui alta contemplantur, cadere. 438.

AMOR.

106 Potentiſſimus affectus amor. 441.
107 Potentia Amoris. 447.
108 Vis amoris. 450.
109 In ſtudioſum captum amore. 453.
110 ἀντέρως, id eſt, Amor virtutis. 457.
111 ἀντέρως, Amor virtutis, alium Cupidinem ſuperans. 461.
112 Dulcia quandoq; amara fieri. 466.
113 Ferè ſimile ex Theocrito. 469.
114 In ſtatuam Amoris. 473.
115 In obliuionem patriæ. 484.
116 Sirenes. 487.
117 Senex puellam amans. 495.
118 In colores. 499.

FORTVNA.

119 Virtuti fortuna comes 507.
120 Fortuna virtutem ſuperans. 512.
121 Paupertatem ſummis ingenijs obeſſe, ne prouehantur. 520.
122 In Occaſionem. 525.
123 In ſubitum terrorem. 529.
124 In illaudata laudantes. 532.
125 In momentaneam felicitatem. 538.
126 Ex damno alterius, alterius vtilitas. 541.
127 Bonis auſpicijs incipiendum. 545.
128 Nihil reliqui 548.
129 Malè parta, malè dilabuntur. 554.
130 Semper præſtò eſſe infortunia. 557.
131 Remedia in arduo, mala in prono eſſe. 560.

HONOR.

132 Ex arduis perpetuum nomen. 564.
133 Ex litterarum ſtudijs immortalitatem acquiri. 568.
134 Tumulus Ioannis Galeacij Vicecomitis. 572.
135 Optimus ciuis. 576.
136 Strenuorum immortale nomen. 581.
137 Nobiles & generoſi. 585.
138 Duodecim certamina Herculis. 592.
139 In nothos. 600.
140 Imparilitas. 603.
141 In deſciſcentes. 606.
142 Aemulatio impar. 608.
143 Albutij ad Alciatum, ſuadentis, vt de tumultibus Italicis ſe ſubducat, & in Gallia profiteatur. 611.

PRINCEPS.

144 Princeps ſubditorum incolumitatem procurans. 615.
145 In Senatum boni Principis. 618.
146 Conſiliarii Principum. 623.
147 Opulentia tyranni, paupertas ſubiectorum. 627.
148 Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus. 630.
149 Principis clementia. 632.

RES-

RESPVBLICA.

150 Salus publica. 637.
151 Reſpublica liberata. 641.

VITA.

152 In vitam humanam. 646.
153 Aere quandoque ſalutem redimendam. 651.

MORS.

154 Cum laruis non luctandum. 654.
155 De Morte & Amore. 657.
156 In formoſam fato præreptam. 661.
157 In mortem præproperam. 663
158 Terminus. 667.
159 Opulenti hæreditas. 673.

AMICITIA.

160 Amicitia etiam poſt mortem durãs. 676.
161 Mutuum auxilium. 680.
162 Auxilium numquam deficiens. 682.
163 Gratiæ. 686.

HOSTILITAS.

164 In detractores. 691.
165 Inanis impetus. 695.
166 Aliquid mali propter vicinũ malũ. 698.
167 In eum, qui truculentia ſuorum perierit. 701.
168 ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. 705.
169 A minimis quoq; timendum. 709.
170 Obnoxia infirmitas. 711.
171 Vel poſt mortem formidoloſi. 714.

VINDICTA.

172 Iuſta vindicta. 718.
173 Iuſta vltio. 722.
174 Parem delinquentis & ſuaſoris culpam eſſe. 725.
175 Alius peccat, alius plectitur. 728.
176 Inſani gladius. 731.

PAX.

177 Pax. 734.
178 Ex bello pax. 737.
179 Ex pace vbertas. 742.

SCIENTIA.

180 Doctos doctis obloqui nefas eſſe. 747.
181 Eloquentia fortitudine præſtantior. 751.
182 Facundia difficilis. 758.
183 Antiquiſſima quæq; commenticia. 760.
184 Inſignia Poetarum. 767.
185 Muſicam Diis curæ eſſe. 773.
186 Littera occidit, ſpiritus viuificat. 780.
187 Dicta ſeptem Sapientum. 785.

IGNORANTIA.

188 Submouendam ignorantiam. 796.
189 Mentem, non formam, plus pollere. 803.
190 Diues indoctus. 806.

MATRIMONIVM.

191 In fidem vxoriam. 812.
192 Reuerẽtiam in matrimonio requiri. 817.
193 In fœcũditatem ſibi ipſi damnoſam. 822.
194 Amor filiorum. 824.
195 Pietas filiorum in parentes. 828.
196 Mulieris famam, non formam, vulgatam eſſe oportere. 832.
197 In Pudoris ſtatuam. 838.
198 Nupta contagioſo. 842.

ARBORES.

199 Cupreſſus. 848.
200 Quercus. 852.
201 Salix. 855.
202 Abies. 857.
203 Picea. 859.
204 Cotonea. 861.
205 Hedera. 865.
206 Ilex. 868.
207 Malus Medica. 870.
208 Buxus. 873.
209 Amygdalus. 875.
210 Morus 879.
211 Laurus 881.
212 Populus alba. 886.

INDEX ALTER
EMBLEMATVM IN ORDINEM ALPHABETICVM DIGESTORVM.

Numerus prior Emblematis, poſterior paginæ eſt.

Abies 202. 857.
Abſtinentia à muneribus capiundis. 11. 176.
Aduerſus naturam peccantes. 80. 353.
Æmulatio impar. 142. 608.
Ære quandoque ſalutem redimendam. 153. 651.
Albutij ad Alciatum, ſuadentis, vt de tumultibus Italicis ſe ſubducat, & in Gallia profiteatur. 143. 611.
Aliquid mali propter vicinum malum. 166. 698.
Alius peccat, alius plectitur. 176. 728.
Amicitia etiam poſt mortem durans. 160. 676.
A minimis quoq; timendum. 169. 709.
Amor filiorum. 194. 824.
Amuletum Veneris. 77. 340.
Amygdalus. 209. 875.
Ἀνέχου καὶ ἀπέχου 34. 190.
Ἀντέρως, id eſt, Amor virtutis. 110. 457.
Ἀντέρως, Amor virtutis alium Cupidinem ſuperans. 111. 461.
Antiquiſſima quaq; commentitia. 183. 760.
Ars naturam adiuuans. 99. 414.
Auaritia 85. 369.
Auxilium numquam deficiens. 162. 682.
Bonis à diuitibus nihil timendum. 32. 179.
Bonis auſpicijs incipiendum. 127. 545.
Buxus 208. 873.
Captiuus ob gulam 95. 401.
Cauendum à meretricibus 76. 336.
Concordia. 39. 210.
Concordia inſuperabilis 40. 213.
Concordia ſymbolum. 38. 207.
Conſiliarij Principum. 146. 623.
Conſilio & virtute Chimaram ſuperari, hoc eſt, fortiores & deceptores. 14. 81.
Cotonea 204. 861.
Cuculi 60. 275.
Cum laruis non luctandum. 154. 654.
Cupreſſus 199. 848.
Cuſtodiendæ virgines 22. 122.
De Morte & Amore 155. 657.
Deſidia 81. 356.
Deſidiam abijciendam. 82. 360.
Dicta ſeptem Sapientum 187. 785.
Diues indoctus 190. 806.
Doctorum agnomina 97. 405.
Doctos doctis obloqui nefas eſſe 180. 747.
Dolus in ſuos. 50. 245.
Dulcia quandoq; amara fieri 112. 466.
Ferè ſimile ex Theocrito. 113. 469.
Duodecim certamina Herculis 138. 592.
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα. 168. 705.
Ei, qui ſemel ſua prodegerit, aliena credi non oportere. 54. 258.
Eloquentia fortitudine præſtatior. 181. 751.
Etiam ferociſſimos domari 29. 167.
Ex arduis perpetuum nomen 132. 564.
Ex bello pax. 178. 737.
Ex damno alterius, alterius vtilitas. 126. 541.
Ex litterarum ſtudijs immortalitatem acquiri. 133. 668.
Ex pace vbertas. 179. 742.
Facundia difficilis 182. 758.
Fatuitas 65. 292.
Ficta Religio 6. 40.
Fidei Symbolum 9. 56.
Firmiſſima conuelli non poſſe. 42. 219.
Fœdera 10. 60.
Fortuna virtutem ſuperans. 120. 512.
Furor & rabies. 57. 268.
Garrulitas 70. 311.
Gramen. 36. 151.
Gratiam referendam 30. 172.
Gratia 163. 686.
Gula 91. 389.
Hedera 205. 865.
Ignaui. 84. 366.
Ilex 206. 868.
Illicitum non ſperandum. 46. 235.
Imparilitas 140. 603.
Impoſſibile 59. 273.
Impudentia. 68. 302.
In adulari neſcientem 35. 193.
In adulatores. 53. 255.

In

In amatores meretricum 75. 333.
Inanis impetus 165. 695.
In Aſtrologos 104. 432.
In auaros 86. 373.
In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur. 90. 385.
In aulicos 87. 377.
In colores 118. 499.
In Deo lætandum 4. 26.
In deprehenſum 21. 120.
In deſciſcentes 141. 606.
In detractores 164. 691.
In dies meliora 45. 232.
In diuites publico malo 89. 382.
In eos, qui ſupra vires quidquam audent. 58. 270.
In eum, qui ſibi damnum apparat. 64. 289.
In eum, qui truculentia ſuorum perierit. 167. 701.
In facilè à virtute deſciſcentes 83. 363.
In fidem vxoriam 191. 812.
In fœcunditatem ſibi ipſi damnoſam 193. 822.
In formoſam fato præreptam. 156. 663.
In fraudulentos 49. 242.
In garrulum & guloſum. 96. 403.
In illaudata laudantes 124. 532.
In Iuuentam 100. 418.
In momentaneam felicitatem 125. 538.
In mortem præproperam 157. 667.
In nothos 139. 600.
In obliuionem patriæ. 115. 484.
In Occaſionem 122. 523.
In paraſitos 93. 396.
In Pudoris ſtatuam 197. 838.
In quatuor anni tempora 101. 420.
In receptatores ſicariorum 52. 251.
Inſani gladius 176. 731.
In Senatum boni Principis. 145. 618.
Inſignia Ducatus Mediolanenſis 1. 9.
Inſignia Poetarum. 184. 767.
In ſimulacrum Spei. 44. 227.
In ſordidos 88. 380.
In ſtatuam Amoris 114. 473.
In ſtatuam Bacchi 25. 138.
In ſtudioſum captum amore 109. 453.
In ſubitum terrorem 123. 529.
In temerarios 56. 264.
In victoriam dolo partam 48. 239.
Inuidia 71. 316.
In vitam humanam 152. 646.
Inuiolabiles telo Cupidinis. 78. 343.
Ira 63. 285.
Iuſta vindicta 172. 718.
Iuſta vltio. 173. 722.
Laſciuia 79. 348.
Laurus 211. 881.
Littera occidit, ſpiritus viuificat. 186. 780.
Luxuria. 72. 321.
Luxurioſorum opes. 73. 325.
Maledicentia. 51. 248.
Malè parta, malè dilabuntur. 129. 554.
Malus Medica 207. 870.
Maturandum. 20. 116.
Mediolanum 2. 18.
Mentem, non formam, plus pollere 189. 805.
Morus 210. 879.
Mulieris famam, non formam vulgatam eſſe oportere. 196. 832.
Muſicam Dijs curæ eſſe. 185. 773.
Mutuum auxilium 161. 680.
Natura 98. 409.
Nec quæſtioni quidem cedendum 13. 76.
Nec verbo, nec facto quemquam lædendum. 27. 157.
Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. 16. 91.
Nihil reliqui. 128. 548.
Nobiles & generoſi. 137. 585.
Non tibi, ſed Religioni 7. 46.
Non vulganda conſilia 12. 71.
Nunquam procraſtinandum 3. 23.
Nupta contagioſo. 198. 842.
Obdurandum aduerſus vrgentia 36. 198.
Obliuio, paupertatis parens. 66. 294.
Obnoxia infirmitas. 170. 711.
Ocni effigies 92. 393.
Omnia mea mecum porto. 37. 203.
Optimus ciuis. 135. 576.
Opulentia tyranni, paupertas ſubiectorum. 147. 627.
Opulenti hæreditas 159. 673.
Parem delinquentis & ſuaſoris culpam eſſe. 174. 725.
Paruam culinam duobus ganeonibus non ſufficere. 94. 399.
Pax 177. 734.
Paupertatem ſummis ingenijs obeſſe ne prouehantur. 121. 520.
Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθαι; 17. 102.
φιλαυτία. 69. 305.
Picea. 203. 859.
Pietas filiorum in parentes. 195. 828.
Populus alba 212. 886.
Potentia Amoris 107. 447.
Potentiſſimus affectus amor. 106. 442.
Præfatio in Emblemata 1.

Prin-

Princeps ſubditorum incolumitatem procurãs. 144. 615.
Principis clementia 149. 632.
Prudens magis quàm loquax. 19. 112.
Prudentes 18. 108.
Prudentes vino abſtinent. 24. 135.
Pudicitia. 47. 236.
Quà Dij vocant, eundum 8. 52.
Quæ ſupra nos, nihil ad nos. 103. 426.
Quercus. 200. 852.
Qui alta contemplantur, cadere. 105. 438.
Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus. 148. 630.
Remedia in arduo, mala in prono eſſe. 131. 560.
Reſpublica liberata. 151. 641.
Reuerentiam in matrimonio requiri. 192. 817.
Salix 201. 855.
Salus publica 150. 637.
Sapientia humana ſtultitia eſt apud Deum. 5. 33.
Scyphus Neſtoris 102. 423.
Semper præſto eſſe infortunia 130. 557.
Senex puellam amans. 117. 495.
Signa fortium 33. 183.
Silentium 11. 65.
Sirenes 116. 487.
Spes proxima 43. 214.
Strenuorum immortale nomen. 136. 581.
Submouendam ignorantiam 188. 796.
Superbia 67. 296.
Tandem tandem iuſtitia obtinet. 28. 162.
Temeritas 55. 261.
Terminus 158. 667.
Tumulus Ioannis Galeacij Vicecomitis. 134. 572.
Tumulus meretricis. 74. 329.
Vel poſt mortem formidoloſi. 171. 714.
Veſpertilio. 61. 279.
Aliud de eodem. 62. 281.
Vigilantia & Cuſtodia 15. 85.
Vino prudentiam augeri 23. 129.
Virtuti fortuna comes. 119. 507.
Vis amoris 108. 450.
Vnum nihil, duos plurimum poſſe. 41. 216.

CL. VIRI
ANDREAE ALCIATI
IN LIBRVM
EMBLEMATVM
PRAEFATIO
AD
CHONRADVM PEVTINGERVM
AVGVSTANVM.

DVM pueros iuglans, iuuenes dum teſſera fallit,
Detinet & ſegnes chartula picta viros;
Hæc nos feſtiuis Emblemata cudimus horis,
Artificum illuſtri ſignaq́; facta manu:
Veſtibus vt torulos, petaſis vt figere parmas,
Et valeat tacitis ſcribere quiſque notis.
At tibi ſupremus pretioſa nomiſmata Cæſar,
Et veterum eximias donet habere manus;
Ipſe dabo vati chartacea munera vates,
Quæ, Chonrade, meĩ pignus amoris habe.

COMMENTARII.

I. HANC eandem præfationem editio Stockhameri habet ſoluta oratione, in hunc modum:

Quod pueri nucibus ludendis tempus terere, iuuenes cubis vel alea, grandæuiores verò deſidioſi viri ſæpenumero chartarum luſu fallere ſolent: id nos animi etiam recreandi cauſa, & ſucciſiuis quibuſdam horis in Emblematibus his componendis, iisq; peregregiis artificum imaginibus adornandis inſumimus. Vt quiſque ea veſtibus (veluti inauratos, ut ſolent globulos) aut etiam pileis ſeu galeris (ut fit nitida ſcutula inibi nonnullum inſculpta) annexa inſerere, ſcitè & venuſtè adaptare poſſit: atq; etiam per iſtiuſmodi characteres veſtigia, & figuratos modos, ænigmatum inſtar, pulcra quæque commonſtrare, et planè, vel ſine ulla verborum litterarumq; ſerie facile exhibere valeat. Cæterum potentiſſimus ille Cæſar, Germanorum Imperator, te donet precioſis numiſmatibus, huiuſcemodi ſpecies & imagines præſeferentibus, veterum olim artificum mira induſtria elaboratis: Ego enim vates tibi etiam poetæ carmina ſolùm, pictos & chartaceos mitto libellos, ſingularis mei erga te amoris certiſſima pignora.

PROPONITVR hoc epigramma vice præfationis, qua ſuum libellum Emblematum conſecrat nobili Viro Chonrado Peutingero. Sumpta autem eſt quadam imitatione ex oratione Ciceronis pro Archia poeta, vbi ille ſic argumentatur: Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi iure ſuccenſeat, ſi, quantum cæteris ad ſuas res obeundas, quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quan- II.

tum ad alias voluptates, & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis: quantum alij tribuunt intempeſtiuis conuiuijs, quantum deniq; aleæ, quantum pilæ: tantum mihi egomet ad hęc ſtudia recolenda ſumpſero. Primò itaq; Autor ſuum ſtudium laudat ex diſſimilibus: occaſionem huius opuſculi conſcribendi aperit, deſcriptionem Emblematis, eiuſdemq; vſum ac finem ponit: & ad extremum amico homini ac docto Chonrado idem ſuum opuſculum modeſtè commendat.

Argumentum præfationis.

III. AD CHONRADVM.] De Chonrado illo Peutingero, cui hoc opuſculum dicatum conſtat, tantum ea dicam & huc referam, quæ ſcriptorum noſtri temporis lectione conſequi potui. Andreas Cratander in Epiſtola quadam, quam editioni omnium Ciceronis operum præfixit, hæc habet: Chonradus Peutingerus, eximium illud Auguſtanorum Vindelicorum decus & ſpecimen, qui cum incomparabili auctoritate, quam in grauiter ſuſtinendis molibus Reipubl. magna nominis celebritate adeptus eſt, egregiam humaniorum ſtudiorum peritiam coniunxit. Pro quibus quo animo depugnet, vel inde ſatis apparet, quòd mihi aliquot Ciceronianarum orationum reliquias, & venerandæ vetuſtatis exemplaria tranſmiſit, tanquam auxiliatrices copias, &c. Hæc quidem ille. Sed expreſſius Henricus Pantaleon Proſopographiæ parte 3. eiuſdem Chonradi vitam, laudeſque perſtrinxit. Sic autem ait: Chonradus ille Auguſtæ Vindelicorum ex honeſta familia natus, & in omni genere virtutum ibidem educatus eſt. Is cum felici ingenio eſſet præditus, à teneris annis literis incubuit, & in primis legum lectioni diligẽtem operam impendit. Hinc factum, vt Iuris Doctor omnium acclamatione creatus fuerit. Accedebant multæ heroicæ virtutes, & rerum agẽdarum dexteritas. Itaque patriæ vtilis ciuis, & ſingulare ornamentum extitit, atq; à Maximiliano Cæſare inter ſuos conſiliarios cooptatus fuit. Quinetiam hunc Eraſmus Roterodamus plurimum ob eruditionem dilexit, & inter ſummos amicos habuit. Scripſit is anno 1506. Sermones conuiuales, in quibus multa de mirandis Germaniæ antiquitatibus referuntur: præterea de gentium quarundam emigratione Epitomen, quæ Procopio, & alijs hiſtoricis in editione adiecta. Erat enim Chonradus rerum antiquarum ſingularis æſtimator, qui eiuſmodi indagare, & poſteris proponere magna delectatione erat ſolitus: tandem ætate confectus obijt, & apud ſuos honorificè ſepultus eſt. Hactenus Pantaleon, quæ omnia penè mihi videntur ſumpta ex 18. Epiſt. Eraſmi, quàm ad eundem ſcripſit. Præterea quiſnam fuerit Chonradus Peutinger, nemo melius Bernardino Trebatio Vicetino expoſuit. Is enim anno M D X V. Peutingero inſcribens verſionem ſuam Hieroglyphicorũ Ori Apollinis, hæc habet: Antiquitas ipſa nullo magis gaudet alumno. Romani autem Cæſares quem alium maliut curatorem? non tibi eorum geſta cognouiſſe ſatis, eos ipſos ſignatos omnes in chartis, ære, argento, ſolido auro demonſtras; & quod viui non potuerunt, mortui adepti ſunt, vt eodem tempore & iuuenes, & ſenes, & in omni ætate quales fuerint conſpici poſſint. Sed & ipſi Romani duces, quod non ſecundò perierint, tibi acceptum referunt: tu eorum Epigrammata colligis vndecunque, & iam vetuſtate collapſa, dimidiata ferè reſtituis, ac das, vt poſtquam in marmore nequeunt, in chartis legantur. Hæc ille.

Chonradus Peutinger.

Dum pueros.] Diſſimilitudine ſuum negotium cum aliorum otio conferens, tria luſuum genera totidem ætatibus apta ponit, ex adiuncto tempore, quo hoc opuſculum ſcripſerit. Pueri nucibus delectantur: hincque vulgò trita prouerbia, Relinquere nuces: Nunquam à nucibus recedere: Nucibus indulgere: &, Ad nuces redire: id eſt, ſemper puerum eſſe. Adoleſcentes & iuuenes teſſera delectantur, quod eſt aleatorum. Segnes autem, quique corporis motum refugiunt, chartulis pictis oblectantur. Eſt autem hoc loco notanda elegans gradatio; pueri, iuuenes, viri.

Iuglans,] Nux. Macrobius lib. 3. Satur. c. 18 inquit: Nux iuglans, ſecundum nonnullorum opinionem, à iuuando, & à glande dicta exiſtimatur. C. Baſſus verò, in lib. de ſign. verb. hoc refert: Iuglans arbor dicta inde eſt, perinde ac Iouis glans. Nam id arboris genus nuces habet, quę ſunt ſuauiore ſapore, quàm glans. Conſtat ſanè priſcis illis temporibus, antequam mortalium genus ad delicias ſeſe luxumque conuerteret, maximo in honore

Nux. Iuglans.

glandem fuiſſe, vt quæ ſola ſimplici vitæ atq; innocuæ præbebat alimenta. Quare cum hunc fructum egregium, ipſamq; arborem Deo dignam exiſtimarent, decorare eum digna appellatione volentes, iuglandem, quaſi Iouis glandem nuncupauerunt. Cloatius autem Vertius in lib. à Græcis tractatorum, ita memorat: Iuglãs, di, prætermiſſum eſt, quaſi diiuglans, id eſt, *Διὸς βάλανος*. Hanc Græci ob excellentiam etiam baſilicam vocant.

Ætatum varia diuiſio.

Iuuenes,] mediæ ætatis homines. Seruius enim Tullus Rex Romanorum, teſte Gellio, ætates diuiſit in pueritiam, iuuentutem, & ſenectutem. Quod idem ſenſiſſe videtur Ariſtoteles 3. de Anima, vbi inquit: Neceſſe eſt omne quod generatur, augmentum habere, ac ſtatum, & decrementum. Commodius tamen nos cum Auicenna & medicorum ſchola ætates omnes in quatuor ordines digerimus, ita tamen, vt quoſdam alios ſub ſe poſitos habeant gradus. Aetas prima eſt adoleſcentia, ad annum ferè producta trigeſimum: ſecunda verò conſiſtentiæ nuncupata, vel vigoris, aut pulcritudinis, ad annum ferè quintum poſt trigeſimum: conſequitur inde diminutionis occultæ tempus, quæ ſenectus appellatur, ad annum fere ſexageſimum. Subeſt mox ætas, quæ ad manifeſtum nos interitum præcipites agit; in qua, qui diutius perſeuerat, dicitur *νύμφαις ἰσῆλιξ*, id eſt, nymphis æquæuus. Gradus ætatum minutiores vide apud Auicennam 1. 1. cap. de complex. Galenum 3. Aphor. com. 27. 30. 31. & 5. Aphoriſ. com. 7. 9. & alibi. Sciendum verò, ætatum commenſus non vbiq; neq; ſemper haberi eoſdem, ſed euadere diuerſos pro conſtitutionis ratione, aut ſexus, vel etiam regionum ac terrarum ſitus, cœli quoq; & victus temperamẽti, & aliorum plurium, vt probè monet Galenus 6. de ſanitatis regimine.

Iuuenes vnde dicti.

Dicitur autem ætas media iuuentus, & in ea conſtituti, iuuenes, à iuuando, quod ea ætas maximè apta ſit ad laborem tolerandum.

——Neq; enim robuſtior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat vlla.

Teſſera quid.

Teſſera.] Dicitur teſſera, quicquid ex omni parte quadratum eſt: eſtq; corpus ex ſex lateribus æquali latitudine planitierum per quadratum; à Græcis dicitur *κύβος*, cubus, *ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν*, quod facillimè prouoluatur, & quaſi ſemper in caput ſaliat. Is enim cum eſt iactus, quam in partem incubuit, immotam habet ſtabilitatem: vt ſunt oſſicula, punctis quibuſdam diſtincta, quæ in fritillum ſeu alueũ iaciunt *οἱ ταυλίζοντες* (vt Diomedis verbo vtar) id eſt, tablizantes, de quibus hoc loco ſermo. Hunc teſſerarum luſum multi magno errore eundem cum talorum ſeu taxillorum luſu exiſtimant.

Talus quid.

Eſt enim talus proprie oſſis genus in articulo pedis, ventre eminens, concaua in vertebra, ligatum ſolidiſſimis neruis, quadratum forma, altera parte concauum, altera ferè planum, eſtq; in poſteriore duntaxat ſuffragine, nunquam in prioribus pedibus; nec eſt homini aut alijs animalibus digitos habentibus, nec ſolidas habentibus vngulas, ſed tantum biſulcis. Hoc genere oſſiculi ludere veteres conſueuere, non tamen eodem modo, quo cubis ſeu teſſeris ludebãt; differunt enim hi luſus nomine, forma, & iactu, addo etiam inuentore.

Talorum & teſſerarũ luſus diuerſi.

Nam cuborum luſus Græcis dicitur *κυβεία*, talorum verò Ariſtoteles 1. Rhet. *ἀστραγαλίζειν* vocat: illi ſex lateribus conſtabant, hi autem quatuor: in ludendo teſſeris vtebantur tribus, talis verò quatuor: teſſerarum inuentionem Lydis attribuunt, Palamedi ſcilicet apud Troiam, talorum Naucrati cuidam Aegyptiorum deo. Hanc quoque differentiam animaduertit Cicero in Diuinat. Quid eſt enim ſors? idem propemodum quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras. Et ex ea obſeruatione Martialis:

Non ſum talorũ numero par teſſera, quũ ſit
Maior quam talis alea ſæpe mihi.

Vide de his Macrob. lib. 1. in ſom. Scip. Gellium lib. 1. cap. 20. Cœl. Rhodig. lib. 20. cap. 14. & 27. & Budæum 5. de Aſſe.

Detinet.] Remoratur, & à ſerijs negotijs abſtractos tenet.

Segnes.

Segnes.] Viri ſegnes dicũtur tardi, ignaui, ſteriles, quaſi ſine igne; ſicut è contra dicuntur ardentes, pro ſolertibus, diligentibus, & omnis moræ impatientibus: ſegnitiem namq; parit frigiditas, quæ in ſenibus vt plurimum dominatur, maxime accidentibus humoribus. Nota hoc loco artificium Alciati, qui vno epitheto duas reliquas ætates comprehendit, ijsq; luſum chartarum attribuit, viris nempe ocioſis & ignauis, tum etiam ſenibus decrepitis & imbe-

imbecillibus.

Chartula picta.] Luſus chartarum: hunc Volaterranus lib. 29. Philolog. nouitium inuentum eſſe ſcribit, dignum ſanè Indicto hoc noſtro tempore.

Feſtiuis horis.] Diebus genialibus & feſtiuis, quibus animum remittebam à ſeverioribus legum ſtudijs: Vel, *feſtiuis horis*, ſubciſiuo tempore. Sic enim M. Tullius, cum dies aliqui dabantur ad ruſticādum, vt etiamnum dantur iuſtitiorum dies Senatoribus, ad eorum numerum accommodabat, quę ſcribebat, teſtis eſt ipſe 1. de Legibus. Sumpſit autem horam pro die, imitatus Virgilium, qui ait: *Hora pro die.*

——*Nunquam te craſtina fallet*
Hora ——

Imò ipſum Ciceronem 1. in Verrem: Hic tu fortaſſe eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. Vbi Aſconius: mire horis dixit, cum dies ſint plurimi. Et veteres præterea horas generaliter dicebant, more Græcorum.

Emblemata.] Dicitur Emblema ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, quod eſt, interſero. Sunt enim emblemata, vt ſupra etiā innuimus, ornamenta exemptilia, quæ ad placitum vaſis argenteis, aureiſve tolli & reponi poſſunt, qualia ſunt ſigilla, variáque, vt floſculorum, ſic & rerum aliarum ſimulacra affabrè cælata, vel depicta. Sic accipitur id nominis à Cicerone primùm, deinde Vlpiano. Ex libris enim Iuriſconſultorum didicimus, nihil aliud emblema eſſe. l. cùm aurum, § idem Celſus, & l. pediculis argenteis. § 1. ff. de auro & arg. leg. Ea vox, cùm peregrina eſſet, & Romanis auribus non ſatis nota, Tiberio Cæſari minimè placuit, vt principi, qui patriam linguam præferret externæ. Quamquam enim, ait Suetonius, Græco ſermone promptus eſſet, non eſt tamen niſi opportunè vſus; abſtinuit enim, ſed in ſenatu maximè: adeò quidem, vt monopolium nominaturus, veniam priùs poſtularit, quòd ſibi verbo peregrino vtendum eſſet. Atque etiam in quodam decreto patrum, cùm ἔμβλημα recitaretur, vocem commutandam cenſuerit, & pro peregrina Romanam noſtratem requirendam: aut ſi non reperiretur, vel pluribus, & per ambitum verborum rem enunciandam. Idem in Dionis epitome. Et hæc quidem ille. At nos Emblematis vocabulum retinemus, vt iam receptum vſu, dignumq; Romana ciuitate: eſt enim venuſtum & elegans, imò ſignificantiſſimum, & ad hanc imitationis materiam appoſitiſſimum. Nec modo vaſis adhibentur emblemata, ſed & alijs rebus, cum triplici tamen nominis diſtinctione, nam ea, quæ in parietibus fiebant, vermiculata ſeu muſæata dicuntur; quæ in lignis, ſegmentata, quæ in pauimentis, teſſellata. Interim tamen hæc aliquando confunduntur. De hoc inſuper vocabulo plura Budæus in Annotat. ad Pandect. & eleganter Crinitus lib. 22. c. 1. de honeſta diſciplina.

Emblema quid. *Emblema triplex.*

Cudimus.] A fabris, aurificibus, vel alijs ſculptoribus ἀλληγορία, cui, meo iudicio, coniuncta eſt εἰρωνεία, qua facilitatem ſuā in his emblematis componendis oſtendit. Significat enim ſe horis genialibus hæc lepida carmina conſcripſiſſe, cudere verò ſeruile eſt & magni laboris opus: Hinc mihi haud probabile fit, Alciatum tempore illo, quo relaxationem à ſeverioribus ſtudijs captabat, grauiori labore animum fatigare voluiſſe. Sic & nos Germani iocari ſolemus, dum poetaſtros illos, qui omnibus imploratis Muſis, & toto Helicone accito, vix vnum aut alterum verſum ex intimis ingenij penetralibus extorquent, cudere verſus dicimus, Vers ſchmieden, ſumpta à fabris ferrarijs metaphora.

Artificum &c.] Hic verſiculus deſcriptionem cōtinet τῶν ἐμβλημάτων, qua de re iam ſatis diximus. Sed hic aduerte materialem cauſam.

Illuſtri.] clara, celebri, nobili. Sic dicimus illuſtria facta, illuſtris fama, illuſtre domicilium, illuſtres viri.

Veſtibus vt torulos.] Finalis cauſa emblematum, & vſus. Conferent hæc ἐπίσημα, ſigna, vt ornamenta, quædam vaſis, veſtibus, pileis, ædium parietibus, aulæis, feneſtris poſſimus apponere: vtq; ingenioſi homines tacitis quibuſdam notis, & quaſi hieroglyphicis litteris animorum ſenſa exprimant. Moris fuit Alciati ætate, vt veſtibus aſſuerentur, vel in ima fimbria, vel in manicis, vel in thorace, imagines & ingenioſa dicteria, vt videre poſſumus in picturis Ducum & Imperatorum eius æui; & apparet in ſolidis aureis Ludouici Sfortiæ, & aliorum. Et quidem Ludouici illud fuit non admodum vulgare in hoc genere, quod antiqua libertate perſtringit

Emblematis finis quis. *Ludouicus Sfortia.*

Matthæus Boſſus, in epiſtola ad Iacobum Comitem Purliliarum: Ita quoq; & Ludouicum multi putant pœnas miſericorditer, & diuinitus dare, quo ſeſe exploret atq; agnoſcat, qui ſupra humanos errores, ſe tantæ mentis cæcitati obſtrinxerat, vt humana atq; diuina iuxta deluderet. Nam pro pulcro & regali nomine (Ludouici) Maurum vocari, & pro eleganti forma pingi nigerrimum atque terrificum ſe fecit, muerten tem manu orbem terrarum, & circa orbem hoc ænigma inſcribi, quod eſt Dei ſolius audere, FACITO VELIM; quum fuiſſet ei ſatius dicere; FACITO poſſim. Hæc ille. Extat etiã nunc Pataui in templo auguſtiſſimo D. Antonij, prope oſtium ſacrarij inter alteram antarum & parietem, imago viri militaris, in cuius manica legitur patria lingua, TV DIRE', E MI FARO'; tu dices, at ego faciam: quod planè thraſonicum iudicat Dn. Pignorius. Quid ſi potiùs ſubmiſſè & modeſtè ad ſignificãdam promptam obedientiam, quam miles ſuo duci debet, ac ſi diceret: tu impera, & dictum factumq; puta? Sed nihil affirmo contra tantum Cẽſorem. Io. Villanus lib. 10. Hiſtor. Flor. cap. 60. de Caſtruccio: Per leggiadria e grandigia fece vna roba di ſciamito cremiſi, e dinanzi al petto con lettere d'oro che diceuano: EGLI E QVELLO CHE DIO VVOLE; e nelle ſpalle di dietro ſimile: E SI SARA' QVELLO CHE DIO VORRA'. *Caſtruccius.* Torulos autem appellat eminentias quaſdam in veſtibus, corollis, & alijs ſimilibus. *Toruli quid.* Cicero in Oratore perfecto, de mediocri genere dicendi loquens: Addit, inquit, aliquos vt in corona toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum ſententiarumque diſtinguit. Sunt itaque toruli, ornamenta ex auro vel argento, quę petaſis, id eſt, pileis, aut penulis, veſtibusque adijci ſolent. Palam eſt illud ex Amphitruone Plauti: *Tum meo patri autem torulus inerit aureus ſub petaſo.* Vbi Commentatores, atq; Autor Theſauri linguæ Latinæ, fortaſſe non intelligentes, quid ſit hic torulus, legendum cenſent, troculus: eò quod torulus à torus ducatur, diminutiua forma, id eſt, paruus torus. Sed Plauti locum defendentes, tori. tororum, ſignificare dicimus carnem extantem in brachijs hominum robuſtorum; in qua ſignificatione dixit Plautus, torulus aureus ſub petaſo. Et fortè Alciatus hic alluſit ad Magnatum morem noſtri temporis, qui in famulorum veſtibus ſolent addere torulos holoſericos diuerſi coloris, quàm ſit ipſa veſtis: veluti ſphęrulam depictam extantem, vel mundum, vel globulum, aut lacertum, & ſimilia.

Petaſis.] pileis, galeris, &c. Petaſum, Arcadicum pileum ſignificatione primariã eſſe, didici ex Heſychio. *πέτασος τὸ τῶν ἐφήβων φόρημα.* ſic enim legendum in Heſychio, non *φρόνημα*, vt in vulgaris. Suetonius ait, Auguſtum non niſi petaſatum, hoc eſt, velato capite ſub dio ſpatiari ſolitum. *Petaſus quid.* Certè & Poetæ petaſatum Mercurium faciunt. Id nominis à *πετάννυσθαι*, pandere, vel extendere deflectitur: quod pilei genus galero non abſimile volunt. Prudentius 2. in Symmachum:

Nec petaſo inſignis poterat Lacedamone capta
Mercurius ſeruare ſuas de clade palæſtras.

Aliqui tamen ſcioli hoc nomen à verbo Græco *πετάομαι*, quod eſt volo, naſci volunt, idq; pro calceamento Mercurij, hoc eſt, talaribus perperam ſunt interpretati, cum ille apud Plautum in Amphitr. dicat: *Ego has habebo vſq; in petaſo pinnulas*; non reſpicientes ad ea, quę alibi apud eundem Plautum, nec non apud Poetas & Hiſtoricos leguntur. Vnus locus ex Suetonio iam adductus ſatisfacit, ſi enim Auguſtus ſolis hyberni impatiens erat, caput tegere, non pedes debebat: nam nudis pedibus per frigus incedere, aut egentiſſimi, aut inſaniſſimi hominis videtur eſſe. Huic rei quoq; ſuffragatur Suidas, cum inquit: *πέτασος εἶδος ὑφάσματος. Ἐπιῤῥιψάντων δράκοντι τῷ νομοθέτῃ τῶν ἀθηναίων πετάσους πλείονας, καὶ χιτῶνας, ὡς ἀποπνιγῆναι ἐν τῷ θεάτρῳ.* Vnde liquido conſtat petaſum non eſſe calceamentum, ſed capitis velamen in modum pilei; vel etiam *μεταφορικῶς*, quiddam in galeri formam ædificijs ſuperpoſitum, vt apud Plinium Nat. Hiſt. lib. 35.

Figere.] affigere, applicare, aſſuere. Vnde militia omiſſã, milites arma figere dicebantur, quia ea in templis ſuſpendebant, vel parietibus affigebant.

Parmas.] Parma ſcutum breue peditũ, pelta etiam dicta à Plinio, quamuis pelta *Parma. Pelta.*

propriè dicatur clypeus Amazonum, in modum Lunæ recuruus. Virg.

Ducit Amazonidũ lunatis agmina peltis.

Nonius in dictionibus Parma, & Velea. Martialis:

Hæc quæ ſæpe ſolet vinci, quæ vincere rarò,

Parma tibi ſcutum pumilionis erat.

Parma, inquit Varro de lingua Latina, dicitur, quod à medio in omnes partes par. Alexander ab Alex. 6. c. 22. Intelligit autem Autor nummos aureos grandiores, vel argenteos inauratos, gemmasq; exciſas vel inciſas auro incluſas, quæ omnia ad petaſorum ornatum transferri etiam nunc ſolent.

Et tacitis valeat ſcribere quoq; notis.] Notæ hic Ziſræ ſunt, de quibus Io. Andreas Palatius, Io. Baptiſta Porta, & alij: Sic quoq; ſe habent Aegyptiorum Hieroglyphica, vt etiamnum hodie ſymbola ea, quę armis, ſcutis, ſignis militaribus, & cęteris id genus apponi ſolent. De quibus lepidum & eruditum ſcripſit Dialogum Paulus Iouius. Nos in noſtro Syntagmate quædam adduximus. Tacitis notis ſcribere, alio ſenſu, & docte quidem Turnebus Aduerſ. 14. cap. vlt. ad finem. Eſt autem tacitis notis ſcribere, rem ita per picturam exprimere, vt non indigeat characteribus: vt ſi velis ſignificare, domi manendum eſſe mulieri, pingis Venerem, quę referat muliebrem ſexum, apponiſq; ſub pedibus teſtudinem, hæc enim nunquam domo ſua egreditur. Hoc genus ſcripturæ apud Aegyptios non ſolùm dignitatis plurimum habuit, ſed etiam voluptatis non parum. Nemo enim poterat callere Hieroglyphicorum myſterium (ſic enim vocabant illi hoc ſcribendi genus) niſi rerum & animalium naturas perſpectas habuiſſet. Quod non contigit, niſi illi, qui ſoletti contemplatione rerum naturalium cauſas eſſet perſcrutatus. De Hieroglyphicis doctiſſimè ſcripſit Io. Pierius Valerianus: item duos libros de ſacris literis ſcripſit Orus Apollo Niliacus. Hũc & Cheremonem ſe fatetur Alciatus imitari, in lib. de verb. ſign. in princ.

Tacitis notis ſcribere.

At tibi ſupremus.] Optatio ex diſſimilibus. Idem ferè diſſimilium locus eſt apud Horat. Ode 8. lib 4. Carmin.

Donarem pateras, grataque commodus,

Cenſorine, meis æra ſodalibus:

Donarem tripodas, præmia fortium

Graiorum: neq; tu peſſima munerum

Ferres, diuite me ſcilicet artium,

Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas.

Hic ſaxo, liquidis ille coloribus,

Solers nunc hominem ponere, nunc deũ.

Sed non hæc mihi vis: non tibi talium

Res eſt, aut animus deliciarum egens.

Gaudes carminibus: carmina poſſumus

Donare, & pretium dicere muneri. &c.

Huius autem diſſimilitudinis hæc mihi videtur germana ſententia: Poſſum ego tibi, Chourade, Emblematum quorũdam ſiluam & cumulum ex veterum auctorum bibliothecis aggregare: at magnus Imperator (cui es à conſilijs) poteſt tibi commodè & munificè ſuppeditare veterum artificum manupretia, ſtatuas, imagines ingenioſè pictas, ſolerter expreſſas, ſculptas, efformatas: ipſiſſimas, inquam, imagines, non picturam quandam nudam aut deſcriptionem, qualis mea hæc eſt chartacea.

Pretioſa nomiſmata.] Donaria, qualia boni principes conferre ſolent optimis & fidiſſimis conſiliarijs. Pignorius non donaria, ſed vetera numiſmata interpretatur: Cæſares (vt ait Trebatius) ſignatos ære, argento, ſolido auro. Dicimus autem numiſma & nomiſma, ἀπὸ τοῦ νόμου, à lege: quia cum ante percuſſum numiſma vti permutatione homines ſolerent, lege vſus numi introductus eſt.

Nomiſma, et Numiſma.

Cæſar.] Maximilianus Imperator, cui à conſilijs fuiſſe Peutingerum paulò antè meminimus.

Et veterum eximias donet habere manus.] Tabulas & ſigna antiquorum artificum intelligit. Artificum enim opera manus dicuntur. Martial. lib. 1. epigr. 119. & lib. 8 epigr. 50.

Manus.

Solus Praxiteles, manus Scopaq;. Idem:

Mẽtoris hæc manus eſt, an Polyclete tua?

Ipſe dabo.] Τὸ πρέπον, in libro Poetico Poetæ conſecrato. Non enim modò videndum quid, ſed & cui des. Seneca De beneficijs: Vide ne mittas munera ſuperuacanea, vt fœminæ arma, ruſtico libros, & ſtudioſo retia. Id enim eſt, ac ſi cani des paleas, & oſſa aſino. Sic Martialis 14. lib. ſed non eodem tamen ſenſu:

Decorum in muneribus.

Non ſunt munera quæ putas, puella,

Cum donat vacuas poeta chartas.

Idem lib. ſeptimo:

Diuitibus poteris Muſas, elegosq; ſonantes

Mittere;

Mittere; pauperibus munera pexa dato.
Idem libro eodem, ſed alioſſum:
Muneribus cupiat ſi quis contēdere tecum,
Audeat hic etiam, Caſtrice, carminibus.

Et id quidem reuocat in mentem diſtichon Latinum Iani Laſcaris, doctiſſimi hominis, ad Iouianum Pontanum:
Verſiculos, Pōtane, tibi: ſic munera Baccho
Libamus Bacchi, ſic Cereris Cereri.

Chonrade.] Chōradus, ſiue Cunradus, idem apud Germanos ſignificat, quod apud Græcos Thraſybulus, id eſt, audacis conſilij. *Nomina Germanica.* Germani enim veteres nomina plerunque à ſtudijs & exercitio ſolebant imponere, qualia noſtro adhuc tempore paſſim audimus: vt à venatione Leonhart, Bernhart, VVolffgang: à ſtudio paſtoricio, Henrich, Geuſerich, Vichart: à laude bellica, Sigmund, Hartman, Helderich: à pace & pietate, Friderich, Sigfrid, Gottfrid: imò & à vitijs, vt Gebhart, Gotthart, Gottſchalcx, Eitel; & alia propè infinita, quæ mera Germanica ſunt. Idem videmus in nominibus etiam fęminarum, vt Hildegart, Konigund, Gertraut, &c. Quod plurimis mihi aliquando probauit Fauſtus Verantius, Epiſcopus Chanadienſis, cuius manes Deo viuant.

Pignus amoris.] Id eſt, *μνημόσυνον*. Seneca de Benefic. Beneficia non numero, neq; magnitudine cenſenda, ſed dantis voluntate. Demoſthen. *πρὸς Λέπτιν*. Οὐδὲ γὰρ τοὺς λαβόντας ἔγωγε ἡγοῦμαι τὸ πλῆθος τῶν χρημάτων θαυμάσαι, ἀλλὰ τὴν προθυμίαν. Sed ad rem maximè facit τὸ πρέπον eius, qui librum conſecrat, & eius cui offertur. Etenim, vt Ariſtides ait, Orat. 5. ἱερῶν: Τοὺς μὲν νέως τοῖς θεοῖς προσήκει καθιεροῦν, τοὺς δ' ἄνδρας τοὺς ἐλλογίμους τῇ τῶν βιβλίων ἀναθέσει τιμᾶν. Hoc eſt: *Templa dijs ſacrare conuenit: viros autem egregios decet librorum dedicationibus honore afficere.*

IV. Ex hoc procemio duo pręcipuè notanda veniunt.

Otiū labori miſcendū, et quomodo. 1. Seuerioribus ſtudijs aliquando interponendam eſſe quietem, & animum curis defatigatum honeſta recreatione relaxandum: nam
Quod caret alterna requie durabile nō eſt.
Quò fortè poſſem non inconcinnè illud Democriti attexere, ex Stobæo Orat. 16. quo loci ait: *Βίος ἀνεόρταστος, μακρὴ ὁδὸς ἀπανδόκευτος.* id eſt: *Vita ſine feſtiuitatibus, longa via eſt ſine diuerſorijs.*
Et illud Statij 4. Siluarum:
——Vires inſtigat alitq;
Tempeſtiua quies: maior poſt otia virtus.
Talis cantata Briſeide venit Achilles
Acrior, et poſitis erupit ī Hectora plectris.
Vegeta enim & ſtrenua ingenia, quo plus receſſus ſumunt, hoc vehementiores impetus edunt, ait Valer. Maximus lib. 3. c. 6. Addo & illud Xenophontis, fortium virorum voces & geſtus, etiam in vino, & luſu dignum ſtudio & memoratu quiddam præferre. Hinc plurima clariſſimorum virorum extant monumenta, quę etſi ſubciſiuis tantùm & genialibus horis conſcripta videntur, nihil tamen humile, nihil vulgare ſapiunt, vt vel ex ipſis vnguibus leonem agnoſcas. Ex quorum cenſu ego iudico hęc Alciati Emblemata, Horas recreationis Guicciardini, Dies caniculares Simonis Maioli, & ante omnia dies geniales Alexandri ab Alexandro. Verùm non ita relaxandus animus, vt ad deſidiam inclinet, ſed ſic indulgendum otio, vt Scipionem Seniorem imitantes, nunquam ſimus minus ocioſi, quàm cum ſumus in ocio: Nam & occupatis diebus aliquid eſſe agendum, monet Seneca Epiſt. 73. Quin etiam feſtis, vt Virg. 1. Georg.
Quippe etiam feſtis quadā exercere diebus
Fas & iura ſinunt.
Aqua ſtans pigro lentore putreſcit paulatim, & ſqualet ſitu: ſic mens, quam ignauia occupat, vitium contrahit facillimè, & corrumpitur. Vigor in motu eſt & agitatione, quam moderata quies breuibus interuallis interdum interſtinguit.

Temporis iactura graue dānum. 2. Tacitè carpit perditos noſtrorum temporum mores, quibus bonas horas malè collocamus, precium nullum temporis ponentes, cum tamen nulla ſic turpior iactura; omnia enim aliena ſunt, hoc ſolum noſtrum, fugacis ac lubricæ rei poſſeſſio, in quam nos miſit Natura, expellendos quando ipſi viſum & Deo. Magnum plerią; Mortalium in caducis his ac fortuitis momentum ponunt, & beatos eos cēſent, quibus ad votum parantur; miſeros vbi querela defectus & egeſtas; miſerrimos, quibus ludibrio fortunæ de manibus excuſſa & ablata iterum, quę olim benignior indulſit aperto & laxo ſinu. Comploratur hæc iactura, nec remedium conſolantis admittit: morſicat viſcera, & deſcendit

altius in cor, nullis fomentis blandioris alloquij, & ex ſcrinijs ſapientiæ traducti ſanabilis. Nulla dies cicatricem obducit vulneri; recrudeſcit ad ictum refricantis memoriæ. Nemo deuorare poteſt iniuriam hanc fortunæ, ſub qua etiam generoſæ mẽtes & virilia pectora ſe incuruant, nec eriguntur quibuſcunq; rationum fulcris, aut aſſurgunt. Tanti videtur, vel in tenui re, & lubrico caſui ſubiecta factum ſemel naufragium; cum interea præcipitis æui lapſum, & pronos ad interitũ annos, quid, & quantum, & quomodo deperditum ſit, pauci ſint qui ad calculos reuocent. Sentimus quotidie in nobis decedere aliquid de natiuo vigore, & imminui corporis hanc fabricam decrementis virium, Naturę laſſitudine, quæ velut annoſa mater ac decrepita, ſterilitate iam ſua languere ſenſim & marceſcere incipit. Depilat verticem deforme caluitium fluentibus comis, nubecula pupillis oberrat & offundit caliginẽ, aurium tympana ſurdeſcunt percuſſu vocum, vallo dentium exarmantur fauces, ad aſſueta nauſeat ſtomachus, & lentè demittit ingeſta, ſenſuum omnium ac membrorum remiſſior functio, & manifeſta quędam tarditas. Huc igitur tabulę & rationum codex, computemus, quo abierit, & quomodo, quod ſubtractum querimur, num retrahi poſſit, aut reponi? num emendabilis ſupinus hic error? ne culpa à nobis maior, quam neceſſitas à fatis & lege hac Vniuerſi videatur, in quo motus ſuus regularis & perennis rotat, aut raptat ſingula ad periodum à prima cauſa determinatam, certo ac definito tpe. Parcè vtendum igitur, nec diſpergendum in vanos vſus grande munus è Diuina manu; in quo vtiliter diſponendo & diſpẽſando cautos nos eſſe decet ac prouidos, imò tenaces maximè & auaros, vt partitionis ratio dari queat aliquando, & modus ad congruum finem: ne auferatur vel malè agẽtibus per libidinem & vitia; aut nihil agentibus ſurripiatur in ocio & ignauia, qui fures ſunt temporis. Vetus eſt prouerbium: Sera in fundo parſimonia. Cui rudior ætas puerilibus ineptijs inter talos & nuces defloruit, quam libidinoſa excepit adoleſcentia, & ad luſum, luxum, & laſciuiam præceps iuuentus, in viriles annos ſcortationibus & adulterijs exhauſtos deſinens, quæ tandem ſpes reliqua ſit purioris ſucci in imo amphoræ colligendi? Turbidam fæcem potet neceſſe eſt in ipſo vitę exitu prodigus ſincerioris æui, quod amiſſum fruſtra reſpicit aut reuocat; nam

transijt ætas, (inquit Tibul. 1. eleg. 4.)
Quam cito non ſegnis ſtat, remeatq; dies!
Quã cito purpureos deperdit terra colores,
Quã cito formoſas populus alta comas:
Quã iacet, infirma venere vbi fata ſenecta,
Qui prior Æolio eſt carcere miſſus equus.
Vidi iam iuuenem premeret cũ ſerior ætas,
Mærentem ſtultos præteriſſe dies.

Euanuerunt, vt fulguris ſulcus diuidens aerem. Quære veſtigia, nulla reliqua ſunt, niſi praui fructus, & iniquitatis opera, doloris materia, & ſeminarium inutilis pęnitentiæ. O ſpina mentis, quàm acutè pungis? Diſparuiſſe noſtra culpa dies promerendo diuino fauori deſtinatos ac debitos, elapſam mercãdæ cœleſtis coronę pulcherrimam occaſionẽ, affigi & affligi lecto iam nudos operũ deſperata ſalute, graues nobis, moleſtos alijs, inuiſos Deo & hominibus; ex omni numero tot annorum à cunis ad canos nihil ſupereſſe aliud, niſi breue momentum efflandi ſpiritus. Quot vota, & quam calida concipit tunc, quando pertęſus quaſi ignauiam ſuam languẽs ſpiritus, anteacta tempora recolligit tacitè ac percurrit? O mihi pręteritos referat ſi Iupiter annos? O ſi detur reuerti ad crepundia, & exordiri de nouo telam? vt meliori textu concinnarem omnia? quã parcas manus immitterem theſauro, nullo labore reparando? Serò, ſerò, mi homo, cum ventum ad agonem; vixiſti, nefas regredi. Si ergo vti vis tempore, aut etiam frui, bono tuo, nunc incipe: dum incipis, moreris. Ohe, manum de tabula.

AD ILLVSTRISSIMVM MAXIMILIANVM, DVCEM MEDIOLANENSEM:

Super inſigni Ducatus Mediolanenſis,

EMBLEMA PRIMVM.



EXILIENS infans ſinuoſi è faucibus anguis,
Eſt gentilitijs nobile ſtemma tuis.
Talia Pellæum geſsiſſe nomiſmata regem
Vidimus, hiſq́; ſuum concelebraſſe genus:
Dum ſe Ammone ſatum, matrem anguis imagine luſam,
Diuini & ſobolem ſeminis eſſe docet:
Ore exit. tradunt ſic quoſdam enitier angues.
An quia ſic Pallas de capite orta Iouis?

COMMENTARII.

1. PROPONIT inſigne Ducatus Mediolanenſis, id eſt, gentilitium ſignum Principum Mediolanenſium, cuius pictura notior eſt, quam vt pluribus explicetur

tur: In clypeo enim ſeu planitie aurea conſpicitur ſerpens cœruleus, multis gyris contortus, qui puerum anniculum ru bore tinctum, expanſis brachijs, euomit. Mittit autem hoc Emblema ad Illuſtriſſimum Maximilianum Ducem Mediolanenſem, Ludouici Filium, Franciſci Sfortiæ nepotem. Floruit hic Maximilianus anno Domini 1512. Deceſſit ſine liberis. Sanctius teſtatur, ſe habere numiſma Mediolanenſe, quod ex altera parte hoc inſigne habet expreſſum; ex altera effigiem D. Ambroſij, Epiſcopi Mediolanenſis.

II. HVIVS quidem ſchematis rationem adferam, ſi priùs huc tranſtulero, quod idem noſter auctor ea de re ſcripſit c. 43. De ſingulari certamine, vt Alciatus ipſe Alciatum enarret hac in parte. Sic enim ille: Celebre eſt in Annalibus Othonis Vicecomitis cum quodam Sarraceno in Aſia certamen, quem ille manu captum confoſſumq; galeæ ornamento priuauit, idque gentilitijs inſignibus ſuis addidit, hoc eſt, vipera vix natum & adhuc manantem ſanguine infantem ore euomens: nimirum ab Alexandro Magno acceptum emblema. Siquidem in eius antiquis nomiſmatis idem ſigillum reperire eſt, quo Ioue ſe natum rex ille per ambages oſtendebat. Etenim ſerpentis forma pluribus Græciæ locis Iupiter colebatur. Suntque in Aſia genera ſerpentum, quos ore parere hominum opinione receptum eſt. Hactenus ille. Celebratur itaque ſtemma eiuſmodi à diuina & antiqua origine, perennique nobilitate, è ſano Sapientiæ capite, promanante. Sed inſtituenti mihi commentaria integra, quo ad eius maximè fieri poteſt, occurrit præter alia, quæ de hoc ſtemmate Ducum Mediolanenſium retulit Franciſcus Petrarcha, Rerum memorabilium lib. 4. ad finem: cuius hæc penè verba ſunt: Azo Vicecomes, qui deinde Mediolani Principatum obtinuit, magni animi iuuenis, patris iuſſu cum copijs tranſmiſit Apeninum. In ea expeditione cum fortè deſcendens equo requieſcit, ingens vipera, nullo aduertente comite, in galeam Principis iuxta poſitam irrepſit: quam cum mox capiti reponeret, famoſo quidem & horrifico, ſed prorſus innocuo lapſu, per genas Ducis interriti fluxit. Eam à nemine lædi paſſus adoleſcens ille animoſus, ad omen geminæ victoriæ traxit. hincq; factum tandem, vt ipſe pro ſigno bellico vipera vteretur. Et hæc quidem Petrarcha, magni nominis raræque eruditionis auctor: quā narrationem, cùm adoleſcens Bononiæ ſtudijs operam daret, ſe ſæpè audiuiſſe ſcribit. Idem penè Gabriel Simeon Italus retulit, eo Compendio, quod lingua patria edidit de Ducibus Mediolanenſibus: cuius tamen verba huc conferre minimè attinet. Paulus autem Iouius, noſtra patrumque memoria hiſtoriæ ſcriptor inſignis, cum Alciato conuenit, eo nempè libro, quo Mediolanenſ. Principum Vicecomitum vitam eſt complexus. Ait enim Othonem (ſacro in bello contra Turcas & Sarracenos, Bulionio Godofredo duce) inſigni pietate & magnitudine animi virum, nihil territum Volucis Sarraceni ferocitate, qui medio in campo ad ſingulare certamen fortiſſimum quemque ex acie Chriſtiana prouocabat, cum eo fuiſſe congreſſum, tandemq; eum non minore fortitudine quàm felicitate deuiciſſe: deque confoſſi hoſtis galea opimum plenumque immortali gloria ſpolium retuliſſe, auritam ſcilicet viperam, inexplicatis ſpiris minaciter à cono caſſidis erectam, & puerum paſſis manibus deuorantem: quod vnum auſpicatæ virtutis argumentum, non modò gentilitiæ laudis geſtamen fuit, ſed & poſteris id inſigne audacter vſurpantibus, & imperia, & opes, & latè gloriam portendit. Fuere qui exiſtiment Volucem ex ſtirpe Alexandri Magni progenitum, tuliſſe pro inſigni viperam, ex Olympiadis fabula, puerum parturientem, quòd ea à dracone ſe compreſſam fuiſſe, Iouis imagine, prædicaret. Sic Iouius. Cæterū id ſtemma nobile & antiquum video. Si quis enim veterum Aegyptiorum notas, quas Hieroglyphicon nomine appellabāt, obſeruarit ex Oro maximè Niliaco, facilè diſcet eos imagine ſerpentis, Imperatorem regemque deſignaſſe. Quid enim dominium orbis, quid prouinciæ Principem, quid regem optimum & tutelarem ſiue cuſtodem, quid heroem, quid nominis & famæ amplitudinem figura ſerpentis exprimebant, niſi quòd ſpectato huius animalis admirabili genio, conditionem & dignitatem Principum eo ſchemate ingenioſo eruditis hominum oculis proponi volebant?

Alciati locus.

Franciſcus Petrarcha.

Gabriel Simeon.

Paulus Iouius.

Quid per ſerpētem Ægyptij deſignabant.

ſebant? Iactatum enim fuit olim Græca libertate in potentiores, qui populi diſpendio ſuas opes adaugerent, Anguem, niſi anguem deglutierit, draconem non fieri. Sed & proditum memoriæ eſt, ſerpentes olim adiunctos leonibus, qui Opis Deæ ſimulacris apponi erant ſoliti, quo ſignificabant orbis Principatum. Anguis enim circularis orbem, Leo verò fortitudinem viresque repræſentabat.

Quid per ſerpẽtem qui caudã mordicus teneat.

Quòd autem ſerpens ita ſæpè depictus conſpiceretur, qui ſibi caudam mordicus ore retineret, pauci ſunt qui explicuerint. Ea verò mihi perplacet eruditorum quorundam hominum coniectura, qui aiunt eo intellectum, & quaſi ob oculos poſitum fuiſſe Regem eũ, qui finem ſibi actionum omnium & conſiliorum prudenter & accuratè proponeret, cuique vltima, imò verò minima etiam curæ eſſent. Eo enim nomine Auguſtus, Antoninus Pius, Traianus, Hadrianus, Pertinax, Seuerus Alexander ad cœlum euecti ſunt: contrà malè ceſſit Heliogabalo, Caracallæ, Commodo, Domitiano, & alijs permultis Reipubl. Romanæ peſtibus, quòd ſimul atq; ad ſummum illum Principatum conſcenderunt, abiecta cura publica, ſibi tãtùm ſeruire, ſuasq; perſequi cupiditates, quo iure, qua iniuria, voluerunt. Cæterùm Anguis imagine, Rex cuſtos & tutelaris indicabatur: nam in bonorum Principum monumentis, populus ſuum in Regem ſtudium (cuius beneficentiam grato animo agnoſcebat) non alio modo poſteris commendabat, quàm ſerpente vigili, ſurrecto vertice, & elato pectore. quod Homericum illud declarat: Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα: *Non decet virum conſultorem*, qualis Princeps eſſe debet, *tota nocte dormire*. Apud Horatium eo quidem ſenſu, ſerpens Epidaurius appellatur, vt apud Græcos ὄφεως ὄμμα, ad vigilantiam deſignandam. Denique tam fuit inſigne & celebre id Hieroglyphicum ſerpentis, vt non temerè Imperator clariſſimus Epaminondas vſurparit extremo ad Mantineam confecto bello: cuius memores poſteri columnam erexerunt, appenſo clypeo, in quo ſculptus draco eſſet. Eius monumenti rationem affert Pauſanias, quia is Imperator laudatiſſimus ex Spartiatarum genere, quod Thebis antiquiſſimum fuit, ortum duxiſſe putabatur, quorum id gentilitium inſigne eſſet, vt qui ab anguineis illis dentibus à Cadmo telluri mandatis eſſent oriundi. Nondum mihi tempero, quin alia quędam ad huius magnifici ſtemmatis arcanum illuſtrandum adijciam.

Anguis quid ſignificabat.

In oſtentis enim & præſagijs, Angue ſumma nominis dignitas & amplitudo portendebatur, non modo ijs, qui ad regij dominatus, aut etiam regni faſtigiũ expectabantur, ſed & ijs, qui arte quadam vel ingenio celebritatem quãdam ſibi compararunt. Vt enim retulit 1. De diuinatione M. Tullius:

Roſcius.

Cùm Roſcius in cunabulis eſſet, educareturque in Selonio, qui eſt campus agri Lanuuini, noctu lumine appoſito experrecta nutrix animaduertit puerum dormientem circumplicatum ſerpentis amplexu, quo aſpectu exterrita clamorem ſuſtulit. Pater autem Roſcij ad aruſpices retulit: qui reſponderunt, nihil illo puero clarius, nihil nobilius fore. Atque hanc ſpeciem Praxiteles cęlauit argento, & Archias expreſſit verſibus. Hęc Cicero.

Seuerus Imper.

Spartianus auctor eſt, Seuero imperium præmonſtratum: ei enim in ſtabulo dormienti ſerpens caput cinxit, & ſine noxa, expergefactis atq; acclamantibus familiaribus, abijt.

Aurelianus Imp.

Ferunt & Anguem portendiſſe imperium Aureliano, quanquam ille mediocrium fortunarum & parentum eſſet. Nam cùm eius pueri peluim ſerpens cinxiſſet, neq; vnquam potuiſſet interfici, poſtremò mater eius anguem occidi noluit. Mulier hęc templi Solis ſacerdos erat, diuinationum minimè ignara, quippè quę familiarem hunc ſerpentem, tanquam genium agnoſceret.

Tiberius Cæſar.

Tiberius Cæſar ſerpentem draconem in delicijs habuit, eiq; ſua manu cibum miniſtrauit: quem cùm is corroſum à formicis obſeruaſſet, monitus eſt cauendam eſſe ſibi vim multitudinis: formicis enim populum ſignificari.

Maximinus Iun.

Maximini Iunioris, qui à patre regni particeps factus eſt, dormientis caput ſerpens circundedit, futurę dignitatis præſagium. Idem penè, quod de Alexandro Magno, refertur de Pomponia Africani Scipionis matre, &

Auguſti mater.

Actia matre Auguſti Octauij, quæ in templo Apollinis ſomniauit ſe cum dracone congreſſam, indeque factum, vt macula picti draconis in corpore conſtanter hæreret, quę nunquam poſtea eximi potuit. De anguis augurio Cornelius Tacitus lib. 11. ſic: Sedente Claudio Circẽſibus ludis, cùm

pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent, interque eos Britannicus Imperatore genitus & L. Domitius adoptione mox in imperium & cognomentum Neronis adſcitus, fauor plebis acrior in Domitium loco præſagij acceptus eſt: vulgabaturque affuiſſe infantiæ eius dracones in modum custodum, fabuloſa & externis miraculis aſſimulata. Nam ipſe haudquaquam ſui detractor vnam omninò anguem in cubiculo viſam narrare ſolitus eſt. Virgilius non temerè ſcripſit anguem exijſſe è tumulo Anchiſis. Veteres enim, vt eſt apud Plutarchum in Cleomene, ſerpentes tribuerunt heroibus: cuius rei rationem non vnā multi afferunt. Sic enim Poeta lib. 5. quo loco Aeneas patri iuſta facit:

Salue ſancte parens, iterum ſaluete recepti
Nequicquam cineres, animæq; vmbræque paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaq; arua,
Nec tecum Auſonium (quicunq; eſt) quærere Tybrim.
Dixerat hæc, adytis quum lubricus anguis ab imis
Septē ingēs gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulū, lapſusq; p aras:
Cærulea cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Æneas: ille agmine longo
Tandē inter pateras, & leuia pocula ſerpēs,
Libauitq; dapes, rurſusq; innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus geniumq; loci, famulūne parentis
Eſſe putet.

Sed de his ſatis; plura de ſerpentibus qui volet, adeat Pierium Valerian. lib 14: & 15. Nunc ad ſingula verba examinanda accedamus.

III. EXILIENS.] Prodiens, extra ſaliēs, ſaliendo prorumpens.

Infans.] Puer anniculus. *νήπιος, παιδάριον*; rubens, vt fœtus ex vtero. Rubet autem fœtus recens natus, ob tenuitatem cuticulæ, quæ à frigore ambiente condenſata cutem genuinam tegit, extremitates & oſcula venarum per cutem diſſeminatarum claudens. Hinc communior eſt Anatomicorum ſententia, cuticulam in vtero omnino abeſſe, quod falſum eſſe, ratione — *Infans cur rubeat.*

& experientia conſtat, vt dilucidè probat Iulius Caſſerus Placentinus.

Sinuoſi.] in ſinu & gyros complicati: epitheton ſerpenti conueniens, ſinuoſum enim dicimus, à longo ſinu, quicquid ob laxitatem fluit. Virg. 11. Aeneid. — *Sinuoſus.*

Saucius at ſerpēs ſinuoſa volumina verſat.

Et *μεταφορικῶς* apud noſtrum Autorem infra: *Sinuoſi in faucibus antri.*

E faucibus.] Fauces ſunt gulæ partes interiores, tota nimirum illa capacitas, quę ore hiante percipitur. Quę regio ob anguſtiam *ἰσθμὸς* dicitur, ſunt enim ibi duo foramina anguſta fiſtularum, cibalis, nimirum, & ſpiritalis. Plin. Summum gulę, fauces vocātur; poſtremum ſtomachus. Hinc ſuffoco, præfoco, id eſt, ſpiritum præcludo, veluti obſtrictis faucibus. — *Fauces.*

Gentilitijs.] vſurpatum à tuis gentilibus & maioribus familiæ: Nam pro imaginibus poſteriora tempora inſignia gentilitia habuerunt, quæ arma, vel armaria vulgo dicuntur: quę ipſa quoq; primum, vt ſimile veri eſt, virtutis fuere præmia ac rerum pręclare geſtarū decora. Budęus.

Nobile ſtemma.] Nobiliores erant, qui ſui generis imagines & ſtemmata ſeu ſchemata proferre poterāt. Budæus Annot. in Pandect. vſurpatur autē ſtemma plerunque pro corona; deductum verò eſt id nominis à *στέφεσθαι*: vt illud Homericum: — *Stemma.*

στέμματ᾽ ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

Alciat. refert 2. Parerg. c. 30. Lege 6. Miſcellan. P. Nannij.

Pellæum regem.] *περιφραστικῶς* pro Alexandro: vt apud Iuuenal. Sat. 10. — *Pellæus Alexander.*

Vnus Pellæo iuueni non ſufficit orbis:
Æſtuat infelix anguſto limite mundi.

Auſonius Paulino:

Ocyus illa iugi fatalis ſoluere lora
Pellæum potuiſſe deum reor.

Sic autem dictus eſt à Pella vrbe Macedonię abiectiſſima, quam tamen (vt refert Pomponius Mela lib. 2.) alumni, Philippus & Alexander illuſtrem reddiderūt. Hanc etiam Plinius lib. 35. Alexandri patriam appellat. — *Pella urbs.*

Nomiſmata.] Symbola in numis, ſignis militaribus, in templis, locisq; publicis expreſſa, ſic enim hic nomiſma *συνεκδοχικῶς* accipi videtur. Pignorius arbitratur hic nomiſma eſſe numos veteres. Neq; abſq; ratione; *Vidimus*, enim, quod ſequitur

in

in carmine, omnem tollit dubitationem. Alciatus autem vetuſtatis fuit obſeruantiſſimus.

Vidimus.] legimus apud Hiſtoricos. Rectè ait *vidimus*, verbum enim eſt ἐμφατικὸν. Sic καθ' ἱστορίαν ἰέναι, viſendi vel ſciendi gratia ire, vt apud Plutarch. de Hiſtoria dicitur.

Concelebraſſe.] illuſtraſſe, cum celebritate aliqua iactaſſe, publicaſſe.

Suum genus.] ſuam originem. Iuſtinus lib. 12. ait, Alexandrum virum ſupra humanam potentiam magnitudine animi fuiſſe præditum. De genere Alexandri Plutarch. Iuſtinus. Q. Curtius, alij multa.

Templū Ammonis.

Ammone ſatum.] In Aphrica Cyrenaica prouincia eſt, in Cyrenaica Iouis Ammonis templum, teſte Pomp. Mela, & alijs Geographis. Dictus fuit Ammō. id eſt, arenoſus, ἄμμος enim Græcis arena eſt, quod cum Liber pater, tota iam debellata Aſia, per arentes Libyæ campos exercitum duceret, & in ſicca arena maxima omnes ſiti premerentur, Iouem patrem fertur imploraſſe: ſtatim ei apparuit aries, cuius ductu amœniſſimum reperit in medijs arenis fontem. Hac de cauſa Bacchus templo Ioui conſtituto, vbi fons eruperat, ſimulacrum arietina figura in templo collocauit, & Ammonem vocauit. Celebratur & aliud templum Iouis Ammonij, inſigne & ſumptuoſum, ab Iarba Getulorum Rege erectum, cētum aris nobile, de quo Virgilius:

Ammon.

Templa Ioui cētum latis immania regnis
Centum aras poſuit, vigilemq; ſacrauerat ignem,
Excubias Diuum æternas.

Quo & Martialis alluſit eo verſu:

Diſſimuletq; Deum cornibus ara frequens.

Sed hoc ab illo diuerſum rectè putat Politianus: hoc ſiquidem ſumptuoſum, illud verò pauperrimum teſtatur Lucanus his verſibus:

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus vnum
Inculti Garamātes habent; ſtat corniger illic
Iupiter, vt memorant, ſed non aut fulmina vibrans,
Aut ſimilis noſtro, ſed tortis cornibus Ammon.
Nec illic Libycæ poſuerunt ditia gentes
Templa, nec Eois ſplendent donaria gēmis,
Quamuis Æthiopū populis, Arabūq; beatis
Gentibus, atq; Indis vnus ſit Iuppiter Ammon.
Pauper adhuc Deus eſt, nullis violata per æuum
Diuitijs delubra tenens, morumq; priorum
Numen Romano templū defendit ab auro.

De his vide Lilium Gyraldum Syntagmate 2. hiſt. Deor. Politian. ca. 52. Miſcel. Lege & Hygin. lib. 2. de ſignorum cœleſt. hiſtorijs, Suidam, Pauſan. lib. 4. Q. Curtium, & alios. Alexander Magnus itaq; ingenti ductus cupiditate adeundi Iouem, quem generis ſui autorem, haud contentus mortali faſtigio, aut credebat eſſe, aut credi volebat, nullis difficultatibus abſterreri potuit, quo minus per ſiccas regiones, & tenaciſſimum ſabulum ductaret exercitum ad Ammonem. Quò cum perueniſſet, maximus natu è ſacerdotibus filium appellauit, hoc nomen illi parentem Iouem reddere affirmans. Plutarchus tamen aliter hoc refert, cum Ammonis ſacerdos Alexandrum ſalutaturus linguæ vitio præpeditus, pro παιδίον, filiole, dixiſſet, παῖ Διός, id eſt, Iouis fili, illum vocis errorem Alexandrum libenter, perinde ac omen audiuiſſe, hinc cœleſtis originis gratia captata, cui initia dediſſet error. Apud Lucianum in Mortuorum dialogis, Alexander fatetur vtile ſibi fuiſſe ad res gerendas, quòd Iouis Ammonis filius crederetur. Formidandum enim erat, ne aliquis ſibi repugnaret. Id cur factum ſit, lege Auguſtin. De ciuit. lib. 3. cap. 4. Præclara extat Alexandri laudatio apud Apuleium Primo Floridorum.

Olympias Alexandri mater.

Matrem anguis imagine luſam.] Olympias Alexandri mater vel putauit, vel ſimulauit ſe à Ioue compreſſam ſub ſpecie draconis, ad tegendam congreſſus ignominiā. Id enim factum fuiſſe à Mago quodam impoſtore credibilius eſt, vt auctores non pœnitendi prodiderunt. Quæ res amorem, charitatemq; Philippi extinxiſſe fertur; adeo vt illius perſæpe concubitus euitauerit, ſiue aliquas magicas artes, & veneficia reformidans, ſiue illius cōſuetudinem & contubernium cuiquam Deo ex quadam religione permittens. Poſt illa cum Philippus hac de cauſa Cheronem Megalopolitanum Delphos miſiſſet, à Deo reſponſum eſt, vt Ammoni rem diuinam faceret, & hunc in primis Deum veneraretur, amiſſurumq; ex oculis alterum, quo die in draconis forma concumbentem Deum cum Olympiade per oſtij rimulam

lam aſpexiſſet. Olympias quoque (ſicut ait Eratoſthenes) proficiſcenti in expeditionem Alexandro, ſecretò genituræ detexit arcana, proinde dignos genitore animos fouere iuſſit. Hæc carptim ex Plutarcho. Et profectò maius humana mortalitate opus vtero tulit quàm cùm Aeacidarum gens ab vltima ſeculorum memoria, & regnum patris, fratris, mariti, & deinceps maiorum omnium illuſtrauerit: nullius tamen nomine quàm filij clarior fuit. Huc refero congreſſum Martis (id eſt, perſonati cuiuſdam militis, qui Martem mentiebatur) cum Rhea Romuli & Remi matre. Quid enim huc commemorem aniles noſtrorum fabulas de Meluſina, deque Roberto cui cognomen Diabolo fecerunt? Non plura: nam de Succubis & Incubis aliàs.

Rhea. Meluſina. Robertus Diabolus.

Diuini & ſobolem ſeminis.] Deorum non eſt propria generatio, ſed hominum, vt rectè diſputat in Numa Plutarch. vbi agit de congreſſu Pompilij, cum Nympha Aegeria. Nam ſexus in homine, argumentum eſt impotentiæ & imbecillitatis, quæ in Deo eſſe non poteſt, vt Lactãtius docet. Sed multi illuſtres nothi, cum incerto patre nati eſſent, retulerunt ſuum genus ad Deos; non malè profectò, ſed cautè tamẽ, vt Epaphus Ouidianus Phœbum pro patre agnouit, quia Sol & homo generant hominem.

Epaphus.

Tradunt ſic quoſdam enitier angues.] Plin. lib. 8. cap. 23 & Solinus cap. 30. Polyhiſt. Amphiſbęnas ore parere tradunt: his enim caput eſt geminum, hoc eſt, & ad caput & ad caudam. Neminem quidem ſtudioſorum latere velim, id commodè atq; perſpicuè relatum ſcriptis à Pierio 15. Hieroglyph. ne quis me ingrati animi arguat, qui ex tam fœcundo ac copioſo rerum ſelectiſſimarum pomœrio tot flores & fructus collegerim. Addo ex opinione Anaxagorę Philoſophi, ceciniſſe Ouidium, muſtelam ore parere. Sic enim inquit in 9. Metam.

Amphisbæna. Muſtela.

Quæ quia mendacem parientè iuuerat ore,
Ore parit, noſtraſq; domos, vt ante, frequentat.

Hanc opinionem refutat Ariſtoteles lib. de anim. gen. 3. Plin. quoq; lib. 10. Lacertam ore parere dicit, quod vulgò creditur, Ariſtoteles negat. Itidem alij de ſepijs affirmant.

Enitier.] pro eniti, παραγαγεῖν. Enixæ dicuntur fęminæ, nitendi, hoc eſt, conandi & dolendi labore perfunctæ. Nexum enim dicimus arctum & colligatum. Nonius. Id quidem ad zonę ſolutionem referri nõ inconcinnè poteſt, qua partus deſcribitur à poetis, nempe quòd omni nexu oportet mulier ſoluatur, vt commodiùs enitatur & pariat. Callimachus Hymno in Iouem:

Enixa.

ἐπεὶ τῆμος δ᾽ ἱερὸν † ῥέει ὅτ᾽ ἐλύσατο μίτρην, id eſt, quando peperit. quod & admonet Græcus ſcholiaſtes. Alcimede apud Apollonium Argonaut. 1. filij diſceſſum lugens:

† ῥέεν

—— ᾗ ἔπι μούνῃ
μίτρην πρῶτον ἔλυσα καὶ ὕστατον.

Quo loco ſcholiaſtes ab altero non diſſidet, quin & adijcit. ὅθεν καὶ λυσιζώνης ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν ἀθήναις. Quorum locorum (ait Minos) mihi copiam pro ſua humanitate fecit Ioannes Frater, Baiocenſium gymnaſij hac in Pariſiorum Academia primarius, vir vtriuſque linguæ peritiſſimus, & cum quo, literarum nomine, mihi nuper amicitia interceſſit.

An quia ſic.] Hæc non eſt interrogatio, ſed modus loquendi Philoſophorum in problematis diſſoluendis, qui etiamſi certiſſima proferant, veluti dubitando definiunt per particulam *An*.

Pallas de capite orta Iouis.] Imitatus videtur illud Propert. è lib. 3.

Semina curarum de capite orta tuo.

Martianus Capella initio lib. 6. de Pallade:

Hinc de patre ferunt ſine matris fœdere natam,
Prouida conſilia quod neſcit curia matrũ.

Poſtremum hunc verſum (quod obiter moneam) vna voce corruptum, Beroaldus emendat, annot. in Caligulam Suetonij, ac pro *conſilia*, legi mauult, *conſiliũ*. Nos cum Iureto ita melius & commodiùs, niſi fallit coniectura:

Prouida conſilij quod non ſit curia matrũ.

Quod autem Pallas ex Iouis cerebro nata ſit, teſtis eſt Pindarus Olymp. Ode 7. cuius rei rationem (ſed aliam atq; aliam) reddunt Fulgentius Mythologic. 2. Phornutus De natura deorum, Gyraldus Syntagm. 11. Ouid. Faſtor. 3. epimythia & ſua tradũt, ſed lõgè alijs diuerſa. Ex his .n. alij ſpeculationem phyſicam, alij ethicen, alij alia conſiderant. Themiſtius oratione 10. οὐδὲ προσκαλεῖς τοὺς φιλοσόφους (alloquitur

Pallas cur è Iouis cerebro nata.

quitur Imperatorem Valentem) κἂν ἀποκνῶσι. καὶ ὁπόσον σὺ χρόνον τοῦ ἔτους ἐπὶ χώρας μένεις, ἀνάγκης χειμερίζεις τῶν λόγων. τοῖς στρατηγοῦσι δὲ οἱ φιλοσοφοῦντες ἐν ἴσῃ προεδρείᾳ, γνώμης ἅμα καὶ δυνάμεως σε θεραπεύουσι. διά γὰρ τοῦτο καὶ τὴν Ἀθηνᾶν ἐκ τῆς κεφαλῆς γεννῶσιν οἱ ποιηταὶ τοῦ Διὸς, ἐνδεικνύμενοι καλῶς ὅτι προσήκει τῶν βασιλείων μήτε λόγον ἄπρακτον, μήτε πρᾶξιν ἄλογον ἐκφοιτᾶν, ἀλλὰ καὶ τὸν νοῦν ἐνεργὸν εἶναι, καὶ γέμειν νοῦ τὸ δραστήριον. Exiſtimo autem cum Pindari ſcholiaſte ad 7. Olympior. figmentum id eſſe referendum eò, vt dicamus omnes artes & diſciplinas, è Iouis cerebro, id eſt, ſummi & prępotentis Dei mente & ſapientia prodijſſe. Perſpicuum enim nobis eſſe debet, vt alia omnia bona, ſic ipſas quoq; ingenuas artes à Deo nobis eſſe communicatas. Et quanquam Dei beneficio nobis hæc Minerua generetur, ductore tamen & magiſtro primùm opus eſt. Adeò nemo eſt, qui doctrinæ laudatiſſimam ἕξιν comparare ſibi queat, qui non bonis præceptoribus ſeſe tradiderit inſtituendum. De Natali Palladis extat feſtiuus Luciani dialogus, quem compendio huc aſſcribit, eiq; ſuam ſubiungit mythologiam Sanctius: Laborabat Iupiter dolore capitis, iuſſit Vulcanum cum ſecuri acutiſſima venire, qui caput diffinderet. Vulcano totis viribus in caput Iouis impellente ſecurim, virgo Pallas proſiluit armata, iam nubilis, cęſia, pulcra, clypeū ſaltando concutiens, cum armatis tripudians, haſtam vibrans. Addit præterea Pindarus in Olympicis, adaperto Iouis capite, adeo vehementer Mineruam infremuiſſe, vt totū clamore perterrefaceret Olympum. Sed non abs re fuerit, quoniam ſępe in hoc opere ſe nobis offert Minerua, ſemel dixiſſe, quid hæc fabula ſignificet: nulla enim tam vilis fabula eſt, ex qua Plato non eliciat, aut Aſtrologiæ myſteria, aut ad vitę commoda pręcepta ſalubria. Minerua igitur ſiue Pallas, eſt artium omniū & bellorum Dea. Artes & ingenuę diſciplinę ex cerebro, ceu capite Iouis, id eſt, Dei Opt. Max. ſapientia proueniunt. Scimus etenim ex ſacris literis omne datum optimum, & omne donum à patre luminum deſcendere. Securi caput Iouis aperit Vulcanus vt Minerua naſcatur. Quid hoc aliud eſt, quam impetu quodam, quadā; lucta, & ſummo ingenij conatu artem tandem conquiri? Nemo enim vnquam artium apicem conſequetur, ſi prius non ſe vigilijs, ſudoribus, & algoribus exercuerit. Sed quid eſt, quod addit Pindarus, cęlum & terram clamore Mineruæ contremuiſſe? Nihil aliud eſſe reor, quam cœlum, terram, ſtellas, mare, cuncta denique ſapientia gubernari; ad cuius imperium atq; nutum omnia moueantur atq; contremiſcant. Quid tandem innuit clamor ille Mineruę recens natę? Iuſtitiam, æquitatem, iura, leges, ſocietatem humani generis, virtutum præmia, ſcelerum punitionem. Rectè itaq; tam pium clamorem cœlum & terra timent & reuerentur. Sed quoniam & bellorum pręſes eſt, videamus rurſus, an hæc, quæ diximus, in diſciplinis bellicis etiam poſſint adaptari. Eſt Dea belli Pallas, haſtamq; vibrans effingitur; propterea quòd illi ſe in bellicis operibus gerunt ſtrenuè, qui bonas diſciplinas cum arte bellica coniunxerunt, vixq; reperias in re militari ducem inſignem, qui non idem ſumma prudentia ſit præditus. Naſcitur ex cerebro Iouis: quia belli gubernatio ex Deo eſt, vt inquit Homerus. Sed militaris ars vſu & exercitatione conſtat: quapropter Vulcanus ſecuri caput findit Iouis, vnde naſcitur Bellona, id eſt, animus fortis, agilis, ſtrenuus, & conſilijs atque ſtratagematis valens. Et quia Iouis eſt filia, propter Iuſtitiam defendendam clamat: bella enim ideo ſuſcipiuntur, vt in pace viuatur. Sed enim cum bellum adeo res ſit horrenda, vt vix eius calamitas explicari poſſit, quid mirum, ſi cęlum & terra concutiantur ad horrendas Bellonæ voces? Naſcitur Pallas armata, & iam adulta, non infans: quia conſilium ducis, antequam in lucem prodeat, iam oportet eſſe perfectum & integrum, omnibusq; numeris abſolutum. Sed quoniam iam de Palla decœperimus, cantemus iterum eiuſdem natiuitatem, vt ab Heſiodo accepimus, ſed tamen breuius. Inquit enim ille:

Ζεὺς δὲ θεῶν βασιλεὺς πρώτην ἄλοχον
θέτο μῆτιν,

Vxorem primam Metim ſibi Iupiter addit.

(id eſt, prudentiam) Quæ cum iam eſſet Mineruā paritura, Iupiter à Cęlo & Tellure monitus, filios, quos ex Metide ſuſciperet, conſilio & fortitudine patrem ſuperaturos, Mineruam ex ventre Metidis per iocum

Palladis ortus.

Ἐπιμύθιον.

Artes ex cerebro Iouis.

Clamor Mineruæ.

Pallas Dea belli.

Bellona quid.

Pallas cur armata naſcatur.

iocum & dolum erutam ſuamet aluo con didit. Subdit inferiùs: Ipſe autem Iupiter ex capite proprio Mineruam progenuit, cę ſijs oculis præditam, acrem, indomitam, venerandam, cui bella, & belli clamor erãt cordi. Hæc ille. Ioannes Diaconus Metidem grauidam à Ioue deuoratam ſcribit his verbis: καὶ ἔγκυον ταύτην ποιησάμενος, καταπίνει αὐτὴν, ἵνα μὴ ἄλλος τὶς τῶν θεῶν ἀποκυηθείη παρ' αὐτῆς ἀναιδὴς καὶ ἀτάσθαλος. id eſt: *quam cum grauidam feciſſet, deglutiuit, ne quis alius Deorum naſceretur ex ea impudens ac fatuus*. Ex eo cibo mox ipſe Iupiter pro vxore grauidus factus, Palladem armatam è capite peperit. Quod quidem monſtrum tantopere contra naturę cõſuetudinem fictum, neſcio quo pacto primùm æquis animis perferri potuit, neq; fuerit cum maximo omnium riſu exploſum: quippe cum mendacia, & res ſupra credulitatem fictæ, ſoleant etiam veris & probabilibus plerunque fidem detrahere. Putant autem Mineruam dictam à minuendo, quod neruos minuat. Pallas autem dicitur (vt ait Euſtathius in princ. Iliad.) ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ. id eſt, à vibrando haſtam: vnde à Poetis Latinis dicitur Armiſona. Vel quod Pallantem gigantem in gigantomachia occiderit. Vel quod ἐκ τῆς τοῦ Διὸς συνεπάλτο κεφαλῆς. id eſt, ex Iouis capite exilierit. Hinc, vt ait Heſiodi interpres in Aſpide, dicta eſt, Tritonia, vel Tritogenia: quoniam lingua Aeolica τρίτω, caput ſignificat; quamquam de hoc nomine magna eſt opinionum diuerſitas. Nam Homeri ſcholiaſtès lib. Iliad θ. ἀπὸ τοῦ τρεῖν, dictam aſſerit, quod hoſtes paueſcere faciat. Pomponius Mela lib. 1. Super hunc, inquit, ingens palus amnem Tritona recipit, ipſa Tritonis: vnde & Mineruæ cognomen inditum eſt, vt incolæ arbitrantur, ibi genitę, faciuntq; fabulæ ei aliquam fidem, quod quem natalem eius putant, ludicris virginum inter ſe decertantium celebrãt. Hoc ſecutus Lucanus, ſic canit de Tritonide palude:

Absurdũ figmentũ.

Minerua vnde dicta. Pallas vnde dicta.

Pallas cur Tritonia dicatur.

Hanc & Pallas amat, patrio quæ vertice nata,
Terrarũ primã Libyã (nã proxima cœlo eſt,
Vt probat ipſe calor) tetigit, ſtagniq; quieta
Vultus vidit aqua; poſuitq; in margine plantas;
Et ſe dilecta Tritonida dixit ab vnda.

Porrò aſſerit Euſtathius 1. Iliad. vbi canit Homerus, deſcendiſſe de cœlo Mineruam, vt ſedaret iram Achillis, οὐρανὸν ab antiquis pro capite vſurpari, quia caput, ex Platonis ſententia, ad inſtar mundi ſit ſphęricum, vbi Pallas commoratur; quæ nihil aliud eſt, Democrito interprete, quam ipſa prudentia, quæ (vt autor allegoriarum in Heſiodum tradit) iure dicitur è Iouis vertice prognata, quoniam ab experientia ſeſe promit prudentia, experientia verò ex ſenſibus, qui in capitis ambitu cernuntur. Alluſit ad fabulam Terẽtius in ſene ſeipſum excruciante, cum inquit: *Non ſi ex capite ſis meo natus item, vt aiunt, Mineruam eſſe ex Ioue.* Et Ouid. in Faſtis:

Aut quia de capitis fertur ſine matre paternĩ
Vertice cum clypeo proſiluiſſe ſuo.

Nolim fieri moleſtus lectori, ſi Iſacij Tzetzis rationes adiunxero: cuius hæc fermè ſententia ex ijs commentarijs, quos ſtudioſè cõſcripſit in Caſſandram Lycophronis: Tritonia Pallas dicta, qđ in Trito Libyæ fluuio nata creditur: vel quod tertio menſis die orta. Ideo enim tertia dies Mineruæ ſacra eſt Athenis: vel quod ἐκ τῆς τριτοῦς, id eſt, Iouis capite progenita: τρίτω enim Bœotum lingua, caput nominatur: vel quod eadem cum Luna ſit, quæ apparet tertio quoq; à coitu die: vel quod eadem ſit cum anima, quæ tres partes habet, ἐπιθυμίαν, θύμον, καὶ λογισμόν: vel quod eadem cum prudentia ſit: aut ex Democriti ſententia, quod hęc tria pręſtentur ab anima, bene conſulere, rectè iudicare, iuſtè agere, ideſt, εὐβουλεύειν, εὐκρίνειν, καὶ εὐπράττειν.

Praeter ea, quæ ſupra in Mythologia Mineruæ tacta ſunt, vnum hoc loco noto, cæcam nimirum temeritatem eorũ, qui conditionis ſuæ obliti ſeſe mortalitate exuere conati ſunt diuinitatem ſibi arrogantes. Nec.n. ſolus Alexander hanc inſaniuit inſaniam, ſed plures habuit aſſeclas, ex quibus aliquos produxiſſe non erit abs re. Antigonus Rex in omnibus Liberum patrem imitatus, hederam capiti circumpoſuit loco diadematis Macedonici, thyrſum pro ſceptro gerens, ſi Herodiano debetur fides: quanquam non deſunt, qui hanc in ipſo diuinitatis affectationem excuſent. C. Caligula non modò nouus Dionyſius ſiue Bacchus appellari voluit, ſed & vniuerſum Dionyſiacum habitum indutus inceſ IV.

Antigonus.

C. Caligula.

ſit,

ſit, in eo etiam apparatu iudicia exercens, vt refert lib.4. Athenæus; & latius Dio Nicæus lib.59. in hæc verba: Caligula interdum effœminatior ſpectabatur, thyrſum & cratera tenens; interdum virili ſpecie clauam & leonis pellem geſtabat, ſubinde facie læuigata & raſa, mox barbata viſebatur; nunc tridentem tenens, nunc fulmen vibrans; nonnunquam Palladi bellicæ virgini aſſimilatus. Bacchi quoq; habitum cultumq; vſurpaſſe legimus M.Antoniũ, *M. Antonius.* quem Velleius Paterculus redimitum hederis, coronaq; velatum aurea, & thyrſum tenentem, cothurnisq; ſuccinctum ſcribit, curru velut Liberum patrem vectum fuiſſe Alexandriæ. Sic Commodus *Commodus.* Imp. Herculem ſe, & Iouis filium nominari voluit, depoſito Imperatorio cultu omni, leonis exuuio indutus, & clauam manu geſtans, Herodiano huius rei oculato teſte. Non ſecus atq; Sextus Pompeius *Sextus Pompeius.* Neptuni filius olim haberi ambiuerat, Phœnicium paludamentum, quo Imperatores vtebantur, in cœruleum conuertens. Prodeat tãdem inter laruatos hoſce Deos fruſtum illud hominis Heliogabalus, *Heliogabalus.* qui, ſi Lampridio credimus, ceruos quatuor ad currum iunxit, quo vehebatur, totidemq; canes, Dianam ſe appellans; & quatuor tigres, Bacchum ſe dictitans; & quatuor leones, ſe Cybelen vocans: non tam venationis & ferarum ſtudio, quàm religionis & Deorum hominumque contemptu. Sed quid mirum, ſi in priſcos illos tenebriones, quibus veræ fidei lux non affulſit, tantum potuit eorum anteſignanus, qui dixit: *Similis ero Altiſſimo?* Si enim impia licentia, ligna & lapides ſibi Deos ſtatuere potuerunt, cur non & ſeipſos, aut ſuos, ſeruilia ſculptilium mancipia. Nos, nos manet hæc dignitas, *Homo Catholicus Dei filius.* quibus ſacro Baptiſmatis fonte regeneratis veræ fidei fulgor illuxit; nos æternus ille Pater in filios & regni hæredes adoptione ſibi elegit. Gloriari itaque fas ſit homini Catholico, & erigere criſtas hoc vnico titulo (audite cœli & elementa, & vos beati ſpiritus) quia filius Dei. Quis cum bulla hunc mihi, aut fumo, vel vmbra amplius conferat? Prodeat, quicquid ſub Luna, & ſupra, non æquabit excellentiam hominis & magnitudinem. Quid enim propius diuinitati, quid magis diuinum quam filius Dei? O ne degeneret;ſo monita audiat. Audite & me, o degeneres: vos appello, qui nominis & dignitatis veſtræ obliti, contempto hoc magno patrocinio, quo magnus naturæ Autor ac genitor vos amplectitur, nutrit, & ſuſtentat liberali manu, tutorem alium & patronum ab inferis quæritis; apud quos ita ſordet ac vileſcit paterna hæc benignitas, vt in media copia rerum, velut Tantalus aliquis, eſuriem atq; ſitim conqueſti, magicis artibus affluentiam talium mercari vobis impiè, & licitari pro his cum Stygijs mercatoribus fruſtra conemini, execrabili ſanè conuentione & pactis. Cœlum ſuſpicito, nequam genus, ibi panarium noſtrum, & cellæ, & horrea, quæ paſcunt: eò dirigendus oculus, inde præſidium expectãdum, & quicquid neceſſarium vitæ huic, & poſt hanc. Nec verò cogitatio hæc vnquam irrepat menti, nos idcirco infæliciores eſſe, quia in cataſtam hanc laborum & ſudorum tanquam mancipia damnati, ſeruile dorſum percutientis fortunæ flagris ſubmittere cogimur, & pati iniurias. Certamen eſt ad gloriam, lucta ad triumphum, vt victor æternum regnet, conſors & cohæres auguſtiſſimæ poſſeſſionis, quam præpotens DEVS, noſter omnium communis pater, præparauit diligentibus ſe. Scimus filiorum partes eſſe & officium, obſequi & audire iuſſa parentum: horum, proſpicere & largiri neceſſaria. O diuites nos, ò ſecuros à paterna hac cura & cœleſti prouidentia?

MEDIOLANVM.

EMBLEMA II.



BITVRICIS vervex, Heduis dat ſucula ſignum;
His populis patriæ debita origo meæ eſt.
Quam Mediolanum ſacram dixere puellæ
Terram: nam vetus hoc Gallica lingua ſonat.
Culta Minerua fuit, nunc eſt vbi numine Tecla
Mutato, Matris virginis ante Domum.
Laniger huic ſignum ſus eſt, animalq́ biforme:
Acribus hinc ſetis, lanitio inde leui.

COMMENTARII.

I. PINGVNTVR operarij circa fabricam magnifici ædificij & mœnium occupati; ab his non longè foſſa conſpicitur, pro iaciendis fundamentis facta, ex qua animal extrahitur, anteriore ſui parte ſuē, poſteriore verò ouem referens; vnde nomen Vrbi Mediolano inditum creditur.

II. INDICAT Alciatus hoc Emblemate; quodnam Mediolani vrbis Inſubrum notiſſimę, patriæ ſuæ, inſigne ſit atq; origo. Sus, inquit, cuius dimidia pars ſit lanea, reliqua ſetacea, patriæ meæ dat inſigne. indeq; Mediolanum dicitur, quaſi dicas, dimidia parte lanatum, notatione elicita ex duarum ciuitatum Galliæ ſchematibus publicis, Biturigum nimirum, & Heduorum; quorum hi ſuculam, illi arietem pro inſigni & ſymbolo habent. Itaq; habes *Mediolanum vnde nominatum.*

Medio-

Mediolani ἔτυμον & denominationem, à ſue lanato ſumptam. Dum enim prima vrbis huius fundamenta iacerentur (vt præter alios retulit D. Ambroſius) aper eſt repertus media parte lanatus. Alij à Medo Inſubrum duce nominatum Mediolanum malunt. Vrbs eſt metropolis Galliæ Ciſalpinæ, à Gallis Inſubribus condita 359. annis ante Chriſtum natum: quanquam Olanum ducem Tuſciæ primum eandem excitaſſe teſtetur Cato fragmento 7 Origin. Hinc docti plerique prodiere, inter quos non infimum, ſed merita gloria certè inſignem Alciatum iure adſcripſerim, qui hoc emblemate Mediolanum natale ſolum non illepidè celebrat. *Mediolani laus.* Nec verò mihi temperare poſſum, quin adijciam quod diſcendi ſtudioſis non omnino diſpliceat. Imperio in Orientem translato, veteri quaſi ſeneſcente Roma, Imperatores Mediolano capi & delectari cœperunt; vnde in tantū excreuit ea vrbs, vt à Procopio 2. Gothici belli, prima inter Occidentis vrbes poſt Romam dicatur, & facilè cæteris anteire, vt magnitudine, ita & hominum frequentia, reliquiſque fortunæ bonis. Auſonius Catalogo illuſtrium vrbium:

Et Mediolani mira omnia, copia rerum,
Innumeræ cultæq; domus, facunda virorū
Ingenia, antiqui mores: tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populiq; voluptas
Circus,. & incluſi moles cuneata theatri:
Tēpla, palatinæq; arces, opulenſq; moneta,
Et regio Herculei celebris ſub honore lauacri,
Cunctaq; marmoreis ornata periſtyla ſignis,
Mœniaq; in valli formā circūdata limbo:
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellūt, nec iuncta premit vicinia Romæ.

Ad id illuſtrandum multa ſuppeditabunt Geographica Volaterrani & Munſteri: ille quidem lib. 4. hic verò 2. longè plura retulit. Huc fortaſſe quoque pertinet, quæ de iactis fundamentis Mediolani refert Titus Liuius 5. ab V. C. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum (quæ pars Galliç tertia eſt) penes Bituriges ſumma imperij fuit, ij regem Celtico dabant. *Ambigatus.* Ambigatus is fuit, virtute, fortunaq; cum ſua, tum publica præpollens, quod in imperio eius Gallia adeo frugum hominumque fertilis fuit, vt abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe iam exonerare prægrauante turba regnum cupiens, *Belloueſus & Sigoueſus.* Belloueſum, ac Sigoueſum ſororis filios, impigros iuuenes, miſſurum ſe eſſe, in quas dij dediſſent augurijs ſedes, oſtendit; quantum ipſi vellent numerum hominum excitent, ne qua gēs arcere venientes poſſet. Tum Sigoueſo ſortibus dati Hercinei ſaltus: Belloueſo haud paulò lętiorem in Italiam viam dii dabāt. Is Bituriges, Auernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos exciuit: profectus ingentibus peditum equitumq; copiis in Tricaſtinos venit, Alpes tranſcendit, fuſiſq; acie Tuſcis, haud procul Ticino flumine. Cum in quo cōſederat, agrum Inſubrium appellari audiſſet, cognominem Inſubribus Heduorum, ibi omen cuncti ſequentes loci, condidere vrbem, Mediolanum appellarunt. Hęc ex Liuio. Hinc iam lux aliqua affulget verſiculis Claudiani de nuptiis Honorii & Marię:

Iā Ligurū terris ſpumantia pectora Triton
Appulerat, laſſosq; fretis extenderat orbes:
Continuo ſublime volans ad mœnia Gallis
Condita lanigeris, ouis oſtentantia pellem,
Peruenit.

Aliter tamen & rectius legit hęc carmina Alciatus in Parerg. Iuris 5. c. 13. Illius hęc ſunt verba: Habebant & ciuitates ſua ſigna, quibus originem aut cultum teſtarentur. Hinc in nomiſmatis Athenienſium plerunque vidimus noctuam. Sic Claudian

——— ad mœnia Gallis
Condita lanigeræ ſuis oſtendentia pellem.

III. BITVRICIS.] Bituricis poſuit pro Biturigibus per Enallagen. *Bituriges.* Bituriges autem (quorum ciuitas metropolis Biturix) Aquitanię populi ſunt. quorum fines ab Heduis Ligeris diuidit fluuius, de qua lib. 8. belli Gallici Cęſar, & Plinius lib. 4. c. 19. Gallicè, le pais al entour de Bourges. Vrbs eſt Academia florentiſſima celebris, in qua per quinquennium magna cum laude ius ciuile docuit Alciatus: quod ex aliquot ſuorum operum locis colligere eſt facile, tum vel maximè his verſibus (quorum copiam fecit ante aliquot annos, vir eruditus, qui Alciatum doctorem illic audiuit) quibus Biturigem donauit, cùm Italiam repeteret:

Vrbs Biturix inuitus, amans te deſero amantem,

Quinq; per æſtates terra habitata mihi.
Nunc opus ad vitulos eſt à veruecibus ire.
Ergo vale, & felix ſit tibi lanicium.

His autem alludit ad Biturigum ſtēma, quod nonnihil adiuuat huius loci enarrationem. Quibus Alciati verſibus contumelioſè reſpondit neſcio quis: quo iure, qua iniuria, non eſt meum diſquirere, niſi quod exiſtimem nihil tam bellè fieri, dicive poſſe, quin malè interpretando poſſit deprauarier. Huius anonymi hoc eſt maledicum tetraſtichon:

Non nos, ſed noſtros nummos Alzatus amabat,
Qui tacitus ſpretis vanuit hoſpitibus.
Ille ergo valeat vitulos paſturus: at illum
Noſtra vel horritem frigore lana teget.

Cæterum cùm ait vitulos, porrò Italos intelligit: cuius rei cauſam ex Gellio petas licet, lib. nempè 11. cap. 1. quę tamen à me obiter dicta ſunt.

Veruex.

Veruex.] Veruecem hic pro ariete fortaſſe poſuit *καταχρηστικῶς*, ſed parum refert. Sic Varro de vita populi Romani lib. 1. Aut bouem, aut ouem, aut veruecem habet ſignum. Differt autem veruex ab ariete, vt cantherius ab equo, maialis à verre, capus à gallo, caper ab hirco.

Hedui.

Heduus.] Hedui, qui & Auguſtodunenſes, Galliæ populi, Sequanis finitimi, in Ducatu Burgundiæ, & in Francorum regno ſiti, olim fratres & conſanguinei à Romanis appellati. Cæſar Comment. belli Gallici lib. 1. Gallicè, le pais al' entour d'Autun en Bourgongne. Apud Strabonem, Ptolemæum, Stephanum, Melam, & Corn. Tacitum, inuenio Heduos, Eduos, Æduos, Oeduos, Æduſios, pro iiſdem.

Sucula.

Sucula.] parua ſus, porculus. Plaut. in Rudente: *Quin tu i directa cum ſucula, & cum porculis.*

Signum.] publicum ſtemma, ſymbolum, arma gentilitia.

Hu populus &c.] Sic Auſonius, ex quo Alciatus id videri poteſt mutuatus, epiſtola quæ incipit, *Auſonius genitor:*

Ipſe ego Burdigala genus diuerſa per vrbes
Quatuor antiquas, ſtirpis origo mea.

Mediolanum verò à Gallis excitatum fuiſſe, ſupra ex Liuio retulimus. Michael Tonſus I. C. in oratione, quam habuit ad Georgium de Ambaſia Card. nomine populi Mediolanenſis, anno 1500. Cum inter Hiſtoricos conſtet Mediolanum, omnemq; Inſubriam, Gallorum vnam penè coloniam fuiſſe. Id quod vel ex hoc facile colligimus, quod vniuerſum hūc tractum Galliam Ciſalpinam adhuc nuncupamus.

Mediolanum in Galliâ.

Sacram dixere.] Mediolanum Alciati patria in Italia eſt: ſed eſt & Mediolanum, ſiue Mediolanium in Gallia, Gallicè Xaintes, quod ſanctum ſignificat; inde Alciatus dixit, *Sacram dixere puellæ Terram.*

Vetus hoc Gallicę lingua ſonat.] Nimirum Gallicè, Milan, dicitur, à mediatim lanato ſue. Sidonius Apollinaris lib. 7. epi. 1.

Et quæ lanigero de ſue nomen habet.

De vetere Gallica lingua opiniones variæ.

Veterem linguam Gallicam ait, vel propter Gallos Inſubres, à quibus Mediolanum excitatum iam docuimus: vel propter veterem linguam, quam longè aliam fuiſſe, quàm quæ nunc eſt vulgaris, & veriſimile eſt, & docti pleriq; autumāt. Hic de lingua Gallica vetere lubens aliquid diſquirerem, ſi aut eruditorum hominum non ſatis inter ſe conſentientium opiniones aliquid haberent firmamenti; aut niſi vetera certaq; monimenta nos in hac rerum caligine & ignoratione deficerent. Nihil enim ea de re poſſumus certi pronunciare, niſi primo conſtiterit non modò quæ lingua Gallica vetus, ſed etiam qui veteres, & qua maximè ætate ſunt intelligendi. Alij enim fuerunt, qui vixerunt ante tempora Iulij Cæſaris, qui primus de rebus Gallicis ſcriptis aliquid mandauit: quique veterum Druidarum ſæculis, vel poſtea floruerunt. Alij veteres Galli, qui ſub Imperatoribus Romanis ſeruile aliquod paſſi iugum: alij qui ſub prioribus Regibus (vt vetuſtiores prætermittam) Clodoueo primo, Carolo Magno, & alijs: quibus temporibus credibile eſt non eandem fuiſſe Gallorum linguam vernaculam, qualis poſtea, quæque hodie celebratur. Qua in re perquirenda mihi quidem certè videntur otioſæ diſputationes quorundam, qui veteres Gallos lingua Græca fuiſſe vſos, vt familiari, & penè domeſtica, contendere auſint: alii putant linguam veterum Gallorum eandem fuiſſe, quæ eſt hodie Suizenſium ſeu Helvetiorum. Pleriq; etiam volunt à Germanis Francos oriundos, & linguam veterum Francorum eandem ac Germanorum, quæ hodie celebratur. Iam qui volunt ingenioſiores videri, Celtas veteres eadem

lingua

lingua fuiſſe vſos aſſeuerant, qua nunc Armorici Bataui. Alij deniq; (vt liberę ſunt cuiuſq; opiniones) coniiciunt eam linguã, qualis nunc à Gallis Prouincialibus vſurpatur, veterum Gallorum extitiſſe. Sed neſcio quo modo, ſi ſit ſtandum ab vna ex iis opinionibus, quæ putatur ſimilior vero, nos poſſimus commodè extricare. Quis enim ea de re certi aliquid pronunciarit, in tanta præſertim rerum omnium confuſione, populorum ac gentium migratione, multitudine coloniarum, principũ, ac publicarum rerum mutatione? Quis neſcit, centum, aut eo minore annorũ ſpatio, linguas, non ſecus ac res alias, vt variè traducuntur, aut vſurpantur, omninò, vel non minima parte variari, aut corrumpi? Exemplum inſigne proferrem in Latina lingua, niſi putarem ſatis eſſe notum iis, qui veteres libros euoluerunt, longè puriorem & nitidiorem fuiſſe ſæculo Varronis, Ciceronis, Auguſti, quàm ætate Catonis ſenis, & primi belli Punici temporibus. Illud vnum aſſeuero, linguam Gallicam, quæ fuit in vſu temporibus Caroli Magni, nobis hactenus inauditam, planèq; incognitam. Nos enim deficiunt vetera monumenta, vt diximus, quibus liqueat, quænam ea fuerit; etiamq; adiicio, eam, quæ vulgaris erat aureo D. Lodoici principatu, adeo fuiſſe horridam & incultam, vt ſi cum ea, quæ hodie in vſu eſt, conferatur, nihilo plus vna ab altera differat, quàm hodie vulgaris Pariſiorum ſermo à Britonum oratione populari. De Gallorum quidem vetere lingua corrupta conſtat, ſed apud quos Gallorum ſermo velut ſeruatus fuerit, nondum liquet. Nam Galli ſermonem Gallicum dedidicerunt, cum non ſolũ Romanæ leges, ſed & legiones in Gallia conſtitutæ Gallos Romana vti lingua cogerent: vt facilè ſit intelligere à Romano foro, ipſaque Romana militia Gallicam linguam à maioribus illis vſurpatam, penè omnino fuiſſe abolitam. Sed vt vetera prætermittam, cui poteſt eſſe dubium, quin priſcum Gallorum idioma aut non parum fuerit imminutum, aut etiam adeo corruptum, vt primam ſui faciem amiſerit, quo tempore Franci à Germania irrumpentes in Gallias tranſitum fecerunt, & à quibus non impetrabant ſedes, Gallos partim expuliſſe, partim etiam ſibi ſubiecisse? At lingua Gallica, qualis hodie, quanquam ex ſe locuples & abundans, habet tamen permultas voces, quæ à Græcis deflexæ non temerè videri poſſunt. Habet etiam non paucas Germanicas, & Latinas; ex quo tamen non ſequitur, maiores noſtros promiſcuè vel Græcè, vel Germanicè, Latinève ſciſſe. Quid igitur in hac re ſtatuam non habeo, vt promptum mihi ſit quod poſſim refellere, quid certius adducere poſſim, nondum videam. Vnum mihi supereſt, vt cum doctiſſimo Seneca Philoſopho, eius maximè loci occaſione, quem ipſe mihi obtulit ca. 8. conſolationis ad Albinam, miſſos faciam alios, qui de gentium migrationibus, conuerſionibus, & corruptis linguis variè diſputarunt. Certè hoc loco Alciatum ad priſcam Celtarum linguam, ſeu potius noſtratem Germanicam alluſiſſe conſtat, dicit enim: *dixere puellæ terram*. Et nos Germani Mediolanum vocamus Meydland; ſiue Medelland; Meyd, enim nobis virginem, Medel, puellam ſonat, quaſi diceres, puellæ terram, ſeu virginis regionem, nempe Mineruæ quondam hic præcipua religione cultæ, cui rei etiã Polybius ſuffragatur. Huius templum inducto dein Christi Euangelio dirutum, & in D. Teclæ commutatum eſt, quę temporibus illis inter ſanctas virgines in ſumma veneratione fuit, vt in Euſebij Chronicis ſcribit Hieronymus; & verſibus ſequentibus innuit Alciatus.

Meydland.

Culta Minerua &c.] Olim eo loci Mineruæ diuini honores tributi, vbi nunc templum D. Teclæ, ante ſacram Virgini Deiparæ ædem.

Numine.] Numen propriè eſt θεῶν βυλὴ, voluntas Dei, à nuo, quod veteres pro volo, vſurpabant. Hic autem ſumitur pro poteſtate. Cicero 6. Phil. Magna vis eſt, magnum numen vnum & idem ſentientis ſenatus.

Numen.

Tecla.] Hæc virgo, Pauli diſcipula, martyrij coronam meruit apud Iconium ſub Nerone. Huius vitam pete ex Surio, & alijs Hiſtoricis eccleſiaſticis.

D. Tecla Martyr.

Matris Virginis ante Domum.] Templum, Baſilicam D. Virgini ſacram, quam vulgus vocat, *il Domo*. Huius templi molem, ſiue amplitudinem & architecturam ædificij ſpectes, ſiue precia materiarum æſtimes, nihil eſt, quòd ſeptem mundi miraculis aſcribas auguſtius. Hanc erigendam

Baſilica D. Virginis Mediolani.

 curauit

curauit Ioannes Galeatius Dux, anno Domini 1386.

Animalq; biforme.] duas formas habens, nempe ſuis & ouis: laniger ſus, & ſetiger aries.

Laniciū. *Lanicio inde leui.*] Lanicium idem eſt quod lana, ſeu lanæ prouentus: Virg 3. Georg. *Sit tibi lanicium curæ.* vbi Seruius: Lana, inquit, & lanicium dicimus, quemadmodum Fuga, & effugium. Hoc de nomine quædam Nonius, & Turnebus Aduerſar. 15. cap. 21. ne quid addam præterea.

IV. APPARET hoc loci pius Alciati alumni affectus in patriam, quam tam feſtiuo Emblemate celebrat. Et reuera ſi vlla ciui as doctiſſimorum ſcriptis celebrari

Mediolani laus. meretur, vna eſt Mediolanenſis: nam ſiue originis antiquitatem, ſeu ciuium nobilitatem, loci amplitudinem, ædificiorum magnificentiam, aeris clementiam, ſoli fæcunditatem, & omnium rerum abundantiam cōſideres, quæ vlla alia eſt, quam huic iure præponere poſſis. Vaſtiſſimam habet planitiem, apricos colles, amœnosq; montes, commoda flumina, fæcundosq; lacus, quæ illi omnia alimenta vbertim miniſtrant; nihil pulchri, nihil boni hæc ampliſſima & vberrima regio patitur exoptari, adeo vt prouerbio ferant: *Solo in Milano ſi mangia.* Hic magna quoq; eſt opificum omnium varietas & multitudo, præſertim eorum, qui ferrariam exercent, quod iocoſe innuit Macaronicorum Autor, dum canit:

Milanū tich toch reſonat cātone ſub omni,
Dum ferrant ſtringas, faciuntq; foramina gucchis.

Horum opera, quia bonitate cum reliquis certant, in longinquas regiones exportantur. Quapropter haud iniuria Cicero in Philipp. dicit, Galliam Ciſalpinam, & ideo Mediolanum, florem Italiæ, imperij præſidium, ac illius pacis ornamentum eſſe. Quę profecto res ita ſe habet, ciuitas enim circumcirca habet colonias, quæ ipſam cingunt, quibus imperat, & quæ imperata faciunt. Hinc iure nomen Magnæ paſſim obtinuit, vt canit quidam:

Vrbs Mediolanum populoſa eſt, magna, potensq;

Et Thomas Edvvardus Anglus:

Eſt Mediolanum iucundū, nobile, magnū.

Quod idem verſus Italici, quibus vrbes Italiæ deſcribuntur, eleganter exprimunt:

Fama è tra noi, Roma pompoſa e ſanta,
Venetia ricca, ſaggia, e ſignorile,
Napoli odorifera, e gentile,
Fiorenza bella tutto'l mondo canta,
Milano d'eſſer grande ogn'hor ſi vanta,
Bologna graſſa. &c.

Hanc igitur vrbis celebritatem & abundantiam forſan indicare voluit bifor- *Omen Mediolani.* me illud animal, dum fundamenta illius iacerentur, repertum. (Liceat mihi quæſo, bona pace, nonnumquam ſerijs immiſcere iocos, ſic enim placere video temporum noſtrorum moribus, qui nil tetricum probant, & fatuum iudicant, quicquid non habet copioſum aſperſum ſalem) Ouē enim integram non oportuit eſſe, licet illa fæcunditatis habeat argumentum, tamen plus æquo ſimplices, taciturnos, & ſtolidos, oues vocamus. Nec verò ſus totus conueniebat, de illo ſiquidem dicitur vulgò iactatum prouerbium: *Gran rumor & poca lana.* German. *Vil geſchrey vnd vvenig vvoll, ſprach der Teuffel, da er die ſavv beſchor.* Non igitur vrbi illi futuram famæ celebritatem abſq; vbere copia, nec vbertatem abſq; celebri fama, in ſumma, non futurum eſſe clamorem abſq; lana, animal Porcaries omine ſuo portendit. Sic ego conſultus augur reſpondiſſem: ſi fallo, nunquam me lana ſuilla tegat.

Nunquam procraſtinandum.

EMBLEMA III.



ALCIATAE gentis inſignia ſuſtinet Alce,
Vnguibus & μηδὲν fert ἀναβαλλόμενος.
Conſtat Alexandrum ſic reſpondiſſe roganti,
Qui tot obiuiſſet tempore geſta breui?
Nunquam, inquit, differre volens. Quod & indicat Alce,
Fortior hæc, dubites, ocyor anne ſiet.

COMMENTARII.

I. DEPINGATVR fera illa Septentrionalis Alce dicta, cuius prioribus vngulis inſerta ſint hæc verba: *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*. Alcen deſcripſit Plin. lib. 8. c. 15. & Solinus cap. 32. Cæſar in Comment. belli Gallici lib. 6. Et quò commodius animal hoc depingi poſſit, ipſius Cæſaris verba apponam, quę huius feræ naturam mire explicant: Sunt, inquit, quæ appellantur Alces, harum eſt conſimilis capris figura, & varietas pellium, ſed magnitudine paulò antecedũt, mutilęq; ſunt cornibus, & crura ſine nodis, articulisq; habent: neque quietis cauſa procumbunt, neq; ſi quo afflictæ caſu conciderint, erigere ſeſe aut ſubleuare poſſunt. His ſunt arbores pro cubilibus, ad eas ſe applicant, atq; ita paulùm modò acclinatę quietem capiũt; quarum ex veſtigijs cum eſt animaduerſum à venatoribus, quo ſe recipere conſueuerint, omnes eo loco aut à radicibus ſubruunt, aut accidunt arbores, vt tantùm in ſumma

Alces deſcriptio.

ſpecies earum ſtantium relinquatur. Huc cum ſe conſuetudine acclinauerint, infirmas arbores pondere affligunt, atq; vna ipſę concidunt. Hæc Cæſar. Quę ſi quis conferat cum Plinianis, facilè aduertet, ea tam facilè non poſſe conciliari. Adde ex Plinio; Labrum ei ſuperius prægrande; ob id retrograditur in paſcendo, ne in priora tendens inuoluatur. Idem ait & Solinus. Cęſar Alces dixit eſſe mutilas & ſine cornibus, at vero Pauſanias (Æliano de natura animalium teſtante) in ſupercilijs cornua habere mares teſtatur, fœminas contra omnino carere. Retulerunt Germani quidam, eruditi homines, quę traduntur à Plinio de Alce, veriora eſſe quàm quę à Cęſare. Is enim retulit aliorum quorundam, qui eam fortaſſe feram nunquam viderant opinionem: at eam eſſe, qualem Plinius deſcripſit, experientia conſtare. De fera iſta pręter iam dictos vide Geſnerum in operoſo illo volumine de animalibus.

II. *Alciatorum ſchema.* PRINCIPIIS & patrię hactenus inſignia quaſi depinxit: nunc ſuę familię gentilitium ſtemma proponit & explicat. Alciatos enim ab Alce fera nuncupatos, à fortitudine nimirum & diligentia commendabiles tacitè indicat, ſumpto argumento ab Alces ferę natura, quę equi robore, cerui celeritate, &, ni proceritas aurium & ceruicis diſtingueret, iumēto ſimilis habetur; auctore Plin. lib. 8. cap. 15. Quod illuſtrat eleganti Alexandri apophthegmate, qui quęrenti qua tandem via tanta ſibi adeò celeriter comparaſſet, reſpondit (quod vnguibus Alces inſertum legitur) *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, nihil differendo aut recraſtinando. Siquidem optima & accommoda belli comes eſt feſtinatio: quo fit, vt qui imperāt, quò rerum difficultates, quę nonnihil remorando vltrò ſeſe offerunt, arcere faciliùs poſſint, cò pede citiſſimo neceſſe ſit properare. Sumptum eſt Emblema ex Homeri Scholiaſte 2. Iliad. vt annotauit Eraſmus in adagio: *Nunc tuum ferrum in igne eſt*. Subſcribam & Homeri verba, & ſcholiaſtes, quoniam in vtriſque non mediocre ſubeſt documentum. Sic igitur inquit Neſtor:

*Μηκέ τι νῦν δῆθ' αὖθι λεγώμεθα, μηδ' ἔ-
τι δηρόν
Ἀμβαλλώμεθα ἔργον, ὃ δὴ θεὸς ἐγγυα-
λίζει.* id eſt.
*Ne verbu tempus fugiat, neq; tēpore longo
Differamus opus, pulcherrima munera Di-
uum.*

Tum ſubiungit ſcholiaſtes: *Στρατηγικὴ διδασκαλία. χρόνου φείδεσθαι. οὔτε γὰρ παρελθόντα ἀνακαλεῖσθαι, οὔτε ἀιτήσαντας λαβεῖν αὐτὸν δυνάμεθα. ἐρωτηθεὶς γὰρ Ἀλέξανδρος, πῶς τῆς ἑλλάδος περιεγένετο. μηδὲν ἀναβαλλόμενος, εἶπε.* Id eſt. *Militare ſtratagema eſt, tempori parcere. Non enim aut prætereuntem horam reuocare, aut comprehendere poſſumus. Interrogatus Alexander, quo pacto Græciam ſuperaſſet: Nihil procraſtinans, reſpondit.*

ALCIATÆ gentis.] ſtirpis, & familię Alciatę. Ingeniosè nomen ſuum ab Alce traducit, quamuis vetus familię nomen fuit Alzatus, vt etiam conſtat è carmine Poetę Bituricenſis: III. *Alciatus pro Alzato.*

Non nos, ſed noſtros nummos Alzatus amabat.

Et in vetere editione Auſoniana apud Dn. Pignorium, in qua cernitur autographia Cl. Viri, legitur hęc inſcriptio. *Andreæ Alzati liber eſt, & amicorum eius*. Cęterum Alciatus inualuit pro Alzato. Et forſan in Emblem. 63.

Alcaam veteres caudam dixere leonis.

nonnulla eſt alluſio ad cognomen eruditè immutatum.

Suſtinet.] Pręfefert, ſuſtentat, ſupra dixit, geſſiſſe inſignia.

Alce.] fera illa Gallica, de qua iam diximus.

Vnguibus.] pro vngulis poſuit, vngues enim ſunt eorum animalium, quę digitos habent ſeparatos; vngula vero eorum, quę digitis carent, quod pulchrè innuit Ouidius, Io è bouis effigie in primam formam redeuntem deſcribens: *Vngula. Vnguis.*

*Vngula quæ in quinos delapſa abſumitur
vngues.*

Vngulam Alcis occulta proprietate Epilepſię mederi ferunt: quid ſi etiam hic Alciatus his vngulis remedium animi pigri & retardantis adhibuerit, ſcilicet *μηδὲν ἀναβαλλόμενος*, quo languentem animū excitet, vt illa corpus morbo proſtratum erigit? Putare licet, affirmare vix auſim. *Vngula Alcis.*

μηδὲν ἀναβαλλόμενος.] Nihil procraſtinans, nihil differens in aliud tempus. Alexandri apophthegma.

Fortior hac.] nam ἀλκὴ, ἀλκῆς. fortitudinem ſignificat, vnde videtur nomen hoc deductum. *Ἀλκὴ.*

Ocyor

Ocyor anne ſiet.] Id eſt, an fortior, velociorne ſit Alce, dubium eſt. Plinius enim loco citato, ad inſidias capi ait, alias memorandę velocitatis.

IV. Hoc Emblema duo nos docet.

Feſtinatio in re bellica.

Alexãdri feſtinatio.

1. Quanti momenti ſit opportuna celeritas & diligentia, pręſertim verò in rebus bellicis, id quod Alexandri Magni exemplo palam facit. Eam enim ob rem Alexander ab omnibus fermè laudatur, quod ſua pręcipiti in rebus agendis cura & induſtria, Principum omnium celeritatem multis quaſi ſtadijs anteuerterit. Narrant enim eum pedites ſic inſtituiſſe, vt ſua celeritate equorum curſum adęquarent: ipſe ne quidem ſibi parceret, noctes vt plurimum inſomnes traduceret, ſeque crepitaculo excitaret, ſiquando ſomno corripi ſe ſentiret, quo maximè tempore vigilandum eſſe intelligeret. Itaque cum ab eo Darius inpeteretur, maximè conquerebatur, nullum ſibi ſatis longum relinqui ſpatium, quo Alexandrum pro viribus, & ea qua pręſtabat animi contentione atq; copijs, retunderet. Hoc enim præcipuè curabat Alexander, vt diu noctuque, magnis itineribus confectis, improuiſum hoſtem offenderet, quem animum etiam adoleſcẽs habuiſſe memoratur. Huic itaq; cum Ariſtoteles diceret exſpectãdam eſſe robuſtiorem ætatem, qua longè melius & opportunius ad res bellicas animum applicaret: At metuendum mihi eſt, inquit, ne dum annos exſpecto firmiores, audacem iuuentutem interea mihi præripi per incuriam patiar. Hunc Cæſar imitatus, ardua quæque quaſi temerè & ſine conſilio aggrediebatur, imò verò dicebat de ijs conſultandum non eſſe, quòd ad ea perficienda maximam vim celeritas haberet.

Iulij Cæſaris celeritas.

Non prætermittam Æliani locum de celeritate Alexandri in rebus conficiendis. Variæ hiſt. lib. 10. Alexander Philippi filius ter cccc ſtadijs continuo itinere confectis, antequã quietem caperet exercitus, cum hoſtibus conflixit, & eos vicit. Ἀλέξανδρος τρὶς τετταρακόσια ϛάδια ἐφεξῆς μεθ᾽ ὅπλων ὁδοιπορήσας, συμβαλὼν τοῖς πολεμίοις, πρὶν ἀναπαῦσαι τὸ ϛρατόπεδον, ἐκράτησε τῶν ἐχθρῶν. Sic Seneca 1. Suaſor. Venit ille dies, Alexander, exoptatus, quo tibi operæ eſt adeſſe. Iidem ſunt termini tui, regni, & mundi. Tempus eſt Alexandrum cum orbe, & cum Sole deſinere. Quod noueram, vici: nunc concupiſco, quod neſcio. Quæ tam feræ gentes fuerunt, quæ non Alexandrum poſito genu adorauerint? qui tam horridi montes, quorum nõ iuga victor miles calcauerit? Vltra Liberi patris trophæa conſtitimus: non quærimus orbem, ſed amittimus, &cæt. Rectè Flau. Vegetius lib. 4. c. 31. in rebus bellicis celeritatem amplius ſolere prodeſſe quàm virtutem. Huc facit M. Tullius 6. Philip. Nam cùm plerisque in rebus gerendis tarditas & procraſtinatio odioſa eſt, tum hoc bellum indiget celeritatis. Videram etiam quod idem habet Oratione de Pompeij laudibus, ſeu, vt inſcribitur, Pro lege Manilia: Non enim illæ ſunt ſolæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgò exiſtimantur: labor in negotijs, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in prouidendo, &c. & deinceps: Vnde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem curſum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui noui, tam celeriter in vltimas terras pertulerunt, ſed hæ res, quæ cæteros remorari ſolent, non retardarunt.

Virtutes imperatoriæ.

Addo de Alexandro, nullam virtutem regis iſtius magis quàm celeritatem laudari à Curtio, lib. 5. cum enim audiſſet regem Darium captum eſſe: In illo corpore poſita eſt victoria (inquit Alexander) & tanta res celeritatis eſt præmium. Certè natura ea rex ille fuit, vt omnia facilius, quàm moram perpeti poſſet. Monemur itaq; hoc lepido carmine, maxima quęq; perfici diligẽtia, & virium firmitate (quæ duo apertè repræſentat Alce) & aſſidua tam animi quã corporis cura & cõtẽtione feliciter abſolui. Nullus enim eſt repertus hactenus (niſi ſit à fortuna quadam benigniore lactatus) qui abſq; aliquo labore improbo, conſtantiaque animi ſit aliquam ſummam laudẽ conſecutus. Citatur ex aliquo veterum: Ἀλέξανδρος μὲν τολμῶν, πονῶν, καὶ ἐργαζόμενος, μήτε καθήμενος εὐτυχεῖ. id eſt: *Alexander audendo, laborando, agendo, non deſidendo, ſummam celebritatem conſecutus eſt.* Huic conuenit illud Heſiodi lib. 2. ἔργ.

μὴ δ᾽ ἀναβάλλεσθαι ἔς τ᾽ αὔριον, ἔς τ᾽ ἔννηφιν.

Ad cras rem differre nocet tẽpusq; futurũ.

Et Lucan. 1. bell. ciuil.

Tolle

Tolle moras, ſemper nocuit differre paratis.
Cui affine illud Ouidianum :
Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.
Martial.
Non bene diſtuleris, videas quæ poſſe negari.
Id vnum ex præceptis Socratis refertur à Xenophon. 2. ἀπομνημονευμάτων. Quidquid agas, promptiſſimè atque optimè & diligenter age.

2. In rebus gerendis librandas eſſe cuiuſque vires, eæ namque celeritati pares, & contrà celeritas viribus ęqualis eſſe debet: alterum enim ſine altero non multum poteſt afferre commodi, imo damna plerunque maxima, funeſtumque exitium hinc conſequitur. Faceſſant ergo coruinæ voces, & ad res gerendas iugi induſtria & animi firmitate ſeriò accingamur.

In Deo lętandum.

EMBLEMA IIII.



ASPICE vt egregius puerum Iouis alite pictor
Fecerit Iliacum ſumma per aſtra vehi.
Quiſne Iouem tactum puerili credat amore?
Dic, hæc Mæonius finxerit vnde ſenex?
Conſilium, mens atque Dei cui gaudia præſtant,
Creditur is ſummo raptus adeſſe Ioui.

COM-

COMMENTARII

I. FINGATVR forma eleganti & hilari vultu puer, quem dorſo exceptum, & vnguibus retentum aquila in ſublime vehat. Poteſt quoq; infra appingi (non tamen ex neceſſitate) canis latrans, tum quia fabulam ſic Virgilius & Statius enarrent, vt mox ſubiungemus; tum ad ſignificandam inuidorum calumniam, qui felicibus ſucceſſibus nunquam non allatrant. Quo ad inſcriptionē Emblematis, *In Deo lætandum*: locus mihi videtur ſumptus ex verbis D. Pauli ad Philipp. 4 vbi ait: *χαίρετε ἐν κυρίῳ πάντοτε, καὶ πάλιν ἐρῶ, χαίρετε*. Id eſt: *Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete.*

Inſcriptio.

II. AD ingenioſi huius carminis ſententiam & originem iamiam me recipio, ſi quædam prius vice præludij, & quaſi diſputationis anticipauero. Vniuerſam poeſim ænigmatum eſſe plenam docet Plato in Alcibiade 2. quippè quæ non ſit cuiuis intellectu facilis, q̄d rerum veritas quibuſdā verborum inuolucris obtegatur. Huiuſmodi autem figmenta tribus modis explicari poſſunt, vt plerumq; veterum monimentis deprehendimus: quidam enim phyſicen, alij ethicen inſpiciunt, nonnulli etiā rei Theologicæ rationem habent, vti ex doctrina Platonicorum plerique docti viri. Sic enim Homerus, ingeniorum vertex, quatuor illa prima *στοιχεῖα* inter ſe pugnantia, & ſeſe mutuò producentia effinxit ſub nominibus Iouis, Iunonis, Neptuni & Plutonis. Ad mores traducitur allegoria, vt cùm Palladem cum Marte diſſidia & pugnas ciere aiunt, eam nempè animi partem, quæ ſit rationis expers, in ſuperiorem ſeſe attollere intelligimus, virtutique vitium aduerſari: quo de genere eſt ea, quam nunc ſumus explicaturi, fabula. Ad Theologicam verò rationem nonnulla referuntur, vt cùm cœlum ſuo motu tempus producat, quæque gignat perpetuò abſumens, imaginem quandam intelligimus eſſe Dei, Cœlum, Rheam atq; Saturnum filios deuorantem: in quibus Cœlus (vel Cœlius) eſſentiam diuinam præfert, Rhea vitam, Saturnus autem eiuſdem mētem. Quæ antè viſum eſt operæ pretium admonere, vt maturius ad noſtri Emblematis *ἐπιμύθιον* deueniamus, Poetaſque veteres, quantum fieri poterit, ab inepta quorundam ſciolorum contumelia vindicemus. Eos enim tale quippiam in fabuloſis narrationibus obſeruare voluiſſe crediderim, quale priores illi Iuriſperiti (vt M. Tullius in libris de Oratore memorat) obſeruarunt, qui vt auctoritatem aliquam obtinerent, eamque augerent, artem ſuam vulgarem eſſe noluere, niſi cum Cn. Flauius primus eam propalauit, qui eam ob rem dictus eſt cornicum oculos confixiſſe. Eodem planè modo veteres illi poetæ ſub aliquo quaſi velo, certè obſcuro, fabuloſiſque ornamentis res ſuas occultarunt, vt imperitam plebeculam à myſterijs ſapientiæ reconditioris arcerēt. Quod & Lactantius indicat, lib 1. cap. 11. & 19. cum Poetas ait, quæ verè geſta ſunt, in aliquas ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo conuerſa traduxiſſe, & mendacium non in factis, ſed in nominibus admiſiſſe. Quamobrem inepti ſunt, & planè *ἄμυσοι*, qui in Poeticis narrationibus, & figmentis explicandis, ipſas tantùm voces, nudaq́ue vocabula, aut etiam ſimplices *γνώμας* conſiderant, nec ea potiùs eliciūt, quæ ſenſum aliquem abſtruſiorem contineant: vt qui in picturis dijudicandis colores aliquos, aut operum lineas quaſdam conſpiciant, aut vt qui mercibus inuolutis appoſitas imaginum teſſerulas admirantur, nec quid intus lateat, aut incluſum eſſe poſſit, animaduertunt. Habet enim diuinum hoc ſtudium neſcio quid latens & reconditum, quod æquè omnibus peruium & apertum non ſit, ſed ei duntaxat homini,

Ingenium cui ſit, cui mens diuinior,

vt Flaccus loquitur, ſicuti non obſcurè aliquot diſputationibus eſt à diuino Platone traditum. Sed & vt hoc adijciam, Poetas ipſos Philoſophis ſapientia neutiquam poſteriores, aut inferiores fuiſſe, præter alios quoſdam Platonicos contendit Maximus Tyrius. Hi enim ſeſe videntur populari auræ, & infimæ plebeculæ accommodaſſe, dum fabuloſa eiuſmodi prodiderūt, quæ diuinis rationibus accommodarunt, rem quidem aperta ratione abſtruſiorem, ænigmatis autem clariorem, æqualiter à ſcientia atq; inſcitia diſtantem, fidem ſibi facientem propter id, quod iucundum eſt, & admirationem, aliaq; non ſatis vulgò

perſuaſa

Poeſis penè tota ænigmatis plena.

Quatuor elementa totidem deorū nominibus ītellecta.

Cur Pallas cum Marte diſſideat.

Cœlus.

Saturnus, Rhea.

Macrob. 1. Satur.

Quem ad finē poetæ figmentis vſi ſint.

Allegoria poetica ratio.

Laus poetica.

An poetæ philoſophis poſteriores.

perſuaſa: adhæc quæ animum ad rerum exiſtentium perueſtigationem, & eorum quę remota ſunt, inquiſitionem diligētem concitet. Qua in re præſtanda hi ſanè homines magnum quiddam effecere: quandoquidem auribus humanis inſidias quaſdam ſunt commenti, ij quidem re ipſa Philoſophi, nomine autem Poetę, rem inuidioſam ad eam artem reuocarunt, quæ populum admodum demulceat. Seſe enim perinde habet erga multitudinem popularem Philoſophus, atq; diues aliquis in eos, qui premuntur inopia. Sic autem videmus natura comparatum, vt qui vitio ſunt alicui addicti, virtutem contrariam non ſuſtineant, niſi eam ſuperinductus aliquis fucus adumbrarit. Habetur autem Poeta mollis & facilis, propterq; delectationem diligitur, & propter virtutem nequaquā, aut ſaltem rarò cognoſcitur. Ita enim medici ſalubre quoddam alexipharmacum dulci aliquo liquore aſpergunt, ne deterreatur æger ſaporis aut ſucci acrioris amaritie. Eodem planè modo de Philoſophia illa veteri ſentiendum, quæ ſententijs ſuis figmentorum aut carminum, tanquam veſte cultuque magnifico tectis, priſcorum hominum animos primùm cepit atq; deliniuit: neq; ſecus id quidem, quàm diſſimulata diſciplinæ moleſtia ad inſtitutionem & morum feritatem cicurandam illexit. Nec eſt autem quod in dubium reuoces, vtri melius de diuinis tractarint, Philoſophine an Poetæ: quin potiùs ſtudium vtrumque tanquam inito fœdere, mutuò ſeſe complecti deprehendas, vt eadem non diuerſa putes. Cùm enim Philoſophum ais, Poetam etiam intelligis: & cùm Poetam, Philoſophum quoq; innuis. Hæc & multa alia Tyrius, quæ huc conferre placuit, ne in ſequentibus repetere ſubinde cogar, quod ſemel admonuiſſe ſatis erit, vt quantum Poetis debeamus, philologus intelligat, noſtrumque conſilium in narrationibus mythologicis, & Poeticis allegorijs planum aliquando faciamus. Si enim fabulam nudam aut hiſtoriam attexere ſatis eſſe ad commentationes has, quanquam tenues, exiſtimaſſemus, anſam ridendi, carpendique hęc, tanquam Poetarum deliria & nugamenta præberemus: (nōnulli enim ſunt, & fuere iam olim, qui poeticum hoc ſtudium vt planè nugatorium aſpernentur) & maximè hoc de Ganymede figmētum, quod reprehendit Lactan. D. Auguſt. De ciuit. 18. cap. 13. & ipſe Plato 1. De legib. ſub perſona Athenienſis hoſpitis, nimirùm ob inſanum pęderaſtię flagitium. Sed quia non video quàm ſit neceſſe ſingula tam anxiè perſequi, quin potiùs ad propoſitum finem me continuò recipere iam tandem par ſit. Age verò, per Ganymedem ab aquila raptum, animam humanam intelligimus, quæ, vt ait Plotinus, cùm condere caput intra cęlum dicitur, cùm relicta quaſi corporis ſecretione, cęleſtia mentis oculo contemplatur: quod ſanè abſq; raptu quodam fieri minimè poteſt. Plato etiam in Phędone & Theęteto, cum iubet animam à corpore ſeiungere, non loco ſegregandam intelligit, ſed monet, ne corpori animus adhęreſcat, neque ob corporis commercium à mente ſuperiore fiat alienus, conetur q; quantum fieri poterit, ſubditam ſibi animę ſpeciem ad ſuperiora perducere. Conſtat autem ſumptum Emblema ex Xenophontis Sympoſio, quo loci concinnè & appoſitè Ganymedis ἔτυμον explanat. Ait enim Deos & Heroas animę amicitiam multò pluris facere, quā vſum, qui ex corpore percipitur. Iupiter enim quarum formam (cum eſſent mortales) amauit, has ipſas mortales eſſe ſinit: quorum verò animas eſt amore proſecutus, hos immortalitate donauit, de quorū numero Hercules, Caſtor, & Pollux eſſe dicuntur, cum aliquot alijs, quos Heroas appellabant. Sic etiam aſſeuerat Ganymedem non corporis, ſed animi gratia à Ioue in Olympum fuiſſe raptum. Cuius quidem rei & teſtimonium ex ipſo nomine colligamus licet. Habetur enim alicubi apud Homerum γάννυται δέ τ' ἀκέων, *lætatur audiendo*: & alibi etiam, πυκινὰ φρεσὶ μήδεα εἰδὼς, id eſt, *ſapientia plena mente conſilia ſciens*. Ex ambabus igitur his vocibus, non corporis, ſed mentis deliciarum nomen Ganymedes referens, inter Deos eſt relatus. Sed dum vacat, huc aſſcribā verba Philoſophi, vt aliquo tandē onere candidatos linguę Grȩcæ leuare poſſim. Ἐπιθυμῶ δέ σοι, ὦ Καλλία, καὶ μυθολογῆσαι, ὡς οὐ μόνον ἄνθρωποι, ἀλλὰ καὶ θεοὶ, καὶ ἥρωες τὴν τῆς ψυχῆς φιλίαν περὶ πλείονος ἢ τὴν τοῦ σώματος χρῆσιν ποιοῦνται. Ζεύς τε γὰρ ὅσων μὲν θνητῶν οὐσῶν μορφῆς ἠράσθη συγγενόμενος, εἴα αὐτὰς θνητὰς εἶναι· ὅσων δὲ ψυχὰς ἀγασθείη

Poeta nomine, re philoſophi.

Poeta ſe vulgo facilius accomodāt.

Poetica eadē philoſophia.

Ganymedis fabula variè accepta.

Quid per Ganymedē intelligimus.

Vnde ductum Emblema.

ἀγασθείη, ἀθανάτους τούτους ἐποίει· οὐ ἡρακλεῖς μὲν καὶ διοσκοῦροι εἰσὶ, λέγονται δὲ καὶ ἄλλοι· καὶ ἐγὼ δὲ φημὶ καὶ γανυμήδην οὐ σώματος, ἀλλὰ ψυχῆς ἕνεκα ὑπὸ διὸς εἰς ὄλυμπον ἀνενεχθῆναι· μαρτυρεῖ δὲ καὶ τοὔνομα αὐτοῦ ἔστι μὲν γὰρ δήπου καὶ ὁμήρῳ.

—— γάνυται δέ τ' ἀκούων·

τοῦτο δὲ φράζει ὅ,τι ἥδεται δέ τ' ἀκούων. ἔστι δὲ καὶ ἄλλοθί που.

—— πυκινὰ φρεσὶ μήδεα εἰδώς.

ἐξ ὧν συναμφοτέρων τούτων οὐχ ἡδυσώματος ὀνομασθεὶς ὁ γανυμήδης, ἀλλ' ἡδυγνώμων ἐν θεοῖς τετίμηται. Hęc fermè Xenophon. Facillimum mihi eſſet repetere agalmatis hiſtoriam, niſi fallor à Plinio, qui ſic habet lib. 34. c. 8. Leocras aquilam fecit ſentientem quid recipiat in Ganymede, & cui ferat, parcẽtem vnguibus etiam per veſtem, &c. Sanctius Emblematis huius originem ad Scholiaſten Homeri refert, Iliad. 4. cuius hęc verba: γαννυμήδης ὁ πρεστὴ μόνῳ τῷ Διὶ, ὅτι ὁ μὲν ζεὺς πρῶτος ἐστὶ νοῦς, μόνος δὲ ὁ νοῦς ἔχει οἰκεῖον τὸ τοῖς μήδεσι γάννυσθαι· τοῦτο γὰρ ὁ Γαννυμήδης. Hoc eſt: *Ganymedes ſoli Ioui miniſtrat; quoniam Iupiter prima eſt intelligentia: ſolius autem intelligentiæ proprium eſt conſilijs gaudere, atq; hoc ſonat Ganymedes.* Fabula Ganymedis refertur ab Homero in hanc ſententiam, vt vertit Nicolaus Valla:

Locus Plinij.

Tros ab Erichthonia, ſatus eſt de ſanguine Trois
Idus, & Aſaracus, ſimilisq; Deo Ganymedes,
Egregius forma, raptus ſublimis in auras
A ſuperis cœlo poſitus diuum inter honores
Pulcher, vt ante Iouem miſceret pocula menſis.

Ganymedes filius Trois.

Trois igitur fuit filius Ganymedes, non Laomedontis, vt videtur ſenſiſſe Cicero 1. Tuſcul. lapſus videlicet memoria (quo nomine ſolent magni viri laborare, qui grauioribus impediti curis, cùm citant vel autores, vel autorum teſtimonia, toto, quod aiunt, cœlo aberrant: id quod diligens lector ſępe in Ariſtotelis deprehendet libris, pręſertim de moribus.) Verba Ciceronis hęc ſunt: Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Dijs raptum ait propter formam, vt Ioui pocula miniſtraret: non iuſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret iniuria. Fingebat hęc Homerus & humana ad Deos transferebat, diuina mallẽ ad nos. Meminerunt huius fabulę & alij Poetę: Virg lib. 5. Aeneid. ſic:

Intextusq; puer frondoſa regius Ida
Veloces iaculo ceruos, curſuq; fatigat:
Acer anhelanti ſimilis, quẽ prępes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis:
Longaui palmas nequicq̃ ad ſidera tendũt
Cuſtodes, ſæuitq; canum latratus in auras.

Statius lib. 1. Thebaidos:

Hinc Phrygius fuluis venator tollitur alis.
Gargara deſidũt ſurgenti, et Troia recedit:
Stant mœſti comites, fruſtraq; ſonantia laxant
Ora canes, vmbramq; petunt, & nubila latrant.

Ouidius non ab aquila Iouis, ſed ab ipſo Ioue in aquilam mutato Ganymedem raptum canit:

Rex ſuperum Phrygij quondam Ganymedis amore
Arſit, & inuẽtum eſt aliq̃d q̃d Iupiter eſſe,
Quam quod erat, mallet: nulla tamen alite verti
Dignatur, niſi quæ poſſet ſua fulmina ferre.
Nec mora, percuſſo mendacibus aere pennis,
Arripit Iliadẽ, q̃ nunc quoq; pocula miſcet,
Inuitaq; Ioui nectar Iunone miniſtrat.

His quoq; ſuffragantur & hi verſus:

Αἰετὸς ὁ ζεὺς ἦλθεν ἐπ' ἀντίθεον γανυμήδην.
Κύκνος ἐπὶ ξανθὴν μητέρα τῆς ἑλένης.

Ipſe aquila ad pulchrum Ganymedem Iupiter olim.
Ad matremque Helenæ deinde volauit olor.

De Ganymede hiſtoria.

Sunt qui fabulam hanc ad hiſtoriam referant, ex quibus Herodianus lib. 1. Licet, inquit, apud alios comperiam pugnam illic Ilum Phryga, Tantalumq; Lydum inter ſe conſeruiſſe ſiue de via ortam, ſiue potiùs ob Ganymedis raptum. Cumq; diu ęquis viribus decertatum foret, ac permulti vtrinq; cecidiſſent, nomen ex ea clade loco eſſe impoſitum. Hic etiam fama fertur, Ganymedem ipſum trahentibus in diuerſa germani atq; amatoris manibus, vita eſſe orbatum, ſublatumq; è medio, pro calamitatis ſolatio relata ad Iouem raptorem fabula, diuinis fuiſſe honoribus affectum. Paulus Oroſius lib. 1. cap. 12. Tantalus, inquit, Rex Phrygiorum, Ganymedẽ Trois

Darda-

Dardaniorum Regis filium, cùm flagitio ſiſſimè rapuiſſet, maiori conſerti certaminis fœditate detinuit: ſicut Phanocles poeta confirmat, qui maximum bellum ab hoc concitatum fuiſſe commemorat. Euſebius in Chronicis idem fere ſcribit, inquiens: Ob raptum Ganymedis, & Trois patris Ganymedis, & Tantali bellum exortum eſt, vt ſcribit Phanocles poeta. Fruſtra igitur Iouis fabula, & raptrix aquila fingitur. Chalcidenſes tamen ſolebant oſtendere locum (quem Harpiguim nominabãt) vbi Ganymedes ab Ioue fuiſſet raptus. In fabulam hanc Ganymedis multis in locis iocatur pro more ſuo Lucianus, quem conſule, ſi plura de Ganymede cupis. Vide præterea Hygin. in Aſtron. poet. Martial. 7. epigram. Homerum in Hymno Veneris.

III. Aspice,] propriè: nam inuitat ad contemplandam picturam, quę non niſi intuitu & aſpectu percipitur.

Egregius. *Egregius pictor,*] Excellens, eximius, quaſi ex toto grege electus, peritus, πεπαιδευμένος. Pictores olim florente Græcia, non ſuæ artis modò, ſed & rerum omnium, quæ cognitione dignę eſſent, peritos fuiſſe conſtat ex Pauſania & Plinio. Quis autem fuerit hic egregius pictor parui refert inquirere. Nam poteris hæc intelligere de quodam pictore, qui hæc Emblemata depinxit; niſi malis de Leocra pictore nobiliſſimo fieri ſermonem, de quo ex Plinio iam diximus.

Auium regina aquila, & Iouis ales. *Iouis alite.*] Aquilæ περίφρασις Hanc auium reginam appellant, credidítque antiquitas eam Ioui tela miniſtrare & fulmen. Horatius 4. Carm.

Qualem miniſtram fulminis alitem,
Cui rex Deorum regnum in aues vagas
Permiſit expertus fidem
Iupiter in Ganymede flauo.

Hæc in Iouis tutela ideo eſſe dicitur, quia fulmine non tangitur, vt Plinius lib. 2. c. 51. & lib 10. cap. 3. eſt autor. Vel quod ſit altiſſimi volatus, ita vt nubes tranſuolet, & contra ſolis orientis radios immotam teneat oculorum aciem, quod ſcribit Ariſtoteles. Siue quod regina ſit auium, vt cecinit in Olympijs Pindarus. Siue quod ab ea Iouem enutritum arbitrati ſunt, vt teſtatur Mæro in his:

Νέκταρ δ' ἐκ πέτρης μέγας αἰετὸς αἰὲν ἀφύσσων
Γαμφηλῆ, φορέσκε πιτῶν Διὶ μητιόεντι.
Τὸν καὶ νικήσας πατέρα κρόνον εὐρύοπα Ζεὺς
Ἀθάνατον ποίησε, καὶ οὐρανῷ ἐγκατένασσεν.
Aſt aquila huic nectar de petra dulce quod hauſit
Mox roſtro ſublimè volans afferre ſolebat.
Hanc patri altitonans mox regno victor adempto
Eſſe immortalem voluit, cæloq; locauit.

Phornutus eam Ioui eſſe ſacrã vult, quòd volandi pernicitate alijs auibus excellat, ἱερὸς δ' ὄρνις, inquit, αὐτοῦ ὁ ἀετὸς λέγεται εἶναι, διὰ τὸ ὀξύτατον τοῦτον εἶναι τῶν ἄλλων πτηνῶν. Lege Plinium lib. x. c. 4. & 5. Pierium Valerian. lib. 19. Hieroglyphicωn. Sunt qui aliò conuertunt aquilam: nauem enim intelligunt, cuius inſigne aquila eſſet; aut legionem militum, qua legione raptus eſſe putatur. Lactant. lib. 1. c. 10. Fulgentius Mythologic. 1.

Fecerit.] ποιεῖσθαι. Poetarum eſt; nam hinc ποιηταὶ dicti ſunt. Hic ad picturam refertur, eſt enim pictura nil aliud quàm muta poeſis; vt viciſſim poeſis loquens pictura.

Puerum Iliacum.] Ganymedem, ab Ilio Troiæ ciuitate, qui Troem patrem habuit Troiæ regem: & à Poetis dicitur ab aquila raptus, & in cœlum ſublatus, vt Deorum præficeretur aqualiculis. Martialis lib 1. *Hom. Iliad. 5.*

Aethereas aquila puerum portãte ꝑ auras.
Illæſum timidis vnguibus hæſit onus.

Summa per aſtra.] Puto alludi ad animi alas, de quibus Plato.

Vehi.] Præclara Metaphora: hinc vehiculum animi, contemplatio, διάνοια, θεωρία.

Quune Iouem.] Iupiter idem eſt, quod iuuans pater, quem conuerſis caſibus appellamus à iuuando Iouem. Ita Cicero lib 2. de Nat. Deor. Simili modo dicitur à Græcis Ζεὺς, quod vitę omnium ſit autor, ἀπὸ τοῦ ζάω, viuo. Eundem & Δία vocãt, quod per ipſum ſint omnia. Hæc & plura Diogenes Laertius in vita Zenonis. *Iupiter unde dictus.*

Tactum pueríli, &c.] Puerilem ſimplicitatem, id eſt, innocentiam & mentis puritatem Deo gratiſſimam eſſe paſſim teſtantur ſacræ literæ. Quò illud ſacri oraculi referendum: *Sinite paruuli ad me veniant.* &, *Niſi efficiamini ſicut paruuli, &c.* *Puerilis ſimplicitas Deo grata.*

Mæonius.

Homerus etiam Maonius dictus.

Maonius.] Homerus, qui Mæonius excutieus appellatur à Martiano Capella lib. 1. de nuptijs Philologiæ, à Mæone rege à quo educatus fertur, ita cognominatus. Therſagoras apud Lucianum in Demoſth. encomio, ita de Homero verba facit: *πατέρα δὲ μαίονα τὸν λυδὸν, ἢ ποταμὸν, καὶ μητέρα * μεναλώπην φασὶν ἢ νύμφην τῶν δρυάδων*. Alij Mæonium, ſiue Mæonidem dictum volunt à Mœonia, regione minoris Aſiæ, (teſte Plinio & Ptolemæo) nunc Lydia dicta, quod inde Homerus, vt quorundam fuit opinio, traxerit originem. Sed de Homeri patria varia traduntur, multaq; in hanc ſententiam ſunt conſcripta epigrammata. Adiungam vnum diſtichon ex Gellianis noctibus lib. 3. c. 11.

** μεναλίππην.*

Ἑπτὰ πόλεις διερίζουσι περὶ ῥίζαν ὁμήρου,
Σμύρνα, ῥόδος, κολοφὼν, σαλαμὶν, ἰὸς, ἄργος, ἀθῆναι. Hoc eſt:

Septem vrbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Ios, Argos, Athenæ.

Sed Plutarchus ex ſententia Ephori Cumæi, non à patria, ſed à genere Mæonium appellatum tradit. Tres enim enumerat fratres Cumæos, Attellem, Mœonem, Diũ; horum Dium in Aſcram Bœoticæ vicum migraſſe, ibique ex Pycimide vxore ſuſcepiſſe Heſiodum. Attellem in patria diem obijſſe, filiamq; nomine Critheida, fratris Mæonis tutelæ reliquiſſe. Hanc Mæon cùm ingrauidaſſet, infamiam veritus, eam Phemio Grammatico in matrimoniũ collocauit, quæ non multo poſt iuxta fluuium Meletem Homerum peperit, qui Meleſigenes inde fuit appellatus. Eius vitam lautiſſimè proſequitur Herodotus, quem vide.

Meleſigenes Homerus.

Senex.] Ab ætatis peritia, ab auctoritate, dignitateq; eò quippe prouectus eſt auctoritatis Homerus, vt non tantum priſcæ poeticæ diuinus auctor apud Græcos, ab Apuleio lib. 9. ſed & contentione ſumma literarum parens, & doctrinarum fons à celeberrimis pronuncietur auctoribus. Eſt que memorabile in primis, quod Palaton *ζωγράφος*, ſiue pictor, cum Homerum deſcriberet, illum quidem veluti vomentem exprimebat, poetas verò reliquos per ambitum adſtitutos *ἐμημεσμένα ἀρυομένους*, id eſt, quę reiecisset is, abſorbentes. Cui non ineptè accommodari poterit illud Ouidij:

Laus Homeri.

Homerus vomens.

Aſpice Mæoniden, à quo ceu fonte perenni
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.

Huius laudes ſi pluribus deprędicare velim, verear, ne laborem ſuſcepturus ſim inanem, ac prorſus inutilem, cum nihil hoc aliud videri poſſit, quàm eum laudare, quem nemo vituperat, ſed omnes venerantur & ſuſpiciunt. Aut etiam cum Ariſtophane quęrendum mihi ſit, vndenam *μυριάμφορον*, quod, Suida interprete, decies mille amphorarum verbum eſt, accipiam, quo ſatis dignè eum compellare poſſim. Eius laudes, patriam, luminum orbitatem, & quo tempore vixerit (qua de re multum auctores ambigunt) ex probatiſſimis ſcriptoribus retulit Melchior Guilandinus in tract. de Papyro, membro 4.

Consilium, mens atq; Dei, &c.] *Μυθολογία* eſt, qua reſpondet ad interrogata; in qua aduertendum, quàm graphicè & commodè Ganymedei nominis vim exprimat. *γάνυμι* enim, vel *γάννυμαι*, lętor eſt: reſpondetque his quę dixit, *Gaudia præſtant:* & *μήδεα*, *conſilia*, vnde *γάννυσθαι μήδεσι τοῦ Διὸς*, Emblematis & figmenti ſenſum explanat. Dicit enim illam eſſe propriam lętitiam, quæ à conſilijs & contemplatione oritur, & in qua ſummum bonum nonnulli Philoſophorum collocarunt. Diſtichon ſic explico: Ille, cui Dei conſilium atq; mens pręſtant gaudia, is creditur adeſſe ſummo Ioui.

Ganymedis nomē vnde.

IV.

Raptvm Ganymedis Alciatus traducit ad eos, qui pia cogitatione, & ardenti affectu animi, Dei quaſi domicilium penetrant, tamq; ſibi placent in ijs, quę Deo grata ſunt, vt in hac etiam vita nonnihil ęternę beatitudinis deliciarum experiantur. Ab hoc non diſſentit Homeri ſcholiaſtes ad 4. Iliad. qui Iouis nomine primam intelligentiam, *πρῶτον νοῦν*: Ganymedis verò, eum qui conſilijs diuinis gaudeat. *τοῦτο γὰρ ὁ Γαννυμήδης, ὡς ὁ νοῦς ἔχει οἰκεῖον τὸ τοῖς μήδεσι γάννυσθαι.* Hoc penè ſenſu dixit Naumachius, vetus Poeta, *pulcrum eſſe virginem puris ſemper cogitationibus delectari*: id eſt (nam Gręca perbelle conueniunt huic Ganymedis etymo)

Iupiter quid.

——— *καλὸν*
παρθενικὴν καθαροῖσιν ἀεὶ μελεδήμασι χαίρειν.

Sed & Grammatici non modò quin etiam

Philo-

Felices qui.

Philoſophi non poſtremi nominis beatos ſeu felices, quos εὐδαίμονας, καὶ μακαρίους appellant, non alio ſenſu ijs id impoſitum nomen putant, quàm quòd habeāt aliquem cum dijs conſenſum. Nam & εὐδαιμονεῖν Ariſtotelis interpretantur εὖ ζῆν: nonnulli etiam θεωρεῖν. μακαρίους autem à μὰ, καὶ τοῦ χαίρω. Locus Ariſtot. eſt Moral. ad Nicomach. 7. Item 10. cap. 4 cuius ſententiam Sanctius paulò fuſius tractat. Eſt, inquit, vniuſcuiuſq; ſenſus voluptas propria, vt auditionis, guſtationis, &c. Sed ita in vnoquoque ſenſu perfecta erit voluptas, ſi ſenſus ille puriſſimus ſit, & obiectum illius ſenſus ſit pręſtantiſſimum. Fiet hęc res exemplis illuſtrior. Si auditionis ſenſus purgatus eſt abunde, obijciaturq; illi cęleſtis quędam & diuina Muſica, tum ingenerabitur ſumma illius ſenſus voluptas. Sic in viſu. Quid prodeſt, ſi tibi oſtendatur vel Apellis, vel Timanthis ingenioſiſſimè depicta tabula, ſi lippus, aut ſis captus lumine? Opus eſt denique, vt oculus ſit puriſſimus, & illius obiectum pręſtantiſſimum. Vt igitur ſua cuiuſque ſenſus voluptas eſt propria: ita & mentis, & intellectus, & contemplationis: ſimiliq; pacto ſumma voluptas generatur intelligentię noſtrę, ſi ipſa, quoad fieri poteſt, puriſſima ſit & defęcata, & ſibi eligat ex omnibus rebus quod ſit pręſtantiſſimum, vtpote Deum, in quem contempletur, & totis viribus rapiatur. Qui igitur ſic collocat intellectum ſuum, nec vilibus & caducis huius ſęculi rebus intentus eſt, meritò Ganymedes poterit appellari: Etenim (vt eodem libro cap. 8. idem Ariſt. inquit) ſi Dij res curant humanas (ſicuti curant) profectò illud quidem eſt conſentaneum, vt re delectentur & optima, & quę generis ſocietate cum ipſis ſit coniunctiſſima, qualis mens videtur eſſe, ijsq; hominibus, qui eam rem maximè ament & colant, beneficia reddant, quod res eas curent illi, quas habent charas, rectèque vt pręclarè facta ſequātur. Ergo q Deo chariſſimus eſt, idemq; beatiſſimus debet eſſe: ita ſapiens maximè eſt beatus futurus. Hęc ille. Addo pręterea etiam id pietatis ergò: Ganymedei raptus figmentum non Iouis habere flagitium, ſed hiſtoriā, à qua poſſint ad Dei cultum homines inflammari. Laudaui auctores, certè ἀξιοπίστους, Xenophontem nempe & Euſtathium Homericum interpretem. Sanè noſtri non temerè Hieroglyphicum aquilę D. Ioanni tribuere, vt eius in diuinis rebus acumen longè perſpicax & oculatum, vt ita dicam, oſtenderent. Vt enim aquila, quaſi acula, ab acumine dicta eſt; & Homero teſte, αἰετὸς ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν: ſic diuus ille oculorum acie in altiſſimę diuinitatis receſſum directa, præ alijs omnibus θεανθρώπου arcana vidit, qua Ebionitarum nefandam hęreſim pesſundedit, & pręperibus pennis euolauit, deque ipſo rerum diuinarum nido pellucidas illas gemmas eſt mutuatus, quę poſteà oculis hominum caligantibus veram certamque claritatem afferant. Sed hic me cohibeo, quòd id eſſe videam Theologorū penſum, ſi vnum Lactantij Firmiani locum adſcripſero, ex lib. 5. cap. 10. qui ad generale emblematis huius argumentum facit: Ad placandum Deum, quem colas, inquit, ijs rebus opus eſt, quibus illum gaudere ac delectari ſcias. Sic fit, vt vitam colentium Deus pro qualitate numinis ſui formet, quoniam religioſiſſimus eſt cultus, imitari. Totum igitur Emblema innuit, eum qui formæ elegantis & præcellentis erit, hoc eſt, ab omni ſcelere purus, vitijs nullis contaminatus, ſed vitæ integritate candens, & reſplendentibus virtutibus omnimodè præditus; quiq; humili ſpiritu, & ſimplex vt puer, omnibus ſuis conſilijs & cogitationibus in Deo ſolùm gaudet, dici à Deo raptum per aquilam, mentem hominis (quę auis inſtar ſublimia petit) ſignificantem. Talis verè in Deo lætabitur, ei deniq; in cœlis commodè nectar illud propinabit perenne & ſuauiſſimum.

D. Ioanni aquila Hieroglyphicū cur tribute.

Epilogus.

Sapiẽtia humana, ſtultitia eſt apud Deũ.

EMBLEMA V.



QVID dicam? quonam hoc compellem nomine monſtrum
Biforme, quod non eſt homo, nec eſt draco?
Sed ſine vir pedibus, ſummis ſine partibus anguis,
Vir anguipes dici, & homiceps anguis poteſt.
Anguem pedit homo, hominem eructauit & anguis:
Nec finis hominis eſt, initium nec eſt feræ.
Sic olim Cecrops doctis regnauit Athenis:
Sic & gigantes terra mater protulit.
Hac vafrum ſpecies, ſed relligione carentem,
Terrena tantùm quiq; curet, indicat.

COMMENTARII.

1. PONITVR monſtrum biforme, ſuperiore ſui parte virum, inferiore ſerpentem referens, circa ſceptra, coronas, vaſa pretioſa, & pecuniarum aceruos occupatum. Inſcriptio ſumpta eſt ex Epiſt. D. Pauli ad Corinth. 1. cap. 3. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστί. *Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum*. Verſus ſunt Hexametri, & Trimetri Iambici.

II. Hoc in monſtro deſignando verbis vſus eſt obſcuris, & ſententijs planè ænigmaticis. Id tamen quicquid ſit, aperto primùm fonte; deinde auctoris conſilio, ſi tamen poſſimus commodè, illuſtrare conabimur. Totum hoc fermè videtur imitatus ex gryphis monoſtichis, & diſticho quodam, quæ in collectaneis epigramm. Græcorum legimus, quæq; huc aſſcribemus. Sunt autē εἰς χείρωνα ἱπποκένταυρον, lib. 4 Anthologiæ his verbis:

Fons Emblematis.

Ἀνδρόθεν ἐκκέχυθ' ἵππος, ἀνέδραμε γ' ἱππόθεν ἀνήρ.
Ἀνὴρ νόσφι ποδῶν, κεφαλῆς δ' ἄτερ αἰόλος ἵππος.
Ἵππος ἐρεύγεται ἄνδρα, ἀνὴρ δ' ἀποπέρδεται ἵππον.
Ἵππος ἔην ἀκάρηνος, ἀνὴρ δ' ἀτέλεςος ἔκειτο,
Ὅν γε φύσις παίζουσα θοῷ ἐνεκέντρισεν ἵππῳ.

Ad verbum ſic effertur:

Ex viro deſcendit equus; aſcendit autem de equo vir.
Vir ſine pedibus, ſine capite autem celer equus.
Equus ructat virũ, vir aũt pedit equũ.
Equus non habebat principium, vir autem carebat fine:
Sed hunc natura ludens acri equo † miſcuit.

† infixit.

Alciatus noſter paucis mutatis verbis ſic vertit:

Ex viro deſcendit equus, aſcendit autem vir de equo.
Vir quidem ſine cruribus, & equus fuit ſine vertice.
Nam equum pedit vir, & velox equus ructat virum;
Non habebat finem homo, neq; quadrupes exordium;
Sed virum natura ludens acri equo commiſcuit.

Quid hoc monſtro intelligatur. Hoc informi monſtro, quod nec omninò formam humanam, nec omninò ſerpentiuam figuram habeat, natura quidem duplici, quodq́ue necdum certam appellationem ſortiri poſſit, ij notantur, qui anima rationis participe à Deo informati, terrena tantùm ſapiunt: & neglecta conditione ſui meliore, humi repunt, in naturamq; belluinam degenerant. Monſtrum enim, vt hic exprimitur, in hominem non deſinit, nec eſt feræ principium: non enim finem ſpectant Epicurei homines, propter quem homini ſit conceſſa ratio, qua miſerè abutuntur, eamq; ſpontanea quadam & exitioſa ignoratione inficiunt. Tales fuerunt rigidi illi Philoſophiæ ſatellites, qui cùm perpetuò dogmatis ſapientiæ veteris, & ſibi parùm conſtantis adhæſerint, nihil aliud ſpirarunt, quàm quæ terræ ſunt, tametſi vnum illis videretur eſſe ſtudium cœleſtia diuinaq; contemplandi: quos ideò exagitat vir ſanctiſſimus Auguſtin. libris de ciuit. Dei, Lactantius, Euſebius, & alij multi. Opinor autem hic Alciatum exempli cauſa Cecropem appoſuiſſe, nec quidem ab re: Ille enim primus idolorum cultu totam Græciam imbuit, primus Iouem inuocauit, ſimulacrorum vſum induxit, aras conſtruxit, & ſacra dijs fecit (teſte Euſebio, Herodoto, & pluribus alijs) quæ omnia ante ea tempora omninò fuerant inaudita. Quòd verò primus inter marem & fœminam certa connubia dicatur inſtituiſſe, quæ antè vaga eſſent & incerta, διφυὴς, id eſt, biformis, eſt nominatus. Hincq; colligere licet, mundi ſapientiam, quam technis & præſtigijs ſatanicis inuexere priores illi Principes, meram fuiſſe ſtultitiam, cùm perſpicuum ſit, eam longè deſciuiſſe ab inſtitutis illis priſcorum patrum, qui leges diuinas à Noeo, & eius meliore poſteritate hauſerant. Hos itaq; vafros, & religionis expertes, quibus tantum curæ terrena ſunt, & quorum Deus venter eſt, ex hominum albo reijcimus.

Epicurei.

Philoſophi.

Cecrops biformis.

Quid dicam? quonam &c.] Quę noua ſunt, ſtupenda, aut admirationis aliquid præ ſe ferunt, vt quæ à communi rerum natura ſunt aliena, deſcribi ferè ſolent quibuſdam verborum ſubobſcuris ambagibus & rerum inuolucris, vt hic fit ab Alciato in monſtri huius periphraſi. Totum certè διχαςιχὸν, vti periculoſæ plenum aleæ doctis viſum, mihi quidem non potuit non videri perobſcurum. Quòd ſi rem acu, quod aiunt, non tetigerim, tentaui tamen quid hac in parte vires alioqui imbecilles poſſent, & alijs tradidi lampada, vt maiore tandem induſtria diligētiam aliquam noſtram obſcurent. Quæ dum interea meditor, fortaſsè non malè vno claudam prouerbio, quod hic obſcurè proponitur. Id igitur prouerbium vſurparũt duo eccleſiæ Chriſtianæ lumina, Nazianzenus Gregorius, & Chryſoſtomus: ille III

quidem

quidem in epiſtolis ſic: *τὴν πεζὴν στέργειν φιλοσοφίαν, καὶ κάτω μένουσαν, pedeſtrem amplexari, humiq́ manentem philoſophiã.* Idem monodia in Baſilium: *ὧν ἀνδραποδώδης καὶ κάτω νενευκὼς ὁ βίος*: quorum vita ſeruilis eſt, qualis mancipiorum, & humum ſpectans. Sic Chryſoſtomus adhortatur, humi repẽtes cogitationes erigamus: *ἵνα τοὺς χάμαι συρομένους λογισμοὺς ἀνορθώσωμεν.* Mitto enim quod de paganorum ſtudio multi è noſtris tradiderunt, quos alicubi Theodoretus *χαμαιζήλους καὶ ἐπιγαίους* appellat: id eſt, rerum caducarum & humi repentium ſtudijs addictos. Sed Lactantiana quædam lucem huic loco afferent, meo quidem iudicio, ex cap. 3. lib. 2. Quos homines (de philoſophis loquitur) philoſophus ac poeta Lucretius grauiter accuſat tanquam humiles & abiectos, qui contra naturæ ſuæ rationem ad veneranda terrena ſe proſternãt. Ait enim:

Et faciunt animos humiles formidine Diuum,
Depreſſosq́; premunt ad terram.

Alio loco ſic idem:

Nec pietas vlla eſt, velatum ſæpe videri
Vertier ad lapidem, atq; omnes accedere ad aras,
Nec procumbere humi proſtratum, &c.

Paulò poſt: non oportet ſublimes & excelſos animos aduocari, atq; in terram premi, ſed nihil aliud quàm cęleſtia cogitare.

Monſtrum biforme.] Duas formas habens, ſupernè hominis, infernè verò ſerpentis; nec tamen hominis aut ſerpentis naturam aut conformationem habet. Monſtrum enim eſt, quod fit contra naturam. [*Mõſtrum.*] Interea, quandoquidem Alciatus noſter in monſtro tam informi effigiando primũ hæſerit, vti rem nouam & inſolentem, planèque ſtupendam expreſſurus, neſcio an huc conferre auſim Libycam illam fabulam, quam Chryſoſtomus Dion retulit oratione 5. Sed cùm nihil ſit in narrando pericli, non patiar ſtudioſos ea defraudari. Ait igitur eſſe in Libya ferarum genus, ex promiſcuo belluarum diuerſi generis coitu, ſæuum admodum & ferox circa Syrtes imprimis verſari. Monſtri faciem eſſe muliebri corpore certè formoſo, papillis tumentibus, toto pectore ac ceruice pulcherrima, cutis colore admodum nitido, reliquis partibus corporis horridis, & ſquammarum ſcabritie aſperis, infernè demum in longum anguem deſinentibus. Feras eſſe omnium velociſſimas ait, vt nemo ſit adeò alacer, qui earum inſultus effugerit. Animalia cætera quotquot nactæ fuerint, per vim aſſequuntur, tandemq́ue opprimunt: vnum hominem modò blanditijs adoriri, & præſtigijs implicare. Cætera Dion. At quia ſuperiore commentario conatus ſum inuentionem carminis Alciatini expiſcari, ſicuti feci, & ex quodam autore vetere: addo & hoc, apud Aelianum lib. 9. de varia Hiſtor. antiquiſſimum quẽdam virum in Auſonia fuiſſe olim, nomine Marem, cuius anterior facies hominis eſſet, poſterior equi: Græcis eſt *ἱππομιγῆς*. [*ἱππομιγῆς.*] Cauſam autem naturæ duplicis in id confert, quod primus equum aſcenderit. Refert quoq; Cœlius Rhodigin. lib. 25. cap. 32. ex concubitu paſtoris, nomine Crathis, cum capra, ob idq; ab hirco zelotypo occiſi, natum eſſe infantem, qui cruribus matrem referret, facie verò patrem. [*Mõſtrum ex capra & homine.*] Hunc deorum numero aſcitum, conſtans tenuit fama, fuitq; Hylæum numen, Napæumq; Huiuſmodi monſtra nullo pacto reperiri poſſe feſtiuis carminibus indicat Lucretius lib. 5. Plinius tamen nat. Hiſt. lib. 7. cap. 3. dicit, Claudium Cæſarem ſcripſiſſe natum in Theſſalia Hippocentaurũ, eodemq; die interijſſe. [*Hippocentaurus.*]

Nec eſt draco.] Obiter admoneo hic confundi virum & hominem, draconem cum angue ſiue ſerpente, &c. quæ ænigmatum lex eſt.

Vir anguipes. &c.] videtur de induſtria verbis obſcuris vſus, vt rem abſtruſam & quaſi recõditam inſculperet potiùs quàm delinearet.

Anguem pedit homo, &c.] Hic Græcorum more non abſumit vocalem, quæ in cæſura hac remanet integra, idq́ne ferè fit rei difficultatis aut grauitatis oſtendendæ ergo. Cæterum nouè videtur vſus his verbis, *pedit*, & *eructauit*, quę vim magnam habent ad demonſtrandam monſtri huius obſcœnitatem: Rem enim turpem turpia verba decent. [*Pedere & eructare, obſcœna verba.*] Ponuntur autem hęc duo verba, *pedit*, *eructauit*, *κατ᾽ ἀντίθεσιν*. Pedere enim eſt, quando apertis cauernis inferioribus Aeolus per poſterius promontorium flatus emittit, nares ferientes: [*Pedere.*] at anguem pedere, prorſus nouè & inſolenter dictum, vt ſcilicet ad monſtri inſolentiam adderet quoq; genituræ nouitatem.

Sic hominem eructare anguis dicitur, vt rem prodigioſam quoquo modo eſſi ige-
Eructare. rę. Eructare, nihil eſt aliud quàm efferre, & egerere, vel ructando aliquid eijcere. Iuuenal.

Si bene ructauit, ſi rectè minxit amicus.

Hoc fere ſenſu dixit Catullus:

In pede ſtãs fixo carmina ructat hians.

Et Lucilius apud Horatium ducentos verſus ſtans pede in vno ructabat. Serpentem quoq; inter ſignificationes alias turpium voluptatum, & mollium illecebrarum notam eſſe, aliunde didicimus.

Nec finis hominis eſt, &c.] Non deſinit in hominem, quòd finem non ſpectet, cuius maximè cauſa conditus homo ſit: nec habet feræ principium, quod primò anima rationis participe donatum à Deo ſit, vt omnibus alijs animantibus excelleret, ſicuti copioſa diſputatione Cicero 1 De legib. proſequitur.

Plin. 7. c. 56. *Sic olim Cecrops*] Cecrops regionis Atticę rex primus, qui Athenarum arcem extruxit: hinc Cecropidæ Athenienſes. Venit
Cecrops rex Athenienſium. autem Cecrops Athenas ex vrbe Aegyptia, quæ dicitur Sais, atq; vt inquit Charax, Sais apud Aegyptios vocantur Athenæ. Pauſanias ait eum διφυῆ, hoc eſt, naturæ duplicis, ſuperiori parte viri, inferiori ferę, quòd coniugia primùm inſtituerit in Attica regione. Malim tamen referre ad id quod ſuperiùs attigi, de ſuperſtitione nimirùm, & idolomania, quam primus illic dicitur induxiſſe. Lege D. Aug De ciuit. cap. 8. lib. 18. Iuſtin. lib. 2. Tzetzes in
Cur dictus διφυὴς, variæ opiniones.
Tzetzes. Caſſandram Lycophr. Cecropem ait biformem nominatum, quod ex draconis dentibus egreſſus ſit: vel quod duorum hominum magnitudinis eſſet: vel duarum linguarum peritus, Aegyptiacę nimirum & Gręcę: aut, vt eſt in fabulis, quod ſuperiores hominis partes, inferiores autem draconis habuerit: quod quidem ἀλληγορικῶς Demoſthenes interpretatus dixit, illum robore ſimilem draconi fuiſſe, homini mente. Exiſtimat tamen idem Tzetzes eum optimum regem extitiſſe, quippe qui hominum ferocitatem omnem de medio ſuſtulerit: vel quòd primus mulieres, quę more ferarum coibant promiſcuè, (vt eſt apud Ioannem Antiochenum) ad certa coniugia reuocarit, ſicq́ue nefandos concubitus & belluinos aboleuerit. Nam antea pueri erant μονοφυεῖς, id eſt, vnius naturę, matrem quippe ſolam noſcebant. Regnante verò in Attica Cecrope, ceſſauit illa ferina commiſtio, & viris legitimè Cecrops vxores iunxit. Inde iam pueris & patrem, & matrem noſcentibus, dictus eſt ipſe Cecrops διφυὴς, quod per illum pueri hoc eſſent conſecuti. Hæc Tzetzes. Cecrope regnante primum in arce oliua orta *Euſebij.* eſt, & ex Minerue quoq; nomine Gręco, Athenę nuncupatę. Dicebatur autem Cecrops διφυὴς, id eſt, duabus naturis, ſiue ob longitudinem corporis: ſiue idcirco, quod cum eſſet Aegyptius, vtramq; linguam ſciebat, Gręcam & Aegyptiacam. Primus Cecrops bouem immolans Iouem appellauit; & Cecropia regio ab eo nuncupata. Floruit tempore Moſis anno Mundi 3645. Hęc ex Euſebij Chronicis, quę omnia in pręfatione poſuit latius. Aliter Plutarchus in libello De ſera numinis vindicta; Perinde, inquit, ambiguè priſcos de *Plutarchi.* Cecrope fabulatos arbitror, non (vt aliqui aſſerunt) ex optimo rege crudelem & immitem factum eſſe tyrannum: ſed contrà cum ſub initium moroſus ac terribilis fuiſſet, poſtea perquam humanè ac placidè imperaſſe. Aliter Iuſtinus: Ante Deu- *Iuſtini.* calionis tempora, inquit, regem habuere Cecropem, quem, vt omnis antiquitas fabulata eſt, biformem prodidere: quia primus marem fœminę matrimonio iunxit.

Doctis Athenis.] Doctis, metaphora epitheti. Doctas poſuit propter celebratiſſimam toto orbe ſcholam. Hinc enim magni Oratores, hinc Rhetores, hinc Sophiſtę, hinc clari deniq; legum latores. Plutarchus huius epitheti vim expreſſit commentario, πότερον ἀθηναῖοι κατὰ πόλεμον, ἢ κατὰ σοφίαν ἐνδοξότεροι. Reuera hęc *Laus Athenarū.* vrbs, inquit, multarum etiam aliarū mater, artiumq́ue benigna parens, quarum alias prima reperit, inq́, lucem miſit, alijs honorem, vim, incrementa contulit. Gręcè verò ſic: πολλῶν μὲν δὴ καὶ ἄλλων ἡ πόλις ἥδε μήτηρ καὶ τροφὸς εὐμενὴς τεχνῶν γέγονε, τὰς μὲν ἐυραμένη καὶ ἀναφήνασα πρώτη· ταῖς δὲ δύναμιν προσθεῖσα καὶ τιμὴν καὶ αὔξησιν. Cicero 1. de Oratore, omnium doctrinarum inuentrices Athenas appellat. Sic idem pro Flacco: Adſunt Athenienſes, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortę atq; in omnes terras diſtributæ putantur. Hæc ſunt præclara certè & antiqua vrbis Athenarū eulogia

eulogia. Sed occurrunt etiam aliorum quorundam non pœnitenda teſtimonia. Sic enim Velleius Paterculus ad finem 1. hiſt. Rom. Vna vrbs Attica pluribus annis eloquentia, quàm vniuerſa Græcia, operibusque floruit, adeò vt corpora gentis illius ſeparata ſint in alias ciuitates. Ingenia verò ſolis Athenienſium muris clauſa exiſtimes. Apuleius enim 10 Aſini aurei: Quale autem & illud iudicium apud legiferos Athenienſes & catoſillos, & omnis ſciẽtiæ magiſtros. Idem Apolog. 1. Apud Athenienſes cattos Melecides fatuus. Et Iuſtin. lib. 5. Athenas vocat patriam communem eloquentiæ. Lib. 2. idem ſcripſerat, literas certas ac facundiam, & ordinem ciuilem, diſciplinæ veluti templum Athenis. Mamertin. oratione panegyric. quam Iuliano dictam volunt: Ipſæ illæ bonarũ artium magiſtræ & inuentrices Athenæ. Valerius Max. lib. 8. c. 7. Athenas locum doctrinæ fertiliſſimum dixit. Quid enim tranſiliam cum alijs quam plurimis Caſſiodorum, qui lib. 12. Variarum, epiſt. 15. Athenas ſedem eſſe ſapientium dictas ab antiquis ait?

Gigantes quales. *Sic & Gigantes*] Gigantes Titanis & Terræ fuerunt filij: ſiue, vt alij volunt, Terræ tantum ſine patre. Fuerunt autem ſtaturæ admirabilis, quorum pedes in ſerpentum volumina deſinebant, ijq; in Deorum perniciem nati putabantur: cum quibus pugnare auſi, fulmine concuſſi ſunt, atq; ſub Ætnam, aliasq; inſulas detruſi. Pugnam hanc attingit Pindarus in Nemeis. Huius figmenti rationem Mythologi adferunt, eamque traducunt ad homines quoſdam impios, qui Deos negligerent, aut etiam negarent: quorum pedes in draconum volumina deſijſſe aiunt, quòd nihil ſuperum, nihil rectum cogitarent, totius eorum vitæ greſſu ad inferna mergente. Macrob. Saturnal. 1. c. 20. Virgilius in opuſculo de Ætna:

Hu natura ſua eſt aluo tenuiſſima pomnes
Squãmeus intortus ſinuat veſtigia ſerpens.

Anguipedes. Multa de Gigantum ortu & pugnis Diodorus lib. 4 & 5 A poetis vocantur anguinei, anguipedes, & ſerpentigenæ. Ouid. 1. Metam.

—— Qua certum quiſq; parabat
Injjcere anguipedũ captiuo brachia cœlo.

Serpentigena. Idem 4. Triſt.

Sphingaq; & Harpyias, ſerpentigenasq; gigantas.

Quod mihi reuocat in memoriam veteres ſtatuas, quibus gigantum formæ obtortis cruribus conſpiciebantur, quodq; Lampridius retulit in Commodo: eum nempe quos obtortis cruribus eſſet vbicumq; nactus, ſagittis ex libidine ſolitum configere, eosq; draconteos appellitare. Quod epimythion hexaſticho complexus eſt Bartholom. Anulus in picta Poeſi: hunc enim ſcriptorem, alioqui recentem, eruditum tamen & acutum, citare nihil verebor: *ἐπιμύθιον.*

Tale gigãtum legitur genus, vt nihil altũ
Cogitet, at ſpernat, vel neget eſſe Deum:
Et tantũ, quantũ ſenſu exteriore mouetur,
Commodat ad præſens ſe, vel ad id quod adeſt.
Hoc genus anguipedum mythici finxere Poetæ,
Quorum affectus humi (ſegnis ad alta) repat.

Gigãtum arrogantia. Si vacat, lege Pierium Valerianum lib. 16. & 25. Hieroglyphic. Horum gigantum arrogantia tanta fuit, vt prouerbij locum obtinuerit; nec abs re, nam ex ſacris literis originem ſumpſiſſe videtur, vbi legitur, gigantes turrim conatos ſtruere, cuius culmen cœlos attingeret, niſi Deus confuſione linguarum eos ab incepto abſtraxiſſet. Gigantum fabulam Homeri ſcholiaſtes in hanc ſententiam narrat: Cum Iupiter patrem Saturnum regno deturbaſſet, Deorumq; ſibi principatum adſciuiſſet, Gigantes Terræ filij ſuccenſentes, Tarteſi (quæ ciuitas eſt iuxta Oceanum) magnũ bellum aduerſus Iouem adornarunt: Iupiter verò illis obuiam factus, in Erebum deiecit, ac patri Saturno in ipſos imperium tradidit. Et Ophion, qui cæteris ſuperbia præſtare videbatur, ſuperato monte, ab eius nomine Ophionium ſuperimpoſuit. *Ophion.* Miſſos hoc loco facio, qui multi multa de gigantibus, quorum alij, fuiſſe negant, quidam contrà, & certè plures, non enim vacat ſublegere quæ de gigantibus tradunt Herod. in Clio. Plin. 7. c. 16. Solin. cap. 5. tantùm admonuiſſe ſateſt. Ego quidem facilè mihi perſuaſerim hoc gigantum nomine intelligi veteribus barbaram & impiam gentem, quæ ſub hominis figura feritatem exerceret, à quibus honeſtarum rerum inducta fuerit ἀταξία, quales deſcribuntur à Poetis Cyclopes, Læſtrigones, alijque qui feritis moribus vaga- *Gigantũ gens impia.*

bantur, inſontes & probos quoſq; impunè lædebant, nullam diuini humaniq; iuris rationem habebant. Cui videtur aſtipulari Beroſus Babylonicus de Antiquit. Circa Libanum, inquit, fuiſſe Enos vrbem maximam Gigantum, qui vniuerſo orbi dominabantur, ab occaſu Solis ad ortum. Hi vaſtitate corporis ac robore confiſi, inuentis armis omnes opprimebant; libidinique inſeruientes inuenerunt papiliones, & inſtrumenta muſica, & omnes delicias. Manducabant homines, & procurabãt aborſus, in eduliumq; præparabant, & commiſcebantur matribus, filiabus, ſororibus, maſculis, & brutis, & nihil erat ſceleris, quod non admitterent, contemptores religionum & Deorum.

Gigantes terrigenæ.

Terra mater protulit.] Gigantes terrigenæ dicuntur à Poetis, id eſt, terræ filij, vt vi nominis intelligitur; γῆ, terra, γίνομαι, fio, naſcor. vel, παρὰ τὸ ἐκ γῆς ἰέναι, quaſi ἐκ γῆς γεγεννημένοι. Sic canit Orpheus lib. 8. ſacri ſerm

ὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσιν,
οὕνεκα γῆς ἐγένοντο, καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

id eſt:

Nomine gentili Diui hos dixere Gigantes,
Quod geniti è Terra, Cœli ſint ſanguine creti.

Heſiodus quoq; in Theogonia, Erinnyes & Gigantes ex cruore Cœli, cùm is à Saturno filio caſtraretur, in gremium Terræ dilapſo procreatos dicit, his verſibus:

ὅσσαι γὰρ ῥαθάμιγγες ἀπέσσυθεν αἱματόεσσαι,
πάσας δέξατο Γαῖα· περιπλομένων δ' ἐνιαυτῶν
Γείνατ' ἐριννῦς τε κρατερὰς, μεγάλους τε γίγαντας.

Sanguineæ quotquot guttæ cecidere, recepit
Terra omnes; eadẽ rurſus voluẽtibus annis
Horrendas peperit Furias, magnosque Gigantes.

Terræ filius. Gigantis fraterculus.

A Gigantibus ortum eſt prouerbium, *Terræ filius.* &, *Gigãtis fraterculus.* De quibus vide Chiliades, item Politianum cap. 18. Miſcel. Gigantum præterea meminit Ouid 1. Metam. vbi eos vocat ſuperum contemptores, & anguipedes. Meminit & lib. 5. operis eiuſdem: & 5. Faſtorum ſic ait:

Terra feros partus immania monſtra Gigantes
Edidit, auſuros in Iouis ire domum.
Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atq; ait: In magnos arma mouete deos:
Extruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Iouem.
Fulmina de cœli iaculatus Iupiter arce,
Vertit in autores pondera vaſta ſuos.

Et Claudianus in Gigantomachia:

Terra parens quondam cœleſtibus inuida regnis,
Titanumq; ſimul crebros miſerata dolores,
Omnia mõſtrifero cõplebat Tartara cœtu.
Inuiſum genitura nefas. Phlegrãq; retexit
Tanta prole tumens, & in æthera protulit hoſtes.
Fit ſonitus, erumpunt crebri. &c.

Homerus quoq; in Batrachomyomachia, Terræ filios vocat Gigantes:

Γηγενέων ἀνδρῶν μιμούμενοι ἔργα γιγάντων.

Terrigenũq; virũ ſimulãtes facta Gigantũ.

Quinta Luna nati Gigantes.

Quinta Luna aliquid aggredi inauſpicatum erat apud antiquos: erat enim hic numerus Mineruæ conſecratus, quam ſterilem eſſe conſtat. Hoc die canunt Poetę natum Orcum, Eumenides, & Gigantes. Vnde Virgil. 1. Georg.

——Quintam fuge: pallidus Orcus
Eumenideſq; ſatæ, tũ partu Terra nefando
Cœumq; Iapetũq; creat, ſæuumq; Typhœa;
Et coniuratos cœlum reſcindere fratres.
Ter ſunt conati imponere Pelio Oſſam,
Scilicet atq; Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum:
Ter pater extructos deiecit fulmine mõtes.

Gigãtum nomina.

Gigantum nomina, quę illuſtriora celebrantur à Poetis, ſunt: Cœus, Iapetus, Typhon, ſiue Typhœus, Aloeus, Enceladus, Tityus, Briareus, Gyges, Antæus, Atlas, quibus, ſi placet iũgatur illud monſtrum horrendum ingens, cui lumen ademptum, Polyphemus in antro. Qui plura de Gigantibus deſiderat, adeat Officinam Rauiſij Textoris, lib. 2. cap. 37. Natalem Comitem in Mytholog. lib. 6. c. 21. & alios.

Vafer.

Hac vafrum ſpecies.] ἐπιμύθιον, ſeu figmenti ſententia. Vafer autem dicitur callidus, aſtutus, quaſi valde Afer: mira.n. ſemper fuit eius gentis calliditas ac verſutia. Cicero 3. de Repub. Non ſunt in diſputando vafri, non veteratores, non malitioſi. Eius diminutinum, vafellus.

Sed religione carentem] In qua tamen ſum-

Quæ maximè re homo à mutis animalibus differat.

ſummum hominis bonum eſſe liquidò conſtat: cætera enim, quę putantur eſſe homini propria, in cæteris quoq; animalibus deprehenduntur. Religio ſola differentes homines à belluis facit: quam qui non admittit, alienus à natura hominis, vitam pecudum ſub humana ſpecie viuit. Lactant. lib. 2. cap. 3. & lib 3. cap. 10. & de ira Dei, cap 7. & 8.

Terrena tantum quique curet, indicat.] Concinit huic Lactantij loco ex 3. lib. diuinar. inſtit. cap. 12. Beata vita, quam Philoſophi quæſiuerunt ſemper, & quærunt, ſiue in cultu Deorum, ſiue in Philoſophia, nulla eſt, ideoque ab ijs non potuit reperiri, quia ſummum bonum non in ſummo quæſiuerunt, ſed in imo. Quid eſt autem ſummum, niſi cœlum, & Deus, vnde animus oritur? Idem ad rem propius lib. 6. cap. 1. Nihil ſapiunt niſi terram, inquit, bonaque & mala ſolius corporis ſenſu, & voluptate perpendunt. Huius arbitrio vt religionem ponderant, ſic totius vitæ ſuæ acta diſponunt. Hæc ille. Verum & Piſides, auctor Græcus, ſuis de mundi fabrica verſibus alludere huc mihi videtur, quo loco in Philoſophos, & Proclum maximè inuehitur:

Summū bonū vbi.

Ὅ τοις λαβεῖν χωροῦσιν, οὐχ ὅσους ἔχεις,
Ἀλλ' ὦ σοφιστὰ Πρόκλε, τῶν κάτω λόγων
Ὁ πολλὰ βροντῶν ἐκ νέφων λοξοδρόμων.

Quos ſic nuper reddidit Fed. Morellus, Grecè & Latinè doctus:

Quantum valent, ut hauriant, non quantum habes,
Sophiſta Procle, vocem humi ſerpentium
Multum intonans è flexuoſis imbribus.

IV. Ea eſt huius Emblematis fœcunditas, vt inde doctrinæ fructus vberrimos decerpere, & ad vſum accommodare poſſis.

Humana ſapientia cur ſtultitia dicatur.

1. Sciendum, humanam ſapientiam (quę apud Deum ſtultitia dicitur D. Paulo) hic potiſſimum reprehendi, quippe quæ religione caruerit. Vult autem Lactantius vnam cum altera, id eſt, religionem cum ſapientia inſeparabili nexu colligari, in quibus hominis officium, & veritatem omnem incluſam eſſe colligat. Religio enim, quæ ſine ſapientia ſit, non religio, ſed ſuperſtitio putanda eſt: ſapientia verò ſine religione, mera eſt ſtultitia, de qua eſt illud Prophetæ: Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. & D. Pauli, 1. Cor. 1. & 3. cap.

Lib. 3. c. 11.

Eſ. 29.
Abd. 1.

2. Eſt præterea hic typus perquam elegans veteratorum quorundam, quos Machiauellitas non malè vocitamus, vt qui impuram & impiam Machiauelli doctrinam mordicus teneant, & ab eius præſcriptis non diſcedant. Gens omninò Deo, pijsque hominibus inuiſa, vt quæ ſit ad religionis omnis nata contemptum, & ad hominum perniciem quaſi ab inferis excitata. Quid enim aliud ſpirat aut ſperat, quàm vt indicatur pietati, omnique adeò virtuti probroſum exſilium? laxentur habenæ fraudibus & latrocinijs? faueatur compendijs fiſci, miſeraque plebecula deglubatur? Itaq; iam agnoſcitis apertius, Philologi Chriſtiani, cui monſtro ſimiles ſeſe præſtent immanes illi ἄθεοι, quales aulici quidam funeſtiſſimi, nefandiſſimique, digni qui in Morboniam concedant, vel vt Seianus ſub Tiberio, aut ſub Alexandro Seuero Turinus quidam, dignum exitium ſortiantur.

Machiauellitæ quales.

3. Id porrò totum poteſt conuerti in profligatos, & perditos huius ſęculi ἀθέους, & voluptarios Epicuri aſſectatores, qui neglecta futuri boni ſpe, ſuas omnes cogitationes abiecerunt in id modò, quod adeſt, quòdque præſens eſt. Id quidem ego argumentum non inuitus explicarem copioſè: ſed ſatius eſt vt breuius contraham, ſi ſtudioſum quemque admonuero, id commodiùs repeti poſſe à Lactantianis Inſtitutionibus, maximèque lib. 2. cap. 3. & ſequent. item lib. 3. cap 10. lib. 5. cap. 15. & ijs quæ ſequuntur, vt denique lib. 6. capitib. 1. 7. 9.

4. Tandem ad ſenſum Emblematis huc adduco Lactantiana hæc lib. 2. c. 19. Quiſquis animam ſuam, cuius origo de cœlo eſt, ad inferna & ima proſtrauerit, eò cadat, quò ſe ipſe deiecerit, ideoque oportet rationis & ſtatus ſui memorem, nonniſi ad ſuperna niti ſemper ac tendere: quod qui fecerit, hic planè ſapiens, hic iuſtus, hic cœlo, Deoque dignus iudicabitur, quem ſuus parens non humilem, nec ad terram more quadrupedum abiectum, nec ſtantem potiùs ac rectum, ſicut eum fecit, agnouerit. Idem lib. 3. cap. 27. Deus ſolus poteſt honorare virtutem, quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna vita ſubiacet, profectò neque virtutis vim ſciunt, cuius præmium ignorant; neque in cœlum ſpectant, quod ipſi ſe facere

Animus ad ſuperna eleuandus.

 putant,

putant, cum res non inueſtigabiles quærunt, quia ratio in cœlum ſpectans, nulla eſt alia, niſi aut religione ſuſcipere, aut animam ſuam immortalem eſſe credere. Vide & lib. 4. c. 28. initio, & non minus diſertè in Philoſophos lib. 6. ca. 6. & de ira Dei cap. 22. Sine religione, aut immanitate belluis, aut ſtultitia pecudibus adæquamur: in ſola enim religione, id eſt, in ſolius Dei ſummi notione ſapientia eſt. Hæc ille. Neque ſanè hominum appellatione digni ſũt, qui hac deſtituuntur notitia, quanquam planum ſit eos rationis, doctrinæ cuiuſdã & humanitatis haud expertes fuiſſe: nam ea re caruerunt, qua ſola differt homo à reliquis animantibus, id eſt, religione, in qua certè nos homines ſummum bonum conſtituimus. Quanquam enim homo ſit vera & expreſſa Dei imago, ſi tamen ſic ſe abijciat atq; proſternat, vt opificẽ Deum ignoret, in belluarum numerum meritò eſt aggregandus. Magna igitur animæ cæcitas ſit, imò peruerſitas ſtupenda & malitia verius, immiſcere ſe terrenis & implicare, cœleſtis cum ſit & diuini ſeminis. Quid igitur tibi cum ſordido hoſpitio, immortalis mens, quæ perennis æui capax, ſignaculum in te præfers Conditoris tui, ad auguſtiſſimam eiuſdẽ maieſtatem contemplandam intellectu, recolendam memoria, & voluntatis eligendam arbitrio, procreata pulcherrimè & efficta præpotenti digito? Velut vpupæ nidulus eſt hoc corpus quod circumferimus, è ſordibus concinnatum & ſtercore, cui inſidet altior illa ac nobilior pars, vnde inficitur & fœtorem trahit, niſi euolet ſubinde, ac liberiore cœlo fruatur. Inuiſcat fętidum hoc gluten carnis, ſi cubat, nec egreditur: adhæret lentor & inquinat, ſi non quatit interdum alas, & ſeſe eleuat. Clauſa quidem eſt, & in cuſtodia, ſcimus; imò & compedibus ſuis hic ſtringitur ac vinculis, ſed ſcirpea ſunt vel ſcortea non ex ferro vel chalybe: nil adamantinum, nil marmoreum cogit, eluctetur & erumpat, patebit via conanti. *Epilogus.*

Ficta Religio.

EMBLEMA VI.



*R*EGALI *reſidens meretrix pulcherrima ſella,*
Purpureo inſignem geſtat honore peplum:
Omnibus & latices pleno è cratere propinat:
At circum cubitans ebria turba iacet.
Sic Babylona notant: quæ gentes illice forma,
Et ficta ſtolidas relligione capit.

COMMENTARII.

I. SEDEAT mulier habitu ſuperbo induta, in regali ſella, pateram auream manu tenens, & potum quaſi libando turbæ coram ſe decumbenti propinans. Hanc picturam emendauit Pignorius: velim tamen ego mulierem ſplendidiore ornari veſte, quàm hic apparet: tum brachium dextrum corrigi, quod hic truncum videtur. Interim tamen non me fugit, hanc mulierem aliter à D. Ioanne in Apocal. 17. depingi, quam deſcriptionem omnes cæteræ editiones ſunt ſecutæ in pictura. Eius verba ſic paſſim leguntur: *Et vidi mulierem ſedētem ſuper beſtiam coccineam, plenam nominis blaſphemiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius: & in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium, Babylon magna, mater fornicationum, & abominationum terræ.* Hæc tamen pictura noſtra magis menti Autoris accommodata videtur.

II. QVAM variè hoc agalma nonnulli hoc tempore accipiant, quamque obliquis interpretationibus contorqueant, & ad ſuos affectus accommodent, vtpotè odio partium laborantes, certè recenſere pudet. Quanquam enim ſalua fide & pudore, aliorum ſententias in medium afferre poſſem, ne cui tamen ſtomachum moueam, tutius eſſe iudico veterum hominum doctrinam potiùs, quam nouorum placita conſectari. Id ex D. Ioannis ἀποκαλύψεως 17. & ex Hieremia cap. 51. ſumptum eſſe clarum eſt; quod quidem de ementita religionis obſeruatione, & veræ pietati oppoſita intelligitur. Ea eſt collectio reproborum, quæ meretrix dicitur, quòd Deo rerum omnium auctore neglecto & vero ſponſo Ieſu Seruatore, impuro, illicito & nouo quodam cultu, id eſt, fucatæ religionis ritu, impuræ ac formidabili belluæ dicitur inſidere. Aureum poculum manu tenet, id eſt, hypocriſim perſequitur, qua diſſimulatis vitijs, & ſapientię fucatæ auro, pietatis veræ prætéxtu, quamplurimis imponit, qui ebrietate plus quàm fanatica correpti, miſerè præcipites in ima ruunt. D. Auguſtinus lib. 20. de ciuitate Dei, ita planè hunc locum interpretatur: Quæ ſit iſta beſtia, inquit, quamuis ſit diligentiùs inquirendum, non tamen abhorret à fide recta, vt ipſa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli & ciuitati Dei. Imago verò eius, ſimulatio eius mihi videtur: in eis videlicet hominibus, qui velut fidem profitentur, & infideliter viuunt. Fingunt enim ſe eſſe quod non ſunt, vocanturque non veraci effigie, ſed fallaci imagine Chriſtiani. Hactenus ille. Calix aureus adagij vice vſurpatur à D. Hieronymo: Multa de perfectione dicuntur, ait, vt qui volumen Philoſophi neſciunt, ſub martyris nomine bibant de aureo calice Babylonis. Origen. de vana & fucata eloquentia totum hoc intelligi voluit. Eos enim, qui apud gentiles, inquit, eloquentiæ laude floruerunt, peſſimorum dogmatum ſermones mortiferos, id eſt, venenum in calicem aureum infuderunt. Libet huc transferre verba Cœlij Rhodig. ex cap. 11. lib 8. In ſanctis, inquit, litteris meretriculæ verſutioris typum habet Babylon, quæ gentibus aureo poculo inſcitiam propinet, vnde ſcelerum mox agmen promicet, & errorum inexpugnabilis acies. Apud Hieremiam cap. 51. ſic adnotatum comperi: Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram. Sunt qui ſermonis ornatum ſic dici concipiant, quo vitijs inebrientur omnes: qui ſit tamen in Domini Pontificio conſtitutus. Origenes: Babylonis, inquit, calicem

Aureum poculum.

Falſa religio qua.

aureum

aureum accipe, dogmatum prauorum verba peſtifera, eloquentiæ cultu decora. Omnino per parabolam à Propheta dici ea, ſcribit Nicolaus Theologus. Indicari autem Babylonis regem, is eſt (vt inquit Origenes) Nabuchodonoſor, qui gentibus innumeris propinarit mœroris potum, ſuperbè ac crudeliter, quod Domini fiebat virtute, ſibi arrogantius aſſcribens. Lubẽs equidem huc referrem, quæ in eam ipſam rem commentati ſunt nonnulli è neotericis, viri certè eruditi doctrinæque veteris amantes. Sed ex auctorum recentium fluuijs meos agellos tam ſæpe irrigare iam non eſt animus, ne quis philologus mihi pro ſuo iure dicam dicat: quòd longè pulchrius ſit (vt Varro dicit apud M. Tullium) adire fontes, quàm riuulos conſectari.

III. REGALI] Adiuncta ſunt maieſtatis & regiæ cuiuſdam magnificentiæ, ſignum alioquin alienum à ſimplici & modeſto cultu Chriſtiani gregis.

Reſidens meretrix.] Turpitudo & impuritas regio in ſolio locum habet, qui ſoli virtuti debebatur. At nulla vitia præſentiorem inuehunt perniciem, quam quę ſplendoris & honeſti veſte teguntur.

Sedere. Sedere enim in Hieroglyphicis, maieſtatem & auguſtum honorem exprimit, vt eſt à Pierio relatum lib. 43.

Veſtis purpurea. Veſtis purpurea, pudoris & verecundiæ notam, idem lib. 40. Hierogl.

Meretrix pulcherrima.] In ſacris literis non ſemel comparatur emendata religio cum meretrice, vt Babylon meretrix non rarò ſicut mox dicemus. Et Ezechiel leænam, id eſt, meretricem Hieroſolymam nominat. Contra vera religio cum virgine confertur à D. Paulo: Vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Conuenit autem hoc epitheton cum eo, quod ſequitur, *illice forma*.

Sella.] Conſidera, an nonnihil alluſum ſit per hanc vocem ad illud Suetonij in Tiber. Sellariam excogitauit ſedem arcanarum libidinum. Cuius etiam mentionem facit Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 8.

Purpura ornatus regius. *Purpureo honore.*] Purpurata veſtis ornamentum fuit regium, & maieſtatis inſigne. Vnde fortaſſe Horatius Tyrannos appellat purpureos, Carm. 1. Ode 35.

Regumq; matres barbarorum, &
Purpurei metuunt tyranni.

Idem Tertullianus affirmat, de Idololat. Et ob hanc maieſtatem Deus haud dubiè Sacerdotis veſtem fieri iuſſit purpuream, Exodi 39. Sed & vnicus ſalutis noſtræ inſtaurator Chriſtus, cum à profligatis militibus per ludibrium Rex ſalutaretur, purpurea veſte indutus fuiſſe legitur: Vt rectè Lactantius purpuram inſigne regiæ dignitatis aſſumptæ fuiſſe ſcribat, lib. 4. de vera ſapient. c. 7. Hinc Purpura pro ſummo magiſtratu ponitur à Plinio lib. 10. cap. 21. *Purpura pro magiſtratu.* Et ideo imperio Romano ad monarchiam deducto, principes ipſi, qui etiã, vt olim, Imperatores dicebantur (quoniam Regium nomen Romæ infauſtum inuiſumq; erat) purpuram pro inſigni Imperatorio ſeruauerunt; vt auctor eſt Capitolinus in Maximin. & Gordian. & refert Budæus de Aſſe lib. 2. Quam ob cauſam & Alexius Comnenus Imperator, cũ Ioannem F. natu maximum, quem maximè diligebat, Imperio deſtinaret, & Imperatorem appellare curaret, purpureos calceos ei dediſſe, ſcribitur à Niceta Choniata. Plura de purpura infra Embl. 9. & 117.

Peplum quid. *Peplum.*] Peplus, ſiue Peplum, Græcis *πέπλος, πέπλον*, & apud Sophoclem, *πέπλωμα*. Sacrum & ſolenne veſtimentum, eximio candore, aureis diſtinctum clauis, ſine manicis, quod veſtitores deorum ſimulachris inijciebant. Seruius ad illud Virgilij:

Interea ad templũ non æquæ Palladis ibãt
Crinibus Iliades paſſis, peplumq; ferebant,

tradit peplum fuiſſe pallam fœmineam, Athenis Mineruę conſecratam, cui intexta erat Gigantomachia, & victoria Palladis de Encelado. Ad idem Turneb. lib. 14. cap. 15. Peplum Troianæ mulieres ferunt, vt ea veſte Mineruę ſimulacrum induant, & Deam propitiam habeant. Magnis enim in periculis deorum fidem & opem implorantes, eos veſtibus etiam ornabant, illo cultu fauorem numinis emere ſe credentes. Vide etiam Alexand. ab Alex. Suidas tamen peplum eſſe ait *ἱμάτιον γυναικεῖον καὶ ποικίλον, οἷον περίπελός τις ὤν*. Idem ſentire videtur Euſtathius. Hinc apud Homerum *βαθύπεπλοι, καλλίπεπλοι, ἑλκεσίπεπλοι*, & *τανύπεπλοι*, epitheta ſunt mulierum. Euripides tamen viris etiam tribuit, vbi *μελάμπεπλον* inducit Tyndarum, & peplis Oreſtem obtectum ſcribit. Dicitur quoq; Bacchus *νεβριδόπεπλος*,

πλον, in Epigram.

Νυκτίπλοον, τόμιον, νεβρώδεα, νεβροφόπεπλον.

Pepli origo. Peplum primò inſtituerunt ex quadam victoria Athenienſes, inq; eo ſtrenuorum ducum geſta intexta templo Mineruæ impoſuerunt. Hinc fluxit prouerbium: *Peplo dignus*, ab Ariſtophane deductum, de ſtrenuo & inſigni quodam viro. *Peplo dignus.* Texebatur matronarum manibus, intraq; triennium numini offerebatur. *Peplus Ariſtotelis.* Auctor eſt Porphyrius conditum ab Ariſtotele commentarium, cui titulus foret Peplus, in quo du cum exequebatur genealogias, & nauium numerum ad Troiam profectarum, quin & in ſingulos duces epigrammata, diſticha vt plurimùm, præter quam in Aiacem. Ponitur etiam peplū pro curruum periſtromate ad puluerem arcendum, ab Homero. Item pro inſtratis equorum. Dicitur & velum Panathenaicæ nauis, quam quarto quoq; anno Pallados honori inſtruebant, ducta pompa à Ceramico ad Eleuſinium. *Peplus frutex.* Eſt deniq; peplus genus fruticis apud Dioſcorid lib. 4 cap. 196. quod Hippocrates μηκώνιον, καὶ μηκωνίτην vocat, teſte Galeno: alijs dicitur μήκων ἀφρώδης, id eſt, papauer ſpumeum.

Latex. *Latices.*] Latex dicitur quiuis humor, quod intra aliquid lateat. De aqua, Virg. 4. Æneid.

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Auerni.

De vino, idem 1. Æneid.

Regales inter menſas, laticemq; Lyæum.

Sic Ouidius Palladios latices dixit, cum oleum dicere vellet. His vinum ſacrum, vt apud Virgil. in 4.

——*Latices nigreſcere ſacros.*

Captioſum hoc poculum, quod errorem tectum ſignificat, mihi in mentem reuocat elegantem Lucretij locum, quem habet lib. 1.

Sed veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cū dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauoq; liquore,
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus; interea perpotet amarum
Abſinthij laticem, deceptaq; non capiatur.

Crater. *Cratere.*] Crater eſt vas rotundum & amplum; neq; audiendus eſt Nonius, qui crateram vas vinarium, craterem vero olearium eſſe dicit. Eſſe autem capacius vas, quo in libationibus & ſolenniori bus epulis vti ſolebant, teſtatur Virg. 9. Æneid.

Sed magnū metuens ſe poſt cratera tegebat.

Quod & vocabulum Græcum monſtrat, κρατὴρ, ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, quod eſt tenere, capere. Ab huius vaſis ſimilitudine crateres in monte Ætna appellati ſunt foramina illa, per quæ ignis, cinisque euomitur, Latinè fauces. *Crateres Ætnæ.* Lucret. lib. 6.

In ſummo ſunt vertice eō crateres, vt ipſi
Nominitant, nos quas fauces perhibemus, & ora.

Crater litium. Crater litium, de re permoleſta, ſiue de homine litium auctore, prouerbio dicitur. Ariſtoph. Κρατὴρ κακῶν, τριπτὴρ δικῶν, id eſt, *Crater malorum, ſector litium.* De cratere item Helenæ, lege Cœl. Rhodig. lib. 19. cap. 3.

Propinat.] Laticem erroris in quoſcunque obuios diffundit & propagat. *Propinare quid.* Propinare à Græco tractum eſt, προπίνειν, poſt potum tradere. Eſt autem propriè prægustato leuiter vino poculum alteri offerre, quæ conſuetudo inde initium habuit, quod principes Græciæ ſolenni die, quem φιλοτησίαν vocabant, miſcere aureis atq; argenteis poculis vina ſolebant, quę è manu geſtantium ſumentes ori parumper admouebant, deinde alteri, quem vellent, offerebant, ingens hoc argumentum beneuolentiæ exiſtimantes: hoc verò προπίνειν, id eſt, præbibere dicebatur. Hinc Plautus in Sticho:

Propino tibi ſalutem plenis faucibus.

Quin etiam in abſentium memoriā idem factitabant: quæ conſuetudo ad Germanos hodie quoq; deriuata videtur, dum in ſanitatem aliorum bibendo propriam corrumpunt ſalutem. Hac ſuper re audi feſtinos cuiuſdam verſiculos:

Dum nobiſcum agitur bene, proq; ſalute bibuntur
Alterius plena pocula ſumpta manu:
Quid prodeſt illi potus, quā nominas abſens
Abſentē, at pro quo plurima vina fluūt?
Hoc æquo meditare animo, non vlla ab amicis
Pocula pro noſtra poſſe ſalute bibi.
Abſurdum eſt, talem phraſin vſurpare loquendi.
Aſt magis abſurdum eſt, hoc facere, atq; pati.
Nulla ſalus potu: nec verò ſemper (opinor)
Quod multi faciunt more iubente, bonum eſt.

Sed

Sed de turpi hoc abuſu infra latiùs. Propinare interim quoq; ad alias res transfertur. Ennius lib. 3. Satyr.

Enni Poeta ſalue, qui mortalibus

Verſus propinas flammeos medullitus:

Terentius in Eunucho: *Hunc comedendum, & deridendum vobis propino.* Demoſthenes eos, qui patriam produnt, προπίνειν τοῖς ἐχθροῖς, id eſt, *propinare hoſtibus,* dicebat.

At circum cubitans.] Nullum venenum præſentius erronea opinione, quę vbi mentem occupauit, hominis animum tanquam aliquo Circæo poculo ita immutat, vt ſe omnino neſciat.

Ebria turba iacet.] Is enim error, eaq; peſtifera hæreſis non poteſt inſinuari homini ſine aperto animi delirio. Atqui expertes rationis, adeoq; dementes mouentur rebus externis, principatu, auctoritate, imperio, dignitate, & cęteris huiuſmodi. Is ergo eſt mentis gratiſſimus error, quem ſibi adimi nolunt incauti, vt quem non putent errorem eſſe.

Sic Babylona notant.] Qui notant? nempe viri ſagaces, vereq; pij. Duas vrbes Babylonis nomine inſignitas reperio; vnam Aegypti, ab aliquibus profugis ex Babylone antiqua, vel (vt alij malunt) à Cambyſe Perſarum rege ædificatam, cuius meminit Stephanus, Strabo, & Ptolemæus. Sed altera, de qua hic ſermo eſt, vrbs eſt Meſopotamiæ, Chaldaicarum gentium caput, ſic dicta à Belo, per literarum reduplicationem & transmutationem, vt ait Etymologicus. Sed vt ſacræ literæ docent, à confuſione potiùs dicitur, propter linguarum confuſionem eorum, qui turrim ædificabant: Babel enim Hebręis cōfuſio eſt. Hanc condidit ſapientiſſimus, vt memorant, Medi filius, non (vt voluit Herodotus) Semiramis, cùm duobus annorum millibus eam ciuitatis huius ędificatio anteceſſiſſe videtur, diligenti Chronicorum ſupputatione. De hac vide Q. Curtium lib. 5. Diodorum Siculum lib. 3. de rebus fabul. Herodotum, Plinium lib. 6. cap. 26. Huius vrbis muri inter miracula orbis numerantur, quos Semiramis æmulatione Ninæ vrbis, à Nino marito extructę, poſt ipſius obitum ruinoſos reparauit, coctilibus laterculis, & bitumine ferruminatis, tātæ craſſitudinis, vt quadrigæ ſibi inuicem occurrentes facile pertranſire poſſent. De Babylone Propertius lib. 3.

Babylon, Ægypti. — *Meſopotamia.* — *Babylon vnde dicta.* — *Muri Babylonis.*

Perſarū ſtatuit Babylona Semiramis vrbē

Vt ſolidum cocto tolleret aggere opus,

Et duo in aduerſum miſit ꝑ mœnia currus,

Ne poſſent tacto ſtringere ab axe latus.

Duxit & Euphratem medium, qua condidit arces,

Iuſſit & imperio figere Bactra caput.

Turres muri iſti habebant 300. plures multò habituri, niſi aliqua ex parte paludes pro mœnibus fuiſſent. Per ambitum centum portę ſtabant æreę, omnes cum cardinibus. Eiq; portentoſo operi adhibita fuerunt ex omni regno ter decies centena hominum millia, teſte Diodoro. Plura de his habes in Officina Textoris lib. 4. cap. 64. Vide quoq; Guidonem Pancirollum, & eius doctiſſimum Commētatorem lib. 1. Rerum memorabilium. Cęterum hoc loco non poſſum tranſire, non temere ſub Babylonis nomine, ſpurcitiem omnem, & tetram libidinem intelligi, quę non modò corporum fuit commiſtione, ſed & animorum fœda & ſceleſta conſpiratione, qualis quę vel ſęua ſuperſtitione, aut ſimulatione cultus, vel deniq; nefanda hęreſi committitur. Q. Curtius lib. 5. Strabo Geograph. 16. & Herodotus in Clio, tradunt Babylonicis mulieribus morem fuiſſe, ex oraculo quodā cum hoſpitibus turpiter permiſceri: qui verò admittebantur, poſito ſuper genibus argento, quantum videretur, mulierem abductam inibāt, idque argentum Veneri fuiſſe ſacrum. Addunt quoq; nil fuiſſe moribus eius vrbis corruptius, nec ad irritandas voluptates inſtructius; Babylonios in vinum & ebrietatem fuiſſe maximè effuſos; fęminarum conuiuia ineuntium initio modeſtum fuiſſe habitum, mox tanquam mero incaluiſſent, ſumma exuere conſueuiſſe amicula, profanato pudore: poſtremò eò adduci impudentiæ, vt ima corporum reuelare non erubeſcerent. Putet fortè aliquis, damnati infelicisq; pudoris ſcorta iſta ſolita perpetrare, imò nobiliſſimę cuiusq; matronę decora hęc habebantur. Quàm perditi eſſent mores id porrò abundè argueret, quod comitatem arbitrarentur vulgati corporis vilitatem. Ex quo ſatis ſuperq; apparet, cur meretricem purpuratam Babylonem appellat D. Hieronymus in epiſtolis: Cum, inquit, apud Babylonem verſarer, eſſemq; purpuratæ meretricis colo-

Babylonis mores corrupti. — *Babylon cur meretrix.*

nus, &c. Eadem figura loquendi vſus eſt in Catalogo, vbi Romam ait à D. Petro epiſtola priore, ca. 5. Babylonis appellatam nomine. Meminit & locis alijs, vt in Eſaiã, cap. 14. & 47. Sic & Septimius Tertullian. aduerſus Marcionem, & aduerſus Iudæos. Poteſt huc etiam conferri Iſichij locus lib. 5. in Leuitic. quo diſertè ait, quæcunque cultu idolorum imputantur, figuram meretricis inſumpſiſſe.

Gentes ſtolidas.] ſtultas, & excordes: antea dixit, *ebria turba*, ſcilicet opinionis falſæ errore. Vel ſi mauis de Ethnicis intelligere, in quos hæc hæreſis maximè ius ſibi vendicat. Et Iudæi nationes omnes, præter ſuam, gentes, & gentiles appellabant, vtpotè qui cultum idolorum à ſuis gentilibus acceptum non mutaſſent.

Illice forma.] Illicio & obtentu pietatis, alias enim non caperet. Metaphora ab aucupum auibus, quæ alias illiciunt, vocanturq; à Græcis παλεύτριαι. Sic apud Apuleium, *oculi illices.* Eſt enim illicere, ſeducere, illaqueare: hinc illecebræ, illiciũ, & illectus. Plaut. in Bacchid.

Magis illectum tuum, quàm lectum metuo.

Vel *illice*, ab illex, id eſt, ſine lege. Nonius enim hanc differentiam ſtatuit inter illix, & illex, vt illix ab illiciendo deriuetur. Plaut. Pœnulo: *Illex. Illix.*

Qui illi mala rei tanta fuimus illices.

Illex verò, à quo lex non ſeruetur, quaſi exlex. Idem:

Impure, inhoneſte, iniure, illex, labes popli.

Interim tamen video & illex, ab illiciendo deduci. Plaut.

Eſca eſt meretrix, lectus illex.

Et ficta.] Non omnino falſa, ſed ficta duntaxat. Quæ enim prorſus falſa ſunt, vt veris oppoſita, quia ſeſe produnt, non tam facilè poſſunt imponere, proindeque vitantur: ficta verò, vt quæ habeant aliquid ſimile vero, etiam cautos decipiunt.

Capit.] Decipit & allicit. hinc artes captatoriæ. Virg. 1. Georg.

——*Neq; inſidijs noctis capiere ſerena.*

Cicero 3. Offic. ex veterum legum formula: Nam quanti verba illa, vti ne propter te fidemve tuam captus, fraudatusve ſim. Et in iure ſæpe, capere pro decipere: vt, Non capitur, qui ius publicum ſequitur. l. 116. de reg. iur. ff. Sæpe etiam, titulo de Minorib. vt l. 3. 11. & l. 12. hinc captionem accipi pro fraudatione, fallacia, damno, nõ rarò reperimus, l. 1. de in integrum reſtitut. l. 1. in fin. de vacat. mun. l. 3. de coll. bon. ff. Et captioſũ pro fallaci atq; damnoſo, l. 41. de vſucap. vt & aliquot locis alijs.

IV. Qvam aptè Emblema hoc noſtris exulceratis temporibus conueniat, nimis, eheu, promptum id, verumq; eſſe conſtat. Etenim falſarum opinionum illecebris ineſcati, decipimur ſpecie recti. Nam vt prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia: ſic ſuperſtitionem religio imitatur. *Vitia virtute imitantur.* Vt enim olim apud Græcos nonnulli Philoſophi pallio barbaque promiſſa raram quandam ſapientiam pollicebantur, ſemperque habebant in ore libertatem & honeſti ſtudium, cùm ex ijs longè multi vitijs pluſquam vulgaribus, planeque ſeruilibus laborarent: *Pſeudoſophi.* Vtque apud Iudæos Phariſæi & Eſſæi triſti vultu, latis phylacterijs, & cultu quodam fucato, apud imperitum & rude vulgus venabantur ſanctitatis opinionem: *Phariſæi.* ita etiam, (quod dicere nos admodum pudet & tædet, ſed dicendum tamen) inter Chriſtianos homines fuere iam olim, & adhuc hodie ſunt, reuera nimis multi. qui ſuis præſtigijs, fictaque doctrina imperitos homines ineſcant, quibus errórum quaſi poculo miſerrimè & fallaciſſimè imponunt: ijque tandem facti ebrij, erronea perſuaſione tanquam mente capti, puriſſimos veræ & ſimplicis doctrinæ fontes aſpernantur, & ita inſanientes ad belluæ nutũ ſeſe totos componunt, vt nunquam poſtea de commutando miſero vitæ ſtatu cogitent. *Pſeudo-Chriſtiani.* Hinc publicæ calamitatis cauſa, hinc malorum omnium radix. Cogito ſæpius ſtatum & fortunæ iniquitatem, cum qua regina Europæ, & mater tot Imperatorum & Ducũ, Germania noſtra, florentiſſima illa quondam & celeberrima, tot iam annis miſerrimè oppreſſa luctatur. *Germania miſera facies ob hæreſes.* Turbant domeſtica bella & externa, confundunt, ſubuertunt, perdunt omnia: conflictantur prouinciæ inteſtinis motibus, ſpárguntur paſſim diſcordiarum ſemina, lis liti nectitur, ex bello vno bellorum ſeries & cathena; tumultus, vt vndæ vndas, ſic alij alios trudunt, vt in filum quaſi quoddam cõtinuum iam miſeriarum tela producta creuerit. Hinc

gens

gotis gentem premit agrorum vaſtatione, rapinis, incendijs, & excurſionibus continuis, nec ratio viciniæ tuetur, nec ius propinquitatis: exhauriuntur æraria, & cauterium hoc mutuæ expilationis & ſpolij ad medullam vſq; deſcendit, quo nerui ſecantur Chriſtianæ Reipub. atq; omnis adeo ſorbetur & exugitur ſanguis, vt luridi cadaueris iam potiùs, quàm vegeti corporis ac valentis viuam referat imaginem, elumbis prorſus atq; arida. Cùm interea barbarus ille Mahometicæ perfidiæ propugnator, Aſiaticus hoſtis, cladi noſtræ communi & exitio gnauiter inuigilet, diripiat regna atq; prouincias, viresq; latiùs indies & cruenta tyrannidis ſuæ brachia porrigat, & abductis in captiuitatem miſerrimam populis limitaneis, in ipſa Germanię viſcera paulatim penetret. Has tibi, ò mea Germania, diſſidiorum faces profanatæ religionis contemptus accendit, & propitiatorij ſacrificij pedibus hæreticorum conculcata reuerentia. Quid enim boni à Deo ſperandum his aut capeſſendum, qui proditionis rei, tanquam deſertores & transfugę, non ſolùm ruperunt fędera pacta cum ipſo, & ſacramenti religione ſtabilita; ſed in caſtra eiuſdem & tentoria, protritis audaci calcaneo victoriæ monimentis & inſignibus, extremæ temeritatis & impudentiæ reliquerunt exemplum omni æuo memorabile? vt quamuis Chriſti nomine glorientur, & Euangelica illa ſua libertate, cęlumq; ſibi debitum, neſcio quo iure, iactitent, fidem præterea ac ſpem ſuam totam, imò temerariam præſumptionem ac ſacrilegam, nulla operũ ratione habita, Crucis ſolius ac paſſionis merito, ſecuri ſalutis ſcilicet, confidenter fulciant: Chriſti nihilominus ſalutarem, puram, & incorruptam doctrinam, & legem gratiæ, velut humeris ſuis intolerabilem, peroſi, probris omnibus nefariè proſcindant, argumento certè inſignis nequitiæ. Tu, ſumme Deus, errorum tenebras gratiæ tuæ luce illumina, tu qui ſolus ſcis & potes.

Non tibi ſed Religioni.

EMBLEMA VII.



ISIDIS effigiem tardus geſtabat aſellus,
Pando verenda dorſo habens myſteria.
Obuius ergo Deam quiſquis reuerenter adorat,
Piaſq́; genibus concipit flexis preces.
Aſt aſinus tantum præſtari credit honorem
Sibi, & intumeſcit, admodum ſuperbiens:
Donec eum flagris compeſcens, dixit agaſo:
Non es Deus tu, aſelle, ſed Deum vehis.

COMMENTARII.

I. ASTIT aſinus ſimulacro Iſidis onuſtus, elato capite, arrectis auribus, in aſinina maieſtate, coram turba flexis genibus procumbente, quem agaſo fuſte non perfunctoriè dedolet, vt hic apparet. Vellem tamen ego Iſidem paulò aliter efformatam, velo ſcilicet tectum caput, & ramum potiùs viridantem quàm arentem in dextra: vellem præterea aſellum ſine Apocope. Verſus ſunt Hexametri, & Trimetri Iambici, vt ſupra Embl. 5.

II. *Fons Emblematis.* SVMPTVM eſt Emblema ex Gabriæ apologis. Sic enim ille:

Ὤμοις ὄνος παρῆγεν ἀργυροῦν βρέτας,
Ὅπερ συναντῶν πᾶς τις ἂν ἐπροσκύνει.
Τύφῳ δ' ἐπαρθεὶς, μὴ θέλων μένειν ὄνος,
Ἤκουσεν, οὐ Θεὸς σὺ, τὸν θεὸν δ' ἄγεις.

Cuius talis circumfertur tranſlatio: *Humeris aſinus geſtabat argenteum ſimulacrum, quod vnuſquiſque occurrens adorabat. Superbia vero elatus nolens manere aſinus, audiuit: Non es tu Deus, ſed fers Deum.* Affabulatio. Quod oporteat eos, qui in dignitatibus conſtituti ſunt, cognoſcere ſe eſſe homines. Hi verſiculi quoniam commodè (ſed περιφραστικῶς) redditi ſunt à Gabriele Faerno Cremonenſi, conferam huc perlibenter:

Simulacrum aſellus baiulans argenteum,
Cùm id tranſeuntes flexu adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia eſt fieri ratus:
Iamq; inſolenti elatus arrogantia
Nolebat ambulare, donec aſpero
Probè dolatus fuſte clunes, audijt:
O ſtulte, non es tu Deus, ſed fers Deum.

SE NORIT HOMINEM, QVI MAGISTRATVM GERIT. Fabulæ huius rationem vno diſticho complexus eſt Ioannes Mercerus, Hebrææ linguæ Doctor regius, quod ab eodem non ſemel in ſuggeſtu obiter dictum:

Quid ſibi vult aſinus tergo myſteria portans?
Indoctos videas ſæpè præeſſe ſacris.

Nō erit à re alienum, ſi adiecero aſinum à veteribus Ægyptijs ſapientiæ, fortitudinis, laboris indefeſſi, & frugalitatis eſſe ſymbolum. *Quid per aſini ſymbolum veteres intellexerunt.* Qui enim ſapientiæ ſit operam daturus, eum oportet victu eſſe tenui, omnia, quæ in vitam humanam cadere poſſunt, æquo ferre animo, neq; ad vllam excandeſcentiam aut contumeliam ſeſe conuertere: animo eſſe paruum, ſimplicem & inopem, vt aſinus eſt, qui nullum inter carduos & lactucam diſcrimem faciat: nullū deniq; ſit onus quod detrectet: & vbi opus fuerit, pro boue terram proſcindat, ſitq́; totius humanæ commoditatis aſſiduus miniſter, vt etiā, quod adagio dicitur, portare myſteria compellatur. Lege Pieriū Hieroglyph. lib. 12. vbi plurima de aſino congeſſit. Sed ne vllum officioſiſſimæ ſeruitutis genus huic brutorum generi deſit, noſtris etiam morbis nos leuare, ac eos ad ſe recipere perferreq; naturę ipſius vi quadam occulta, minimè detrectat. Nam vt Apul. lib. de re ruſtica ait, ſi quis à ſcorpione ictus ſuper aſinū aſſederit ad caudam conuerſus, tranſibit in aſinum dolor, & is pro percuſſo torquebitur. Addit & Democritus ſuam fabellam, qui ait, percuſſum à ſcorpio, ſi ſtatim ad aſinum quendam accedens in aurem eius dixerit: Scorpius me percuſſit; non doliturum ampliùs, dolore ſcilicet in aſinum tranſeunte, qui mox pedendo emoritur, vt addit Zoroaſtes. Et *Aſini encomium per Cornelium Agrippam.* hæc quidem mihi meditanti, ſuccurrit illa mordax & acuta Cornelij Agrippæ declamatio, quam de ſcientiarum vanitate inſcripſit, ad cuius finem adiunxit Aſini encomium.

encomium, de quo homine quid omninò ſentiã, nihil habeo neceſſe dicere: niſi quòd cum in literas declamitauit, videri voluit egregiè literatus: quanquam tamen non minus apud ſanos videatur aucupio vanitatis delectatus, quàm otioſè ſolers in vanitate artium inſectanda.

III. *Iſis.*

ISIDIS] Iſis prius Io dicta, filia fuit Inachi regis Argiuorum, quam Iupiter amauit, & fortuitò eius coniuge Iunone interueniente, vt non cognoſceretur, mutauit in vaccam candidam. Sed Iuno propter ſuſpicionem, aſtutè illam vaccam ſibi dari petijt; quam deinde Argo centum oculos habenti, diligentiſſimè cuſtodiendam commiſit. Tandem ea ad Nilum perueniens, implorato Iouis auxilio, priſtinæ formę reſtituta, ab Aegyptijs pro Dea culta fuit, Iſisq; appellata, de qua Suidas, Ouid. 1. Metamorph. & multa Diodorus lib. 1. c. 2. & alibi, qui ait, primos in Aegypto genitos homines, hunc mundum admirantes, vniuerſorumq; naturam, duos tantum Deos, & quidem æternos crediſſe, Solem & Lunã, & illum quidẽ Oſiridem, hanc verò Iſidẽ appellaſſe, vnde Iſidi apponũt cornua. Herodotus per Iſidem intelligi Cererem ab Aegyptijs tradit; vt per Oſiridem Bacchum. Idem & Diodorus ſentit, atq; etiam ipſius verba ſubijciam. Quidam, inquit ille, Iſiridem Iouis Aegyptij Regis filiam fuiſſe, eandemque cum Cerere eſſe, quæ ab Oſiride fratre vxor accepta, multa contulerit ad vſum vitæ humanę. Prima enim triticum & hordeum, quę prius incognita hominibus caſu inter cęteras herbas oriebantur, inueniſſe fertur. Leges quoq; Iſidem ſtatuiſſe ferunt, quibus iuſtitia ęque omnibus ſeruaretur, vi atq; iniuria timore pęnæ ſublatis. Hac de cauſa priſci Græci Iſidem legiferam appellarunt, tanquam primam legum inuentricem; & quæ ſequuntur. Extat Plutarchi de Iſide & Oſiride commentarius, quem vide, ſi plura de hac re cupis. Addam tamen quædam auctarij vice ex eodem libro. In Sai Pallados erat templum, quam Iſim etiam arbitrantur, eiuſmodi præſcriptione: *ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ, ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον ὐδεὶς ἀποθνητὸς ἀπεκάλυψε. Ego ſum omne quod fuit, eſt, erit; meum peplum mortalis reuelauit nemo.* Nec his multum diſſimilia ſunt, quæ tradit Diodorus. Ait namq; ſacris literis in Iſidis columna hęc fuiſſe ſcripta verba: *Ego Iſis ſum Ægypti Regina, à Mercurio erudita: quæ ego legibus ſtatui, nullus ſoluet. Ego ſum Oſiridis. Ego ſum prima frugum inuentrix. Ego ſum Ori Regis mater. Ego ſum in aſtro canis refulgens. Mihi Bubaſta vrbs condita eſt. Gaude, gaude, Ægypte, quæ me nutriſti.* Cæterum ne illud quidem ſilentio prætereundũ eſt, quod narrat Euſebius in Chronicis, rapuiſſe Iouem Io Inachi filiam, in vaccamq; trãſmutaſſe, quo tempore apud Hebręos Patriarcha Iacob regnabat. Plura de Iſide habes apud Pierium Hierogly ph. lib. 39. Cęlium Rhodig. lib. 5. c. 12. Natalem Comitem Mythol. lib. 8. cap. 18. Huius etiam meminit D. Auguſtin. lib. 8. de ciuitat. cap. vlt. alijsq; locis. Lactant. 1. cap. 11. & 15. quidq; ea ſignificetur enarrat Macrob. cap. 20. lib. 1. Saturn. & poſtremò Lilius Gyraldus Syntagm. 12.

Iſis eadẽ cum Cerere.

Iſis legifera.

Effigies.

Effigiem] ſignum ad ſimilitudinem viuam alterius, vel ad veritatis imaginem factum, tam in picturis, quàm in ſculpturis. Dicitur etiam effigia, ſicut materies, materia, luxuries, luxuria, & cæt. Plaut. in Rudent.

Effigia.

—— *Prò Dij immortales, Veneris effigia hæc quidem eſt.*

Afranius Vopiſco:

—— *cuius te ſuſcitat*
Imago? cuius effigia cognatus patre?

Tardus aſellus] Rectè, & ad veritatem appoſitè. Sic enim non raro videmus eos præfici magnis & honorificis functionibus, vt etiam ſacerdotijs, qui ſunt omniũ tardiſſimi & imperitiſſimi. Hanc aſininam tarditatem & ignauiam intellexit Antiſthenes, cum Athenienſium iudicium in creandis magiſtratibus notaturus ſuadebat eis, vt aſinos ad agriculturam deligerent, quos cum illi negarẽt idoneos ad arationem: Atqui, inquit ille, non ſatis vobis eſt magiſtratũ elegiſſe, ſiue aptus, ſiue ineptus vir ille ſit ad gerendum? Ex hac tamen nota tarditatis excipiendi ſunt aſini Palæſtini, qui equos ipſos pernicitate prouocare dicuntur. Et apud Euphratem Xenophon primo de Cyri minoris expeditione, inuentos ait aſinos, qui equos curſu facilè ſuperarent.

Aſinorũ quorundam pernicitas.

Pando dorſo] Reflexo, incuruo, propter impoſitum onus. Ouid. 4. Metam.

Pandus.

Suſtinet, & pando non fortiter hæret aſello.

Idem

Idem 1. Faſtorum:

Venerat & ſenior pando Silenus aſello.

Et 3.

Vtq; piger pandi tergo reſidebat aſelli.

Et naues pandæ, hoc eſt, incuruæ dicuntur ſolenni epitheto. Lucret. lib. 5.

Tum mare velinolum florebat nauibus pandis.

Virgilius:

——— Et pandas ratibus poſuere carinas.

Ouid. 2. Amor.

Currit in immẽſum panda carina ſalum.

Dicitur etiã de alijs rebus. Virg 2. Georg.

Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.

Et Ouidius 10. Metamorph. de apro loquens:

Protinus excuſſit pando venabula roſtro.

Deriuatur autem à verbo Pando, as, quod *Pandiculari.* incuruare ſignificat. Hinc Pandiculatio; & Pandiculari, dicuntur ij, qui toto corpore oſcitantes extenduntur, eò quod pandi fiunt. Plaut. Menæch.

Vt pandiculans oſcitatur! ———

Verẽdus. *Verenda.*] honoribus diuinis afficienda. Ouid 9. Metamorph. de Hercule flammis exuſto:

——— maiorque videri
Cœpit, & auguſta fieri grauitate verẽdus.

Myſteriũ. *Habens myſteria*] Myſterium, Latinè arcanum, ſub quo aliquid arcani latet, res occulta, quæ nefas eſt vulgo efferri, quęq; ijs tantum cognita, qui iiſdem ſacris initiantur. Putatur hoc ſacrorum genus ab Eleuſina, terræ Atticæ oppido, in reliquas terras translatum: ibi enim duo erant myſteriorum genera, maiora ſcilicet, Cereri ſacra; & minora Proſerpinæ eius filiæ. Et quia quæ in ijs agebantur, ſacerdotes ſummo ſtudio occultabant, factum, vt myſteria pro arcanis accipiamus. Vide Cęl. Rhodig. lib. 16. cap. 9. *Myſteria vnde dicta.* Dicuntur μυϛήρια, ὅτι δεῖ μύσαντας τηρεῖν ἔνδον. id eſt, quod oportet occludere intus, intus cuſtodire, nec cuiquam profano explicare. Vel ἀπὸ τοῦ μυεῖν τὸ ϛόμα. ab obſignando ore; omnibus enim myſterijs ſilentii fides debetur. Vide prouerbium, *Ante myſteria diſcedere.* Alludit autem hoc loco ad parœmiam, *Aſinus portans myſteria.* ὄνος ἄγων μυϛήρια. *Aſinus portans myſteria.* In eum dicebatur, qui præter dignitatem in munere quopiam verſabatur. Veluti ſi quis ignarus literarum, bibliothecæ præfectus eſſet. Ariſtophanes in Ranis:

Νὴ τὸν Δί' ἐγὼ γ' οὖν ὄνος ἄγων μυϛήρια.
Ἀτὰρ οὐ καθέξω ταῦτα τὸν πλείω χρόνον.

id eſt:

Ita per Iouem ſum aſinus vehens myſteria.
Verum iſta non iam ſuſtinebo diutius.

Interpres affirmat, inde natum adagium; quod olim quibus ad peragenda ſacra Eleuſina opus erat, aſino impoſita deportabantur. Quadrabit & in eos, quorum opera alij duntaxat eſt vſui, cùm ad ipſos præter moleſtiam, nihil interim redeat: veluti ſi quis cibos alij guſtet, quibus ipſi non liceat veſci. Huc alluſiſſe videtur Apuleius, cum ſe fingit aſinum Cererem Deam circumferentem. Suidas aſſeribit, Dæmonem parœmiam ad lapidem molarem referre, quem Græci ὄνον appellant, propterea quod in ſacris molis frumentarijs coronas imponere conſueuerint. *Ὄνος, lapis molaris.* Itaq; torquebitur eleganter in eos, quibus immerentibus honos habetur: veluti cùm indoctis Doctoris titulus, pileum, & annulus, aliaq; id genus inſignia tribuuntur. Hæc Eraſmus.

Obuius ergo quiſquis] Quiſquis, pro *Quiſquis.* Quiuis. Thom. Linacr. lib. 2. de part. Enall. autor eſt, hęc nomina ſæpe mutari, vt Quiſquam, pro Quiuis. Cicero ad Terẽt.

Niſi vos fortiores cognoſcerem, quàm quemquam virum

Adorare. *Reuerenter adorat*] Adorare, Nonius explicat, pro Religione propitiare; ita dictum que ab adore, frumenti genere, quod epulis & immolationibus ſacris pium habebatur. *Quid propriè.* Propriè tamen adorare, eſt ad os admouere, quod in Deorum ſalutatione obſeruatum, teſtatur Lipſius lib. 2 Elect. c. 6. Multi enim eminus ſtãtes, quod Deos ore profano tangere verebantur, manum porrigebant, eamq; ad os ſuum relatam ſuauiabantur. Idem videtur ſentire Turneb. Aduerſ. lib 18 cap. 6. & lib. 25. cap 1. Vbi veteres ſolitos ſcribit in portis vrbium aliqua Deorum ſimulacra ſtatuere, quæ qui vrbes inibant, aut inde exibant, ritu quodam religionis, tacta dextra manu ſalutare conſueuerant, mox manum ad oſculum referre. Vide ſalutare Deos, pro Adorare, Plautus vſurpat in Sticho:

Deos ſalutatum atq; vxorem modo intrò deuortor domum.

Idem, pro Ori admouere, argutè & feſtiuiter poſuit in Amphitruo:

Nec Bacchum ſalutem hodie, nec Cererem.

ni purgari iuſſeras Vaſa. A quaſi diceret: Precor, vt ne potum, nec cibum meo ori hodie admoueam; ni purgari iuſſeras vaſa. Vt rectè interpretatur Schoppius lib. 1. Veriſim. cap. 8. Hinc qui Principem ſalutabant, ſacram ipſius purpuram adorare dicebantur: quia ſcilicet dextram manum, quamprimum ea purpuream veſtem attigiſſent, ad os admouebant & ſuauiabantur. l. 1. C. de apparit. præfect. Prætor. lib. 12. & l. ſi quis ſeruum 7. C. qui milit. poſſ. eod. lib. Plinius lib. 28 et 2. Nat. Hiſt. *In adorando dextram ad oſculum porrigimus.* Interim video Orare, & Adorare, pro fari vſurpatum, quod ore fit. Apul. Mileſ. 8. *Singulorum iuuenum genua contingens, ſic adorabat.* Et 10. *Ad iſtum modum ſene adoráte.* Poſtea vtrumque pro Precari: & poſterius manſit in cultu deorum, ſignificando, quia is in precatione ſummus. Nam quum ἡ θεῶν ὑπηρεσία ἐστὶν ἐν τῷ θύειν, καὶ ἐν τῷ εὔχεσθαι, vt ait Plato in Euthyphrone, precatio, & quæ precationi adiunctæ cæremoniæ, atque hæc potiſſimùm, conuerſio ad dextram, flexio genuum, manus ad os relatio, ſeſſio ad aram, & ſimilia, adorandi nomine continentur; vt in altera proprium nomen faciendi, quod hæc ferè in agendo, altera in dicendo.

Adorare ſacrã purpuram.

Adorare, pro Fari.

Genibus flexis] Actus ſummæ venerationis. Honos certè debetur magiſtratui; eſt enim munus publicum: ſed magiſtratus virum arguit, ſeque is gerere debet non modò vt licet, ſed etiam vt decet.

Concipere preces.

Concipit preces] Concipere preces, pro precari tantum accipio, quicquid alij dicant. Sic loquitur Ouidius 8. Metamorph.

Concipiunt Baucisq; preces timidusq; Philemon.

Et lib. 3. Triſt. Eleg. 13.

Libaq; dem pro te genitale notantia tẽpus?
Concipiamq; bonas ore fauente preces?

Præſtari honorem] Sic præſtare beneuolentiam, amorẽ. Ouid. 4. de Pont. Eleg. 10.

Sed præſtandus amor, res non oneroſa volẽti.

Intumeſcit] idem quod tumet, ſuperbit, inflatur: ſuperborum enim animi inflari videntur. Horat. 1. Epiſt. 1.

Laudis amore tumes? ——

Flagrũ.

Flagris] Flagrum, quo ſeruilia tergora cædi ſolent, cuius diminut. Flagellum. Hinc ſolemnia illa ſeruorum cognomina paſſim apud Plautum, Flagritriba, Flagriciba, Flagrio, Subiculum (ſeu vt alij maluit) Sudiculum flagri.

Compeſcens] Cohibens, retundẽs. Hinc puto eſſe noſtrum Germanicum, *Paſchgẽ*, cuius ἔμφασιν vix alia voce Latina magis propria explices.

Paſchgẽ.

Agaſo] Ratio ſcilicet & mentis domina, quę flectit habenas, ducitque cum opus eſt.

IV.

FESTIVISSIMO hoc Emblemate tria Autor inculcat.

1. Sacerdotes, Epiſcopos, & qui rebus ſacris præſunt, eſſe in honore habendos, ob id maximè, quod ſacris præſint, quorum ſũt adminiſtri, licet interdum aut vitiis pluſquàm vulgaribus implicati, aut ignari & ſtupidi habeantur. Hi verò vt ſuum munus & officium curare vel maximè debent, ſic quantam dignitatem ſuſtineant, ipſos ſubinde animo ſecum reputare par eſt. Meminerint tamen ſe homines eſſe, nec ſibi arrogent impenſiùs, quòd tantum miniſterium gerant, & rerum diuinarum curam, quaſi humeris impoſitam habeãt; ne, vt aſinus audiuit, non es Deus, ſed Deũ fers, illi audiant; Non vobis hæc, ſed Deo ſoli omnis eſt tribuenda gloria.

Sacerdotes honore afficiẽdi.

2. Itidem dici poteſt de præfectis Imperatorum aliorumque principum, cum popularem applauſum excipiunt audaciùs quã par eſt, in prouinciis, in quibus vicem regiam obtinent. Sic enim adeò modeſtè, tamque circumſpectè ſeſe gerere debent, vt priuati honoris nomine nihil, ipſius Principis laudi vel minimum detrahant, & ſe interea norint quales ſunt. Eſt enim operæ pretium τοὺς ἐν ἀξιώμασι, τιμωμένους γιγνώσκειν, ὅτι ἄνθρωποι εἰσίν. Succurrit mihi exemplum nobile Cornelii Galli Aegypti prouinciæ præfecti: is quia ſeſe geſſiſſet inſolentius, multaque flagitioſè feciſſet, ſtatuas etiam ſibi locari paſſus, & Pyramides in altum tolli, quibus à ſe geſta continerentur; accuſatus eſt à Valerio Largo: cognitioni præfuit Auguſtus: ignominia notatus eſt Gallus: vetuitque Cæſar, ne rens prouinciam poſtea obtineret. Retulit Dion. lib 53. Huic penè ſimile qđ narrat Corn. Tacitus lib. 4. de Lucilio Capitone; qui procurator Aſiæ ſub Tiberio accuſatus eſt in ſenatu à prouincialibus, quòd vim prætoris vſurpaſſet, militumque manu ad comitatum vſus eſſet: itaque conuictus, in exilium pulſus eſt. Laudatur à Plutarcho Vticenſis Cato, quòd quæſtor

Præfecti ac miniſtri Principum.

factus

factus, ſcribarum, officiorum, aliorumque generis eiuſdem, minuerit eam prærogatiuam, quam longo tempore vſurparunt: iuſſit enim miniſtros, non magiſtros ſe eſſe meminiſſent. Non poſſum præterire locum è Panegyrico Pliniano longè præclarum: Princeps (ait) vt ſe hominibus imperare norit, ita ſe ipſum hominem quoque eſſe cogitet. Itaq; voces & laudationes, quę numini ſoli debentur, tanquam putidiſſimas aſſentationes oderit. Hęc ille.

Arrogantia indoctorum.

3. Notantur non modò ii, qui ſe indignos cuiuis dignitati ingerunt; ſed & ii, qui his talibus honores, dignitates, & magiſtratus committunt. Hos deinde aſtritos aſinos videas ſuperbiæ inflari, & tumidos ſe ſe iactare ac oſtentare, vt nihil magis. De his luſit noſtro quo feſtiuè, nec ſine ſale vir non indoctus, cum quo Lutetię ante annos 25. ingenii cultum ſe cœpiſſe ait Minos. Sic ille:

En tibi ὄνος venerandus ἄγων μυςήρια, rerum
Sacrarum cuſtos. præſidet immò ſacris.
Ex quo altum ſpirans Superis ſeſe æquat, & imos.
Ob ſacra quæ geſtat territat ore minax.
Quid facias illi taurinū ſine rudere aſellū,
Quem procul à ſacris rebus abeſſe decet.

Quid ergo mirum ſi rem perperam agi cernamus, & contingere id, quod de aſino iuuentā ferente fabulatur Nicander, quod ſubiungendo lectori minimè moleſtum me fore confido. Mortales, aiūt, impetraſſe olim à Diis multis precibus, vt perpetuo iuuentutis munere donarentur, atque ita nunquam in poſterum ſenio contabeſcerent. Hanc igitur ſimulac Iouis benignitate accepiſſent, imperitos adeo rerum fuiſſe, vt eam aſino vectandam committerent; qui cum ſiti confectus ad quendam fontem perueniſſet, in quo ſerpens loci cuſtos ſtatiuam habebat cuſtodiam, cumque ibi bibere tentaſſet, à ſerpente prohibitus eſt, neq; alia conditione bibendi facultas illi facta, quam vt id omne quod vehebat onus, angui mercedis nomine conceſſiſſet. Ex eo inde tempore omnes angues ſingulis annis abiecta ſenectute iuueneſcere, homines verò ſenio confectos emareſcere, ac ſtoliditatis pœnas luere, quod iuuentutem tanto expetitam ſtudio negligenter cuſtodiſſet. Hinc illa Tibulli querimonia:

Fabula de aſino iuuētam ferente.

Anguibus exuitur tenui cū pelle vetuſtas,
Cur nos anguſta conditione ſumus?

Apuleius olim, vt ferunt, mentem hominis tegebat ſub aſinina ſpecie: at nunc multi ſunt, qui ſub humana ſpecie tegunt aſinū; adeo vt non de Aſino aureo, ſed de homine ligneo nunc benigna ſuppeditaret materia. Nam

Summa rudes aſini rerū faſtigia ſcandunt.
Maximus hoc illis tempore venit honos.
Et niſi ſis aſinus, nullū tibi nomen habebis,
Ac omni ſpretus deſtitueris ope.

Non abſimile eſt illud, quo luſit idem qui ſupra:

Sarcinulis oneratur equus, ſacra geſtat aſellus:
Munera partiri tam malè, Frāce, doles?

Imperiti extolluntur.

Hoc ſignificat imperitos rerum, ac planè rudes admoueri honoribus tum ciuilibus, tum Eccleſiaſticis, generoſos & eruditos ad infimas ablegari curas. Qui ſi aliquādo impatientiæ æſtu exciti, nonnihil recalcitrent, & onus detrectent, mox petulantis linguæ flagro compeſcuntur:

Sis aſinus, quęcumq; aſinū ſors aſpera fecit.

Et quos ludos, fortuna, facis? imò quotus quisq; qui non deſperet, dum virtus nomen inane eſt? Audi Martialem de hoc ipſo querulum, 7. Epigr.

Dentibus antiquas ſolitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusq; ſolum:
Prænestina tenes defuncti rura patroni,
In quibus indignor ſi tibi cella fuit.
Rumpis & ardenti madidus cryſtalla Falerno,
Et pruris domini cum Ganymede tui.
At me litterulas ſtulti docuere parentes.
Quid cum Grammaticis, Rhetoribusq; mihi?
Frange leues calamos, & ſcinde Thalia libellos,
Si dare ſutori calceus iſta poteſt.

Sed non vltra agitabo aſinos, & verborum ſarcinas ſuſpendam: ſiquidem

Latores eſſent multò quam pondera plures,
Si cuiuis aſino ſarcina danda foret.

Relictis ergo aſinis, quà Dij vocant, ibo.

Quà Dij vocant, eundum.

EMBLEMA VIII.



IN triuio mons eſt lapidum : ſupereminet illi
Trunca Dei effigies, pectore facta tenus.
Mercurij eſt igitur tumulus: ſuſpende viator
Serta Deo, rectum qui tibi monſtret iter.
Omnes in triuio ſumus, atque hoc tramite vitæ
Fallimur, oſtendat ni Deus ipſe viam.

COMMENTARII.

1. PICTVRAM hanc feliciter reſtituit Pignorius, idq; ex Autoris mente. In triuio ſiquidem cernitur aceruus lapidũ, cui ſuperimpoſitus Mercurius ἐνόδιος, truncus brachijs, & pectore tenus. Mittebant enim viatores lapides ad pedes Mercurij religionis gratia: atq; inde erat, quod ſimulacrum illud effingebatur pectore tenus, ne opera & ſumptus fruſtra conſumeretur in partibus inferioribus elaborandis, quæ mox eſſent lapidibus obruendæ. Citat inſuper eruditiſſimum Commentariũ Hieronymi Aleãdri, in quo ille Solis Pan-Theologiam, ex antiquorum ſententia eleganter aſſeruit.

HVIVS Emblematis character mihi videtur penè ſumptus à Suida, ex quo didicimus Hermas eſſe Mercurij quaſdam ſtatuas: quo loco adducit Meneclem quendam, ſiue Calliſtratem in opere de Athe- 1.

nienſibus

Hermæ ſtatua. nienſibus, à varia porticu aduſque regiam ſtatuas eſſe, quæ Hermæ dicuntur: vnde locum id accepiſſe nominis ait, quia multæ ibi & à priuatis, & à magiſtratibus dicatę eſſent, ex quibus quidam Hermæ Hipparchei, ab Hipparcho Piſiſtrati dicebantur: fuiſſeq; Hermas ſaxeas in ædium veſtibulis, & in fanis. Addit deinde ἑρμαῖον, primitias eſſe ad ſtatuas Mercuriales, quæ in vijs collocabantur à viatoribus. Itemq; aceruos lapidum Mercurio ſacros in obſcuris vijs, quæq; non ita cognitæ eſſent peregrè euntibus. Vnde illud Damaſceni: καὶ ἐδόκει ἑρμαίῳ ἐν τετυχέναι, ὁ μοὶ περιτυχὼν. id eſt: *Videbatur ſibi in Hermaeum incidiſſe, quiſquis in me inciderat.* Recreat enim viatorem, vbi dubius de via, reperit aceruum Mercurij. Interpres Homeri ἑρμαῖον vocat, lapidum congeriem, ad Odyſſ. ρ. vt λιθινὸν σωρὸν. Epigrammatarius: & ἑρμαῖον λόφον, Heſychius. Is honos congeriei ſiue cumuli lapidum, virorum fortium tumulis ſolitus fuit conferri: teſtis eſt Pauſanias. Strabo: παρὰ ὅλην δὲ τὴν ὁδὸν ἦν ἰδεῖν ἑκατέρωθεν πολλαχοῦ ὥσπερ ἑρμαῖα πέτρον ἠλίβατον ϛρογγύλον. Reperio & eiuſmodi Hermas imponi ſolitas fuiſſe tumulis, ad propagandam defunctorum memoriam. Virg.

Monte ſub hoc lapidum tegitur Balliſta ſepultus.

M. Tullius 6. ad Atticum: Hermæ tui pentelici cum capitibus æneis, de quibus ſcripſiſti, iam nunc admodum delectant. Sed gymnaſijs ſolitas fuiſſe conſecrati Hermathenas, id eſt, ſtatuas Mercurij & Mineruę iunctas, idem alibi ſignificat Cicero: *Hermathena.* Quod ad me, inquit, de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt, ornamentum Academiæ proprium meæ, quòd & Hermes commune omnium, & Minerua ſingulare inſigne eius gymnaſij. Didicimus adhæc ex Stephano & Heſych. Græcis auctoribus. *Mercurius cur Hodius et Hegemonius dictus.* Mercurium Hodium & Hegemonium fuiſſe priſcis appellatum (ὅδιος καὶ ἡγεμόνιος ἑρμῆς) tum à vijs & ſemitis, in quibus ſtatuebatur ad viam monſtrandam peregrè proficiſcentibus. Proinde Hermæ, id eſt, ſtatuæ Mercurij, & lapidei ligneiue cippi *Mercurij officia.* ſolebant in triuijs erigi, ad indicanda viarum diſcrimina, quia αὐτῷ δέον εἰς πᾶσαν πρᾶξιν ἡγεμόνι χρῆσθαι, ait Phurnutus. Viatores itaq; ſtatuis ſolebant lapidum aceruos cumulare: ſic enim Deum putabant honorari, ea ſcilicet re, quæ in promptu eſſet & obuia: vel quòd ita viam repurgare viderentur: vel quòd eo lapidū cumulo Dei effigies prætereuntibus eſſet notior. Vlpianus, auctor Græcus, annotat ad oration. Demoſth. aduerſus Leptinem, *Hermæ.* Hermas, id eſt, Mercurios eiuſmodi fuiſſe quadrangulos, ſuperiore parte Mercurij figuram referentes, inferiùs inſcriptiones viarum oſtendentes. Qua de re Gyraldus Syntagmate 9. Huc reſpexit Iuuenalis, cum ait:

——*truncoq; ſimillimus Hermæ.*

Hinc quoq; Prouerbia: *Mercurio dextro; Mercurius bifrons;* τρικέφαλος ἑρμῆς. *Triceps Mercurius.* Effingebatur olim triceps *Mercurius triceps.* Mercurius, quia Phyſicam, Ethicam, & Logicam amplectebatur: ſeu quod cœleſtis, marinus, ac terreſtris crederetur. Talis quoq; ſolebat in triuijs apponi cum inſcriptione in ſingulis capitibus, quò duceret via hæc, quò rurſus illa. Huiuſmodi Mercurij ſimulacrum primus poſuit Proclides, auctore Philochoro. Huc quoq; facit parœmia, ἑρμαῖον, *Mercuriale*: *ἑρμαῖον.* quā dū Eraſmus explanat, ſumit multum operę, nec tamen quicquam proficit. Nos altiùs fabulam repetamus, vt loco difficili, qui Eraſmum torſit, lucem aliquam afferamus. Didymus in lib. 16. Odyſſeæ, huiuſmodi fabulam narrat ex Anticlide. Mercurius, inquit, præcipiente Ioue, vitam eripiens Argo Ius cuſtodi, à Iunone alijsque Dijs in iudicium ductus eſt impacta dica, eò quod primus dæmonum cæde mortalium eſſet conquinatus. Conueniunt in iudicium Dij, iudicant tamen par & æquū eſſe, vt Mercurius dicto Iouis audiens eſſet, quandoquidem illius eſt nuncius. Abſoluentes deniq; Mercurium à cæde, ſurrexerunt, & ad illius pedes niueas atrasq; teſſeras, quibus erat vel abſoluendus, vel damnandus ille, proiecerunt. Inde mortales vſq; in hæc tempora in Mercurij honorem per vias lapidum tumulum conſtituunt: quoniam Mercurius eſt viatorum Deus. Et hos tumulos vocant ἑρμαίους λόφους. Hęc Didymus, quem vide latiùs hęc narrantem. Quis iam dubitabit, locum illum Prouerb. 26. ex hac antiquiſſima fabula poſſe interpretationem ſuſcipere? *Sicut qui mittit* inquit Salomon, *lapidem in aceruum Mercurij, ita qui tribuit inſipienti honorem.* Quaſi dicat; Inſcitia eſt lapideo

Deo obſequium præſtare, lapides coaceruando ad illius ſtatuam. Cæterum ne tranſiliam quod ad rem pertinere videatur, hic Mercurii nomine olim Deorum nuncii, vel ſacras literas (quæ nobis diuinam voluntatem aperiunt) intelligimus: vel Prophetas & Doctores, ſacri & cęleſtis oraculi nuncios, ex quibus orthodoxam ſalutis æternæ viam & rationem excipere eſt neceſſe. Serta autem ſuſpenſa, honorem cultumq́ue aliquem obſeruantię exhibendum eſſe ſignificant. Nec malè huius Emblematis origo referetur ad adagium illud quod refert Plutarchus in lib. de audiendo, & inter ſeptem Græciæ ſapientum oracula celebratur, ἕπου Θεῷ. *Deum ſequere.* De quo vide Chiliad.

Quid nomine Mercurij. *Serta.* *Deum ſequere.*

III. *Triuiũ.*

IN triuio] Triuium eſt locus, vbi tres pluresve viæ diuiduntur, ancipitem dubiumq; reddentes itineris ignarum, de quo multa apud Strabon. lib. 5.

Mons eſt lapidum] Prouerbium ſubeſt, ἑρμαῖον. *Mercuriale*, de quo iam dictum eſt. Nec perperam id accipies pro ſalebris, ærumnis, & difficultatibus, quæ in vitæ genere deligendo cuiuis occurrunt.

Trunca Dei effigies] mutilis & truncatis artubus: nam monet, monſtratq; viæ flexus ipſe immotus Mercurius; quia ſatis eſt admoneri à doctore, etſi ipſe viam ſępe non ingrediatur.

Pectore facta tenus] Nihil præter conſilium, quod è candido pectore promanet, exigitur à præceptore; reliqua tu ipſe opere præſta, quod monet.

Mercurij] Interpretis & nuncii Deorũ, de qua re plura Cicero in lib. de Natura Deor. qui viam rectam hæſitanti viatori monſtrat: peregrinantibus enim opitulari alatum illum Deum olim putarunt. Mercurii fuerunt multi, ſicut multi Hercules: ſed poetę vnum faciunt eloquentię pręſidem. Deorum nuncium, mercatorum & furum Deum. Vide adagium: *Expedit habere plura cognomina.* Dictus eſt Mercurius à mercibus, vt ipſe videtur innuere apud Plautum in Amphitr. Aut dictus, quaſi medius currens, quod ſermo currat inter homines veluti medius; eloquentię namq; parens eſt. Vnde ſi quando ſilentium in multorum conciliabulis exoritur, dici conſueuit prouerbialiter; *Mercurius ſuperuenit.* Ὁ ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν. ac ſi nefas foret loqui pręſente Mercurio.

Mercurius vnde dictus.

Interpres.

Dictus eſt Gręcè ἑρμῆς, propterea quod Gręcos (vt refert Diodorus) verborum docuerit interpretationem. Vnde etiam Virgilius eum interpretem vocat:

Nunc & interpres Diuũ Ioue miſſus ab ipſo.

Et paulò poſt:

Interpres Diuũ fert horrida iuſſa per auras.

Plura de Mercurio conſultò omittimus. Vide Cæſarem lib 6. de bello Gallico, Macrob. Satur 1. cap. 19. Natal. Comit. Mythol. lib. 5. c. 5.

Tumulus.

Eſt igitur tumulus.] In aliis quibuſdã exemplaribus legitur *Cumulus:* ſed vtraq; lectio tolerabilis. Tumulus, quaſi tumens tellus, pro ſepulcro frequentius vſurpari ſolet. Qui verò loco vocabuli tumulus, aut cumulus, legi malunt, *facies*, non mihi probantur: quia vocabulum, facies. pro effigie aut ſtatua hic veram Latinitatem non ſapit. Non deſinam priùs, quàm quod improba lectione obſeruaui, ſtudioſis rerum antiquarum communicem. Olim conſuetudine receptum fuit, vt ſuperſtitioſi temerè oblatos in via lapides ſtipiteſque, tanquam numina colerent. Apuleius de aſino: Neq; iuſtus religioſam moram viatori obiecerit, aut ara floribus redimita, aut ſpelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata: vel enim colliculus ſepimine conſecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel ceſpes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus. Propertius:

Et quicunq; ſacer, qualis vbiq; lapis.

Xenophon: καὶ τοὺς μὲν οὔθ' ἱερῶν, οὔτε βωμῶν, οὔτ' ἄλλων τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξυλὰ τὰ τυχόντα, καὶ θηρία σέβεσθαι.

Viatores homines.

Viator.] quicunque ſis hac in vita hoſpes, vt omnes re vera ſunt. Plato vitam noſtram modò vię, modò peregrinationi ſimilem facit. παρεπιδημία γάρ ὁ βίος.

De coronis quæ ſtatuis Deorum appendebantur.

Suſpende ſerta Deo.] Plinius hiſtorię mundi 21. c. 2. inter ſacra tantum & bellicos honores, coronis nomen ſuum vindicantibus. Idem 3. c. Et iam tunc coronę Deorum honos erat. Quibus ex locis intelligimus, coronas ſtatuis rebuſque ſacris olim ſolitas appendi. Quòd ſi quis auctoritatem etiam aliorum ſibi dari poſtulet, adferre poſſum Apuleium, qui ſic 3. de aſino aureo: In ipſo verè meditullio, inquit, Hipponę Deę ſimulacrum reſidens ędiculę, quod accuratè corollis roſeis, & quidem

quidem recentibus fuerat ornatum. Et 4. lib. Iamque per plateas commeantem, populi *frequenter floribus, ſertis, & ſolutis* adprecantur. Idemque libro vndecimo, ſimulacrum Lunę deſcribens: Corona, ait, multiformis variis floribus ſublimem diſtinxerat verticem. Et paulò poſt: Dextra proferens ſiniſtram Deę coronam, mihi etiam Hercules coronam conſequenter. Itemq; Nam ſibi viſus eſt quietè proxima, dum magno Deo coronas exaptat. Ad hunc veterum ritum reſpexit Ouid. Faſtorum 2. de Arione loquens, qui citharœdus à piratis captus, iamq; de vita deſperans,

—— capit ille coronam
Quæ poſſet crines, Phœbe, decere tuos.

Apponam & Tertulliani locum è lib. De corona militis, vbi ait Pandoram primum à Charitibus coronatam, honoris cauſa ſcilicet, cum à Diis omnibus muneraretur. Vel etiam *ſuſpende ſerta*, tu qui ſtudium aliquod aggrederis, docilem te & amabilem preſta: perſolue δίδακτρον & honorarium tuo doctori. Quid enim? ridendo dicere verum nil vetat.

Rectum, qui tibi monſtret iter] τὴν ὀρθὴν ὁδὸν, qui ſit tibi ἐνόδιος, quod tributum olim Mercurio epitheton. Vel *rectum iter*, ad μέθοδον refero, quę nomen habet ab ὁδῷ, id eſt, *via*: Eſtq; nil aliud quam recta vis, & ratio ſeu inſtitutio benè docendi. *Methodus.*

Omnes in triuio ſumus] In triuio dicuntur eſſe ij, qui dubitant, quiq; incerti ſunt animi, hæſitantes quid potiſſimùm eligãt. Iuxta Ouidianum illud, Faſtor. 5. *In triuio eſſe.*

Vt ſtat, & incertus, qua ſit ſibi, neſcit, eundum,
Cum videt ex omni parte viator iter.

Theognis: ἐν τριόδῳ ἕσηκα: *In triuio conſiſto*. vt enim viam ſæpe pro conſilij ratione poni ſolemne eſt Græcis: ſic τρίοδον, pro incertitudine conſilij. Itaq; Plato 7. Legum, καθάπερ ἐν τριόδῳ γενόμενος &c. monet, ne ad rem nouam & inuſitatam amplectendam accurramus, ſed conſiſtamus, quaſi ad triuium aliquod venerimus. & Minutius Felix in Octa. vt qui rectam viam neſcit, vbi, vt fit, in plures vna diffinditur, hæret anxius, nec ſingulas audet eligere, nec vniuerſas probare: Sic cui non eſt veri ſtabile iudicium, &c. Sic hac in vita tot tantæque ſeſe offerunt difficultates & ſalebræ, vt facilè fallamur, niſi Deus ipſe nobis rectum oſtẽdat iter: quod vt faciat, enixè rogandus, omniq; reuerentiæ conatu venerandus eſt.

Tramite vitæ.] curriculo vitæ & decurſu. Toto diſticho eandem continuat ἀλληγορίαν à viatoribus. Trames, tranſuerſa & obliqua ſemita. *Trames.*

Oſtendat ni Deus ipſe viam.] ni ſit ἐνόδιος καὶ ὁδοποιός. Alluſio ad illud Pindari: Διὸς ἐκ προοιμίου, *ab Iouis proœmio*. quo ſignificatur, conatus omnis noſtri principium à Deo ſumendum eſſe. Ariſtides oratione panegyrica: ἀλλ᾽ ὥσπερ ἔφη πίνδαρος, θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν, οὐδὲν δὴ τὸ κωλῦον. *Sed, vt ait Pindarus, Deo initium oſtendente, nihil erit impedimenti*. Idem auctor alio loco eandem ſentẽtiam vſurpauit: θεοῦ δὲ, φησὶ πίνδαρος, δείξαντος ἀρχὴν, εὐθεῖα δὴ κέλευθος εὑρεῖν τὸ προκείμενον: *Deo initium monſtrante, ait Pindarus, facilis eſt ſemita ad inueniendum quod propoſitum eſt*.

1. PRAESENTI quaſi ænigmatio monemur, ea tantum ſequenda eſſe, ad quæ Deus & natura nos idoneos eſſe voluit; cùm ſummæ fatuitatis & dementiæ ſit, aliquid inuita, quod aiunt, Minerua ſuſcipere & perſequi. Rectè dicebat Cato apud Ciceronem, naturam optimam ducem ſequendam, nihilque aliud fuiſſe olim gigantum more bellare cum Dijs, niſi naturæ repugnare. Cicero 3 De fin. commemorat inter præcepta veterum ſapientum, quæ conſtat prouerbiorum vice celebrata: Quę que ſunt, ait, vetera præcepta ſapientum, qui iubent tempori parere, & ſequi Deũ, & ſe noſcere, & nihil nimis. Sed & D. Paulus adhortatur, eam vt ſortem vitæq; rationem teneamus, cui nos Deus addixit. Sed quoniam menti humanæ ea eſt innata cæcitas & ignoratio, vt qua via ſit eundum planè ignoret, omni piæ vitæ cultu, & ſummiſſa mente ad eum perfugiẽdum eſt, qui ſe viam, qui veritatem, qui vitam eſſe faſſus eſt; quem qui ſequitur, in tenebris non ambulat: continuoque illud Dauidicum nobis ardenti animo repetendum: γνώρισόν μοι κύριε ὁδὸν ἐν ᾗ πορεύσομαι. *Oſtende mihi, Domine, viam, in qua ambulem*. Certè & Socrates apud Platonem in Critone, pergendum ea ſolùm eſſe via, qua Deus nos ducit, aſſeuerat. Quò pertinet illud Perſij è 3. Satyra: IV. *Sequẽda natura.* 1. Cor. 7. Epheſ. 4. Pſ. 142.

—— diſce quem te Deus eſſe

Iuſſit, & humana qua parte locatus es in re.

Adde, quod tam craſſa caligo, tamque ſupina hominum mentibus inſita ſit ignoratio, vt quid potiſſimùm ſequi debeat, quiuis ignoret, & niſi adiutus ope cœleſti, in certam aliquam viam ſe recipere non poteſt. Dicebat enim ipſe ſalutis inſtaurator: *Sine me nihil quicquam efficere poteſtis.* Nec verò ſumus idonei ad aliquid vel cogitandum tanquam ex nobis; ſed ſi ad aliquid idonei videamur, id certè ex Deo eſt, ait D. Paulus, 2. Cor. 3.

In omni diſcipli-

2. Videtur hoc Emblema non malè referri poſſe ad cuiuſq; vitæ genus & inſtitutum, ad quod ingrediundum cùm difficilè ſit, opus eſt aliquo Mercurio, id eſt, præceptore ſeu doctore, qui viam doceat. Siue enim Philoſophiam attingamus, ſeu Medicinam, ſeu Iuriſprudentiam, aut etiam Theologiam, vix aliquid abſque magiſtro ductore proficiemus. Nam ſcholæ Philoſophorum plenæ ſunt argutijs ſpinoſis, & opinionum labyrinthis. Medicina in multis fallax eſt, ipſaq. *τέχνη μακρὴ, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ϗ ἡ κρίσις χαλεπή.* Perpetua eſt inter Iuriſconſultos altercandi alea, vnde lites immortales. Theologia ea, quæ in ſcholis ventilatur, quantis ſcateat difficultatibus, notius eſt, quàm vt pluribus edicatur. Vbiq; igitur perito & ſincero opus eſt magiſtro.

na magiſtro opus eſt.

Fidei Symbolum.

EMBLEMA IX.



STET *depictus* HONOS, *Tyrio velatus amictu,*
Eiusq́ iungat nuda dextram VERITAS:
Sitq́ AMOR *in medio caſtus, cui tempora circum*
Roſa it, Diones pulchrior Cupidine.

Con-

Conſtituunt hæc ſigna fidem; Reuerentia Honoris
Quam fouet, alit Amor, parturitq́; Veritas.

COMMENTARII.

I. ALCIATVS vniuerſæ antiquitatis ſtudioſiſſimus, hoc Emblema deſumpſiſſe videtur ex antiquiſſima Sabinorum ſtatua, qua numen vnum triplici facie, nomineq; triplici effingebatur. Sed & hodie inter Romanas antiquitates in regione Arenulæ, in ædibus Dominorum de S. Cruce, viſitur Fidij ſimulacrum ita effictum (vt edidit primus Iacobus Mazochius Romæ, anno 1521.) Marmor eſt in feneſtræ modum formatum, in quo tres imagines effictæ ſtatuuntur. Dextra quidem forma virili, imberbi, ſed ætate matura, habitu pacifico, cui adiectum nomen HONOR. Siniſtra verò muliebris, virginea facie, eodem habitu, lauream coronam in capite geſtãs, cum inſcriptione, VERITAS; quæ dextram dextræ iungat cum priore imagine. In harum duarum medio ingenui pueruli effigies cernitur, cuius ſupra caput hoc legitur, FIDII SIMVLACRVM. Gyrald. Syntagm. 1. 2. & 10. Hiſtoriæ Deor. Hæc quidem eſt veteris illius ſimulacri pictura, quam etiam Pignorius hoc modo appingi curauerat, niſi pictoris negligentia locum Honoris & Veritatis permutaſſet, & ſiniſtras iungentes, vti & Veritatẽ vultu puerili perperam effinxiſſet Num verò ad Alciati noſtri mentem, valde dubito: vt enim pace tanti viri liberè dicam, quæ ſentio, non ſatis arridet mihi Veritas & Amor veſtibus indui, cum autor dicat, *nuda Veritas*: & infra quoq; Amorem virtutis nudum pingat. Deeſt etiam corona ex roſis Amori, quam expreſsè vult autor: vti & Honorem ſtantem. Hinc vt Alciato illud ſimulacrum Fidij obſeruatum fuiſſe nihil dubito, ſic idipſum ſuo propoſito perfunctoria mutatione aptare voluiſſe, ego infimi ſubſellij iudex cenſeo.

Fidij ſimulacrũ Romæ.

Error huius picturæ.

II. FONS Emblematis repertus eſt, ſimulacrum ſcilicet Fidij; his tribus imaginibus Fides deſcribitur: quippè quæ veritate, fide & amore nitatur. Veritatem habet, illam quidem nudam & ſimplicem, non comptam fuco aliquo, non velo tectam. Et quidem fides definitur, dictorum conuentorumque conſtantia & veritas, quę ideò patentem habere Veritatem dicitur, & eã nudam, quod in pactis, conuentionibusq; nihil fucatum eſſe, aut à verò alienum debeat: cui adhæret Honos porrecta dextra, tanquam ſtabilis cuiuſdam, firmiq́ue pacti pignus. Is Honos purpurea indutus veſte, quòd veritas facillimè poſſit imminui & labefactari, niſi adſit honoris & reuerentiæ quædam ratio, qua eadem fulciri opportune & cum dignitate poſſit. Hoc etiã virtutis præmium, & honeſtatis omnis tanquam patrem nutricium, pictores & plaſtæ nobis adumbrarunt. At locum mediũ occupat honeſtus Amor, qui Veritatem & Honorem nexu firmo colligat & deuincit. Niſi enim tanquam condimento aliquo amicitiæ & beneuolentiæ mutuę conſocientur hæc inter ſe alioqui diuerſa, vinculum nullo penè negotio diſſolui poterit. Porro id mihi in memoriam reuocat, quod Athenæus lib. 13. tradit, in gymnaſijs olim vna conſecratos Amorem, Mercurium, Herculem: quorum ille ſecundus orationis, tertius roboris pręſes habebatur; quibus coniunctis amicitia concordiaque naſci ſolet. Id etiam totum referre par eſt ad antiquam illam veterum Sabinorum præfigurationem ſacroſanctę τριάδος, apud quos, diu ante CHRISTI ſeruatoris aduentum, erat ſimulacrum quoddam triplici facie, cuius etiam nomen triplex, nempè Sanctus, Fidius, & Semipater, haud dubiè præcipuum religionis Chriſtianæ myſterium repręſentans. Quod ab Ouidio deſcribitur 6. Faſtor. Sanè Dionyſ. Halicarn. lib. 4. ait, Iouem, Piſtium eſſe dictum, quem Romani Sanctum appellabant, qui & Sagus, Piſtius, Sanctus, & fidei ſponſor, alijs nominibus efferebatur. Conijcere eſt Piſtium eundem fuiſſe cum Fidio. Nam vt *πίστις* Græcè fides, ita *πίστιος καὶ πιστὸς*, Fidius nominari commodè poteſt. Fidei ſimulacrum antiqui Romani in Capitolio ſtatuerũt, teſte Cicerone Offic. 3. Qui iuſiurandum, inquit, violat, is Fidem violat, quam in Capitolio vicinam Ioui Optimo Max.

Fides adiunctis cauſis deſcripta. *Fides qd.*

Veritas nuda. *Honos.* *Pudicus amor.* *Sancta Τριὰς Sabinis præfigurata.* *Iupiter Piſtius, Sãctus, Sagus.* *Fidei ſimulacrũ in Capitolio.*

Max. (vt in Catonis oratione eſt) maiores noſtri eſſe voluerunt. Id quod etiam confirmat Plinius lib. 35. cap. 10. dum dicit: Spectata eſt in ęde Fidei in Capitolio imago ſenis cum lyra, puerum docentis. Quo ritu Fidei ſacra facerent, indicat T. Liuius lib. 1. ab V. C. qui de Numa ſic inquit: Soli Fidei ſolenne inſtituit, ad id ſacrarium flamines bigis curru arcuato vehi iuſſit, manuq; ad digitos vſq; inuoluta rem diuinam facere: ſignificantes fidem tutandã, ſedemq; etiam in dextris ſacratam eſſe. Cicero 2. de Legib. Noſtris, inquit, extra portam Collinam ædem Honoris, & aram in eo loco fuiſſe, memoriæ proditum eſt, ad eam cum lamina eſſet inuenta, & in ea ſcriptum, DOMINA HONORIS, ea cauſa fuit ædis huius dedicandę.

III. *STET*] In tabula depictus proponatur ſtans. Rectè verò ſtare fingitur, non ſedere, aut deſidere, quia nunquam honos debet eſſe ocioſus, aut deſes.

Honor Deus.

Depictus HONOS] Honorem pro Deo coluerunt veteres, vt etiam Fidem & Virtutem. Plin. 35. c. 10 Auguſt. de ciuit. 4. c. 21. & 24. Et Ouid. 5. Faſt. ex Honoris, & Reuerentię coniugio ortam eſſe Maieſtatem voluit:

Donec Honor placidoq; decens Reuerentia vultu
Corpora legitimis impoſuere toris.
Hinc ſata Maieſtas, quæ mundum temperat omnem,
Quaq; die partu eſt edita, magna fuit

Et Pylades Brixianus in Theogonia, lib. 1.

Se quõdam læto Reuerẽtia iunxit Honori,
Et ſacra Maieſtas protinus orta fuit.

Adijciam obiter: Amor honori adiunctus verecundiam creat, imò verò ipſamet verecundia dici non ineptè poteſt. Quò ſpectat illud M. Ciceronis ex Lęlio: Maximũ ornamentum amicitię tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaq; in ijs pernicioſus eſt error, qui exiſtimant, libidinum, peccatorumque omnium patere in amicitia licentiam.

Purpura honoris ſignum.

Tyrio amictu,] purpurea veſte. In ſignũ honoris & dignitatis Romanos Patricios, non etiam cęteros vſos purpura, teſtis eſt Plinius lib. 9. c. 36. quod tamen in deſuetudinem abiiſſe queritur Iuuenalis Sat. 3. Ex Tyro vrbe Phœnicię conchylia, & murices aduehuntur, quorum ſanguine fit purpura. Plinius lib. 5. cap. 19. Nunc omnis eius nobilitas conchylio atq; purpura conſtat. Et lib. 35. c. 6. Quare Puteolanum potiùs laudatur, quàm Tyrium, aut Gętulicum, vel Laconicum, vnde pretioſiſſimę purpurę. Sic Ouid. 2. de Arte:

——— *Tyrios laudabis amictus.*

Per veſtem autem purpuream, puritatem honeſtatemq; ſignificari, iam dictum eſt. De purpurę inuentione extãt Nonni poetę verſiculi lib. 40 Dionyſ. *Purpura inuentio.*

καὶ τυρίης σκοπίαζε δεδευμένα φάρεα κόχλῳ,
Πορφυρέης σπινθῆρας ἀκοντίζοντα θαλάσσης.
Ἦχι κύων ἀλιεργὸς ἐπ' αἰγιαλοῖσιν ἐρέπτων
Ἐνδόμυχον χαροποῖσι γενειάσι θέσκελον ἰχθῦν,
Χιονέας πόρφυρε παρηΐδας ἔνδοθι κόχλου,
Χείλεα φοινίξας δαιρῷ πυρὶ, τῷ ποτεμένῳ
Φαιδρὸν ἁλιχλαίνων ἐρυθαίνετο φᾶρος ἀνάκτων.

Et Tyria ſpecta infectas veſtes concha,
Purpureis ſplendoribus micantes maris.
Vbi canis curſitans in maris litoribus mãdens
Abditum ſublucentibus faucibus admirãdum piſcem,
Niueas rubefecit maxillas intra concham,
Labra purpuriſſans roranti igne, quo olim ſolo
Amœna purpuratorum rubeſiebat veſtis Regum.

Idem refert Pollux lib. 1. de verbis idoneis ad Commodum: Tyrii ferunt, inquit: captum amore Herculem nymphę cuiuſdam indigenę, cui nomen Tyro; ſequebaturq; eum canis antiquo more, quo dominum canes vſq; etiam ad concionem comitabantur. Quare canis hic Herculeus ireptantem ſcopulis purpuram conſpicatus, pereſa caruncula, ſua ſibi labra cruore puniceo inficit. Cum igitur ad puellam Hercules adiiſſet, delectata illa inſueta tinctura, quam ceu florentem in eius canis labris aſpexiſſet, affirmauit ſibi cum illo poſthac nihil fore, niſi ad ſe veſtem afferret, etiam canis illius labris ſplendidiorem. Quocirca inuenta Hercules animante, collectoq; ſanguine, munus puellę detulit, primus (vt Tyrii dictitant) auctor Punicę infecturę. Plura de purpura qui volet, adeat Caſſiodorũ initio *Canis Herculis purpuræ inuentor.*

initio lib. 1. Variar. formul. Lazarū Bayſium de re veſtiaria, Antonium Thyleſiū de coloribus, Politianum cap. 12. Miſcel. Guidon. Pancirollum de rebus memorabilibus, Hieron. Columnam in Fragm. Ennii, & alios. Vide etiam quę ſupra Embl. 6. diximus, & quę infra Embl. 117. ſumus dicturi.

Eiusq;] Honoris nempe.

Dextra fidei ſymbolum. *Iungat dextram*] Fidei ſymbolum in dextris iunctis conſpiciebatur, idq; Numę Pompilii inſtituto. Moris etiam fuit, vt fidei faciendę & comparandę gratia dextras coniungerent; quod multis auctorum meliorum locis facile eſt obſeruare; eſt enim dextra Fidei dicata. Vnde Virgil. 6. Æneid.

——*Nec veriti dominorū fallere dextras.*

Symbolum coniunctionis dextrarum docuit Gyrald. 1. Syntag. Hiſt. Deor. & poſt cæteros vir eruditus Cælius Curio appendice Hieroglyph. Pierij, quædam huc facientia non pœnitenda retulit. Sed de his infra opportunior erit dicendi locus.

Veritas Dea quomodo picta. *Nuda VERITAS*] Fingebatur *ἀλήθεια*, vt ſcribit in Amphiarao Philoſtratus, virgo niueis induta veſtibus. Hippocrates in quadam ad Philopœmenem Epiſtola, eam depingit mulierem pulchram, magnam, ſimpliciter ornatam, illuſtrem ac ſplendidam; cuius oculorum orbes pro lumine nitebant, vt aſtrorum & ſtellarum fulgorem viderentur imitari. *NudaVeritas cur.* Nuda hic dicitur, quòd qui eam colunt, aperti ſunt ac ſimplices, nullo modo fraudulenti, aut inſidioſi; aut quòd veritatis oratio ſimplex eſſe debeat & recta, non fucata, tecta, aut perplexa; aut quòd in luce & oculis omnū agnoſci velit. Hinc Hor. 1. Car. Od. 24

——*Cui pudor, & iuſtitia ſoror*
Incorrupta Fides, nudaq; Veritas,
Quando vllum inuenient parem?

Veritatis nudæ rationem docuit Pierius Hieroglyphicorum lib. 44.

Stq; in medio] id eſt, *μεσίτης*, conciliator, pacificator.

AMOR caſtus] De hoc amore pudico, qui *ἀντέρως*, dicetur in Emblemate, cuius epigraphe. *Amor virtutis.*

Cui tempora circum Roſa it] Qui redimitus eſt corona ex roſis texta. quod hic in pictura non exprimitur.

Dione. *Diones*] Dione Veneris mater ex Ione, Oceani & Tethyos filia, plures enim fuiſſe Veneres ſcribit Cicero in lib. de Nat. Deorū. Hinc Dione ſæpe pro Venere ipſa apud Poetas, vti etiā hic, ponitur. Stat. Silu. 1.

Cedat equus Latia qui cōtra tēpla Diones.

Et Politianus in Nutricia:

——*Liuor & ſandalion auſus*
Carpere [illegible] *dominam aſſeruit ſua forma Dionem.*

Ouidius in Faſtis:

Hippolyte infelix, velles coluiſſe Dionē.

Et rurſus:

Terribilē quondā fugiens Typhona Dione.

Dicitur etiam Dionæa. Virg. 3. Æneid.

Sacra Dionææ matri, diuumq; ferebam.

Pulchrior Cupidine] qui pulchrior eſt longè, quàm alter laſciuus & improbus Veneris filius. De duplici Cupidine, & Venere duplici, maturius poſtea.

Conſtituunt hac ſigna fidem] His tribus conſtituuntur tres efficientes cauſæ fidei, *Veritas*, mater: *Amor*, nutritius pater, ſeu conciliator: *Honos*, qui tanquam fouet & ſuſtentat.

Reuerentia honoru] Honor cum ſua conſorte Reuerentia Fidem fouet; nam Reuerentiam Honori connubio iunctam ſupra ex Ouidio retulimus.

LATISSIMVS hoc loco mihi pateret excurrendi campus, ſi mihi mens eſſet, lectori obuia iſta merce tædium afferre: vela igitur contraho, præſertim quia verba ipſa Autoris mentem abundè aperiant. IV. Vnum tamen non prætereundum, nimirū hoc Emblema facilè traduci poſſe ad amorem, reuerentiam, fidem, parentibus debitam à liberis: ad coniugum neceſſitudinem; tum obſequia, quæ præſtanda veniunt Principibus, magiſtratibus, præceptoribus, à quibus vel ſuſtentamur, defendimur, liberaliter educamur. *Emblematis applicatio.* In fide coniugum honos, amor, veritas: honos ex opinione virtutis; amor, propter officia mutua, vitæq, huius communis vſibus neceſſaria; veritas, vt ſancta iſthæc coniunctio procul abſit ab omni fuco & ſimulatione, quam imprimis deceat cōſtantia & veritas, quod vnum ſocietatis omnis ac concordiæ certiſſimum firmamentum. De fide, quę debetur principibus viris, alio loco. Sanè debent ſerui dominis reuerentiam, obſeruantiam, obſequium, vt meminerint ſe ſubeſſe aliquo iure gentium; pudore & liberalitate, non vi parendum, verè non fictè, aut dicis cauſa officium faciendum.

Fœ-

Fœdera.

Ad Maximilianum Mediolani Ducem.

EMBLEMA X.



HANC citharam, à lembi quæ forma halieutica fertur,
Vendicat & propriam Muſa Latina ſibi,
Accipe Dux: placeat noſtrum hoc tibi tempore munus,
Quo noua cum ſociis fœdera inire paras.
Difficile eſt, niſi docto homini, tot tendere chordas:
Vnaq́ ſi fuerit non bene tenta fides,
Ruptave (quod facile eſt) perit omnis gratia conchæ,
Illeq́ præcellens cantus, ineptus erit.
Sic Itali coeunt proceres in fœdera: concors
Nil eſt quod timeas, ſi tibi conſtet amor.
At ſi aliquis deſciſcat (uti plerumque videmus)
In nihilum illa omnis ſoluitur harmonia.

COM-

COMMENTARII.

I. EXPRIMITVR inſtrumentum illud muſicum, Italis *Liuto*, Germanis *Laut*, dictum, omnibus ſuis fidibus inſtructum; iuxta quod libellus cernitur apertus, notulis muſicis exaratus, ad deſignandam harmoniam, quæ in chordis Lutinæ ex arte requiritur.

II. MITTIT hoc Emblema ad Maximilianum Ducem Mediolani, Ludouici filiũ, quo principi ſuo indicat, quanta vis concordiæ ſit, ſumpta comparatione à lyræ temperato, aut confuſo concentu: ea enim conſtãs ex ſummis, medijs, & infimis chordis concinnam reddit harmoniam, ſi tamẽ eam vir artis peritus aptauerit. Eodem quoq; pacto Reſpublica omnis variæ ac diuerſæ conditionis hominibus compoſita, firma & concordi pace ligatur, ſi modò Principem habuerit idoneum, qui & conſilio, & vſu rerum valeat, quiq; beneuolentiam, aſſenſum, & commune pacis vinculum inter ciues fouere norit. Ea ratione præ alijs quotquot vſquam fuere ab omni ſæculorum memoria, terrarum Dea gentiumq́ue Roma perſtitit, quandiu Principes habuit pacis & tranquillitatis ſtudioſos, eoſdemq; auctoritate dignitateq; commendabiles. Cicero de Republica diſputans, inducit Scipionem eum, qui Carthaginem deleuit, de Republ. verba faciẽtem, quando iam iamque peritura præſentiebatur. Cùm enim Scipio in 2. lib. fine dixiſſet, vt in fidibus ac tibijs, atq; cantu ipſo ac vocibus, concentum eſſe quendam tenendum ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, eumq; concentum ex diſſimillimarum vocum moderatione concordem tamen effici & congruentem: ſic ex ſummis, & medijs, & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitatem conſenſu diſſimillimorum concinere: & quæ harmonia à muſicis dicitur in cantu, eam eſſe in ciuitate concordiam, arctiſſimum atq; optimum omni in Repub. vinculũ incolumitatis, quę ſine iuſtitia eſſe non poteſt: quod à Cicerone petitũ cõſtat è 4. De repub. Plat. cuius hęc verba: ὁρᾶς οὖν, ἦν δ᾽ ἐγὼ, ὅτι ἐπιεικῶς ἐμαντευόμεθα ἄρτι, ὡς ἁρμονίᾳ τινὶ ἡ σωφροσύνη ὡμοίωται; τί δὴ ὅτι οὐχ ὥσπερ ἡ ἀνδρεία καὶ ἡ σοφία ἐν μέρει τινὶ ἑκατέρα ἐνοῦσα ἡ μὲν σοφὴν, ἡ δ᾽ ἀνδρείαν τὴν πόλιν παρείχετο, οὐχ οὕτω τὴν πόλιν ποιεῖ αὕτη, ἀλλὰ δι᾽ ὅλης ἀτεχνῶς τέταται διὰ πασῶν παρεχομένη ξυνᾴδοντας τούς τε ἀσθενεστάτους ταὐτὸν, καὶ τοὺς ἰσχυροτάτους, καὶ τοὺς μέσους, εἰ μὲν βούλει, φρονήσει, εἰ δὲ βούλει, ἰσχύει· εἰ δὲ πλήθει ἢ χρήμασιν, ἢ ἄλλῳ ὁτῳοῦν τῶν τοιούτων· ὥστε ὀρθότατ᾽ ἂν φαῖμεν ταύτην τὴν ὁμόνοιαν σωφροσύνην εἶναι χείρονός τε καὶ ἀμείνονος κατὰ φύσιν συμφωνίαν, ὁπότερον δεῖ ἄρχειν καὶ ἐν πόλει καὶ ἐν ἑνὶ ἑκάστῳ. Hæc ex Cicer. lib. de repub. retulit D. Auguſt. lib. 2 cap. 21. De ciuit. Dei. Sed hoc loco non erit alienum, ſi admoneã Romanos veteres per Lyræ Hieroglyphicum concordiam deſignaſſe, vt & veteres alij iudicium compoſitum, concordiam in ęqualium, rectam bonamq; inſtitutionem, rationem, amorem, ſedatum animum, & alia plura, vt commodius ad concordiam ſuadendam ſymbolum ab Alciato minimè excogitari potuiſſet. Videtur autem ſumpta comparatio ex Oro Apolline Niliaco de literis Hieroglyphicis, in fine operis, cuius verba ſunt: Ἄνθρωπον συνεχέα καὶ ἑνωτικὸν βουλόμενοι σημῆναι λύραν ζωγραφοῦσι. αὕτη γὰρ συνέχειαν φυλάττει τῶν ἰδίων κρουσμάτων. id eſt: *Hominem coniunctum & vnitiuum* (vt ſic dicam) *ſignificare volentes* Aegyptij, *lyram pingebant. Hæc enim continuitatem propriarum ſeruat pulſationum*. In lyra enim diuerſæ chordæ ſimul componuntur, & ad eũdem tonum temperantur: quod prudens & ſedatus homo præſtat vel in ſuis affectibus rationi ſubijciendis, vel in œconomia moderanda, vel deniq; gubernatione Reipub. in quibus homines varij ac diuerſi, cum ſinguli ſint, non poſſunt non habere ſingulas de rebus opiniones: ſed ſapientis tamen Principis moderatione in vnum quaſi harmoniæ concentum conueniunt. Iſidorus quidem Cynicus meritò Neronem increpabat, quòd cùm Muſicæ arti operam daret, Nauplij mala bene caneret, ſua verò bona malè diſponeret, neque ſibi vllum in vita concentum proponeret. Et Diogenes Muſicos ſtultitiæ arguebat, qui lyræ chordas optimè iuxta ſuæ artis leges compararent, animum verò minimè componerent. Idem videns quendam parum cordatum aptare

Reipubl. cum Lyra comparatio.

Locus inſignis è 2. de Repub. Ciceronis.

Quid per lyram veteres intellexerint.

aptare pſalterium: Non erubeſcis, inquit, qui ſonos ligno aptes, animum ad vitã non componas; Ea quidem ratio fuit, cur Plato animum harmoniæ & concentus nomine appellarit: & Ariſtophanes ſapientem hominem & Gratijs ornatum, optimum Muſicum & citharœdum eſſe. Nam idem Plato putauit Muſarum nomen à μώειν, quod ſonat idem ac honeſtè inſtituere. Sed & Getæ, populus ille Thraciæ iuxta Hungariam, hoc idem ſignificare volentes, citharas ſumunt, easq; pulſantes, legationes de conficienda pace faciunt, vt refert ex Theopompo Athenæus lib. Dipnoſophiſt. 14. At ſepoſita paulùm lyra, mox reſumenda, audiamus citharam.

III. *Cithara.*

HANC citharam] Cithara eſt muſicũ inſtrumentum in triquetram figuram cõpoſitum, plus viginti chordis aptum, vulgò Harpa. In qua ſignificatione vſus eſt Henricus Glareanus diligens antiquitatis ſcrutator in ſua Muſica. Hic tamen citharam pro teſtudine, quæ vulgò eſt Lutina, accipit, cuius inuentionem Mercurio tribuunt. Homerus in Hymno Mercurij:

Ἑρμῆς σοι πρώτιστα χέλυν τεκτήνατ' ἀοιδόν.

Mercurius prior ipſe chelyn facit arte canoram.

Lembus. *A lembi forma*] quæ formam habet lembi, nauiculæ breuis & celerrimæ, cuius inuentionem Cyrenenſibus tribuit Plinius lib. 7. Vide Lazarũ Bayfium, de re nauali.

Halieutica fertur.] Id eſt, piſcatoria, propter ſimilitudinem, quam habet cum ſcapha piſcatoria. Hinc Halieuticũ opus, in quo de piſcibus tractatur: ἁλιεὺς. n. piſcatorem ſonat, & ἁλιεύω, piſcor. Halieuticon opuſculum ſcripſit Ouidius, qđ tamen pleriq; viri docti Lucano tribuũt, Lilius Gregorius in opuſculo de nauigijs ſic ait: Halias eſt nauis maritima, apud Græcos notiſſima, ab ipſo, vt liquet, mari appellata, ſcapha ſcilicet. Sunt qui eandem cum piſcatoria faciant, hoc eſt, ἁλιευτικὸν πλοῖον, certè & à noſtris piſcatoribus dicitur. In hoc genere reponuntur cymbæ, ſcaphæ, horiæ, lenunculi, &c. De Halieuticis quædam habet Plinius, lib. 32. cap. 2. Exiſtimo autem hic fieri alluſionem ex verbo Græco ad Tuſcum, ſiquidem Tuſci illud inſtrumentum vocãt Liuto, veluti à Græco ἁλιεύω, deriuantes. Pignorius iudicat Italos vocare citharam Liuto, non modò à forma, ſed etiam à nomine Lembi, quem Ligures etiã nunc Leudo, ſiue Leuto appellant. Hinc falſus videtur Volaterranus in etymo, qui lib. 35. Philologiæ hæc habet: *Leutũ vocant fortaſſe a leuore, & loco plectri penna percutitur. In quo excelluit Petrus Bonus Ferrarienſis. Pulſatur & digitis, inuento noſtra ætate Stephani Hiſpani aulici Ferdinandi Siciliæ Regis, excellentiſſimi Lyriſtæ.* Antonius etiam Rota Patauinus (vt ſcribit Scardeonius) pulſando Liutum, in Italia, eruditorum iudicio, vix parem habuit.

Halieutici opus. — *Lyriſtæ excellentes.*

Vendicas & propriam, &c.] Vendicet ſibi propriam quãtumuis, inuentionem tamen Græcis debet. Sed tamen Italos id ſibi vendicare ſuſpicor, quòd apud eos lyræ vſus ſit frequens habitus. Non erit incõmodum repetere, quæ de Muſicæ prima inuentione collegit Polydorus Virgil. lib. 1. cap. 15. Quapropter inquit Alciatus: Hoc inſtrumentum, cuius Itali ſunt inuentores (malim perfectores) ad te mitto, & non aliud, quia Itali Principes coeũt in fœdera.

Lyra inuẽtio.

Accipe Dux.] Auſculta, quid hoc ſymbolo velim.

Noſtrum munus.] Monitum, conſilium.

Quo noua, &c.] Hiſtorias Italicorũ bellorũ & fœderũ tibi compares ex Guicciardino, & alijs permultis. P. Iouius lib 15. Hiſtoriarum: Interea Maximilianus Sfortia, quum crebris rumoribus afferretur, maximum in Gallia exercitum comparari, & Regem ipſum belli Ducem, ſuperatis Alpibus in Italiam primo quoq; tempore deſcenſurum, commeatus, arma, equos, tormẽta, atq; omnis generis præſidia ſummo ſtudio parare, pecunias ſingulis vrbibus imperare, munire arces, & Heluetios, cæteroſq; ſocios Principes per legatos obnixè precari, ne ſe in tanto rerum diſcrimine deſerere vellent.

Socius.

Cum ſocijs.] Socius dicitur, qui pari conſilio, ſpe & periculo rem aliquã cum altero aggreditur. Sic Romani ſocios appellabant, quos ita fœdere coniunctos habebant, vt belli & pacis eſſent participes. Sic quoq; inter negotiatores ſocij dicũtur, qui lucri damniq; cõmunionem ineunt. Cic. pro Q. Roſc. Qui ſociũ fallit, in virorum bonorum numero non habendus.

Fœdera inire.] Pacta & fœdera tribus modis

dis

Fœdera tribus modis inita. dis comperimus veteres ſancire cõſueuiſſe: verbis, vt iureiurando: Factis, vt mactatis victimis: manibus, vt his fidem obſtringerent. Vnde tria apud eos erant rupti fœderis crimina:, periurij, aræ violatę, & fractæ fidei.

Difficile eſt, niſi docto, &c.] Immò difficilius eſt imperito Principi tenere imperium, totq; hominum formis moderari. Ideo Perſius. Sat. 4 Neronem increpat. Et Stratonicus citharœdus Regi Ptolemæo pertinacius ſecum de arte canendi diſputanti reſpondit: Ἕτερον ἐςίν, ὦ βασιλεῦ σκῆπτρον, ἕτερον δὲ πλῆκτρον. id eſt: *Alind eſt, ô Rex ſceptrum, aliud plectrum.*

Vnaq; ſi fuerit non bene tenta fides.] Niſi coerceantur improbi & ſcelerati: Id enim omne ἀλληγορικῶς accipiendum.

Fides. Fides autem (inquit Sextus Põpeius lib. 6.) genus citharæ, ſic dictæ, quòd tantum inter ſe chordæ eius, quantum inter homines fides concordet. Virg. 6. Aeneid:

Threïcia fretus cithara, fidibusq; canoris.

Non tamen temere reperias numero ſingulari, niſi apud Poetas, eius diminutiuũ eſt, fidicula.

Ruptaue] Si intereat, aut etiam è medio tollatur aliquis patriæ neceſſarius ciuis. Addam hoc loco illud pro Alciato; video enim eũ poſſe reprehendi, quod ſententiam à fine Pentametri vſq; ad partem ſequentis Hexametri protraxerit in illis verbis:

Vnaq; ſi fuerit non bene tenta fides,

Ruptaue.

Quod idem in primo diſticho fecit, vbi principium primi Hexametri reddendũ eſt principio Hexametri ſequentis intercedente Pentametro.

Excuſatio Autoris. Sed facilè Alciatũ noſtrum excuſare poſſumus, præterquã enim quod hoc apud Græcos ſit frequentiſſimum, Latinorum quoq; teſtimonio defenditur. Ouidius. 1. Faſtor.

Vtq; dies incerta ſacris, ſic tempore certo,
Seminibus iactis eſt vbi fœtus ager,
State coronati plenum ad præſepe iuuenci.

Idem lib. 2. Faſtor.

Forte fuit Nais Lar nomine: prima ſed illi
Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat
Ex vitio poſitum.

Quod idem etiam apud Horatium in ſtrophis Sapphicis obſeruare licet. lib. 1. Carm. Ode 2.

Neue te noſtris vitijs iniquum
Ocyor aura
Tollat.

Idem lib. 2. Ode 16.

Mugiunt vaccæ, tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa; te bis Afro
Murice tincta
Veſtiunt lanæ.

Perit omnis gratia,] Concentus, decorum, ſuauitas, Allegoricè, Reipub. modus & pulchritudo abit in nihilum.

Concha.] Lyræ, teſtudinis. Ex concha enim lyram primus conſtruxit Mercurius, vt refert Lucianus in dialogo Apollinis & Vulcani, ſiquidem cùm teſtudinem mortuam ad ripas Nili inueniſſet, brachia adaptauit, ac iugum induxit, calamos poſtea agglutinans, ac fundo quodã ſubiecto, nouem deinde chordas ſuper calamis, tanquam anſulis intendens, iucundum quid modulatus eſt. *Teſtudo quomodo inuenta.*

Sic Itali proceres.] Principes, primores Italiæ.

Eſt procerum verè procerum corpus habere.

Coeunt in fœdera] Nota ſynonyma. Coire in fœdera, antè, Fœdera inire: Dicitur etiam Ferire fędera. Cicero pro domo ſua: Fœdera feriebantur pecuniarũ. Virg.

——Haud fit mora, Tharcon
Iungit opes, fœduſq; ferit.

Nil eſt quod timeas, ſi tibi cõſtet amor.] Θέσις admodum efficax, planèque ijs neceſſaria, qui ſuum imperium volunt eſſe ſtabile & permanẽs. Sic Iſocr. ad Nicoclẽ: φυλακὴν ἀσφαλεςάτην ἡγοῦ σώματος εἶναι τήν τε τῶν φίλων ἀρετὴν, ϗ τὴν τῶν πολιτῶν εὔνοιαν, ϗ τὴν σαυτοῦ φρόνησιν. διὰ γὰρ τούτων ϗ κτᾶσθαι ϗ διασώζειν τὰς τυραννίδας μάλιςʼ ἄν τις δύναιτο. Et Claudian.

Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Vt tutatur amor,

At ſi aliquid deſciſcat] Diſcordet, deficiat, ſi aliquis factiones concitet, aut ſe deſertorem præbeat.

Vti plerumq; videmus.] Vix enim vlla tam ſancta ſocietas, quæ non habeat ſuum Iudam.

In nihilum ſoluitur] Antea dixerat, *Perit omnis gratia.*

Harmonia.] Fidium concordia & concentus, ab ἁρμόζω, *compto*: Plutarchus in libello de vita Homeri, explanans allegoricè Martis & Veneris adulterium, ſic concludit: Hinc fiet planum,

quod

quod & ab aliis poetis dictum eſt,ex Martis atq; Veneris concubitu natam eſſe Harmoniam, ex contrariis videlicet, graui & acuto, pugnantibus inter ſe proportione debita ſiue apta. De Harmonia vide Natalem Comitem Mythol. lib. 9. cap. 4. Fab. c. 10 lib. 1. Inſtit. Orator. & Macrob. 1. Saturn. cap. 6. Laudatur Iuſtiniano, Nouella conſtit. 8. καλή τε καὶ σύμφωνος τῶν τε ἀρχόντων καὶ τῶν ἀρχομένων ἁρμονία. qua ſoluta ſequitur ἀταξία & perturbatio omnium Reipub. ordinum.

IV. Sed audiamus nunc, quænam documenta lyra nobis cum ſuo concentu præbeat.

1. Inter cęteras huius ſymboli ſignificationes, mihi placet admodum ea, qua ratio, qua mens, qua iudicium, & recti perſpicientia intelligitur. Sic enim pleriq; optimi ſcriptores (inter quos principatũ quendam ſibi ſuo iure Cicero vendicat) concordiam à corde deflectunt: cor enim animus videtur, eò quòd in corde ſit animi principatus: vnde concordes, vecordes, & excordes denominantur. Alii concordiam à chorda deriuari malunt, quòd variæ chordæ cantum vnum faciant. Iam verò quia ſtudiorum conſenſus atq; ſimilitudo amorem pariat, Platoni lyra conſecratur, & annumeratur inter ea, quę sũt amoris monimenta. Cùm enim in ſe lyra ſuauitatem Muſicam contineat, non malè videtur habere quendam cum Venere, Amore, Gratiis ſimilitudinem: quippe quę blando ad ſe homines illicio pertrahat. Cęterùm ea ſedati animi iucunda grataque imago, imò verò laborum, ſtudiorum & perturbationum dulce lenimen, bellè fuit inſtitutis Lacedæmoniorũ expreſſa, apud quos erat ſollenne, vt ad lyræ, aut tibię, vt alii volunt, ſonum aciem inſtruerent: & Achilles non alia ratione furibundum animum ſedabat, quàm lyræ modulis, vt planè mihi Hieroglyphicum iſtud mirabile eſſe videatur.

Cõcordia vnde dicta.

2. Huc lubens conferrem, quę de lyra retulit Stobæus ex Euryphamo Pythagoreo, cap. περὶ εὐδαιμονίας. quo loco humanam vitam cum lyra non inconcinnè confert. Sed ne longior ſim æquo, lectorem ad Pierium ablego, Hieroglyph. lib. 47. qui hac de re abundè ſuppeditat.

Lyra vita humana ſymbolũ.

3. Addo huc, quę Diogenes Pythagoreus diſputat apud eundem Stobæum, cap περὶ βασιλείας, Regis eſſe munus vt Rempubl. lyrę inſtar moderetur: nempe, vbi prius ſibi ipſi imperarit ex pręſcripto legis: quippè qui noſſe debeat populi, quem ſibi commiſſum habeat, harmoniam & concentum, ad eam legem ſibi accommodandam eſſe.

Regũ norma.

4. Diſcant præterea hinc Principes, qua ratione amore potiùs & beneuolentia ſubditos gubernare, quã vi & armis debeant; ſiquidem conſtans pax, indubitata fides, prompta obedientia, non alia claui melius ad harmoniam tenditur, quam amore. Pręclarè Ageſilaus, cum rogaretur cur Sparta non cingeretur mœnibus: ciues armatos, & inter ſe conſentientes, ſatis eſſe ad vrbis pręſidium, reſpondit. Dicebat etiam ciuitatem non ſaxis, aut vallis, ſed incolarum virtute muniri, quos nimirum ſi iungat concordia, nullus poteſt firmior eſſe murus. Ad id reſpexit Cicero 2. Philip. Nonne igitur millies perire eſt melius, quã in ſua ciuitate ſine armorum pręſidio non poſſe viuere? Sed nullum eſt iſtud, mihi crede, pręſidium: charitate & beneuolentia ſeptum oportet eſſe, non armis. Plutarch ἐν πολιτικοῖς παραγγέλμασι, nihil commendatius eſſe viro ciuili ait, quàm vt ſuos ciues amicitia mutua, concordiaque deuinciat, litium & diſcordiarum occaſionem omnem tollat. λείπεται δὴ τῷ πολιτικῷ μόνον ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἔργων, ὃ μηδενὸς ἔλαττόν ἐστι τῶν ἀγαθῶν, ὁμόνοιαν ἐμποιεῖν καὶ φιλίαν πρὸς ἀλλήλους ἀεὶ τοῖς συνοικοῦσιν, ἔριδας δὲ καὶ διχοφροσύνας καὶ δυσμένειαν ἐξαίρειν ἅπασαν, &c. Nec verò aſpernanda vox eſt Agaſiclis, qui rogatus, qua ratione Princeps tutus haberi abſque ſtipatoribus & ſatellitio poſſet: Si ſubditis ita imperaret, vt pater liberis. Quid enim Periandri vel Antigoni pręclara huc reſponſa conferam? Horum enim alter dictitabat, ſumma ope nitendum eſſe iis, qui tutò regnare vellent, vt beneuolentia potiùs quàm armis ſtiparentur: alter, amicis ſuadentibus, vt ſi Athenas caperet, firmis & validis eam pręſidiis muniret, rectiſſimè dixit, nullum imperii firmius & ſtabilius eſſe pręſidium, quàm ciuium beneuolentiam. Idemq; penè Syneſius: εὔνοια μόνη καὶ μάλιστα βασιλέως ἐστὶν ἰσχυρὸν φυλακτήριον. Nec verò mihi temperare poſſum, quin adiiciam iſtuc ex Arato Plutarch.

Optima Principis cuſtodia amor.

ch. Vetam ac ſtabilem ciuium beneuolentiam, optimam eſſe Principis cuſtodiam: *οὐδὲν οἷον ἀληθινὴ καὶ βέβαιος εὔνοια φυλακτήριον ἀνδρὸς ἄρχοντος*. Graſſatores enim & latrones ſeſe tutantur pręcipitiis & rupibus, quantum poſſunt: Regi autem nihil fide & beneuolentia ſuorum firmius aut munitius eſſe vnquam poteſt. Pulcher locus apud Plin. Panegyrico, vbi confert ſecuritatem ſub Traiano cum Domitiani meticuloſo, & impotenti imperio: Quanto (ait) nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, poſtquam eius non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris, ſed ciuium celebritate defenditur? Et quid ergo? diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam principis, ipſius innocentiam. Hęc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum munimento non egere. Fruſtrà ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit: armis enim arma irritantur. Hęc Plinius grauiſſimè, vt ferè omnia. Memineram alioqui ex Volcatio Gallicano in Auidio Caſſio, bonos principes illęſos: contrà iure occiſos tyrannos fermè omnes, tradit Aelian. var. hiſt. Occurrebat illud principis cordati ex Plutarcho, regum Apophthegmatis: deuictis Gręcis, cùm quidam ipſi conſulerēt, vt pręſidiis vrbes contineret: *Malim*, inquit, *diu benignus, quàm breui tempore dominus appellari*. id eſt, *μᾶλλον πολὺν χρόνον ἐθέλειν χρυσός, ἢ δεσπότης ὀλίγον καλεῖσθαι*. Sed hęc pluſquam ſatis.

Silentium.

EMBLEMA XI.



CVM tacet, haud quicquam differt ſapientibus amens:
Stultitiæ eſt index linguaq; voxq; ſua.

E *Ergo*

Ergo premat labias, digitoq́; ſilentia ſignet,
Et ſeſe Pharium vertat in Harpocratem.

COMMENTARII.

I. SEDEAT grauis vir, habitu Philoſophico indutus, inter mutos ſuos magiſtros libros, qui indice digito ſilentium ſignando, labia comprimat, non ad nares porrigat, vt in hac figura apparet.

II. *Lingua vſus.* BOLVM carnis intra fauces claudimus ſpongioſum, flexibilem, ſaliuæ & ſputi receptaculum, qui aeris reciproci alliſu, vallo dentium, & camera oris, ac fornice illo concauo obſeptus, vocem ſtringit in articulos & format verba, vnde plectri nomē, & linguæ, à lingendo inditum, quia lingit, lambit, ſorbet, & in fractione naturæ molam adiuuat, attenuando cibo & deglutiendo. Exigua portio & fruſtillum corporis, ſed cuius functio ſanè multiplex & varia. *Lingua animi index.* Quicquid concipit animus aut effingit, hoc interprete manifeſtat & eloquitur: ſi rabies ibi occulta, aut ſpuma bilis circum præcordia bulliens, hoc præcone detegitur, & cum aſperitate quadam verborum emicat: ſi vrentis laſciuiæ ſuſcitentur illic carbones, & flagrare incipiant, per os egeruntur ſermonis indicio, qui refertus amatoria leuitate, mollis, effœminatus libidinem ſpirans. Quem chartæ pictæ oblectant & verſicolores, alueus, fritillus, teſſera, lucta, palæſtra, chorea, venatio, aucupium, luſtrum, popina, culina, & talium aliquid, in ore habet frequenter, & teſtimonio linguæ prodit morſum animi. Cui deuotio & pietas cordi, producit in colloquium diuina tantum, & quæ cęlum aut ſublimia ſapiunt, non ludicra, non ſcurrilia, aut vanitate aliqua commixta. Diſtingui hominem à cæteris animantibus ratione & oratione nouimus: in ea velut in modulo ſpecies imprimuntur rerum, per hanc ſe diffundunt & communicant: illa matrix eſt imprægnata & grauida conceptis formis, hæc velut obſtetrix, quæ parturienti ſuccurrit, & fœtum liberat. Suffocatur in vtero rationis partus, niſi aperiat clauſtra, & educat aut ſoluat oratio. Si vitium in prole aut defectus, talis editur vtiq; deformis ſcilicet & monſtroſus; impura enim cogitatio & flagitioſa plerumque in vocem erumpit ſimilem. In cauernis terræ bituminatis aut nitroſis collecta aqua, non alio ſapore per ſiphunculos aut tubos ſalit: nec cor malum, niſi mala & inquinata ſordibus eructat. Si vappa in cado vinario aut corruptus liquor, per epiſtomium certè generoſus, & qui Falerni aut Chii virtutem referat, elici nunquam poterit: qui ſentina ſcatet fœdiſſimorum affectuum, qui aſpides nutrit & bufones in pectore, quomodo virtutum roſas aut lilia per orificium cordis progerminet, vel apiculas pariat, aut bombyces? Vix cōtinget. Quemadmodum lepra tactus contagium ſpirat, & halitu inficit, ita voluntas praua, aut affectus per aculeum linguæ: ſcorpionis ictus non ſic noxius aut viperæ: venenum eſt quidem ſub labijs, ſed per canalem gutturis ex radice vitæ, vbi primùm emergit. Index igitur mentis lingua, quę ſi fræno regitur, ſanam demonſtrat; ęgrā, ſi effrænis & volubilis. Inuadere alios mordicus rabido cani ſimilem, quæ tandem nota eſt pacati animi? *Lingua abuſus.* Diſſidiorum ſemina & cauſas belli ſpargere, fuliginem candori nominis oblinere, & inducere nubeculam lucenti famæ, effutire in vulgus quæ ſecreto commiſſa, ſuperaddere auctarium creſcenti mendacio, diſſimulare veritatem & fucare, comminiſci, fingere, dilatare quæ nuſquam & nunquam, vouere diris exⱦcrationibus ferire, allatrare cœli ter ſanctum illud & adorandum Numen, periurijs aſſueſcere, conteſtari falſa, deteſtari contraria, nonnè cloacam Auerni ſpirat talis mens, & Acheronteos puteos, & manifeſtat ſe indice lingua? quæ mordet, pungit, murmurat, gannit, vlulat, grunnit, ſtridet, ſtrepit, ſibilat, tonat, fulminat, tollit, deijcit, colligit, diſſipat, vulnerat, ſanat, quādo libet, aut quoties interior vis, aut motus dictat. Miraculi loco eſt, qui parcus in his, nec dictamen audit, aut vim ſequitur, cohibito hoc naturæ plectro, & vincto ad imperium reginæ Prudentiæ, cuius iuſſu ſe moueat aut coerceat. Lubricitate ſeducimur interdum & agili flexu membri huius, elabitur enim vt anguilla ſolet aut murænula, capta etiam & compreſſa, è medijs digitis, & nocet priuſquam animaduertat ratio: iaculum antevolat celeritate,

nec

nec impetus eius niſi ex vulnere iam facto cognoſcitur: intercipi nequit dum in curſu eſt, & ab arcu mentis iam excuſſa: O ſtragem ſpiculi, quā improuiſa es atq; Euris citatior? Conſultum ſit vel hoc Emblemate, ſti pare arctius & munire vallo, quod natura ipſa circumdedit prouida periculi: quid illo firmius arcendo hoſti aut frangendo, ſi allidit ad hūc murum oſſeum & retunditur? Præiuit ſapiens olim Harpocrates: imitemur, compeſcamus labra, & opponamus digitum nec reducamus niſi ad laudes Creatoris & proximi commoda. Nam ſilentium autoritatis tantum & ornamenti obtinet, vt homini etiam imperito & indocto prudentiæ opinionem conciliet, ſi garrulitatis vitium nouerit comprimere. Id expreſſit hic Alciatus ἐκ τῦ παλλαδᾶ, 1. Anthologiæ Græcorum Epigrammatum: — *Frenãda.* — *Fons Emblematis.*

πᾶς τις ἀπαίδευτος φρονιμώτατος ἐςὶ
σιωπῶν,
Τὸν λόγον ἐγκρύπτων ὡς πάθος αἰσχρότατον.

Dũ tacet indoctus, poterit cordatus haberi:
Is morbos animi namq; tacendo tegit.

Sic vertit Sanctius:

Cũ tacet indoctus, poterit conſultus haberi:
Si celet verbum turpe velut vitium.

Extat & alterum eiuſdem Palladæ:

Ἡ μεγάλη παίδευσις ἐν ἀνθρώποισι,
σιωπὴ.
Μάρτυρα Πυθαγόραν τὸν σοφὸν αὐτὸν ἔχω.
Ὃς λαλέειν εἰδὼς ἑτέρους ἐδίδασκε σιωπᾶν.
φάρμακον ἡσυχίης ἐγκρατὲς εὑράμενος.

Quod Thomas Morus ſic vertit:

Rebus in humanis magna eſt doctrina tacere.
Teſtis erit ſapiens hic mihi Pythagoras.
Nẽpe loqui doctus reliquos docet ille tacere,
Magnum hoc ad requiem pharmacon inueniens.

Hoc etiam confirmant Hebræorum proverbia: *Stultus*, inquit Salomon, *ſi tacuerit, ſapiens reputabitur; & ſi compreſſerit labia ſua, intelligens.* Sed de ſilentio mox latiùs.

III. *CVM tacet, &c.*] Nullum videtur inter ſapientem doctumue, & inſipientem vel indoctum diſcrimen, ſi vterq; tacuerit.

Amens. *Amens*] ἄνους, qui mente eſt mutata, vel qui à mente deſcendit. Varro. Hic pro ſtulto, vel qui non malè Abderologus dici poteſt, id eſt, ſtulta loquens, quiq; nihil niſi nęnias nugaſq; meras effutiat. Vide prouerb. *Abderitica mens.* & Cœl. Rhodig. lib. 30 c. 4.

Stultitia eſt index &c.] Stultitiæ argumentum manifeſtiſſimum eſt lingua effrænata; interpres eſt enim mentis & conſilij. Seneca ad Serenum, cap. 11. Vt quiſq; contemptiſſimus, & vt maximè ludibrio eſt, ita ſolutiſſimæ linguæ eſt. Nam vt corpore tenues, veſte ſe dilatant: ſic qui ingenij aut ſapientię inopes, diffundunt ſe in verbis. Lipſius in notis ad Politic. Quid viſurus ſim, neſcio; ſed verboſos valde, & vna ſapientes, nondum ego vidi.

Ergo premat] Tacendi artem modumque teneat. Apparet ad id Iuuenalis Satyr. 10. alluſiſſe:

——digito compeſce labellum.

Labias] Plutarchus 8. Sympoſiacon, problem. 6. Labra, quod ijs cibus capiatur, appellationem ſortita eſſe vult i. λαμβάνειν τὴν βορὰν. Sed id fortè nihil ad rem, vt pluribus diſputare, an labia, vel labias ſit legendum, neque enim me mouet Gellius & Apuleius, qui labias vſurpant in voce fęminina. Gellius quidem lib. 10. Noctium, c. 4. bis vſurpauit labias in fęminino. Et Macrob. 2. Saturn. c. 2. citat quoſdam verſiculos, in quibus eſt *Cucurrit ad labias mihi.* Sanè Apuleius lib. 2. De aſino aureo: Ecce, inquit, naſus integer, incolumes oculi, ſaluæ aures, illibatæ labiæ, mentum ſolidum. Idem lib. 3. dixit, *labias pendulas.* Lib. 10. Contorta in modum linguæ extrema labia grandiſſimum calicem vno hauſtu perhauſit: hic enim *labia extrema*, eſt ſextus caſus. Eodem: Labias modicas ambroſio rore purpurantes ſuauiari. Plautus in Sticho: — *Labra vnde dicta.*

Age tibicen, quando bibiſti, refer ad labias tibias.

At quid opus pluribus? Certè labias, & labia citra differentiam veteres dicebant: quanquam Donatus ad Eunuchum diſtinxerit, non aptè profecto, vt labra, ſuperiora; labia, inferiora ſint; & virorum labra, mulierum labia, & labias aſinorum: quod an verum vnquam fuerit, cæteris relinquo diuinandum. — *Labia & Labias.*

Digitoq; ſilentia ſignet.] Alludit ad illud Ouid. ex Metam. 1x.

Quiq; premit vocẽ, digitoq; ſilentia ſuadet.

Martianus Capella lib. 1. Verum quidam redimitus puer ad os compreſſo digito ſalutari, ſilentium componebat. Et Apuleius lib. 1. De aſin. aur. At ille digitum à pollice proximum ori ſuo admouens, & in ſtuporem attonitus: Tace, tace, inquit, &c. Reſpexit autem ad id, quod de ſimulachro

Serapidi præpoſitus Harpocrates.

Serapidis auctores referunt, cui præpoſitus erat ſilentij Deus Harpocrates, digito labia comprimens, aut Angerona ore ſera obſignato. D. Auguſt. De ciuit. 18. cap. 5. Plin. lib. 3. c. 5. Macrob. 1. Sat. cap. 10. Gyrald. Syntagm. 1. Huc quoq; ſpectat illud Græcum Epigramma 1. Antholog. quod monet indecentium verborum linguę ſigillum eſſe imponendum: meliorem namq; eſſe verborum, quàm poſſeſſionum cuſtodiam Id autem eſt huiuſmodi:

Ἀῤῥήτων ἐπέων γλώσσῃ σφρηγὶς ἐπικείσθω.
Κρείσσων γὰρ μύθων, ἢ κτεάνων φυλακή. id eſt:

In verbis linguæ imponantur claustra tacendis;
Præſtat enim linguã, quàm moderere opes.

Pharium] id eſt, Ægyptium: ſumpta

Pharos.

denominatione ab inſula Ægypti Pharo, prope Alexandriam, in qua ille natus creditur. Plin. lib. 5. & 13. cap. 11. Homer. 4. Odyſſ. In ea turris eſt ingens, in cuius ſummitate ignis fieri ſolebat, qui nauigantibus de nocte præluceret: ab huius ſimilitudine

Phari, quid.

cæteræ quoque ſpeculæ in ſimilem vſum conſtructæ, Phari appellatæ ſunt.

Vertat in Harpocratem.] Apud Catul-

Reddere, & facere Harpocratẽ, quid.

lum reperitur formula hæc loquendi prouerbialis: *Patruum reddidit Harpocratem:* pro eo, quod eſt, imponere ſilentium. Idẽque dixit: *Et factum me eſſe puta Harpocratem:* id eſt, omnino taciturnum & ſilẽtem.

Harpocrates.

Harpocrates Deus Ægyptiorum, ſilentij præſes, cuius ſimulacrum in ſacris Iſidis & Oſiridis, vel Serapidis fuit poſitum, digito ori admoto comprimens labia, vt ſilẽtij omnes admoneret. Verba Plutarchi ſunt ex diſputatione de Iſide & Oſiride: τὸν ἁρποκράτην οὔτε θεὸν ἀτελῆ καὶ νήπιον, οὔτε χεδροπῶν τινὰ νομιστέον, ἀλλὰ τοῦ περὶ θεῶν ἐν ἀνθρώποις λόγου νεαροῦ καὶ ἀτελοῦς καὶ ἀδιαρθρώτου προστάτην καὶ σωφρονιστήν, διὸ τῷ στόματι τὸν δάκτυλον ἔχει προσκείμενον, ἐχεμυθίας καὶ σιωπῆς σύμβολον· ἐν τῷ μεσορὴ μηνὶ τῶν χεδροπῶν ἐπιφέροντες λέγουσιν· γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων. i. *Harpocrates non eſt habendus Deus imperfectus, aut etiam infans, vel certè qui leguminibus præficiatur, ſed præſes atq; cenſor aliquis noua, imperfectæ & incompoſita hominum de Dijs ſententia. Itaq; & digitum ori admotum habet, quod ſignum præ ſe fert taciturnitatis & ſilentij: proinde qui menſe Meſore offerunt ei legumina, dicere ſolent: Lingua fortuna, lingua genius.* Idem dictus eſt & Sigalion, à ver-

Sigalion.

bo σιγᾶν, quod ſignificat *tacere*: Vnde Auſonius ad Paulinum:

Tu velut Oebalijs habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.

Vide adagium, *Reddidit Harpocratem.* Politian. in Miſc. c. 83. & alios. Hęc hactenus, ſed nondum ſatis ſi ſtudioſorum deſiderio volumus obſecundare. Addamus itaq; nonnulla licet. Harpocratis ſigillum in an-

Harpocratis ſigillum in annulis.

nulis ſolitum geſtari à quibuſdam ex veteribus, teſtes ſunt longè multi, ſummque auctorem laudant Plinium: in cauſa autem fuiſſe putant, vti ſilentij fides indicaretur. Qua ratione Alexandrum Magnum exiſtimo cùm epiſtolam quãdam matris Olympiadis, conuitijs plenam aduerſus Antipatri nomen, vnà cum Hephæſtione legeret, tractum è digito annulum, ori illius appreſſit, tacitè quidem & amicè, ſed reipſa tamen ſilentium imperans. Quod mihi vltrò reuocat in memoriam Titi Liuij imaginem à Patauinis ſupra Prætorij fores poſitam: habet enim ori appreſſum digitum, cuius geſtus cauſas multi multas afferũt, ſed qui ex alijs doctiores videri poſſunt, conijciunt id ea cõfictum ratione, quòd is ſcribendo adeò multa ſit cõplexus, vt ſcriptoribus alijs ſilentium videatur indixiſſe. Sed id ego quidem malim ad ſingularem hominis tum ſapientiam, tum modeſtiam conuertere, vt qui multa ſcribendo, longè plura in hominum animos cogitanda infuderit, deque Romana origine ea non minùs prudenter, quàm ſcitè & verecundè tradiderit, quæ ſine fabularum permiſſione dici nequaquam poterant: vel quæ ſi litterarum monimentis credita extitiſſent, non parum de dignitate & admiratione huius imperij, deque nomine populi rerum domini detraxiſſent. Attigimus non-

Angerona.

nulla de Angerona, cuius effigies ore fuit obſignato apud Romanos, vt ſilendum innueret, in cuius tutela vrbs eſſet, quòdque

illi

illi proprium nomen: ea nimirum ſuperſtitione capti, ne Dij tutelares ſacris quibuſdam auocarentur. Et ea certè cauſa necatum Valerium Soranũ legimus, quòd arcanum iſtud fuiſſet propalare auſus. Nullus enim eſt in litteris adeò mediocriter verſatus, quin ſciat ex veterum ſcriptis, Romanæ vrbis duo fuiſſe nomina, vnum apertum & vulgare Roma, à ῥώμη, puella Troiana; vel à fortitudine; aut etiam à Romo, quem Romulum poſtea dixerunt: Alterum verò ignotum, ſacris abditum, vel pauciſſimis cognitum, id nomen fuiſſe Anthuſam didici. Plinius ſic libro 3. capite 5. Cuius nomen alterum dicere arcanis cæremoniarum nefas habebatur. Iam verò quia Romani eſſent ſilentij tenaciſſimi, vtebantur prima huius verbi littera S, quę tricliniorum foribus ſuperponi erat ſolita, nimirum vt conuiuis ſilentium indiceretur, & ne fidos inter amicos eſſet, qui dicta foras eliminaret, vt Flaccus ad Torquatum cauet. Et hodie quoq; mos obtinuit, vt indice labijs oppoſito literam S, pronunciando, ſeu potiùs ſibilando, ſilentium indicamus.

Romæ vrbis nomina duo, immò verò tria. Politian. 1. Epiſt. 2. de origine ciuit. Florentinæ.

IV. Docemvr, quanta linguæ adhibenda ſit cuſtodia, ſiquidem ferè nihil diſtinguatur imperitus à docto, à circumſpecto prudentique homine imprudens, ſi linguam cohibuerit. Diuinus ille Plato interrogatus, per quid cognoſcerentur homines? reſpondit, homines & vaſa figulina ſimili modo probari, hæc quidem ex ſono, illos verò ex ſermone facile cognoſci. Eam ob rem facile eſt conijcere, cur quos Homerus, ingeniorum vertex, ſapientiſſimos effinxerit, eoſdem & ſilentes ferè, aut certè pauciloquos eſſe voluerit. Nonerat enim ſilẽtium, & parcum ſobriumque orationis vſum, ſpecimen habere grauitatis: contraq; apud ſapientes maximè, loquacitatem indicem eſſe ſtultitiæ. Neq; enim alio nomine Therſitem morionem vituperatione dignum arguit, quàm quòd loquax eſſet, quàm quòd obſtreperus, importunè garrulus & ſeditioſus. Is enim non propriè loquitur, non verba facit, vt alij, ſed tumultuatur: Θερσίτης μοῦνος ἀμετροεπὴς ἐκολῴα. Neſtori conſultiſſimo ſeni tribuit orationem melle dulcius ab ore fluentem: τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. Menelao argutam illam quidem, & nũquam à re diſcedentem breuiloquentiam: παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Prudẽtes pauciloq.

Therſites Homericus.

Neſtor eloquens.

Menelai oratio concinna.

Vlyſſi grandem & vehementem, ſed diu tamen cogitabundum facit, antequàm loqui incipiat. Rectiſſimè dictum eſt à quodam ex veteribus, loquendi magiſtros nos habere homines, tacendi verò Deos. Proinde laudatur ἐχεμυθία Pythagorica, & Spartanus ille Lycurgus, qui ſuos à pueris ſilentio initiari voluit. Notum eſt adagium Græcorum. *Tutum ſilentij præmium:* & illud Simonidis, Locutum fuiſſe pœnituit, tacuiſſe verò nunquam: quod alij Xenocrati tribuunt. Nec enim omnes ea præditi ſunt virtute, qua Cato, quem Cicero dicit, nullum vnquam emiſiſſe verbum, quod emiſſum doleret. Succurrit Zeuxidis pictoris ad Principem Megabizũ ſermo. Is enim Princeps cum, animi cauſa, in pictoris officinam deſcendiſſet, & vnà cum ſuis de arte pingendi diſputare ad oſtentationem auderet: Cùm primùm huc veniſti (inquit Zeuxis) & linguam continuiſti, pueri mei neſcio quid de te magni ſibi pollicebantur, quippè qui tuum cultum, tuamq; purpuram obſeruarent: ſed vbi de arte, quam non tenes, loqui cœpiſti, te continuò vt ridiculũ hominem eſſe putarunt. Quidam captiuus cùm duceretur ad Antiochum regem, qui hominem comitabantur, iubebant eſſe præſenti animo, experturum fortaſſe regis clementiam, vbi ad eius oculos perueniſſet: Nulla ergo mihi ſpes, inquit: alludens ad luſcum regẽ, qui iocus intempeſtiuè iactus homini fuit exitioſus. Meritò apud Pindarum celebratur Thebanus Epaminõdas, qui quam quam multa ſciret, pauca tamen loquebatur. Et certè frequenter vſuuenit, vt qui plus habeant pectoris, vt ita dicam, id eſt, in quibus & eruditio & prudentia maior, ij minus habeant linguæ. Demaratus cùm in conſeſſu quodam ſileret, rogatus an id faceret ſtultitia, an ſermonis inopia? Atqui, inquit, ſtultus nunquam tacere poteſt. Non poſſum tranſire abſque piaculo auream Zenonis vocem, qui Athenis exceptus à quodam Principe, vnà cum regijs oratoribus (quod ille ſciret eos eruditis ſermonibus oblectari, curauit & quoſdam Philoſophos arceſſere) ſolus nihil dicebat. Itaq; comiter à legatis appellatus: De te verò, Zeno (inquiunt illi) quidnam ſumus noſtro Principi renunciaturi? Nihil

Vlyſſis oratio vehemens.

Megabizus reprehenſus à Zeuxide.

Iocus intẽpeſtiuus.

Laus Epaminondæ.

Demaratus.

Zeno ſenex inter pocula taciturnus.

hil, inquit, aliud, quàm Athenis eſſe ſenẽ, qui tacere ſciat inter pocula. Quod non ſimpliciter dignum laude habitũ eſt: magnum enim eſt ſenem taciturnum eſſe; cùm ea ætas ſit admodum garrula: fortaſſe maius, quod inter pocula, vbi non vno nomine ad loquendum homines prouocãtur: denique quòd Athenis, vrbe omniũ loquaciſſima. Itaque olim dictum eſt in neſcio quem, qui quamdiu ſiluit, tamdiu magnus & grauis habitus eſt: Philoſophus hic videri poterat, ſi tacuiſſet. Pindarus Iſthmiorũ 1. in Herodoti Thebani encomio, dicit: ἦ μὰν πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον, εὐθυμίαν μείζω φέρει. *Atq; ſæpenumero tacuiſſe non parum gratiæ attulit.* Idem in Nem. Od. 5. καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπων νοῆσαι. *Sæpenumero ſilere noviſſe homini ſapientiſſimum eſt.* Ad eundem omninò ſenſum occurrit ex Plutarcho id, in quo gloriatur vel in primis Ino Euripidea, nimirùm ſe ſcire σιγᾶν τε ὅπου δεῖ, καὶ λέγειν ἵν' ἀσφαλές. Vide Eccleſiaſtes 3. *Tempus,* inquit, *eſt tacendi, tempus item loquendi:* Prius dixit, *tacendi*; quia veritas prius tacendo diſcitur, & poſtea loquendo prædicatur. Plus enim quam ridiculum eſt, id docere velle, quod nondum didiceris. A quo vitio diligenter dehortans Salomõ: *Si eſt tibi intellectus,* inquit, *reſponde proximo: ſin minus autem, ſit manus ſuper os tuũ, ne capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris.* Eccleſ. 5. Igitur

Sic linguam frana recta rationis habena,
Ne te confundat ſi verba ſuperflua fundat.

Digna profectò ſunt, vt animis noſtris perpetuò inſcribantur illa Philoſophorum præcepta, quibus monemur, vt veloces quidem ad audiendum ſimus & accurati, ſic ad videndum quoq; ad credendum verò tardi, ad iudicandum tardiores etiam, ad loquendum verò tardiſſimi. Quia enim, vt Poeta nobilis dicebat, verba alata ſunt & volantia, nulla vtiq; arte reuocari ea poterunt. Non deſinam, priùs, quàm huc retulero pulcrum certè Pythagoræ Samij elogium, quod ſcriptum reliquit Apuleius 2. Floridorum, quandoquidem de ſilentij laude mihi verba facienti occurrat, quod aliquis ex veteribus longè ante dixerat, nullos certè fore ſapientiæ fructus, niſi qui à radicibus ſilentii proficiſcantur. Sic igitur hic noſter Apul. Tot ille doctoribus eruditus (Pythagoram intellige ab Ægyptiis, Chaldæis, Pherecide Syro, Anaximandro Mileſio, Epimenide Cretenſi, aliiſque multis edoctum) tot tamque multiiugis comiribus diſciplinarum toto orbe hauſtis, vir præſertim ingenio ingenti, ac profecto ſupra captum hominis animi auguſtior, primus philoſophiæ nuncupator & creditor, nihil prius diſcipulos ſuos docuit quàm tacere: primaq; apud eum meditatio ſapienti futuro linguam omnem coercere: verbaque, quæ volantia poetæ appellant, ea verba detractis pinnis, intra murũ candentium dentium premere. Prorſus, inquam, hoc erat primum ſapientiæ rudimentum, meditari condiſcere: loquitari dediſcere: &c. Idem fuit Iamblici Pythagorei præceptum, γλώσσης πρὸ τῶν ἄλλων κράτει, θεοῖς ἑπόμενος: *linguam cohibe præ alijs omnibus, ad Deorum exemplum.* Idem ſentit Heſiodus lib. 2. ἔργ.

Verba alata.

Pythagoricum ſilentium.

ἔπεα πτερόεντα. ἕρκος ὀδόντων.

Γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἄριστος
φειδωλῆς, πλείστη δὲ χάρις κατὰ μέτρον ἰούσης.
εἰ δὲ κακὸν εἴποις, τάχα καὶ αὐτὸς μεῖζον ἀκούσης.

Lingua bonum eximium eſt homini, ſi pauca loquatur,
Siq; modum conſeruet, ineſt tunc magna venuſtas.
Si probris laceres, laceraberis illico peius.

Idem: *Parca lingua maximus theſaurus.* Cuius ſententiam eleganter quidam expreſſit:

Optimus eſt hominum lingua theſaurus, & ingens
Gratia, quæ parcis meſurat ſingula verbis.

Zeno Citticus cùm vidiſſet adoleſcentem multa garrientem: Aures, inquit, tuæ in linguam defluxere: ſubmonens adoleſcentis eſſe multa audire, loqui pauca. Idem dicebat ob id binas habemus aures, os vnicum, vt plura audiamus, loquamur pauciſſima. Id quod Muretus ſic reddidit:

Vt nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam vnam, natura duas dedit omnibus aures.

Sed ad id argumentum copioſè locupletandum, conſultò repete quæ habet doctiſſimè congeſta Plutarch. commentario De garrulitate, & tractatu de Iſide & Oſiride: quo loco docet, quid olim Harpocrates

tes apud Aegyptios myſterij habuerit. De ſilentij vtilitate præterea vide Gelliũ lib. 11. cap. 10. Plin. 3. cap. 5. & 28. cap. 6. Prouerbium, *Tutum ſilentij præmium*. Ac ne de ſilentio ipſo nimis verboſus ſim, iã iam ſilebo, vbi priùs hoc vnum imprimã, ſemper eſſe tacendum, niſi cum taciturnitas nocet: ipſo Salomone docente, Prouerb. 21. *Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuã, cuſtodit ab anguſtijs animam ſuam.* Et

Proximus ille Deo, qui ſcit ratione tacere.

Non vulganda conſilia.

EMBLEMA XII.



LIMINE quod cæco, obſcura & caligine monſtrum
Gnoſiacis clauſit Dædalus in latebris,
Depictum Romana phalanx in prælia geſtat,
Semiuiroq; nitent ſigna ſuperba boue:
Noſq; monent, debere Ducum ſecreta latere
Conſilia: auctori cognita techna nocet.

COMMENTARII.

1. DEPINGITVR ſignum militare Romanorum, aquila ſcilicet, laureata, expanſis alis, volanti ſimilis, in ſacello quodam ſeu tabernaculo collocata, haſtęque impoſita, cuius ima pars præpilata eſt, & terræ infixa. In ædicula autem illa,

 imago

imago eſt Minotauri, bouis nimirum humana facie, promiſſa barba præditi. Hanc elegantem picturam Dn. Pignorio debemus, in cæteris enim editionibus omnibus, pro Minotauro Centaurus videtur expreſſus, & in ea vexilli ſpecie, quam veteres nuſquam agnouiſſe teſtatur. Porrò qui de imagine Minotauri plura volunt, ablegantur ad Dialogos A. Auguſtini Archiepiſcopi Tarraconenſis, qui Alciatum præceptorem ita proximè premit, vt non ſecundus, ſed alter ab illo ſit. An verò in eadem ædicula cum aquila effigiebantur cætera ſigna priſcis vſitata, vt Lupi, Minotauri, Equi, Apri, dubium me reddit locus Plinij, quem habet lib. 10. cap. 4. vbi aliquando aquilam ſolam exercitum comitatam, relictis in caſtris cæteris ſignis, lego. Sed hæc παρέργως. Hæc Minotauri imago reuocat mihi in memoriam nummum quẽdam, quem mihi aliquando Bolzani oſtendit Generoſus Dn. Marcus Sitticus Baro à VVolckenſtein &c qui inter cæteros aureos, argenteos, æreos nummos (quorum ille antiquitatis amore, tantum congeſſit numerum, vt iuſtum iumenti onus exæquare poſſit) protulit quendã, cuius ignotum metallum, colore enim cuprum æmulatur, ſed duricie etiam marmor vincere videtur: in hoc effigies apparet ſemiequi, pedibus ſolum anterioribus, collo iubato, auriculis equinis, & facie humana, vti hic in Minotauro videre eſt; litteras in circumferentia vetuſtas exedit. Quænam hæc ſit figura, ego anceps, lubens alios audiam. Quoad epigraphen, hanc generaliorem cenſet Sanctius, quàm pro Emblematis ſenſu: Nam dicẽdum fuerat, *Non vulganda conſilia ducum.* Sed nodum in ſcirpo.

II. *Fons Emblematis.* DESVMPTVM videtur hoc Emblema ex lib. 11. Sexti Pompei Feſti, dictione *Minotaurus*, cuius hæc ſunt verba: Minotauri effigies inter ſigna militaria eſt, quoniam non minus occulta eſſe debent conſilia ducum, quàm fuit domicilium eius, labyrinthus. Minotaurus putatur eſſe genitus, cùm Paſiphae Minois regis vxor dicitur concubuiſſe cum Tauro. Sed affirmant alii Taurum fuiſſe nomen adulteri. Idem & ex Vegetio 3. de re militari, cap. 6 haberi poteſt: Tutiſſimum, inquit ille, in expeditionibus creditur facienda neſciri. Ob hoc veteres Minotauri ſignum in legionibus habuerunt: vt quemadmodum ille in intimo & ſecretiſſimo labyrintho abditus perhibetur: ita ducis cõſilium ſemper eſſet occultum. Hæc ille. Hinc ſapiens Imperator Q. Cæcilius Metellus Macedonicus, percunctantibus Tribunis, quonam exercitum huc illuc agitaret? Si putarem, inquit, tunicam meam meorum conſiliorum eſſe conſciam, eam actutum exuerem, combureremq; Quod argutũ reſponſum extollitur etiam à Crinito lib. 19. cap. 7. Et Antigonus Macedonum Rex Philippo filio multis præſentibus interroganti, ac dicenti: Quando caſtra mouebimus? Nihil aliud reſpondit, quàm, Num metuis, ne ſolus tubam non audias? Notans adoleſcentis imperitiam, qui de hoc patrem multis audientibus percontaretur, cum in bello maximè celanda ſint conſilia principum. Hæc quidem bellè dici putat Lipſius, ſed vnde ruſticulis illis Romanis Minotaurus, & fabella hæc innotuerit, dubitat. *Lipſij coniectura.* Vnde vereor, ne non Minotaurus, ſed Taurus fuerit, robuſtum ac ferox animal, atq; aptum pugnæ, & bellicoſis viris maximè congruum, propter ingenium dimicationem amplectens, ſparſa ſiquidem in altum arena, eoq; ſtimulo ardeſcens de imperio certat, cornibus in procinctu manentibus dum aduerſarius accinctus duello, vt explicat Simon Forcatulus lib. 6. de Gallor imp. & Philoſ. De ſignis militaribus pulchra habes apud Robertum Valturium de re militari lib. 10. Ioan. Antonium Valtrinum. lib. 3. cap. 9. de re militari Romanorum, & apud Guidonem Pancirollum, eiuſq; doctiſſimum ſcholiaſten, & alios.

III. *LIMINE quod cæco &c.*] Deſcriptio periphraſtica labyrinthi, in quo recluſus fuit Minotaurus. Eſt autem labyrinthus Iſidoro lib. 15. c. 2. perplexum parietibus ædificium. *Labyrinthus.* Ouidio multiplex domus, cæca tecta, & limina flexu ducta

——*in errorem variarum ambage viarũ.*

Virgilio,

Labor ille domus, & inextricabilis error.

Horum quatuor celebrantur ita conſtructi, vt diſſoluere eos nec vlla quidem ſæcula poſſint. Primus Ægyptius, in cuius medio pro numero præfecturarum 37. erant aulæ, in quibus Ægypti præfecti ſepeliebantur. *Ægyptius.* Viæ erant longæ, tortuoſæ, & ſubterraneæ, quæ ad domos illas perfoſſis cuniculis ducebant: cæterum adeo intri-

catæ,

catæ, vt qui has ingreſſus eſſet, inexplicabili errore duceretur, & exitum inuenire nequiret. Ideoq; labyrinthum appellabāt. Portam habebat ex Pario marmore candidiſſimo. Feſſus iam eundo cum quis ad viarum finem perueniſſet, deferebatur ad porticum columnis de Porphyrite lapide conſpicuam, quæ nonagenis gradibus aſcendebatur. Inde perueniebatur in aulam ſiue cænaculum marmoreum, pulcherrimis ſimulacris & ſtatuis ornatum: ſed & viç ſeu meatus illi erant marmorei, aut lapide polito fornicibus tecti, quędam etiam fores adapertæ eiuſmodi edebant ſonum, ac ſi tonitru intus terribile exiſteret. Contigua huic labyrintho erat pyramis ampla, latitudine quaqua verſum quatuor iugera ſoli obtinens, altitudine octo: in qua Rex ille, qui labyrinthum iſtum fecerat, erat ſepultus. Hinc vtiq; ſumpſit Dędalus exemplar alterius labyrinthi, quem fecit in Creta, ſed centeſimam tantùm portionē eius imitatus, vt Herodotus, Plinius, & alij tradidere. Tertius fuit in Lemno. Quartum Porſena Hetruriç Rex ſepulchri cauſa ſibi fecit, Gallica magnificentia externorum Regum vanitatem longè ſuperante. Moles fuit ſub vrbe Cluſio, lapide quadrato, è quo ſine lini glomere exitus non dabatur. Pyramidum in eo ſitarum altitudinem M. Varronem puduit adijcere, faſtigiatum opus aliàs deſcribentem, & in ſummo orbem æneū, ex quo excepta cathenulis tintinnabula vento agitata longè ſonitus referebant. De labyrinthis plura vide apud Plin. lib. 10. c. 4. & lib. 36. cap. 13 Iſidorum lib 15. cap. 2. Chaſſaneum in catalogo gloriæ mundi, part. 12. conſid. 75. Pomp. Melam lib. de ſitu orb. 1. c. 9.

Creticus. *In Lēno.* *Italicus.*

Minotaurus. *Monſtrum*] Minotaurum intellige, qui fuit filius Paſiphaes, filiæ Solis, vxoris Minois regis Cretenſis. Ea ſiquidem in nefandum amorem tauri delapſa fuit, adeoque exarſit, vt pateretur ſe includi ligneæ vaccæ, quo tauro illo potiretur. Ex quo concepit, & genuit horribile monſtrum, formam habens partim hominis, partim tauri, Veneris monimenta nefandæ. Minos autem Rex volens monſtrum illud Minotauri ex oculis hominum occultare, Dædalū iuſſit labyrinthum extruere, ædificium obſcurum, & inextricabilibus erroribus clauſum; in quo Minotaurum abſcondit. Hiſtoriam referunt Hygin. Fab. 49. Palęphat. lib 1. fabuloſ. narrat. Ouid 8. Metam. Virgil. 6. Aeneid. Diodor. lib 5. Ouid. 2. De arte:

Dædalus occluſit cōceptum ſemine matris,
Semibouemq; virū, ſemivirumq; bouē.

Plutarchus in vita Theſei aſſerit, ex Paſiphaes & Tauri, q̧ dux erat Regis Minois, adulterio conceptum fuiſſe Minotaurum. Monſtra autem vocantur errores naturę. Facit enim caſus errorem in natura: ſicut fortuna parit errorem in homine: vt cum bonus alioqui Grammaticus, tamen barbariſmum vel ſolœciſmum loquendo temerè facit. Phyſici monſtra vocant ea corpora naturalia, quę non habent iuſtum ſitum membrorum, neq; conſuetam naturæ proportionem partium. *Mōſtrum.*

Gnoſiacis latebris] In clauſo & obſcuro carcere labyrinthi Cretenſis. Gnoſus, ſiue Cnoſus, ſeu Cnoſſus, vrbs eſt Cretæ inſulę, olim Cęrathus dicta, nunc Candia; quōdam Minois regia. Vnde Gnoſus, Gnoſius, & Gnoſiacus, adiectiua. *Gnoſus.*

Dædalus] Dędalus (vt ex Chronicis Euſebij diſcitur) tempore Gedeonis Hebręorum ducis claruit. Athenienſis fuit, Mitionis filius, faber ingenioſiſſimus, cuius inuenta plurima narrat Plin. lib. 7. cap. 56. Viſus eſt is ſimulacra feciſſe ſeſe mouētia. Labyrinthum in Creta fecit, in quem poſt occiſum à Theſeo Minotaurum, vnà cum Icaro filio incluſus eſt: vnde cum aufugiſſet, propter inſcrutabilem fugam (vt ait Palęphatus) pennis auolaſſe exiſtimatus eſt. De quo plura iufra. *Dædalus.*

Romana, Phalanx] Exercitus Romanus. Φάλαγξ, agmen militare, quo Macedones vtebantur, vt legione Romani. Liuius appellat cuneum & aciem militarem, connexione atq; teſtudine quadrata militum. Continebat phalanx octo millia armatorum. Verba Q. Curtij: Macedones Phalanges vocant peditum ſtabile agmen, vbi vir viro, armis arma conſerta ſunt. Idē lib. 3. Alexander phalāgem, qua nihil apud Macedonas validius erat, in fronte conſtituit. Non ignorandum, veteres lignis corynisq; id eſt, clauis depugnare conſueuiſſe, quę ratio militum phalangibus nominis cauſam pręſtitiſſe creditur, ſiquidem ligna vocantur phalangia. Argumento eſt, quod ex materia compactas ſubſtructiones etiam phalangas vocitamus: & quę nauibus ſubijciuntur hermata, id eſt, ſuſtentacula, *Phalāx.*

tacula,

tacula, dicuntur item phalangia. Inde forſan phalangia nuncupata, quæ è trabibus telas contexunt; animal eſt ſimile araneo, de quo Cœlius Rhodig. lib. 7. cap. 16. hanc narrat fabellam. Scribunt Græci, fuiſſe in Attica Phalanga quędam, cui foret Arachne ſoror: cùm verò ab Minerua hoplomachiam perdidiciſſet Phalanx, & telę artificium Arachne, matrimonio ſe inuicem obſtrinxere; indignata Dea, in reptile genus vtrumq; deformauit, quod à fœtu deuoretur ſuo. Ad digitos quin etiam vocem hanc reuocat Ariſtoteles: Nam qua flexus conſtat, condylus (inquit) appellatur; qua non flectitur, phalanx.

Phalanx animal.

Phalanx internodium.

Semiviroq; boue] Alludit ad illud carmen Ouidii, quod ſupra retulimus ex 2. Artis:

Semibouemq; virum, ſemivirumq; bouem.

Qui quidem verſiculus ex illis eſt, quos amici Ouidii ex ipſius operibus ſublatos volebant. Qua de re extant verba Senecę 2. Declamat. lib. in hunc modum: Rogatus aliquando ab amicis ſuis, vt tolleret tres verſus, petiuit inuicem, vt tres exciperet, in quos illis nihil liceret. Conſcripſerunt illi quos tolli vellent ſecretò, hic quos tutos eſſe vellet: in vtriſque codicillis iidem verſus erant. Ex quibus primum fuiſſe narrabat Albinouanus Pedo, qui inter arbitros fuit:

Ouidij argutia.

Semibouemq; virum, ſemivirumq; bouem.

Secundum:

Egelidum Boream, egelidumq; Notum.

Ex quo apparet ſummi ingenii viro non iudicium defuiſſe ad compeſcendam licentiã carminum ſuorum, ſed animum. Aiebat interim decentiorem eſſe faciem, in qua aliquis næuus eſſet. Hęc Seneca.

Signa ſuperba] militaria ſigna, conſpicua, in altum erecta.

Auctori cognita technа nocet] Conſilium ducis de re dubia vel periculoſa ſi detegatur ante tempus, nocet ei, qui detexerit. Τέχνη ars, artificium; aliquando pro dolo, aſtutia, impoſtura, cauillatione, fraude artificioſa, offucia (vt inquit Plautus) quemadmodum Ars, apud Latinos, quale eſt illud: *Sic ars deluditur arte*. Vtuntur & Latini Gręca dictione. Terent. in Eunucho: *Tam ſcio hanc technam à Parmenone profectam, quàm me viuere.* Et in Prouerb. *Technam hanc in te ſtruxiſti*

Techna.

IV. Epigraphe Emblematis ſatis manifeſtat, quidnam ſibi velit Autor, nimirũ quod non minus occulta eſſe debeant conſilia Ducum & Principum, quàm fuerit olim domicilium Minotauri labyrinthus: idque vel maximè in bellicis expeditionibus obſeruari debet. Vt enim momenti plurimum ad victoriam habet taciturnitas, ita ſæpenumerò ingentes adfert calamitates linguę intemperantia. Dion auctor eſt, Tiberium Cęſarem, cùm aliquando apud eum quiſpiam percõtaretur, quid cauſę eſſet, cur ſua conſilia minimè committeret iis, quibus tutò fidere poterat, reſpondiſſe: Aut nulli, aut paucis cognitum eſſe oportere Principis conſilium. Hinc feſtiuè, vt omnia, Plautus in Milite:

Principũ cõſilia occultãda.

Nam bene conſultum, inconſultum eſt, ſi
inimicu ſit vſui:
Neq; poteſt, quin, ſi id inimicu vſui eſt, ob-
ſit mihi.
Nam bonum cõſilium ſurripitur ſapiſſimè,
Si minus cum cura aut catalogo loquendi
lectum id eſt:
Quippe ſi reſciuerint inimici conſiliũ tuũ,
Tuopte tibi conſilio occludunt linguam, &
conſtringunt manus.
Atq; eadem, quæ illis voluiſti facere, fa-
ciunt tibi.

Siquidem reuelata & aperta conſilia, non modo Rempub. totam, ſed & ipſum haud rarò proditorem peſſundabunt. Hoc enim modo iuſiurandum illud, ne arcana panderet, violans, facilè ſuo ipſius indicio, & propriis peribit armis. Non itaq; temerè hi, qui arduis negotiis pręſunt, animi conſultationes, neq; intimis etiam amicis committere debent. Etenim σύμβουλος ἱερὸν ἐστὶ χρῆμα. *Conſultor res eſt ſacra*: proinde non cuiuis communicanda Plutarch. περὶ πολυπραγμοσύνης· οἱ τὰ τῶν μειζόνων κακὰ ζητοῦντες, προαναλίσκουσι τῆς γνώσεως ἑαυτοὺς. Qui potentiorum mala inquirunt, ſæpè antè ſeipſos peſſundant, quàm cognouerint quod quærebant. Etenim qui ſolis radios, & ſplendorem omnibus apertum diffuſumque nolunt intueri, ſed ad ipſum ſolem conuertunt oculorum aciem, excęcantur. Itaq; Philippides Comicus, cum Lyſimachus ipſi dixiſſet, ſe velle de ſuis aliquid rebus impartiri: Quid vis (inquit) ò Rex, modò ne quidpiam arcani. Quę enim ſuauiſſima & viſu pulcherrima Reges habent, ea liberè oſtentari volunt, vt ſplendida conuiuia, opes, munificentiam:

Philippides Comicus apud Lyſimachum.

centiam: ſi quid autem ſit arcani, id quidem non eſt mouendum, neq; vel minimũ attingendum, &c. Nota eſt hiſtoria de Fulnio, cui peſſimè ceſſit, quòd arcanum Principis Auguſti Octauii credere vxori non dubitaſſet. Nam

Fuluio malè ceſſit ob detectum principis arcanum.

Abſq; graui nullus retegit ſecreta periclo,
Fœmineo, cum ſit garrula lingua, gregi.

Nos Germani ſic efferimus:

VVillſtu vvas verſchvvigen haben,
So thue es deinem vveibe ſagen.
Das bleibt bey ihr alſo verſchloſſen,
Als vvaſſer in ein ſib gegoſſen.

Scribit Q. Curtius lib. 4. de Alexandri rebus geſtis, Perſarum morem eſſe, vt arcana regum mira fide celent: vt non metus, neq; ſpes vocem eliciat, qua prodantur occulta: vetus enim diſciplina Regum ſilentium vitę periculo ſanxerat. Linguam grauius caſtigari, quàm vllum probrum: nec magnam rem ſuſtineri poſſe putant ab eo, cui tacere graue ſit, quod homini facillimum natura eſſe voluerit: hęc ille. Huc reponenda verba Caſſiodori ex formula Notariorum, libro ſexto Variarum: Non dubium eſt, ait, ornare ſubiectos Principis ſecretum, dum nullis ęſtimantur neceſſaria poſſe committi, niſi qui fuerint fide magna ſolidati. Publicum eſt quidem omne quod agimus: ſed multa non ſunt ante ſciẽda, niſi cum fuerint Deo auxiliante perfecta: quę tanto plus debent occuli, quanto amplius deſiderantur agnoſci. Regis conſilium ſolos decet ſcire grauiſſimos. Imitari debent armaria, quę continent monumenta chartarum, vt quando ab ipſis aliqua inſtructio quęritur, tunc loquantur. Totum autem diſſimulare debent, quaſi ſcientes neſciant. Nam ſolicitis inquiſitoribus ſępè & vultu proditur quod tacetur, &c. Leo imperator, lib. De bellico apparatu: In rebus (ait) occultis & abditis fideles adhibe tibi & temperantes viros, & taciturnos, & qui in ſua non aliorum poteſtate ſunt, cum ſecretę res iſtę, vt ſecretiores fiant, minimè ad cognoſcendum multitudine indigent. Onoſander lib. De optimo Imperatore, ca. De conſiliis non euulgandis, ſcribit; Stulti inconſideratiq; eſſe, temerè in uulgus cõſiliũ promere, & multitudini arcanũ intempeſtiuè committere. Improbi n. & qui de Repub. malè ſentiũt, eiuſmodi obſeruãt occaſiones: quas nacti, in hoſtes cõfeſtim trãsfugiunt, eũ nunciũ allaturi, vnde ſibi honores & præmia conſequi poſſe rentur. Nec fuit vnquam vllus exercitus, de quo pleraſq; ob cauſas tum liberi, tum ſerui in hoſtes haud cõmigrent: vbi præſertim arcanũ aliquod atq; ſerium tractari ſentiunt; vel conferẽdi manum & pręliandi tẽpus aduentare animaduertunt. Hęc fere ille. Cęterũ acerba certè lex fuit olim apud Aegyptios, qua iubebatur ijs abſcindi linguam, qui Reipubl. arcana, quæ tecta eſſe oporteret, alicui detexiſſent, vt retulit Diodor. Siculus. Laudabile fuit inſtitutum maiorum, quo obſeruabatur, vt ſi quis de Rep. quidpiam ſciret rumore, aliove modo, id ad magiſtratum deferret anteà, neve cum alio quoquam communicaret, ne inde publicis rebus detrimenti aliquid importaretur. Magiſtratus quæ accepiſſet, vel occultaret, ſi ita videretur, vel multitudini proderet. Eam ob rem Athenis, cùm hoſpes veniſſet in officinam tonſoris, narrare cœpit victos eſſe Athenienſes in Sicilia: tonſor ſtatim ad magiſtratum renunciauit: hoſpes, quia non ſatis conſtanter affirmaret, vel quia vrbem totam eo rumore perturbaſſet, vinctus, tortuſque eſt, donec certiore nuncio de vero conſtitiſſet. Reuera multum refert in rebus tam magni momenti non temerè ſpargi rumores falſos, vel parum veri ſimiles: vnde ex ſumma profuſaque lætitia mœror acerbiſſimus, ſummaque conſternatio: aut contrà, ex mœrore lætitia nimia & immoderata; quo nihil vel corporum valetudini, vel publicæ ſecuritati pernicioſius. Referrem exemplum Val. Maximi de Publio Vatieno, ſed obuium eſt cuique, lib. 1. cap. 8. cui etiam argumento bellè cõuenit, quod idem ſcribit initio lib. 2. Valerius: ſingula enim exſcribere non vacat. Interea tamen non prætermittam, quod habet Ammian. Marcellin. 21. apud Perſas neminem conſiliorum fuiſſe conſcium, pręter optimates taciturnos & fidos, apud quos ſilentij quoque numen coleretur. Vide Vegetium De re militari cap. 6. lib. 3. Frontin. Stratagem. lib. 1. cap. 1. Hæc cùm eſſem commentatus, illud iterum ſuccurrit ex Platonis Theage: *Conſilium rem eſſe ſacram*. id eſt: σύμβουλον ἱερὸν εἶναι χρῆμα. Cui conuenit, quod effertur è Menandri γνώμαις: ἱερὸν ἀληθῶς ἐστὶν ἡ συμβουλία. Reperitur & in

Caſſiodorus.

Seuera Ægyptiorum lex.

Cõſilium res ſacra.

Xeno-

Xenophonte, ἡ λεγομένη ἱερὰ συμβουλή. Ad locupletandum verò pulcherrimum thema de non vulgandis principum arcanis, ſuccurrũt ex Corn. Tacito loci duo inſignes: Primus eſt initio ferè Annalium, vbi de nouo Tiberij principatu agit, cuius tacito iuſſu cæſus eſt Poſthumus Agrippa, centurionis cuiuſdam miniſterio: nuncianti enim centurioni, vt mos militiæ, factum eſſe quod imperaſſet, neq; imperaſſe ſeſe, & rationem facti reddendam apud Senatum reſpondit. Quod poſtquam Salluſtius Criſpus particeps ſecretorum comperit, metuens ne reus ſubderetur, iuxta periculoſo, ficta ſeu vera promeret, monuit Liuiam, ne arcana domus, ne conſilia amicorum, miniſteria militum vulgarentur, nève Tiberius vim principatus reſolueret, cuncta ad Senatum vocando: eam conditionem eſſe imperandi, vt non aliter ratio conſtet, quàm ſi vni reddatur. Sed & lib. 2. vbi de fictitio Agrippa (is erat Agrippæ ſeruus, Clemens nomine, qui Augusti audita morte, ſeſe pro domino geſſit, varioque apud multos rumore ſparſo, Agrippæ nomen mentitus) is vinctus ad Tiberium dolo trahitur; & percontanti Imperatori; quomodo Agrippa factus eſſet? fertur reſpondiſſe: quomodo tu Cæſar. Vt ederet ſocios ſubigi non potuit, nec Tiberius de eo ſupplicium ſumere palam auſus, in ſecreta palatij parte iuſſit interfici, corpusq; clam auferri. Anacharſis in conuiuio apud Solonem conſopitus ita decubuerat, vt ſiniſtra comprimi pudenda viderentur, os autem dextra, quod fræno valentiore indigere linguam opinaretur. Rectè vtiq; quando non facile tot recenſueris homines, qui Veneris intemperãtia calamitates ſibi contraxerint, quot ciuitates principatusq; arcanorum deſolarit enũciatio. Quapropter loco concluſionis eſto, ſilentium omnino ſeruandum in conſilio, quod vim habere vis aut vſum.

Arcana domus Imperatoris non detegenda.

Anacharſis.

Nec quæſtioni quidem cedendum.

EMBLEMA XIII.



CECROPIA effictam quam cernis in arce Leænam,
Harmodij (an neſcis hoſpes?) amica fuit.
Sic animum placuit monſtrare viraginis acrem
More feræ, nomen vel quia tale tulit.
Quòd fidibus contorta, ſuo non prodidit vllum
Indicio; elinguem reddidit Iphicrates.

COMMENTARII.

I. HAEC quoq; figura induſtriæ Pignorij debetur, quam ſanè non poſſum non maximoperè probare. Stat enim leæna erecta in arce ſeu turricula, elinguis; ſupra quam noctua, Athenienſium inſigne, depicta cernitur, ad deſignandum, Athenienſium opus eſſe. Hoc itaq; poſitu exprimitur primùm ſtatua in ſuo ſitu; apparet deinde in leoninâ ſpecie ſexus diuerſitas, & linguæ defectus: quæ ſingula antea in leone quadrupede & prono nõ ita erãt cõſpicua.

II. *Emblematis fõs.* SVPERIVS hoc totum eſt ex Plutarcho in libello περὶ τῆς ἀδολεσχίας, id eſt, de loquacitate. Pulchrum, inquit, & Leæna fortitudinis habet munus. Ea erat meretrix Harmodio & Ariſtogitoni familiaris. Erat & coniurationis aduerſus tyrannos conſcia, & ſpem conceperat, vt fœmina, rem caſuram feliciter: biberat enim ex communi Cupidinis cratere, atque orgijs eiuſdẽ Dei initiata, myſteriorum erat conſcia. Verùm vbi de illis ſupplicium ſumptum eſt, ad quæſtiones vocata, faterique iuſſa, nullum ex reliquis coniuratis prodidit, ſed forti animo fuit, referens viros illos nihil ſe indignum paſſuros, qui illam dilexerant. Athenienſes autem æneam fabricantes leænam, elinguem in veſtibulis arcis conſtituerunt: vt fortè animal indicaret inuictam animi fortitudinem: quòd verò lingua careret, ſilentij fidem oſtenderet.

III. *Euſebius.* Euſebij verba, quæ in Latinis codicibus habentur, ſic ſe habent: Armonius, inquit ille, & Ariſtogiton Hipparchum tyrannum interfecerunt, & Lemna meretrix amica eorum cùm tormentis cogeretur, vt ſocios proderet, linguam ſuam mordicus amputauit. Hæc ille. Sed vides multa corruptè legi, nec ſolùm in Euſebio, ſed in multis alijs aliter leguntur hæc nomina, & hiſtoria diuerſe narratur. Quam ſi cupis videre, adeas Lilium Gyraldum Dialogo Poetarum 3. cum de Hipparcho loquitur. Lactantium Firmianum lib. 1. de falſa relig. cap. 20. qui omnia confundit. Arrianum lib. 3. de rebus geſtis Alexãdri. Stephanum Nigrum, de nimio vitæ luxu. Alex. ab Alexandro lib. 1. cap. 3. Boccatiũ de claris mulieribus, cap 48. Petrum Crinitum, de honeſta diſcip. lib. 9. cap. 8. Aulum Gellium lib. 9. cap. 2. & lib. 17. c. 21. Pauſan. in Atticis. Athenæum Dipnoſoph. 13. cap. 24. Plinium lib. 7. cap. 23. idemque prolixius lib. 34. cap. 8. Ariſtot. lib. 2. de rhetor. ad Theodect. cap. 23. & 24. Sed ne in ius vocer ab illis, qui librorum ſupellectili non adeo ſunt inſtructi, hanc hiſtoriam paulò altius ex Thucydide, clariſſimo diligentiſſimoq; ſcriptore petamus. Is igitur lib. 6. ſic ait: Quam ego rem pluribus commemorando oſtendam, nec alios Græcos, neq; Athenienſes ipſos de ſuis tyrannis, aut de re geſta aliquid compertum loqui. *Hiſtoria Harmodij & Ariſtogitonis ex Thucydide.* Etenim cum Piſiſtratus ſenio in tyrannide deceſſiſſet, non Hipparchus, vt pleriq; opinantur, ſed Hippias, qui erat natu maximus, obtinuit principatum. Erat autem Harmodius quidam flore ætatis conſpicuus, quem Ariſtogiton, mediæ inter ciues conditionis vir, adamabat, habebatq;. Is Harmodius ab Hipparcho Piſiſtrati filio appellatus de ſtupro, non modo non expugnatus eſt, ſed etiam querelam ad Ariſtogitonem detulit. Hic amatorio dolore affectus, extimeſcensq; Hipparchi potẽtiam, ne vi adoleſcentem ſibi auferret, protinus inſidias tendit ad deſtruendam pro ſua facultate tyrannidem. Interea Hipparchus cùm rurſus ſollicitando Harmodium nihilo magis induceret, ſtatuerat tamen vi nihil agere, ſed in loco aliquo occulto. Cũ neq; ſic quidem proficeret, accingebat ſe ad eum contumelia proſequendum. Sororem Harmodij puellam nunciatam venire in pompa quadam ad geſtandum caniſtrum, per ſuos à miniſterio ſubmouit, dicentes

centes, non permittere id magiſtratū, quia indigna eſſet. Quod ægrè ferens Harmodius, & ob eum multò ægrius Ariſtogitō, compararunt omnia, quę ad conſpirationem pertinebant: operiebantur tamen feſta, quæ dicuntur magna Panathenęa, quo tantùm die extra ſuſpicionem erat ciues eos, qui pompam miſiſſent, in armis frequentes eſſe: & debebant ipſi quidem aggredi, opitulari autem ſine mora ij, qui inter haſtatos erant. Fuerunt autem non multi coniurati, occultandæ rei gratia: & quia ſperabant eos etiam, qui conſcij non eſſent, quamlibet paucis facinus audentibus; tamen ex repentina re, cum arma haberēt, libenter ſe ipſos pariter in libertatem aſſerturos. Vbi dies feſtus aduenit, Hippias exterius in loco, qui Ceramicus dicitur, cum haſtatis exornabat, quemadmodum oportebat ſingula in pompa procedere. Harmodius autem atque Ariſtogiton cùm ſumptis iam pugionibus ad opus prodijſſent, conſpiciunt quendam de coniuratis cum Hippia familiariter loquentem, extimuerunt, arbitrati rem palam factam eſſe, tantumque non ſe iam comprehenſum iri. Itaque eum, à quo fuerant dolore affecti, & per quem omni ſtatu periclitabantur, voluerūt primùm vlciſci, ſi poſſent; atq; quo erant habitu vadentes introeunt portas, nactiq; Hipparchum in loco, qui vocatur Leocorium, ſtatim adoriuntur inconſultè, ac per iracundiam, præcipuè alter ob amaſium, alter ob dedecus, feriunt, occiduntq; Et Ariſtogiton quidem haſtatos à principio deuitauit, verùm concurſu multitudinis poſtea comprehenſus non leuiter multatus eſt. Harmodius autem è veſtigio illic occubuit. Hæc Thucydides; ſed de Leæna nulla mentio. Fuit autem illa ſcortum Harmodij & Ariſtogitonis, quę, cum conatus de tollenda Piſiſtratidarum tyrannide ſucceſſu caruiſſet, capta fuit, & torta fidiculis, vt conſilia iuuenum proderet: ſed cruciatibus, quanquam grauiſſimis, non ceſſit: quin in his poſt multos cruciatus, animam exhalauit. Eam ob rem Athenis, vt honor ei haberetur (non tamen tanquam ſcorto) animal nominis eius erectū fuit, & vetitum in opere linguam addi ab artifice, vt honoris cauſa intelligeretur. Exemplum hoc conſtantiſſimæ mulieris adfert Tertullian. & in Apologetico, & ad Martyres: quò noſtri fierent animoſiores, & conſtantiores in tormentis quibuſcumque perferendis Chriſtianę perſuaſionis nomine: quandoquidem leui adeò de cauſa repertæ muliares eſſent, quæ tam forti animo pro amicorum ſalute ac fama non modò cruciatus intolerabiles paßui feciſſent, ſed & ſpontaneæ morti ſeſe dediſſent. Hęc enim ipſa, carnifice iam defeſſo, poſtremò linguam ſuam commeſtam in faciem tyranni ſæuientis expuit, vt expueret & vocem, ne coniuratos proderet, ſi etiam victa voluiſſet, ait idem Tertullianus. Addit Gellius, in honorem Harmodij & Ariſtogitonis à ciuibus publico decreto ſancitū fuiſſe, vt nemo vnquam ipſorum nomine vocaretur. Vide Prouerbium, *Harmodij cantilena*. Eadem in tormentis patientia, vel pertinacia potius, prodita memoriæ fuit de quodam, qui Principem Gonzagā proditurus erat, & in hoſtium manus tradituro: quam hiſtoriam petas licet ex Cardani 8. cap. 40. De rerum varietate. Exempla quoque multa eadem penè ſunt apud Valer. Max. lib. 3. cap. 3. idemq; omnino Plutarch. in vita Hyperidis Rhetoris. Hiſtoria de Leæna contigit Athenis (vt ex Chronicis Euſebij elicitur) quo tempore apud Romanos Tarquinius Superbus regnabat, Olympiade 65.

Panathenæa.

Leæna meretricis patientia in tormentis.

Harmodij cantilena.

III. *CECROPIA in arce*] id eſt, Athenienſi, à Cecrope ſic dicta, vti ſupra memorauimus ex Plinio. In Athenarum acropoli; ſic enim dicebatur arx Athenarum, de qua Heliodorus librum ſcripſit. Tradit quoque Pauſanias in Acropoli, quę olim dicebatur Polis, ſimulacrum fuiſſe Mineruæ, quod è cœlo delapſum tenet fama. Propendebat lychnus aureus, Callimachi opus, qui ſemel oleo plenus, etiamſi interdiu noctuq; luceret, nunquam deficiebat. Lino Carpaſio conſtabat ellychniū, ſiue θρυαλλὶς, qui ignibus non abſumitur.

Acropolis Athenarum.

Effictam] Expreſſam ære ſtatuam.

An neſcis, hoſpes?] Spectator, ſi fortè peregrinus ignoratione rerum Atticarum labores.

Amica fuit] ἑταίρα, ſeu meretrix. Amicus, res honeſta eſt, ſignificatq; eum, cum quo vera amicitia iuncti ſumus; cum tamen amica, quando ad virum refertur, inhoneſta res ſit: vt hęc eſt mea amica, id eſt, concubina; ego verò eius non ſum amicus, ſed amator.

Amica.

Animum acrem] μεγαλόψυχον θυμόν.

μὸν, fortem, erectum. Virg. 8. Æneid.
Aut acrē dubites in prælia poſcere Turnū.

Placuit] Verbum Iuris, quo plebiſcitum intelligit.

Virago. *Viraginis*] Virago ἀντιάνειρα, vel ἀνδρὶς. Symmachus; αὕτη κληθήσεται ἀνδρὶς; ὅτι ἐκ τοῦ ἀνδρὸς ἐλήφθη αὕτη. hoc eſt: *Vocabitur hæc virago, quia ex viro ſumpta eſt.* Ouid. 2. Metam.
Huc vbi peruenit bello metuenda virago.
de Pallade loquens, quæ virili ſit animo & virtute. Et Martian. Capella lib. 6. de eadē:
Cōſultuq; virum præſit, hinc dicta virago.
Auſon. epigr. 1.
——*Threſſaq; viraginis arma retractat.*
ſic appellatur Iuturna 12. Æneid.

More feræ] Leænæ, quæ pro ſymbolo fortitudinis & inuicti animi vſurpatur: vide Pierium Hieroglyph. lib. 1.

Nomen vel quia tale] quod mulieri huic Leænæ nomen fuiſſet.

Fidicularum tormentum quid. *Fidibus contorta*] Fides, pluraliter, & Fidiculæ tormenti genus, quo à tortore ſontes funibus alligatis à tergo manibus torquētur. A Græcis dicitur σχοινισμὸς, Italicè, *la corda*. Sunt igitur fidiculę chordulæ, non etiam vngulæ, vt putat Iſidorus 3. Etym. cap. 27. quo loco ſcribit, vngulas dictas, quod effodiant: hæ & fidiculæ, quia his rei in equuleo torquētur, vt fides inueniatur. At Val. Maxim. lib. 3. capit. De patientia, apertè oſtendit, fidiculas eſſe funiculos ſeu chordulas: Rupit verbera, ait, fidiculas laxauit, ſoluit equuleū: Sueton. in Caligula cap. 33. Quin & ſubinde iactabat exquiſiturum ſemel fidiculis de Cęſonia ſua, cur eam tantoperè amaret. Idem in Tyberio refert, cum Imperatorem excogitaſſe genus tormenti, vt repentè veretris deligatis, fidicularum ſimul, vrinæque tormento homines diſtenderet. De his Seneca lib. 3. De ira, cap. 3. Apparatusque illi reddēdus eſt ſuus, equulei, & fidiculæ & ergaſtula. Ammian. Marcell. lib. 29. Intenduntur equulei, expediūtur pondera plumbea cum fidiculis & verberibus, &c. l. 1. C. Theodoſ. De quæſtionib. Nullas omninò ob fidiculas perferendas inconſultis ac neſcientibus nobis, &c. & l. 2. eod. Decuriones ſiue ob alienum, ſiue ob ſuum debitū exortes omninò earum volumus eſſe pęnarum, quas fidiculæ & tormenta conſtituūt. Extat in iure mentio equulei, vngularum, ſeu fidicularum. l. 4. C. ad leg. Iul. mai. l. 16. C. de quæſtionib. l. 8. C. de maleſ. & Mathem. Curtius in 6. de Alexandri geſtis, Philotam ait poſt fidiculas lampadibus ardentibus tortum fuiſſe. Diſcrepat ab hac ſententia, & cum Iſidoro ſentit Cæſar Baronius, in Martyrologio Romano, 22 Ianuarij, quem vide, vbi plura de equuleo, fidiculis, vngulis, & cōpedibus habet.

Non prodidit vllum] Neminem ex ſocijs coniurationis indicauit, aut manifeſtauit.

Elinguis. *Elinguem reddidit*] Repræſentauit, formauit, effinxit, ſine lingua. Dicimus etiam elinguem reddere, quando alicui facultatem loquendi adimimus, etiamſi is linguā habeat. Cicero pro Flacco: Conficit & elinguem reddit.

Iphicrates. *Iphicrates*] Summus Orator, qui maximè fauebat Harmodio. Vel potius ille ſtatuarius, de quo Plin. lib. 34. cap. 8.

IV. *Cōſtātiæ mira exēplum.* PATIENTIA & fortitudo pluſquā virilis in muliercula extremis etiam cruciatibus affecta, tenacem fidem & illibatā, & ad miraculum conſtantem nobis propoſuit. Non ergo immeritò illius feminæ, præſertim ſcorti, mirāda taciturnitas apud Athenienſes tantæ dignationis fuit, cùm pręter naturam mulierum ſit cohibere linguam. Vſq; enim adeò ſunt loquaces, obſtreperæ, & garrulæ, vt earum verbalibus vndis & cauſidici cedant, nec Grammatici mutiant, Rhetor taceat, & clamorem præco compeſcat. Hinc interrogatus quidam, *Fœmina cur imberbes.* quamobrem mulieres imberbes eſſent? reſpondit, quia tantum temporis ſilere, & immotis labris perſiſtere non poſſent, quouſque eis barba abraderetur. Non abſimile patientiæ exemplum refert Suetonius in Caligula, quod non grauabor ſubnectere, inquit enim: Quò magis nullius non *Honos tributus libertinæ in tormētis fidæ.* boni exempli fautor videretur, mulieri libertinæ octingenta donauit, quòd excruciata grauiſſimis tormētis de ſcelere patroni reticuiſſet. Quas ob res inter reliquos honores decretus eſt ei clipeus aureus, quē quotannis certo die collegia ſacerdotum in Capitolium ferrent, ſenatu proſequente, nobilibusque pueris ac puellis, carmine modulato, laudes virtutum eius canentibus. Apud Ammianum Marcellinum lib. 14. non tam nobilis, quàm cruenta narratur quęſtio de ijs crudeliſſimè agitata, qui in Conſtantium nouas res moliri accuſabantur. Inter cæteros emicuit Euſebius

qui-

Euſebij cuiuſdã conſtans animus in tormẽtis.

quidam nobilis, qui ita euiſceratus eſt, vt cruciatibus membra deeſſent, implorans cœlo iuſtitiam, toruum renidens fundato pectore manſit immobilis: nec ſe incuſare, nec quemquam alium paſſus: & tandem nec confeſſus, nec confutatus, cum abiecto conſorte pœnali eſt morte mulctatus. Ducebatur intrepidus, temporum iniquitati inſultans, imitatus Zenonem illum veterem Stoicum, qui vt mentiretur quædam, laceratus diutius, auulſam ſedibus linguam ſuam cum cruento ſputamine in oculos interrogantis Cypri regis impegit. Hæc Amm. De Cn. Pompeio egregium quoque factum prodit Val. Maxim. Is cum legationis officio fungeretur, ab hoſte Gentio Illyricorum rege interceptus, & P. R. conſilia aperire iuſſus, ardenti lucernæ admotum digitum comburi conſtantiſſimè paſſus eſt, ſeq; potius eiuſmodi cruciatu vitã, quàm Senatus conſilia profuſurum dixit. Cornelius verò Tacitus lib. 15. Annal. quo loci de tormentis eorum agit, qui in Neronem putabantur cõtraſſe, de muliere quadam imperterriti & infracti animi ſic: Nero recordatus Voluſij Proculi indicio Epicharim attineri, ratuſque muliebre corpus impar dolori, tormentis dilacerari iubet. At illam non verbera, non ignes non ira, eo acriùs torquentium, ne à fœmina ſpernerentur, peruicere, quin obiecta denegaret. Poſtero die cum ad eoſdem cruciatus retraheretur, geſtamine ſellæ (nam diſſolutis membris nequibat inſiſtere) vinculo faſciæ, quam pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit ceruicem, & corporis põdere conniſa, tenuem

Mulier infracti animi in tormentis.

iam ſpiritum expreſſit: clariore exemplo libertina mulier in tanta neceſſitate alienos ac propè ignotos protegendo, cùm ingenui & viri, & equites Rom. ſenatoreſq; intacti tormentis chariſſima quæq; ſuorũ pignorum proderent. Quis ergo iam fidem habeat verbis Senecæ, in Troade, quibus innuit, tormentorum vim quicquid latet, exprimere poſſe? Sic enim ille:

Verberibus, igne, morte, cruciatu, eloqui
Quodcunq; celas adiget inuitam dolor,
E pectore imo condita arcana eruet.
Neceſſitas plus quàm pietas poteſt.

cum exemplis tam manifeſtis etiam in ſexu infirmiore contrarium eluceſcat. Docuit nimirum conſtans fides labilem frænare linguam; & quò humana ſpes vix inuenit aditum, eò penetrauit amor. Quare non immeritò

Scire loqui laus eſt, laus eſt quoq; ſcire tacere;
Illa magis pulchra eſt, hæc quoq; pulchra magis.

Bonus ſenex apud Terent. Andria, ſeruum laudat de fide & taciturnitate. Hinc Horatius lepidè:

Eſt & fideli tuta ſilentio merces.

Græci dicunt, ἀκίνδυνον γέρας τῆς σιγῆς. Horatius ad ſeruandam amicitiam ſic:

Arcanum nec tu ſcrutaberis ullius unquã:
Commiſſumq; teges & vino tortus, & ira.

Tullius 2. Philipp. criminis loco obijcit Antonio, quod ſcriptas ipſius litteras, cum amici eſſent, poſtea euulgaſſet, cum cœpiſſent inter ſe inimicitias exercere. Sed ne quid deſideres. vide Senecam epiſt. 89. & 108.

Conſilio & virtute Chimæram ſuperari, hoc eſt, fortiores & deceptores.

EMBLEMA XIIII.



BELLEROPHON, ut fortis eques, ſuperare Chimæram,
Et Lycij potuit ſternere monſtra ſoli:
Sic tu Pegaſeis vectus petis æthera pennis,
Conſilioq́ animi monſtra ſuperba domas.

COMMENTARII.

I. ARMATVS eques alato equo inſidens haſtam in monſtrum illud Lycium, Chimæram dictum, vibrat. Chimæram hac forma nobis reſtituit Pignorius ex antiquis Corinthiorum nummis, qui mirificè tamen illud Lucretij lib. 5. illuſtrant:

—*Triplici cum corpore ut una*
Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra,
Ore foras acrē efflaret de corpore flammā.

Vnde & Fulgentius lib. 3. Mytholog. Chimæram tricipitem pingi teſtatur, Leonem videlicet in principio, capram in medio draconem in fine: quæ ante Fulgentium habet Hyginus non uno in loco.

Ex ipſius vocabuli Bellerophontis etymo ſumptum videtur Emblema, conuerſis aliquot litteris. Nam Bellerophonta II.

Bellerophontes vnde dictus.

dixerunt, quaſi malorum occiſorem; τὰ βέλλερα enim, mala dicuntur: vel quaſi βουληφόροντα, ſapientem conſultorem dixeris; quod etiam innuit Homerus 6. Iliados, qui ipſum βουληφόρον ἄνδρα, conſultum virum, nominat. vt vult Fulgentius, lib. 3. Mytholog. Fabulam inter cæteros latè narrat Pindarus, Ode 13. Olymp. Sed quia multi eam diuerſè narrant, viſum eſt totam ex varijs contextam autoribus, prę cipuè verò ex Homeri ſcholiaſte in 6. Iliad. huc aſcribere.

Fabula de Bellerophonte.

Bellerophontes eques præſtantiſſimus, adoleſcens formæ dignitate inſignis, anteà Hipponus dicebatur: ſed poſt occiſum Bellerum Corinthiorum Dynaſten, cępit appellari Bellerophontes. Erat autem natura Neptuni filius, fama verò Glauci. Ob cędem itaq; perpetratam Argos ſe contulit, vbi à Prœto rege humaniter exceptus, hoſpitio regio vſus eſt. Interim Antea, vel vt alij maluerunt, Sthenobœa Prœti vxor, incredibili adoleſcentis amore correpta, cępit illius animum ad ſtuprum ſollicitare, & ſui copiam obtulit. Ille hoſpitij religione permotus, cum flagitium recuſaſſet, & fœminam laſciuam repuliſſet, Antea verita, ne Prœto prior Bellerophontes indicaret amores, & dolore repulſæ indignata, illum apud maritum occultè defert, & tentatæ pudicitiæ accuſat. Quod vbi perſuaſiſſet, quoad poterat regis animum in perniciem iuuenis inſtigabat, ſemper ad aurem occinens illud Homericum:

Τεθναίης, ὦ Προῖτ', ἢ κάκτανε βελλεροφόντην.

Aut morere, Prœte, aut interfice Bellerophontem.

Prœtus tamen verè regio ingenio, & vt Homeri vtar verbo, *ἀγκυλόμητις*, noluit propria manu Bellerophontem perimere, ſed ablegauit eum ad ſocerum Iobatem, Lyciæ regem, litteris illi nec opinanti deſignatum facinus indicantibus datis, vt quoquo modo de medio tolleretur. Quas vbi perlegiſſet Iobates, quo Prœto morem gereret, varijs expeditionibus, aleisq; valde periculoſis iuuenem obiecit: incolumemq; atq; inuictum tot exantlatis laboribus euaſiſſe cernens, tandem ad Chimæram delendam non tam vocauit, quàm coegit.

Chimæra.

Erat autem Chimæra adeo terribilis, quæ flammas euomebat, vt proxima quæq; combureret, ac igne deuaſtaret, & pecora interficeret. At verò Dij cognita illius innocentia, eius miſerti, Pegaſum alatum equum, natum è Neptuno & Meduſa, vel vt alij volunt, è ſanguine Meduſæ, dum eius caput à Perſeo cæderetur, illi dederunt.

Pegaſus.

Eo equo aſtutè conſcenſo (vt Strabo ait lib. 8.) Bellerophontes vectus, monſtrum illud virtute incredibili confecit. Iobates iuuenis virtutem & fortitudinem admiratus, re diligentius ſecum animaduerſa, tandem reperit, meram hãc eſſe fallaciam atq; calumniam. Data ergo illi in matrimonium Caſſandra filia (alij Philonoen vocant) in generum ſibi adſciuit, & decedens regni ſucceſſorem inſtituit. Hanc infamiam non ferens Prœti vxor, ſumpta cicuta ſibi mortem conſciuit.

Temeritas Bellerophontis.

Verùm Bellerophontes, quale eſt ingenium pleriſq; mortalium, tanta rerum geſtarum felicitate elatus, in cœlum quoque aſcendere ſuper equo Pegaſo ſtatuit: quã arrogantiam Iupiter, omnis temeritatis grauiſſimus vindex, deprimendam eſſe ratus, œſtrum equo illi immiſit, qui ſeſſorem ex aere in terram excuſſit, in qua ſolùm equitare debuerat, non vero etiam in cœlum ferri, quod tot victoriarum obtentu, & tot monſtris domitis videbatur affectare. Vnde Horatius lib. 4. Carm. Ode 11.

Terret ambuſtus Phaeton auaras
Spes: & exemplum graue præbet ales
Pegaſus terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.

Cecidit autem in campum Lyciæ, qui ab huiuſmodi euentu Alêius eſt dictus, errauitq; ibi claudus, mancus, & cæcus, donec inedia abſumptus fuit. Quod ideo confictum volunt, quia mente oberraret excuſſus. Nam ex Epicharmi doctrina, νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει. τὰ δ' ἄλλα πάντα τυφλά. *Mens videt, mens audit, reliqua verò omnia cæca.* Equum autem alatum Aurora dono accepit à Ioue, vt ſine labore mundi plagas quotidiano curſu celeriùs poſſet circumire. Hiſtoria refertur ab Aſclepiade. Vide prouerbium, *Bellerophontis litteras.* Eandem hanc fabulam copioſè & eruditè non modò retulit, ſed & ad hiſtoricam fidem reuocauit Sabellic. 5. Enn. 1.

Mythologia Bellerophontis ex Plutarcho.

Non grauabor autem huc attexere mythologiam Plutarchi de Bellerophonte, deque Chimæra, ex lib. de virtutib. mulierũ. Huius hęc eſt ſententia: Fabuloſum eſt

quod

quod in Lycia dicitur eueniſſe, tametſi hoc publica fama receptum ſit. Narratur itaq; ad eum modum: Amiſodarus, ſeu Iſaras, vti nominatur à Lycijs, ex Lyciorum colonia, quæ iuxta Zeliam erat, venit vnà cum nauibus piraticis, Chimaro duce, homine bellicoſo, ſed crudeli admodum & efferato. Huius nauis in prora Leonis, in puppi Draconis habebat inſigne. Cumque noxæ multum Lycijs intuliſſet, mareque infeſtum habuiſſet, vt ne quidem traijci tutò poſſet, neq; vrbes maritimę proinde habitabiles eſſent, in eundẽ quidem expeditionẽ ſuſcepit Bellerophontes, & ad extremũ interfecit, fugientemq; Pegaſo (quod, vt coniecto, genus erat nauigij celerrimi) inſecutus: atq; Amazones expulit, & bellica virtute domuit. &c. Deinde ſequitur: Sunt qui affirment Chimęram illam Poetarum figmentis decantatam, montem fuiſſe Soli oppoſitum, in quem Solis radii cum retro flecterentur, & vehementem æſtum in planiciem retorquerent, factum eſſe vt inde fruges marceſcerent. Quæ mali cauſa cum nota eſſe Bellerophonti, excidi iuſſit ipſe præcipitii partem eam, quæ læuiſſima putabatur, & plurimum ſolarem æſtum reflectebat. Sed quòd non ei eſſent habitę gratiæ, iratus ad vlciſcendum Lycios ſe contulit: tandem tamen à mulieribus placatus eſt. Noraphis autem 4. lib. de Hercule narrat, fuiſſe aprum ingentem in Xanthorum finibus, fruges depopulantem, quẽ Bellerophon occiderit. Quod mihi minimè videtur fabuloſum. Hæc ex Plutarcho, ſed conciſe. Hiſtoriam hanc complexus eſt integram pręter Homeri enarratorem Palæphatus lib. 1. Ἀλληγορικῶς autem Fulgentius 1. Mytholog. Vide Natalem Comitem Mytholog. lib. 9. cap. 4.

Chimæra mythologia.

III. *Bellerophon.* BELLEROPHON] Sapiens, beneq; conſultus, quique ſit βουληφόρος, vel τὰ βέλλερα φορῶν. Sic autem denominatus eſt, à Bellero Corinthiorum principe à ſe interempto, cùm aliàs Hipponus vocaretur.

Fortis eques] Animi magni, Pegaſo vectus.

Chimæra. *Chimæram*] Chimæra, monſtrum triforme, priore parte leonem, draconem poſteriore, media capram referebat, flammas ore vomebat. Homerus:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα,
Δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο.
Prima leo, poſtrema draco, media inde capella,
Quæ grauiter patulis ſpirabat naribus ignem.

Hos eodem verſus habet Heſiodus in Theogonia: vnde licet dubitare, vter eorũ prior floruerit, quamuis ego ferè coætaneos iudicem, Homerum tamen antiquiorem nonnihil. Ouid. 11. Metamorph.

Quoq; Chimæra iugo medijs in partibus hircum,
Pectus & ora leæ, caudã ſerpentis habebat.

Vide Homerum 6. Iliad. & Lucret. lib. 5. Solinus tamen Chimæram montem eſſe ſcribit in Lycia, vnde noctu fumidus ignis exhalat. Atq; hunc montem monſtro illi triformi nomen dediſſe, ipſemet etiam Seruius aſſentitur ad illud Virg. 6. Æneid.

Chimæra mons Lyciæ.

Horrendum ſtridens, flammisque armata Chimæra.

Eſt, inquit, Chimæra mons Lyciæ, cuius etiam hodie ardet cacumen, iuxta quod ſunt leones, media autem paſcua ſunt, ima verò ſerpentibus plena. Hunc quia Bellerophon habitabilem fecit, Chimęram dicitur occidiſſe. A qua ſententia parum diſcedit Palęphatus, cum ait, ante planitiem montis Chimæræ Leonem fuiſſe quẽdam, Draconem autem retrò, ex quibus paſtores læderentur. Ad quę loca Bellerophon vbi acceſſiſſet, montem occupauit, poſteaque iniecto igni, ferę perierunt. Triformis eſt autem Chimęra (qua notatur amoris petulantia, id eſt, χῦμ' ἔρωτος) quia voluptas corporis inſultu leonino primùm inuadat, deinde procacitatem & laſciuiam inducat, poſtea verò pœnitentiam & venenum. Fulgent. 3. Pierius 1. & 14. Hieroglyphic. Heſiodi interpretes in Theogonia Chimæram ſenſu allegorico tres exponunt Rhetoricæ partes: δικανικὸν, ſeu iudicialem; πανηγυρικὸν, ſeu demonſtratiuam; συμβουλευτικὸν, ſeu deliberatiuam. Ita vt leo iudicij genus referat, quod exterret, ac elingues quodammodo ex aduerſo dicentes conſtituit. Chimæra verò, ſeu capra, præferat laudationis typum, quia laſciuit latius tum qui dicit, tum qui audit. Draco deniq; obtineat genus συμβουλευτικὸν, quod varium ſit in primis, & longiori ad perſuadendum vtatur orationis tractu. Monſtri huius mater ab Heſiodo dici-

Chimæra cur triformis.

Echidna mater Chimæra. tur Echidna, quam nihil aliud eſſe volũt, quàm ποικίλον νοῦν καὶ πολυειδῆ, id eſt, variam multiformemq; mentis vim, aut longiorem, & πολυέλικτον, id eſt, multiplicibus implicitam ſpiris artem, Chimæræ inſtar ignis euomentem globos. Cæterum pro ingeniorum captu, ſunt qui variè admodum Chimęræ figmentum ad veritatem reuocent. Eſt qui Chimæram eſſe putet vitiorum quandam varietatem, ac multiformem (perinde ac Chimæra eſt) vim: quam perimit Bellerophon, id eſt, vir bonus prudensque, qui Bellerophon nuncupatur, velut malorum occiſor. Vide de his plura apud Cœl. Rhodig. lib. 13. cap. 9. Natalem Comitem Mythol. lib. 9. c. 3. Satis ſuperque de Chimæra hucuſq; niſi me Lycophronis interpres, vt aliquid adderem, reuocaret. *Chimæra mulier.* Ille enim Chimæram pro muliere ponit, filia Amiſodari, Lycię præſidis, cuius fratres duo, Leo & Draco, qui cũ Lyciæ egreſſus occupaſſent, viatores, alioſq; multos trucidaſſent. Quòd aũt concordes, & vnà in aliorũ perniciem conſpirantes, tricipitẽ belluã illos pleriq; nominarunt: vt quia periti bello eſſent, & *Bellerophon Chimæram vicit.* inſigni corporis prędití robore, ignem expirantẽ dixerunt. Hos Bellerophon vicit, iniecto faucibus plumbo, id eſt, ſeruitutis fręno. In priori parte Leo pugnabat, Draco in poſteriore, at in medio Chimæra, eò quod eſſet infirmior. Alij ad hunc penè modum: Chimæram (vti colligitur ab Homero) gentem fuiſſe bellicoſam, quam leoni eſſe ſimilem dicebant. Hæ fuerunt Amazones, quę à facie pugnabant valde ſtrenuè & generosè, quas Poeta cum Chimęra, hoc eſt, capra, confert, quia per præcipitia incederent caprarum in modum, & in præruptis locis habitarent.

Monſtra Lycij ſoli] Chimæram; fallaciã dubiam, fraudem, quanquam variam & fortiorem: Homines improbos, maleficos, fraudulentos. Lycii autem deducuntur à nomine λύκος, *lupus*; hinc adagium, *Homo* *Lycia.* *homini lupus*. Eſt Lycia regio minoris Aſię, ſic dicta à Lyco Pandionis filio, quam rigat fluuius Xanthus, alius ab eo, qui Iliũ pręterfluit: dicta prius Termille, vt tradit Herodotus.

Sternere. *Sternere*] Deuincere, occidere. Liu. 1. belli Maced. Cum omni parte cæde ingenti ſternerentur. Horat. 2. Sat. *Strauit ferro pecus.* Hinc ſtrages, pro ingenti clade.

Pegaſeu pennis] Pegaſus, de quo antè diximus, dictus eſt, vt ait Homeri ſcholiaſtes 6. Iliad. ὅτι ἐκπεπηδήκει ἐκ τοῦ τῆς Γόργονος τραχήλου, id eſt, *quod exilierit ex Meduſæ collo*. Aut potius, vt ait Heſiodus in Theogon. ὅτι ὠκεανοῦ περὶ πηγὰς γένετο. id eſt, *quod apud Oceani fontes ſit natus*. *Pegaſus unde dictus.* Tradit autem Palæphatus, Pegaſum nauim fuiſſe, qua vectus eſt Bellerophon. *Pegaſus quid.* Nauigia enim cùm ex alto cernuntur, ſi fortè remis agi contingat, ob celeritatem, mobileſque vtrinque remorum ordines, procul ſpectantibus alatorum præbent animalium ſpeciem. Ad allegoriam verò ſi referamus, per Pegaſum (quem ex Meduſæ, ſeu Gorgonis capite à Perſeo amputato procreatum Poetæ comminiſcuntur. Ouid. 4. Metamorph. Iuuenal. Sat. 4.) famam & immortalitatem nominis intelligimus. Virtus enim cum terrorem (quæ Gorgone figuratur) amputauerit, famam procreat. Fulgent. & Pierius lib. 4. Lycophronis interpres Pegaſum pro equo fabuloſo agnoſcit, totiuſq; fabulę ſeriem tractat, eodem penè quo cæteri modo, ſed ſubdit ἀλληγορίαν τὴν τῆς φυσικῆς γνώσεως, quę ad hoc noſtrum propoſitum nihil attinet. Addit etiam, nunquam fuiſſe Pegaſum equum, quia nullus ſe vnquam vidiſſe alatum equũ ſit teſtatus; at quia vir egregius Bellerophon nauem cõſcendit, cuius alę vela eſſent, locum factum eſſe fabulæ.

Petit æthera] Prouerbialis formula, pro, laudem cõſequeris immortalem. Æther, vt autor eſt Ariſtoteles lib. 1. de Cęlo, cap. 3 ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θέειν, id eſt, *à ſemper currendo*, dicitur, cuius verba ſunt: *Æther.* Ætherem ſuperum locum appellauerunt à ſemper currendo, perpetuo tempore poſita appellatione, cœlum ipſum, ſtellæq; omniſq; ſiderea compago intelligitur. Non, vt quidam putant, quod igneus ſit & incenſus, ſed quod curſibus rapidis ſemper rotetur.

Conſilioq; animi] cui reſpondet nomen Bellerophon, vt diximus. Plus autem conſilio & animi dexteritate effici, quam viribus corporis, infinitis exemplis perſpicuum eſt.

Monſtra ſuperba] ἀλληγορικῶς, pro doloſis ſycophantis, obtrectatoribus, & alijs generis eiuſdem; non certè hominibus (quid enim tam naturæ humanæ contrarium?) ſed portentis, & naturæ erroribus. *Sycophantæ monſtra ſunt hominum.*

1. NVLLA eſt tanta difficultas, aut etiã IV.

vis

Cōſilij & fortitudinis vis.

vis, quę conſilio & magnitudine animi ſopiri, & tolli tandem non poſſit. Quãquam enim nobis interdum ſit concertandum cum ſortioribus, & fraudum omni genere inſtructioribus, pugnæ tamen minimè eſt cedendũ, modò inſtructi ſimus firma quadam panoplia conſtantis animi, ſaniq́; iudicii. Notius enim eſt, quàm vt confirmare neceſſe habeam, nihil tam arduum, tamq́; inacceſſum eſſe, quod dexteritate ingenij attingere, & tandem aſſequi non poſſimus: nullas deniq; tantas vires, aut etiam fraudum inuolucra tam intricata, quæ declinare, aut etiam auerſare nequeat ingenioſus beneque conſultus animus. Quæ ſententia certè philoſophica hoc lepido figuratur emblemate.

Deus vitæ humanæ moderator.

2. Sub hac præterea Bellerophontis fabula vitæ humanæ ratio propè omnis continetur; nam neq, aduerſis rebus nimis triſtari, neq; proſperis & felicibus nimis gloriari aut extolli conuenit, quoniam horum omnium deniq; moderatorem Deum eſſe experimur. Is enim pro ſua ſingulari clementia, & calamitatibus iniquè circumuentos adiuuat, quod accidit, dum calamitoſus eſſet, Bellerophonti; & nimis elatos animos deprimit, quare idem poſtea de cœlo dicitur detruſus.

Ira eſt Chimera

3. Eadem fabula denique per Chimęram ab ira, monſtrorum omnium turpiſſima, propoſita eius turpitudine nos reuocat: illa enim furibundos facit eos, qui tali animi motu exagitantur; oculosq; rubro colore perfundit, & flammis armatam Chimæram efficit. Nullum ſanè eſt vitium magis vel honori, vel vitæ mortalium, vel facultatibus infeſtum, quàm ira, quę omnia vno tempore euertit, niſi Bellerophon, id eſt, recta ratio illi moderetur. Igitur qui huic vitio ſunt dediti, non minus à noſtra conſuetudine auertendi ſunt ac deuitandi, quàm teterrimi & maximè pernicioſi ſerpentes.

Vigilantia & Cuſtodia.

EMBLEMA XV.



INSTANTIS quòd ſigna canens det gallus Eoi,
Et reuocet famulas ad noua penſa manus:
Turribus in ſacris effingitur area peluis,
Ad ſuperos mentem quòd reuocet vigilem.
Eſt leo ſed cuſtos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcircò ponitur ante fores.

COMMENTARII.

I. ANTERIOR facies, & fores templi cuiuſdam conſpiciuntur, cum duabus vtrinq; turriculis, in quarum ſummitate campanæ, & ſupereminentes galli, vigilantię ſymbola: portæ limen verò cuſtodit vtrinq; leo. Et hæc pictura ſuam elegantiam Pignorio tacitè acceptam refert. Sed quia pleriſq; epigrammatis ſtructura ſubobſcura videtur, eam huc ſubiungere nihil erit abs re, quę ſic habet: *Gallus effingitur in turribus ſacris, quòd canens det ſigna Eoi inſtantis, & quòd reuocet manus famulas ad penſa noua: Ærea peluis, ſcilicet, effingitur in turribus ſacris, quòd reuocet mentem vigilem ad ſuperos. Sed leo cuſtos eſt, quia dormit oculis apertis, idcircò ponitur ante fores templorum.*

II. *Vnde deductũ Emblema.* Ex vetere Chriſtianorũ patrum inſtituto, & ex rerum proprietate; tum etiam ex Oro Apolline videtur deſumptum hoc ſchema, quo vigilantia & cuſtodia in Epiſcopo requiſita deſignantur: Depingitur autem duplex vigilantia, corporis vna, mẽtis altera. Corporis vigilantiam Gallus refert, qui homines ad labores ſolet excitare. Campana verò, quia mentem ad Deum excitat, ſymbolum interioris vigilantiæ continet. Cuſtodiam autem repræſentat leo, pro foribus templi excubans. Sanè non citra myſterium veteres gallum editiori ſacrorũ templorum loco conſtitui voluerunt, quo paſtoris potiſſimùm vigilantia repræſentaretur. Quò ſpectat illud D. Gregorij ex homilia quadam: Quiſquis populi ſpeculator ponitur, inquit, debet in alto ſtare per vitam, vt prodeſſe poſſit per prouidentiam. Sunt præterea, qui Doctores ſacros hieroglyphicè galli nomine velint intelligi, propterea quod illi inter præſentis vitæ tenebras venturam lucem, quaſi cantando prænuncient. Vt verò gallus interuallis aliquot noctis, modò hos, modò illos excitat, & tempus antelucanũ diſcrimine aliquo partitur: ita pro ratione perſonarum, aliarumq́ue circumſtantiarum, doctrinam ſalutarem animis inſerere debent. *Gallus cur ſacris turribus ſtatuatur.* Quantum verò ad leonem pertinet, Aegyptij vigilantem innuere cum vellent, aut etiam cuſtodem, leoninum caput appingebãt: leo enim clauſis oculis vigilat, dormit apertis. quocirca non ab re ad ſacra clauſtra & fana leones eriguntur, tanquam cuſtodes, ait Orus. & Pierius lib. 1. Hieroglyph. ex quo cętera petas licet, ſi quid præterea deſideres. *Quid per Leonem.* Non poſſum illud Plutarchi tranſilire, lib. De Pythiæ oraculis: ὁ δὲ ἀλεκτρυόνα ποιήσας ἐπὶ τῆς χειρὸς τοῦ Ἀπόλλωνος, ὀρθινὴν ὑπεδήλωσεν ὥραν, καὶ καιρὸν ἐπιούσης ἀνατολῆς: id eſt, *qui gallum in manu pinxit Apollinis, matutinum tempus, & ſolis ortum inſtantem ſignificare voluit.* Apuleius lib. 2. Commodum noctis inducias cantus perſtrepebat criſtatę cohortis. Ouidius in Faſtis gallum Nocti cædi ſcribit à Romanis:

Nocte dea Noctis criſtatus cæditur ales,
Quòd tepidum vigili prouocet ore diem.

Et elegantiſſimè, Plinius lib. 10. c. 21. Proximè, ait, gloriam ſentiunt & hi noſtri vigiles nocturni, quos excitandis in opera mortalibus, rumpendoq́ue ſomno natura genuit. Norunt ſidera, & ternas diſtinguunt horas interdiu cantu. Cum Sole eunt cubitum, quartaq́ue caſtrenſi vigilia ad curas laboremq́ue reuocant. Nec Solis ortum incautis patiuntur obrepere, diemq́ue venientem nunciant cantu, ipſum verò cantum plauſu laterum, &c. *Galli natura.* Aelianus 4. animal. hiſtoriæ, cap. 29. ὁ ἀλεκτρυὼν τῆς σελήνης ἀνισχούσης ἐνθουσιᾷ φασί, καὶ σκιρτᾷ. ἥλιος δὲ ἀνίσχων οὐκ ἄν ποτε αὐτὸν διαλάθοι· ᾠδικώτατος δὲ ἑαυτοῦ μᾶλλόν ἐστι τηνικάδε. id eſt, *Gallum gallinaceum exoriente Luna, vt afflatum diuino quodam ſpiritu bacchari atq; exultare ferũt. Oriens autem Sol nunquam ipſum fallit,*

tum vehementiſſimè vocem contendens.
Lucretius 4. ſic:

Quin etiā gallum, noctē explandētibus alis
Auroram clara conſuetum voce vocare.

Poeticam rationem huius antelucani gallorum cantus tradit Lucianus in Somn. ſiue Gallo, quā mox ſubiungemus: philoſophicā Heliodorus Aethiopic. 1. his verbis: καθ' ὃν γὰρ καιρὸν ἀλεκτρυόνες ᾄδουσιν, εἴτε, ὡς λόγος, αἰσθήσει φυσικῇ τῆς τοῦ ἡλίου καθ' ἡμᾶς περιστροφῆς ἐπὶ τὴν τοῦ θεοῦ πρόσρησιν κινούμενοι εἴτε ὑπὸ θερμότητος, ἅμα καὶ τῆς περὶ τὸ κινεῖσθαι καὶ σιτεῖσθαι θᾶττον ἐπιθυμίας τοὺς συνοικοῦντας ἰδίῳ κηρύγματι ἐπὶ τὸ ἔργον ἐγείροντες. At vero pulcherrimum D. Ambroſij locum ex lib. 5. cap. 24. libri, quem Hexaemeron inſcripſit, apponere non grauabor, quòd ſit huic Emblemati valde accommodus: Galli cantus ſuauis eſt in noctibus, nec ſolùm ſuauis, ſed etiam vtilis, qui quaſi bonus cohabitator & dormientem excitat, & ſollicitum admonet, & iter facientem ſolatur, preſſum noctis canora ſignificatione proteſtans. Hoc canente, latro ſuas relinquit inſidias: hoc ipſe Lucifer excitatus oritur, cęlumq; illuminat: hoc canente, mœſtitiam trepidus nauta deponit, omniſq; crebrò veſpertinis flatibus excitata tempeſtas & procella miteſcit: hoc canente, deuotus affectus exilit ad precandum: legendi quoq; munus inſtaurat: hoc poſtremò canente, ipſa Eccleſiæ petra culpam ſuam diluit, quam, priuſquàm gallus cantaret, negando contraxerat. Iſtius cantu ſpes omnibus redit, ægris leuatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, reuertitur fides lapſis, Ieſus titubantes reſpicit, errantes corrigit. Hæc ille: quo ex loco facilè videmus, quid nobis ſtatuendum ſit in vitæ & ſtudiorum ratione, cùm vir ille ſanctiſſimus tantum elaboret in eo explanando myſterio. Fulgentius quoq; gallum Mercurio attribuit, ob mercatorum vigilantiam. Sed quid prohibet vtilibus quoque permiſcere iucunda? Galli naturam feſtiuiſſimè, vt omnia, expreſſit ſub ænigmate Thomas Stiglianus, elegans Poeta Italicus, hoc modo:

Se ben neſſun mi batte, io grido forte.
Ed hò barba di carne, e bocca d'oſſo. Ænigma de Gallo.
Sto fra Chriſtiani, e pur tener mi poſſo.
Com'il gran Turco, più d'vna conſorte.
Son creſtoſo in vn luogo, e di tal ſorte.
Che giù mi pèdon, quand'il peſo è groſſo.
E ſempre, ò che mi fermi, ò che ſia moſſo
Auien, che l'horologio in gola porto.
Son Capitan d'eſſercito pedone,
E per vſare vna mia foggia ſgherra
L'elmo hò in teſta, ed in groppa vn pennacchione.
Son ſenza braccia, e con altrui fo guerra.
Son ſenza denti, e mozzico in tenzone.
Porto gli ſproni, e vò co i pie per terra.
Cano ſpeſſo ſotterra,
Per trouar mia ventura, e mio deſtino,
E pur ſtimo vn Rubin men d'vn lupino.

Habetur & aliud de Gallo:

Natura ſolers productus munere vates, Aliud.
Mendaci nunquam voce futura cano.
Quā prius obtueor ſolē, bis naſcor in auras,
Nec baptiſma, niſi poſt mea fata, fero.
Mortuus ancipiti dependet corpus obelo,
Cōcilians hominū gaudia multa gregi.

Hæc forſan vltra clepſydram, non tamen extra rhombum.

INSTANTIS Eoi] Lucis aduentantis, diei redeuntis, quem videtur aperire Eos: quod temporis Gallicinium appellatur; Horatio Galli cantus. Ἠὼς autem aurora eſt Græcis Ouid. 3. Faſt. III.

Tres vbi luciferos veniens præmiſerit Eos.

Auſon. in Eidyllijs: Eos Aurora.

—Ter clara inſtantis Eoi
Signa canit ſerus deprenſo Marte ſatelles.

Sed pro Poeſeos ſtudioſis pauca ſuper hęc annotabimus. Vocalis η, apud Græcos longa eſt. Latiniq; cum Græcas voces huiuſmodi transferunt, η. in e, longum commutant, quod Ouidius fecit in carmine iam citato. Sed aliquando euenit, vt dictiones Græcæ, quæ per η, ſcribuntur, eędem & per ε, enuncientur, quod hic fit. Nam Gręcè ἠὼς, & ἑὼς dicitur. Vnde Propertius lib. 1. vno diſticho vtramque quantitatem eſt complexus: ἠὼς, & ἑὼς.

Siue illam Heſperijs, ſiue illā oſtendet Eois;
Vret & Eoos, vret & Heſperios.

Canens det gallus] Lucianus in Dialogo, qui inſcribitur Somnium, ſeu Gallus, multa diſſerit de gallo, è quibus pauca, quia non ſine iucunditate leguntur, trāſlata huc conieci. Loquitur autem Micyllus in hunc modum ad gallum: Profectò & olim iſtiuſmodi quiddam de vobis audieram, adoleſcentulum quempiam fuiſſe Fabula de Gallo.

Gallum, Marti adamatum, atq; huic Deo compotaſſe, colluſitaſſeq; & in voluptatibus geſſiſſe morem. Itaq; cum Venerem adiret Mars, cum ea concubiturus, hunc Gallum vnà ſecum adduxiſſe. Quoniam autem Solem potiſſimùm metueret, ne ſi è ſublimi conſpexiſſet, Vulcano ſe proderet: foris ad oſtium adoleſcentulum ſemper relinquere ſolitum, cuius indicio certior fieret, quando Sol emergeret. Deinde Gallum aliquando ſomno correptum excubias deſeruiſſe inſcientem, Solemq; nullo pręſentiēte imminuiſſe Veneri ac Marti ſecurè dormienti, propterea quòd confideret Gallum indicaturum fuiſſe, ſi quis interueniſſet. Itaq; Vulcanum à Sole edoctum, eos deprehendiſſe implicitos, atque irretitos his vinculis, quæ iam olim in illos fuerat fabricatus. Porrò Martē, ſimul atq; dimiſſus eſt, indignatum aduerſus Gallum fuiſſe, atq; eum in auem tranſmutaſſe, iiſdem armis, vt in capite pro galea criſtam obtineret. Hanc ob cauſam, quò vos Marti purgetis, cum iam nihil opus, ſimul atq; Solem exoriētem ſenſiſtis, multò antè vociferari, atq; illius exortum pręnunciare. Hæc Lucianus, & multa alia ibidem. Ariſtophanes in fabula, cui titulus ὄρνιθες, lepidam narrat fabellam; imperaſſe ſcilicet aliquando Gallum Perſarum genti (quare quoq; auis Perſica dicitur) vnde etiam tiaram geſtat rectam, quod ſolis regibus erat conceſſum. Adeo verò formidoloſum & durum imperium illud fuiſſe, vt nūc quoq; gallis canentibus cuncti mortales, ceu multam verentes, ad opera peragenda proſiliant. Eraſmus in adagio, *Priuſquàm gallus iterum cecinerit*, cauſas reddit ex Plinio, & Cicerone, atque aliis, cur noctu gallus cantet, quem vide. Sed fas ſit latius nonnihil cum gallo cucurire, ſeu vt Demoſthenes dicit, κοκκύζειν. Ambroſius Nolanus ſuæ ætatis Philoſophus haud ignobilis, in ſuis quæſtionibus exiſtimat, gallorum antilucanum cantum ab innata quadam ſalacitate proficiſci. Eſſe enim hoc animal prę cęteris gallinis deditum, ac velut vxorium, mirèq; ſolicitum de ſobole propaganda, adeo vt vnus gallus compluribus gallinis pręficiatur, tantamque turbam vnicus maritus impleat. Hinc aliquando

Ariſtophanus fabula de gallo.

Cur gallus manè cantet.

Triginta viduas lapidis temerarius ictu
Reddidit (heu facinus) ſole ſtupēte puer.

Cantu autem libidinem coeundi ſignificari, vel illud pręcipuè denotat, quod antequam ad ineundas gallinas idonei ſint, conticeſcant. Quod plerisq; auibus vſu venit, quę Veneris procliuitatem denunciāt: quemadmodum de perdicibus ait Plinius, quę ſuperuolantium afflatu concipiunt, ſępe voce tantum audita maſculi. Quid mirum in auibus, cum & vxor quędam ſalax ſolis mariti abſentis litteris miſſis ſeſe pręgnatam faſſa fuerit ? ò fęcunditatem. Galli igitur concocto cibo, expulſo iā ſomno ad Veneris illecebras excitantur, cantuq; que blanditiis ad ſe gallinas alliciunt. Multorum Philoſophorum fuit opinio, omnia, quę infra Lunam ſunt, cum ſuperioribus cognationem quandam, quam Gręci συμπάθειαν vocant, habere. Vnde Chęremon Stoicus, & cum eo Porphyrius, arbitrati ſunt, gallo à Sole aliquid cęleſte conferri. In qua etiam opinione fuit Proclus, qui inſitum eſſe gallis ait, Apollinis numen aduocare, & veluti propriis canticis aſſurgenti ſupplaudere. Qui adeo prę cęteris animalibus cum ſole eſt coniunctior, vt hanc ob cauſam leo, qui animal maximè ſolare eſt, eius aſpectum, criſtas, vocemq; perhorreſcat, & eorum præcipuè (vt D. Ambroſius lib. 6. Hexaemer. cap. 4 dicit) qui albi ſunt. Cuius rei cauſam explicauit Proclus, qui ex Platonica officina prodiit, in eo libello, cui titulus, περὶ τῆς μαγείας, Rationem autem huius à materia ſenſuue aſſignare nequimus, ſed ſolum à ſuperni ordinis contemplatione, quoniam videlicet ſolaris virtutis præſentia conuenit gallo magis quàm leoni. Sed Lucretius aliam huius timoris affert rationem, cum de gallo loquens ait:

Risum teneatus amici.

Cur leo gallum timeat.

Quē nequeūt rapidi contrà conſtare leones,
Inq; tueri, ita continuò meminere fugai:
Nimirū, quia ſunt gallorū in corpore quedā
Semina, quæ cū ſunt oculis immiſſa leonū,
Pupillas interfodiunt, acremq; dolorem
Prabent, vt nequeāt contra durare feroces.

Alij autem dicunt, gallum eſſe ſymbolum colendæ diuinitatis, & diuinum quid præ ſe ferre: Quòd verò diuinum eſt, omnis humana terrenaq; poteſtas reueretur. Tanta igitur inter leonem & gallum diſcordia intercedit, vt etiam (quemadmodum ex ſuperſtitioſis Democriti ſcriptis tradit Socion) herbula quædam, quæ leo nuncupatur, ita gallum abhorreat, vt ſi puella non

dum

dum viro iuncta, ſed tamen quod tunc menſibus laboret, nuda, paſſiſq; crinibus leguminum ſegetem circumeat, gallum habẽs in manibus, illicò exareſcat. Sed quo me, galle, rapis?

Et reuocet] Homines excitos ad laborem vocet.

Famulas manus] id eſt, manuarios artifices, operas, hi ſunt *βάναυσοι τεχνῖται*, mechanici, ſeruiles.

Penſum.

Ad noua penſa] Penſum eſt manipulus lanæ vel lini, è colo, pendens; metaphoricè, eſt officij cuiusq; perfunctio. Ouid. 1. Amor eleg. ad Auroram.:

Tu, ne fœminei poſſint ceſſare lacerti,
Laniſicam reuocas ad ſua penſa manũ.

Idem de Lucretia 2. Faſtor.

Lumen ad exiguum famulæ data penſa trahebant.

Et in Epiſtolis:

Neue traham ſerua grandia penſa manu;

Virgilius 8. Aeneid.

——Famulaſq; ad lumina longo
Exercens penſo. ——

Cur gallus in turribus.

Turribus in ſacris] Hoc eſt in templis. Apud nos Salmanticæ (verba ſunt Sanctij) multis in nobilium turribus viſitur huiuſmodi effictus gallus, vt poſſimus facilè inſpicere, quà regione vẽtus inflet. Interroganti mihi, cur potiſſimùm gallus huic inſeruiret negotio? aliqui dixere, proprium eſſe gallinaceorum roſtrum ad ventum dirigere. Hæc ille. Magis pia eſt illa explicatio, quę cruces in turribus templorum, gallos geſtantes, eò trahit, vt peccatores, dum eminus crucem ſpectant & gallum, memores peccati & pęnitentiæ Petri, & veniæ per crucem obtentæ, excitentur ad ſimilem pęnitentiam, & in ſpem erigantur impetrandæ gratiæ. De gallo in pinnis templi extat lepidum hoc carmen ænigmaticum:

Excelſo volucris verſatur in aere quædam,
Huic ſimilis quæ ſit nulla ſub orbe viget.
In medijs huius nata ſunt ignibus alæ,
Orta eſt è flammis, æthera deinde ſubit.
Septenos vaſto degluberet ore iuuencos,
Hanc ſi corriperet non ſatianda fames.

Nola ſeu tintinnabulum.

Ærea peluis] *περίρραντις* nolæ ſeu tintinnabuli, cuius inuentionem repete ex 6. Polydori, cap. 13. De pelui ærea ipſe Alciatus 8. Parerg. cap. 11. ſic ait: Dubitabilior eſt alia quæſtio, an immodici importuniq; campanarum peluium pulſatores officio iudicis compelli poſſint, vt ceſſent. Et ſciendum veteribus non fuiſſe hunc morem, ſed inſtar peluium fabricata hæc vaſa campanas appellari cęptas, quod ex Campano ære conflatæ eſſent. Vnde prouerbium in loquaces & obſtreperos, *Dodonaũ æs* quod in Dodona duæ eſſent columnæ: in altera peluis ærea, in altera puer cum flagro peluim, vento impellente, percutiens; vnde tinnitus in multas horas perdurabat. Iuuenal.

Dodonaũ æs.

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari. ——

Hæc Alciatus. De Campanæ inuentione & vſu plura habes apud Guidonem Pancirollum, & lautum eius ſcholiaſten, Rerum memorabil. lib. 2. Tit. 9.

Tintinnabulũ prædicationis ſymbolum.

Ad ſuperos mentem &c.] Vt gallus corpus ad laborem, ſic campana mentem ad Deum euigilare facit: Eſt autem tintinnabulum prædicationis & inſtitutionis hieroglyphicum, vt docet Pierius Hieroglyph. lib. 47. Hinc Sacerdos Moſaicus ad imas tunicæ fimbrias aurea tintinnabula geſtare iubebatur, Exodi 28. vt eorum ſonitus quotieſcunq; Pontifex ingrederetur egrederetur q; Sanctuarium, exaudiri poſſet. Significabat id, oportere Sacerdotem vocalem eſſe, nunc docendo, nunc arguendo, nunc exhortando, ſæpiſſimè vero conſolando, atq; ea conquirendo opportuna remedia, quæ noſtra fragilitas videbitur expoſcere.

Eſt leo ſed cuſtos, &c.] Hoc totũ ſumpſit Alciatus ex Oro Apolline Niliaco, qui libellum de notis Hieroglyphicis Grę cè compoſuit, cuius hęc ſunt verba: ἐγρηγορότα γράφοντες, ἢ καὶ φύλακα, λέοντος γράφουσι κεφαλὴν, ἐπειδὴ ὁ λέων ἐν τῷ ἐγρηγορέναι, μέμυκε τοὺς ὀφθαλμοὺς, κοιμώμενος δὲ, ἀνεῳγότας τούτους ἔχει, ὅπερ ἐστὶ τοῦ φυλάσσειν σημεῖον. διόπερ καὶ συμβολικῶς, τοῖς κλείθροις τῶν ἱερῶν λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασι: *Vigilantem & ſedulum hominem, & cuſtodem, cum Ægyptij volunt oſtendere, leonis caput pingunt, quoniam leo vigilans oculos claudit; eoſdem cùm dormit, apertos habet: quod quidem cuſtodiæ atq; excubiarum ſignum eſt. Vnde & non abſq; ſignificatione, templorum clauſtris leones, qui ſint cuſtodum loco, appinxerunt.* Leonem quidem παρὰ τοῦ λάειν, λᾶν, à videndo deductum volunt, quia fera eſt perſpicaciſſimi viſus.

Leo unde dictus.

viſus. De quo ſi plura cupis, vide Ariſtotelem de Hiſt. anim. & Oppianum in 3. & 4. de venatione, Plinium Nat. Hiſt. lib. 8. c. 16. qui aſſerit, leones nunquam limis oculis intueri: de oculis adapertis non meminit. Vide etiam Cœlium Rhod. li. 13. c. 8.

Templorum idcircò ponitur ante fores] Eruditè non minùs quàm diligenter in ſuo Copiæ cornu Pierius leonis faciem illam, quæ prima viſa eſt Ezechieli, initiandorum ſacrorum admonitionem nobis oblatam fuiſſe tradit: eamq; à primis viſam, quòd à vita principum ſoleat totius populi conſenſus legem ſibi ſtatuere. Ponuntur itaq; ad valuas templorum, vel poſtibus ſuſtinendis, vel hyperthyris; aliquando etiam pronais locorum, vt Deum venerari primò meminerimus. Addit etiam, in pronao Taruiſinæ Cathedralis draconem alatum vnguibus leonum duorum comprimi: draconem retorto collo leonis pectus remordere. Cuius Emblematis eam eſſe ſententiam docet: prauam quidem cogitationem cor inceſſere, fortem animum eam protinus elidere; à læua leonem ſuo pectori ſubijcere apprehenſum leunculum: generoſum quippe animũ ſeipſum vincere.

Leonis imago in valuis templorum.

IV. *Duo paſtoris eccleſiaſtici munera.*

1. DVAE ſunt Epiſcopi neceſſariæ dotes, vt eius, cui animarum cura demandata ſit: nimirum vt ijs, quibus præſit, continuò ſtudeat, vt nihil eorum eis deſit, quod ſpectet ad fidei veræ profectum & augmẽtum: nè ve quis à recta via deſciſcat, aut ſacræ doctrinæ terminos tranſiliat. Nec verò eſt ſatis, vigilantem eum eſſe, niſi etiam cuſtodem ſeſe fortiſſimum præbeat, id eſt, cum cura & vigilantia, quæ perpetua ſit oportet, & etiam neceſſe habeat coniunctã cum moribus doctrinam, qua & ſuos inſtituat, & alienos etiam hoſtes, atq; erroneos homines forti animo retundat, veræque & ſanæ inſtitutionis quaſi haſta percellat. Quod duplici ſymbolo hic oſtenditur, ſumpto argumento ab ijs animalibus, quę & ſacris in turribus, & pro foribus templorum apponi ſolent, gallo nimirum, & leone: quorum alter vigilantiam, cuſtodiam alter deſignat.

Concionatores quid à cãpanis diſcant.

2. Campana præterea prædicationis (vt diximus) & inſtitutionis gerit ſymbolũ. Meminerint tamen verbi diuini pręcones, niſi & ipſimet ad vocis ſuæ clangorem viuendi rationem inſtituerint, atq; ita ad normam illam accommodarint vitam ſuã, campanis ſe vel in hoc quoq; aſſimilandos fore, quæ etſi clariſſimum edendo ſonum alios cieant, ipſæ tamen ſibi ſurdæ ſint & ſtupidæ. In quos elegans extat emblema cuiuſdam:

Æra graui cũctos veluti campana ſonore,
Ipſa licet penitus ſint ſibi ſurda, cient.
Sic es, recta docens alios, peruerſa ſequute.
Quiq; alijs ſapiens, non ſapis ipſe tibi.

Eodemq; planè ſenſu Apoſtolus 1 Corinth. 13. Si vel hominum (inquit) vel angelorum linguis loquar, charitatem autem non habeam; factus ſum æs reſonans, ac cymbalum tinniens. Addam de campanis παρέργως, vulgarem eſſe errorem, quo Paulinus Epiſcopus Nolanus, Diui Hieronymi æqualis, & ſanctimonia vitæ ſpectabilis, primus in ſuam Eccleſiam campanæ vſum inuexiſſe creditur: quaſi priori ſæculo ignotus ille fuerit. Verius namq; eſt, virum illum ſanctiſſimũ Gentilium ſacrorum abuſum correxiſſe, & ad pia munia tranſtuliſſe, vt nimirũ eius ſono exciri poſſent ſemotiùs habitantes ad conciones precationesq;. Cæteroquin ijſdem, quibus hodie, vſibus deputatas fuiſſe priſcis quoque ſæculis campanas, Hadrianus Iunius diſertè docet, lib. 3. Animaduerſ. cap. 11. Sed ne garrulitatis vento impulſus audiam Δωδωναῖον χαλκεῖον; flagellum de pelui.

Campanarum origo.

Νῆφε, καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν.

Sobrius eſto; & memineris non temerè credere: hęc ſunt membra mentis.

EMBLEMA XVI.



Ne credas, ne (Epicharmus ait) non ſobrius eſto:
Hi nerui humanæ membraq́ mentis erunt.
Ecce oculata manus, credens id, quod videt: ecce
Pulegium antiquæ ſobrietatis olus:
Quo turbam oſtenſo ſedauerit Heraclitus,
Mulſerit & tumida ſeditione grauem.

COMMENTARII.

I. Recti habet ſe manus oculata; ſed ſimplex illud quoduis aliud potiùs repræſentat quàm pulegium: elegantius multò habet editio Rouilliana. Sanctius epigraphen Emblematis Latinã apponit. *Sobriè viuendum, & non temerè credendũ.*

II. Dvo hic præcepta cuiq; honeſti ſtudioſo traduntur, nimirùm vt ſobrietatem amet, & credulitatem leuem & temerariã vitet: quam ad rem duabus (ſuo more) notis

notis vtitur, nempè pulegio, & oculata manu: illo quidem, vt ſobrietas paruo contenta ſignificetur: hac verò, qua rerum certarum fides intelligatur. Cicero 1. Epiſtolar. ad Atticum, carmen hoc Græcum citat: Priuatis rebus meis, inquit, propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malorum, odium in me improborum, adhibeã quandam cautionem & diligentiam: atq; ita Siculus inſuſurret Epicharmus cantilenam illam ſuam:

M. Tullij locus, vnde petita eſt Emblematis epigraphe.

Νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦ-
τα τῶν φρενῶν.

Ac noſtræ quidem rationis ac vitę quandam formam, vt opinor, vides. Hoc carmẽ alij hoc modo citant:

Νῆφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν ἀνέρα φρο-
νέοντα ταῦτα. id eſt.

Eſto ſobrius, & memineris virum, qui ſic ſapiat, non oportere eſſe credulum. Sed quia Eraſmus deprauatum verſiculum teſtatur in adagio: *Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris.* ſic ille è veſtigijs codicum hoc carmen Trochaicum reſtituit:

Νᾶφε, καὶ μέμνασο ἀπιστεῖν, ταῦτα νεῦ-
ρα τῶν φρενῶν.

Nam quod νᾶφε dixit, pro νῆφε, & μέμνασο, pro μέμνησο, dialecti proprietas eſt. Alteram autem partem idem Cicero vſurpauit lib. De petitione Conſulatus: Quamobrem, ait, Epicharmion illud teneto, neruos atq; artus eſſe ſapientiæ, non temerè credere. Relatum eſt etiam ab Alciato noſtro lib. Parergon 4 c. 8. Recitat etiam id Epicharmium Clemens 4. Stromat. & ad inſtitutum Chriſtianum accommodat. Sed de his mox dicemus plura, in quarta claſſe.

III. *NE credas*] temerè, vel adeo facile. Conuenit cum Epicharmi ſententia Theognidis verſiculus:

Πίστει χρήματ' ὄλεσσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα.
Fiſo res perijt, diffiſo ſalua remanſit.

Licet nemini fidere ſit inhumanum, omnibus verò fidere ſtultum. Quare pulchrè Heſiodus:

Καὶ κασιγνήτῳ γελάσας ἐπιμάρτυρα
θέσθαι,
Πίστεις δ' ἄρα ὁμῶς, καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν
ἄνδρας. id eſt:

Si quicquam cum fratre tibi eſt, teſtem
adijce rebus,
Subridẽs, nocuit non credere, credere sẽper.

Seneca epiſt. 3. lib. 1. Vtrumq; enim vitiũ eſt, & omnibus credere, & nulli. Vide parœmiam, *Fiducia pecunias amiſi.*

Epicharmus] Epicharmus Siculus, vt ait Diogenes Laertius, Elothalis filius, Pythagoræ diſcipulus, Philoſophus & poeta, Comœdiæ inuentor, teſte Suida. *Epicharmus.*

Nẽ non ſobrius eſto] Eſto ſobrius: duo enim negata vni affirmationi æquiualent.

Nerui, membraq;] ἄρθρα, νεῦρα, τὰ μέρη. Metaphoræ, quibus vim vtiliſſimi præcepti illuſtrat. Nam ῥώμη ψυχῆς σωφροσύνη, vt refert alicubi Stobæus. Quo ſenſu dixit Iuſtinus, genitricem virtutum frugalitatem. Sic Cicero pro lege Manilia, neruos Reipub. appellat milites, claſſes, vectigalia, quod in his conſiſtat omnis Reipub. firmitas. Sic apud Demoſth. νεῦρα πολέμου τὰ χρήματα. Fabius lib. 1. mollem educationem neruos omnes animi & corporis frangere. Et Dion in Veſpaſiano: *Pecunias neruos eſſe imperij ſemper dixerunt.* id eſt, νεῦρα γὰρ τῆς ἡγεμονίας τὰ χρήματα ἀεί ποτε εἶναι ἔλεγον.

Sobrietas animi robur.
Nerui Reipub.

Ecce] Demonſtrandi nota rectè iũgitur cum manu oculata, quę credit id, quod videt.

Oculata manus] Adagium, quo rei certitudo ſignificatur. Oculatas enim manus dixit Plautus, quæ promiſſa velint exhiberi re, non oratione promitti. Nam oculos habere, quibus videant exhibita aures non habere, quibus audiant pollicitationes. Ita lena quædam in Aſinaria adoleſcenti aureos montes pollicenti, cùm illa nihil commoueretur promiſſis, inquit: *Oculata manus.*

Quum à piſtore panem petimus, vinum ex
œnopolio,
Si æs habent, dant mercem: eadem nos di-
ſciplina vtimur.
Semper oculatæ noſtræ ſunt manus, credunt
quod vident.

Idem in Pſeudolo:

Eme die cæca herele oliuum, id vendito ocu-
lata die.

Oculata die aliquid vendere, eſt præſenti pecunia vendere. Vim prouerbij videtur expreſſiſſe Terentianus ille leno Sannio in Adelphis: *Oculata die vendere.*

— *Verum ego nũquam adeò aſtutus fui*
Quin quidquid poſſem, mallem auferre po-
tius in præſentia.

Huc quoq; alluſit Chęrea in Eunucho:

—— *Fac ſis, nunc promiſſa appareant.*

Et

Et Propert. lib. 1.

Cui nõ antè patet, donec manus attigit.

Idem Plautus in Truculento:

Manus vetat, priuſquam penes ſeſe habeat, quicquam credere.

Imò & ſacrę litterę admonent, non omni ſpiritui eſſe credendum.

Non ſtatim fidendum. *Credens id, quod videt.*] Herodotus: ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισιν ἐόντα ἀπιςότερα ὀφθαλμῶν: Aures ſunt hominibus magis incredulę, quàm oculi. Proinde laudatur illud Theocriti:

μὴ πίςευε τάχιςα, πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψῃ.

Ne crede citiſſimè, ni prius finem videas.

Cuius ſententię vim tenere debent qui verſantur in Rebuſp. & negotijs grauioribus implicantur, ſed maximè temporibus periculoſis. Si enim propter amicitiam multorum fucatam vix fratri fides interdum ſit habenda, perpetuò meminiſſe debemus Pythagoricę parœmię, *Ne cuiuis dextram inieceris*, quandoquidem hominum ea ſit improbitas & verſutia, vt non modò ſermo, ſed & frons, vultus, & oculi ipſi perſępè mentiantur. Apollonius rogatus à rege Babylonię, qua ratione quietus in ſuo principatu perduraret: Si, inquit, paucis fidem habueris. Nulla enim regibus maior pernicies impendet, quàm cum delatoribus facilem ad ſe aditum prębent. Plato de Repub. magiſtratum optat, qui ſit τὰ ὦτα διατεθρυλλημένος, id eſt, qui aures obtuſas habeat ad rumores & fabulas populares. Addam & id Plautinum è Truculento:

Non laudandus eſt is, qui plus credit quæ audit quàm
Quæ videt; non placet, cùm illi plus laudant quæ audiunt,
Quàm quæ vident: pluris eſt oculatus teſtis vnus, quàm auriti
Decem. qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè ſciunt.

Quod tamen non probatur Apuleio, initio Floridorum, qui vt inſeruiat argumento quod tractat, plus fidei aurium quàm oculorum eſſe adhibendum vult. Huius hæc verba: Non itidem maior meus Socrates: qui cùm decorum adoleſcentem, diuque tacentem conſpicatus eſſet: Vt te videam, inquit, aliquid eloquere. Scilicet Socrates tacentem hominem non videbat: etenim arbitrabatur homines non oculorũ, ſed mentis acie & animi obtutu conſiderandos. Nec iſta re cum Plautino milite congruebat, qui ita ait: *Pluris eſt oculatus teſtis vnus, quam auriti decem.* Imò hunc verſum ille ad examinandos homines conuerterat: Pluris eſt auritus teſtis vnus, quã oculati decem. Atqui ſi magis pollerent oculorum quàm animi iudicia, profectò de ſapientia foret aquilæ concedendum. Homines enim neq; longè diſſita, neque proximè adſita poſſumus cernere, &c. Apuleius tñ aliò ſententiam torquet, vt dixi, neq; propriè cõtrarium quid à Plauto ſtatuit, ſed certè diſſimile. Vide Prouerb. *Oculis magis habenda fides, q̃ auribus.* Ad rem redeo. M. Tullius in Lælio: Hæc in fabulis ſtultiſſima perſona improuidorũ & credulorum ſenum. Non minimum commendarunt ἀπιςίαν quidam ex veteribus, non quidem vt omninò fidem omnibus abrogemus, ſed vt nullo non loco circũſpecti ſimus, videamuſq; quatenus dextra ſit huic vel illi admouenda. Demoſthenes hãc ἀπιςίαν vnam ait omnibus qui ſapiũt conceſſam à natura cuſtodiam ſalutis & fortunarũ. Sed de his iamiam latiùs agemus.

Oculorũ iudicium præpollet iudicio aurium.

Pulegiũ. *Pulegium*] Pulegium Græcè γλήχων, *glechon*, ſeu *glachon*: Cuius vires permultas habet Plin. lib. 20 cap. 14. & Apul. De herb. virt. cap. 92 multa. Cæterum, pulegio vitia ſtomachi tolli, teſtatur Dioſcorides lib. 3. cap. 31. Ναυτίας τε, καὶ δηγμὸς ςομάχε μετὰ ὀξυκράτε ποτιςθὲν παραμυθεῖται. hoc eſt: *Nauſeas & eroſiones ſtomachi in poſca* (id eſt, vino, quod aceto & aqua temperatum eſt) *bibitum lenit.* Dixerat antè, hanc herbam eſſe λεπτυντικὴν, θερμαντικὴν, καὶ πεπτικήν. id eſt: *extenuatiuam, calefactiuam, & concoctionis adiutricem.* Vide epigramma Græcum lib. 2. εἰς φειδωλούς.

Poſca q̃d.

Οὐ γλήχωνι Κρίτων ὁ φιλάργυρος, ἀλλὰ δὶς χαλκοῦ
αὐτὸν ἀποςραίνει θλιβομένου ςομάχου.

Quod ita vertit Sanctius:

Nõ glechone Criton, aſt ſordidus æris odore,
Vexatum ſtomachum ſæpe dolore leuat.

Antiquæ ſobrietatis] qua veteres, homines frugi, & rerum parabilium appetentes vtebantur. Eſt autem pulegium ſiti & violentiæ contrarium. De veterum frugalitate lege Valer. Max. lib. 4. c. 4. & lib. 7. c. 1. Nã, vt ait Horatius 2. Carm. Ode 15.

Frugalitas veterum.

Priuatus illis cenſus erat breuis,

Com-

Commune magnum. ——
Plinius epiſt.22.lib. 1. de Catilio Seuero: Quàm parcus in victu? quàm modicus in cultu? Soleo ipſum cubiculum eius, ipſumq; lectum, vt imaginem priſcæ frugalitatis aſpicere. Ipſius autem Plinij frugalitatem habes lib.2. epiſt. 6.

Olus.

Olus] λάχανον. Olus dicitur omnis herba ſatiua, ab alendo, quod veteres oleribus alerentur, antequam eſſent repertæ fruges; iisq; veſcebantur abſq; luxurioſo condimento, vnde prouerbium, τὸ ἐν λαχάνοις πέπερι, *in oleribus piper*; pro re ingrata & inſipida. Hinc quoq; olus pro tenui & quotidiano victu nonnunquam accipitur. Horatius 2. Serm. Sat.7.

In oleribus piper.

—— *ſi nuſquam es forte vocatus*
Ad cœnam, laudas ſecurum olus. ——

Et quia ægrotantes plerunq; tenui egent victu, eos oleribus curatos fuiſſe conſtat ex Plinio, & Plauto in Capt. vbi Hegio Paraſitum inuitat ad cœnam terreſtrem, *multis oleribus*. Cui ille reſpondet: *Curato ægrotos domi*. Inde Heluones antiquitus propriè appellati; nam helus, veteres dicebant pro holus. Quia verò ægroti nauſeabundi valde ſunt, faſtidioſiq; & delicati ciborum arbitri, hinc poſtea tranſlata ea vox ad homines delicatos opiparosq; qui magnas pecunias in dapes profunderent; non in voraces, quod hactenus à pleriſq; falsò exiſtimatum.

Heluones qui propriè.

Heraclitus.] Heraclitus in ſeditione quadam rogatus à ciuibus, vt concordiam ſuaderet, ſuggeſtum aſcendit, calicem frigida compleuit, infuſam digito farinam miſcuit, vnà cum pulegio, idque bibit, & hinc diſceſſit: nimirum reipſa loquens, plerumq; ſeditiones ex luxu rerumq; ſuperfluarum vſu oriri: inter eos autem facile conſtare concordiam, qui modicis ac tantum neceſſarijs eſſent contenti. Nam

δεῖπνον γὰρ εὐτελὲς οὐ ποιεῖ παροινίαν.
id eſt:
Vbi cœna frugi eſt, nulla debacchatio.

De Heracliti facto vide Plutarchum de garrulitate, Eraſmum in Apophthegmatis lib.8. Commentatores Dioſcoridis, in verbo, *Glechon*. Cœlium item Rhodig. lib 13.cap.5. Vide quoq; adagium, *Thymbra victitans*.

Magnus eſt orationis non

Quo turbam, &c.] In eo nonnullis fortaſſe σκοτεινὸς habendus eſt Heraclitus, id eſt, *tenebricoſus*; ſed certè hac ambage, & ſymbolis aphonis plus fortè perſuaſit, quàm alius quiſpiam oratione prolixiſſima. Siquidẽ πολλῶν πάνυ καὶ μακρῶν περιόδων ἓν ῥῆμα καὶ νεῦμα πίστιν ἔχοντος ἀνθρώπου κυριώτερον ἡγεῖται: Plerumq; vir, cuius perſpecta fides eſt, vno verbo vel nutu longas aliorum orationes ſuperat. Sic enim fidem fecit Amaſidi Pittacus, cũ linguam immolatitiæ victimæ remiſit, tanquam membrum omnium vel optimum, vel peſſimum. Sic Anacharſis, de quo iam ſupra diximus, cum apud Solonem repertus eſt eo geſtu dormiens, vt dextram haberet admotam ori, ſiniſtram pudendis: vt ſignificaret, maiore ſtudio & cura linguã eſſe cohibendam, vt partẽ omnium maximè rebellem. Quid enim vel Sciluri facinus ad concordiam ſuos liberos adhortantis; vel Tarquinij Superbi ſumma papauerum capita baculo decutientis, huc commemorem, cùm hęc iam vulgò trita ſint? Olim enim cùm nondum Platonis opera, vel Carneadis, aut Chryſippi ſapientia loquax eſſe didiciſſet, omnia breuibus oraculis, aut ſymbolis, interdumque ἀφώνοις, non minus commodè tradebantur, quæ pertinerent ad vitæ humanæ cultum & informationem. Sed audiamus Plutarchũ ea de re ſtudioſè commentatio περὶ ἀδολεσχίας diſſerentem; οἱ δὲ, inquit, συμβολικῶς ἄνευ φωνῆς ἃ δεῖ φράζοντες οὐκ ἐπαινοῦνται, καὶ θαυμάζονται διαφερόντως, ὡς ἡράκλειτος, ἀξιούντων αὐτὸν τῶν πολιτῶν γνώμην τινὰ εἰπεῖν περὶ ὁμονοίας, ἀναβὰς ἐπὶ τὸ βῆμα, καὶ λαβὼν ψυχροῦ κύλικα, καὶ τῶν ἀλφίτων ἐπιπάσας, καὶ τῷ γλήχωνι κινήσας, ἐκπιὼν ἀπῆλθεν· ἐνδειξάμενος αὐτοῖς ὅτι τὸ τοῖς τυχοῦσι ἀρκεῖσθαι, καὶ μὴ δεῖσθαι τῶν πολυτελῶν, ἐν εἰρήνῃ καὶ ὁμονοίᾳ διατηρεῖ τὰς πόλεις.

modò, ſed & geſtus viri boni.

Pittacus.

Anacharſis.

Scilurus.

Tarquinius Superbus.

Turbam grauem tumida ſeditione] Populum, vel plebem tumultuantem, iamq; ad ſeditionem ſe comparantem.

Mulſerit] mitigarit, lenierit. Mulcere enim eſt delinire, quaſi mollicere, hoc eſt, molle reddere. Hinc Mulciber dictus Vulcanus, quod molliat ferrum ac mitius reddat. Et Mulſum, quaſi melle delinitum.

Mulcere

Mulciber.

Mulſum.

IV.

EMBLEMA hoc frugalitatem & ſobrietatem ſuadet, temerariam verò credulitatem diſſuadet, de quibus duobus ſi cũ doctiſſimo Minoe paulò latiùs diffundar, facile me veniam impetraturum confido,

prę-

præſertim in re tã vtili, addo & neceſſaria.

De frugalitate. 1. De frugalitate M. Tull. 3. Tuſcul. Veriſimile illud eſt qui ſit temperans, quem Græci σώφρονα appellant: eamque virtutem σωφροσύνην vocant: quam ſoleo equidem tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiã modeſtiam. Sed haud ſcio an rectè ea virtus frugalitas appellari poſſit, quod anguſtius apud Græcos valet, qui frugi homines χρησίμους appellant, id eſt, vtiles: At illud eſt Latius abſtinentia, omnis innocentia, quæ apud Græcos vſitatum nomen nullum habet, ſed habere poteſt ἀβλάβειαν, nam eſt innocentia affectio talis animi, quæ noceat nemini, reliquas etiã virtutes frugalitas continet: quæ niſi tanta eſſet, & ſi his anguſtijs, quibus pleriq; putant, teneretur, nunquam eſſet L. Piſonis cognomen tantopere laudatum. Sed quia nec qui propter metum præſidium reliquit, quod eſt ignauię: nec qui propter auaritiam clam depoſitum non reddidit, quod eſt iniuſtitiæ; nec qui propter temeritatem malè rem geſſit, quod eſt ſtultitiæ, frugi ſolet appellari: eo tres virtutes, fortitudinem, iuſtitiam, prudentiam frugalitas complexa eſt, etſi hoc quidem commune eſt virtutum: omnes enim inter ſe nexæ & coniugatæ ſunt. Reliqua igitur & quarta virtus, vt ſit ipſa frugalitas neceſſe eſt. Hactenus ille de vi verbi; nos ad rei notionem veniamus.

Sobrietatis laus. Rectè Apuleius, ſobrietatem dicit eſſe ſapientiæ omnis primarium fundamentum, quod in ſe virtutum omnium ſemina continet: nam ſobrietas temperantiæ ſpecies, prudentiæ comes eſt, in perſpicientia veri, falſique, tum in delectu habendo rerum bonarum ac malarum; ea fortis eſt, quæ voluptatum illecebris non capiatur, & iuſtitiam colit, quam in ſe primùm ſeruat, alijs etiam tribuit. A ſobrietate itaq; ſuam philoſophandi rationem Pythagoras orſus eſt, cum quibus, certiſque de cauſis ab eſu carnium prohiberet. Quod adeò multis probatum eſt, vt pleriq; inde facti meliores, ac cultiores, ſapientiæ latices imbiberunt: alij ſuperſtitioſe Pythagoram æmulati in totum repudiarunt eſum carnium, & animantia muta, vt impura crediderunt: quo de numero Eucratitæ, deliri quidam hæretici, de quibus Epiphanius. Sobrietas virtutum pene omnium ſeminarium eſt: quam vnã qui habeat, & cæteras etiam facillimè habuerit. Plato in Charmide temperantiam, vitæ hominum cuſtodem appellat. In Gorgia præcipit, vt qui ſanus ac beatus eſſe velit, hanc virtutem exerceat. Et Xenophanes nihil in homine naſci mali poſſe, qui temperantiam fuerit amplexatus. Itaque quotquot ſapientes olim habiti ſunt, temperatiſſimi prædicantur: vt Socrates, qui quòd tenui victu eſſet, ea peſte ſæuiſſima tactus non eſt, quæ Atticam inuaſit. Et Plato, apud quem cum nobilis imperator Timotheus cœnaſſet, moderatis cibis exceptus, poſtridie illi factus obuius, dixit: Qui apud te, Plato, cœnant, ſequenti die bene ſe habent. Nominatur & Pythagoras inter ſobrios, qui etiam dicebat: Venter pinguis non gignit ſenſum tenuem. Idem cùm offendiſſet aliquem inſigniter obeſum: Non deſines, inquit, tibi moleſtiorem carcerem ſtruere? Prætermitto Græcorum veterum frugalitatem laudatam ſapientibus, qui ſemel tantùm interdiu epularentur. Ergo Plato delatus in Siciliam, cùm nullum iſthic patriæ frugalitatis veſtigium obſeruaret, admiratus eſt inſulæ corruptiſſimæ deprauatum morem, quẽadmodum refert ipſemet in epiſtola quadam ad Dionis propinquos. Apud veteres Romanos, frequentior pultis vſus, quàm panis fuit, & eorũ bonæ valetudinis quaſi quędam mater erat frugalitas, inimica luxurioſis epulis, & aliena nimiæ vini abundantię, & ab immoderato Veneris vſu auerſa. Val. Max. lib. 2. cap. 5. Non eſt quod ſic verbis multis augeamus frugalitatẽ Caij Fabricij, Coruncani, Curij, quos celebrat Tullius: hæ enim virtutes fuere potiùs temporum, quàm hominum. Probatur, me quidem iudice, modeſtia vel Agaſiclis, de quo Auſonius, & Plutarchus: vel Neruæ Goccei, boni Principis, de quo Valerius Martialis.

Niphalia ſacra. Solemnia olim fuere niphalia, Iunonis ſacra, quæ abſtemia à matronis abſtemijs celebrabãtur, vt matronę memores eſſent, quam Deam colerent, quæ eas moneret ſobrietatis, vt quæ ſit indiuidua pudicitiæ comes.

Iudices ſobrij. Non tranſilio, quod receptum moribus, vt non niſi à ieiunis iudicia exercerentur reorum capitalium, vt meminerint, ſe ad rem ſeriam accedere, & in qua de hominis agatur capite, de quo non niſi prudentiſſimè, & maximè ſobriè cognoſcendum. Id adijcio, Baccho, Deo

temu-

temulẽto, tum papauer, tum ferulam olim tributam legimus, erudito ſanè figmento, vt vini vis ob oculos poneretur; papauer ſomnum conciliat, vt mero plenus ſui oblitus, dare ſe ſomno debeat, ſuam vt ſpontaneam infamiam tegat: ferulam verò caſtigationis notam, vt intelligant ebrioſi, ſe pœna dignos citius quàm miſericordia, qui ſe ſponte in id diſcrimen coniecerint. Eadem prudentia fuit apud ſapientes veteres, dum præfigerent annum luctus matronis, quæ viros amiſiſſent, ne ſcilicet ante annum poſt mariti mortem properarẽt ad ſecundas nuptias, ne fieret confuſio ſanguinis, l. 8. ff. de his qui not. infam. Iul. Paul. 1. receptar. ſentent. tit. vlt. Multa huc conferri poſſent ex Decretal. Pontificum, de pęnitent. & remiſſ. ſed hoc ſtudioſis penſum imponimus. Addo ego poſtremò, nullam virtutem ad Naturę leges ſic eſſe compoſitam, quam frugalitatem. Inquirentibus in nos ſagaci mentis oculo, vitia quædam apparebunt obſcuriora & in receſſu, quædam in aperto & frõte poſita, & quaſi manu prehendenda, craſſa, ſupina; de quo luxus & largior bonorum profuſio, vbi nec ratio ſuadet, nec poſtulat neceſſitas, ſaturando, veſtiendo, protegendo corpori, & ab incommodis supernè deiectorum imbrium, caloris & frigoris, vindicando. Non ſudandum magnoperè pro his, nec Oceano diuiſæ gentes adeunda, quæ à Solis cubilibus miniſtrent exotica, ſi relegata in vltimas terrarum oras intemperie hac, moderamen naturę, & quod dictat ſequamur, quæ in exceſſu laborat & frangitur, amica frugalitatis. Non quærit ſuperflua, imò nec fert, modis quibus expellat & ſe exoneret, prouidę corruptionis, vtiliter inuentis. Videmus hoc in elementis, & quicquid coaleſcit eorum connexione, in animãtibus, metallis, ſtirpibus; excernunt ſi quid aggrauat, & deijciunt ſuperflua. Crepat nubes nimio humore pręgnans, rarior à temperato humido ipſo motu & agitatione paulatim ſe conſumit, & miſcet aeri Non libratur diu vaporum terreſtrium denſior ibi globus, nec molem ſuſtinet flabile ſubiectum pendentis materiæ, vincitur copia, & cedit ruenti tãdem. Hinc nix, pruina, grando, fulmen, rores, nimbi, pluuiæ, ignita ſpectra, cadentes ſtellæ, quæ purgamenta non incommodè appelles, & proluuiem velut quandam ſaturatæ & parturientis auræ, quam cogit ad egeſtum Natura, & vſus Vniuerſi. Deinde illud ipſum, ex quo talia, nonne pars Oceani fuit, aut fumantis terræ, ſecretione reiecta? Exudat inutilis mãdor ſcilicet, admixtus pingui fœculento & viſcoſo, de magno hoc & infimo mundi corpore, quem adlãbit ſol, atq; attrahit, vt vel diſſipet radiorũ iactu, aut reuerberet, exuberante maſſa, ſubactum & coctum aliter, eundem re, diuerſum aſpectu & diſpoſitione. Steriles herbæ luxuriant paſſim & noxia gramina, non iuſſa creſcere prouocante ſemine, ſed coacta exire, vitioſæ vligini ſic quaſi excolandę, & purgando terreſtri vtero, ad concipiendum meliorem fœtum. Metallarias intremus cauernas, vbi fœx impurior, & ſordida ſuperfluitas inter ramenta aurea & venulas deſidens ad ſegregationem, extrudente vi intrinſeca connaſcentis precij, ſenſim itura, ſe oſtentabit. Nec in ſtirpium excrementis propellendis Natura ſegnior: capillamenta quædam, cinnos, aut floccos præmittunt arbores, & muſco ſe operiunt ac viridi lanugine, priuſquam germinẽt, purgantis ſe medullæ, & inutilem ſuccum ſecernentis manifeſto ſigno. Age verò, quã prouidè in noſtro deniq; & cęterorum animantium corpore cauales iſtos egeſtionis ſuperfluæ diſpoſuit, ne collectis velut in cloaca ſordibus, exitu intercluſo, corrumperetur ſitu & putreſceret? Huc aurium nariumq; quadriforæ portę faciunt, & tubus maior deferendis excrementis, & vrinaria fiſtula anguſta ac breuior, & foriculę traiectæ cutis, puncturis ſimiles, ſine numero, ſudori deijciendo, & porta ipſa prętoria, reciproci vſus, gurgulio, intrantis, exeuntis cibi vehiculum: cumq; vel inteſtinorum volumina turgent, obſtructa inerrante flatu, aut venarum euripi noxio ſanguine, naturæ æmula ars clyſteres præparauit & ſcalpellum apertioni. Adeo vias omnes ac modos diſpoſuit ſedula mater ſegregandæ copiæ, vt in tenore ſuo, menſura atq; ordine conſiſterent & conſeruarentur ſingula, ne vel defectus noxam, vel exceſſus pateret. Modus in medio & mediocri, virtutis titulo & laurea dignus: extrema laborant, nec ſana ſunt, nec ad ſanitatem adminicula, quæ abundant pręſertim, fomenta laſciuiæ. Sacra Frugalitas placat, falx luxuriæ & ſarculum runcandis ſarriendisq; ſilueſcentis mali quiſquilijs, quę ſola

Tempus luctus.

Frugalitas ad leges naturæ compoſita.

Natura vbiq; ſuperflua excernit.

Meatus pro excrementis in homine.

Virtus in medio cõſiſtit.

ſola prudenter, quouſq; progredi liceat, quid ornatus corporis, quid alimẽta, quid ſtructuræ ſumptuum efflagitent, ſubductis calculis computat, & per gradus vitæ ac honorum ſic partitur, vt laxiorem manum potentioribus, & qui in aliquo faſtigio eminent, relinquat; contrahat cæteris de inferiore ſorte, & iubeat coercere uanitatem, compreſſo paululum ſurgenti ſpiritu. Si confuſio in his, vbi ordinum diſcretio & dignitatum? vbi autoritas & veneratio? Vileſcunt æqualitate hac & perdunt ſplendorem, dum conditionis ſuæ limites, quiſque tranſiliens, ſupra vires & opes per ambitionis ſcalam aſſurgit. Corruptionis hoc publicę, imo perditionis extremæ ſeminarium ſit. Vertat in proprium ſinum oculos quilibet, videbit quid, aut quantum liceat: à cenſu enim & ſtatu hic temperandus affectus. Violenta ſunt, quæ cum immodico appetitu, & ordine inuerſo fiunt; naturam enim aut deſtruunt, aut vitiant & corrumpunt, quæ metas ſuas habet ac limites, intra quos conſiſtit moderabili ac determinata inclinatione ad ea quæ nutriunt, firmant aut ſeruant, ſine exceſſu, cum menſura & lege aliqua, quam nefas tranſire ſalua illa. Vis infertur item peſtiuo rerum vſu ac ſuperfluo, quibus voluptatem mortalium inſania ſcilicet circumſcribit, & miſeriã felicitatis titulo falsò indigitat. Onera enim ſunt, & corruptelæ, quæ tumultuaria oblectatione & inſidioſa ſic confunduntur, vt naturam velut in gyrum agant, & non ſolùm offendant, ſed opprimant copia. Obuium & parabile eſt, quod appetit, nec indiget nauigijs, quibus ex altero orbe tranſmarina apportentur: creſcunt, quę alant & ſufficiãt, in omni loco: quæ ſaturent nauſeam in abundantia, nulla regio dabit; illa enim neceſſitate, hæc deſiderio præpoſtero, in quo varietas & nouitas, efflagitantur: ibi naturalia & gratuita quæ ſedant, hic importuna ac moleſta irritant. Venter ad legem naturæ compoſitus, paruo dimittitur, ſi quod debetur accipit: qui volatilium lautitias decoxit, & de piſcium genere ſelectiores, non placatur polenta ac bubula, extraordinaria enim fames vrit, quæ non tam caſtiganda vt ſileat, quàm prouocanda ciborum delectu, vt minori cupiditate ſopita maiorem reſuſcitet, nouo quodam & ingenioſo gulæ irritamento, imò tormento

Natura paucis cõtenta.

verius. Supplicium certè eſt habere ingluuiem, quæ niſi exhauſtis ſiluis & fluminibus, neſciat paſci, quæ reſpuat domeſtica, inhiet peregrinis & exoticis. Flammæ conferro & occulto igni hoc torturæ genus, quæ, vt podagricus humor, ſtillicidio fouetur de meliore hoc ſucco obſoniorum. Si ſuffocare vis, tempera, & viue ad regulam, quam natura dictat: vbi luxuries aliqua & ſuperfluitas, præſcinde ac demere, & cogita, ſalire per medios campos riuulum, qui remedio ſit huic incendio: proferri in agris & hortulis, quæ doment eſuriẽ, & corpus natiua virtute vegetent, quam terra inſerit, & fabricator huius Deus. Neminem adhuc fames conſumpſit, qui glutire libellam panis, & fontanam bibere potuit. Ad lac & pultem naſcimur omnes, innutrimur his à teneris: quis ad culinaria officia, & magyricas artes inſolentem ſtomachum traduxit, niſi curioſitas & nauſea? Quid? deſperatio, vt ego quidem arbitror, prima magiſtra fuit focarij huius artificij, quæ præſcriptos continentiæ fines tranſilire, & polyphagiæ ſtudio rimari omnes mundi angulos, cum abiectione quadã & contemptu vitæ, temeraria perſuaſit. Qui primus concham marinam aperuit, oſtrea, & rubetas ponticas, vt coctã conuiuijs inferret, deſperatum fuiſſe & proiectæ audaciæ hominem, neceſſe eſt: nec meliorem illum, à quo detracta cutis anguillæ, & cancro ſua teſta, fluuiatili colubro ſcilicet, ac ſcorpioni: & qui fungos præparare, & carduos altiles docuit, quorum illi teſtudinum, aſinorum iſti proprij ſunt. Quamuis verò in ranis & conchulijs terreſtribus nihil, quod piſcis ſpeciem referat, ſimile, cum his nec oſſicula inſint aut ſpinæ, illæ ſquammis & branchijs careant; extracta ſunt tamen ex cauernulis ſuis & lacunis animalcula hæc, & piſculentorũ catalogo, propter exiguam buccellam, quæ ineſt vtilis, & ad concitandam libidinem efficax, inſerta. Vt iam nullum penè ſub cęlo genus viuentium ſit, quod in voraginẽ ventris humani & cloacã inſaturabilẽ, nouo artificij ſumptu & precio confectũ, elixum, frixũ, aſſatum, ſectum, tritum, fartum, puluiſculis aromaticis maceratum, conditum, coctum deniq; aut alijs ſexcentis cocturę formis præparatum, non deſcendat. Latum igitur & laxum luxus hic aperuit cãpum ad omnem laſciuiam: nec impunè iam pec

Deſperatio docuit polyphagiam.

catur hoc peccatum ac libere, ſed cum labore etiam & incredibili moleſtia, quam coquus ſubit, & is cui coquitur, vterq; laſſus, hic vorando, alter inſtruendo: ad palatum enim & ſaliuam prurientis linguæ ac commodare debet artem, nec præcepta habet aut vſum, ſed nutum deliciantis, & gurgulionem verſatilem pro magiſtro & archimagyro. Interea tamen ſtrage publica exhauriuntur ſaltus ac nemora, fontes & flumina, aer & æquor: nec natura partui edendo ſufficit, quia nil ſufficit diuitũ menſis. Pullus & mater in eadem olla; vtinam & nidus interdum. & quæ illum concinnant. Prò perniciem? Habenæ adſint quæ frænent: næ faſtigio ſupremæ intemperantiæ inſiſtimus; demittamus nos ad decliuia ſacræ ſobrietatis, vbi ſinum ſuum aperit natura, & effundit quod opus, & quantum.

Ars magyrica.

De credulitate.

2. Quoad credulitatem, ea ſanè aut maturè admittenda, aut ſtatim repellenda; cum nemo citius fallatur, quàm qui temerè credit; nemoq; rectiùs iudicat & certiùs, quàm qui rem exploratam habet. Homerus Vlyſſem, quem ſapientiſſimum facit, non alio vſum præſidio dicit, neq; alia ratione terræ mariſque periculis euaſiſſe, quàm quòd nemini ſe crediderit, & callidè conſilia ſua texerit. Heſiodus (vt ſupra annotauimus) non ab re monet, vt neque fratri quiſquam adeò fidem habeat, aut etiam negotium aliquod vel ioco tranſigat, niſi teſte adhibito. Nullus eſt, qui neſciat ab inimicis nobis importari grauiſſima incommoda; ſed longè pernicioſius dãnum ab amico creatur ſæpenumero; quia fit alioqui facilè inimici effugere inſidias, ab amico verò, aut eo qui amici nomẽ mentiatur, quis ita prouidè cauteque ſibi cauerit, quin interdum opprimatur? Niſi moleſtum eſſet, oſtenderem multo plures ab amicis quàm inimicis oppreſſos eſſe: plures vrbes proditione captas, quàm vi expugnatas: plures in veterum libris, ipſaque vita quotidiana reperiri amicorum queſtus, quàm inimicorum accuſationes. Ad ſymbolum iſtud ἀπίστως, obuius poteſt eſſe locus ex l. ſi vindicari, 20. C. de pœn quam extruſit B. Ambroſius à Theodoſio, principe nimis præcipiti ac iracundo: Etſi princeps reſeruet aliquem puniendum, debet iudex ad dies triginta differre, quò videat, an relaxari pœna poſſe videatur. Occaſionem legis huius ferendæ memorat Sozomen. hiſt. Eccleſ. lib. 7. cap. 24. extatq; in Codice Theodoſiano. Bene, inquam, iuſteq; prouiſum à ſapiente principe, quẽ facti à ſe pœnituit, alioquin quod Iuſtinianus ait l. Imperialis, 23. C. de nupt. nihil eſt tam peculiare Imperatoris maieſtati quàm humanitas, per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio. Hęc de iudicijs olim ſancita. Nunc ſi maiorum in rebus alijs prudentiam intueamur, licebit apertè videre in tutelis pupillorum, & curationibus adoleſcentium minorum, ad eos nempe defendendos, qui ſe propter ætatis imbecillitatem defendere nõ poſſunt. Cumque intelligerent pupillos ea eſſe ætate, vt tutorum ope indigerent ad annum vſque 14 exactum in maſculis, 15. in fœminis, non minorem curam impendi voluerunt in minoribus, curatorum prudentia gubernandis, ad annum vſq; vigeſimum quintũ. Eſt enim adoleſcentia maximè feruida, & vitijs indulgens, niſi uitatur & cohibeatur auctoritate prudentum. Eleganter Horat. ad Piſones epiſt. de adoleſcente:

Lex Theodoſij.

Veterum cura pro pupillis.

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper:
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusq; & amata relinquere
pernix.

Plutarch. περὶ ἀκούειν, idem complexus: ἀναρχία μὲν τὴν ἔνιοι τῶν νέων ἐλευθερίαν, ἀπαιδευσία νομίζουσι, χαλεπωτέρους ἐκείνων τῶν ἐν παισὶ διδασκάλων καὶ παιδαγωγῶν δεσπότας ἀφίστησι τὰς ἐπιθυμήσεις, ὥσπερ ἐκ δεσμῶν λυθείσης. Non minus eruditè Dio Chryſoſtomus Sophiſta: χαλεπὸν ἡ νεότης, καὶ εὐρίπιστον, καὶ εὐόλιστον, καὶ σφοδροτέρου δεῖται χαλινοῦ. Proinde Athenis olim adoleſcentes τῶν λήξων ἦρχον, id eſt, rei hæreditariæ, ſuorumque bonorum haberent poteſtatem, biennio præficiebantur curæ vicinæ regionis, hoc eſt, anno 18. quo ex ephebis excedere mos illis eſſet ad vigeſimum: tum nominabantur περίπολοι, vel ἔφοδοι, & ἐπίσκοποι τῆς χώρας, poſt id tres fiebant ληξίαρχοι, & referebãtur in eorum numerum, qui ſuæ omninò eſſent poteſtatis, καὶ τὴν λῆξιν, hereditatem regere poterãt. Occurrit huius Emblematis occaſione adagiũ *Ama, tanquã oſurus, oderis tanquã amaturus*: Rectè id, quia fallax & lubrica multorum fides: & quòd homo ſit εὐμετάβολον ζῶον, Platoni nempe: & Heſiodus

præce-

præcepit, non niſi teſtibus adhibitis cum fratre eſſe iocandum: quia ſępe leuibus de cauſis fratrum iræ acerbiores exiſtunt. Apud Atticum Pomponium queritur Tullius de Cneo Pompeio, cui præ cęteris fidem habuerat, ſeque ab eo tamen proditum. Et ad uxorem Terentiam, falsò ſe putaſſe ab ijs amari, qui inuidebant: eos ſe nō ſecutum, qui purè amici eſſent. Tacti leuitate animi Athenienſes impetum in Macedonas moliri ſtatuebant, falſo accepto nuncio de morte Alexandri; ſed eos retraxit Demades orator aculeato verbo: Si Alexander hodie mortuus eſt, & cras, & perendie ſic erit. Opportunè vir catus induxit *ἀπιστίαν*, eamq; oppoſuit inconſulto furori hominum, de ſe ſuisq; rebus non benè cogitantium. Apud Poetam Troiani nimis creduli, à Sinone proditi, qui ſuaſit equum diuina Palladis arte fabricatum intra Ilij mœnia inducendum. Mirum quantum malorum agmen ſecum aduehat nimia credulitas. Ea res Pompeium Magnū perdidit, populari & optimatum fidentem ſtudio, tandemq; deſperatis rebus ad Alexandriæ regem miſerrimè profugū. Quid M. Brutum, C. Caſſium præcipites egit, quàm de altera acie falſo acceptū nunciū? Similem exitum nacti Antonius & Cleopatra, cùm illa de Antonij morte ſiniſtrū quid, quanquam falsò, accepiſſet. Quid mirum ſi in paruis error dominetur, cum etiam viros magnates opprimere ſoleat? Quorſum querela Comici: *Prò Deum atque hominum fidem*? & illud Ouidij:

Malũ multa inuexit nimia credulitas.

Heu vbi pacta fides, vbi quę iurare ſolebas?

Tull. item 7. Verr. Vbi fides? vbi exſecrationes? vbi dextræ complexæ ſunt? Notum de Braſidæ clypeo, quod in eos torqueri ſolet, qui, cùm maximè opus eſt, fidem non ſeruāt. Stultum ac periculoſum cuiuis fidere: at miſerum nemini fidere. Conditio miſera tyrannorum, ab omnibus ſibi metuentium, ſed in primis Dionyſij, de quo Tull. 5. Tuſcul. & Val. Max. Quæ vetera & externa vt miſſa faciam (notiora enim ſunt, quàm vt in ijs immoremur) ad quid tandem oracula diuina nobis *τὴν ἀπιστίαν* ſuadent? *non eſſe omni ſpiritui credendum*: &, *tentandi ſpiritus an ex Deo ſint*: item, *cauendum à fermento Phariſæorum*? Deniq; illud: *Eſtote prudentes ut ſerpentes*? Illud etiam nos non fugiat Ouid. 3. Artis:

Nec citò credideris: quantum citò credere lædat,
Exemplum vobis non leue Procris erit.

Aurel. Victor. in Valentiniano: Si ei inſidis hominibus, quibus ſeſe quaſi fidiſſimis, prudentiſſimisq; dederat, carere, aut probatis, eruditisque vti licuiſſet, perfectus haud dubiè princeps enituiſſet. Plaut. Trinummo: *Nimium eſt difficile reperiri amicum, ita vt nomen cluit, quoi rem tuam credideris, ſine omni cura dormias.* Hierony. ad Celantiam, de ratione piè viuendi, vbi de obtrectatione: Eſt ſanè hoc vitiū, quod vel in primis extingui debeat, & ab eis qui ſe ſanctè inſtituere volunt, prorſus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mētem, ac leuem faciat, quàm facilè totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi. Hinc enim crebræ diſſenſiones, hinc odia iniuſta naſcuntur: hoc eſt quod ſæpe de amiciſſimis inimicos faciat, & concordes quidem, ſed credulas animas diſſociat. At contrà, magna animi quies, magnàque eſt morum grauitas, non temerè de quoquam ſiniſtrè quid audire: beatusque eſt, qui ita contra vitium hoc ſe armauit, vt apud eum detrahere nemo audeat. Hæc ille. Huius ſanè argumenti ſententiā facile eſt in immenſum excreſcere: ſed placet exempli loco, verbum *μέμνησ' ἀπιστεῖν*, de iudicio hominum præcipiti ac temerario intelligere, de quibus nonnunquam pronunciatur citius quàm par eſſet, necdū bene inſpectis eorum moribus, qui commendantur. Sic Horat. 1. epiſt. 18.

Obtrectatores non audiēdi.

Vidēdum quem cōmendes.

Qualē commēdes, ēt atq; it aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.
Fallimur, & quondam non dignum tradimus: ergo
Quem ſua culpa premit, deceptus omitte tueri;
Vt penitus notum, ſi tentent crimina, ſerues,
Tuterisq; tuo fidentem præſidio, qui
Dente Theonino cùm circumroditur; ecquid
Ad te poſt paullò ventura pericula ſentis?
Nam tua res agitur, paries cùm proximus ardet,
Et neglecta ſolent incendia ſumere vires.

Vt enim qui pro alio fideiubet, ſeque ſoluturū conſtituit, tenetur ex pacti, ſeu ſtipulationis nexu pro principali debenti reo, ſicubi non fuerit ſoluendo, aut noxā commiſerit; ita qui alium commendat non ſatis ſibi perſpectum ac cognitum, & cuius mentem, verſatilem fortaſſe, non detexerit,

ſui dãnum pudoris ferre ac pati cogitur. Grauiter M Cicero ad Brutum: Temerè de altero affirmare eſt periculoſum, propter occultas hominum voluntates, multiplicesque naturas. Et Seneca, neminem citò laudaueris; neminem citò vituperaueris. Vitium eſt omnia credere: Vitium eſt nihil credere. Inter legendum ſeſe obtulerunt exempla quædam illuſtria de credulitate ex Amm. Marcellino. Primum quidem lib. 14. de Conſtantio ſic habet: Arelate hyemem agens Conſtantius, poſt theatrales ludos atq; Circenſes ambitioſo editos apparatu, ad diem VI. Id Octob. qui imperij eius annum triceſimum terminabat, inſolentiæ pondera grauius librans, ſi quid dubium deferebatur, aut falſum, pro liquido accipiens & comperto, inter alia excarnificatum Herontium Magnentianæ comitem, patriis exulari mœrore multauit. Vtq; ægrum corpus quaſſari etiam leuibus ſolet offenſis, ita animus eius anguſtus & tener, quicquid increpuiſſet, ad ſalutis ſuę diſpendium exiſtimans factum aut cogitatum, inſontium cędibus fecit victoriã luctuoſam, &c.

Cõſtãtius credulus.

Idem lib. 30. vbi narrat, quibus dolis interceptus & oppreſſus eſt Para Rex Armeniorum, Valentis iuſſu: qui quòd accepiſſet eum ſibi infeſtum, maliſq; artibus quiduis facere & moliri, agenti in Armenia Traiano, remque militarem curanti arcanis literis mandauit, vt regem eum quoquo modo de medio tolleret. Itaq; illecebroſis regem Param inſidijs primùm ambiit, ei Valentis litteras egregiæ in eum voluntatis teſtes oſtendit, modò ſeſe comiuam ei præbuit, ad vltimum compoſita fraude ad prãdium verecundius inuitauit. Qui nihil metuens mali, venit, conceſſoque loco honoratiore diſcubuit: cumque apponerentur exquiſitæ cupediæ, & ædes pulſu neruorum, & articulato flatiliqúe ſonitu reſultarent, iam vino incaleſcente, ipſo conuiuii domino, per ſimulationem naturalis cuiuſdam vrgentis egreſſo, gladium diſtrictum intentans, toruo lumine ferociens quidam immittitur barbarus, aſper, ex his quos Supras appellant, confoſſurus iuuenem, ne exilire poſſet etiam tum pręperitum. Quo viſo, regulus fortè prominẽs vltra torum, expedito dolo aſſurgens, vt vitam omni ratione defenderet, perforato pectore deformis procubuit victima, ictibus multiplicatis fędè conciſa. Hocque figmento nefariè decepta credulitate inter epulas, quę reuerendæ ſunt vel in Euxino ponto, hoſpitali numine contuente, peregrinus cruor in ambitioſa toralia ſparſus, & ſpumans ſatietati ſuperfuit, conuiuarum horrore maximo diſperſorum.

Para rex Armeni à Valẽte oppreſſus.

Libro verò vltimo, qui eſt 31. de Valente: Illud ferri non poterat, quod cum legibus lites omnes quęſtiones committere veteres vellet, deſtinatiſq; velut lectis iudicibus negocia ſpectanda mandabat, nihil agi contra libidinem ſuam patiebatur, iniurioſus aliàs & iracundus, & criminantibus ſine differentia veri vel falſi facillimè patens, quæ vitiorum labes etiam in his priuatis quotidianiſque rationibus impendio eſt formidanda.

Valens nimia credulitas.

Seneca, de quo ſupra facta mentio, epiſtola 3. non minus eſſe vitioſum credere omnibus, quàm nemini diſputat, eodem cum Heſiodi carmine ſenſu, *πίστεις καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.* Si aliquem amicum putas eſſe, cui non tantum habeas fidei, quàm tibi, vehementer erras, & veræ amicitiæ vim nondum tenes. Tu, omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs. Poſt amicitiam credendum eſt, ante amicitiam iudicandum. Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus ſit: cùm fieri placuerit, toto illum admitte pectore: tamq; audenter cum illo loquere, ac tecum. Quid eſt cur me coram illo non putem ſolum? Quidam quæ tantum amicis committenda ſunt, obuijs narrant, & in quaslibet aures, quicquid illos vrit, exonerant: quidam etiam rurſus chariſſimorum conſcientiam reformidant, & ſi poſſent, nec ſibi quidem crediturі, interius premũt omne ſecretum; neutrum faciendum eſt, vtrũque vitium habet. Citatur de credulitate hoc Menandri:

Seneca locus de credulitate.

Ὁ προκαταγινώσκων δὲ πρὶν ἀκοῦσαι σαφῶς
  Αὐτὸς πονηρὸς ἐστι, πιστεύσας κακῶς.
Quicunq; damnat, remq; nõ planè audijt,
Eſt improbus vir, ideo quod credit malè.

Item illud:

Μὴ πάντα πειρῶ πᾶσι πιστεύειν ἀεὶ.
Credenda cunctis eſſe cuncta ne putes.

Ne nimis multa, vtrumq; verbum, *νῆφε, καὶ μέμνησ᾽ ἀπιστεῖν*, referri mihi videtur poſſe ad illud Chilonis generalius, *μηδὲν ἄγαν*, quo innuebat in hominum conſuetudine omni, debere omnia eſſe moderata, ſcilicet amicitiam non effuſam aut diſſolutam, ſed ſobriam ac verecundam, cùm nimia

Nõ quiuis in amicitiam recipiendus.

mia interdum familiaritas cõtemptum pariat. Vnde nobis Germanis tritum ſermone prouerbium : *Aller leut freund , iedermans GecK.* id eſt:omnium amicus, ſingulorum fatuus. Id monitor Valerius Martialis antè cauerat :

Si vitare voles acerba quædam ,
Nulli te facias nimis ſodalem :
Gaudebis minùs , at minùs dolebis .

Queritur non illepidè Catullus , ſed non ſine ſtomacho tamen, de amici læſa fide , his omninò verbis ad Alfenum :

Alfene, immemor atque vnanimis falſe ſodalibus ,
Iã te nil miſeret, dure, tui dulcis amiculi?
Iam me prodere , iam non dubitas fallere , perfide ?
Nec facta impia fallaciũ hominum cœlicolis placent ,
Quæ tu negligis, ac me miſerum deſeris in malis .
Eheu,quid faciant dic homines, cuive habeant fidem ?
Certè tute iubebas aĩam tradere,inique,me
Inducens in amorem,quaſi tuta omnia mi forent .
Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia, factaque
Ventos irrita ferre , ac nebulas aereas ſinis .
Si tu oblitus es:at Dij meminerint , meminit Fides ,
Quæ te vt pœniteat poſtmodo facti faciet tui.

Idem alio loco ad ἀπιστίαν vocat, pertæſus alius amici veteratoris :

Deſine de quoquã quicq̃ bene velle mereri,
Atq; aliquem fieri poſſe putare pium .
Omnia sũt ingrata,nihil feciſſe benignè eſt,
Immò etiam tædet,tædet, obeſtq; magis .
Væ mihi,quem nemo grauius, vel acerbius vrget ,
Quam modò qui me vnum,atq; vnicum amicum habuit .

Exempla iſthæc adeo multa nos commouent,ſed grauiùs afficiunt noſtra,qui ab ijs audaciſſimè fallimur,qui nobis ſecundum Deum animam debent:imò nullos nacti ſumus hoſtes capitaliores, magisq; deſperatos,quam qui noſtris auſpicijs, opeq; vna ſunt euecti: ex quo fateri vetus illud cogimur. *Benefacta malè locata,pro malefactis arbitranda.* Non præteribo lepidum prouerbium , Germanis nobis vſitatum , quod ſic ſonat :

Travv nicht dem VVolff auff der Heyd,
Dem Bauren nicht auff ſeinem eyd ,
Dem Iuden nicht bey ſeinem gvviſſen .
Du vvirſt von allen dreyen bſchiſſen.

Quod ſic vertit Ioannes Buchlerus,de re litteraria benè meritus :

Credere iurãti Superos,per & aſtra colono
Nitiq; conſcientia
Iudæi , ſiluæq; lupo confidere in ipſis .
Errore complet plurimos .

Itaq; fide, ſed cui vide ; nam

Qui leuiter notis nimium confidit amicis,
Fallitur , & cordis dicitur eſſe leuis .

Sed de credulitatis materia longior eſſet oratio ex multis exemplis : quædam ſatis erunt . Dion periit , quanquam ſuſpicaretur inſidias ſibi ſtrui à Calippo,ſed veritus eſt obſeruare amicum & hoſpitem. Antipater Caſſandri filius,vocato ad cęnã Demetrio,illoque viciſſim ſequenti die vocante,veritus ei diffidere , à cœna oppreſſus eſt. Sed ne longior ſim,lege orationem Dionis Chryſoſt. περὶ ἀπιστίας .

Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

Lapſus vbi? quid feci? aut officij quid omiſſum eſt?

EMBLEMA XVII.



ITALICAE Samius ſectæ celeberrimus auctor
Ipſe ſuum clauſit carmine dogma breui:
Quò prætergreſſus? quid agis? quid omittis agendum?
Hanc rationem vrgens reddere quemque ſibi.
Quod didiciſſe gruum volitantum ex agmine fertur,
Arreptum geſtant quæ pedibus lapidem:
Ne ceſſent, neu tranſuerſas mala flamina raptent.
Qua ratione hominum vita regenda fuit.

COMMENTARII.

1. ASTET vir cœlum ſuſpiciens, volatui gruum ſublimium intẽtus: grues autem turmatim volitent, & ſingulæ lapidem vnguibus apprehenſum geſtẽt; quod quidem

quidem in hac figura non exprimitur, neq; etiam colli & roſtri breuitas cum forma gruum ſatis cōgruit. Verùm volatus gruū litteram A, vel vt alijs magis arridet, υ ψιλὸν delineari videtur; ex quo Palamedem litteram Υ, inueniſſe indicat Philoſtratus: & Hieronymus gruum ordinem litterarum appellat.

II. Laertius & Suidas ſcribunt, Pythagoram præcepiſſe, ſuos auditores domum repetentes, hunc verſiculum pronuntiare:

Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Triplex hominū lapſus. Cōſtat enim omnem humanæ vitę lapſum potiſſimùm eſſe: aut cùm trāſgredimur, id eſt, ſecus facimus quàm oportet, quod eſt plus quam decet: aut quod omiſſum oportuit, neq; ſatis conſideratè fecimus: aut omittimus quod erat faciendum. Priori errori reſpondet illud, πῆ παρέβην; *quò trāſgreſſus?* alteri verò, τί δ' ἔρεξα; *quid feci?* tertio, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; *quid feci non conueniens?* Eraſmus in adagio, *Quò tranſgreſſus?* laudat plurimum hunc verſiculum; & meritò. Nam ſi ſic exercemur quotidie, fieret vtiq; vt meliores, imò ſanctiſſimi euaderemus. Ait tamen Eraſmus, ſe neſcire, cuius ſit verſiculus, quem apud Homerum non reperiat. Inuenies tamen *Aurea Pythagoræ carmina.* illum in aureis Pythagoræ carminibus. Sic enim ille ibi:

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι,
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν,
πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;

Quæ interpretatus eſt Virgilius, ſiue quis quis fuerit auctor epigrammatis de viro bono, his quidem verbis:

Non prius in dulcē declinet lumina ſomnū,
Omnia quàm longi reputauerit acta diei:
Quà prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non?
Cur iſti facto decus abfuit, aut ratio illi?

Verſiculum verò ita explicauit Eraſmus:

Lapſus vbi? quid feci? aut officij quid omiſſum eſt?

Confer Hieroclis commentarium ad carmina Pythag. & Arrianum diſſertationum Epicteti lib. 4. cap. 6. Refert hunc eundem verſum Plutarchus in libello de Curioſitate. *Gruū ſymbolum.* Cæterum gruem cum lapillo depictam, prudentiæ ſymbolum fuiſſe notum eſt, & Pierius refert 17. Hieroglyph. Docēt enim probatiſſimi auctores, lapillum grues ideò ferre, dum in ſublime volant, vt illius lapſu explorent, ſupra terramne, an mare volitēt, quod ex ſono intelligunt; ac proinde conſidendum, an vlterius progrediendum ſit. Maximus Tyrius diſputatione 40. lapilli arrepti aliam rationem adfert, nimirùm quòd propter imbecillitatem corporis, aliàsque parum fultas, inſtar nauis fluitent à ventis impulſæ: quod cùm intelligunt, non antè ſe volatui credunt, quàm lapidem apprehenderint, firmamentum videlicet vacillaturi volatus, ſalutiſque cuſtodiam. Harum prudentiam cùm non ignoraret cordatus homo Deucalion, à diluuij fluctibus ſeruatum aiunt gruum beneficio: quarum quidem ſuperuolitātium clangore admonitus enatauit, teſte Pauſania. Non erit huc conferre alienum, quod ſcitè & ad hunc *Gruum volatus.* locum accommodatè Plutarch. retulit lib. πότερα τῶν ζώων φρονιμώτερα, τὰ χερσαῖα ἢ τὰ ἔνυδρα. ſic enim habet: ἡ δὲ γεράνων μεταβολὴ τῆς πτήσεως πρὸς ἄνεμον, οὐχ ἑνὸς γένους ἐστὶν, ἀλλὰ τοῦτο κοινῇ πάντες ἰχθύες νοοῦντες, ἀεὶ πρὸς κῦμα καὶ ῥοῦν ἀντινήχονται, καὶ παραφυλάττουσιν ὅπως μὴ κατ' οὐρὰν προσφερομένου τοῦ πνεύματος, ἡ λεπὶς ἀναπτυσσομένη λυπῇ τὸ σῶμα γυμνούμενον καὶ διατραχυνόμενον· ὅθεν ἀεὶ συνέχουσιν ἑαυτοὺς ἀντιπρώρους· σχιζομένη γὰρ οὕτω κατὰ κορυφὴν ἡ θάλασσα, τά τε βραγχία καταστέλλει, καὶ κατὰ τὴν ἐπιφανείας ῥέουσα λείως πιέζει, καὶ οὐκ ἀνίστησι τὸ φρικῶδες. id eſt. *Illa verò gruum ad ventum aciei commutatio, non vnius, ſed & vniuerſi maritimi generis eſt: ſiquidem & æſtum fluctuſq; contrà natando niti, & eadem de cauſa aquaticis omnibus mos eſt: cauent quippè ne ventus à tergo incumbens, ſquamas ſubrigat cieatq; atq; ita nudatum & exaſperatum corpus vulneret. vnde in ventum, obnixique fluctibus curſum dirigunt: ſic enim à vertice ſciſſi fluctus & branchias cohibent, & per ſumma delati minus infeſtant, & horrorem non incutiunt.* Hæc ille. Aſſcriberem alium locum non minùs commodum ex eo, quem ſcripſit ipſemet de animal. ſolertia libro, ſed indicare duntaxat hic mihi ſatis eſto. Ammian. Marcellin lib. 18. de Barbatione garrulo quodam nebulone, eodemque proditore: Ignorabat, inquit,

quit, notum Ariſtotelis ſapiens dictum, qui Calliſthenem, ſectatorem & propinquum ſuum, ad regem Alexandrum mittens, ei ſæpe mandabat, vt quàm rariſſimè & iucundè apud hominem loqueretur, vitæ poteſtatem & necis in acie linguæ portantem. Ne ſit hoc mirum, homines profutura diſcernere nonnunquam & decentia, quorum mentes cognatas cœleſtibus arbitramur: animalia ratione carentia ſalutem ſuam interdum alto tueri ſilentio ſolét, vt exemplum eſt perquam notum: Linquentes orientem grues ob calorem, plagamque petentes occiduam, cùm montem penetrare cœperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortiſſimas volucres, roſtra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel neceſſitas extrema clangorem: iiſdemq; collibus agiliore volatu tranſcurſis, proijciũt calculos, atq; ita ſecurius pergunt, &c. Neſcio an huc conferre auſim Virgilij illud ex 10. Æneid.

——quales ſub nubibus atris
Strimoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, fugiuntq; Notos clamore ſecundo.

Vide Plin. lib. 10. cap. 23. Pierium Hieroglyph. lib. 17. & Prouerb. *Grues lapidem deglutientes*.

III. *Pythagoras.* *ITALICÆ Samius, &c.*] Pythagoram Italicorum Philoſophorum ſectæ auctorem fuiſſe teſtatur Cicero 1. Tuſcul. & D. Auguſt. in lib. 8. de Ciuit. Dei, cap. 2. Dicitur Samius, quia ex Inſula Samo erat oriũdus, Demarati mercatoris locupletiſſimi filius, vt quidam aiunt; quamquam Diogenes Laertius multos, ex multorum ſententia, illius numerat patres. Multas peragrauit regiones diſcendi cauſa; tandem Crotonem venit, Italiæ oppidum, Tarquinio Superbo regnante, tenuitq; Magnam Græciam cum honore & diſciplina, tum etiam auctoritate: multaq; poſt ſæcula ſic viguit Pythagoreorum nomẽ, vt nulli alij docti viderentur. Primus omnium *μετεμψύχωσιν* inuenit, id eſt, animarum de corporibus in corpora tranſitum; ideoque vetuit carnibus veſci. Huius vitam pete ex Laertio, Plutarcho, Plin. lib 2. Gellio lib. 1. cap. 9. & lib. 4. cap. 1. & lib. 17. cap. 21. De eo quoq; multa habet Ouid. Metamorph. vlt. in princip. Politianus in Lamia, Titus Liuius lib. 1. ab V. C.

Secta] Secta ſecundum Ciceronem 1. de Orat. eſt diſciplina, vel certa quædam diſciplinæ formula, factio, ſtudium, ratio vitæ. Propriè tamen eſt illa ratio dogmatũ, quam quis ſibi imitandam propoſuit; à ſectando (vt quibuſdam placet) dicta; vel vt alij volunt, à ſectione, quod plerunq; dogmata à ſe inuicem ſint diuiſa. *Secta.*

Auctor] Num Pythagoras Italicæ ſectę auctor, vel autor fuerit, alijs diſquirendũ relinquo: certè hæc duo inter ſe differre vocabula vel ex eorum origine conſtat; eſt enim auctor, qui rem acceptam auget, & deducitur à Græco verbo *αὔξω*. Autor verò, qui aliquid ex ſe facit, nec ab alio accipit; deriuatum ab *αὐτὸς*. *Auctor.* *Autor.*

Clauſit ſuum dogma] Sapiẽtiæ ſuæ vim omnem, aut certè pręcipuam vno hoc carmine comprehendit & circumſcripſit. Dogma eſt dictio Gręca, ſignificans ſententiam, edictum, decretum, placitum cuiuſque ſectæ: dicitur *ἀπὸ τοῦ δοκεῖν*, quod eſt *opinari*. De dogmate vide plura in epiſt. 96. Senecæ. *Dogma.*

Quò prætergreſſus?] quò tranſgreſſus? aut vltra quàm decuit, feciſti? quod eſt NIMIS. Lege Prouerb. *Quò tranſgreſſus?*

Quid egi?] vel quid agebas? ſic enim Gręcè, *τί δ' ἔρεξα*; qui lapſus eſt in eo, quod PARVM.

Quid omitti agendum?] quid non decens à te factum eſt? quod eſt peccatum in bono omiſſo.

Hanc rationem vrgens] Volebat quiſq; ſibi apud ſe rationem hanc redderet. Idem penè de Seſtio Seneca lib. 3. De ira, cap. 36. quem locum mox ſubijciemus.

Quod didiciſſe gruum &c.] Ex volatu gruum prudentiam hanc in rebus agendis nobis propoſuit, nimirũ *ὡς αἰσχύνεσθαι τοὺς λογισμοὺς ποιεῖν ἢ φρονεῖν δ. μὴτ' ὄρνιθες*: vt verori addiſcant homines rationis participes, ſi deteriores ſe præſtiterint auibus in vitæ actionibus. Plinius Nat. hiſt. lib. 10. cap. 23. hæc de gruibus tradit: Certum eſt, Pontum tranſuolaturas primùm omnium anguſtias petere inter duo promontoria, Criumetopum & Charambin; mox ſaburra ſtabiliri. Cum medium tranſierint, abijci lapillos è pedibus: cum attigerint continentem, è gutture arenam. Idem ait Solinus, & Cicero 2. de Natura Deor. Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 20. exponens locum Pollucis, ſic ait: Metaphora à *Gruũ in volatu conſuetudo.*

gruibus

gruibus ſumpta eſt, quæ in terram deſcendunt ſurripiendi alicuius lapidis cauſa, quem pede retinent, vt in alto volantes, eo demiſſo experiantur ex cadentis ſtrepitu, ſupra mare, an verò ſupra terram volitent, vt Suidas, & Ariſtophanis interpres in Apibus oſtendit. &c. Contrarium tamen tenet Ariſtoteles, cuius hęc ſunt verba, in lib. 8. de nat. animal. cap. 12. Sed auium grues (vt dictum eſt) ex vltimis in vltima abeūt; volant flatu ſecundo. Quod de lapide narrant, falſum eſt: Lapidem enim tenere eas fulcimento, quem vbi deciderit, accipi vtilem ad auri probationem aiunt. Hæc Ariſtoteles. Quod de anſeribus Marcellinus ſcribit, roſtra ſua lapillis occludere, Taurum montem aquilis abundantem, quas maximè timent, de gruibus alii malunt. Noſtrum non eſt de hac lite pronunciare, vt qui anſeres nunquam ad paſtionem duxerimus, neq; gruum ordines ita curioſè inſpexerimus. Huc fortaſſe pertinet verbum Gruere, ſiue Congruere, à gruibus ductum, quod ſignificat conuenire. Grues enim ſe non ſegregant, ſiue cum volāt, ſiue cum paſcuntur, ait Feſtus.

Cõgruere verbum.

Ex agmine] propriè: nam agmen propriè multitudinem ſeſe agētem ſignificat. Virgil.

——*Longum per valles paſcitur agmen.*

Ne ceſſent, &c.] Reddit cauſam, cur grues lapidem geſtent, & eandem ad humanam vitam applicat.

Mala flamina] venti aduerſi & impetuoſi.

IV.

1. HVNC Pythagoræ verſiculum in primis obſeruari diligenter, & addiſci cuperem, ab iis maximè, qui ſtudia liberalia ſectantur, & ex iis fructum aliquem ſperant vberrimum. Permulti enim ex iis peccāt, quòd non ſatis attenti ſepta, vt ita dicam, lectionis tranſiliunt, & aliis rebus animum applicantes, non vident ſe abſcedere ab eo laudabili & ingenuo inſtituto, cui nomen dederunt. Alii ſunt, qui quanquam laborioſi, non ſunt attēti ſatis, aut adiiciunt animum ad quæ agunt. Alii deniq; quanquā multa, & quidem ſæpè diuque agant, tamen innumerabilia, aut certè multa prætermittunt in tranſcurſu, quæ ad inſtituti laboris perfectionem valde conducerent. Sed præſtat Alciatum magiſtrum audire citiùs, qui ita ſuos auditores adhortatus eſt quadam pręlectione, ab iiſdem primùm rogatus, qua præcipuè methodo in ſtudiorum curſu eſſet vtendum: Pręeat nobis (inquit ille) vetuſtiſſimus Italicæ Philoſophiæ auctor Pythagoras, qui diſcipulos ſuos carmine Gręco, quod maximè neceſſarium adipiſcendæ diſciplinę eſſet, admonuit, quodq́ue quotidie eos in ore habere iuſſit. Id eſt eiuſmodi: πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη; Etenim hæc tria non tam præcepta, quàm oracula vnicuiq; noſtrum ſemper ante oculos eſſe debent. In primis ſcilicet, ne qua in re aut excidas, aut tranſuerſus ab inſtituto tramite feraris: quod iis cōtingit, qui aliis in rebus, animi intētione occupata, ad ſcholas tamen accedūt, vt qui vel amore capti, vel armis rixiſque dediti, vel aleæ luſuiq; mancipati, vel artibus illicitis addicti, ſcholaſtici tamen nomen ſeruant. In hos Annæus Seneca veteris Iureconſulti verbis inuehitur: Etiam magna, inquit, pars vitę elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus. Qui enim auribus ſolis præſentes, mentem aliò intendunt, ii aliud agere Latinis dicuntur. Alterum eſt, vt attēdamus ad id, quod agimus: vt cùm quid boni à nobis factum fuerit, magna voluptate afficiamur: ſi verò quid malè vertiſſe viderimus, in futurum abſtineamus. Etenim præmium virtutis maximum ipſa eſt animi voluptas. Iiſce enim iuuenibus, qui in ſophiſticis cauillationibus, vel legum optimarum ambagibus diutiùs immorantur, rectè quis dixerit: *Vide quid agas.* Cuius rei exemplum in huius anni lectionibus accipi poteſt. Fuerunt florente Romano imperio varii in eorum Republ. magiſtratus, vt Præfecti prætorio, vt Proconſules, vt Præſides prouinciarum, vt clariſſimi, vt ſpectabiles, vt illuſtres, & ſi qua alia ſūt huiuſmodi nomina: Hæc hodie mutata Reipub forma exoleuerūt, nec vllo in vſu permanſerunt, ſed vnuſquiſq; iudex eam habet cognominationem, quæ ſibi vel lege municipii, vel Principis ſui diplomate conceſſa eſt. Ideoq; parum refert diutius in veterum magiſtratuum muneribus dignoſcendis verſari. Bartolus certè & veteres non vltra tres, aut quatuor lectiones hac in re videntur conſumpſiſſe. Quòd ſi quis maiorem anni partem hoc in argumento tranſigere velit, huic rectè præceptum Pythagoricum inſuſurrabitur: *Vide quid agas.* Supereſt tertium, ne quid agendum omit-

Errores eorum, qui literas addiſcunt.

Locus Alciati ex prælectione quadam.

1. Quid tranſgreſſus?

2. Quid agis?

3 Quid omittis agendum?

omittamus: In quo ſanè adeo peccant vniuerſi ſtudioſi, vt vix vllum ſuperſit remedium.' Et hæc quidem Alciatus: cuius diſputationem, & apertam dilucidamq; huius carminis explicationem huc attexere malui, quàm quidpiam aliud comminiſci, aut aliundè minùs opportunè conquirere.

2. Deinde hoc idem ad vniuerſam vitam humanam trahi poſſe nemo ſanus non iudicat. Vidit hoc Seneca lib. 3. de Ira, cap. 36. cuius verba non piget huc adiicere: Omnes ſenſus perducendi ſunt ad firmitatem. Natura patientes ſunt, ſi animus illos deſinat corrumpere, qui quotidie ad rationē reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, altus, ac liber, cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui, cenſorq; ſecretus cognoſcet de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cum ſublatum è conſpectu lumen eſt, & conticuit vxor, moris iam mei conſcia, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo, quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſum dicere: Vide ne iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco, &c. Neq; eſt alienum etiam quod relatum eſt apud Apuleiū 1. Florid. de Gymnoſophiſtis loquens: Vbi, ait, menſa poſita, priuſquàm edulia apponantur, omnes adoleſcentes ex diuerſis locis & officiis ad dapem cōueniunt. Magiſtri perrogant, quod factum à lucis ortu ad illud diei bonum fecerit. Hic alius ſe cōmemorat inter duos arbitrum delectum ſanata ſimultate, recōciliata gratia, purgata ſuſpicione, amicos ex infenſis reddidiſſe. Itidem alius, ſeſe parentibus quidpiam imperantibus obediſſe, & alius aliquid meditatione ſua reperiſſe, vel alterius demonſtratione didiciſſe: deniq; cæteri commemorant. Qui nihil habet ad offerre, cur prandeat, impranſus ad opus foras extruditur. Non acquieſco, ſed Senecæ verba produco, quæ mihi certè videntur non aliena à Pythagoreis, de quibus hactenus. Magnam vitæ partem elabi nihil agentibus: maiorem malè agentibus: totam aliud agentibus. Certè Arrianus diſſertationum Epicteti libro, ſcitè eſt interpretatus his penè verbis: πῇ παρέβην; vbi omiſi adulationem? quid reprehendi? num vt ingenuus? num vt generoſus? Si quid autem eiuſmodi deprehenderit, ſeipſum increpat & obiurgat. Quid tua interfuit iſta loqui? an mentiri non licebat? Philoſophi enim aſſerunt, nihil prohibere, quo minus mendacium efferatur. Tu itaque ſi nihil cures aliud, niſi vt rectè de rebus iudices, vbi manè ſurrexeris, ita tecum loquere: Quid mihi deeſt ad tollendas animi perturbationes? quid ad tranquillitatē animi obtinendam? Sic Horatius Sat. 4. Ser. 1. ex perſona ſua docet, quo pacto quis ſe ipſo melior euadat. Inquit enim:

Praeclarus Seneca locus.

Apuleius de Gymnoſophiſtis.

Examen ſui.

—— Neq; enim cum lectulus, aut me
Porticus excepit, deſū mihi: rectius hoc eſt;
Hoc faciēs viuam melius: ſic dulcis amicis
Occurram: hoc quidam non bellè, numquid ego illi
Imprudēs olim faciā ſimile? Hæc ego mecū
Compreſſis agito labris.

Hæc priſci illi tenebriones; Sed quid nos ſuperna luce illuminati? quò labimur? quid agimus? quid non agimus? vbi eſt animus quotidianus ſpeculator ſui? vbi ſecreta actionum cenſura? Age mi homo, ad cunas mecum redi & crepundia: natiuitatis ſpeculum accipe in manus ſępius, & conſidera generationis exordia: ſubeant defectus naturæ, corporis infirmitas, membrorum languor: perpende ortum inglorium & ignobilem, de maledicta ſtirpe & execrabili protoplaſti, tu etiam, qui in faſtigio gloriæ, nec ex colluuie vulgi. Vade in penetralia & interiores receſſus, & ſcrutare, ſi quid ſanum ibi aut integrum; vires aliorum animantium, robur, ac arma confer tuis: anfractus ſpecta & lubricum vię, qua incedis: globum volubilem, cui inſiſtis, gyrum rotæ, quæ te circumfert; fluxum temporis, qui ad ſenium præcipitat; curarum laborumq; turbinem, quo inuolueris; procellam fati deniq; & ſubitum impetum, qui proſternit, & cataſtrophen imponit huic tragediæ. Cretam ſume aut calculos, ſubduc rationes, omnia diſcute qua potes diligentia: ſcribe primò numerum eorum, quæ bona in te, tum quæ contraria inueneris

Vita humana examen.

ris: figuram circuli ibi relinques, mihi crede, & orbicularem litteram, quæ nihil ſignat; hic aceruum numerorum vix numerabilem. Multiplicabis per centurias, inquam, & chiliades malorum ſummam, ibi inter monades conſiſtes: adeò nihil ualoris in te, aut precii, aut ponderis. Meditare hæc, & fac quod mola: contunde & contere, nec diſſipa tamen & eijce concluſa in farinario cordis, niſi uentilata prius & purgata rationis cribro. Ita fiet, vt memoriam tui nunquam deponas aut notitiam, qua recente & florida, vanitatis aura euaneſcet paulatim, quæ fumat in nobis, & è cloaca pectoris aſſurgit; & ſucreſcent virtutum plantulæ viciſſim, ac veræ deuotionis pulcherrimæ. Plurimùm autem conducit irrigandis iſtis nouellis & producendis, diſcuſſio tranſactæ vitæ, vt dixi, & inſpectio frequens: videre maculas & nęuos, qui inhærent, aut adhærent; coniunctio enim ſub oritur & rubor è meliori ſanguine, ſi vulnera animæ recrudeſcant, & pateat deformitas. Quod ijs contingit, qui in ſpeculis explorant faciem, cùm defectus aliquis ſeſe aperit, aut nota turpior, quę dedecorat; pudore enim ſuffuſi reſiliunt, abiecto indice, & de remedio cogitãt: Simile quiddam ſentiunt, qui in ſcrutinio ſuarum actionum occupantur, & colligunt analecta flagitiorum. Latens morbus & incognitus, inſanabilis; ad radicem enim non deſcendit remedij applicatio, vt euellat aut purget fontem mali: Idem planè in vitiorum hac cura accidit; dum occulta ſũt, ſerpunt, ſeneſcunt, negliguntur: ſanari poſſunt detecta. Fœneratoris ſacculum comparemus conſcientiam noſtram, qui monetam claudit adulterinam & probam, neutra tamen agnoſcitur, niſi deprompta, & ad lucem inſpecta curioſiùs, vnde precium additur primùm & æſtimatio: De hoc genere fucato actiones noſtræ ſunt & opera, proba commixta reprobis; laxari oportet loculum ſeu crumenam cordis, vbi abſcondita, & eximi, vt ad Lydium explorentur. Alii cum libello conferunt vel codice rationario, in quo bona continentur & mala nomina Nec inſcitè hoc: referta eſt talibus

Quãtum proſit inſpectio ſui.

Fœneratoris ſacculo ſimilis conſcientia.

Libello rationario.

debitis nimirum charta hęc mentis; ſupputandum, & inueniendus modus vt expungantur priusquàm ſubmittantur haſtę, & auctionentur bona: in cambium enim velut tradita ſunt & vſuram, vt nummus nummum pariat, id eſt, vt ex vno vitio nouum ſuppullulet. Quò diutiùs tenemur obſtricti, eò difficilior redimendi ratio; in quæſtum enim obligamur, & in lucrum cedit, quod ſol uitur, ſi ſerò ſoluitur, nec ad præfinitum terminum. Ex aſſe vix liberatio, vbi mora. Faciamus maturè & in tempore, dum in capite conſiſtit ſolutionis ſumma adhuc, nec excreuit. Sit tabula in manibus aſſiduè & in conſpectu, numeremus, componamus per partes, partium particulas, particularum partes, in minutias & atomos: ex his in caput denuò & maſſam integram, ne calculi error damno ſit, aut ſeducat. Magna vtilitas profectò, imò neceſſitas potiùs hic arithmeticum eſſe, ac Platonis aut Pythagoræ diſcipulũ. Mercator ſtudioſè attendit, ne in rationibus ſubducendis aberret: vbi negotium animæ & ſalutis agitur, ibi ſupputator oſcitet aut dormiat? Ita fit tamen: res ipſa clamat & improbitas, quæ incrementa ſumit in horas, vt torrens ab affluxu niuium. Supina negligentia in eruendis his ſcrutis & area cordis purganda, communis ferè omnium: ſilueſcit, cultoris ignauia, & in ſpinas luxuriat; nemo falcem immittit, ſecat, aut ſtringit. In flore eſt malorum fęcunditas, vereor ne ad maturitatem. O inſurgat Aquilo diuini timoris, & demetat! Venite vos Zephyri cœleſtis gratiæ, perflate hortum hunc, vt lilia germinet & floſculos paradiſi. Delabere ò ſalutare collyrium, & perunge oculos, vt penetret acies, circumſpiciat & obſeruet, in hoc enim cardo ſalutis voluitur. Ad lapſum proiecti ſumus omnes, & ſicut piſcis ad natãdum, ita nos ad peccandum proni. Si lux deſtituat ab alto, & ſubtrahat lucernam æternus Sol, quæ ad indagandum crimen & agnoſcẽdum præfulgeat, iam Stygias oras tangimus pede, & oberramus in Cymmerijs tenebris.

Prudentes

Prudentes.

EMBLEMA XVIII.



IANE bifrons, qui iam tranſacta futuraq́; calles,
Quiq́; retro ſannas, ſicut & antè, vides:
Te tot cur oculis, cur fingunt vultibus? an quòd
Circumſpectum hominem forma fuiſſe docet?

COMMENTARII.

LIPPIS & tonſoribus nota eſt Iani
I. bifrontis effigies, ſcilicet capita duo
coalitis occipitijs, facie vtrinq; virili prædita; quid ergo opus pluribus explicare?

SVMPTVM videtur hoc Emblema
II. ex Plutarchi problematis, licet hiſtoria de Iano notior ſit, quam vt Alciatum noſtrũ velimus adigere, vt alicundè compilauerit. Ianus rex fuit Italiæ, qui Saturnum
Ianus cur biceps. ruris culturam edocuit. Hunc biformem ſeu bicipitem veteres quidam plaſtæ & pictores effinxerunt, vel quòd ferinum & ſilueſtrem cultum ſuorum hominum in ciuilem mutarit: vel quòd pater Græcæ & Latinæ gentis crederetur: aut quia Solem, quem eundem cum Iano volebant eſſe, cœleſtis aulæ ianitorem putarent, quippè qui eam oriens aperire, occidens verò claudere videretur. Sed tamen id tam celebre, variisq; nominibus decantatum Iani bicipitium quamplurimi ad ſolertiam prudentiamque regis retulerunt, ſiquidem pru- II.
dentis eſt præterita noſſe, futuris verò multò antè prouidere: quod ſignificauit Terent.

rent. in Adelph.

Iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt
Videre, ſed etiam illa, quæ futura ſunt, Proſpicere.

De hoc figmento multi Poetæ luſerunt, quorum alij ad alia ingenioſè traxerunt. Ouid. 6. Faſtor.

——*Videt Ianus quæ poſt ſua terga geruntur.*

Sed maximè in primo, vbi faciei duplicis rationes alias adfert; cur baculum dextra, clauemq; ſiniſtra teneat; cur vocetur Patulcius, Cluſius, & alia multa. Macrob. 1. Saturn. Creditur, inquit, geminā faciem prætuliſſe, vt quæ ante, quæque poſt tergū eſſent, intueretur. Quod proculdubiò ad prudentiam regis, ſolertiamque referendū eſt, qui & præterita noſſet, & futura proſpiceret, ſicut Antevorta & Poſtvorta, diuinitatis ſcilicet aptiſſimæ comites, apud Romanos colūtur. Quò ſpectat adagium, πρόσω καὶ ὀπίσω, *A fronte & à tergo*; quod eſt diligenter inſpicere, & præterita cum præſentibus & futuris conferre. Beroſus Babylonicus (niſi tamen nos fallit Beroſi nomen) lib. 3. Antiquitatum ſcribit, Noe alio nomine vocatum Cęlum, tributumq; illi cognomen Ianus, à Iain, quod apud Aramæos & Hebræos ſonat vinum, à quo Ianus, id eſt, vinifer, & vinoſus, quia primus vinum inuenit: cuius vi & vapore ebrius effectus, cum minus pudicè in terrā cecidiſſet, Cham eius filius, magicus & veneficus (quem poſtea Aegyptus Saturnū iuniorem coluit) patris virilia comprehendit, tacitèq; ſubmurmurans carmine magico patri illuſit, ſimul & illum ſterilem perinde atq; caſtratum effecit. Neq; deinceps Noe fœminam aliquam fœcundare potuit. Hinc orta fabula apud Poetas, licet tempora non conueniant, & Lilius Gyraldus ſub finem Syntag. 4. ab hoc diſſentit. Sed bicipitij huius cauſam aliam & eādem pené attulit Plutarch. in quæſtion Romanis: Nempè quòd genere Gręcus ex Perrhœbia fuerit, atq; in Italiam profectus, ſedibus apud barbaros poſitis, linguam vitæque rationem mutauerit. ſic enim fama receptum eſt. Vel quòd Italos, qui ferinis eſſent adhuc moribus, quique iniuſtè viuerent, ad aliud vitæ traduxerit & renouarit inſtitutum, ita vt agriculturam & ciuilem cultum eos docuerit. Sic verò ille: διὰ τί τὸν Ἰάνον διπρόσωπον οἴονται γεγονέναι, καὶ γράφουσιν οὕτως καὶ πλάττουσιν, πότερον ὅτι τῷ μὲν γένει ἕλλην ἐκ περῤαιβίας ἦν (ὡς ἱστοροῦσι) διαβὰς δὲ εἰς ἰταλίαν καὶ συνοικήσας τοῖς αὐτόθι βαρβάροις, μετέβαλε καὶ γλῶτταν καὶ δίαιταν, ἢ μᾶλλον ὅτι τοὺς περὶ τὴν ἰταλίαν αὐτοὺς ἀγρίοις καὶ ἀνόμοις χρωμένους ἔθεσιν εἰς ἕτερον βίου σχῆμα, πείσας καὶ γεωργεῖν καὶ πολιτεύεσθαι, μετέβαλε καὶ μετεκόσμησε. Effingebatur præterea Ianus quadrifrons, quod quatuor mundi plagas maieſtate ſua complecteretur, vel quòd quatuor habeat annus partes, ver, ęſtatem, hyemem, & autumnum. Dicitur Ianus, quaſi Eanus, ab eundo. Ianus enim pro cęlo & mundo capitur, cuius munus eſt & officium, ſemper ire. Vel dicitur à Ianua, vt videtur ſentire Ouid. 1. Faſt.

Macrobij locus. *Ianus idē qui Noe.* *Ianus quadrifrons.* *Iani etymon.*

Præſideo foribus cœli cum mitibus Horis,
Et redit officio Iupiter ipſe meo:
Inde vocor Ianus. ——

Alij potius ianuam à Iano dictam volūt: alij Ianum ab hiando dictum contēdunt, quoniam chaos ipſe ſit, teſte Ouidio:

Me chaos antiqui (nam ſum res priſca) vocabant.

Templum Iani, vt autor eſt Plinius, Numa Pompilius primus inſtituit. Verba Plinij ſunt, lib. 34. cap. 7. Præterea Ianus geminus à Numa Rege dicatus, qui pacis belliq; argumento colitur, digitis ita figuratis, vt trecentorum quinquagintaquinque dierum nota per ſignificationem anni, temporis, & æui, ſe Deum indicaret. Huius templi portæ tempore belli patebant, pacis verò claudebantur. Ennius:

Templum Iani.

——*Poſtquam diſcordia tetra*
Belli ferratos poſtes, portasq; refregit.

Vnde ipſe Ianus Patulcius & Cluſius vocabatur, de quo Ouid. in Faſtis:

Nomina ridebis, modò nāq; Patulcius, idē
Et modò ſacrifico Cluſius ore vocor.

Haſce portas ter clauſas fuiſſe, hiſtorijs proditum eſt. Primùm Numæ temporibus: deinde peracto ſecundo bello Punico: Poſtremò poſt Actiacas pugnas ab Auguſto confectas. Qui plura de Iano cupit, adeat Macrob. Saturn. lib. 1. cap. 9. Pierium Hieroglyph. lib. 14. 32. 35. & 48. Vide quoq; adagia, *A fronte, & à tergo.* &, *Alter Ianus.* Imago Iani bifrontis, ſed corona ſpicea, in nummis etiā nunc conſpicitur, tributa Pompeio ob curam annonæ; de qua Eriſius in Numiſmatis. Qua ſimilitudine deceptus Theodor. Cāterus

terus eandem effigiem Iano tribuit. lib. vlt. Variar. lection.

III. IANE *bifrons*] Sic Virgilius in 7. Aeneid.

——Ianiq; bifrontis imago.

Ouidius bicipitem vocat. *Iane biceps* &c.

Callere. Callus. *Futuraq; calles.*] Callere, propriè ſignificat callum facere. Eſt autem callus, ſiue callum, cutis labore, & opere indurata. Hoc tamen loco ſignificat ſcire, hoc eſt, calliditate, quæ eſt vrbana ſcientia, quod ſicut pes vel manus ex longo labore callum ducit, ita mens longa experientia colligit habitum quendam rerum, in quibus verſatur. Perſius.

——Dicenda, tacendaq; calles.

Horatius in Arte.

Legitimũq; ſonũ digitis callemus, et aure.

Plautus vtramq; ſignificationem vno verſu complexus eſt in Perſa.

Magis calleo, quã aprugnum callũ callet.

Quiq; retrò ſannas] Alludit ad illud Perſij, Sat. 1.

O Iane, à tergo quem nulla ciconia pinſit,
Nec manus auriculas imitata eſt mobilis albas,
Nec lingua, quantum ſitiat canis Appula, tantum.
Vos ò patricius ſanguis, quos viuere fas eſt
Occipiti cæco, poſticæ occurrite ſannæ.

Sanna quid. Eſt porrò ſanna irriſio, quæ (vt inquit Hier.) ab occipitio ore diſtorto, & labris contractis fit, anteriorum dentium oſtentatione. Hinc ſubſannare, tali ludibrio

Sannio. vel ſcommate irridere: & ſanniones dicuntur fatui in dictis & motibus, quos μωροὺς vocant Græci. Cicero lib. 2. de Orat. Quid enim porrò tam ridiculum, quàm ſannio eſt? qui ore, vultu, imitandis motibus, voce, deniq; corpore ridetur ipſo. Eſſe autẽ originis Græcæ liquet Euſtathij verbis ad 10. 15. & 16. Odyſſ. & colligitur ex Cœlio Rhodig. qui ait: Apud Cratinum Sannas fatuum indicat. Vnde & Sanna, verbum Latinis frequens, puto, defluxit; etiamſi à nariũ ſonitu Grammatici opinẽtur dictũ,

Tot te cur oculis, tot fingunt vultibus?] Ianum non modò bicipitem, ſed & tricipitem, & quadricipitem effictum olim, ſupra innuimus.

An quòd] Hęc non eſt interrogatio Poetis & oratoribus familiaris: nec enim hic dubitat, aut dubitando interrogat; ſed eſt modus loquendi Ariſtoteli in problematis peculiaris, qui omnia propoſita problemata ſoluit per hanc particulam, *An*. vt & ſupra Embl. 1. monuimus.

Circumſpectum hominem] Prudentem, ſagacem, qui in omnem partem circumſpectat, vt occurrere poſſit.

Hoc ſchemate Iani, repræſentatur typus optimi regis, qui cum cæteris præſit, debet etiam prudentia, alijſque virtutibus antecedere. Neq; enim alia ratione puto Aegyptios oculum in ſceptro regio ſuis hieroglyphicis deſignaſſe, quàm vt in Principibus, ſummiſq; Regibus maximè, prudentiam, tanquam Reipub. vigilantem ac proſpicientem oculum eſſe debere ſignificarent. Memineramus aliàs Iani bicipitium eò relatum à pictoribus & poetis eruditis, quòd prouidus, beneq; cordatus Princeps Græcam gentem cum Latina communione legum, connubiorum, morumq; ſociauerit: quod & hiſtoriæ veterũ memorant. Nos ad virtutem principis egregiè periti duplicem conferre malumus, τὴν εἰρηνικὴν, καὶ τὴν στρατιωτικὴν, ſtudium belli & pacis; vt ex vtraq; quid ſit Reip. ſalutare videat, aut præuideat citiùs, hoc eſt, ſciat quæ in vſu ſint, τὰ παρόντα εἰδέναι, καὶ τὰ μέλλοντα προγινώσκειν. Verbum εἰδέναι, Græcis *videre* & *ſcire* ſignificat. Rectè Vegetius lib. 6. de re militari, nullum eſſe, quem oporteat vel plura, vel meliora ſcire quàm principem, cuius doctrina debeat prodeſſe omnibus ſubditis. Atqui prima illius ratio impendenda in conſtituendis legibus ſalutaribus, & motibus emendandis: altera in tutandis ſubditis ab omni hoſtium externo inſultu; quod rectè facere non poteſt, niſi videat, certòque teneat, quid temporum varietas poſtulet, vt & iudicis, ſeu principis officium eſt, vt res, ita rerum tempora quærere, quod ait Ouidius. Prudentiæ ciuilis exempla duo ex multis obuia nobis occurrunt: Alterum in Romanis ducibus, qui domitis pleriſq; gentibus, ſuoq; iugo ſubmiſſis, eas ſuis moribus viuere permiſerunt: alterum in Imperatoribus Chriſtianæ fidei aſſertoribus, qui prudenter cũ hæreticis ſummo iure non ſemper egerũt; id vtrumq; ſeorſim diſpiciamus. Cùm à Scipionibus Pœni deuicti eſſent, eos ſuis legibus viuere conceſſerunt: eas enim non poſſe tolli funditus cenſebant, quàm cum ſumma eorum, quos viciſſent, deſperatio-

IV. Typus optimi regis. Virtutes duæ i principe. Prudẽtia ciuilis apud Romanos.

ne:

ne: adde, quòd intelligerent, in ijs non minus æquitatis eſſe, quā in Romanis; quod & ipſe teſtatur Polybius. Sic cùm Flaminius profligaſſet Macedonem tyrannum, reliquit Græcis inſtituta vetera, & ſiuit eos ſuis viuere legibus. Subacta Macedonia Paulus Aemilius victor, leges patrias voluit intactas eſſe, aliàsque addidit etiam nouas, planè neceſſarias, tanto ſtudio, curaque adeò diligenti, vt ne ipſe quidem vſus longo tempore experiundo eas arguerit, ait Liuius. Deuicta per Cæſarem Iulium Gallia, idem accepit victoris beneficium; in cæteris agnoſcimus facilè Romanis conueniſſe, cùm ius barbaris redderent, ijsque maximè, qui feritatem exuerant, & ſtudioſi honeſtatis ciuilis viderentur. Habuerunt itaq; in Gallijs ſemper amicam ac ſociam ciuitatem Maſſilienſem, quæ tincta erat literis humanioribus. Eo nomine ſemper habuerunt fœderatam Rhodum inſulam, eiusque *αὐτονομίαν* probarunt, & naualem diſciplinam imitari non erubuerunt. *Nihil hic de Germanis, quibus ſuos mores, quos Corn. Tacitus eleganti libro perſecutus eſt,* intactos permiſerunt Romani victores, in quibus obſeruarent priſcę ſimplicitatis imaginem. Hæc de prudentia veterum Romanorum in victos populos.

Apud Cæſares Chriſtianos.

Iam verò non minor ſagacitas fuit Cæſarum quorundam, veræ ſanctæque pietatis Chriſtianæ cultorum, in ferendis aliquando ſectarijs, & ijs, qui alienas ab orthodoxa fide opiniones in orbe Chriſtiano diſſeminarent. Quod quàm conſulto, quàm ciuili modo, quamque vtiliter ab ijs factum ſit, ex eo intelligere eſt, quòd Theodoſius Imp. verè orthodoxus, non ſit vſus ſtricto iure, ſummaque poteſtate in hæreticos, Socrate teſte, hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 2. neq; coegit eos ad communionem orthodoxorum, ſed ſingulis permiſit pro ſuo cuiuſq; arbitratu communicare. Sozomenus item Eccl. hiſt. lib. 7. cap. 1. narrat Gratianum Imp. omnibus in exſilium propter religionem ſub imperio ſuo deportatis reditum conceſſiſſe, legemq; tuliſſe, vt quiſque liberè, quam vellet, religionem teneret, demptis tamen Manichæis, Photinianis, & Eunomianis, quorum peruicacia nō ferenda putabatur in hominum cœtibus. Hæc quidem ex bonorum principum inſtitutis. At mirum videri poſſit, quòd Ioannes Papa I. à Theoderico rege miſſus eſt ad Iuſtinum Imperatorem, precaturus, vt edictum, quod aduerſus Arrianos propoſuerat, reuocaret, ijsq; alioqui damnatis hæreticis, licèret ſuo more viuere. Quod factum Ioannis ab Eccleſia probatur, laudatum doctoribus, non ſanè quòd illi fauerent hæreticæ prauitati, quam ſtirpitus auulſam percupiebant, ſed quòd ad Eccleſiæ communem pacem conducere id arbitrarentur. Paulus Diaconus, & Platin. in Ioanne I. Sulpitius Seuerus in vita B. Martini lib. 2. Non deſinebat B. Martinus Ithacium increpare, accuſatorem Priſcilliani, vt ab accuſatione deſiſteret; ac Maximum Imperatorem orare, vt ſanguine infelicium abſtineret. Verùm de his ſatis, ad alia feſtinet oratio.

Prudens

Prudens magis quàm loquax.

EMBLEMA XIX.



NOCTVA Cecropijs inſignia præſtat Athenis,
Inter aues ſani noctua conſilij.
Armiferæ meritò obſequijs ſacrata Mineruæ,
Garrula quo cornix ceſſerat antè loco.

COMMENTARII.

I. DEFINGITVR noctua, nota auis, in ſua planitie; hæc enim Athenienſibus erant ſigna gentilitia. Epigraphe Stockhameri ſonat, *Prudens, ſed infacundus.*

II. *Emblematis fös.* HVIVS Emblematis character ductus videtur ex mimis aliquot vetuſtis, in quibus eſt Mineruæ ſimulachrum cum ingenti vmbone, ſub qua eſt noctua. Sunt & alij quidam mimi in quibus expreſſum eſt Palladis galeatum caput, à cuius altera parte noctua innititur proſtrato carcheſio: iuxtà quadrigæ cum Victoria, laurea circumducta cum baccis. Fabulam autem noctuæ Ouidius 2. Metamorph. refert, quæ quia longiuſculè ab illo narratur, breuitati conſulens omitto. Hoc tamen ſummatim dico, Coronidem è miniſterio Palladis propter loquacitatem expulſam, in cuius locum ſucceſſit Nyctimene. Eſt autem Noctua Mineruę ſacra vel propter oculos cæſios, quibus qui præditi ſunt, præſtantioris & acutioris ingenij feruntur eſſe: vel propter lucubran- *Cur noctua Mineruæ ſacra, & Athenarum ſymbolum.*

di

di & contemplandi munus, quòd animi vis dicatur nocturni potiſſimum temporis ſilentio vegetari. Quia verò Minerua Athenarum preſes erat, ideo ab iis pro ſignis gentilitiis fuit adhibita. Nam cum Neptunus à Minerua victus, non poſſet regione Attica potiri, iratus immiſit illis δυσβελίαν, id eſt, leuia ſtultaq; conſilia. Hoc Minerua non mutauit, ſed quod illi malè ſtatuiſſent, illa in bonos exitus vertebat. Vnde natum prouerbium, γλαὺξ ἵπτατο, *Noctua volauit*: quoniam hæc auis ſacrata Mineruæ, & auſpicata conſiliis credebatur, eiuſq; volatus Athenienſibus erat victoriæ ſymbolum. Alluſit huc Ariſtophanes in Veſpis.

Γλαὺξ γὰρ ἡμῶν πρὶν μάχεσθαι τὸν ςρατὸν διέπτατο. id eſt:

Noctua noſtras ante pugnam peruolarat copias.

Refert enim Plutarchus in vita Periclis, illi è ſuperiore nauis tabulato concionanti, noctuam ad dextram aduolaſſe, ac malo inſediſſe: quod omen effecit, vt omnes irent in illius ſententiam. Iuſtin. lib. 23. rei huiuſce causā Hieroni duci aſſeribit, cui adoleſcenti prima bella ineunti, aquilam in clypeo, noctuam in haſta conſediſſe refert. Quod oſtentum, & in conſilio cautum, & manu promptum, Regēq; futurum ſignificabat. Hinc factum eſt, vt Athenienſes non ſolùm in nummis, tum aureis, tum argenteis noctuam inſculperent, ſed etiam in templorum foribus, & in portis vrbis, atq; etiam in vexillis idē ſignum apponendum curauerint. vnde paræmia, *Noctuas Athenas*. Quod idem ſonat, ac ſi dicas, in mare fers aquam, in montem ligna. In huiuſmodi cultum noctuæ acerbè luſit Demoſthenes, cùm è carcere populi Atheniēſis elapſus fugeret: nam ad Palladis arcem ſubinde réſpectās, ſublatis manibus: O Pallas, inquit, vrbiſi domina, cur tribus infauſtiſſimis beſtijs delectaris? Noctua, Dracone, & populo? Ex vna fortè cæcitatem: ex dracone liuorem animorum, ex populo inſtabilitatem & inconſtantiam intelligens. Alij malunt referre ad nummū aureum & argenteū, in quo inſculpta erat Noctua. Vnde & in prouerbium abijt, *Noctua Lauriotica*, quo velut ænigmate vim pecuniarum ſignificabant; Laurios enim Atticę regio eſt, non modò metalli venis, ſed & noctuis frequens. Hine Ariſtophanes in Auibus: *Noctua Lauriotica.*

Γλαῦκες ὑμᾶς οὔποτ' ἐπιλείψουσι Λαυριωτικαί,

Ἀλλ' ἐνοικήσουσιν ἔνδον, ἔν τε τοῖς βαλαντίοις

Ἐννεοττεύσουσι. id eſt:

Noctua vos nō relinquēt Lauriotica, ſed hæ

Ædibus aderunt in ipſis, inque loculis nidulos

Sibi parabunt.

De nomiſmate Athenienſi teſtatur quoq; Plutarchus in vita Lyſandri, cum de ſeruo meminit, qui domini ſui furtū ἀινιγματικῶς indicans, ait: multas ſub tegulis cubare noctuas; oſtendens illic abditas pecunias, noctuis inſignitas. Nec illepidè dicetur volaſſe noctua, quoties res non viribus, ſed pecuniarum interuentu confectā creditur. Hoc loco mirari ſubit, qua cauſa ductus Eraſmus, vertit Græcum prouerbium γλαῦκας εἰς Ἀθήνας, *Vlulas Athenas*: cùm vertendum fuiſſet, *Noctuas Athenas*. Nam γλαὺξ, propriè noctuam ſignificat; αἰγώλιος, vlulam. Neq; eadem eſt noctua cum vlula, quod ex Ariſtotele liquet; & diuerſarum linguarum nomina manifeſtant: Vlulam vocant Itali *Aloco*; Germani, *Huhu*: Hiſpani, *Antillo*: Noctuā verò illi, *Ciuetta*; iſti, *Kautz*; hi, *Lechuza*. Præterea vlula quamuis inter aues nocturnas nominetur, ſolet venari picas; noctua mures, lacertos, & huiuſmodi beſtiolas, vt idem Ariſtoteles autor eſt. Plinius etiam lib. 10. cap. 12. Ariſtotelis verba transferens ait: Vncos vngues & nocturnæ aues habent, vt noctuæ, bubo, vlulæ. Plura de huius Emblematis materia qui deſiderat, legat adagia, *Vlulas Athenas*; *Noctua volauit*; *Noctua Lauriotica*; &, *Athenienſium inconſulta temeritas*, Pierium 20. Hieroglyph. Gyrald. Syntag. 11. *Noctua volauit. Eraſmus taxatur.*

III. *Athenæ vnde nominata.* CECROPIIS *Athenis*.] Athenas Cecropias à Cecrope Rege, & Athenienſes Cecropidas appellari, iam in ſuperioribus attigimus. Athenæ autē ἀπὸ τῆς ἀθηνᾶς (ne iterum adhuc repetere cogamur) hoc eſt, Minerua, quæ nomen huic ciuitati impoſuit. Diuus Auguſt. 18 de Ciuit. Dei, c. 9. ex Varrone diuerſum ab aijs ſentit. vide Platonem in Cratylo.

Inſignia præſtat] Cur Athenienſes noctuam pro inſignibus gerant, iam ſatis dictum arbitror.

Sani noctua conſilij] ab effectu dicitur

ſani conſilij, quia eius volatus lætum & auſpicatum conſilium reddebat Athenienſibus. Nam quod quidam referunt, verba illa, *ſani conſilij*, ad fabellam Angeli Politiani, quæ eſt in fine Lamiæ, de Noctua & cæteris auibus, Sanctio non placet, ſuū tamen cuiq; eſto liberum iudicium.

Armifera Minerua] Minerua ex cerebro Iouis armata proſilijt. Conſule quæ ſupra Embl. 1. de Minerua diximus. Mihi ſuccurrit illud Anacreontis de roſa:

Πολεμοκλόνον τ' ἀθηνῦν
Κορυφῆς ἐδείκνυε ζεύς. id eſt:

vt cùm è vertice Iouis exilijt armata ſcuto & haſta Minerua. Ouidius 6. Faſt.

Creditur armiferæ ſignū cœleſte Mineruæ.

Idem 2. Amorum, eleg. 6.

Viuit & armiferæ cornix inuiſa Mineruæ.

Martial. initio epigramm.

Accipe belligeræ crudū thoraca Mineruæ.

Meminit & in Olympijs Pindar. Ode 7.

Armata cur Pallas.

Armata autem fingitur (ait Phornutus) in ipſo ortu, quòd ſapientia ſuis ipſius præſidijs ſatis inſtructa ſit ad maximas & difficillimas res obeundas. Deinde artium omnium, & belli Dea, quòd & diſciplinarum liberalium vſum, & bellorum adminiſtrationem ſine ſapientia mancā, & inanē eſſe intelligimus. Pindari Scholiaſt.

Noctua cur Palladi ſacra reiecta cornice.

Obſequijs ſacrata] Noctuā dicatam fuiſſe Palladi, repudiata cornice, copioſè tradit Ouid. 2. Metamorph. Minerua Erichthonium Cecropis filiabus ciſtella viminea incluſum, & ſeruandum tradiderat, & ne aperirent, interdixerat. Quod cùm neglexiſſent, Coronis factum Mineruæ indicauit, vnde ab eiuſdem comitatu repulſa eſt, & in cornicem mutata. Sic enim conqueritur:

——Mihi gratia talis
Redditur, vt dicar tutela pulſa Minerua,
Et ponar poſt noctis auem: mea pœna volucres
Admonuiſſe poteſt, ne voce pericula quærāt.

Cuius poſtrema verba mythologiam habent. Garruli enim, quique nimio linguæ vitio laborant, haud vnquam poſſunt cū ſapientibus & cordatis viris habere commercium: quin vbi apud eos aliquid effutierint, tandem odioſa infamiæ labe aſperguntur, & à conuictu laudato virorū honeſtorum, & virtute inſignium abeſſe coguntur. De noctuæ prudentia Dion. Chryſoſtomus doctè ac lepidè oratione Olympica, quæ eſt 12. Hoc etiam addere nō grauabor, quòd Alciatus ſcribat, Mineruæ noctuā meritò conſecratam, nempe ab Euſtathio ingenioſè ad 1. Iliad. rationē redditā: γλαῦκα ſacram eſſe τῇ ἀθρητικῇ ἀθηνᾷ, διὰ τὴν πρὸς τὸ ἀθρεῖν τῦ γλαύσσειν ταυτότητα: quia nimirum ἀθρεῖν & γλαύσσειν idem ſignificent. Phornutus in lib. de Natura Deorū, cauſam reddit, quare noctua Mineruæ ſacra ſit, his verbis. οἵ δὲ δράκοντες, καὶ ἡ γλαῦξ διὰ τὸ ἐμφερὲς τῶν ὀμμάτων ἀνατίθενται ταύτῃ τῇ γλαυκώπιδι οὔσῃ. id eſt: *Dracones & noctua ei conſecrati ſunt propter oculorum ſimilitudinem, ſiquidem ipſa glauca eſt.* Vide Lamiam Politiani.

Cur cornix à Pallade repulſa.

Garrula quo cornix] Virgines ſilentiū decorat, garrulitas dedecorat, vt poſtea dicemus, ideo cornix, quę loquax eſt, ex miniſterio Mineruę excluſa, noctua verò aſſcita. Vide Ouid. loco citato 2. Metamorphoſeōs. Reiecta eſt cornix à Pallade, ſicuti à Græcis accepimus, quod meditationum ſit infeſta peruigilio, & mentis agitationē interpellet ſua garrulitate, cuius ipſa ſignum gerit. Sic enim Græci κράζειν dicunt, de garrulis, vt *cornicari* Perſius in Satyris. Sed & reperio cornicem in Palladis manu apud Peloponneſios vſitatum Hieroglyphicum, longè ſecus quàm Athenis, vbi cornices ad arcem Palladis non aduolabant: cuius rei cauſam non à fabulis, ſed ab ipſa natura repetit Lucretius. Noctua, inquit Boccatius, ideo Mineruæ eſt attributa pulſa cornice, vt oſtendatur, ſapientem præmeditatione in obſcuris ſepoſita, noſcere, vti & noctua videt in tenebris; & garrulitate atq; loquacitate repulſa, vt operę agat, loca, tempuſq; reſpicere. Fabula videtur ex vero traxiſſe originem. Nam Plinius de cornice loquens, ab Arcturi ſidere, inquit, ad hirundinum aduentum notatur, eam Mineruæ lucis templiſq; rarò, alicubi omnino non aſpici, ſicut Athenis. Vide Iuſtinum lib. 23 in fine. Memini legere me apud Plutarch. De odio, & inuidia, inter cornices & vlulas perpetuum eſſe diſſidium, quarum vel occiſarum ſanguinem permiſceri quidam negant: vt etiā ſi quis confundat, vtrumque ſeorſum diffluere narrent. Ælian. lib. 3. c. 9. de animalib. perſpicuè idē tradit, ἐπεὶ δὲ ἡ γλαῦξ ἐστὶν αὐτῇ (ſupple κορώνῃ) πολέμιον, καὶ νύκτωρ ἐπιβουλεύει τοῖς ᾠοῖς τῆς κορώνης,

Corniciū & vlularum diſſidium.

ἤδη μεθ' ἡμέραν ἐκείνην ταὐτὸ δρᾷ τοῦτο εἰδυῖα, ἔχειν τὴν ὄψιν τὴν γλαῦκα τυφλώττουσαν ... . De hoc inter noctuam & cornicem diſſidio facit quoq; mentionem Ariſtoteles lib. 9. de Hiſtor. animal. cap. 1. Cornix meridie oua ſurripiens noctuæ, abſumit, cùm non clarè interdiu noctua videat. Noctua contrà oua cornicis noctu exedit; eſtq; altera interdiu, altera noctu potentior. Sed die vel cæteræ auiculæ omnes noctuam circumuolant, quod mirari vocatur, aduolanteſq; percutiunt. Quapropter aucupes ea conſtituta, auicularum genera multa & varia capiũt. Vide Aelianum & Oppianũ, de aucupio.

IV. *Pauciloqui ſapiẽtes.* VERBORVM parſimonia ſapientes maximè decet, eorumque perſpicacitas in rebus obſcuris & difficilibus agnoſci verſariq; debet. Eo enim præcipuè differt ab imperito & ſtulto prudens, teſtiq; ſciens, quòd pauciloquus, quodque oculatus in iјs ſit, ad quæ alij conniuent, vel oculorũ mentis obſcura caligine cæcutiunt. Eius quidem rei ſymbolum eſt Noctua, olim Athenienſium inſigne, ac Mineruæ ſacra. Sed quorſum hoc Emblema, dixerit aliquis, aut quodnam argumentum habet? *Emblematis documentũ.* Nimirum ciuitatem optimis moribus ac legibus inſtitutam ſapientia, conſilio maturo, recta prudentia firmari, ſpreta inani hominum loquacitate. Itidem de ſingulis magiſtratibus, quique Remp. adminiſtrent, eſt ſtatuendum: qua ratione Demoſthenes, alijque boni oratores, aduerſos habebant demagogos, blandoſque concionatores, qui vulgi cupiditatibus inſeruiebant: nec minùs eos inſectabantur quàm ſophiſtas obſtreperos optimi quique Philoſophi. Certè epigraphes argumentũ, quod habet inſtar oraculi, *Prudẽs magis quàm loquax*; poſſem nõ incommodè illuſtrare Fabij exemplo Maximi (qui quo tempore Annibalem iuueniliter exultantem ſua patientia fregit, multis conuicijs militari laſciuia impetitus, non ponebat rumores ante ſalutem) niſi occurreret laudatum Eteonici facinus. Is Lacedæmonijs præfectus, cum accepiſſet, ſuos milites in inſula Chio annona laborantes tacitè coniuraſſe in inſulares Chios, vtq; ſeſe diſcernerent, arundinem manu pileòue circũtuliſſe: cenſuit ille, non aperta vi (quod fieri commodè non poterat) agendum: ſed quindecim delectis comitibus per vrbem incedendo, qui primus ei obuiam veniebat arundinem habens, obtruncari iuſſit. Cauſſam ſciſcitantibus, nihil aliud reſpondebat, quàm id à ſe factum, quòd geſtaſſet arundinem. Itaque cæteri coniurati arundines ſtatim depoſuerunt. Imò Eteonicus Chijs conuocatis, ne vllum quidem de coniuratione verbum fecit, ne metum aut ſuſpicionem inijceret, ſed pecunias imperauit, quas iuſſit militibus diſtribui, ne quid noui molirentur. Ii ſtatim paruere. Sic paucorum pœna periclitantibus multis occurſum eſt. Retulit Xenoph. 2. rerum Græcar. Socrates admonebat ſuos diſcipulos, vt tria potiſſimùm in omni vita haberent: In animo prudentiam, in vultu verecundiam, & in lingua ſilentium. Hinc Cato, Vticenſis dictus, cùm ei etiam nunc puero, vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri volebat) ait: Carpant taciturnitatem, modò vitam probent. Et addidit: Tum demùm abrumpam hoc meum ſilentium, cum ea loqui potero, quæ ſunt indigna ſilentio. Latere plerumque volunt verè probi, & in pectore intimo domicilium virtus habet, non in vultu aut fronte. Contrà improbi odioſa garrulitate perpetuò aures aſtantium obtundunt, imitati ſcilicet ollas & dolia, quæ quo magis vacua & inania, eo magis reſonantia. Natura enim hoc linguoſis iſtis inſitum, vt non multa ſolùm loquantur, ſed etiam mala. De quibus non malè dicetur, quod quidam de luſcinia capta & pennis exuta: Vox es, prætereà nihil.

Maturandum.

EMBLEMA XX.



MATVRARE iubent properè, & cunctarier omnes,
Ne nimium præceps, neu mora longa nimis.
Hoc tibi declaret connexum echeneide telum:
Hæc tarda eſt, volitant ſpicula miſſa manu.

COMMENTARII.

I. *Echeneu.* TELO ſeu ſagittæ circumuoluta eſt remora, maturitatis ſymbolum. Eſt autem Echneis ſiue remora piſciculus ſemipedalis longitudinis, & quinq; digitorum craſſitudinis, limaci magnæ ſimilis, vt aſſerit Plinius lib. 32. cap. 1. Secundum verò Oppianum, aſpectu anguillæ, forma turbinata, colore nigro, ore acuto, qui & incuruatur vt hamus, in petris viuens. Ariſtoteles lib. 2. de nat. animal. cap. 14. ait: Remoram errore nonnulli pedes habere prodiderunt, expes enim omnino eſt; ſed quoniam pinnas habet pedibus ſimiles, hinc fit, vt pedibus inſtare videatur. Piſciculus quidam eſt ſaxis aſſuetus, in cibos non admittendus, nomen à remorandis nauibus adeptus, vtilis ad iudiciorum cauſas, & amatoria veneficia, vt aliqui volunt. Vide Plin lib. 9. cap. 25.

TRITO vulgò prouerbio dicitur, maturandum quidem eſſe & accelerandũ, paulatim tamen & præmeditate, ne nimia feſtinatio & parum conſiderata, periculoſa; neue prælonga tarditas & mora pernicioſa ſit futura, ſed mediocritas & modus in omni re ſeruetur: quod eleganter hac II.

figura

Telum. *Remora.*

figura exprimitur, & duabus notis hieroglyphicis ob oculos ponitur. Telum enim velocitatis, agilitatisq; indicium eſt, vt explicat Pierius lib. 42. Hieroglyph. Remora autem impedimentum & tarditatem ſignificat: Idem lib. 30. Alij rem planè eandem ſignificantes, Delphinum remoræ adiunxerunt, vt Paulus III. Pontifex Max. Alij anchoram delphino copulauerunt, vt Aldus Manutius, nobilis Typographus.

Medium tenuere beati.

Rectè itaq; ex his medium conſtituetur, participans de vtroq; extremorum, exceſſu puta & defectu. Id enim omnibus in rebus ſummè laudatur, commendatur & præcipitur, Ariſtotele teſte lib. 2. Ethic. & lib. 4. Polit. Hinc illud Ouidij:

Inter vtrumque tene, medio tutiſſimus ibis.

Nimia ſiquidem omnia (iuxta Plautum in Pœnulo) hominibus nimium negotium exhibent. Quare ſemper illud, quod medium eſt, atq; inter vtrumq; probatur. Martial. epigr. 1. Cicero lib. 4. Tuſc. quęſt. Ariſtoteles 6. Moral. cap. 9. ſic ait: *Ad deliberandum autem multum temporis ſumunt, propterea quòd celeriter aiunt conficienda eſſe, quæ ſuſcipimus, lentè capiendum conſilium.* Vnde ſumpſiſſe videtur Salluſtius illud, quod in hiſtoria Catilinæ

Salluſtius emendatus.

poſuit: Nam & priuſquam incipias, cõſulto: & vbi conſulueris, maturè opus eſt facto. Quem locum Ioachimus Perionius diligens Ariſtotelis interpres, ſic cenſet poſſe melius legi: Antequam incipias, conſulto: & vbi conſulueris lentè, maturè facto eſt opus. Quæ quidem interpretatio plena eſt, & verbis Ariſtotelicis cõgruens. Sed tamẽ ſi verba Salluſtij diuerſa diſpunctione legas, integer conſtabit ſenſus, ſic: Antequam incipias, conſulto; & vbi conſulueris maturè, facto opus eſt. Vide prouerbium, *Feſtina lentè.* in quod vberrimũ copioſæ orationis quaſi fluuium congeſſit Chiliadum autor. Vide etiam adagium, *Antequam incipias conſulto.*

III. Maturitas.

MATVRARE iubent] Maturitas vocatur ea virtus, quę media eſt inter celeritatẽ nimiã, & tarditatem. Nigidius apud Macrobium 6. Saturn. cap. 8. Maturè, inquit, eſt, quod neq; citius eſt, neq; ſerius, ſed medium quiddam, & temperatum eſt. Sic & in frugibus, & in pomis, matura dicuntur, quæ neq; cruda & immitia ſunt, neq; caduca & nimium cocta, ſed temperata & adulta. Interpretationem hanc Nigidianam duobus verbis eleganter exprimebat Auguſtus Cæſar. Nam & dicere in ſermonibus, & ſcribere in epiſtolis ſolitum ferunt: *σπεῦδε βραδέως. Feſtina lentè.* Per

Feſtina lentè.

quod monebat, vt ad rem agendam ſimul adhiberetur & induſtriæ celeritas, & tarditas diligentiæ: ex quibus duobus contrarijs fit maturitas. Sic Poeta Neptunum inducit diſceſſum ventis imperantem, vt & citò diſcedant, tanquam fugiant; ita tamen fugiant, vt ſtandi mediocritatem in regreſſu teneant, tanquam maturè, id eſt, temperatè abeuntes: veretur enim, ne in ipſo diſceſſu claſſi noceant, dum nimio raptu tanquam per fugam redeunt. Hæc ex Macrobio. Vide A. Gellium lib. 10. cap. 11. Noct. Att. Obiter iſtud addo, ex dialogo de Oratoribus, qui tribuitur Tacito:

Maturare.

Maturare huius libri editionem feſtino, vt dimiſſa priore cura, nouæ cogitationi toto incumbam pectore. Quo ex loco conſtat, verbum Maturare, non ſemper ita ſtrictè ſumi, vt à Macrobio, Gellio, & alijs. Idem Tacitus in 2. hiſtor. vbi de Muciano agit, quem penè imperij ſocium habuit Veſpaſianus, maturitatem perbellè deſcribit, & quidem paucis:

Muciani maturitas.

Mucianus cum expedita manu, non lento itinere, ne cunctari videretur, neq; tamen properans, gliſcere famam ipſo ſpatio ſinebat, gnarus modicas vires ſibi, & maiora credi de abſentibus. Idem Hiſtoricus lib. 4. eiuſdem Operis, in duobus principibus confert cum maturitate, vel tardatione potiùs, celeritatem nimiam & præcipitem, ad hunc modum: Domitianus Mucianusque accingebantur diſpari animo; ille ſpe ac iuuenta properans; hic moras nectens, queis flagrantem retineret, ne ferocia ætatis, & prauis impulſoribus ſi exercitum inuaſiſſet, paci belloq; malè conſuleret.

Cũctatio.

Cunctarier] Παραγωγὴ, Cũctarier pro cunctari. Cunctationis pulcher eſt apud Ammianum locus initio 16. vbi de Conſtantio: Hinc & deinde nec itinera, nec flumina tranſire poſſe ſine inſidijs putans, erat prouidus & cunctator; quod præcipuum bonum in magnis ductoribus, opẽ ferre ſolet exercitibus & ſalutem. Sic idem lib. 29. de Theodoſio ſolerti duce ſub Valente Imperatore diutius agens, vt antiquus ille cunctator pro negotio conſultabat, commentis potius & prudentia, quàm periculoſis cõgreſſibus, hoſtem pugnacem

& impenetrabilem iactu telorum, ſi ſors copiam dediſſet, oppreſſurus. Non mihi tempero, quin exemplum nobile adiũgam ex eodem Hiſtorico, de duobus ducibus, qui ſub Gratiano Cęſare meruerunt, quos lubens ego confero cum Fabio Maximo & Minutio. Sic itaq; Ammian. lib. 31. Nannieno negotium dedit, virtutis ſobriæ duci. Et Mallobandem iunxit pari poteſtate collegam, domeſticorum comitẽ, regemque Francorum, virum bellicoſum & fortem. Nannieno igitur ſecum reputante fortunæ caſus verſatiles, ideoq; cunctandum eſſe cenſente; Mallobandes autem pugnandi cupiditate raptatus, vt conſueuerat ire in hoſtem, differendi impatiens, angebatur.

Ne quid nimis. *Ne nimium præceps &c.*] In rebus omnibus commẽdatur mediocritas. Vide prouerb. ***Ne quid nimis.*** Heſiodus ἔργ.

Μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.

Menſuram ſerua, modus in re eſt optimus omni.

Huic quoq; adſtipulatur Venuſinus Poeta:

Eſt modus in rebus, ſunt certi deniq; fines,
Quos vltra, citraq; nequit conſiſtere rectũ.

Echeneis. *Echeneide*] ἐχενηΐς, ἴδος, Latinè Remora, à ſiſtendis & remorandis nauibus ſic appellata, παρὰ τῶ ἔχειν τὰς ναῦς. de qua in ſequentibus opportunius.

Telum. *Telum*] Telum vulgò id appellatur, quod ab arcu mittitur; ſed propriè id omne telum dicitur, quod manu in longinquum proijci poteſt; vnde lapis, plumbũ, lignum, ferrum, ſub hoc nomine continentur. Deductum à Græco τῆλε, vel τηλοῦ, quod *longè* ſignificat. Eandem ſignificationem etiam in Græco nomine inuenire poſſumus, etenim quod nos telum dicimus, illi βέλος, vocant, ἀπὸ τῶ βάλλειν, quod eſt mittere, ſeu iaculari. *Telum velocitatis ſignum.* Telum ſeu ſagittam pro ſigno velocitatis poni, non eſt recens. Itaq; Armenij ſagittam Tigrim vocant, per quandam verbi translationem. Nam velociſſimum animal tigris; & fluuius rapidiſſimus, nominis eiuſdem, qui ex Armenia defluit in Meſopotamiam.

Volitant] ad deſignandam celeritatem; vel *volitant*, quia ſagittæ poſteriore ſui parte pennatæ ſunt.

Spiculũ. *Spicula miſſa manu*] Spiculum, eſt telum miſſile, ſiue ſagitta, ſic dictum à ſpicarum ſpecie. Ouidius ferè ſic 1. de Ponto, eleg. 4.

——*Sarmatica ſpicula miſſa manu.*

Virgil. 11. Æneid.

Spicula conuerſo fugientia dirigat arcu.

Aliquando ſpiculum ſumitur pro ſagittæ ferro, & cuſpide. Curt. Alexander ſagitta ictus eſt, quæ in medio crure reliquerat ſpiculum. Neſcio an huc etiam rectè contulero, quod de Cymodocæa nympha Virgilius in 10.

——*Fugit illa per vndas,*
Ocyor & iaculo, & ventos æquãte ſagitta.

Sic quoq; celeritatem proferimus nos Germano prouerbio: *Gleich vvie der bolz von der Sennen.*

IV. *Vitanda nimia celeritas & nimia tarditas.*

1. IN rebus arduis, & quibus neglectis aliquid periculi eſſe poteſt, cauendum à nimia celeritate, atque etiam mora: ſed videndum maximè, vt maturè non modo ſuſcipiamus, ſed & conſectemur, quòd nobis propoſitum eſt, ne hac vel illac aberrando parte nos quodammodo pœniteat. Plutarch. oratione ad Apollonium: *σοφοὶ δὲ τὸ μηδὲν ἄγαν, ἔπος ᾔνεσαν περισσῶς.* Sapientes iſtud quidem, ***Ne quid nimis***, pręter modum celebrarunt. Laudatur & illud Phocylidis:

πάντων μέτρον ἄριστον, ὑπερβασίαι δ' ἀλεγειναί.

eo enim vel maximè nomine Ariſtidem vrbe pepulerunt Athenienſes, quòd nimis iuſtus eſſe videretur. Eodẽ penè modo Epheſij Hermodorum. At vt modum aliquem exemplis etiam imponamus, hoc vnum addamus ex Liuio: In bello Punico ſecundo, Terẽtio Varroni, homini iuueniliter exultanti & temerario datus eſt collega Paulus Æmilius, maturus ætate & conſilio, vt ſua prudentia feruorem alterius temperaret. Sic Fabium Max. creatum aliquãdo belli ducem memini, eum quidem cunctatorem & maturum, vt Marcelli celeritatem reprimeret. Id ſi placet ad nimiam quorundam ſtudioſorum induſtriam referre, ſic ſtatuo. *Aurea mediocritas.* Præceptum hic eſt rebus in omnibus agendis validiſſimum, quo aurea mediocritatis regula commendatur. Sicuti nihil magis expedit, quàm agrum optimè colere: ita ſæpe putatur inutiliſſimum, nimio ſe labore conficere. Plantę aqua mediocri aluntur, immodica ſuffocantur: ſic iuuatur ingenium laboribus ac ſtudijs moderatis; contrà obruitur ſi immoderatè exerceas. Nam vt plerunque luſciniis euenit ob nimium canendi ſtudium,

quo

quo mirificè delectantur, vt in eo exſpirent, nempe quas, vt ait Plinius, ſpiritus deficiat citiùs, quàm cantus: Ita nonnulli, ſtudiis intenti plus quàm par ſit in ipſo conatu interdũ emoriuntur. Cæterũ nulla opera, quanq̃ ab illuſtri artifice profecta, commendatur, quæ immoderata ſit, vt Apelles Protogenis tabulas admirabatur quidem, vt immenſi laboris: in hoc tñ non laudabat, quòd manum ponere de tabula vix vnquam poſſet: ſignificabat ei nocere nimiam diligentiam; quam etiam in compoſitione Iſocratea reprehendit Fabius: adeò modus in rebus, & certi deniq; fines ſpectandi ſunt in omni capiendo conſilio, labore ſuſtinendo, aggrediendo, perficiendoque negotio, vt quod ait Flaccus:

Inſani ſapiens nomen ferat, æquus iniqui,
Vltrà quã ſatis eſt, virtutẽ ſi petat ipſam.

Quibuſdam certè in negotiis celeritate opus eſt, mora obeſt: hoc enim citat ex neſcio quo Plutarch. τιθεμένων ἀγώνων πρόφασις ἀρετὰν ἐς αἰπὺν ἔβαλε σκότον. Certaminibus iam propoſitis, cunctatio virtutem profundas in tenebras deficit. Itaque M. Curius Dentatus Conſul, cum delectum ſubitum coactus eſſet educere, nemoque iuniorum reſpondiſſet, coniectis in ſortem tribubus omnibus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen extractum vrna citari iuſſit: eo non reſpondente, bona haſtæ ſubiecit. Quod cùm illi nunciatum eſſet, accurrit ad tribunal Cõſulum, collegiumque tribunorum appellauit. At Conſul Dentatus appellationem non recepit, bona eius & ipſum vendidit, non tam feſtinatione pœnæ, quam præueniendi periculi cauſa, quando res, tumultusque belli moram dilationemque non reciperet, dum interim cognoſceretur de excuſatione aut immunitate. Retulit Val. Max. lib. 6. Aliis in rebus probatur tardũ conſilium, vt multò præſtantius: contra nimium præceps damnatur, vt quod adiunctam pœnitentiam habeat Sic Lucian. Epigramm.

Curij Dentati feſtinatio.

ἡ βραδύπους βουλὴ μέγ' ἀμείνων· ἡ δὲ ταχεῖα
αἰὲν ἐφελκομένην τὴν μετάνοιαν ἔχει.

Cũctatio & deliberatio peccati remedium.

2. Sub hoc quoq; ſchemate continetur è cœleſti myropolio depromptum remediũ contra vim & impetum in vitia ruentis animi, fertur enim ille ſæpe effrẹni curſu in præceps, niſi remora rationis & cunctatio ſurgentes motus frangat & retundat. Sic enim faciendum eſt, quoties inuitat occaſio, aut potiundæ voluptatis ſpes aliqua obiecta, cum ad laſciuiã ſpectatus in muliere decor & venuſtas prouocat, quando laceſſitus iniuria in aduerſarium incidis, & vindictæ cupidine pręcordia iam percelli ac ſtimulari ſentis; cùm obiicitur deniq; & occurrit, vnde cauſam peccati vel anſam quomodolibet animus concipere, & ineſcari queat, prouocandum mox ad rationis tribunal, & conſultandum, an citra honoris & famæ iacturam turpitudo illa ſic poſſit tranſmitti, quæ labes inde, quam deforme ſtigma perennis ignominię expectandum, quàm conſtanti viro indignum ſic cadere & difflari, velut ad ſibilum leuioris auræ floſculorum pappi ſolent in patentibus campis; in eam mollitiem maſculas vires degeneraſſe, vt proteruioris oculi iactu lethiferã plagam inflictam cordi, vel eos ſuſcitatos ignes, qui reſtingui nequeant, querelæ audiantur, & ſigna probent; deſperati militis notam eſſe, abiicere clypeum ad fragorem crepantis tympani, aut rugiente claſſico: ad ſuſurrum blandioris voculæ, aut aſpectum quem pruriens fęmina proiicit, ita leuiter cõcuti, deſerere ſtationem. & dare manus, non minus. Actum ipſum intuẽdum; quã breuis ſępe & momentaneus, & ſordes in ipſo, & aculeos poſt ipſum, qui tanquam aſpidis aut ſcorpionis immiſſo veneno ſauciant. Magnę virtutis medicamẽtum hoc, efficax & ſalutare inhibendi flagitiis, vbi mora interrumpit & deliberandi ſpacium, nec ad factum affectus re inconſulta mox ſe præcipitat: refrigeſcit calor & ſubſidit ſenſim, ſi nõ exit cum impetu. Sicut enim flamma, cum materiam corripit & effundit ſe globo pleniore, coercet minas, & reprimitur aqua inſperſa: ita conceptus iſte libidinis feruor, ſi frigidam infundat deliberans, & attemperet. Vehemens eſt inter ipſa initia, & in furia ſua, ſed compeſcit obex, & frangit vires. Ab iracundo exemplum habe, cum rabies agitat, & armare manus ad vindictam incipit, cùm in oculis inimicus eſt, & ad votum perdendi occaſio, cùm furor impellit, & recrudeſcens memoria acceptæ iniurię. Actum eſt, ſi primum ſequatur impetum, ſi nõ diſcutrat iudicio & examinet molem flagitii, ſeueritatem legis, rigorem iudicis, pœnas &

tormenta, quibus luendum. Quę dum cogitat, languet, ac friget manus interim, deſpumat bilis, & hoſti parcitur. Similis ratio in ebrioſo: dum in vitro ſcintillat generoſus ille liquor, & vrget ſitis, acclamant ſocij, dum feruet opus, dum fumat menſa, dum in circulum bibitur, & contrahuntur noua iura fraternitatis & amicitiæ, Baccho ſauciente fœdera, dum clamoribus omnia perſonant & lætitiæ iubilo, iam porta panditur ad peccatum, instare libet citatis paſſibus & ingurgitari, ni reuocent quæ adiuncta vitio, quæ comitantur, ratione magiſtra. Equo frequenter excutit inſeſſorem nimia pernicitas, & aurigam impetus ſuus ſternit, ruentem & pronum in verbera, quibus à moderamine & mora nullum periculum, ſi contineant & reducant habenas. Similiter faciendum in hoc ſtadio flagitiorum; vncus iniiciendus eſt rotæ, qui ſiſtat, frænum equo, & remora ſagittæ, ne nimium properent.

In deprehenſum.

EMBLEMA XXI.



IAMDVDVM quacunq; fugis, te perſequor: at nunc
Caſsibus in noſtris denique captus ades.
Amplius haud poteris vires eludere noſtras:
Ficulno anguillam ſtrinximus in folio.

COM-

COMMENTARII.

I. VIR in ripa è præterlabente fluento extractam anguillam folijs inuolutã retinet: folia autem ſunt ficulnea, hoc eſt, lata, vmbroſa, & profundè laciniata, aſpera & ſcabra; hic verò male pinguntur acuta, lauri folijs ſimilia.

II. *Anguilla.* DVCTA eſt ſimilitudo à natura anguillæ. Piſcis eſt oblongus, lubricus, & volubilis, generatur ſcopulorum attritu ſine coitu, ſine ouo, quam ideo Ariſtoteles neq; marem, neq; fœminam eſſe dicit, viuit octonis annis, duratq; ſine aqua ſenis diebus Aquilone ſpirante. Capiuntur plurimæ in lacu Benaco hyemato; Plinius & Solinus in Gange reperiri inuſitata magnitudine ſcribunt, Ælianus in Timauo, alij in lacu Vulſinienſi, Plutarchus in limoſis locis iuxta Syracuſas ingentem anguillarum multitudinem eſſe perhibent. Dicitur anguilla ab anguis ſimilitudine, eſtq; adeo læuis, & lubrica, vt difficulter manibus teneri poſſit, imò quanto fortius premitur, tanto citius elabitur, teſte Iſidoro, de qua etiam Plinius lib. 9. cap. 51. & 57. Hinc hominem, qui fugitiuam rem aliquam nulla conſequendi ſpe ſectaretur, indicare ſi vellent Ægyptii, anguillam pingebant, quam manus à cauda prehenderet. Hanc quidam vt caperet diligenter inſecutus, cũ ſæpius ex manibus eius euaſiſſet, tandem deprehenſam in folio ficulno ſcabro, & áſpero cautè inuolutam conſtrinxit. Vnde adagio dicitur, *τῷ θρίῳ τὴν ἐγχέλυν. Folio ficulno anguillam.* quod vide. *Folio ficulno anguillam.* Lege etiam Ariſtotelem lib. 6. de hiſtoria anim. cap. 16. Cœl. Rhodig. lib. 18. c. 1. Prouerb. *Cauda tenes anguillam.* &, *Anguilla in ſtrigmento.* in Eraſmicis & Iunij adagijs, & nihil vltra ad Emblematis explicationem deſiderabis.

III. IAMDVDVM] verba ſunt piſcatoris, anguillam captam & irretitam alloquentis.

Caſſibus in noſtris] Retibus, vinculis. Ouid.

Decidit in caſſes præda petita meos.

Caſſis. Caſſis, is, g. m. ſignificat rete, quia caſſum id eſt, ratum. Caſſis, idis, g. f. galeam denotat.

Vires eludere noſtras] me cum riſu effugere, euadere, aſtu mihi imponere. Cic. in Catil. Quamdiu nos etiam furor iſte tuus eludet?

Ficulno anguillam, &c.] Alluſio ad Prouerb. *Folio ficulno anguillam.* Cui poteſt videri aliud finitimum quod refertur ab aliis; *Inter Orci cancros adhærere:* pro arctè irretiri, vt nulla pateat effugii ratio.

IV. *Fugax tãdem deprehẽſus.* ALLEGORICA proſopopœia in quemuis deprehenſum, & fugacem, qui ob ſcelera notatus ſemel atque iterum è manibus iudicum ſublatus, & pro temporis occaſione ſubterfugiis vſus, non tamen poſſit effugere & expedire ſeſe, ſi tandem correptus arctiori nodo illigetur. Id facilè & commodè poteſt illuſtrari nobilibus hiſtorijs, de Perſe, Pſeudophilippo, Iugurtha, qui Romanorũ infeſtiſſimi hoſtes, dolis, fraudibus, ſubterfugiis vſi, vt vix capi poſſe viderentur, tandem tamen ſuccubuerunt: ſed libri ſunt in omnium manibus. E multis, quæ occurrunt, vnum ſublegere placet ex Iuſtino: Hãno Carthaginienſis adeò diues erat, vt cęteros ciues opibus anteiret, is de occupando regno cogitauit, ſed interfecto primũ Senatu: quod machinatus ſimulatis filiæ nuptiis, plebi in porticibus publicis, Senatui ſuas in domo epulas parari mandauit, vt poculis veneno infectis ſenatores tectiùs enecaret, & ita Remp. inuaderet. Quo tamen conſilio nefario per miniſtros detecto, magiſtratibus placuit ſcelus declinari, non vindicari, periculum enim erat, ne plus negotii exhiberet res cognita, quàm cogitata. Itaque decreto cohibuerunt, vt modus nuptiarum ſumptibus ſtatueretur. Quo cõſilio præuentus Hanno, ſeruitia concitat, rurſuſque conſtituta cædibus die, cùm iterum ſe proditum vidiſſet, munitum caſtellum cum viginti ſeruorum millibus occupauit, ſed comprehenſus eſt ad extremum, dum ſibi conatur Afros, & Mauritanos conciliare. Virgis cæſus, effoſſis oculis, & manibus cruribuſque fractis, necatus eſt: corpus verberibus lacerum cruci affigitur. Filij quoque cognatiq; quãquam innoxii, vltimo ſupplicio affecti. Sed ne ſim longior, id & opportunè torqueri poteſt in eos, qui fallacis ſunt fidei, quiq; crebrò furtim ſe ſubducunt ab iis, apud quos verum dicere neceſſe habeant: vti pleroſque (heu nimiùm multos) noſtra hac tempeſtate videmus, qui aliud in *Homines ambidextri.*

ore

ore promptum habent, aliud in pectore clauſum tenent, quod de Catilina Saluſtius ait; ſeque imponere aliis aſſueuere, vt non vereantur perfricta fronte pertinaciùs obſiſtere iis, quos ſibi iuſtè interdum aduerſari norunt. *Pertinaces.* Quod & accommodari poteſt in pertinaces quoſdam & refractarios, qui diuinis oraculis demum in noſtram ſententiam pertrahuntur, cùm eos nihil morentur humana. Deniq; vix quiſquam adeo verſipellis fugax & improbus eſt, *Verſipelles.* quin arte aliqua ſiue induſtria capiatur, atq; ita irretitus in extremum etiã diſcrimen adducatur, & inſidiarum ſuarum pœnas meritas luat.

Cuſtodiendas Virgines.

EMBLEMA XXII.



VERA hæc effigies innuptæ eſt Palladis: eius
Hic draco, qui dominæ conſtitit ante pedes.
Cur Diuæ comes hoc animal? cuſtodia rerum
Huic data: ſic lucos, ſacraq́ templa colit.
Innuptas opus eſt cura aſſeruare puellas
Peruigili: laqueos vndique tendit Amor.

COM-

COMMENTARII.

I. STAT depicta Pallas, veſte ſuccincta, galeata, haſtam tenens, (cui miror deeſſe clypeum) ad cuius pedes draco vigil excubat, quem quia cæteræ editiones quadrupedem & alatum exhibeant, Pignorius acriter contra nititur, & ſerpentis ſpecie depingi debere contendit. Sic enim ille: Palladis draconem in ea hæreſi ſunt noſtri, vt credant fuiſſe alatum, auritum, & quadricrurem. peſſimè omnino. Antiquitas enim omnis, dracones ſerpentum vulgarium forma perpetuò exhibuit. Vidimus autem proximè, quid Auſonius in Chimæra, nomine draconis interpretatus ſit; & nos alibi propoſuimus Sardæ iconiſmum, in quo draco, Antiphili cælo inſculptus, arcum intendebat, appoſita ad neruum ſagitta, & pharetra ſpiris implicita, cuius hoc erat lemma in altera parte eiuſdẽ gẽmæ: ΔΡΑΚΩΝ ΘΕΑΓΕΝΟΥΣ ΑΛΚΙΜΟΣ ΤΟΞΟΤΗΣ ΑΘΗΝΑ. vt mittamus, quæ aliàs annotauimus de curru Cereris, de ſtatua Laocoontis, de imagine Aeſculapii, de malis Heſperidum, de Mercurii virga, quam Caduceum appellamus. Et ſanè hanc Athenagoras dracone & dracoena conſtare inſigniter ſcribit. Imò Arnobius, & Iulius Firmicus anguem & colubrum appellant in ſacris Sebaziis, quem Clemens Alexandrinus draconem. Et draconarii in exercitu Romano quid prætulerint, notum ſanè eſt. Hos tamen dracones ſunt qui angues & ſerpentes non ſemel vocitent. Hęc Pignorius. Ego hac in re auditor tantũ.

Pignorij opinio de dracone Palladis.

II. TYPVS Emblematis huius mihi ductus videtur ex Atticis Pauſaniæ lib. 1. vbi narrat, ſimulachrum Mineruæ fuiſſe olim Athenis talari veſte, cuius pectus obtegeret Meduſæ caput eburneum, cum Victoria cubitorum quatuor, & haſta in manu: ad pedes fuiſſe clypeum appoſitũ, iuxtaque haſtam obuolutum draconem. Phidias clariſſimi nominis ſtatuarius, Palladis ſimulachro Draconem appoſuit, quẽ pedibus Dea comprimeret, quo ſignificabat, virgines & puellas (fuit enim Pallas virginitatis numen) peruigili cura continendas eſſe, vt ea ratione ſit optimè muliebri pudicitiæ conſultum. Sanè draco ſacratus Mineruæ eſt, & propter acrimoniam viſus vigiliæ cuſtodiæq; admodum accommodus: vnde ab acuto viſu nomen apud Græcos habuit, id eſt παρὰ τῦ δέρκεσθαι. nam δέρκομαι eſt, *acutiſſimè video*: vt & ὄφις, *ſerpens*, ab ὄπτω. ideoq; Palladi ſacer eſt, quia vocabulum id παρὰ τῦ πάντα ἀθρεῖν, ϗ βλέπειν, ϗ περὶ πάντων νοεῖν, factum pleriq; tradunt, prudentiamq; hinc interpretantur, quæ omnia perſpiciat, & ante omnes intelligat. Vide Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 20. Ad nominis etymologiam alluſit Horatius in Satyris, cùm inquit:

Cur in amicorum vitijs tam cernis acutũ,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

Cur Palladis ſimulachrũ Draconẽ premeret.

Et Virgilius 2. Aeneid. indicat dracones in Palladis tutela eſſe:

At gemini lapſu delubra ad ſumma dracones
Effugiunt, ſæuaq; petunt Tritonidis arces:
Sub pedibuſq; Deæ, clypeique ſub orbe teguntur.

Porrò quòd hic ſcribat, veram eſſe Mineruæ virginis effigiem, nec tamen explicet per partes, ſed Draconem tantùm adiungat vigilantiæ veluti miniſtrum, non videtur alienum, ſi Deæ panopliam ſubiecero. Puella igitur armata virum ſapiẽtem aduerſus omnes animi perturbationes ſe armantem, & vitiis animo forti reſiſtentem ſignificat: vel quòd virtutem ſuis ipſius præſidijs inſtructam ſatis eſſe intelligimus, vti iam dictum eſt. Galeam habet criſtatam in capite, quod referendum eſt ad iudicium, & conſtantiam, qua vel maximè ſapientis cerebrum, arx & propugnaculum animi, potiſſimùm valeat: haſtam verò longam, quòd oratione percutiat eminus: Scutum cryſtallinum viri ſapientis magnam ſolertiam repræſentat, qua ſeipſum haud aliter intus diiudicat, quàm ſi in ſpeculo cryſtallino ea, quæ externa ſunt, cõtempletur. Sed illud Gorgoneo capite terribile apparet, quod formidinis & terroris imaginem eſſe volũt, quã alii pectori Palladis appingunt, quia ſapiens in pectore terrorem habet, quo aduerſarios afficiat. Inde enim Tritogeniã dictam eſſe vult Phornutus, quòd malis terrorem & metum ingeneret. Pallium triplici colore tinctũ, quod ſapientia ſit multiplex, ſeu quòd tecta & operta ſit, neque cuilibet ſeipſam conſpiciendam prębeat,

Panoplia Palladis.

Cur armata Pallas.

Galea.

Haſta.

Scutum.

Caput Gorgonis in clypeo.

Pallium.

Cau-

Candidus in eo color ſimplicitatem reſpicit; aureus internitens, vim ſapientiæ fulgurantem; purpureus fulgorem penetrātem. γλαυκῶπις ideò eſt, καὶ φοβερὰ, καὶ χαροπὴ, καὶ δεινῶς ἀνδρικὴ, quòd vt illuſtris eſt & conſpicua, vt quidam volunt, ſic & formidabilis. Non enim tam cæſios habet oculos, vt acutè non videat: ὁρᾷ γὰρ δριμὺ· vnde & ὀφθαλμῖτις, καὶ ὀπτιλῖτις dicta; templū quod habuit à Diomede poſitum, nomine ὀξυδερκοῦ ἀθηνᾶς. *Glaucopis.*

Dracones & vlulæ Palladi cōſecrantur. Cęterùm alii, & Homerus maximè, tradunt eam glaucis eſſe oculis & cæſiis, qua ratione huic conſecrentur dracones, & vlulæ, nimirum ob ſimilitudinem oculorum: acutiſſimo enim viſu eſt draco, & quādam excubandi vigilandique vim habet, nec venatione capi poſſe videtur. Draconi autē ſimilem eſſe virtutem indagatricem aiunt, quæ diligentiſſimè omnia perſcrutetur, rimeturque ſtudio indefeſſo: ideoque ab acuto viſu illi nomen factum, vt iam diximus. Sed placet huc, non præter rem tamen, attexere, quod perſpicuè docuit Pōticus Heraclides in allegoriis Homericis: ἡ δὲ σὺν φρονήσει μετάνοια, δικαίως ἐν τοῖς ποιήμασιν ἀθηνᾶ νομίζεται· σχεδὸν γὰρ ἡ θεὸς, οὐκ ἄλλου τινὸς, ἢ συνέσεως ἐπώνυμός ἐστιν, ἀθρηνᾶ τις οὖσα, καὶ πάντα τοῖς λεπτοτάτοις ὄμμασι τῶν λογισμῶν διαθροῦσα. διὸ δὴ καὶ παρθένον αὐτὴν ἐτήρησαν· ἄφθορον γὰρ ἀεὶ τὸ φρόνημα, οὐδεμίᾳ κηλῖδι μιανθῆναι δυνάμενον, ἔκ τε τῆς τοῦ διὸς κεφαλῆς γεγενῆσθαι δοκεῖ. τοῦτον μὲν γὰρ ἀπεφηνάμεθα τὸν χῶρον ἰδίως λογισμῶν εἶναι μητέρα. Quæ coniuncta eſt cum prudentia pœnitudo, iure apud Poetas Athena, id eſt, Minerua, nuncupatur. Etenim eius nomen non aliundè ducitur, quàm ab intellectu, vt Athena tanquam ἀθρηνᾶ vocetur, hoc eſt, contemplatrix, & nihil non inſpiciens acutiſſimis mentis oculis. Itaq; virginem eam manere dicunt: quia prudentiæ vis non perit, neq; vlla fœdari macula poteſt. Adhæc putatur è Iouis orta capite: quem locum præcipuè rationum eſſe matrem oſtendimus. Sed hactenus ſatis. Lege Phornutum lib. de Nat. Deor. Fulgent. Mytholog. 2. Gyrald. 11. Syntag. Pierium Valer. Hieroglyph. 14. Natalem Comitē Mythol. lib. 4. cap. 5.

III. *INNVPTÆ Palladis*] Hinc παρθένος Græcis per excellentiam dicta. eo enim nomine culta eſt in Acropoli Athenienſi: vnde & templum Parthenon, cuius meminit Plinius lib. 34. vbi ait: Fecit (de Phidia loquens) & ex ebore æquè Mineruam Athenis, quæ eſt in Parthenone aſtans. Strabo: ἐν παρθενῶνι τὸ τοῦ φειδίου ἔργον ἐλεφάντινον, ἡ ἀθηνᾶ. Eius autem virginitas puri & incorrupti eſſe ſymbolum, Phornutus ait. *Pallas virgo.*

Domina] Palladis: Sapientia enim rerum domina.

Cur Diua comes hoc animal?] ſcilicet draco. Huius quidem rei meminit obiter Plutarchus, comment. de Iſide & Oſiride.

Cuſtodia rerum Huic data] tāquam cuſtodiæ ſymbolum. Inde celebres ſunt draco hortis Heſperidum ſeruādis præfectus, draco aurei velleris, draco Martis Caſtalij fontis cuſtos. Cicero Philip. 13. Qui domini patrimonium circumplexus, quaſi theſaurum draco.

Sic lucos, ſacraq; templa colit] Sic in lucis & delubris colitur, eo nempe habitu, teſtis Pauſanias in Atticis. Scribit Strabo, lucos à Poetis templa Deorum vocari. Magis tamen probabile eſt, lucum dici nemus arboribus denſum, nequaquam cæduum, numini alicui, aut hominis cineribus conſecratū; ideoq; circa delubra, aut circa ſepulchra poſitum. Sic dictum à crebris lucibus ſacrificiorum, quæ ibi nocturno tempore accendebantur. Alij dictum putant per ἀντίφρασιν, quaſi minimè lucidus, ob arborum denſitatem. Ioannes Scopas in ſuis Collectaneis contra Quintilianum diſputat, lucum dici à luca, vocabulo Aramęo, quo Hetruſci vtebantur, ſignificatq; ſenem, & ſeniorem. Exiſtimabantur luci religione quadam eſſe imbuti, vtpote Deorum domicilia. Deniq; nullus erat lucus, vbi non adeſſet aliquod numen. Quod ſenſiſſe puto Ouidium in illo verſu 7. Metamorph. quāuis aliter explanēt interpretes. *Lucus.*

——per ſacra triformis
Ille Deæ lucoq; foret quod numen in illo,
Iurat,

Ignorabat enim Iaſon quodnam numen in illo luco coleretur, per illud tamen iurat, gnarus non poſſe lucum eſſe ſine numine.

Innuptas opus eſt, &c.] Phocylidis eadem eſt ſententia.

Παρθενικὴν δὲ φύλασσε πολυκλείστοις θαλάμοισι,

Μηδέ

Μηδέ μιν ἄχρι γάμων πρὸ δόμων ὀρ-
τῆναι ἐάσῃς.
Κάλλος δυστήρητον ἔου παίδων τοκέεσσι.
Clauſa tibi virgo thalamis ſeruetur ho-
neſtis,
Nec ſinito hanc ad connubium foru vſq;
videri.
Forma puellarũ ſeruata parentibus agrè eſt.

Quò ſpectat etymon nominis παρθένος, quod Grammatici deflectunt à παραθέειν τῇ μητρὶ, quòd virgo apud matrem manere debeat, quem morem veterum Heſiodus attigit ἐ. ἔργων.

Οὔτε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μη-
τέρα μίμνει.

Cura aſſeruare puellas] Nõ eſt arx, neq; *Difficultas custodiendi puellas.* poſſeſſio vlla, quæ tam difficulter aſſeruari poſſit quàm fœmina. Stobæus cap. 73. ex neſcio quo poeta citat hoc (Minos Alexin Comicum allegat)

οὐκ ἔστιν οὔτε τεῖχος, οὔτε χρήματα,
οὔτ' ἄλλο δυσφύλακτον οὐδὲν ὡς γυνή.

Ita Plautus Epidico:

——*doctè & ſapienter dicis: non*
Nimis poteſt pudicitiam quiſquam ſua ſer-
uare filiæ.

Laqueos vndiq; tendit Amor] Γνώμη. Sic u. diſcipulis ſuis tenerorum luſor amorum præcepit; *Semper tibi pẽdeat hamus.*

IV. OCCASIONE huius Emblematis ſubit non ſine mentis aculeo, temporum noſtrorum proteruia, & pulcherrimæ virtutis caſtitatis neglectus, è cuius gremio eximium decus venit & immortalis gloria. *Caſtitatis laus.* Hæc (audi & gaude, aſſiduus tantæ virtutis cultor, qui me in has verborum ambages rapis & rotas; audite & vos, qui ſpreuiſtis hactenus) niueum puritatis candorem aſpergens animis, tanquam ANGELOS in corpore humano, mirabili metamorphoſi, & diuino planè ſtatu, producit. Caſta mens viridarium eſt diuinitatis, & roſetum fragrantiſſimum, cui virgines apiculæ inerrantes, fauos conuectant gratiarum. Cuſtodes ſuos habet non ſquãmis horrentes dracones, ſed genios & cœleſtes ſpiritus, qui ſtipant & muniunt auolantes, reuolantes vicaria functione, ſolo decore tracti tam terſi pectoris, quod nec imaginaria aliqua obſcœnitas inquinat, niſi volubili ſaltem & aduentitio conceptu, qui pulſat & tranſit non auditus. Specioſum quidem eſt omnium virtutum ac reuerendum agmen, in quibus claritudo maior atq; venuſtas ſpectaretur, ſi paterent oculis ſupra naturæ ſortem. Sed neſcio quomodo ſupergreditur vna cæteras dignitate & forma, quotquot ſunt, cui præter muliebrem habitum nihil mulieris, ſed Cherubini ordinis aut Seraphici quempiam conferas, Solis radios æmulante vultu, toto corusco, fulgido, florido, leuato ad ſidera, in ſeipſam redeunte, & ſubmiſſa agnitione ſui, toto deniq; fixo, ſtante, perdurante: ſic flammeus ardor aureis virgis circum tempora ſerpens, ſic fulgurantes oculi latentem amorem, & abditum ignem palam produnt. Quid ignem? incendium potiùs, & ardentem pyram de lignis vitæ, quæ in caſto hoc corde, nec alibi extra hoc plantantur. Vera vita hinc eſt, vernans, perennans à fonte vitæ, à quo & donum ipſum, ah ſuperi, quàm rarum, & ſine pretio? Nihil in homine viuum, totum inſpice, vbi radix hæc in marcore & vitio: emoritur ſuccus & medulla, tanquam nouellæ arboris ſideratione percuſſæ, ſub ortum canis, exiccatur enim & defluit ſenſim caducis folijs, occulto morbo. Non attollit flos vllus virtutis caput, iuxta ſpinam Veneris, quæ premit & ſuffocat: purgatus ſit oporter hortus interior animi ab vrtica hac libidinis, euulſi prurientis laſciuiæ ſentes, areolæ diſpoſitæ ad meliora ſemina, ſi meſſis aliqua ſperanda ſelectior, & in ſinũ cultoris optabili fructu redundans. Cur ſic deſpectum igitur, quo ſine ſpecies omnis ſordeſcit? *Caſtitatis cõtẽptus.* cur pedes conculcant id, quod diademate honoris verticem coronat? quod ſertis incingit, æui ſeriem laturis conſtanti virore? quod throno ter adorandæ maieſtatis redimitos admouet? Hoccine ludibrio ſit, & ſubſannantium cachinnis expoſitũ? O tempora, ò mores? Quod roſa eſt in florum genere, nardus in odoriferis, cupreſſus inter arbores, inter gẽmas adamas, in metallis aurum, hoc caſtitas in virtutum choro, duplici laurea inſignis, ex palma & lilio: Hoc illibati pudoris, illud profligatæ libidinis ſignum, quę laceſſit continuò & impugnat. *O magnam victoriam, nunquam cadere?* quę martyrij triũphum iure mereatur pręclaro inconcuſſæ fortitudinis teſtimonio. Redi ergo, Regina exul, veneranda & formoſa caſtitas. Te, ò ſancta pudoris mater, bonorum omnium vota flagitant. Cur auertis faciem purpurantem lactis & roſarum mixtura?

Suſcipe

Suſcipe faſces imperij, & auitum ſolium ingredere, nouę inaugurationis titulo ſalutata Domina & Imperatrix mundi. Hunc tibi (eſto ſecura) non inuidebit, quæ lilium tuum præfert inter cęleſtes choros, parens Altiſſimi, quæ eſt typus tui, aut à te ectypon: cuius mater es & filia, miraculum vtraq; in veſtro ſexu, & velut gemina Cynthia inter ſtellas minores. Atq; vt omittã tot veri Dei cultui dicatas virgines, inter incredulos quoque repertę ſunt, in quibus mirum quantum eluxerit pertinax propoſitum in ſeruando tanto virginitatis theſauro, vel (quod non minus eſt) vlciſcendo violatum præfloratumq; Mileſias virgines ſeptem legimus, Gallico furore cuncta vaſtante, ne quid indecens ab hoſte paterentur, turpitudinem morte declinaſſe. Nicanor victis atq; ſubuerſis Thebis, vnius virginis captiuæ ſuperatus amore eſt, cuius expetens coniugium & voluntarios amplexus, quod vtiq; in illa fortuna debuerat habere captiua inter optatiſſima, ſenſit pudicis mentibus pluris virginitatem eſſe, quàm regnum, & propria interfectam manu flens & lugens amator tenuit. Auctores habemus, aliam item Thebanam virginẽ, quam hoſtis Macedo violarat, diſſimulaſſe paulisper dolorem, & violatorem virginitatis ſuæ mox iugulaſſe dormientem, & tandem cum gaudio ſe quoq; interemiſſe. Conſultò prætereo Erechthei filias, quæ ob cuſtodiam caſtitatis per quandam exochen *παρθένοι*, dictæ ſunt. Cæterum inter virtutis huius claritates adeo pręſignis, adeoq; gemmis & omni auro precioſioris, etiamſi in pleriſq; enituit, quas tamen veteribus præferas Patauinis, non ſanè multas inuenias. Caſtitas loci & ſeueritas tantum non incomparabilis abijt in prouerbium etiam antiquis. Quis enim non legit vel illud Valerij Martialis ex 11. Epigrã.

Caſtitatu exẽpla in Ethnicu.

Caſtitas Virginũ Patauinarum.

Tu quoq; nequitias noſtri luſuſq; libelli
Vda puella leges, ſis Patauina licet.

Quod ſi quis inuidè nimium ſolers eſt, ac Poetæ lepidiſſimo credendum minus opinatur, is Plinij Cæcilij ex 1. Epiſtol. aſtipulationem audiat, qui vbi vniuerſam Tranſpadanæ Italiæ partem, vt multum verecundiæ & frugalitatis antiquæ retinentem collaudauit, deniq; ait de puella quadam: Habet auiam maternam Serranam Proculam è municipio Patauino; noſti loci mores. Serrana tamen Patauinis quoq; ſeueritatis exemplum eſt. Durant adhuc hodie in virginibus Venetis priſcæ caſtitatis veſtigia, quando non niſi operta facie prodeũt viſendæ in publicum: velut dictent ſubinde illud Hieronymi: Illa tibi ſit pulchra, illa amabilis, quæ procedens in publicum vix vno oculo, qui vix neceſſarius eſt, patente ingreditur. Apud Spartanos tamen diu obtinuiſſe legimus, vt virgo aperta facie, at conuelata nuptæ in propatulo viſerentur. Cuius eam Charilaus reddebat rationem, *ὅτι τὰς μὲν κόρας ἄνδρας εὑρεῖν δεῖ, τὰς δὲ γυναῖκας σώζειν οὓς ἔχοντας.* id eſt: quoniam virginibus viros ſibi proſpicere, neceſſarium ſit, mulieribus autẽ quos compararint, cuſtodire. Scribit Tacitus, Poppææ Sabinæ raros fuiſſe in publicum egreſſus, idq; velata parte oris, ne ſatiaret aſpectum; vel quia ſic decebat. Sed & Homerus in perſona Penelopes, vult pudicam mulierem vix ſolam in medium procedere, ſed ancillis comitibus ſtipatam. ſic enim ille:

Virgini Venetæ mos.

Cõtra mulieres vagabũdas.

Οὐκ οἴη, ἅμα τῇ γε καὶ ἀμφίπολος δύ' ἕποντο. id eſt:

Haud ſola, aſt illam duæ famulæ comitabantur.

Val. Maximus exemplum ſeueritatis memorat in Q. Antiſtio, qui vxorem repudiauit, quòd illam in publico cum quadam libertina vulgari ſecretò loquentem vidiſſet. Is enim maluit occurrere incunabilis & initijs culpæ, quam perfectum ſcelus vindicare. Itidem fecit Sẽpronius Sophus, non alia de cauſa, quàm quòd vxor, ignorante ſe, ludos ſpectaſſet. Nunquam igitur committendum, vt virgines pluſquam ſatis eſt euagentur, inſidiatur enim amor vndiq; tanquam canis venaticus auidè inhiãs feræ, loca perluſtrat ſingula: nec quidquam eſt eo ſexu fragilius aut imbecillius. Namque

Vt corpus, teneru ſic mens infirma puellæ.

Et, *Videndo vrit fœmina.* Præterea procliuem eſſe fœminam occaſione præſertim data, vel ſacrę docent litteræ: *In filia,* inquit Eccleſ. 26. *non auertente ſe firma cuſtodiam, ne inuenta occaſione abutatur ſe: ſicut enim viator ſitiens ad fontem os aperiet, & ab omni aqua proxima bibet, donec deficiat.* Simili modo cap. 23. *Nõ des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri veniam prodeundi.* &c. Certè cùm ſit adeo difficilis puellarũ cuſtodia, ſtatim vt ſunt,

aut

Virgines nubiles elocādæ.

aut eſſe incipiunt maturæ nuptui, ſeu, vt Iuris auctores loquuntur, viripotentes, ſunt elocandæ, & ijs quærenda conditio. Id & præcepit Sapiens Hebræus: Si tibi filiæ ſint, ait, erudi illas, & trade viris cordatis. Quamquam enim virgines maturæ viro nihil dicant, atq; quod Naſo ait,

Pulchra verecundo ſuffundant ora rubore;

tamen intra ſe multa loquuntur, vel teſte Comico vetere Menandro, qui hunc affectum eleganti penicillo adumbrauit:

Θυγάτηρ ἐπιγαμὸς, κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
διὰ τοῦ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.

id eſt:

Quanquam ſileat paſſim puella nubilis,
Silendo multa ſolita eſt intra ſe queri.

Quare circumſpectè iura permittunt ei, quæ annum quintum & viceſimum exceſſerit, vt poſſit non expectata parentum auctoritate, virum ducere. Val. Maximus lib. 6. refert exemplum longè præclarum de Publio quodam Mænio, qui ſe pudicitiæ acerrimum vindicem præſtitit. Nam in libertum ſuum, quamquam admodum gratum ſibi, animaduertit, quòd filiæ ſuæ iam nubili oſculum dediſſet: cùm præſertim non libidine, ſed errore lapſus videri poſſet. Et quidem pœnæ grauitate, teneris adhuc puellæ ſenſibus caſtitatis diſciplinã ingenerari magni æſtimauit; eiq; tam triſti exemplo præcepit, vt non modo virginitatem illæſam, ſed etiam oſcula ad virum ſincera perferret. Oſculo enim pudicitiam mulierum delibari, veteres crediderunt. Hinc Ouidius:

P. Mænius ſeuerus pudicitiæ vindex.

Oſcula qui ſumpſit, ſi nõ & cætera ſumpſit,
Hac quoq; quæ data ſunt, perdere dignus erat.

Oſculum proœmiũ adulterij.

Etenim inter adulterij proœmia etiam oſcula enumerantur vulgari illo verſiculo: *Viſus, & alloquiũ, tactus, poſt oſcula factũ.* Quis enim alligabit in ſinu ignem, & non comburetur? aut ambulabit ſuper carbones ignitos, & non ardebit? Vnde aduertenda Apoſtoli prudentia, dum de cælibatu agit; non enim dicit; Bonum eſt vxorem nõ habere: ſed, *Bonum eſt mulierem non tangere:* velut tactus quoq; non citra periculum admittatur, vt quæ illaqueet virorũ animas, quæ adoleſcentium auolare corda faciat. Poetarum concinunt fabulæ, Mithram & Erichthonium vel in lapide, vel in terra de æſtu ſolo libidinis eſſe generatos. At Ioſeph, qui Aegyptiæ tactum reformidauit, ac velut rabidiſſimę canis morſum refugit, ne paulatim ſerperet virus, etiam veſtem, quam ea tetigerat, perinde ac ſi peſtiferum imbibiſſet ſuccum, confeſtim abiecit. Quod autem dictum eſt: *Creſcite, & multiplicamini:* neceſſe fuit prius plantare ſiluam & creſcere, vt eſſet quod mox excideretur. Quod verò ait: *Replete terram;* illud altiùs intuentibus præmonſtratur, nuptijs terram vtiq; repleri, at virginitate paradiſum. Nuptias ſcimus honorabiles, & torum immaculatum: ſed ita, vt præſtet virginitas, & micantius vibret. Argenti nitorem matrimonium præfert; virginitas rutilantis auri radios imitatur. Rectè quidem Verus Imperator, vxorem dignitatis nomen eſſe, non voluptatis, dictitabat. At illuſtrior ſemita eſt, qua nos non præflorata integritas ducit. Cęleſtiũ ignari de maritandis ordinibus ſanciunt, & cenſoria nota cælibes multant. Et in legibus Plato, qui vxores abnuant, ſupplicio cenſet admouendos. At id genus domeſticum theſaurum quotusquiſq; per momẽta non cupit alliſum obtritumque? Certè vt aliud non ſit, ſtultiſſimum eſt compedes ſuas, licet aureas, amare. Quid? quod veteres nonniſi caſtas mentes ſacerdotijs ſuarum Dearum adhibuerunt. Hinc Virgines Veſtales, Iunonis Argiuæ, Mineruæ, Dianæ, deniq; Apollinis etiam. Ex quo & Lyricus Poeta:

Virginitas nuptijs præferenda.

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium.

Teutonum vxores, victore Mario, vt Veſtę ac Cereri dicarentur, à Conſule anxiè contenderunt: voto excidentes, faucibus eliſis commori præoptarunt, quã pudoris aleã ſubire. Tanto fœdiore illo, qui viginti ſuperſtes fuerat vxoribus; eaq; cui ſecundus & viceſimus fuiſſet maritus. Huius tanti theſauri, caſtitatis inquam, cuſtodiam ſcitè Poetę ſignificarunt per Argum illum, centum oculos habentem, vnicæ tamen iuuencæ ſeu mulieri præfectum: eum tamen ob fęminæ æmulationem interemptum. De quo Ouid. lib. 3. Amor.

Cuſtodia caſtitatis difficilis.

Centum frõte oculos, centũ ceruice gerebat
Argus, & hos vnus ſæpe fefellit amor.

Claudian. ſic:

Argum fama canit cẽteno lumine cinctũ,
Corporis excubijs vnam ſeruaſſe iuuencam.

Et Augerian. de eodem:

Argus

Argus eram prudens, & habebam lumina
centum,
Centum ſed rapuit lumina Iuno mihi.

Facetè.

Occurrit viri egregij frequens dictum, ſe malle feruentium formicarum agminis, vel pulicum cohortis, quam vnius fœminæ cuſtodiam agere. Rectè itaq; admonet quod vulgò dicitur: *Mulier pudica ne ſola ſit vnquam.* Neq; enim Deæ (ſi poetis creditur) ſibi pepercere, nec ipſi Dij tantum proſpicere vnquam potuere, quin amoris technis deluſi fuerint. Haud igitur fruſtra Propertius quærit:

Dic mihi, quis potuit lectũ ſeruare pudicũ?
Quæ Dea cum ſolo viuere ſola Deo?

Nec etiam ea, quæ ſemper domi, & intrà parietes vixit, omnino continens, caſta, & inuiolatæ pudicitiæ eſſe cenſenda eſt; ſæpe enim nox vna interpoſita perturbat omnia, atq; vel vno momento, etiam portis optimè clauſis, & ſeris quàm plurimis adhibitis, furtum illud dulce committitur, amiſſa ea re, quæ nec reſtitui vnquam, nec vlla ratione reſtaurari poteſt. Quatuor enim ſunt, quæ abeunt irreuocabili tranſitu:

Virginitas, tempus, verbũ, viriduq; iuuẽta.

Huius cuſtodiæ difficultatem expreſſit eleganter Tibullus:

Hæc fecere malas, hinc clauẽ ianua ſenſit,
Et cœpit cuſtos liminis eſſe canis.
Sed pretiũ ſi grãde feras, cuſtodia victa eſt,
Nec prohibẽt claues, & canis ipſe tacet.

Aureos enim hos imbres non excludit turris ahenea. Quod mihi reuocat in memoriam lepidos Apollodori ſenarios, quibus ait occludi fores repagulis, ſed nequaquã fabrum ianuam adeo clauſam & munitam reddidiſſe, quin ad eam pateat aditus feli & adultero. Eius hæc ſunt verba:

Καὶ κλείεθ' ἡ θύρα μοχλοῖς. ἀλλ' οὐδ' εἷς
τέκτων ὀχυρὰν οὕτως ἐποίησεν θύραν,
δι' ἧς γαλῆ καὶ μοιχὸς οὐκ εἰσέρχεται.

Quæ caſta cẽſenda.

Sed ea demum caſta eſt, quam nemo rogauit; atq; eadem continentiæ nomen & gloriam rectè feret, cuius animus nullis euentibus facilè collabaſcit: modeſtiam autem & probitatem ſalacitati, ornatui, veſtium compoſitioni, faciei pigmentis & figmẽtis, choreis, inanibus colloquijs, & curioſitati longè præponat: ac totum deniq; vitæ curſum perpetuæ integritatis conſtantia egregiè peregerit. Sed exulcerata hac noſtra ætate aliter iũuenculæ minorennes inſtituuntur, alios ab ipſis incunabulis imbibunt mores.

Iuuencularum hodierna inſtitutio.

Vt venuſtula Venuſcula appareat, compta, & ad ſpeculum compoſita, mater curat primùm: vt pro artibus Mineruæ arma Cupidinis tractet, pro acu arcum, ſpeculum & ſpiculum, pro tela telum exerceat: vt argutula, pica colore & lingua, in ſpectaculis, in choreis prima & vltima: vt blanda & affabilis nutus & nictus amatoris obſeruet & reddat; ne pede, vel oculo aberret; vt arguti digiti de feneſtris loquacia ſigna projiciant; ne denique ſolœciſmum aliquem committat in tyrocinio laſciuiæ. Ex ſchola hæc domeſtica, ex communi praxi omnia, ab exemplis, à conſortio & conſuetudine, ab autoritate & abuſu publico; vno verbo, à fatali quadam & incurabili dementia. Et quid ex tali hac plantula tandem? Lais & Thais fiet: ſileo.

Vino prudentiam augeri.

EMBLEMA XXIIII.



HAEC Bacchus pater, & Pallas communiter ambo
Templa tenent, ſoboles vtraque vera Iouis.
Hæc caput, ille femur ſoluit: huic vſus oliui
Debitus, inuenit primus at ille merum.
Iunguntur meritò: quòd ſi qui abſtemius odit
Vina, Dea nullum ſentiet auxilium.

COMMENTARII.

I. EIDEM baſi inſiſtunt Bacchus & Pallas: ille nudus, hederis coronatus, pateram tenens; hæc galeata, ſcuto & haſta armata, & capite Gorgonis in pectore munita.

II. *Qui Dij veteribus habiti.* PRO Dijs fuiſſe veteribus habitos, qui ſibi beneficijs humanum genus deuinxiſſent, notius eſt ex M. Tullij libris De nat. Deor. Lactantio & Euſeb. quàm vt confirmare ſit neceſſe. Tantum obiter admonebo, quoſdam Deos iiſdem olim templis & aris fuiſſe cultos, vt Cererem & Neptunum, quòd abſq; ſale cibi penè omnes inſipidi ſint, refert Plutarch. Sympoſ. 4. Vt Herculem & Muſas, quia Euandrum literas docuit Hercules, idem teſtis eſt in quæſtion. Rom. Sic deniq; Mercurium iuxta Venerem ſtatuere, vt oſtenderent, matrimonii voluptatem maximè orationis indigere: itemque Suadam & Gratias, vt innue- *Dij multi iiſdẽ aris poſiti.*

 rent.

rent coniuges inuicem quæ vellent, perſuadendo impetrare debere. Certè reperio apud auctores quoſdam Græcos, nomine peculiari Deos nuncupatos eſſe *συνναοὺς*, quibus delubrum commune fuit: ij etiam dicti *ὁμωχεταὶ*, vt apud Thucydidem. Romæ etiam in inſcriptione priuatæ cuiuſdã domus, teſte Fabricio, *Διὶ ἡλίῳ μεγάλῳ σαραπίδι, καὶ τοῖς συνναοῖς θεοῖς.* His quę dixi de dijs *συνναοῖς*, velim adiungi argutam ſane & eruditam non minus Ciceronis optationem ex 12. ad Attic. de Cæſare vicino: Scripſeram ad te, quia cognoueram ex tuis litteris, eum *συνναὸν* Quirino malo quàm Saluti. Tulliana hæc verba teneo, quibuſuis non facilia intellectu: ſententiam itaq; ænigmaticam interpretor. Optat itaque Cæſarem Iulium (qui extincto Pompeio Reipub. veterem faciem immutarat) Quirini *συνναὸν*, non tam vt eodem templo, iiſdemq; aris colatur Cæſar, atq; Quirinus, quàm vt ſimiliter pereat, deq; medio tollatur Cęſar, quemadmodũ olim Romulus ad capreæ paludem aduocata concione. Virgilius Deos communes appellat eodem ſenſu, in vndecimo Aeneidos:

De dijs συνναοῖς in eodem tẽplo cultis.

In mediosq; focos, & Dijs cõmunibus aras.

Exempla quædam attuli in ſuperioribus, quibus adiungo quod nunc mihi occurrit, apud Argyrenſes Amorem atq; Fortunam eodem in delubro coli ſolitos, nempe ad eorum ſignificandam mutabilitatem. Scribit Heſiodus in Helicone, idem fuiſſe templum Muſarum & Cupidinis, quod ijs ſcilicet Amor comparetur. Et Phornutus ait, Mercurium ducem Gratiarum, cumq; ijs adiungi, quòd ratione quadam gratificari oportet, non temerè, & in primis merentibus & dignis, nam qui eſt indignus, ad retributionem pigrior eſt & negligens. Locum Syneſij longè pulcherrimum ex epiſt. 1. a me obſeruatum, video ad rem facere, quo venuſta ſimilitudine Poeticam æquat Philoſophiæ. Huius hæc verba: *παῖδας ἐγὼ λόγους ἐγεννησάμην τοὺς μὲν ἀπὸ τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας, καὶ τῆς συνναοῦ ταύτῃ ποιητικῆς.* Ait, Poeticam eſſe *συνναὸν* Philoſophiæ, hoc eſt, contubernalem, & eius quaſi templi conſortem. Quod dictum ad ſummam Poeticæ laudem, quæ iiſdem honoribus ac Philoſophia donanda videatur. Hic ergo non immeritò ſimul iunguntur Bacchus & Minerua, ambo eodem patre nati, ſine matre ambo, bellatores ambo; ambo duarum præclariſſimarum rerum inuentores, olei & vini. Videtur porrò Alciati carmen confictum ex lib. 4. Epigram. Græcorum, *εἰς ἄγαλμα Διονύσου πλησίον Ἀθηνᾶς*, id eſt: *In ſtatuam Bacchi iuxta Mineruam*, quod tale eſt:

Emblematis fõs.

εἰπὲ τί σοι, ξυνὸν καὶ παλλάδι; τῇ γὰρ ἄκοντες
καὶ πόλεμοι· παρὰ σοὶ δ' εὔαδον εἰλαπίναι.
μὴ προπετῶς, ὦ ξεῖνε, θεῶν περὶ τοῖα μετάλλα,
ἴσθι δ' ὅσοις ἴκελος δαίμονι τῇδε πέλω.
καὶ γὰρ ἐμοὶ πολέμων φίλιον κλέος· οἶδεν ἅπας μοι
νῶτος δμηθεὶς ἰνδὸς ἀπ' ὠκεανοῦ.
καὶ μερόπων δὲ φυὴν ἐγεγήραμεν· ἡ μὲν ἐλαίῃ,
αὐτὰρ ἐγὼ γλυκεροῖς βότρυσιν ἡμερίδος
καὶ μὴν οὐδ' ἐπ' ἐμοὶ μήτηρ ὠδῖνας ὑπέτλη.
λῦσα δ' ἐγὼ μηρὸν πάτριον, ἡ δὲ κάρη.

Quem dialogiſmum ſic Latio donatum reperi:

Dicito, quid commune tibi eſt cum Palladę? namque
Spicula ſunt illi, ſed tibi vina ſacra.
Talia ne temerè Diuos ſpectantia quæras,
Aduena, dicturi quin cape verba prius.
Bella mihi curæ, tum belli gloria, & iſtud
India teſtatur robore victa meo:
Prodeſt illa viris ſucco frondentis oliuæ,
Pocula ſed noſtro munere læta bibis.
Per me nec genitrix vllos eſt paſſa dolores:
Femur ego ſolui, ſed caput illa patris.

Nos (inquit Claudius Minos) eundem hunc dialogiſmum duplici interpretatione expreſſimus, quam hic, Lector optime, repræſentamus, vt etiam aliorũ Epigrammatum Gręcorum, quorum non pauca ſibi ſumpſit Alciatus ad ſua cudenda Emblemata, non vt putes nos cum artifice nobili Alciato certamen ſuſcepiſſe, ſed vt intelligas libera eſſe ſtudia, & non paruę laudi fore vel in minimis æmulari meliores. Hoc genus verſionis multos annos recondidi, ea mente, ne vnquam foras euolaret: ſed ex amicis noſtris pleriq; vim mihi iniecerunt, & putauerunt eſſe ſatius edere quàm perdere, ad excitãdam ſaltem, quod aiunt, ſtudioſorum induſtriam. Hic igitur animum,

Minois modeſtia.

animum, non carmina iacto, quæ fieri multò meliora poſſunt. Sed quocunq; res abeat, id contentionis genus ſi tibi probatur, aut non prorſus improbatur, nullum mihi palmarium depoſco liberaliùs. Verſio igitur noſtra hæc eſt:

Verſio Minois.

Dic, quid tibi commune [eſt] cum Pallade? Nam ei iacula,
Et bella; tibi verò placēt cōpotationes.
Ne temerè, ò hoſpes, de dijs talia ſcruteris,
Sed ſcito quibus [ego nominibus] ſimilis deæ huic ſim.
Etenim mihi bellorum amica [eſt] gloria: hoc ſcit omnis mihi
Orientalis domitus Indus ab Oceano.
At certè hominum genus donis ornauimus: Illa quidem oliua,
Ego autem dulcibus racemis vitis.
Quin etiam nec mater [mea] propter me dolores partus perpeſſa eſt:
Sed ſolui ego quidem femur paternum, illa verò caput.

Quid commune tibi eſt cum Pallade? dic age, namque
Illi arma & pugna, ſed tibi vina placēt.
Iſthæc ne temerè de dijs ſcrutaberis, hoſpes:
Sed mage, cū diua quid mihi conueniat.
Prælia multa mihi cōfecta: fatebitur iſtud
Omnis ab Eois India victa plagis.
Munera noſtra hominum generi ſunt grata: Minerua
Vtq; olea eſt, certè vitis amica mihi.
Mater nulla mei ſenſit faſtidia partus:
Patris egoq; femur, ſoluit at illa caput.

Sed quia contentionis litterariæ hic res eſt, age audiamus & verſionem Sanctij.

Verſio Sãctij.

Quid tibi commune eſt cum Pallade? cui fera bella
Et cordi haſta ſunt? at tibi vina placēt.
Ne temerè, ò hoſpes, de diuis talia quæras:
Sed quibus hanc referam, diſce maligne, Deam.
Gloria bellorū chara eſt mihi: teſtis ad ortū
India perdomitum littore ab Oceani.
Et mortale genus nos ambo iuuamus: oliua
Hæc iuuat, at vitis dulcibus ipſe botris.
Nec mea me propter genitrix eſt paſſa dolores:
Patris ego ſolui femen, at iſta caput.

III. *Bacchus pater vnde dictus.* *BACCHVS pater*] almus Deus, cuius munere alimur & reficimur. Sic idem dicitur Liber pater, alii Neptunus pater, Apollo pater. Euſtathius Homericus Bacchum deducit ἀπὸ τοῦ βαχεῖν, quod eſt, incondito vlulatu perſonare, quo furentes Bacchæ, quas India debellata ſecum abduxit Bacchus, agebantur: deinde inſertam literam κ, quo expreſſio fieret immanioris ſoni. Eadem de cauſa Iacchus dictus eſt, *Iacchus* ἰάκχειν enim vociferari ſignificat.

Communiter ambo Templa tenent] vt ſint συνναοὶ θεοὶ, vel σύμβωμοι, vt Ceres & Neptunus, Hercules cum Muſis, Mercurius & Venus, de quibus iam diximus.

Soboles vtraq; vera Iouis.] Bacchus Io- *Bacchus & Pallas cur Ioue patre nati.* uis ex Semele filius, de quo poſtea. Pallas ex Iouis capite nata, vt ſuperius expoſitū eſt. Suſpicor hoc in loco non temerè Bacchum vnà cum Minerua cōiungi, & vtrūque ſobolem Iouis dici: vt notet duo præſtantiſſima munera homini à Deo conceſſa, quorum alterum ad animum, nimirum prudentia; alterum ad corporis vires inſtaurandas, nempè vinum, pertineat.

Hæc caput] Minerua è capite Iouis nata, vt Emblem. 1. dictum eſt.

Ille femur ſoluit] vt dicetur Emblemate ab hoc ſecundo, in Bacchi ſtatuam. Fe- *Femur. Femen.* mur, ſiue femen illam partem pedis ſignificat, quæ à coxendice ad genua vſq; producitur; dictum à ferendo, ceu ferimen, quod hac maximè parte ſuſtineatur atq; feratur homo. Valla ita diſtinguit, vt femen interiorem, ſiue anteriorem partem ſignificet, femur verò exteriorem ſeu poſteriorem: video interim indifferenter à poetis vſurpari.

Huic vſus olini] Olea & oliua, ſignifi- *Olea. Oliuum.* cat arborem & fructum eius, oleum & oliuum, liquorem ex baccis oleæ expreſsū. Virg. 3. Georg.

——liquidi corrumpitur vſus olini.

Et ecloga 5. idem:

Craterasq; duos ſtatuam tibi pinguis olini.

Oleæ inuentionem tribuunt Mineruę, Virgil. 1. Georg.

——Oleaq; Minerua Inuentrix.

Olea quo modo inuenta. Nam cum terra initio fuiſſet obruta aquis, emerſit primum Attica: eius amore ducti Neptunus & Minerua, de ciuitatis conſtituendæ nomine litem intenderunt: Ioui complacitum, eius fore vrbis pontificium, qui pulcherrimum excogitaſſet munus. Tunc portubus & naualibus à Neptuno vrbem excultam, Minerua oleam in Acropoli producente: quo argumento euaſiſſe ſuperiorem; & inde inſtitutum, oleaſtro

victores coronare. Quia verò oleum, oliuæ fructus, ad omnes artes ſit accommodatum, omnes artes Mineruа inueniſſe creditur. Nam profectò nulla ferè ars eſt, quæ non vtatur olei beneficio, ſicuti etiam ignis munere. Hinc prouerbium, *Oleum & operam perdere*. pro, fruſtra in aliqua re eniti. Item & aliud, *Oleum non vidit*. pro, rudi in qualibet arte. Cur autem olea Mineruæ ſacra ſit, variæ aſſeruntur cauſæ.

Olea cur Palladi ſacra.

Olea ab Homero antro Ithacenſi applantata fingitur, quod typum mundi habere ſapientibus eſt viſum, quia moles hæc vniuerſa, diuinæ ſit germen prouidentiæ, cuius creditur ſymbolum olea: quam Palladi conſecrarunt veteres, quæ ipſa eſt prouidentia. Tradunt alii cauſam, quòd ſemper vireat, & aliquid ſemper habeat glaucedinis, & quòd oleum nihil contineat humidi admixtum, ſed ſemper ſincerum & *ἀκήρατον* perſeueret: ita & virginitas, ait Phornutus. Sunt qui ſertum oleę aſſignẽt, quòd arbor hæc pacis ſit ſymbolum, ideoque arma ferri dicuntur, bellaque ſuſcipi, quò tandem commodiùs in pace viuatur. Gyrald. Syntag. 11 aliam habet rationem. Porrò Palladi oleam eſſe dicatam ex veterum commentariis didici: eandem caſtitati ſacram, quæq; humanis vſibus non pollueretur, imò quæ Deorum templis non accenderetur, niſi conſultò. Inter Græcos auctores pleriq; aſſeuerant, oliuam ab impudicis conſitam aut non creſcere, aut fructum non ferre: qua opinione imbuti, à caſtis tantum & virginibus inſeri debere putabant.

Inuenit primus at ille merum] Præter alios plurimos locuples teſtis eſt Plinius lib. 7. cap. 56. Tibullus 1. eleg.

Hic docuit teneram palis adiungere vitẽ,
Hic viridem dura cadere falce comam.
Illi iucundos primùm matura ſapores
Expreſſa incultis vua dedit pedibus.

Idem confirmat Euripides in Bacchis, cum ait;

—— Σεμέλης γόνος
βότρυος ὑγρὸν πομ' εὗρε, κεἰσηνέγκατο
θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς.
ὕπνον τε, λήθην τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
δίδωσιν, ὐδ' ἐς' ἄλλο φάρμακον πόνων.
——Semele ſatus
Potum racemi repperit mortalibus
Ac protulit, mœroris ille nubila
Fugat repletis vineæ liquoribus,
Somnusq; fit mali diebus ſingulis
Obliuio; nec pharmacum malo aptius.

Non minor tamen gratia illi aſino habenda eſt, quem Naupliæ incolæ lapideum erexerunt, quia putationem vitium adinuenit, quàm Baccho, qui vites tantum oſtendit mortalibus: nam niſi vitis cultura & putatio inuenta fuiſſet, breui totum id munus erat interiturum, aut inutile futurum. Cùm igitur aſinus vitis pampinos Naupliæ abroſiſſet, ſarmentorum putationem vtilem eſſe vitibus oſtendit: quippe cum illa ſit arbor omnium cæterarum humidiſſima, pluraq; gignat ligna ſuperuacanea, tanquam excrementa.

Aſinus putationis vitiũ inuentor.

Iunguntur meritis] Naturæ ſiquidem prouidentia duos liquores humanis corporibus gratiſſimos contribuit, intus vini, foris olei. Id quod à Democrito pronunciatum Græci ſcribunt, cùm ex eo quæreretur. *πῶς ἂν ἄνοσοι, ϗ μακραίωνες γίγνοιντο οἱ ἄνθρωποι.* Huc reſpexit Antiphanes poeta, qui bibere & viuere eadem in ſtatera collocabat, ſic:

Τὸ δὲ ζῆν εἰπέ μοι τί ἐςὶ; τὸ πίνειν, φημ' ἐγώ
Dic mihi quid eſt viuere? bibere, dico ego.

Quòd ſi qui] pro, Si quis.

Abſtemius] alienus, ſiue abſtinens à temeto, id eſt, vino. Gellius lib. 10. Ouid. Metamorph. 15. *Abſtemius.*

——Gaudetq; meris abſtemius vndis.

Varro: Quantopere abſtemias mulieres voluerint eſſe, vel ex vno exemplo poteſt videri. Dicitur autem vinum Temetum, *Temetũ.* quod attentet; malè addiderunt vulgò, quòd attentet mentem, non enim mẽtem ſolum attentat, ſed & corpus ipſum: & huic rei propria vox attentandi. Apul. in Apolog. An quod verius eſt ex crapula helluo attentatur? De temeto Cicero 4. de Rep. Magnam vim habet diſciplina verecundiæ, carent temeto omnes mulieres.

PRAESENS Emblema nil aliud prę- IV.
cipit, quàm moderatum vini vſum commendat, eiusq; effectus oſtendit. Deus enim ſine dubio ſingulari beneficio humanum genus afficere voluit commonſtrata vini plantatione, cuius inuentionem Ethnici Baccho attribuunt. Nos verò plantationis vitium primum inuentorẽ fuiſſe Noe poſt diluuium, ex Geneſi nouimus. Eſt autem vinum ad multa certè vtiliſſimũ.

Plinius

Vini vſus.

Plinius lib. 23. ait, Vino ali vires, ſanguinē coloremque hominum, & mentem augeri cū nobilioribus partibus. Gellius lib. 15. cap. 2. ex Platonis ſententia, vinum ingenii fomitem eſſe refert, virtutisque incitamentum, ſi mens & corpus hominis eo flagret. Quod quidem malè à nugatore quodam citatum ſic emendat Gellius: *Sed enim*, inquit in primo & ſecundo De legibus, non vt ille nebulo opinabatur, ebrietatem iſtam turpiſſimam, quæ labefacere, & minuere hominum mentes ſolet, laudauit: ſed hanc largiorem paulò, iucundioremque vini inuitationem, quæ fieret ſub quibuſdam quaſi arbitris & magiſtris conuiuiorum ſobriis, non improbauit: Nam & modicis honeſtiſq; inter bibendum remiſſionibus refici integrarique animos ad inſtauranda ſobrietatis officia exiſtimauit: redditque eos ſenſim lætiores, atq; ad intentiones rurſum capiendas fieri habiliores. Hæc Gellius.

Plato quatenus vinū laudet.

Hinc illud vulgò tritum emanaſſe ſuſpicor: *Vinum acuit ingeniū*. Commodè itaq; ἄγαλμα proponit Bacchi, & Palladis, eodem altari erectis, vt nimirum ſignificetur prudentiæ incrementū eſſe aliquod, ſi Bacchi, id eſt, vini generoſi, ſed moderati, vſus acceſſerit.

Cur Bacchus & Pallas eadē ara locarentur.

Etenim vinum promptiſſimum habetur liberè loquendi tanquam calcar: itaq; & vino facundiam & inuentionem tribuit Plutarchus. Et Ariſtoteles lib. 8. de nat. anim. Pſittacum loquaciorem fieri putat, ſi vinum biberit. Adhæc

Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda.

Et Aeſchylus poeta clariſſimus, nonniſi inter pocula tragœdias ſcripſiſſe fertur. Alcæus & Ariſtophanes comicus vino madi li pangendis inuigilabant poematis. Quid plura? Narratur & priſci Catonis ſæpe mero caluiſſe virtus. Diſertos autem vinum facere, ex vulgato illo conſtat:

Fœcundi calices quem nō fecere diſertum.

Fomes enim eſt, & incitabulum ingenii virtutisque, vt Cretenſis ille iactabat apud Gellium lib. 15. cap. 2. Prætereà vinum obliuionem malorum inducit, ſomni author eſt, triſtitiæ ſolatium adfert, imò tāquam vita vinum eſt hominibus: & quænam vita eſt homini quæ deſtituitur vino? Hinc olim Baccho effigies pueritiæ tributa fuit, quod vinum potum curas & ſolicitudines animis eximeret, hilaritatemq; quandam animis induceret, etiam ipſis ſenibus, quorum corpus dum permeat, calorem & ſpiritus auget, vt inde recreatis viribus, quaſi interpolati reiuueneſcere videantur. Vnde vinum à Deo hominibus tributum Plato, ſcribit, quaſi remedium aduerſus ſenectutem.

Cur Baccho effigies pueritiæ tributa.

——*neque*
Mordaces aliter diffugiunt ſolicitudines.
Quis poſt vina grauem militiam, aut pauperiem crepat?

ait Horatius lib. 1. Carm. Od. 18. Et lib. 3. Ode 21. ita amphoram alloquitur:

Tu ſpem reducis mentibus anxijs,
Vireſq; & addis cornua pauperi,
Poſt te neq; iratos trementi
Regum apices, neq; militum arma.

Quò pertinet etiam illud Sapientis Prouerb. 31. *Date ſiceram mærentibus, & vinum ijs, qui amaro ſunt animo. Bibant, & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui amplius non recordentur.* Nam vt grauis eſt Socratis apud Xenophontem ſentētia: Vinum non aliter mœrori medetur, quàm mandragora hominibus: lætitiamq; non aliter excitat, quàm oleum inſperſum igni flammam adauget. Haud igitur immeritò vinum ἀπὸ τῆς ὀνήσεως, id eſt, *ab emolumento* ſeu *iuuamine* dictum exiſtimant, iuxta illud Homeri Iliad 6.

——ὀνήσεαι αἴκε πίνησθα. hoc eſt.
Iuuamen ſenties, ſi biberis.

Sed & nullo magis ſtimulo concitatur Muſica, quam ſuauis vini guſtu. Ouidius:

——*Nec non & carmina, vino*
Ingenium faciente, canunt.

Et Tibullus:

Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos neſcia mēbra modos.

Non poſſum præterire, quod ſcribit Athenæus Dipnoſoph. 10. cap. 13. ex Polybio, vinum mulieribus olim interdictum; cauſam verò adiicit: ὡς λαθεῖν ἐστὶν ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον. *fieri non poſſe, vt quæ mulier vinum biberit, lateat.* Ea cauſa maximè puto ab eodem Gellio ſcriptum lib. 13. cap. 11. Conuiuarum numerum à Gratiis ad Muſas deſinere. Sic veteres Bacchum Muſis adiunxerunt, quia vino non minimùm vires ingenii excitētur, quę aliquando in ieiunis torpent; moueantur phantaſiæ, addatur impetus, ſubminiſtretur fiducia: quam ob cauſam laudata

Bacchus cur Muſis iunctus.

ſunt hominum veterum ſympoſia: eoque nomine Homerum puto ſuos Heroas, ipſumq; Vlyſſem inter pocula de rebus longè ſeriis facere diſſerentem. quod Virgil. egregiè imitatus eſt. Scio quid Plutarchus ſentiat quo loco diſputat, An ſit inter pocula de rebus grauibus diſſerendum: ſed locum indicare mihi ſatis eſt. Bacchilides quatuor in cōuiuiis requirit: Moderatum cibi ac potus apparatum: ſuaue colloquiū: veram conuiuarum beneuolentiam: & bonum vinum, quo maximè ſenes delectantur. Habet enim vinum vim attrahendi amicitiam, & vt Athenæus eleganter dicit, videtur ἑλκυστικόν τι πρὸς φιλίαν. Ouid.

Vina parant animos, faciuntq; coloribus aptos.
Cura fugit, multo diluiturq; mero.

Si tamen non ſobriè bibantur,

Vina parant aſinos, faciuntque furoribus aptos.

Tria enim ſunt, quorum moderamen exceſſiſſe eſt ad infernum acceſſiſſe.

Οἶνος, καὶ τὰ λοετρὰ, καὶ ἡ περὶ κύπριν ἐρωὴ,
Ὀξυτέραν πέμπει τὴν ὁδὸν ἐς αἴδην.

Hinc profluxit iſtud:

Balnea, vina, Venus corrumpunt corpora noſtra:
Conſeruant eadem balnea, vina, Venus.

Plerunq; enim horum exceſſus tandem generat filiam podagram, quam ſemel ſuſceptam, nulli vnquam genero elocare poteris, etiam ampliſſimis dotatam diuitiis, ſed tibi perpetuò erit alenda. O ſobolem inamœnam, & ſæpe inemendabilem? cuius mentio hoc carmine continetur:

Λυσιμελοῦς Βάκχου, καὶ λυσιμελοῦς Ἀφροδίτης,
Γεννᾶται θυγάτηρ λυσιμελὴς ποδάγρα.

Quidam ſic vertit:

Membrifragus Bacchus, cum membrifraga Cytheræa,
Progenerant natā mēbrifragā podagrā.

Sed ne ego Germanus, dum de vino latiùs me diffundo, largiùs infudiſſe cenſear, præſertim quod abſque exemplo meorum Commentatorum id agam, Minos enim ſatis breuis in vini laudibus eſt: Sanctius quoq; tali munere ſuperſedet, ne vinoſus arguatur, vt qui à parentibus quaſi hæreditario iure accepiſſe fatetur, vt eſſet abſtemius: Adducam ex temperatiore gente quendam, qui vini laudes breui compendio, ſed prolixa elegantia eſt complexus; qui ſic canit:

Vin, ſangue della terra. Vini laus
Vin più caro a' mortai che'l ſangue vero:
Benedetto il primiero:
Che ti trouò. Per te s'ardiſce in guerra.
E ſi ſta lieto in pace;
Diſcacciator verace
De l'humana triſtezza.
E teſor d'allegrezza.
Liquefatto rubin, tenera gioia.
Ch'entrata a' noſtri ſeni
Altra gioia inuiſibile diuieni.

Vinum igitur eſt, quod robur & vires hominū addit, eaſdemq; mox adimit: vnde & à vi nomen traxit; acuit ingenium, liberat cor metu, primùm ex tellure gignitur, à ſole coquitur; & quamdiu ligneis vinculis coercetur, nihil horum pręſtat. Aperiātur ergo carcores, & proſiliat equus iſte poeticus; ſic enim Nicetatus nobili epigrammate vinum vocat, quod huc aſſcribam: Vinum equus Poetarum.

Οἶνός τοι χαρίεντι μέγας πέλει ἵππος ἀοιδῷ·
ὕδωρ δὲ πίνων καλὸν οὐ τέκοις ἔπος.

id eſt:

Iucūdo ſonipes vati eſt ī carmine Bacchus.
Nam perit epota nobile carmen aqua.

Idem ſenſit Horatius:

Nulla placere diu, neque viuere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Martialis:

Poſſum nil ego ſobrius, bibenti
Succurrunt mihi quindecim Poetæ. Ergo
Bacche, bibat doctus tua munera, ruſticus vndam.

Vel mitius nonnihil:

Docti vina, rudes Zythum, pecus hauriat vndam.

Vide adagia, *Non eſt Dithyrambus, ſi bibat aquam.* Et, *Aquā bibens, nihil boni parias.* Sed hoc Emblema cum Salomone concludo: *Exultatio animæ & cordis vinum moderatè ſumptum; ad iucunditatem enim creatum eſt, non ad ebrietatem, quæ te vita defraudet.*

Prudentes

Prudentes vino abſtinent.

EMBLEMA XXIIII.



QVID me vexatis, rami? ſum Palladis arbor:
Auferte hinc botros; virgo fugit Bromium.

COMMENTARII.

I. STET olea arbor ramis ſuis, & perpetuo ſuo virore decora, ad cuius radices implantata ſit vitis, quę ſurſum ſerpendo palmites ſuos cum oleæ ramis implicet.

II. *Contradictio conciliatur.* VIDETVR hic παλινῳδεῖν. Superiori enim dixit epigrammate, eum, qui à vino abhorreat, haudquaquam prudẽtem euadere: quod rationibus aliquot, ſi non omninò neceſſarijs, ſaltem tamen probabilibus confirmari poteſt. Nunc autem prudentes à vino abſtinere debere ponit. At hæc inter ſe ſic conciliare eſt facile, ſi dicamus prudentis eſſe vino moderatè vti: ſecus enim ſumptum, rationem obturbat, curas, vigoremque animi impedit, vt meritò ceſſerit in Prouerbium, *Sapientiam vino obumbrari*, ait Plinius. Sanctius titulum malè collocatum eſſe cenſet, cum epigramma de virginibus tantùm agat, quibus vinum dandum non eſt: hanc igitur diſcrepantiam conciliat mutato lemmate, ſic: *Virgines vino abſtinent.* Porrò hic oliua, Mineruæ arbor, vitem increpat, quæ ſuos ramos implicet, & admoueat oliuis; eiuſque coniunctionem & ſocietatem deprecatur. Sumptum eſt autem diſtichon ex eo Græco incerti: *Fons Emblematis.*

Παλλάδος εἰμὶ φυτὸν, Βρομίου τί με θλίβετε κλῶνες;

Αἴρετε τοὺς βότρυας· παρθένος εἰ μεθύω.

Quod Iambicis dimetris ſic reddidit Politianus:

Quid me implicatis palmites,
Plantam Mineruæ,non Bromij?
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria.

Minos autem ſic:

Palladis ſum planta, Bromij cur me affligitis rami?

Tollite racemos: virgo ego nō ſū ebria.

Quid me palmitibus premitis? ſum planta Mineruæ;

Tollite mi vites: vina puella fugit.

III. *QVID me vexatis*] premitis, infeſtatis. De verbo *vexo*, vide Gellium lib. 2. cap. 6.

Rami] Palmites, pampini.

Olea qualis arbor. *Sum Palladis arbor*] Olea ſeu oliua, arbor eſt in Hiſpania atq; etiam in Italia notiſſima & frequentiſſima; Germanis verò, & Septentrionalem plagam inhabitantibus penè incognita, gaudet enim regione ſubcalida & temperata: nobis Tirolēſibus ob vicinitatem Italiæ ſatis innoteſcit, præſertim ei parti, quæ lacui Benaco, vulgò *lago di Garda*, vnicæ (vt ferunt) carpionum piſcinæ, adiacet. Huic folia nunquam deficiunt, ſemperq; frondet, creſcit lentè & tardius, perdurat tamen annis plurimis: fructum fert vtiliſſimum, baccas nimirum oblongas, prunulis ſimiles, ex quibus oleū conficitur omnium præſtantiſſimum, ſed & eſui ſalitæ ac præparatæ accommodantur. Oleç autem folia (dictu mirabile) brumali & ſolſtitiali die conuerti, vt quæ pars eorum fuerat inferior & occultior, eam ſupra ferri, atq; ad oculos & Solem exponi, prodit, & ſeipſum expertum dicit Gellius in Att. noct. lib. 9. cap. 7. Contingit autem (vt hoc obiter addam) bruma ſeu ſolſtitium hybernum Sole exiſtente in Capricorno ipſis Idibus Decemb. eſtq; dies omniū breuiſſima. *Solſtitiū quando cotingat.* Solſtitium verò æſtiuum contingit Idibus Iulij, Sole in principio Cancri exiſtente, eſtq; dies anni longiſſima. Oliua coronabantur equites, triumphantes, & ouantes; geſtantibus indicium erat pacis: vnde pacifera dicta. *Olea Mineruæ ſacra.* Oleam Mineruæ ſacrā eſſe ſuperiori Emblemate diximus, idq; teſtatur Plinius lib. 12. cap. 1. lib. 16. cap. vlt. & 17. c. 44. Martianus Capella lib. 6. Sidon. Ouid lib. 6. Metamorph. Virgil. 2. Georg.

Adſis, ò Tegeæ fauens, oleæq; Minerua Inuentrix.

Oleū, inquit Phornutus, munus eſt, quod mortalibus dedit Minerua. Ideo autem Mineruæ donum eſſe creditur, quod ſemper in virore ſit, glaucumq; colorem præ ſe ferat. Oleum adulterari nequit per aliū humorem, verùm ſemper in ſua ſinceritate perſiſtit: itaq; non diſſimile eſt virginitati. Virgo creditur Pallas, vt inquit Pōticus Heraclitus, quia ἄφθορον ἀεὶ τὸ φρόνημα. id eſt, *Nunquam conſeneſcit prudentia*, neque vlla inficitur labe. Neq; vſibus humanis polluitur olea; vnde non temere Deorum aris accendebatur. Græci quidam negabant ab impudicis plantatam oleam creſcere, fructumq; ferre: itaq; à virginibus & caſtis duntaxat inſeri volebant. Sed audiamus carmina, quæ ex Aureuo ſe tranſtuliſſe Perottus teſtatur:

Olim quas vellent in tutela ſua *Arbores Dijs ſacra.*
Diui legerunt arbores: quercus Ioui,
Et myrtus Veneri placuit: Phœbo laurus,
Pinus Neptuno; populus celſa Herculi.
Minerua admirans quare ſteriles ſumerēt,
Interrogauit cauſam. Dixit Iupiter:
Honorem fructu ne videantur vendere.
At me Hercules, inquit, qđ quiſq; voluerit,
Oliua nobis propter fructus eſt gratior.
Tunc ſic Deorū genitor, atq; hominū ſator:
O nata, meritò ſapiens dicere omnibus.
Niſi vtile eſt, qđ facimus, ſtulta eſt gloria.

Oleo inuncti reges Iudæorum. Oleum etſi Iudæorum regibus vngendis erat olim proprium, vt ait Lactantius lib. 4. de vera Sap. cap. 7. adeo vt reges illi omnes Chriſti, id eſt, vncti fuerint appellati, (vt Pſal. 105. *Nolite tāgere Chriſtos meos*) à Chriſto videlicet, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, Apocal. 19. *Et alij.* Mos tamen iſte ad alias quoq; gentes poſtea dimanauit. Nam & Vlyſſem reducem ab Eurynome domi ſuæ primum lotum, deinde oleo vnctum fuiſſe, priusquam perpulchrè veſtiretur, Homerus indicat. *Cauſa.* Ideo autem veteres Reges vngebant, & tāquam ſtellarum rore caput liniebant, ſapientiæ ſedem oleo dignam, quod Mineruæ ijdem conſecrarunt: quamquam vnctionis iſtius etiam alia dari poteſt ratio, quod Regem non modo aduerſus hoſtes, ſed etiam domi cōtra ſcelera & inſidias pugnare deceat; ideoq; par ſit, cum oleo inungi, velut obluctantem & arduum athletam in ſacris priſcorum ludis, qui Ioui, vel alii cuipiam numini,

mmini, aut manibus per inferias edebantur. Vnde apud Virgilium:

Exercent patrias oleo labente palæſtras
Nudati ſocij.

Stephan. Forcatulus lib. 6. de Gall. imper. & Philoſ. Sed nunc ab oleo ad butyrum (hem, lapſus ſum) ad botrum.

Botros] βότρυς, βότρυος, declinant Græci, ſignificat gemmam; συνεκδοχικῶς pro racemo accipitur.

Virgo fugit] puella verecunda & pudica procul eſt ab omni temulentia, abhorret à vino.

Bromius cur dictus Bacchus. *Brontes.* *Bromium*] Bromius dictus eſt Bacchus, παρὰ τὴν βρόντην, i. à tonitru, quod dum naſceretur, eſt auditũ, vt fabulantur. βροντάω .i. tono ſignificat. vnde Brontes ille gigas, Vulcani famulus dictus fuit. Vel dicitur à βρέμω. fremo, ſtrepo. Iuuen. Sat. 6.

——Bromium committere noli.

& ad rem appoſitè Theogoniæ ſcriptor non inuenuſtus, Pylades:

A ſtrepitu Bromius, & vociferetur Iacchus:
Quòd curis ſoluat corda, Lyæus erit.

Reperi citatum ex Ennio Athamante:

Hic erat in ore Bromius, hic Bacchus pater
Illic Lyæus vitæ inuentor ſacræ.

Bacchi cognomina. Multa Baccho nomina indita expreſſit Ouid. 4. Metam.

Thuraq; dãt, Bacchumq; vocant, Bromiumque, Lyæumque,
Ignigenamq; ſatumq; iterũ, ſolũq; bimatrẽ:
Additur hic Niſeusq; indetõſusq; Thyoneus,
Et cum Lenæo genialis conſitor vuæ,
Nyctelinsque, Eleleiisque parens, & Iacchus, & Euan,
Et quæ præterea per Graias plurima gentes
Nomina, Liber habes. ——

De Bacchi cognominibus prodita plura ſunt à Lylio Gyraldo in hiſt. Deor. & à Iuliano Aurelio, & alijs

IV. MVLTA nobis præcipiunt ſcriptores & ſacri, & profani de vini vſu, & eius incõmodis, ex quibus aliqua afferre operæ erit precium. Virgilius in Opuſculis:

Veneris & vini porprietates, & cognatio.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore,
Vno namq; modo vina, Venusq; nocent.
Vt Venus eneruat vires, ſic copia vini
Et tentat greſſus debilitatq; pedes.
Multos cæcus amor cogit ſecreta fateri:
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum ſæpe parit ferus exitiale Cupido:
At Lapithas bello perdis, Iacche, graui.

Quare hoc epigrammate olea, quæ eſt pacis & tranquillitatis ſignum, vitem à ſe arcet: ex vino namq; naſcuntur plerunq; diſcordiæ, rixæ, & bella, id teſtante ſapientiſſimo Salomone, Prouerb. 20. Luxurioſa res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas: Quicunq; his delectatur, non erit ſapiens. Sed & hoc, præſertim fœminis, meliori illi ſæculo ſanctè obſeruatum ait Valer. Maxim. lib. 2. ca. de inſtitutis antiquis: Vini, inquit, vſus Romanis fœminis prorſus ignotus fuit, ne in aliquod dedecus prolaberentur: quoniam proximo à Libero patre incontinentiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit. Quæcunque enim fœmina vini vſum immoderatè appetit, ea & virtutibus ianuam claudit, & delictis aperit. Hęc ille. Iuuenal. Sat. 6.

——Quid enim Venus ebria curat?
Inguinis & capitis quæ ſint diſcrimina neſcit.

Romulus ſobrius. Cuius quidem rei non inſcius Romulus, vino ſemper eſt vſus parciſſimo. Quodq; antiquitus Romanis mulieribus vinum bibere, perinde ac ſi in adulterio deprehenſæ, capitale fuerit, ſcribit Gellius lib. 10. c. 24. vnde inſtitutum, vt cognatis oſculum ferrent, deprehendẽdi cauſa, quò indicium odor faceret ſi bibiſſent. *Romana matrona vinũ non attingebant.* Sed & M. Cato refert, non ſolùm probro affectas, ſed mulctatas quoque à iudice mulieres, nõ minus ſi vino vſæ eſſent, quàm ſi adulterium admiſiſſent. Egnatius Metellus vxorem, quòd vinum bibiſſet, interemit: cuius facti nec accuſatorem, nec reprehenſorem habuit, vnoquoq; exiſtimante optimo exẽplo illam violatæ ſobrietatis pœnas pependiſſe, ait Val. Max. lib. 2 c. 1. *Quibus vinum interdiceretur.* Polybius etiam teſtis eſt, matronas liberas vino abſtinuiſſe, vt etiam ſeruos, item & ephebos omnes ad annum vitæ triceſimum, quod & apud Maſſilienſes in vſu fuiſſe nonnulli tradunt. Proditum eſt ab Æliano, lib. 2. cap. 37. De var. hiſt. Zaleuci legem apud Locrenſes fuiſſe, qua ſi quis merum bibiſſet, niſi valetudinis cauſa medico id iubente, morte mulctabatur. Ex quibus perſpicuum eſt, quàm olim odio habiti ſint ebrioſi, vinoque dediti. *Vinũ vnde dictũ.* Οἶνος (inquit Plato in Cratylo) διὰ τὸ οἰήσεως τὸν νοῦν ἐμπιμπλάναι. hoc eſt, vinum dicitur ab eo, quod exiſtimatione ac opinionum vanitate mentem oppleat. Et Plutarch. de tranquillitate animi: Vini & carnium plenior vſus corpus quidem validum, athleticaq; firmitate facit

cit, animum verò imbecillum & fragilem. Et Ouidius:

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile ſuadent:
Illa pudore vacat, Liber, amorq; metu.

Propertius:

Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino ſæpe ſuum neſcit amica virum.

Prouerbium vetus eſt. *Anima ſicca, ſapientiſſima.* An vero etiam conciliabimus ad epigraphen huius diſtichi Plautinũ illud? Non vinum moderari, ſed vino ſolent, qui quidem probi ſunt. Retuli paulò antè monitum Polybij certè graue, λαθεῖν ἐστὶν ἀδύνατον τὴν γυναῖκα πιοῦσαν οἶνον, fieri non poſſe, vt quæ vinum biberit mulier, lateat. Bellè conſentit illud Varronis ex Agathone: Virgo de conuiuio abducatur ideò, quòd maiores noſtri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. Dionyſius legem primùm à Romulo ſcriptã fuiſſe teſtatur lib. 2. de probibito temeto fœminis. Vinum ſiquidem iuxta prouerbiũ, lac Veneris dicitur. Ouid. 3. Artis: *Vinũ lac Veneris.*

Turpe iacens mulier multo madefacta Lyæo,
Digna eſt cõcubitus quoslibet illa pati.

Virginibus deniq; præſertim ſacris, imò & omni adoleſcenti, virus & toxicum eſſe vinum, adhortatur egregiè D. Hieronymus epiſt. 44. *Si experto,* inquit, *creditur,* moneo præcipuè, vt virgo, ſeu ſponſa Chriſti vinum tamquam venenum fugiat: hæc aduerſus adoleſcentiam prima ſunt arma dæmonum. Vinum enim & adoleſcentia duplex incendium voluptatis: quid oleum flammæ adijcimus? Hæc ille, & rectè ſanè: Nã Venus in vinis, ignis in igne ſubeſt.

In ſtatuam Bacchi.

EMBLEMA XXV.



DIALO-

DIALOGISMVS.

BACCHE pater, quis te mortali lumine nouit,
Et docta effinxit quis tua membra manu?
Praxiteles, qui me rapientem Gnoſſida vidit,
Atque illo pinxit tempore, qualis eram.
Cur iuuenis, teneraq́ etiam lanugine vernat
Barba, queas Pylium cùm ſuperare ſenem?
Muneribus quandoque meis ſi parcere diſces,
Iunior, & forti pectore ſemper eris.
Tympana non manibus, capiti non cornua deſunt:
Quos niſi dementeis talia ſigna decent?
Hoc doceo, noſtro quòd abuſus munere ſumit
Cornua, & inſanus mollia ſiſtra quatit.
Quid vult ille color membris penè igneus? omen
Abſit, an humanis vreris ipſe focis?
Cùm Semeles de ventre parens me fulmine traxit
Igniuomo, infectum puluere merſit aquis.
Hinc ſapit hic, liquidis qui nos bene diluit vndis:
Qui non, ardenti torret ab igne iecur.
Sed nunc me doceas, quì vis miſcerier? & qua
Te ſanus tutum prendere lege queat?
Quadrantem addat aqua, calicem ſumpſiſſe falerni
Qui cupit, hoc ſumi pocula more iuuat
Stet intra heminas: nam qui procedere tendit
Vltrà, alacer, ſed mox ebrius, inde furit.
Res dura hæc nimium, ſunt pendula guttura, dulcè
Tu fluis. heu facilè commoda nulla cadunt?

COMMENTARII.

I. ASTAT ſimulacrum Bacchi vitibus circumſeptum, forma iuuenili, imberbi, nuda, rubea, fronte cornuta, capite hederis redimita, manibus tympanum pulſante.

II. NON ex vno loco ſumptum eſt hoc Emblema, multa enim continet, quæ ſparſim alibi leguntur. Nos omnia ſingillatim diligenter aperiemus, ne quid interturbetur. Argumentum verò epigrammatis tale eſt. Bacchicæ ſtatuæ profert ἐπιμύθιον ἠθικὸν per Dialogiſmum, quo demonſtrat incommoditates & damna, quæ temulentiam conſequuntur: nam ex immodica vini potione ebrietas, ex ebrietate furor, quo nihil vel miſerius, vel exitialius videri, nedum cogitari poteſt. Deinde ſumendi vini legem quandam præſcribit, omnibus vtilem, & planè neceſſariam. Bacchus quidem iuuenis effingitur, quod vino hilares homines fiant, iidemq; annos quaſi iuueniles ſeruent, ſi ſobriè vtantur eo Dei munere. Tympanum & cornua eidem Baccho tribuuntur, ad ſtrepitum & furorem indicandum.

candum, qui vinolentiam conſequi ſoleat. Igneus eſt ſeu rubeus, ad vini naturam deſignandam, quod niſi aqua miſceatur, non ſecus atq; ignis præcordia adurit, ebrietatem & furorem inducit. Itaq; ad extremum, quot quibusve vini ſit vtẽdum menſuris præcipit.

III. *BACCHE pater*] Cur Baccho Liberi patris impoſitum nomen ſit, Plutarch. explicat κεφαλ. ῥωμαϊκῶν libro: quòd nimirum bibentibus libertatem ingeneret. Nonnulli enim per vinolentiam liberi & feroces efficiuntur: aut quia liba exhibuerit, aut quòd ille apud Eleutheras vrbem Bœotiæ, Eleutherius, id eſt, Liber appellaretur.

Quis te mortali lumine] Quis te hominum aliquando humanis oculis vidit, cum ſis Deus? Hæc ad figmentum. Nam nefas olim fuit, Deos fuiſſe homines putare.

Et docta effinxit] Quis te pictor aut ſtatuarius arte ſua tam affabrè expreſſit?

Praxiteles. *Praxiteles, qui me, &c*] Id Plinius attigit inter plurima Praxitelis opera laudatiſſima lib. 34. cap. 8. Oriũdus hic celebris artifex ex ea Italiæ parte, quæ quondam magna Græcia dicebatur, & ob artis excellentiam ciuitate Romana donatus.

Ariadne à Baccho rapta. *Rapientem Gnoſſida.*] Ariadnen intelligit, Minois Cretenſium regis filiam, quæ Theſei amore capta, Minotauri necandi occaſionem ei præbuit, ea lege, vt ſe vxorem duceret. Sed eam Theſeus in inſula Naxo, quæ Baccho ſacrata eſt, ſomno ſepultam periurus reliquit, cuius miſertus Bacchus, eam ſibi connubio iunxit, quam in cœlo raptam, Coronam Gnoſſiam appellãt. Ouid 8. Metamorph.

Cur iuuenis Bacchus. *Cur iuuenis, &c.*] Ouid. 3. Faſtorum:

Siue q̃d ipſe puer ſemper iuuenisq; videris;
Et media eſt ætas inter vtrumque tibi.

Et in Metamorph.

——Tibi enim inconſumpta iuuenta,
Tu puer æternus, tu formoſiſſimus.——

Iuuenis ideo effingitur, quòd ad iuueniles annos molliter tranſigendos maximè conferat, ſi parciùs, &, vt decet, ſumatur: vel quòd hilares & lætos faciat. Gyrald. Syntag. 7.

Lanugo. *Lanugine uernat Barba*] pilis mollibus, à lanæ ſimilitudine, vt eſt in malis cotoneis. Martial. lib. 2.

Dum tibi vernaret tenera languine mala.

Hinc ager vernans, hoc eſt, pullulans, floridus, viridis, lætus.

Queas Pylium cũ ſuperare ſenẽ] Alludit ad Prouerbium, *Senem vel nolentẽ vinum ſaltare compellit.* Vnde etiã tritum illud:

Vinum facit vetulas leniter ſalire,
Et diteſcit pauperem, claudum facit ire.
Mutu dat eloquium, ſurdumq; audire.

Cui conuenit illud ex Athenæo:

Οἶνος καὶ φρονέοντας ἐς ἀφροσύνην ἀναβάλλει. id eſt:

Inſanire facit ſanos quoq; copia vini.

Huc ſpectat quod Plato De legib. 1. ait: nõ ſolùm ſenem fieri bis puerum, verùm etiam temulentum. Per ſenem Pylium συνεκδοχικῶς, ſenem quemuis ſapientem hominem intelligit, qualem Neſtorem Homerus celebrat in Iliade. Quem tamen locum de Bacchi iuuenta non de vi, ſed de ætate & tempore intelligendum eſſe mihi facilè perſuadeo (ait Minos) cum Ioan. Fratre, viro ſanè docto: mirari enim poſſit aliquis Bacchum iuuenem ſemper videri, cùm ſit ille Neſtore annoſior. Nã & apud Lucianum Iupiter ridet Cupidinem, qui ſe puerum eſſe iactet, cùm ſit ἀρχαιότερος πολὺ τοῦ Ἰαπετοῦ. Quam germanam explicationem libens admitto, vt eruditam dignamque, quæ probetur omnium calculis. Dicitur autem Neſtor Pylius ſenex, à Pylo, oppido in Peloponneſo in Meſenia verſus occidentem à Neleo condito, vbi regnauit. Ouid. epiſt. Heroid. *Bacchi iuuenta.* *Neſtor.*

Nos Pylon, antiqui Neleia Neſtoris arua,
Miſimus, incerta eſt fama remiſſa Pylo.

Porrò *Neſtorea ſenecta*, iam in prouerbiũ abijt, de ſenibus viuacibus. Sed non tot annos vixiſſe Neſtorem, quot vulgò creditus eſt, facile quiuis cõijciet ex Quæſtionibus Porphyrij ſuper Homerum, cùm diſſerit, quid ſit γενεά. Eſt autem γενεὰ, ſpacium triginta annorum, id eſt, pariendi ac generandi perfectius ſpacium, quod annorum triginta periodum conficit. Quo nomine ſexageſimum attingens annum, duas videtur impleſſe vitæ γενεάς. Si verò vltra pergat, in tertia iam vtiq; cenſebitur. Quod de Neſtore cecinit Homerus: *Neſtorea ſenecta.* *Γενεὰ quid.*

τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
ἐφθίαθ', οἱ πρόσθεν ἅμα τράφεν ἠδ' ἐγένοντο,
ἐν Πύλῳ ἠγαθέῃ, μετὰ δὲ τριτάτοισιν ἄνασσεν. id eſt:

Huic iam duæ quidem ætates mortalium hominum

Defe-

Defecerant, qui cum ipſo antea ſimul nutriti ſunt & geniti,
In Pylo diuina, cumq; tertiis regnabat.

Quo in loco Commentator ait: ἰστέον ὅτι οἱ παλαιοὶ τὰς γενεὰς ἐψήφιζον ἐτῶν τριάκοντα. hoc eſt: *Sciendum eſt, quod veteres geneas numerabant annorum triginta.* Eadem & Cenſorinus ſcribit in lib. de die natali. & Plutarchus de oraculorum defectu. Herodotus in Euterpe. Nam tres virorum progenies centum anni ſunt. Tertio quoq; Odyſſ. repetit Homerus Neſtoris ætatem. Huius opinionis eſt quoq; Acron ſuper Horatium, lib. 2. Carm. Ode 9. Nam quod cecinit Ouid. in 12. Metamorph.

——*Vixi*
Annos bis centũ, nunc tertia viuitur ætas.

fabuloſè potiùs dixit, quàm hiſtoriæ veritatem ſecutus: nam ait in 8. eiuſdem operis, Neſtorem primis annis & Tyndaridas, Pirithoum & Theſeum, Peleum & Laertẽ, aliosq; complures ſimul coiiſſe, vt aprum Meleagricum occiderent. Atqui Helenam rapuerat Theſeus, quamuis ſenex puſillã, authore Plutarcho. Præterea viuebat Laertes poſt reditum Vlyſſis, vigeſimo poſt captam Troiam anno. Deniq; ne pluribus agam, ſic Neſtorem ad tertiam ętatem perueniſſe intellige. Prima fuit, quando Hercules Pylum oppugnauit. Secunda, quæ inter illud tempus, & Troianam expeditionem interceſſit. Tertia, quando pugnabat in bello Troiano.

Tres Neſtoris ætates.

Muneribus quandoq; meis &c.] Si ſobriè vino vſus fueris: nam hic *parcere*, eſt φείδειν, non omnino νήφειν. Virg. ad finem 1. Æneid.

Munera, lætitiamq; Dei.

Scio ab aliis legi, *die*, pro diei; ſed hic ſcrupus me nihil moratur. In appendicibus Virgilianis:

Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum,
Ne te muneribus lædat vterq; ſuis.

Iunior &c.] Duo præſtat vini vſus moderatus, floridam ætatẽ, & vires corporis.

Tympanum.

Tympana non manibus] Tympanum (ait Sanctius) inſtrumentum erat ex vna parte membrana clauſum, intus vacuum, quod baculo pulſatur: vti eo ſolebant in ſacrificio matris Deorum. Huic ſimillimũ eſſe videtur inſtrumentum illud, quo Æthiopes nunc vtuntur in noſtra Hiſpania, præcipuè in locis maritimis. Eſt quoque tympanum inſtrumentum, quo ſaxa ſubuehuntur, alio nomine γέρανος, id eſt, *grus*. Sic ille. Tympani deſcriptio extat apud Suidam, qui in verbo *Tympana*, ſic ſcribit: Indi tubæ loco flagella quatiebant, habebant & tympana horribilem quẽdam bombum edentia: quæ ſic confecta erant. In abietis (Lipſius palmæ arboris, interpretatur) ſtipitem excauatum nolas ſiue tintinnabula ex orichalco inſerebant, & os deinde vaſis taurino corio obtegebant, atq; ita tympanum id in altum ferebant, concutiebantq; in acie. Tum quæ in eo erant tintinnabula, & multa, & magna, atq; intus in operto ſonantia, obſcurum & inconditum edebant ſonum, mugitui non abſimilem. Fuit ergo tympanum illud infra rotundum, ſupra planum, atq; ibi corio obductum, quod bacillis pulſabatur: qualia sũt hodie equeſtria noſtra tympana (*Heerpauggen*) quanquam etiam ligno cauo ex vtraque parte pellem obductam fuiſſe ſcribat Iſidorus, id tamen inſtrumenti genus non tam tympanum, quàm Symphoniam appellans. Tympanum luxuriæ inſtrumentum dicitur à Iuſtino, lib. 30. Suſpicor Baccho tribui tympanum, tanquam hilaritatis ſignum notiſſimum, vel propter ſtrepitũ inconditum, quem edere interdum ſolent, qui vino ſunt onuſti. Plutarchus de Ptolemæo Iuniore, qui temulentus in palatio, tympano comploſo obambulabat: *Graue, inquit, & calamitoſum ſi Cleomenes operiretur otium diſſolutum Regis Cybeleii præſtigiatoris, vbi primùm ille tympanum poſuerit, & tripudiantium cœtus dimiſerit.* Græcè ita: δεινὸν γὰρ εἰ Κλεομένης κάθηται μητραγύρτου βασιλέως σχολὴν ἀναμένων, ὅταν πρῶτον ἀπόθηται τὸ τύμπανον, καὶ καταπαύσῃ τὸν θίασον. Ouid. 4. Metamorph.

Tympanum cur adiunctũ Baccho.

Quacumque ingrederis clamor iuuenilis, & vna
Fœminea voces, impulſaque tympana palmis,
Concauaq; æra ſonant, longoq; foramine buxus.

Capiti non cornua deſunt] Ouid. in Epiſt. Sapphus:

Accedant capiti cornua, Bacchus eris.

Nam priùs ab Orpheo in Hymnis δικέρως, καὶ δίκερως eſt appellatus. Hoc loco admonendi mihi ſunt Philologi, Bacchum veteribus κερατοφόρον depictum

Bacchũ cornutũ quid finxerint.

ctum

ctum, id eſt, cornutum, aut cornigerum: vel quòd primus rationem boum copulandorum ad agriculturam inueniſſe credatur: vel quòd eius pater Ammon cornutus colebatur. Plato aliam cauſam hiſtoricam retulit 2. Legum, & poſt eum Athenæus Dipnoſoph. 2. Olim ſoliti erant in capiendo potu cornibus vti pro poculis. hinc verbum *κεράσαι*, pro, *vinum fundere*: & *κρατὴρ*, quaſi *κερατὴρ*, quod à nomine *κέρας* deflexum eſt. Pompeius Feſtus ad moralem ſententiam accedit, quòd qui temulenti ſunt, adeò interdum truces apparent, vt cornua habere videantur. & Scholiaſtes Horatii ad Odam 19. ſecundi Carm. ibi,

Te vidit inſons Cerberus aureo cornu decorum.

ait cornua Baccho tribui ſolita, quia ebrietas arrogantiam & audaciam gignat. Vnde qui bibit plus nimio, ſi ſoluat acutæ verbera linguæ, liberius notum ignotumq; ferit, & arcana ſiqua tacenda ſuſcepit, effutit nullo delectu. Cur igitur Bacchus cornutus, deque primo vſu poculorum, qui è cornibus erant, quædam attigimus. Certè apud Xenophontem legimus, Græcos non niſi corneis vſos poculis; & Nicandri interpretes non ignorarunt, cùm nondum apud gentes vaſa excogitata eſſent. Noſter hic ſuo more ad mores & Philoſophiam referre, quàm ad hiſtoriam maluit.

Corneis vſi poculis veteres.

Hoc doceo, noſtro quod abuſus &c.] Sic Plinius lib. 23. cap. 1. Vino modico nerui iuuantur, copioſiore læduntur, ſic & oculi. Stomachus recreatur, appetentia ciborũ inuitatur, triſtitiæ cura hebetatur, vrina & algor expellitur, ſomnus conciliatur: Cõtrà, ſi nimius adhibeatur vini vſus, belluina cornua capeſſimus, & in furorem intolerabilem nonnunquam ruimus. Nõ me fugiebat, vnde vini, *τοῦ οἴνου*, appellationem Plato in Cratylo deduceret, quod etiam ſupra tetigi, nẽpe *παρὰ τὸ οἴησεως τὸν νοῦν ἐμπιμπλᾶν*, quòd opinione mentem oppleat: vel, vt & etymolog. *ἀπὸ τῆς ὀνήσεως*, eo quòd iuuet & recreet. Sed ad hũc locum mihi ſatisfecerit Plutarchi monitũ ex 7. Sympoſ. Probl. 10. cuius hæc eſt ſententia: Quod verò ſummum eſt, vt in conſultatione de rebus arduis imprudens atq; imperitus rerum ſequatur prudentiores, hoc vinum ebriis adimit. Ideò enim Plato vino nomen ait impoſitum eſſe *οἶνος*, quòd efficiat, vt qui biberint, ſapere ſe putent, *οἴεσθαι νοῦν ἔχειν*. Vini effecta quædam adduximus, cum ſuperiore commentatione adiungo. Menandri celebratur illud:

Οἶνος vnde dicatur.

ὁ πολὺς ἄκρατος μικρὰ ἀναγκάζει φρονεῖν.
Immoderatum merum nos parum ſapere cogit.

Plato 2. legum, cenſet optimum fore, ſi quemadmodum Carthaginẽſes olim, miles in caſtris nunquam vinum guſtet, ſed toto expeditionis tempore aquam bibat: ſeruis nunquam permittatur: magiſtratus abſtemii fiant, quamdiu munere publico funguntur: iudices, iique, qui rebus præſunt publicis, vinum omninò non attingant, quo tempore cauſis & negotiis vacant. Ex Eripho Comico citantur hæc,

Quibus vinum, bibitum.

Λόγος γάρ ἐστ' ἀρχαῖος, οὐ κακῶς ἔχων.
Οἶνον λέγουσι τοὺς γέροντας, ὦ πάτερ,
Πείθειν χορεύειν οὐ θέλοντας.

Innuit, iuxta vetus verbum, certè verum, tantam eſſe vini vim, vt ſenes vel nolentes ſaltare faciat.

Sumit cornua.] in effuſam prolabitur audaciam. Ouid. 1. Artis:

Cornua.

——tunc pauper cornua ſumit,

& 4. Triſt.

Iam feror in pugnas, & nondum cornua ſumpſi;
Nec mihi ſumẽdi cauſa ſit vlla, velim.

Idem 3. Amor eleg. 10. quo loco ſignificat ſe reſipuiſſe, & ab amoris laqueis extricaſſe ſe, ait:

Venerunt capiti cornua ſera meo.

Plato Dialogo De impoſitione nominum, *οἶνον* dictum vult, quaſi *οἰόνουν*, nẽpè *διὰ τὸ οἰήσεως ἡμᾶς ἐμπιμπλᾶν*. quod Horatius 1. Carm. videtur circumlocutione expreſſiſſe:

——ſæua tene cum Berecyntio
Cornu tympana, quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Attollẽs vacuũ plus nimio gloriaverticẽ,
Addis cornua pauperi.

Ouid. 4. Faſtorum:

Mitte pater caput huc, placataq; cornua vertas.

Cornua pro audacia Phornutus accipit, quod vinum audaces reddat. Vnde ſumere cornua, pro inſolenter ſe gerere, & arrogantem ſe præbere, præter alios Amm. Marcellinus vſurpauit initio lib. 20. vbi de Lupicino, quem Iulianus miſerat ad Britannos tumultuantes: Supercilia erigẽtem vt cornua, inquit, &c. Athenæus lib. 13 *οἴνου κατιέντος εἰς τὸ σῶμα, ἐπαναπλεῖ κα-*

Sumere cornua.

κα

κὰ ἔπεα χαὶ τὰ μαινόμενα: Vino in corpus deſcendente, aſcendunt verba improba & furioſa.

Siſtrum.

Mollia ſiſtra.] Ebrius ad muſicam, vt aſinus ad lyram. Siſtro dulci & ſonoro inſtrumento in ſacris Iſidis vtebantur veteres. Martial.

Hac quatiet teneræ garrula ſiſtra manu.

Ouid. de morte Tibulli:

Quid nos ſacra iuuant, quid nũc Ægyptia proſunt
Siſtra? ——

De Siſtro, Pierium Hieroglyph. 48. diligenter euolue. Inſtrumentum hoc æneũ fuit, curuum ad lebetis formam, vt Plutarch. commentario de Iſide retulit: circum erãt parua quædam cymbala ſeu tintinnabula, & in eius parte ſuperiore ſculpta erat felis humana facie: in ima verò, figura Iſidis & Nephthys. Eſt autem ſiſtrum Græca dictio, σεῖστρον, à σείω, *quatio*, crepitaculum ſignificans, vt ait magnus Etymologicus. Dicitur & σῆστρον, per η. *Mollia ſiſtra*, dixit, non tam ob id, quòd ſiſtra ſint re ipſa mollia, quàm quod homines reddant molles & effœminatos.

Siſtrum vnde dictum.

Bacchus nudus.

Quid vult ille color membris, &c.] Nuda fiebant Bacchi ſimulacra, inquit Phornutus, vt naturam vini oſtenderent, quod arcana detegat. Horat. 1. epiſt.

Quid nõ ebrietas deſignat? operta recludit.

Qua de cauſa non immeritò vinum dicitur dulce tormentum, quod potentius quam vllus equuleus aut fidiculæ ſecreta extorqueat. Vnde

Reges dicuntur multis vrgere cululis,
Et torquere mero, quẽ perſpexiſſe laborant.

Rubedo autem colorem ſatis indicat, hinc que cognomen Ignigenæ habuit. Strabo lib. 13. Habet enim vinum (vt refert ex Eratoſthene Suidas) æquale cum igne robur: vbi hominem ſubierit, conturbat eũ, ceu Libycum mare Aquilo vel Auſter; vnde quoq; prodit ea, quæ latent in mentis receſſu, & virorum animum in vniuerſum concutit. id eſt: *οἶνος τοι πυρὶ ἶσον ἔχει μένος, ἔνθ᾽ ἂν ἐς ἄνδρα ἔλθῃ, κυμαίνει δὲ οἷα λιβύεσσαν ἅλα βορῆς, καὶ νότος. τὰ δὲ καὶ κεκρυμένα φαίνει, βυσσόθεν ἐκ δὲ ἀνδρῶν πάντ᾽ ἐτίναξε νόον.*

Bacchus igneus.

Cum Semeles de ventre parens &c.] Hunc verſiculum cum tribus ſequẽtibus ex lib. 1. Epigr. Græcorum excerpſit Alciatus, tit. εἰς οἶνον. Tetraſtichon Græcum Meleagri ſic ſe habet:

Αἱ νύμφαι τὸν Βάκχον ὅτ᾽ ἐκ πυρὸς ἥλαθ᾽ ὁ κοῦρος *Bacchus cur nymphis temperãdus.*
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν νύμφαις βρόμιος φίλος. ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Bacchus vt è flãmis puer exiliſſet, in vndis
Tinxerunt Nymphæ ſordidum adhuc cinere,
Hinc iunctus Nymphis eſt Bacchus gratus: at ignem
Ardentem capies, hunc niſi miſcueris.

Id Claudius Minos ita olim conabatur reddere:

Nymphæ Bacchũ, cùm ex igne proſilijt infans:
Abluerunt, in cinere nuper volutatum.
Ideo cum Nymphis Bromius ſuauis: ſi verò ipſum prohibeas
Miſceri, capies ignem vtiq; ardentem.

Proſilijt rapido cũ Bacchus ab igne puellus,
Eſt Nymphis lotus pulueruleñtus adhuc.
Cum Nymphis ideo gratus ſit Bacchus: at illum
Ni miſcere ſinas, igneus ardor erit.

Bacchi natiuitatem & res geſtas vide apud Homerum in hymnis Bacchi, & apud Ouidium in fine 3. Metamorph. Extãt & Orphei hymni in eundem. Fabula ſic narratur: Iupiter captus amore Semeles, filiæ regis Thebarum, eam grauidam reddidit; quare Iuno irata, vt eam de medio tolleret, formam vetulæ aſſumpſit, eius nutricis, ad eamq; accedens perſuaſit, vt experiretur, an Iupiter verè & ex animo illam amaret: idq; hoc modo, ab eo aliquid magni petendo, nempe velit talis & tantus ſecum concumbere, qualis & quantus cum Iunone coniuge ſua conſueuiſſet. Semele igitur experiri volens (vt ſunt mulieres illius rei, præſertim nouæ, cupidiſſimæ) ſummoperè petijt. Iupiter autem Semele iurauerat, ſe quidquid ab eo peteret daturum; ideoque vt iuſiurandum ſeruaret, illam flagrãti fulmine occidit adhuc prægnantem: infantulum autem nondum maturum partui, ex ventre eius ſumens, femori ſuo impoſuit, ac tamdiu fouit, donec menſes maternos compleret. Ouidij verſus de ortu Bacchi hi ſunt:

Bacchi natiuitas.

Imperfectus adhuc infans genitricis ab aluo
Eripitur, patrioq; tener (ſi credere dignum eſt)

Inſuitur

Inſuitur femori, maternaq; tempora cōplet.
Pomponius Mela libro de ſitu orbis 3. cap.
7. de India ſic ait: Vrbium, quas incolunt,
Nyſa eſt clariſſima. & maxima, montium
Meros Ioui ſacer: famam hinc præcipuam

Meros mons.

habent, quod in illa genitum in huius ſpe-
cu liberum arbitrantur eſſe nutritum. Vn
de Græcis autoribus, vt femori Iouis inſu
tum dicerent, aut materia ingeſſit, aut er-
ror. Sic ille. *μηρὸς* autem, id eſt, *meros*, co-
xam ſeu femur ſignificat: hinc dictus eſt

Bacchus cur Dithyrãbus dictus.

Bacchus à Poetis Dithyrambus, *παρὰ τὸ
δύο θύρας βῆναι*, id eſt, *quòd duabus ianuis
exierit*: hoc eſt, vtero Semeles, & Iouis fe-
more. Quamuis alij Dithyrambum di-
ctum exiſtiment, quaſi Lythirambum, vt
eſt apud Pindarum, quod Iupiter illum
aſſuiſſet femori, ac mox eo in lucem pro-
dituro, inclamaſſet: *λῦθι ῥάμμα, λῦθι ῥάμ
μα*. ac ſi dicat: *Solue ſuturam, ſolue ſutu-
ram*. Vel quod ſecreta promens os dithy-
ron faciat; nam eidem loquacitatis ratio-
ne picam ſacram eſſe prodidere. Plinius
eadem ferè, quæ & Pomponius narrat,
lib. 6. cap. 21. Nec non, inquit, & Nyſam
vrbem pleriq; Indiæ aſſcribunt, montem-
que Merum Libero patri ſacrum, vnde ori
go fabulæ Iouis femine editum. Hæc Pli-
nius. Phornutus autem in lib. de Nat. Deo-
rum ſic inquit: Inſutus eſt femori Iouis, vt
partus immaturus ad maturitatem & per

ἐπιμύθιον ευσικὸν de ortu Bacchi.

fectionem veniret. Quod vinum pedibus
(qui per femora ſignificantur) calcatum
ad perfectionem feſtinet. Prima enim bo-
trorum digeſtio & concoctio non eſt vſui
idonea: vbi autem pedibus calcati fuerint,
promanat vinum, & perfectionem accipe-
re incipit. Prima vini concoctio fit tempo-
ris ratione per calorem radiorum Solis fer-
uente æſtu. Secunda fit pedum miniſte-
rio per calcationem, qua vinum è botris
elicitur, & exprimitur, quaſi id neceſſariò
femorum vi contingat. Hactenus Phornu-
tus. Afferam, ſi commodè poſſim, quæ Phi
lo Iudæus habet, lib. Quod omnis probus
liber, de Theodoro & Lyſimacho loquēs:
Cùm, ait, Lyſimachus præterea rogaſſet,
num & è patria fugatus eſſet propter ſuo-
rum inuidiam ciuium: reſpondiſſe Nequa-
quam, ſed propter excellentiam ingenij,
quod patria minimè capiebat. Sicut enim
Semele Baccho grauida cum non potuiſſet
perferre vterum, Iupiter eam miſeratus,
abortiuum ambuſſit, & inter Deos retulit:
ſic cùm patria mea minor eſſet, quàm vt
caperet Philoſophum, bonus quiſpiam,
ſiue Deus, ſiue Genius, Athenas, in locum
fortunatiorem commodioremque me tran
ſtulit, & cæt. Porrò Bacchi nutrices, vites

Bacchi nutrices.

intelliguntur, quas Lycurgus pepulit
per montem Nyſeron: quia conſuetu-
do fuit aſſeruandi vini cauſa admiſcere
marinam aquam. Idem videtur ſentire
Athenæus Dipnoſophiſt. 11. cap. 3. quo
loco rationem reddit, cur Nymphæ dican
tur Bacchi nutrices, nempè quòd aqua im
miſta vinum augeat, & temperet. Priſci au
tem illi Ioui duas nutrices, Iunoni vnam,
Apollini duas, Baccho plures attribuerūt,
quòd oporteat hunc Deum pluribus nu-
tricum Nympharum menſuris manſuefa-
ctum eſſe ac domitum. Referam huc lepi-
dum Cœlij Rhodigini Epigramma, quod,
ni fallor, è Græco confinxit:

Ardentis Semeles audēs puer excidit aluo,
Ardebatq; vno mater & ille rogo.
Et ſpes nulla ſuæ miſeræ ſuccurrere matri.
At puer in flāmis non tamē vſtus erat;
Ogygis occurrit, ſed non prius attigit illum,
Succubuit multa quā Iouis ignis aqua.
Ignis abit, ſed non abijt vis ignea prorſus.
Quiq; cuti ſumma parcit, in ima furit.
Nympha igitur procul: O puerum ne tangi-
to, clamat,
Quiſquis es; ignis enim eſt, ni priùs im-
bre lanes.

Hinc ſapit hic, liquidis &c.] Quod e-
tiam admonebat Plato, Bacchum temulen
tum Deum ſobrijs Nymphis temperandū

Aqua temperãdum vinum.

eſſe, id eſt, vinum aqua miſcendum. Huc
facit illud Plutarch. diſputatione, An ſeni
regenda Reſpub. Aquam mero miſcemus,
quo Deū furentem (vt cum Platone iſtuc)
ſobrio altero caſtigatum temperemus.
*ὥς φησιν πλάτων ἐπὶ τοῦ μιγνυμένου πρὸς
ὕδωρ ἀκράτου, μαινόμενον θεὸν ἑτέρῳ
θεῷ νήφοντι σωφρονίζεσθαι κολαζόμενον.*
Idem de philoſophis, qui non minus litera
tis ſermonibus condiunt apparatum con-
uiuij, quàm vinum aqua diffuſa diluit, *οὐχ
ἧττον ταῖς Μούσαις τὸν Διόνυσον ἢ ταῖς
Νύμφαις κεράννυντες*: *nō minus Bacchum
Muſis, quàm Nymphis permiſcentes*. Huc
pertinent Cnemonis verba ad Nauſiclem,
lib. 5. Aethiop. hiſt. apud Heliodor. *καὶ
μοι δοκεῖς καὶ τοῦ δαιμονίου μάλιστα συνιέ-
ναι, τὸν Ἑρμῆν τῷ Διονύσῳ συγκαθι-
δρύων, καὶ λόγων ἥδυσμα τῷ ποτῷ συ-
ναναχέων.*

ταναχίαν. *Videris mihi ſacra qui tenere optime rationem, qui cõiungis Baccho Mercurium, & orationis condimentum poculis admiſces.* Eiuſdem lege quæſtionem primam Sympoſ. 3. Huc facit illud Antinoi, ni fallor, apud Homerum Odyſſ. φ.

οἶνός σε τρώει μελιηδὴς, ὅς τε καὶ ἄλλους βλάπτει, ὅς ἄν μιν χανδὸν ἕλῃ, μηδ᾽ αἴσιμα πίνῃ.

Vinum lædit dulce, quod & alios
Lædit, quicunq; ipſum abundanter capit,
neq; decenter bibit.

At quæ cauſa incuſandi vini, ſi quis damnum inde conſequatur: οὐ γὰρ οἶνος ταῦτα, οὐδὲ ὁ Διόνυσος ποιεῖ, τὸ δ᾽ ἄμετρον τῆς πόσεως, καὶ τὸ πέρα τοῦ καλῶς ἔχοντος ἐμφορεῖσθαι τοῦ ἀκράτου· ὃς δ᾽ ἔμμετρα πίνῃ, ἱλαρώτερος μὲν, καὶ ἡδίων γένοιτ᾽ ἄν. id eſt: *Non enim vinum hoc, neq; Bacchus facit, ſed immoderatus potus, & vltrà quàm decet, & ſatis eſt. Cæterùm ſi quis moderatè bibat, hilarior quidem & iucundior fieri ſolet.* Theocritus Eidyllio 13. à Baccho dari hominibus lætitiam & dolorem ait:

Vinum lætitiam & dolorem dat.

οἷα Διώνυσος δῶκ᾽ ἀνδράσι χάρμα καὶ ἄχθος.

Apud Euripidem Bacchi verba ſunt interitum minitantis Pentheo, à quo ſe cõtemni ſenſerat: *Agnoſce Dionyſium filium Iouis, qui ſi eius auctoritatem ſpectes, Deus eſt vehementiſſimus, idemq; hominibus mitiſſimus.* id eſt: γνώσεται δὲ τὸν Διὸς Διόνυσον, ὃς πέφυκεν ἐν τέλει θεὸς δεινότατος, ἀνθρώποισι δ᾽ ἠπιώτατος. quod dictum eſt pro moribus vtentium: qui enim ſapiunt, eo moderatè vtuntur: qui ſecus, furorem Bacchi ſuo non leui malo experiuntur. Et id explicant duo verba, χάρμα καὶ ἄχθος, ex verſu Theocriti à nobis adducto: quorum prioris à Marone vis explicatur ad finem 1. Æneid. vbi dicitur, *Lætitiæ Bacchus dator.* vt Heſiod. 2. Operũ: δῶρα Διωνύσου πολυγηθέος. Horatius, Ode 14. 2.

——*mero*
Tinge pauimentum ſuperbo
Pontificum potiore cœnis.

Varij effectus vini.

Triſti autem homini & mœſto Plautus bibendum monet, vt bilem diluat. Et M. Tullius 3. diſput. Tuſc. Calicem mulſi inhibendum eſſe dicit neſcio cui, vt plorare deſinat: hæc quidem de altero verbo χάρμα; alterum verò, ἄχθος nempe, dicitur de anxietate animi, deq; mœſtitia. Eſt enim compertum, eos qui meraco vtuntur, fieri melãcholicos & obliuioſos, atq; interdum furioſos. Virgil.

Bacchus & ad culpam cauſas dedit: ille furentes
Cẽtauros letho domuit, Rhœtũq; Pholumq;
Et magno Hylæũ Lapythis cratere minãtẽ.

Ponticus Heraclides lib. De allegorijs Homericis, id perſpicuè docuit, citans illud ex Iliad. ζ. ὅς ποτε μαινομένοιο Διωνύσοιο τιθήνας, &c. ait enim Bacchum ſeu Dionyſium μαινόμενον appellatum à Poeta, id eſt, inſanum & furentem, quòd nimio vino inſani homines fiant. Hinc veteres merum non ſine noxa biberunt, donec Staphylius Sirrheni filius docuiſſet vini diluendi rationem. Cæterùm quòd vinum linguam impediat, balbutiemq; inducat, Romę olim Mercurio non vino, ſed lacte ſacrificabatur: quo volebant intelligere, facundiæ quaſi lacteam minimeq; impeditam dulcedinem; quod ipſum non vbiuis, ſed in vico, quem Sobrium nuncupabant, fieri ſollemne fuit. Verùm quia de vini varijs effectibus ſermo incidit, non puto me lectori grauem futurum, ſi pleroſq; in faſciculum collectos huc afferam, idq; ex venerandę antiquitatis monumentis traducto carmine, quod forſitan Paeuuij abauus parenti ſuo (bonę memoriæ) compoſitum ad ſeram poſteritatem tranſmiſit; quod ſic ſe habet:

Ebrietatis ſpecies.

Bis ſex credatis ſpecies ſunt ebrietatis.
Ebrius eſt primus ſapiens: eſt alter opimus:
Ternus grande vorat: quartus ſua crimina plorat:
Quintus luxuriat: ſextusq; ꝑ omnia iurat:
Septimus accendit: bis quartus ſingula vendit:
Nonus nil celat, q̃d hẽt ſub corde reuelat.
Sõnia denus amat: undenus turpia clamat:
Et cũ ſit plenus vomitum facit duodenus.

Da ligt der Haas im pfeffer. Im auſkeren findt mans.

Torret ab igne iecur] Horat. 4. Carm.

Comeſſabere maximi,
Si torrere iecur quæris idoneum.

Idemq;

——*meum*
Feruens difficili bile tumet iecur.]

Vide Athenæum 10. Dipnoſophiſt. cap 9. Plin. lib. 14. c. 15. De Alexandrĩ vinolẽtia.

Sed nunc me doceas, &c.] Non ſatisfuit

oſtendiſſe incommoda, & ægritudines, niſi remedia quędam adhibeantur. Preceptum itaq; eſt de vino temperatè ſumendo, nimirùm vt quarta pars aquæ ſemper immiſceatur. Quod tamen præceptum pro ratione locorum, temporum & perſonarum ad ἐπιείκειαν reuocandum eſt. Prouerb. *Epiſcythiζare*. Athenæus 10. cap. 8. & lib. 15. cap 15.

Vino quo modo vtendum.

Quadrãs

Quadrantem addat aqua &c.] Quadrans eſt tertia pars aſſis; ſumitur pro vaſe, quod tres cyathos contineat. Si vis (inquit) ſumere calicem vini meri, adde illi tres aquæ partes. Calicem autem pro cyatho poſuit. Cyathus autem idem eſt, quod vncia: ſicq; conſtabit ſenſus iuxta Heſiodi præceptum, quo ad frugalitatem adhortatur homines, lib. 2. Georg.

Cyathus.

Κρήνης τ' ἀενάου καὶ ἀποῤῥύτε ἥτ' ἀθέλωτος

Τρὶς ὕδατος προχέειν, τὸ δὲ τέταρτον ἵεμεν οἴνου. id eſt:

Fõtibus ex liquidis ſemperq; fluẽtibus adde
Tres lymphæ partes, vini non amplius vnã.

Hunc miſcendi modum non attigit Chiliadum autor, in Prouerbio, *Bibe quinq; aut tres, aut ne quater.* quem vide. Neq; Cœlius Rhodig. lib. 28. cap. 39. quamuis multa vterq; de vini ſymphonijs ad aquã doctiſſimè diſputauerint. Eſt & epigramma Græcum Heſiodicæ ſententiæ conueniens, incerti autoris:

Vinum vt miſcendum.

Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ, μήδ' ἐλάχιστον·
ἐστὶ γὰρ ἢ λύπης αἴτιος, ἢ μανίης.
χαίρει κρινάμενος τρισὶ νύμφαις τέταρτος αὐτὸς,
τῆμος καὶ θαλάμοις ἐστὶν ἑτοιμότατος.
εἰ δὲ πολὺς πνεύσειεν, ἀπέστραπται μὲν ἔρωτας,
βαπτίζει δ' ὕπνῳ γείτονι τοῦ θανάτου.

id eſt:

Nec minor eſto modus Bacchi, nec largior æquo:
Hinc mœror mentes occupat, inde furor.
Quartus tres ſecum Nymphas admittere gaudet:
Sic thalamis aptus, coniugioq; venit.
Namq; ſolet teneros contemnere multus amores,
Et ſomnum morti conciliare parem.

Vini menſura optima, quę non nimia, neq; minima:
Eſt enim doloris cauſſa, vel inſaniæ.
Gaudet admixtus tribus Nymphis quartus ipſe;
Tunc enim thalamis (id eſt, iugalibus amoribus) promptiſſimus.
At ſi multus ſpiret, euertet quidẽ amores,
Mergeturq; ſomno vicino morti.

Nec nimio, ſed nec minimo vino vtere prudens:
Inde dolor venit, hinc cauſa furoris erit.
Gaudet enim Nymphis mixtus tribus eſſe Lyæus,
Delicijs thalami qua ratione placet.
Immodicus ſi ſit, teneros exoluet amores,
Vt fiat morti par grauis inde ſopor.

Sic autem vertit Vrſinus:

Sumere nec nimium Bacchi valet optimus vſus,
Nec minimum: hinc mœror prouenit, inde furor.
Quartus & ipſe tribus Nymphis miſcerier optat,
Tunc quoq; ſic thalamis conuenit ille magis.
Sin nimius ſpiret, placidos auertit amores,
Atq; ſopor morti proximus inde venit.

Huc facit illud Baſilij: Nullus ex aquæ potu crapulam ſenſit, nullius vnquam caput doluit aqua grauatum, nullus aquæ potor alienis pedibus indiguit, nullius pedes ligati ſunt. nullius redditæ inutiles manus aqua irrigatæ. Sed hæc omnia tanti non ſunt potatoribus, vt propterea hydropotæ eſſe velint: quin potius exclamant, aquam circumagendis rotis molendinarum eſſe natam, & vehẽdis nauibus, non vt ſitim pota tollat: ſicut Cyclops etiam indignabundus exclamat: ἀπόλλυσθαι τὸν οἶνον ἐπιχέας ὕδωρ. Et alius: Apageſis, βατράχοις οἰνοχοεῖν σε δεῖ, ad eum, qui pluſculum aquæ miſcuerat vino. At non recordentur ſtolidi iſti, primæuos in mundo homines ante diluuium præter aquam nihil aliud bibiſſe, & ad extremam ſenectutem ſanos & robuſtos degiſſe. Hac ego puto ratione tigrides Bacchi currui iunctas à veteribus, vt indicarent moderatũ vini vſum furentis animi ſæuitiam cohibere. Habet autem ille ſodalitium & ſatellitium tale:

Aqua vſus.

Pãthera, tigres, Bacchũ, Satyriq; ſequuntur.
In vino feritas, iurgia, probra, Venus.

Sic enim Zeno Citticus hilarior in conuiuio factus, quàm vt eius natura ferret, ſeuera illa quidem & Philoſophica, eius rei cauſam quærentibus dixit, lupinum quan-

quam

quam amatum, aqua tamen moderatum dulceſcere. Primus Pſammetichus, rex Aegyptius, menſis vinum adhibuit, ſed certa menſura.

Hemina. *Stet citra heminas*] Ἡμίνη, dimidium ſextarij ſignificat. De qua ita Priſcianus, ſiue Q. Rhemnius Palæmon:

At cotylas quas, ſi placeat, dixiſſe licebit
Heminas: recipit geminas ſextarius vnus.
Qui quater aſſumptus fit Graio nomine
Chœnix.

Significat autem vltra medioeres menſuras nihil adijciendum, vel ſobrijs menſuris vtēdum. Neq; enim Græcorum veterum, bibacitate inſignium, aut Germanorum noſtri huius temporis conſuetudo probanda, qui inter conuiuandum potando certent. *Caroli Magni ſobrietas.* Carolus Magnus lege olim vetuit, ne quis alium ad bibendum prouocaret; ebriumq; in exercitu aquam in poſterum potare cōpulit, ipſe temperantiæ pulcherrimum exemplū exiſtens, cibi potusq; parciſſimus.

Atq; etiam Sparta mos eſt laudabilis ille,
Vt bibat arbitrio pocula quisq; ſuo.

At nunc alia lex, imò conſuetudo illaudabilis viget, quæ ſic habet: ἢ πίθι, ἢ ἄπιθι. *Sauff, oder entlauff.* ò tempora? Quis verò Scytha aut Thrax immaniores leges præſcriberet? Sed hoc parum eſt, niſi dicāt: Aut bibe, aut hunc cantharum, quātus eſt, in caput impingam tuum. & ita non rarò ex compotatione fit monomachia: ſic enim aſſuefacti (ſeu manit, à ſue facti) ſunt. Domitius Neronis pater, omni parte vitæ deteſtabilis, documentum furoris ſui etiam hac in re edidit, occiſo Liberio ſuo, honeſto viro, quod potare quantum iubebatur, recuſaret. Alexander Macedo Promachum bibaciſſimum hominem, in vini certamine victorem, talenti corona donauit, tribus tantum poſtea ſuperſtitem diebus: ipſe rex ad duos choas, ſeu duodecim ſextarios (ò regiam & egregiam laudem?) proceſſit; cæteri cuncti, vnus & quadraginta, effuſis viſceribus propemodum ſpectante rege crepuerunt, & potando ſpiritum eructauerunt. Sed placet Eubuli Comici, quem citat Athenæus, legem conuiualem huc apponere. Loquitur autem Bacchus vt συμποσιάρχης.

Cyathi Bacchi.
Τρεῖς γὰρ μόνοις κρατῆρας ἐγκεραννύω
Τοῖς εὖ φρονοῦσιν· Τὸν μὲν ὑγιείας ἕνα
Ὃν πρῶτον ἐκπίνουσι· τὸν δὲ δεύτερον
Ἔρωτος, ἡδονῆς τε· τὸν τρίτον δ᾽ ὕπνου·
Ὃν εἰσπιόντες οἱ σοφοὶ κεκλημένοι
Οἴκαδε βαδίζουσιν· ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι
ἡμέτερός ἐσ᾽ ἀλλ᾽ ὕβρεως· ὁ δὲ πέμ-
πτος βοῆς·
Ἕκτος δὲ κώμων· ἕβδομος ὑπωπίων.
Ὄγδοος δὲ κλήτορος· ὁ δ᾽ ἔννατος χολῆς.
Δέκατος δὲ μανίας. ὥστε καὶ βάλλειν
ποιεῖν.
πολὺς γὰρ εἰς ἓν μικρὸν ἀγγεῖον χυθεὶς
ὑποσκελίζει ῥᾶστα τοὺς πεπωκότας.

Quos verſus ſic vertit Ferdinandus Sanctius, Franciſci frater, & laborum comes iucundiſſimus:

Tres namq; ſolos bibere crateres meri
Suadeo diſertis; ſanitatis miſceo
Primum: ſecundum verò amoris ac ioci:
Dulcia ſoporis dona præbet tertius;
Quem perbibentes, ſobrij ſi dici auent,
In tecta greſſus dirigant. Quartus tamen
Omnino non meus eſt, quia eſt iniuria:
Quintus refert clamorē: at ebriū arguit
Sextus: laceſſit ſeptimus: lites mouet
Octauus: ira nonus eſt: decimus furit,
Et tela torquet; nāq; paruū in vaſculum
Effuſa vini copia euertit virum.

Permulti è veteribus vino in totum abſtinuerunt, ſed in primis ſacerdotes Aegyptij, qui ijdem reges fuerunt: reperio tamen vſos fuiſſe vino in Deorum cæremonijs, vt tradit Hecatæus, non rem quidem gratam Dijs cœleſtibus oblaturi, ſed gigantum cruorem, qui in Deos pugnaſſent, propinaturi: ſibi enim perſuaſerant, vitem ex fuſo in terram gigantum ſanguine primùm pullulaſſe; vnde & amentiam, & furorem ineſſe vino credebant.

Vltrà alacer, mox ebrius, inde furit] Gallis veteribus non ebrietas modò ſed ebrietatis comes rixa & concertatio à Platone, alijsq; quibuſdam notatur. In cuius culpæ ſocietatem Germani noſtri à Cornelio Tacito vocantur, pariq; & violentiæ, & contentionis appellantur nomine; ſic enim ille: *Germani à Tacito taxati.* Aduerſus ſitim non eadem temperantia; diem noctemq; continuare potando nulli probrum. Si indulſeris ebrietati, ſuggerendo quantum concupiſcunt, haud minùs facilè vitijs quàm armis vincentur. Crebræ, vt inter vinolentos, rixæ; rarò conuitijs, ſæpius cæde & vulneribus tranſiguntur. Hæc Tacitus. Memini legere me apud Firmicum Maternum, auctorem non poſtremi nominis, libello quo Paganorum errores conuellit: Lycurgum

Thracium ideò vites excidi juſſiſſe, quia vinum in Thracia inſaniam furoremque pararet; quò pertinere puto initium Odes lib. 1. Carm. Horat.

Natis in vſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare, Thracum eſt. tollite barbarum
Morem, verecundumq. Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

Ebrietatis ſugillatio à puero facta. Qua ratione etiam Aſtyages apud Xenophontem, cùm Cyrum rogaſſet, quam ob cauſam à vino abſtinuiſſet inter conuiuandum: quia metuerem, inquit, ne in cratere mixta venena eſſent; cùm enim tu ad natalitia amicos adſciuiſti, facilè obſeruaui venena mero mixta. Sed quo tandem modo, inquit ille? Videbam enim vos, ait, neque mentis neq; corporis eſſe compotes. Primùm, quæ nos pueri facere prohibemur, hæc vos faciebatis: Omnes enim clamabatis ſimul dicebatisq; inuicem nihil, canebatis magnæ cum ridiculo, & cum canentem non audiretis, iurabatis optimè eum canere. Et quisq; veſtrum cum de ſuis viribus loqueretur, mox ſaltaturi ſurgebatis, cùm non modò ad numerum ſaltare, ſed ne ingredi quidem poſſetis, eratisque omnino obliti, & tu quod rex eſſes, & alij quod ipſis imperares. Ebrietas nimirum eſt illa Circe, homines in aſinos, porcos, canes, & leones conuertens. Quid enim ſimilius cani, ſui, deniq; inſano & furibundo homini, quàm ebrius? Qua de re audiamus miros Diaboli luſus, imò Tragicomœdiam quandam, quam quia neq; protritam, neq; vulgo notam exiſtimo, age recenſeamus. Autor eſt Timæus, fuiſſe Agrigenti domũ quandã, cognomento τριήρη, id eſt. *Triremem*, euentu tali: *Inſana ebrietatis hiſtoria.* Adoleſcentes aliquot illic conuenientes, conuiuium hilarius agitabant; mox, vti aſſolet, cum incaluiſſent vehementius, ita decuſſi mente ſunt, atq; externati, vt in triremi ſe opinarentur conſtitutos, mariq; altiùs exundante hiemem ingruere atrocem. Proinde velut naufragium veriti, egeſtis quæ intus eſſent nauigium facturi leuius, vaſa omnia, & quidquid vino feruidis primum occurrebat, in viam, ceu in mare feſtinantius iactare adorti ſunt, accurrentibus hinc inde, qui proiecta diriperent. Inſequenti die, vbi affuit magiſtratus, factum iſtud coarguens, cùm illi necdum ſatis edormiſſent, reſpõdere, ſe mortis metu præoptaſſe quæ in naui eſſent diſperdere, quàm fluctibus deuorari. Admirantibus mentis ſtuporem vniuerſis, qui inter eos videbatur natu grãdior: Ego, ò viri Tritones, inquit, præ formidine infra thalamos me conijciens in imo iacui. Cumq; amplius delirare animaduerterentur, dimittuntur ab ignoſcente magiſtratu, commoniti grauiùs, cauerent in poſterum imitationem eiuſmodi brutalem. At illi gratias agentes: Si, inquiunt, ſeruati ex tam procelloſis vndis portum fuerimus aſſecuti, inter marinos Deos võbis, vt ſeruatoribus, in patria ſtatuas erigemus. Hinc non fruſtra dicit Salomon, ebrium ſimilem eſſe dormienti in medio mari. Ebrietatis fœdam ac deformem faciem ita ſuis coloribus depinxit D. Auguſtinus: *Ebrietatis imago.* Eſt blandus dæmon ebrietas, dulce venenum, ſuaue peccatum; quam qui in ſe habet, ſe non habet; quam qui facit, non facit peccatum, ſed totus eſt peccatum. Et alius bellè, μέθην εἶναι μητρόπολιν τῶν κακῶν· hinc enim ceu coloniæ omnium flagitiorum deducuntur. Audiamus Lucretianam, vel illam potiùs expreſſam effigiẽ ebrij contemplemur:

—— Hominẽ vini vis cùm penetrauit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Cõſequitur grauitas mẽbrorũ, præpediuntur
Crura vacillanti, tardeſcit lingua, madet mens.
Nant oculi; clamor, ſingultus, iurgia gliſcunt.

Iſocrates ad Dæmonicum aiebat: Cùm mens à vino opprimitur, idem facit quod currus, qui ſuos agitatores amiſerunt. Seu vt alius dicit:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Pittacus olim volebat facinus ebrij duplici pœna puniendum eſſe, tum quod fuerit ebrius, tum quod ex ebrietate facinus admiſerit. Mitius noſtri ICti, qui damnum ab ebrio datum non aliter æſtimandum cenſent, ac ſi quadrupes id feciſſet. l. ſed & ſi. §. 1. ff. ad l. Aquil. Aut caſu aliquo abſq; facto perſonæ contigiſſet. l. vlt. in fi. ff. de adminiſt. tut. quod pluribus diſputat Ferdinandus Vaſquius lib. 3. Illuſtr. controuerſ. cap. 96. num. 3 1. Iulius Clarus lib. 5. Sentent. §. fin. verſ. Præterea quæro. Antonius Gomezius lib. 3. Variar. reſol. cap. 1. num. 73. Didacus Couarruuias in Clem. ſi furioſus. de homic. part. 3. num. 3. & 4. Iacobus Menochius de arbitr. Iudic. lib. 2.

cent.

cent. 4. caſu 326. ad quos lectorem huius cupidum ablegatum volo. Hiſtoriarum monimentis proditum accepimus, Cleomenem Spartanum apud Scythas vino in inſaniam verſum, quòd cũ eis voluiſſet contendere largiore vini potione. Huc referrem prouerbium, *Nemo cantat ſobrius*, niſi eſſet omnium in ore, vimque eius tenerent vel mediocriter eruditi. Certè vt quæ ſupra ſunt à me adnotata, hoc qualicumque auctario locupletem, reperio Thracibus in more poſitum fuiſſe in conuiuijs præliari, ſeque inuicem vulneribus deformare, teſte Marcellino Amm. Quæ verò adduximus de Thrace Lycurgo, lumen capient ab Epigrammatario Græco anonymo: cuius hoc carmen ex lib. 1. ἀνθολογίας.

Thracum mos barbarus. *Thrax Lycurgus vitem ſecuit.*

τίς ποτ' ἀκηδέστως οἰνοτρόφον ὄμφακα βάκχου
ἀνὴρ ἀμπελίνου κλήματος ἐξέταμεν.
χείλεα δὲ συνδεὶς, χαμάδις βάλεν, ὡς ἂν ὁδίταις
εἴη νισσομένοις ἡμιδαὲς σκύβαλον;
εἴη οἱ διόνυσος ἀνάρσιος οἷα λυκούργῳ,
ὅττι μιν αὐξομέναν ἔσβεσεν εὐφροσύναν.
τοῦ δὲ γὰρ ἂν τάχα τὶς διὰ πώματος, ἢ πρὸς ἀοιδὰς
ἤλυθεν, ἢ γοεροῦ κήδεος ἔσχε λύσιν.

Quærit poeta, qua ratione quis adeò inconſideratè vuam vini altricem immaturam Bacchi ex vitis palmite abſciderit: labra autem conſtrictus (ſic enim quæ ſunt immatura, ſunt eadem acerba, proindeque labra hebetant, & conſtringunt) humi proiecit, adeo vt eſſet viatoribus ſemicomeſtum putamen. Imprecatur itaq; illi Dionyſium hoſtem, ſicuti olim fuit Lycurgo, ꝙ ipſam creſcentem extinxerit lætitiã (is eſt Lycurgus Thrax, qui qđ vites abſcindi curaſſet, dicitur à Baccho hoſtili odio perſecutus, vt eſt apud Hyginum:) Nam hunc fortè per potum aut ad cantum veniſſet, aut curæ luctuoſæ ſolutionem habuiſſet. Si quis carmine idem malit, huc appono:

Quis temerè hanc vuam tenero de corpore matris
Auſus veſana eſt diſſecuiſſe manu:
Semeſamq́; via media proiecit, acerbus
Quod triſti ſenſu ſtrinxerit ora ſapor?
Infeſtus ſit Bacchus ei, velut antè Lycurgo,
Vt qui naſcentem ſuſtulit Euphroſynem.
Hanc qui libaſſet quondã, vel ludere verſu,
Vel poterat curas ſoluere corda graui.

Cui poetæ non bene ſano reſpondit vir multiſcius Pierius Valerianus, hoc limato hexaſticho:

Pierij reſponſio.

Κεῖνος ἀριστεύσας κ' οἰνοτρόφον ὄμφακα μισῶν,
Ὃς βάλε τὸ σκύβαλον ἡμιδαὲς χαμάδις,
Κλήματα τ' ἐξέταμεν καὶ ὅλους βλαστὸς ἀπὸ ῥίζης,
Ὃς τὴν αὐξομέναν ἔσβεσεν ἀφροσύναν,
Τοῦ δὲ τὶς οἰνοβαρὴς διὰ πώματος, ἢ πρὸς ἄρηα,
Ἤλυθ' ἂν ἤγ' αὐτῷ τάχα λέλαθε πρέπον.

Malè animis quiſquis vinum hoc immite peroſus,
Alliſit putri vile putamen humo,
Ramosq́; & plantã totã ab radice recidit,
Atq; ita gliſcentem ſuſtulit Aphroſynẽ.
Namq; aliquis poto hoc vino grauis iſſet ad arma,
Aut decoris poterat non meminiſſe ſui.

Huc pertinet hiſtoria quam Hyginus retulit de Icario à paſtoribus interfecto, qui vinum ſibi à Baccho datum cùm iiſdem dediſſet, eoque facti ebrij concidiſſent, & ſibi venenum propinatum fuiſſe putaſsẽt, eum fuſtibus interfecerunt. Reperio apud Tranquillum in Domitiano, edixiſse Imperatorem, ne quis in Italia nouellaret: quod enim ſummam quandam vini vbertatem, frumenti verò inopiam videret, exiſtimans nimio vinearum ſtudio arua negligi, cohibuit nimiam hominum circa vites vel curam, vel libidinem. Iuſſit etiam vineta in prouincijs ſuccidi, relicta vbi pluriũ parte dimidia. Et hæc ferè ille. Sed Philoſtratus in Apollonij vita cauſam eam diſertè tradit, quam ſupra poſui, nimirum edicti cauſam eam fuiſse, quòd in Aſia præcipuè homines vino nimium indulgentes, ſeditiones excitarent.

Icarius cur occiſus.

Res dura hæc nimium] Seuerior hęc bibendi lex, dixerit aliquis: dura quidem ijs potiſſimum, qui ſibi omnia effuſe licere volunt.

Sunt pendula guttura] Nullus eſt, qui non appetat vini delicias, neq; ita diluti, aut ita anguſtis poculis: facilè enim fluit, & ſponte ſua illabitur, nec opus illud per manicam Hippocratis percolare.

Heu facilè commoda &c.] Quæ commoda

moda ſunt, vel quæ ita putantur, non facilè nobis accidunt: nam δύσκολα τὰ καλά, *ardua quæ pulchra*. quæ verò ſunt incommoda, vltrò veniunt, etiam non arceſſita. De quo infra proprio loco.

Difficilia quæ pulchra.

IV. SATIS multa de vini vſu & abuſu his tribus Emblematis paſſim attuliſſe videor, & lubens hic orationis curſum ſiſterem, niſi eſſet quod vehementer me torqueret. Cum gemitu & fremitu, cum rubore & pudore hic recordor inclitæ noſtræ Germaniæ, cuius πολυποσίᾳ reliquarum nationum ore fœdè traducitur. Trium Furiarum mentionem faciunt Poetæ, ego quartam adiungo, & do principem locum in theatro flagitiorum Ebrietati. Hæc in medio Europæ ſedem ſtabiliuit, atq; adeo ſubdidit orbem noſtrum, vt quamuis alijs quoq; gentibus imperet, Germanos ſolos peſſundet calcaneo, & compedibus iniectis trahat inuictos olim populos, quò vult, Babylonica meretrix cũ philtro ſuo & intoxicato calice. Non ſæuior peſtis viſa eſt, non atrocior hoſtis graſſaris nec Romana potentia ita vires noſtras contriuit, vt hæc. Fractum iam hinc & imbelle genus videmur, decuſſo priſco illo robuſtatis & fortitudinis flore; denigrato militaris gloriæ, quæ ſolennis quaſi & propria fuit gentis noſtræ, ſplendore ac luce; conuerſis in effœminatam quandam ac turpiſſimam mollitiem, virtutum heroicarum clariſſimis inſignibus, quibus fulſerunt atavi proauiq; noſtri, peculiari nationis genio; conculcatis victoriarum palmis, & triumphali laurea de capitibus turpiter abiecta. Vitreis bipennibus, & ex argento aut opere figulino confectis gladijs itur nunc ad prælia; cantharus, lagena, trullæ, carchesia nunc armant viros; coronam aufert, qui vibrat haſtam & quatit fortius, amphorale poculum ſcilicet, aut craterem tricongium, aut orcam balneario labro capaciorem. Vexillum ſuſpendit in templo Bacchi victor in hac palæſtra, cuius nunquam ſiccus gurgulio in dolium ventris trãſmittit, quod nec bouis caperet vterus, aut elephanti. Proſterni primum in tali conflictu & occumbere, probrum habetur in ſummo gradu, & dedecus vix Rheni abluendum aut Iſtri fluminibus. Vltimum arena excedere, res trophæo & arcu digna, quam Faſtis & Annalibus inſeras. Nec laudem ſolidam meretur, niſi qui calceos, & matulas incruſtatas ſquammis ſuis & concreta ſalſugine, nouit exhaurire, & renomere ſtomacho faſtidiente; niſi refundat eũdem liquorem in menſam aut cyathum, ſemicoctum iam & innatantem turundis ciborum ac crudis fruſtulis, execrabili turpitudine. Quem ex arte tamen & aulica neſcio qua vrbanitate traductum morem, non verentur pleriq; Saxonicæ cuiuſdam virtutis, & Pomeranæ nouo inſignire elogio. O gigantes? O Achilles & Hectores? O monſtra mihi? ò vtres? ò cloacas? Hominibusne vos comparem, an beſtijs? imò ne beſtijs quidem. Nam quis vnquam ebrioſas vidit beſtias? Quanto igitur melior aſinus & canis, imò quoduis brutum, ſiue eſſe, ſiue bibere neceſſe ſit, modum norũt, nec vltra quàm eſt opus progrediuntur, licet multi cogant? At ebrioſi merum cadauer & fœtor ſunt.

Ebrietatis deteſtatio.

Nouũ genus certaminis.

Ein Pomeriſcher Sachſen kerles.

Vt bibat haud ſitiens, vel edat, iam ventre repleto.
Verberibus cogi beſtia nulla poteſt.
Ergo homo deterior longè eſt (fateamur oportet)
Qui bibit haud ſitiens, qui vorat antè ſatur.

Violentum ſanè hoc mali genus, non infame ſolùm & abominabile, quod ſubuertit naturam animorum corporumq; lues pręſentiſſima: quod ingenij neruos debilitat, frangit vigorem, & quidquid ineſt luminis obfuſcat, ac denſa obducit caligine: quod ſuccum iuuentutis exhaurit, ſugit colorẽ, perimit formam, vultus facit laruis ac diabolicis ſpectris ſimiles. Manuum tremor hinc & titubatio, vertigo cerebri, mentis anxietas, rerum obliuio, mors memoriæ. Hinc graueolentis halitus matutina mephitis, oculorum tumor & lippitudo, rugæ frontis, puſtulæ & furfures, naſi marcidi pyropi, genæ pendulæ, ſcabies membrorum & contractio, malè conſiſtens pes, vacillans lingua, furiæ noctis, ſomni trepidatio & metus. Omnium vitiorum hæc mater eſt, iurgia ſeminat, cædes gignit & homicidia, raptus, adulteria, ſtupra, tumultus, bella. Quæ poſtquam radices altiùs egit, quò magis euellitur, eò firmiùs hæret: toxicum animę & aconitum, quo tacta mens, velut aſphaltico bitumine pigrum lentorem trahit & gluten ignauiæ, vt ſtupidis ſenſibus, & vecordi ſpiritu ac ſtertente, tota lãgueat, ſibimetipſa graue onus

Ebrietatis mala.

ac ſartina. Non ſic fumat clibanus aut furnus ardens, vt ſtomachus ebrij; & patentis ſepulchri fœtorem libentiùs quàm cloacam gutturis feras; ſulphur & naphtã inter ronchos efflat titio inferni. Sed cornua ſumit, & contra me inſurgit biborum & ebrioſorum caterua, tali ſe ratiocinatione excuſans:

Ebrioſorum excuſatio.

Fœcunda terra potat,
Hanc arboresq; potant,
Et potat æquor auras,
Et Luna potat æquor,
Ipſumq; Luna Phœbum:
Quid ergo tu ſodalis,
Potare me vetabis?


Rectè vtiq; ſi madidi iſti gulones aquam liquidam potarent, non refractam ſeu extillatam vite. At dum contrà certatim ſpumantes hauriunt pateras, plenoq; ſe proluunt ore, inſtitutum naturale fallunt, falluntúrq; & ipſi crebrò. Erubeſcat quiſquis particulam habet ſanæ mentis, degenerare in hoc nefas, quæ voluntaria eſt inſania, qua mentis ſtatus concutitur, profligatur corporis valetudo, patrimonia atteruntur; cuius Vrbium & prouinciarum excidia ac ruinæ comites ſunt. Agedum euigilemus aliquando, viri populares, abdicemus tetrum hoc vitium ac flagitium, hanc tabem & labem, & parum ſupererit, quod in nobis carpant, deq; noſtra laude decerpant Germanomaſtiges. Ni parueritis, alta voce intonabo, φεῦ τῆς πατρίδος.

Me miſerũ ipſa ſua Germana modeſtia ſede
Exulat, & luxus virtutem eiecit auitã.

Iuuat etiam velut in ſpecula aliqua conſtitutum, vnde non ſolùm Germani, ſed vniuerſi populi exaudire me poſſint, propheticum illud proclamare: *Væ ſurgentibus ſummo manè, ad potum inebriantem ſectentur.* Huius oraculi tum præſentes, tum poſteros meminiſſe volo. Plura de hac materia qui cupit, videat Prouerbium, *Vinum caret clauo:* &, *Vinum ſenem etiam nolentem ſaltare impellit.* Platonem 3. de Repub. & 6. de legib. &c. Plinius quoq; de fugienda ebrietate fuſum orationis riuulum exprompſit lib. 14. toto cap. 22.

Gramen.

EMBLEMA XXVI.



GRAMINEAM Fabio Patres tribuere corollam,
Fregerat vt Pœnos Hannibalemque mora.
Occulit inflexo nidum ſibi gramine alauda,
Vulgò aiunt, pullos ſic fouet illa ſuos.
Saturno Martiq; ſacrum, quo Glaucus adeſo
Polybides, factus creditur eſſe Deus.
His meritò arguitur nodis tutela ſalusq;
Herbaq; tot vires hæc digitalis habet.

COMMENTARII.

I. VIRI venerabiles & togati loco eminentiori conſpiciuntur, qui alium habitu quoq; pacifico indutum graminea corona donant, quam eius capiti imponere videntur. Iuxta è gramine alauda prouolat. Eſt autem alauda parua auicula, quę in ſummitate capitis apicem habet, vnde etiã galerita dicitur, vt teſtatur Plinius lib. 11. cap. 37. Titulus Emblematis Sanctio non placet. Quorſum enim gramen, quod ad aliud eſt, apponatur pro lemmate, ac non potiùs illud, quod per gramen ſignificatur? Reponit igitur ille titulum: *Tutela & ſalus.*

II. *Gramen quid ſignificet.* GRAMEN herbam, quę alijs eſt ſanguinaria, celebrat, vt tutelæ, præſidij, ſalutiſque ſymbolum. Ex ea enim corona graminea fiebat, apud Romanos maximo in pretio habita. Sed & proprias quaſdam in ea vires eſſe exẽplo eſt alauda, Martis auis, quæ nidum gramineis ramulis vallare ſoleat. Adhæc Saturno & Marti gramen eſt conſecratum, ne quis eam in minimis habendam putet. Poſtremò comeſo gramine Glaucus, Deus marinus eſt habitus. His omnibus tanquam notis arcanis defenſionem, ſalutemque intelligimus. Emblematis huius veram ſententiam repeto ex Feſto Pompeio, cuius hæc verba: Herbam do, cùm ait Plautus, victum me fateor, ſignificat: quod eſt antiquæ & paſtoralis vitæ indicium, nam qui in prato curſu aut viribus contendebant, cùm ſuperati erant, ex eo ſolo, in quo certamen erat, decerptam herbam aduerſario tradebant. Citatur ex Attio:

Herbam dare.

Gaudent, currunt, celebrant, herbam conferunt.

Plinius de obſidionali corona, dari ſolitam è gramine teſtatur, quod gramen decerptũ erat, quo loco obſeſſos ſeruaſſet aliquis. Summum enim apud veteres victoriæ ſignum fuit herbam porrigere victos, hoc eſt, terra & altrice humo, & humatione etiam cedere. Idem Plin. de elephante lib. 8. Mirus pudor eſt, victusque vocem fugit victoris, terram ac verbenas porrigit. Itaq; herbam dare, ſiue porrigere gramen, eſt ſeſe fateri victum, agnoſcere victorem, præſidij & ſalutis auctorem reuereri. Antiquitus quidem, teſte eodem Plinio, nulla corona, niſi Deo dabatur. Sed demum vt in generoſis virtus creſceret, & ignauis torpor excuteretur, diuerſa veteres excogitauerunt coronarum genera, prout cuiuſque virtus non abſq; quadam conuenientia exigere videbatur. Alię enim erant ex apio, aliæ gramineæ, aliæ quernæ ſiue ficuæ, aliæ oleagineæ, aliæ myrteæ, aliæ laureæ, aliæ aureæ. De quibus librum ſcripſit Claudius Saturnius, in quo earum origines, cauſſas, ſpecies, & ſolennitates latè complexus eſt. Sed de graminea corona, de qua hic ſermo, ipſius Plinij audiamus verba: Corona quidem, inquit, nulla fuit graminea nobilior in maieſtate populi terrarum principis, pręmijsq; gloriæ. Gemmatæ & aureæ, vallares, murales, roſtratæ, ciuicæ, triumphales, poſt hanc fuere, ſuntq; cunctæ magno interuallo, magnaq; differentia. Cæteras omnes ſinguli, & duces ipſi imperatoresq; militibus, aut aliquando collegis dedere, decreuit in triumphis Senatus cura belli ſolutus, & populus otioſus. graminea nunquam niſi in deſperatione ſuprema contigit: nulli niſi ab vniuerſo exercitu ſeruato decreta. Cæteras imperatores dederunt, hanc ſolam miles Imperatori. Eadem vocatur obſidionalis, liberatis obſidione, abominan-

Corona graminea dignitas.

minandoq; exitio totis caſtris. Quod ſi ciuicæ honos, vno aliquo ac vel humillimo ciue ſeruato, præclarus ſacerq; habetur, quid tandem exiſtimari debet vnius virtute ſeruatus vniuerſus exercitus? Hæc Plinius.

III. *Corona graminea ſalutis ſignũ.* *GRAMINEAM Fabio &c.*] Corona graminea (quę & obſidionalis) dabatur ab ijs, quos obſidione liberauerat, ait Gellius lib. 5. cap. 6. Hæc data eſt à S. P. Q. R. (qua claritate nihil equidem in rebus humanis ſublimius duco) Fabio illi, qui rem omnem Romanam reſtituit cunctando, non pugnando. Nec data cum magiſtrum equitum, & exercitum eius ſeruaſſet: ſatiùs tunc fuit nomine nouo coronari, appellatum Patrem ab ijs, quos ſeruauerat: ſed quo dictum eſt, conſenſu honoratus eſt, Hannibale ex Italia pulſo. Quæ corona adhuc ſola ipſius imperij manibus impoſita eſt; & quod peculiare ei eſt, ſola à tota Italia data. Sic Plinius lib 22. cap. 3. 4. & 5. vide etiam Feſtum. Vnde liquet, corollam gramineam fuiſſe obſidionalem, non ciuicam, ciuica enim ex quercu conſtabat. Paſchalis & alij. Laurentius Lippius Collenſis in Diſtichis, de obſidionali:

Obſeſſam Pœno ſeruauit milite Romam
Quintus, natiuo gramine ſerta tulit.

De Quercu Virgilius:

Atq; vmbrata gerunt ciuili tẽpora quercu.

Vitam Q. Fabii Maximi latè narrat Plutarchus.

Patres. *Patres*] Romani Senatores. Romulus centum Senatores, quos ad Reipub. curam elegit, patres ab honore appellauit; ſiue (vt alii volunt) ab ætate, & curæ ſimilitudine: horumq; progenies ab his Patricii dicebantur. His centum Patribus poſtea alii ex equeſtri ordine additi, ac ſimul ſcripti fuere vſq; ad trecentos, quos Brutus, quo plus virium in Senatu frequentia ordinis regis cædibus diminuti faceret, elegit, à quo Patres conſcripti vocati ſunt. Vel quod erga Rempub. paterno eſſe animo deberent, ſic nominati.

Pœni. *Pœnos, Hannibalemque.*] Id eſt, Hannibalem Carthaginenſium Ducem. Pœni, quaſi Phœni, quia duxerunt originem à Phœnicibus. quam tamen deriuationem ab aliis vſurpatam refellit Pompon. Sabinus ad principium Æneid.

Fabius Maximus cunctator. *Fregerat mora*] Cunctatione. Hinc cunctator pro dictatore Fabius appellatus, de quo Poeta 6. Æneid. Ennii imitatus, ſic:

Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem.

Claudianus de bello Gethico:

Primus fulmineũ lento luctamine Pœnũ
Compreſſit Fabius.

Auctor de viris illuſtr. Fabius Annibalem mora fregit. Pugnam eius cum Hannibale pulchre deſcribit Liuius lib. 2. Dec. 3. & alij multi.

Occulit inflexo nidum, &c.] Quibuſdã auibus & belluis herbarum quarundam cognitio eſt à natura inſita, vt quod arte maxima & diligẽti obſeruatione homines ipſi ſciunt, hæ naturæ beneficio ſentiãt. Quod autem alauda ſiue galerita nidum ſibi ex gramine conficiat, ex veteri Prouerbio ſic expreſſum eſt à Caſſiano Baſſo ſcholaſtico, lib. De agricultura: Galeritæ, inquit, in gramine nidificant, vnde etiam Prouerbiũ: *Animalium quorundam ſolertia.* *Alauda in gramine nidificat.*

Ἐν κορυδοῦ καὶ τῇ ἀκάνθῃ κέχρηνται ἄγρωστις.

Ramoſum gramẽ nido occultatur alauda.

Solet enim alauda peculiari quodam amuleto ſuum luſtrare nidum impoſitis quibuſdam ramulis graminis, ſicut aquila callitricho, cornix verbenaca ſupina, turdus myrto, palumbes lauro, vt ex Zoroaſtri magi 15. γεωπονικῶν retulit literatiſſimus vir Belgij decus Iunius, adagio, *Alaudæ in nido latet gramen.*

Saturno, Martiq; ſacrum] Gramen ideo Saturno ſacrum creditur, quia Aiſchyrion Samius in quodam Iambo ait, Saturnum ſeminaſſe gramen, quod vocat Gramen deorum. Sanctius coniectura ducitur, id ideo eſſe, propter viuacitatem, quam huic herbę peculiarem tribuunt Poetæ: dicitur enim ab ijs *viuax & inexpugnabile.* Cuius opinioni concinit celebratum in Hiſpania prouerbium: *Mas vicio que la gramma.* Magis viuax quàm gramen. Marti verò ſacrum eſt, quia ex gramine ortus eſſe creditur. Neq; abſurdum fuerit eius natiuitatem recenſere pulcherrimis Ouidij verſibus. Faſtorum igitur 5. ſic loquitur Flora: *Gramen cur Saturno ſacrũ.* *Cur Marti.*

Mars quoq; ſi neſcis, per noſtras editus artes:
Iupiter hoc vt adhuc neſciat vſq; precor.
Sancta Iouem Iuno, nata ſine matre Mineruâ,
Officio doluit non eguiſſe ſuo.
Ibat vt Oceano quereretur facta mariti:
Reſtitit ad noſtras feſſa labore fores.
Quam ſimul aſpexi: Quid te, Saturnia, dixi,
Attulit? Exponit, quem petat illa locum:

Addidit

Addidit & cauſam. Verbis ſolabar amicis.
No,inquit, verbis cura leuanda mea eſt.
Si pater eſt factus neglecto coniugis vſu
Iupiter,& ſolus numen vtrumq; tenet;
Cur ego deſperem fieri ſine coniuge mater?
Et parere intacto dummodo caſta viro?
Omnia tentabo latis medicamina terris,
Et freta, Tartareos excutiamq; ſinus.
Vox erat in curſu,vultū dubitantis habebā.
Neſcio quid,Nymphe,ſcire videris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta eſt;
Ira Iouis magni cauſa timoris erat.
Fer precor auxilium,dixit;celabitur autor,
Et Stygiæ nomen teſtificabor aquæ.
Quod petis Olenijs,inquam, mihi miſſus ab aruis
Flos dabit,eſt hortis vnicus ille meis.
Qui dabat,hoc dixit:ſterilem quoque tange iuuencam,
Mater erit.Tetigi.nec mora,mater erat.
Protinus hærentem decerpſi pollice florem;
Tangitur,& tacto concipit illa ſinu.
Iamq; grauis Thracem, & læua Propontidos intrat,
Fitq; potens voti;Marsq; creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis:Habeto
Tu quoq; Romulea,dixit,in vrbe locum.

Quo in loco Antonius Conſtantius Fanenſis: Huic Deo,inquit,gramen conſecratum dicunt,quod id ex humano cruore procreetur. Poterit & phyſica huius rei oſtendi ratio. Nam quoties caſtra locantur,ſeligitur ad id expeditus locus,non exaratus; ob idq; ſæpius in gramineis campis collocantur, qui ab agricolis ſpernuntur: propterea quod gramen valde ſerpat & propagetur, humoremq; omnem ebibat,eiusq; omnino tollendi vel euellendi nulla ratio eſſe poſſit. Vnde puto ab Ouidio,epitheto ad rem accommodato, *inexpugnabile gramen*, dictum eſſe 5 Metamorph.

——Lolium tribuliq; fatigant
Triticeas meſſes,& inexpugnabile gramen.

Reuera gramen & in nominis ratione,& re ipſa cum Marte aliquam habere ſimilitudinem videtur: nam Gramen & Gradiuus quod Martis cognomen eſt) à gradiendo & ſerpendo duci videntur. Adhæc Romæ in campo Martio copioſum gramen creſcebat; & Martiali præmio donabatur. Horat. princ. 4. Carm.

Te per gramina Martij
Campi,te per aquas,dure, volubiles.

Idem 3.Carm.Ode 7.

Quamuis non alius flectere equum ſciens
Æquè conſpicitur gramine Martio.

Quo Glaucus adeſo, &c.] Id variis modis ab Athenæo libro 7.cap.16.& aliis narratur. Hic piſcator fuit Anthenodius,natandi peritiſſimus, qui vel cunctos ſui temporis natatores in vndis exuperabat, ait Palæphatus: nam ſolebat è portu ſpectantibus, donec iam extra eorum eſſet proſpectum, enatare, & diebus aliquot latere. Cum autem rediret,perſuadebat ſeſe in marinis fluctibus vixiſſe, hincque marinus Deus primùm eſt nominatus. Tradunt alii cum aliquando ob nimiam piſcium, quos ceperat, multitudinem fuiſſe defeſſum, onuſque in media via abieciſſe: vnum ex piſcibus moribundum herba guſtata reuixiſſe, & in fluuium proſiliiſſe: quod cùm Glaucus obſeruaſſet,eadem herba comeſa, immortalitatem adeptus putatur. Plin.lib.9.cap.16. & lib.32.cap.11. Auſonius: *Glaucus piſcator.*

Sic Anthenodius Bœotia per freta Glaucus
Gramina guſtatu poſtquā exitialia Circes
Expertus carptas moribundis piſcibus herbas
Sumpſit, Carpathium ſubijt nouus accola pontum.

Ille hamis & rete potens ſcrutator operti
Nereos, æquoream ſolitus cōuertere Tethym,
Inter captiuas fluitauit præda cateruas.

Ad id reſpexit Franc. Picus Mirandulan. in Voto pro ſalute coniugis (mihi enim aliud agenti pridem locus ille occurrit.)

Nū mihi firmari poſſent mea vota, maligno
Impete depulſo morbi?num pallida tabes?
Nū tetris pelli poterit mors improba ſuccis?
Gramine vel Glauci,vel priſca Pæonis arte?

Alius fuit Glaucus Minois filius, de quo talis refertur fabula: Glaucus Minois & Paſiphaes filius, cùm murem perſequeretur, in cadum melle plenum incidit, ibiq; exanimatus eſt. Quem cum parentes quærerent, Apollinem ſciſcitati ſunt de puero; quibus Apollo reſpondit: Monſtrum vobis natum eſt tribus coloribus,quod ſi quis vobis indicauerit, cui rei in agro monſtrum hoc ſit ſimile,ille vobis filium reddet. Minos ſorte audita, cœpit monſtrum à ſuis quærere: cui dixerunt,natum eſſe vitulum, qui ter in die colorem mutaret per quaternas horas; primò eſſe album, ſecundo rubeum, deinde nigrum. Minos autem ad monſtri ænigma ſoluendum augures conuocauit: inter quos Polydus Cerami filius *Fabula de Glauco alio.*

Argolicus dixit, monſtrum ſimile eſſe in agris fructui mori ſiue rubi. Nam primùm albus eſt, deinde ruber, cùm permaturuit, niger. Tunc Minos ait, ex Apollinis reſponſo, filium mihi reſtituas oportet. Quod Polydus dum auguratur, vidit noctuam in cella vinaria apes abigentem; accepto augurio quæſiuit puerum in cado mellis, regiq; extractum tradidit. Cui Minos inquit: Corpori inuento ſpiritum reſtitue. Quod Polydus cùm negaret poſſe fieri, Minos iuſſit illum ſimul cum puero in monumento includi, & gladium apponi. Cum eſſent incluſi, draco repentè ad corpus pueri proceſſit: at Polydus ſibi timens accepto gladio draconem interemit. Cum ſuperveniſſe & dracæna, vidiſſetq; draconem mortuum, herbam quandam attulit, qua tactus draco ſpiritum recuperauit. Id cum vidiſſet Polydus, ſimiliter fecit in puero: cumq; ambo vociferarentur intus in monumento, quidam prçteriens Minoi nunciauit, qui monumentum iuſſit aperiri. Sed nec ſic etiam Polydum dimiſit, vt abiret in patriã, niſi prius Glaucum doceret artem illam vaticinandi: qui quidem docuit artem, ſed iamiam abiturus iuſſit, vt Glaucus in os ipſius Polydi inſpueret. Quod cum feciſſet Glaucus, artem edoctam perdidit. Hæc ex Tzetze in Caſſandram Lycophronis, & Hyginio. Idem narratur à Clearcho Solẽſi vitar. lib. 7. Fuit & alius Glaucus, Siſyphi filius, qui in Bœotia iuxta Potnias dilaceratus fuit ab equabus, quas à Venere arcebat, vt velociores eſſent in quadrigis. Alii aliter referunt. Hinc nihil amplius obſcuritatis habebunt verſiculi Ouidii in Ibin:

Glaucus alius ab equabus diſcerptus.

Potniadum morſus ſubeas, vt Glaucus, equarum;
Inq; maris ſalias Glaucus vt alter aquas.
Vtq; duobus idẽ dictis modò nomen habenti
Præfocent animæ Gnoſia mella viam.

Fabulam Glauci etiam habes apud eũdem Ouidium 13. Metamorph. in fine. Vide quoque Natal. Comitem Mythol. lib. 8. c. 5.

Polybides] Polybi filius. In hoc patronymico ſe hæſiſſe fatetur Claudius Minos, niſi ſcrupulum hunc, quamquam leuem, ipſi exemiſſent proſopographi ex 1. Argonautic. Apollonii ſcholiaſte, cui Glaucus dicitur πολύβε παῖς. Pleriq; noſtræ Academiæ Pariſienſis (verba ſunt Minois) viri eruditi, mihi pridem ſignificarunt, Polybidem Glaucum διὰ τὸν πολὺν βίον καὶ ἰδεῖν, eſſe fortè denominatum: quod ipſum non videretur abhorrere à Glauci viuacis fabula. Sed huic tamen coniectaneo vt non planè ſum aſſenſus, ſic neq; omnino repugnaui. Sic ille. Age & nos cum Glauco in coniecturarum mari piſcemur. Niſi adducta ſatisfecerint, per me lege *Polybides*, traducto nimirũ patronymico à vate illo, qui Glauco vitam tanquam parens alter reddidit: hunc ſanè editio Sanctij Polyidium, non Polydum vocat: vnde auguror ab imperito exſcriptore ſcriptum *Polybides*, cuius aſpirationis ſimilitudo anſam errori literam b, interponendi forte dedit. Si piſcis iſte friget, calidam affunde, & nobis embamma coxeris.

Glaucus cur dictus Polybides.

Factus creditur eſſe Deus] Vide prouerbium, *Glaucus comeſa herba habitat in mari*.

Nodis] notis, ſymbolis, & quibuſdam quaſi ænigmatis.

Digitalis.] δακτύλιος, vt Ariſtolochia μάκρα ἡ δακτυλῖτις dicta, à digitorum forma, qui interſecti ſunt. q. d. herba hæc vires tantas habet, etſi digitum non excedat. Plin. 24. cap. 19. Sunt & qui aculeatum gramen vocant trium generum, cùm in cacumine aculei ſint, plurimum quini, dactylon vocant, &c.

ADDVCTIS graminis virtutibus oſtendit illud meritò pro nota ſalutis & tutelæ poni. Sic enim veteribus in more poſitum erat, ſymbolis quibuſdam analogis rẽ exprimere. Vnde meminimus quernа corona vſus ad ſeruatorem ciuium celebrandum, quod & ad finem libri huius noſtri dicemus. Et cupreſſi foliis in procerum ac magnatum funeribus. Item myrti foliis ad amoris illecebras ſignificandas, myrtus enim Veneri ſacra: & populi arboris frondibus ad diei noctiſque deſignandas vices: & lauro ad vaticinia, virginitatem, Poetarum famam ſemper vireſcentem: & pampino ad lætitiam, qualem Bacchi munus præſtat; adhæc pomis ad amorem, nam τὰ μῆλα, poma Veneri tributa: item nucibus ad pueritiæ ludos: perſico ad ſilentium cor datum, quia linguæ folium gerat ſimile, pomum cordi: moro, ad prudentiam in negotiis adhibendam: amygdalo ad feſtinationem: lactucis, quia frigidæ naturæ ſunt, vt innuerent ſiſtendos, aut cohibendos Venereos impetus. Deniq; naſturtio, ad calorem inter- IV.

Veterum ſymbola.

internum excitandum. Sic quoque gramen ſalutis nota erat. *Graminis virtus.* Porrò de graminis virtute multi multa loquuntur. Plinius verò poſtquam multa de gramine dixit lib. 24. cap. 19. hæc addit: Sunt qui & aculeatum gramen vocent trium generum: cùm in cacumine aculei ſunt plurimum quini, δάκτυλον appellant; hos conuolutos naribus inſerunt, extrahuntq; ſanguinis ciendi gratia. Altero, quod eſt αἰγίλωπι ſimile, ad paronychia & pterygia vnguium, & cum caro vnguibus increuit, vtuntur cum axungia. Ideo dactylon appellantes, quia digitis medeatur. Tertium genus dactyli, ſed tenuis, naſcitur in parietibus aut tegulis: huic cauſtica vis eſt: ſiſtit vlcera, quæ ſerpunt. Gramen capiti circumdatum ſanguinis è naribus fluxiones ſiſtit. *Verbena.* Satis multa de gramine, quæ tamen neſcio an conferre auſim cum iis, quæ tradunt à veteribus de ſagmine, herba vulgo nota, vbique, vel non ſata, creſcente, quæ verbena Plin. 22. c. 1. ſacra olim habita, quia ex loco ſacro, hoc eſt, arce Capitolina à Cõſule vel Prætore cũ ſua terra euelleretur, ideò ſagmen ſeu ſagminea nominata, quoniam è ſacro agebatur, eamq́ legati, ſeu caduceatores cùm ad hoſtes clarigatum accederent, hoc eſt, ad ea repetenda, quæ ad ius populi Romani pertinerent, ad feriendum fędus, bellumq́ue indicendum mitterentur, clara voce verba conciperent, eam geſtare, eaq́ue redimiri conſueſcerent. Ex ijs legatis vnus verbenarius dicebatur, vt Plin. idem retulit 25. cap. 9. Qua de re Liuius lib. 1. Fœciales cùm in Africam ad fœdus percutiendum ire iuberentur, ſenatuſconſultum in hæc verba factum eſt, vt priuos lapides ſilices, priuaſq́ue verbenas ſecum ferrent, vt Prætor Romanus his imperaret, vt fœdus ferirent: illi Prætorem ſagmina poſcerent. Herbæ id genus ex arce ſumptum dari Fœcialibus ſolitum, inde illud Næuii poetæ: *Ius ſacratum Iouis iurandum ſagmine.* Hæc herba ideò magno in honore habita, quia in ſummis reipublicæ negocijs vſum quendam præſtare videretur. Circa hanc herbam ſcribit Plin. magos inſanire, cap. 9. lib. 25. credunt enim ſi ea ſub canis ortum, neque Luna, neque Sole conſpiciente, eſſatis ſolemnibus collecta fuerit, ſe poſſe quæ velint impetrare, amicitias conciliare, & quoſcumque morbos abigere. Hactenus ille de verbena. Quibus ex verbis facile eſt colligere, quàm delira & ocioſa veterum hominum opinio neſcio quid præter naturam de herbula ſomniantium. Nos tamen veniam hanc damus antiquitati, quæ in medijs tenebris veri lucem videre non potuerit. *Vana ſuperſtitio.* Minus ferenda noſtrorum quorundam ſuperſtitio circa eam herbam, quam D. Ioannis appellitant, quamq́ue ante ſolis ortum eo die lectam, rituque ſolemni latam, putant habere vim incredibilem: quam ob cauſſam non mulierculæ modò & deliræ anus, ſed & viri quidam boni, hac ſanè parte nihilò mulierculis meliores, eam geſtant, ex ea quaſi zonas, & corollaria concinnant, quam omnium noxarum, & infortuniorum amuletum certò fore ſibi perſuadent. Nos alijs rebus pietatem colendam eſſe ducimus, & eos qui nænias credunt euiuſmodi, ſuo more viuere permittimus. Non ergo plura de his, ad alia maturamus iter.

Nec verbo, nec facto quemquam lædendum.

EMBLEMA XXVII.



ASSEQVITVR, Nemeſisq́ virûm veſtigia ſeruat,
Continet & cubitum, duraq́ fræna manu.
Ne malè quid facias, neve improba verba loquaris:
Et iubet in cunctis rebus adeſſe modum.

COMMENTARII.

1 QVOAD picturam, hæc ad Sanctij mentem videtur reſtituta, ſic enim ille: Hoc Emblema vulgò ſic depingitur, vt ſiniſtra manu Nemeſis frænum contineat ad compeſcendam loquacitatem: dextra verò manus cubitum ſiniſtræ teneat apprehenſum, ne malefacta poſſit exercere. Sed ſi ego eſſem in hac ſententia de cubito compreſſo, non ſic pingendum putarem Nemeſin, ſed vice verſa, vt frænum haberet in dextra, cuius cubitus ſiniſtra premeretur: dextra enim agimus, quidquid ſiue boni, ſiue mali agimus. Niſi rurſus obiicias, ſiniſtram maleſactis attribui, dextram benefactis. Sed tamen his omiſſis, ego potius ſum in hac ſentētia, vt credam, cubitum in hoc emblemate non ſumi pro brachii cubito, ſed pro quodam menſuræ genere, qui cubitus dicitur apud Vitruuium & alios, Græcè πῆχυς, Luſitani vocant *Correctio picturæ.*

cant

erit *cubito*, penultima correpta. Itaq; illa verba,

Continet & cubitum, duraq; frena manu.

ſic interpretor: Nemeſis vna tantùm manu ſimul & cubitum (hoc eſt, virgam illam menſoriam) & frænum continet; quod declarat verſus vltimus;

Et iubet in cunctis rebus adeſſe modum.

Hoc eſt, iubet, vt adſit menſura tum factis, tum dictis. Deniq; ſi epigrammata, quæ in Prouerb. *Adraſtia Nemeſis*. adducũtur, cum Latina verſione ad vnguem examinaueris, non dubito, quin libẽs venias in noſtram hanc ſententiam. Quam ſi ſequeris, emendabis picturam. Hæc ille. Ab hac ſententia non multum diſcrepat Pignorius, qui hanc ita reſtituit figuram, niſi quod hic ambas occupet manus, dextram fræno, ſiniſtram cubito; quod ille vni manui tribuit.

II. *Nemeſis vnde dicta.* NEMESEOS nomen, vt hinc ducam initium, ἀπὸ τοῦ νεμεσᾶν, *indignari, ſuccenſere, iuſtè accuſare*. νέμεσις verò apud Latinos nomen non habet; Plinius teſtatur lib. 28. cap. 2. & Auſonius eidyllio de Moſella:

——*Latia Nemeſis non cognita linguæ.*

Adraſtia etiam dicta vltrix ſuperborum & arrogantium verborum, τιμωρὸς ὑπερόγκων καὶ ἀχαλίνων λόγων. ait Suidas. Pauſanias Adraſtiã ἀπὸ τοῦ μηδένα αὐτὴν ἀποδιδράσκειν. ἐστὶ γὰρ ἡ παρὰ τοῦ θείου δίκη ἀνέκφευκτόν τι καὶ ἀναπόδραστον. quòd nimirum *ipſam nihil effugiat: nam diuina vltio eſt ineuitabilis, quæque non poteſt effugi.* Quo ſenſu puto dictum à Catullo:

——*Preceſque noſtras*
Oramus caue deſpuas ocello,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te,
Eſt vehemens dea, lædere hanc caueto.

Idem Pauſanias in Atticis, auctor eſt, Nemeſim, ſiue Rhamnuſiam ſcelerum vindicem habitam, potiſſimumque contumelioſis & elatæ mentis hominibus ſuccenſere, illoſque iuſtè perſequi & punire. Macrobius I. Saturn. 17. eam contra ſuperbiam coli fuiſſe ſolitam ſcribit: nec defuere, qui apud Heſiodum Nemeſim Iuſtitiam interpretentur, cùm cecinit, αἰδὼς καὶ νέμεσις, *Pudor & Nemeſis* homines reliquere, & ad immortalium cœtus euolarunt. Hæc ſæpenumero pingebatur cubitum altera, altera manu frænum tenens, de qua illud eſt in Græcorum collectaneis lib. 4. vnde iſtud epigramma deſumptum videtur.

Ἡ νέμεσις προλέγει τῷ πήχει, τῷ τε χαλινῷ. *Fons emblematis.*
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Vna manu cubitum oſtentat, gerit altera frænum;
Illa modũ ſerua, hac admonet os cohibe.

Nemeſis præmonet & cubito & fræno,
Neq; immoderatum quid agendum, neque effrænatè loquendum.

Menſura frænoq; homini Rhamnuſia monſtrat
Vt verbis frænum, rebus ineſſe modum.

Et aliud eiuſdem fermè argumenti:

Ἡ νέμεσις πῆχυν κατέχω. τίνος εἵνεκα; λέξεις.
Πᾶσιν ἀπαγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.

Contineo Nemeſis cubitum. quæ cauſa, requiris?
Præcipio cunctis rebus adeſſe modum.

Nemeſis [ego] cubitum contineo, cuius [rei] cauſas dices.
Omnibus mandatum annuncio, nihil præter modum agendum.

Menſuram teneo Nemeſis. cur? inquis. vt omnes
Admoneã, quo nil, ni modus adſit, agãt.

III. *Nemeſis* NEMESIS] Nemeſis Noctis & Oceani filia, vt tradit Heſiodus in Theogonia, his verbis:

Τίκτε δὲ καὶ νέμεσιν, πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι,
Νὺξ ὀλοή. Hoc eſt:

Nocte ſata eſt Nemeſis damnum mortalibus ægris.

Euripides illam Iouis filiam facit in Rheſo:

Ἀδράστεια μὲν ἁ Διὸς παῖς,
εἴργοις στομάτων φθόνον.

Hæc (vt breuibus multa complectar) dea indignationis fingitur, improborum & vaniloquorum hominum vindex, eorumq; malitiæ, arrogantiæ præſertim atq; ſuperbiæ ſeuera vltrix: à turpibus deterrens, ad virtutis amorem alliciens. Hanc celebrat Euripides, Macrobius, Plato, & alii multi, noſq; paulò poſt multa de ea dicemus, & alios citabimus. Angelum Politianum hic præterire non poſſum, qui eam pulcherrimè deſcribit in Silua, cui titulus Mãto, ſic:

Eſt dea, quæ vacuo ſublimis in aere pẽdens
It nimbo ſuccincta latus, ſed candida palã.

Sed

Sed radiata comam, ac ſtridentibus inſonat alis.
Hæc ſpes immodicas premit: hæc infeſta ſuperbis
Imminet: huic celſas hominum contundere mentes
Succeſſusq; datum, & nimios turbare paratus.
Quam veteres Nemeſin genitam de Nocte ſilenti,
Oceano dixere patri; ſtant ſidera fronti,
Fræna manu, pateramq; gerit, ſemperq; verendum
Ridet, & inſanis obſtat contraria cœptis.
Improba vota domans, ac ſummis ima reuoluens
Miſcet, & alterna noſtros vice temperat actus.
Atq; huc, atq; illuc vētorū turbine fertur.

Veſtigia ſeruat.] Epigramma Græcorum 1. *ἰχναίη* eam ob rem dicta, id eſt, *veſtigiaria*, quæ veſtigia hominum inſequatur. Eſt & quędam ad prouerbiū alluſio, *ἴχνος μετελθεῖν*, & *ἴχνη διώκειν*. id eſt, *veſtigijs inſiſtere*, & *veſtigia perſequi*: quod Platoni familiare eſt. *Veſtigijs inſiſtere.*

Continet & cubitum, duraque fræna] Hæc temperantiæ ſymbola diligenter annotat Pierius Valer. Hieroglyph. lib. 36. & 48. Cubitum hic ingenioſè accipi non in ſignificatione primaria, pro cubito manus; ſed pro vlna, ſex palmorum menſura, tum primùm animaduerti, cùm aliud agens incidi in Iulium Pollucem, qui pro eodem accipit *πῆχυν καὶ ὠλένην*, id eſt, *cubitum & vlnam*. Non patiar hic de differentiis vlnarum, & cubitorum apud auctores controuerſis aliquid commiſceri, ſed ad rem dico *πῆχυν* à ſimilitudine cubiti, cum ad rectos angulos brachium flectitur, accipi pro inſtrumēto Architectorum, quòd ex regulis duabus ad angulum rectum coagmentatis, conficitur, *γνώμονα* Græci nominant, vt Latini normam. Quam eſſe veriſſimam carminis Græci (*ἡ νέμεσις πῆχυν κατέχω*) & huius noſtri Emblematis ſententiam philologi omnes facilè iudicabunt. Cæterùm qui cubitum duobus conſtare palmis dicunt, digitos omninò quatuor & viginti commemorant: dicūt enim cubiti ſpatium id eſſe, quod ab extremis vnguibus in medium brachii angulum porrenſum eſt, illud quidem ſeſquipedale. Pictores cubitum quartam corporis humani partem volunt eſſe. Didici etiam ab Architectis, regium cubitum (id menſurę nomen) maiorem communi tribus digitis. *Cubitus quid hoc loco.* *Γνώμων.*

Ne malè quid facias, &c.] cui reſpondet fræni ſymbolum: vt enim frænum equum ferocientem domat, ſic Nemeſis tacitis ictibus à verborum licentia, & factorum improbitate rationem coercet. Huc facit Menander:

Αἰσχρὸν δὲ μηδὲν πράττε, μηδὲ μάνθανε.
Nil facito, diſcitove turpe quod ſiet.

Idem:

Ἔργων πονηρῶν χεῖρ' ἐλευθέραν ἔχε.
Noli occupare in improbus factus manum.

In cunctis rebus adeſſe modum] In rebus cunctis modus oſtenditur cubito, id eſt, vlna ſeu menſura.

IV. PROVIDA profectò fuit admodum veterum in moribus componendis cura, diligentiaque: qui vt oſtenderent ſuperbiam Deo præ alijs vitijs inuiſam eſſe, dixerunt eos, qui hac correpti eſſent, non modò cenſura diuina, ſed etiam indignatione puniri: ideoque proprium ad hanc vltionem numen adhibuere, Nemeſeos nomine nuncupatum. Colligere eſt enim è multis, quatuor potiſſimùm (ait Ficinus) nempè legem, iudicium, iuſtitiam, Nemeſim. Horum exemplum quiſq; noſtrum in ſe habet, in mente legem, quid agendū ſit, quid non, communi norma dictitantem, & honeſtum quidem ſequendum, eius verò contrarium fugiendum. Habet in ratione iudicium diſtinctiori quadam argumentationum diſcuſſione diſcernens, quod in hac vel illa actione poſitum eſt honeſtum eſſe, vel turpe. In voluntate eſt iuſtitia, quæ eligat aut proſequatur, quod ratio per mentis leges ſequendum, vel fugiendum dictauerit. Eſt & in imaginatione Nemeſis, quæ turpibus actionibus, verbisque ſuccenſeat, ac legitimè indignetur. Celebre eſt, & ad hæc noſtra præcipuè pertinens Leonis Byzantij ſcomma, quod in gibboſum effudit, qui oculorum eius imbecillitatem fuerat cauillatus. *ἀνθρωπικὸν, ἔφη, πάθος ὀνειδίζεις, ἐπὶ τοῦ νώτου φέρων τὴν Νέμεσιν.* *Humanam, inquit, affectionem obijcis, cum in tergo feras ipſe Nemeſin.* Ariſtot. 2. de arte dicendi, *νέμεσιν* pro animi commotione accipit, & pro virtute, 2. Moralium ad Nicomach. mediam illam quidem inter *φθόνον καὶ ἐπιχαιρεκακίαν*, id eſt, *inuidiam*

In mente lex. *In ratione iudicium.* *In voluntate iuſtitia.* *In imaginatione Nemeſis.*

diam & peruerſam lætitiam: deſinitur itaque in Rhetoricis, *λύπη ἐπὶ τῷ φαινομένῳ ἀναξίως εὖ πράττειν, dolor ob eius felicitatem, qui ea ſit indignus*; quod ita velim apertiùs explicari. Opponitur miſericordiæ Nemeſis, id eſt, indignatio: ſunt itaque quodammodo inter ſe contrariæ, ſed non tamen propter ſe, at propter res ſubiectas: bonum enim bono nunquam contrarium eſt. Miſericordia eſt ægritudo ex alterius miſeria, iniuria laborantis; & is quidem affectus naſcitur ex opinione mali, non cuiuſuis, ſed eius tantùm, quod vel dolorem, vel interitum afferat: dolorem quidem, vt ſi quis vir minimè malus pellatur in exilium, & ab amicis deſtituatur, aut aduerſę fortunæ caſu aliquo concutiatur: interitum, vt ſi quem innocentem torqueri, vexarive videamus. At Nemeſis proſpera fortuna improborum excitatur. In vtraq; dolor quidam eſt; Nam miſericordia dolemus innocentis afflicti infortunio; Nemeſi dolemus felicitate hominis improbi. Qua in re pleriq; falluntur, qui eandem eſſe Nemeſim atq; inuidiam putant, propter aliquam motuum ſimilitudinem.

Differentia inter Nemeſin & inuidiam.

Nam inuidia nullum inter bonos & malos diſcrimen ponit, ſed bonis alienis cruciatur, ſeu illa dignè, ſeu indignè accidant: & inter æquales ac ſimiles præcipuè regnat. At Nemeſis ægrè fert tantum indignos & improbos opibus & honoribus florere: qua ratione laudabilis animi commotio eſt, vt virtus exiſtimetur, & in probis tantùm viris eſt. Cum enim æquitas poſtulet, vt malis malè, bonis eueniat bene, certè vir probus & iuſtus maximè gaudet, cum iuſtitia ſeruatur: vt cũ ſceleratos homines, ſicarios, graſſatores, prædatores, aliosq́; id genus de medio tolli videt: ſic neq; minus gaudet quando viris benemeritis aliquid optimè ſuccedit. Quæ omnia paulo poſt exemplis illuſtrabimus.

Locus ex Ammiano.

De Nemeſi ſic Ammian. Marcell. lib. 14. ad finem: Hæc & huiuſmodi innumerabilia vltrix facinorum impiorum, bonorumq; pręmiatrix aliquoties operatur Adraſtia, atq; vtinam ſemper, quam vocabulo duplici etiam Nemeſim appellamus. Ius quoddam ſublime numinis efficacis, humanarum mentium opinione lunari circulo ſuperpoſitum, vel (vt definiunt alij) ſubſtantialis tutela generali potentia partilibus pręſidens fatis: quam Theologi veteres fingentes Iuſtitiæ filiam; ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare terrena. Hæc vt regina cauſarum, & arbitra rerũ, hæc diſceptatrix, vrnam ſortium temperat, accidentium vices alternans, voluntatumq́ue noſtrarum exorſa interdum aliò quàm quò contendebant exitu terminans, multiplices actus permutando conuoluit. Eademq́ue neceſſitatis inſolubili retinaculo mortalitatis vinciens faſtus tumentes in caſſum, & incrementorum detrimentorũq́ue momenta verſans, vt nouit, nunc erectas mentium ceruices opprimit & eneruat, nunc bonos ab imo ſuſcitans ad bene viuendum extollit. Pinnas autem ideò illi fabuloſas aptauit, vt adeſſe velocitate volucri cunctis exiſtimetur: & prætendere gubernaculum dedit, eiq́; ſubdidit rotam, vt vniuerſitatem regere per elementa diſcurrens omnia non ignoretur. Sic ille: qui etiam lib. 22. Quem ab ima ſorte adusque iubendum Imperatori penè elatum, ideoq́ue intolerabilem, humanorum ſpectatrix Adraſtia, aurem (quod dicitur) vellens, monensq́ue vt caſtigatius viueret, reluctantem præcipitem tanquam è rupe quadam egit excelſa.

Artemidori locus.

Audiamus etiam Artemidorum, qui lib. 2. Nemeſis, ait, ſemper bona eſt viuentibus ſecundum legem, & moderatis hominibus, & philologis; at verò contra leges delinquentibus, & his qui aliquibus inſidias ſtruunt, & magnas res auſpicantur. Nam impedimento eſſe, & obſtare his quę inconſultè & præter animi noſtri ſententiam fiunt, Nemeſim vocamus. Quidam produnt, quod Dea hæc bona quidem in peius vertat, mala autem in melius. Plato Dialogo 4. de legib. Nemeſin iudicij angelum appellat, dicens: Leuium volatiliumq; verborum grauiſſima imminet pœna. Nam omnibus præpoſita eſt Nemeſis: iudicii angelus huiuſce modi inſpector omnium. Cuius ſententia proximè accedit ad noſtram religionẽ.

Deus omnia videt.

Nobis enim ex diuinis oraculis verè perſuademus, ſupremum rerum omnium opificem nihil latere, nihilq́ue omnino impunè relinquere: quippe qui, vt cecinit Orpheus,

πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἀκούει, καὶ πάντα βραβεύει.

Idem Tragic. Seneca:

Dominare tumidus, ſpiritus altos gere;
Sequitur ſuperbos vltor à tergo Deus.

Quisque

Quiſque tectum cupit ſub velo ſilentii, quod egit cum morſu aliquo & metu, quem ingerit patrata obſcœnitas, & relinquit poſt ſe. Latebræ quæruntur & diuerticula, nox & vmbræ, quæ miniſtræ ſint & ſeruiant flagitio mutæ teſtes. Lucida Solis facies omnibus ſuſpecta eſt, & à die formido, ne reuelet ac prodat. Sed oculum diuinum quis fallat? Magnus eſt & acutus, penetrans noctes & nubes, cuius aciem nec abyſſi terminent aut cardines orbis. Præſente tamen illo, nulla nos libidinis ſpecies non polluit. Modò clauſum ſit cubile, & obſeratæ fores, ne tertio pateant, in calore ſuo tranſeunt inceſta concubia, ſepoſito cum veſtibus pudore ac metu. Cum in cambiis ſedet vſurarius, & pauperum ſudores fingit fallaci & inſidioſo calculo; cum multiplicatis lucris panem deuorat eſurientis animæ, & ad oſſa deglubit iniuſto æris auctario; quando totus in raſura nummaria, de vendendo cœlo & anima deliberat, bonus tamen haberi vult & beneficus in congreſſibus, quia nemo deprehendit ocularis inſpector in hebraiſmo illo fœneratorem apertè malum. Qui factionibus clandeſtinis conſpirant in cædes, & latrocinia meditantur, aut bonis alienis, vt vultur aut coruus cadaueri, inhiant: qui magicis ſecretis imbuti conteſſerant animam ſacrilego fœdere cum deſertoribus angelis, modò recondita ſint, & incluſa in adyto pectoris, puros ſe indicant ſcelerū, & procul culpa. Ergo cæcum ſibi Deum fingunt iſti tales, nec videre quid agant. Erratis, quibus hoc perſuaſum. Diuinus enim intuitus, quem nec atomus fugit, vel apex rerum in toto hoc ambitu, videt acta & concepta, notat, & tandem eruit quocunque ſcrinio ſepoſita cuſtodis animi; frangit ſigillum conſcientiæ, & quicquid inſcriptum arcani profert, indicat, damnat. Experiuntur plerique completo iam facinore, morſum aliquem ac dolorem intrinſecum, turbantur ac trepidant, & quod factum, expunctum vellent & infectum; obuerſatur enim ante oculos & pungit futurorum memoria, ſeueritas iudicii, & rigor pœnarum, quia vindictam indignantis Dei ſe incurriſſe, ſecreto licet flagitio, tacita meditatione præſumunt. O aculeum mentis, quàm altè infigeris? ò duram Nemeſin, quàm pertinaci inſequeris pede? Præeant hæc, aut ſubeant, dum in apparatu propoſitum ſcelus eſt, & in via, ſubſiſtet fracto impetu velut iniecto fræno. Aſt nunc promiſſi fidem ſoluamus, & adductis aliquot exemplis rigorem Nemeſis oſtendamus.

Conſcientia mille teſtes.

Nero Nemeſin expertus.

Prodeat ergo impius ille Nero, qui poſt multa improba & ſcelerata facinora tandem ſuam perpeſſus eſt Nemeſin. Is enim matre interfecta iudicium non effugit eorum, qui prehendi nō potuerunt, cui enim ſenatus coactus fuerat aſſentiri, huius ſtatuæ populus noctu culeum ſuſpendit; palam etiam voces audiebantur, his conceptæ verbis: *Nero matrem interfecit:* quas multi ad Neronem deferebant, non tam vt afferrent interitum delatis, quàm vt Neronem apud Neronem accuſarent. Tandem poſt miſeram, impiam, & indignam omninò vitam, à ſenatu iudicatus eſt, vt nudus per publicum duceretur, furca eius inſerta capiti, virgis ad mortem vſq; cæſus, atq; ita præceps de ſaxo daretur, vt retulit Xiphilinus, & Eutropius.

Seianus.

Paſſus eſt etiam ſuam, certè vt atrociſſimam, ſic iuſtiſſimam Nemeſim Seianus, magno quidem, ſed fallaci honore ſub Tiberio lactatus, adeò vt imperatori pro collega haberetur; ſed & Liuia Druſi, filij Tiberij ab eodem ſtuprata, & Druſo veneni potione per Eudemum medicum extincto, quòd deniq; Prætorianos militesq; alios multis ac magnis largitionibus ſibi deuinxiſſet, eoque in principem coniuraſſet, Tiberius hominem non aperta vi, ſed paulatim depreſſum irretiuit, cumque in ſenatu accuſauit. Crimine patefacto, Patres ita cenſuerunt, vt Seianus capite multaretur, eius corpus in Gemonias proijceretur, in liberos etiam animaduerteretur: qua de re multa Dio. lib. 58. Corn. Tac. in 5. Val. Max. 9. cap. De improbè dictis & ſceleratè factis, alijq; multi.

Demades.

Demadi peſſimè ceſſit, qui dum funeribus neceſſaria venderet, optaſſe dicebatur vt in hac arte ſua grande maiusq; ſolito lucrum obueniret, itaq; damnatus eſt, quia id votum niſi ex mala mente, peſſimoq; in Rempub. animo proficiſci iudicatum eſt: adeò id lucrum non poſſe ſine multorum morte contingere. Retulit Seneca de benefic. 6.

Theodotus.

Sic Theodoto præceptori Ptolomæi Aegyptiorum regis ſua lingua fuit exitio: nam cùm Pompeium interfici perſuaſiſſet, quia mortuos non mordere dixiſſet, imò verò ſeſe iactaſſet Cæſare Iulio fortiorem, in Aſia tandem à M. Bruto deprehenſus, meritas

pœnas luit, vt eſt apud Plutarch. De Nemeſi idem Plutarchus diſputatione De ijs, qui ſerò corripiuntur à numine, multa eruditè collegit, vt & Gyraldus Syntagm. 15. Vide etiam Petrum Crinit. de honeſta diſcip. lib 19. cap. 6. Natal. Comit. Mytholog. lib. 9. cap. 19. Prouerb. *Adraſtia Nemeſis*.

Tandem tandem iuſtitia obtinet.

EMBLEMA XXIIX.



ÆACIDAE Hectoreo perfuſum ſanguine ſcutum,
Quod Græcorum Ithaco concio iniqua dedit,
Iuſtior arripuit Neptunus in æquora iactum
Naufragio, vt dominum poſſet adire ſuum:
Littoreo Aiacis tumulo namque intulit vnda,
Quæ boat, & tali voce ſepulchra ferit:
Viciſti Telamoniade tu dignior armis.
Affectus fas eſt cedere iuſtitiæ.

COM-

COMMENTARII.

I. IN littore maris viſitur tumulus, affabri opere extructus, latera ferientibus maris vndis, quibus clypeus innatat, & ad tumulum adnatat. Emblematis epigraphe ex Heſiodo eruta eſt, lib. 1. Georg.

—— δίκη δὲ ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα. hoc eſt:
Iuſtitia verò emergit ſuper iniuriam tãdem prodiens. Quæ verba non commodè interpretatus eſt Chiliadum author in Prouerbio, *Malo accepto ſapit ſtultus*, ſiue quod properanter admodum componebat; ſiue quod fortè in exemplar incidit corruptũ. Nam legit ὕβριον, pro ὕβριος.

II. *Fons Emblematis.* APPARET id ſumptum eſſe ex duobus Epigrammatibus Græcis lib. 1. titulo εἰς δίκην: primumq́; ſic habet:

ἀσπίδ' ἀχιλλῆος τὴν ἕκτορος αἷμα πιοῦσαν,
λαρτιάδης δαναῶν εἷλε κακοκρισίῃ.
ναυηγοῦ δὲ θάλασσα κατέσπασε, καὶ παρὰ τύμβον
αἴαντος νηκτὴν ὅρμισεν, οὐκ ἰθάκῃ.

Pelidæ clypeum non æquo ceſſit Vlyſſes
Iudicio, plenum ſanguinis Hectorei.
Sed mare naufragio detraxit; nãq; natãdo
Is tumulum Aiacis, non Ithacam petijt.

Clypeum, qui Hectoris ſanguinẽ biberat,
Laertiades Græcorum obtinuit iniquo iudicio.
Naufrago [Vlyſſi] autem mare detraxit, & ad tumulum
Aiacis natantem deiecit, nõ ad Ithacam.

Quem clypeum Laertiades à iudice Graiũ,
Hectoreo ſparſum ſæpe cruore, tulit;
Naufragium paſſo mare ei abſtulit, adq́; ſepulchrum
Aiacis pepulit fluctibus, haud Ithacam.

Sanctius hoc modo vertebat:

Hectoreo clypeum Pelidæ ſanguine tinctum
Iudicio Danaum falſo habuit Ithacus.
Per mare diſiectus, diuulſa puppe ſepulchrũ
Concutit Aiacis, littora non Ithaca.

Quod autẽ ſequitur, Alciatus ipſe expreſſit, ſed muſa paulùm fuſiore, addiditque poſtremò ἐπιμύθιον.

καλὰ ποσειδάων δίκασεν πολὺ μᾶλλον ἀθήνης,
καὶ κρίσιν ἑλλήνων συγερὴν ἀπέδειξε θάλασσα.
ἀσπὶς ἐν αἰγιαλοῖσι βοᾷ, καὶ σῆμα τινάσσει,
αὐτόν σ' ἐκκαλέουσα τὸν ἄξιον ἀσπιδιώτην.
ἔγρεο παῖ τελαμῶνος, ἔχεις σάκος αἰακίδαο.

Minos ſic vertit:

Rectè Neptùnus iudicium tulit, meliùs quàm Minerua;
Et iudicium Græcorum odioſum [iniquum] oſtendit mare.
Scutum in littoribus clamat, & monumentum agitat,
Ipſum te vocans, [ò Aiax] dignum ſcuto bellatorem:
Exurge ò fili Telamonis, habes ſcutum Aeacidæ.

Æquior eſt iudex Neptunus Pallade longè,
Et mare iudiciũ Græcorum oſtẽdit iniquũ.
Nam monumentum agitat ſcutum, & te in littore clamat,
Vnum te appellant dignum, Aiax ò bone, ſcuto:
Eia agedum Telamoniade, ſcutum excipe Achillis.

Verſio Sanctij ſic habet:

Iudicio pulchro Neptunus Pallada vicit,
Arguit & Graium iuſtus ſuffragia Pontus.
Nam clypeus reboat Pelagi delatus ad vndas:
Buſta quatit, dominum potiorem voce ſalutans:
Eia age iam Telamon, clypeum iam cernis Achillis.

Hiſtoriam de armis Achillis multi aliter intelligunt, aut narrant, quàm oportet, nos ex Q. Calabri, qui Paralipomena ſcripſit ad Homericam Iliada, lib. 4. & 5. carptim eandem adducemus. *Hiſtoria de armis Achillis.* Achille itaq; à Paride occiſo, adijt Græcorum exercitum Thetis, Achillis mater, propoſitisq; præmiis eos inuitauit, vt certaminibus filii ſui funus celebrarent. Porrò certaminibus confectis Thetis Achillis arma in medium protulit, illi offerenda, qui in aſſerendo Achillis cadauere maiorem in Troia nauaſſet operam. Aiax Telamonius, & Vlyſſes ſibi inuicem arma petunt. Conſtituuntur iudices aliquot ex captiuis Troianis, idque cõſilio Neſtoris, ne ſpe fruſtratus vel Aiax, vel Vlyſſes Græcis exitium ſtrueret. Quare Aiax in rabiem & furorem actus in oues Græcorum ſæuit, exiſtimans ſe Vlyſſi, cæterisq; proceribus necem admoliri. Sed

poſtea ſaniori menti reſtitutus, pudore affectus ob ea, quæ patrauerat, ſibi mortem conſciuit. Troiani itaq; iudices Aiacem armis ſpoliarunt, non Græci, quamuis Ouidius aliter videatur ſentire, lib. 13.
Aliter ſẽtit Ouidius. Metamorph. & Sophocles in Maſtigophoro, cum inquit: *Νῦν δ᾽ αὖ τὰ Ἀτρεῖδαι φωτὶ παντουργῷ φρένας ἔπραξαν*, id eſt: *Nunc vero arma ipſa Atridæ homini verſutiſſimo tribuerunt*. Illud tamen poteſt accipi velut ab irato homine dictum, qui temerè in principes Græcorum debacchatur, quaſi ipſi ſponte dederint, non iudices. Hoc autem de iudicibus Troianis præter Calabrum aſſerit etiam Homerus lib. 11. Odyſſ. in fine, vbi ſic loquitur Vlyſſes:

Οἴη δ᾽ Αἴαντος ψυχὴ Τελαμωνιάδαο,
Νόσφιν ἀφεστήκει κεχολωμένη εἵνεκα νίκης
Τήν μιν ἐγὼ νίκησα, δικαζόμενος παρὰ νηυσὶ,
Τεύχεσιν ἀμφ᾽ Ἀχιλῆος· ἔθηκε δὲ πότνια μήτηρ.
Παῖδες δὲ Τρώων δίκασαν καὶ Παλλὰς Ἀθήνη. id eſt:

Sola autem Aiacis anima Telamoniadæ
Seorſum ſtabat irata propter victoriam,
Qua ipſum ego vici litigans apud naues,
De armis Achillis: poſuit autem veneranda mater.
Filij autem Troianorum iudicauerunt & Pallas Minerua.

Pindarus etiam in Nemeis Ode 8 idem videtur ſentire, dũ inquit: *Κρυφίαισι γὰρ ἐν ψάφοις Ὀδυσσῆ Δαναοὶ θεράπευσαν*. id eſt: *Occultis enim iudicijs Vlyſſem Danai prætulerunt*. Communior nihilominus obtinuit opinio, quod Achille fraudulenter à
Itẽ opinio cõmunis. Paride interfecto, Aiax Telamonis filius, poſt eum fortiſſimus Græcorum extiterit, tum quia multa præclarè geſſit, tum etiã quia ſibi ſanguine iunctus, & frater patruelis fuit, & eius corpus liberaſſet; ideoq; arma Achillis & ſcutum ſibi dari à Græcis petiit. Sed Vlyſſes ſua aſtutia & eloquentia iudicibus Græcis perſuaſit, vt ſibi potius arma, tamquam magis emerito darentur; quod & factum fuit. Aiax verò impatiens repulſæ, præ iracundia, illataq; iniuria ſibimet enſe proprio mortem intulit: quod elegantiſſimè deſcribit Ouidius lib. 13. Metamorph. Sed quia hoc loco propter hyperbaton confuſa nonnihil ſyntaxis, ea
Syntaxis. ſic eſt ordinanda: *Neptunus iuſtior arripuit ſcutum Æacidæ (perfuſum ſanguine Hectoreo, quod concio iniqua Græcorum dedit Ithaco) iactũ in æquora naufragio, &c.*

ÆACIDÆ] Achillis, ab Aeaco auo, Telamonis & Pelei patre. III.

Hectoreo perfuſum ſanguine ſcutum] Id dicit, propterea quòd Achilles Hectorem maximum Troianorum ducem interfecit. Cretenſ. lib. 3. de bello Troiano, & Dares Phryg. de excidio Troiæ.

Ithaco] Vlyſſi, ab Ithaca patria.

Concio iniqua dedit] Quod ſcutum Vlyſſi adiudicauit iniquus Græcorũ conſeſſus. Refertur vel ad ſuffragia & fauores, vel ad ipſos iudices, Agamemnonem & Menelaum, qui concionem aduocarant, ad ferendum iudicium de armis Achillis: Fuit ergo vel iniquus conſeſſus & iudiciũ procerum; vel iniqua concio ipſius Vlyſſis, quam repete ex Ouidii Metamorph. *Concio.*
13. Tria enim ſignificare *Concio*, notat ex Verrio Flacco Gellius lib. 18. c. 7. Locum, ſuggeſtumq; vnde verba fierent. Item cœtum populi. Et orationem ipſam, quæ diceretur ad populum.

Iuſtior Neptunus.] Aqua marina fuit æquior Aiaci, quę ſcutum & arma illi abrepta reddiderit. Tacitè videtur alludere ad id quod poſtea dicet, plus ineſſe piſcibus marinis humanitatis & fidei, quàm hominibus. *Mare iuſtius hominibus.* Seneca Declamat. 1. Controuerſiarum 7. O maria iuſtiora iudiciis, ò mitiores procellæ patre? Sic Ouid. 1. Triſtium, eleg. 4. vbi poeta ſuos labores cum Vlyſſis laboribus comparat:

Cumq; minor Ioue ſit tumidis qui regnat in vndis:
Illum Neptuni, me Iouis ira premit.

Idem 3. eiuſdem operis elegia vndecima:

Neptuniq; minor quàm Iouis ira fuit.

Apud eundem, Dido Aeneæ:

Iuſtior eſt animo ventus, & vnda tuo.

In quibus ego comparationibus video Hyperbolen: & quidem mari nihil eſt implacabilius. In Epigrammate Græco fit comparatio inter Neptunum & Palladem, ſic:

Καλὰ Ποσειδάων δίκασεν πολὺ μᾶλλον Ἀθήνης. hoc eſt:

Multò meliùs iudicauit Neptunus quàm Pallas.

Igitur expone, Neptunus iuſtior fuit Pallade & cæteris, hoc eſt, mare melius iudicauit quam ſapientia. Porrò Neptunus dicitur à nando, paulùm primis litteris immutatis, authore Cicerone lib. 2. de Natura *Neptunus unde dictus.*

tura

tura Deorum.

Arripuit] Verbum celeritatis ad hominum eleuandam fidem,eamq; cum Neptuni,id eſt,maris equitate conferendam. Imò verò quoduis genus belluæ interdum mitius eſt hominibus, quam ipſi homines in ſuos.

In æquora iactum] Proiectum in mare, vi tempeſtatis, quæ Vlyſſem naufragum fecit.

Dominum ſuum.] Aiacem, qui dominium quidem iure, poſt Achillem mortuum,animo retinuerat: poſſeſſionem verò minimè,quam Vlyſſes eloquentiæ viribus obtinuerat.

Aiax vnde ſic dictus.

Littorea Aiacis tumula] De Aiacis tumulo in littore ſito alibi dicetur. Aiax autem, vt tradit Sophocles in Maſtigophoro, dictus eſt à particula, αἰ, αἰ, id eſt, *Heu, heu*. Verba Aiacis hæc ſunt apud Sophoclem: αἰ, αἰ, τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ' ἐπώνυμον ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς. hoc eſt: *Heu,heu, quis vnquam putaret ſic meum nomen meis malis allaturum cognomentum.* Pindarus autem longè aliam huius nominis affert rationem, confictæ non illepida fabella; cuius ſenſus carptim collectus ex Ode 5. Iſthm. talis eſt: Telamonem Hercules belli ſocium adiunxit, quod in Laomedontem Troiæ regem parauerat. Capta Troia,occiſoq; Laomedonte,Telamon pro concione Herculem celebrauit. Hercules verò cum ſacra Ioui faceret,ſic pro Telamone Ioui ſupplicauit: Iupiter pater,iam ſæpe meas audiuiſti preces; nunc te oro,pater, vt huic viro fortem prolem ex propria vxore tribuas,amicumque meum fortunatum reddas. Hæc vbi dixit, auium reginam aquilam magnam Iupiter è cœlo demiſit. Hæc tanquam vates aliquis oraculum promens dixit: Erit tibi filius, vt petis, Telamon, quem Aiacem vocabis ex viſo alite, viribus præſtantem, belliq; ſudoribus cunctis populis admirandum. Vocat autem Pindarus hoc in loco αἰετὸν, aquilã; vnde αἴας dicitur.

Boo.

Quæ boat] Immurmurat, & quaſi mugitum bouis edit.metaphora à bobus ſumpta;nam Boo,as,mugire ſignificat,à verbo Græco βοάω, quod eſt clamare: vnde reboo,& boatus.

Voce] καταχρηστικῶς, pro ſonitu.

Viciſti &c.] προσωποποιία maris ad Aiacem:ſic ſe habent fata quædam iudiciorum, vt non obtineant niſi poſt eorũ mortem, quorum fuit ius.

Telamon vnde dictus.

Telamoniade] Aiax Telamonis filius. Pater Aiacis Telamon dictus eſt à loro, vnde ſcutum propendet: nam τελαμὼν cingulum latum, vnde pendet enſis aut ſcutum ſignificat.

Orationis vis.

Affectus fas eſt, &c.] ἐξήγησις & ἐπιμύθιον, ad quod illuſtrandum ſuccurrit Æliani exemplum nobile ex lib. 13. var. hiſt. de Macareo quodam ſacerdote Mitylenenſi, ſed quia liber eſt in omnium manibus, non adſcribam. *Affectus* inquam, *fas eſt cedere iuſtitiæ.* hoc eſt, τὰ πάθη τῇ δικαιοσύνῃ, vt hic iuſtitiæ nomen accipiatur etiam pro veritate, quæ perpetuam ſe iuſtitiæ comitem præſtare debet. Alluditur autem, niſi fallor, ad oratorios affectus, qui ſæpe veritatem rerum opprimunt,aut peruertunt,adeo nihil tam horridum, aut etiam tetrum,quod non ſplendeſcat oratione,& tanquam excolatur,vt olim dixit artis huius mirus artifex. Sed tamen ad iuriſperitorum placitum reuocãda ſunt omnia hominum iudicia, imò & conſilia, Veritati opinionem præpollere; & plus valere quod agitur,quàm quod ſimulatè concipitur. Quod & Tullius 1. Offic. non minus generaliter videtur dixiſſe: Efficiẽdum eſt, vt appetitus rationi obediant,eamq; neque præcurrant.

IV.

De occiſi Achillis armis inter Aiacem & Vlyſſem coorta eſt nobilis illa, Poetisq; decantata controuerſia: quę ſanè Aiaci cedere coactus eſſet aſtutus & vafer Vlyſſes, niſi ſua eloquentia tanquam faſcino aliquo iudices Græcos in ſuam ſententiam pertraxiſſet. His tamen armis iniuria & dolo partis, non diu potitus eſt malæ fidei poſſeſſor. Retulit enim Pauſanias,ea Vlyſſi naufragio ablata ad Aiacis tumulum adnataſſe; ſic enim in Atticis ille: Dicunt Salaminis accolæ, florem in ea regione primùm poſt mortem Aiacis eſſe viſum; candidus,& purpureus nonnihil,lilio minor, & caule,& folijs. Litteræ in eo ſunt, quales hyacinthis. Hiſtoriam iudicij, quod de armis inſtitutum fuit, audiui ab Æolenſibus, qui inſtauratum poſtea Ilium incoluerunt,quique arma poſt Vlyſſis naufragium ad Aiacis tumulum eiecta dixerunt. Oſſa genuum,quæ medici molas vocant, diſcoadoleſcentis pentathli fuiſſe paria oſtenderunt. Id autem Deo volente factum

Locus Pauſaniæ.

colligit hic Emblematographus, vt alludat ad vulgatum miſerorum & afflictorum conqueſtum, Iuſtitia verumq; laborat, ſed tandem eluctatur: & quãquam prematur, non opprimitur tamen. Cicero pro Cluentio: Multorum improbitate depreſſa veritas emergit, & innocentię defenſio interclusa reſpirat. Et pro Cœlio, exclamat, magnam eſſe vim veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiamq; contraque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſeipſam defendat. Idem in Sextiana defenſione: Alia quædam ciuem egregium iniqui iudicij procella peruertit, cæteri aut repentina vi perculſi, ac tempeſtate populari, per populum tamen ipſum recreati ſunt atq; reuocati, aut omninò inuulnerati, inuiolatique vixerunt. At verò qui ſenatus conſilium, qui auctoritatem bonorũ, qui inſtituta maiorum neglexerunt, & imperitæ aut concitatæ multitudini iucundi eſſe voluerunt, omnes ferè Reipublicæ pęnas aut præſenti morte, aut turpi exilio pependerunt. Permultis ſanè exemplis confirmari poteſt, pleroſq; iudicum iniquitate, aut etiam populari rumore, vel alio modo damnatos, deq; honoris gradu deceſſiſſe, qui tandem vita functi, certiſſimis coniecturis inſontes, & ab omni obiecto crimine immunes deprehenſi, concitatam de ſe opinionem non modò non abſterſerunt, ſed immortali gloria tandem donati ſunt. Opportunè ergo à Liuio dictum eſt: *Veritatem laborare ſæpe, extingui nunquam.* Etenim quæ falſa ſunt, vel nullo certè laborante delentur temporis aliquo tractu: vera autem & iuſta violentis hominum iniurijs interdum cedunt, ſed tandem emergunt. Recte Menander:

Ἐν παντὶ δεῖ καιρῷ τὸ δίκαιον ἐπικρατεῖν,
εἷς τοι δίκαιος μυρίων οὐκ ἐνδίκων
κρατεῖ, τὸ θεῖον τὴν δίκην τε συλλαβών.
Tẽpore omni quod iuſtũ eſt, vincere par eſt:
Vnus vir iuſtus infinitis non iuſtis
Præſtat, Deo & iuſtitia adiuuantibus.

Veritas, et ius premitur, non opprimitur.

Sententiam verò Alciatini carminis cum hoc Menandri monoſticho comparo:

ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.
Tempus in lucem tandem veritatẽ trahit.

Tempus omnia aperit.

Quamuis prę clarorum hominum monumenta ſitu ſqualeant, eorum tamen virtus nullis vnquam ſæculis obſcurari omninò poteſt. Huc fortè non incommodè illud Pindari, ex Ode 8. Olymp. *κατακρύπτει δ᾽ οὐ κόνις συγγόνων κεδνὰν χάριν.* id eſt: *Nec pulueris ſitus occulit congenitorum inclytam gratiam.* Occurrit interea Senecæ cordatus ſermo ex epiſtola 79. vbi de virtute, quæ ſuos honores ſuumque precium non obtinet, niſi apud poſteros, diſputat: Quamdiu, inquit, videbatur furere Democritus? vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem ciuitas ignorauit, reſpuit? nec intellexit, niſi cùm perdidit. Rutilij innocentia ac virtus lateret, niſi accepiſſet iniuriam. Dum violatur, effulſit. Numquid non ſorti ſuę gratias egit, & exilium ſuum complexus eſt? de his loquor, quos illuſtrauit fortuna, dum vexat. Quã multorum profectus in notitiam euaſere poſt ipſos? quàm multos fama non excepit, ſed eruit? nulla virtus latet, & latuiſſe non ipſius eſt damnum; veniet qui conditam & ſęculi ſui malignitate compreſſam dies publicet: paucis natus eſt qui populũ ætatis ſuæ cogitat. multa annorum millia, multa populorum ſuperuenient. Ad illa reſpice, etiamſi omnibus tecum viuentibus, ſilentium liuor indixerit, venient qui ſine offenſa, ſine gratia iudicent. Et hæc quidem Senecæ verba de veritate iniuria vel ignauia hominum quodam occluſa tempore, ſed tandem tamen ſuum decus obtinente. De iuſtitia verò numinis certiſſima initio lib. 1. in Rufinum Claudianus, quo loco, prouidentiam diuinam fatetur ex eo quod tandem Rufinus ſceleris pœnas digniſſimas tuliſſet. Cic. pro Sextio: Hunc ego reditum repudiarem? qui ita florens fuit, vt verear ne quis me ſtudio gloriæ putet idcirco exiſſe, vt ita redirem. Vide Comment. Manutij fol. 139. b.

Viri excellentes nullo in honore, quamdiu vixerint, habiti.

Abſtulit hunc tandẽ Rufini pœna tumultũ,
Abſoluitq́; deos. iam nõ ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Erigite igitur vos, qui iniquorum violẽtia oppreſſi in ſqualore iacetis; nam etſi eueniat veritatem ſupprimi, iniuſtum iuſto præferri, tamen Deus veraciſſimus & æquiſſimus omnia temporis progreſſu, vel etiam poſt mortem vindicabit, redintegrabit, & reſtituet: &, (quod adagio dici ſolet) inſpiciet, etſi ſerò, pellem Iupiter. Ideoq; etiam Deum laneos habere pedes veteres Ethnici crediderunt, vt qui certus vindex & vltor, licet admodum tardus, nobiſque iam non ſperantibus, iniuſtitiæ & iniuriarum exiſtat.

Etiam ferociſſimos domari.

EMBLEMA XXIX.



ROMANVM poſtquàm eloquium, Cicerone perempto,
Perdiderat patriæ peſtis acerba ſuæ,
Inſcendit currus victor, iunxitq́ leones,
Compulit & durum colla ſubire iugum:
Magnanimos ceßiſſe ſuis Antonius armis,
Ambage hac cupiens ſignificare duces.

COMMENTARII

I. TRIVMPHATOR cultu regio ſedeat in curru triumphali, quem leones ſubiugati & lupati trahant. Formam autem currus triumphalis lubens vellem ab aliquo accuratè mihi deſcribi; certè quę hic poſita eſt, nō placet, ob varias rationes. Vt verò hac in parte pictura iuuetur, nonnulla ex probatis autoribus de triumpho, quatenus huic rei inſeruiunt, afferam. Senatu itaq; triumphatori obuiam procedente vſq; ad portam Capenam, poſtea in Capitolium ſe conferebant. Currum præcedebant tubicines, & buccinatores, ſpolia, ſtatuæ, tabulæ, ſimulacra vrbium expugnatarum, arma, donaria, miniſtri ſacrificiorum. Pone ſequebātur reges & duces cum liberis & vxoribus, itemq; alij hoſtes capti, manibus poſt terga ligatis. Quod ele- *Ritus triūphl.*

ganter expreſſit Ouidius, 4. Triſt.

Ergo omnis populus poterit ſpectare triumphos,
Cumq; ducũ titulis oppida capta leget?
Vinclaq; captiua reges ceruice tenentes,
Ante coronatas ire videbit equos?
Hic qui Sidonio fulget ſublimis in oſtro,
Dux fuerat belli, proximus ille duci.
Hic lacus, hi montes, hæc tot caſtella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erãt. &c.

Sed propius ad rem. Tandem ipſe triumphator quatuor candidis vehebatur equis, *Currus formæ.* ipſe aureo inſidens curru, qui non bellicarum, neq; ludicrarum quadrigarum, ſed turris rotundæ inſtar conſtructus erat, auro gemmisq; mirificè cęlatus, vt Plutarch. in Aemilio, Appian. in Libyca & Mithridatica, Zonaras de triumpho Camilli tradiderunt. Habes currus formam, videamus triumphantis habitum. *Habitus triumphãtis.* Hic purpuream gerebat veſtem, auro intertextam, interius verò tunicam palmatam, dextra manu ramum è lauro, ſiniſtra ſceptrum eburneum tenebat, & in regia ſella eburnea reſidebat. Vides quam non reſpondeat hæc pictura. Addo, quod eodẽ curru aliquando vehebãtur triumphãtis vxor & liberi; imò & carnifex, teſte Plinio lib. 28 cap. 4. & Iſidoro lib. 18, c. 2, qui ait: Quod vero à carnifice triumphantes contingebantur, id erat indicio, vt ad tantum faſtigium euecti, mediocritatis humanæ commonerentur. Sed his talibus in noſtro hoc curru vbi locus? Totum triumphi apparatum qui diſcere cupit, adeat præter citatos Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 2. & 5. Valer. Max. lib. 2. c. 8. Ioſephum de bello Iud. lib. 7. ex neotericis Guidonem Pancirollum de rebus memorabilibus, Anton. Valtriumm de re militari Rom. lib. 7. & ante omnia Robertum Valturium de re militari lib. 12. & alios.

II. *Vnde eruta inſcriptio.* Epigraphen hujus Emblematis, *Etiam ferociſſimos domari*, videtur mutuatus Alciatus è primo Annal. Cornel. Taciti, vbi facta Auguſti præclara paucis complectitur, deque mutatione reip. Romanæ agit: Poſito Triumuiri nomine, Conſulem ſe ferens: vbi militem donis, populum annona, cunctos ocii dulcedine pellexit: inſurgere paulatim, munia ſenatus, magiſtratuum, legum in ſe trahere, nullo aduerſante: cum ferociſſimi per acies, aut proſcriptione cecidiſſent. Teſtis huius hiſtoriæ poteſt videri Plinius, qui ſic lib. 8. cap. 16. Primus Romæ leones ad currum iunxit M. Antonius, & quidem ciuili bello *Emblema tractum ex Plinio & Cicerone 2. Antoniana.* cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus iugum ſubire illo prodigio ſignificante. Nam quod ita vectus eſt cum Mima Cytheride ſupra monſtra etiã illarum calamitatum fuit. De Ciceronis vita, factis, & cauſis interitus, quibus M. Antonius eum ad necem poſtulauit, (quarum potiſſima hęc fuit, quod Cicero, cum ſibi, & re ſua, maximè opus eſſet, ſeruire tempori non potuerit) pleniſſimè agit Plutarchus. Nam huius operis breuitas tanti viri præclara facinora non potis eſt comprehendere, iuſtum enim volumen deſiderant. Illa tantum referemus, quæ lucis nonnihil huic emblemati poſſunt afferre. Cæſarem in Senatu confoſſum accipimus à ciuitatis Romanæ principibus, qui tyrannidem perferre non poterant; qui tamen cùm aleam periculoſiſſimi & funeſtiſſimi conſilii ſubiiſſent, lõgè aliter cecidit quàm putaſſent; tyrannum enim de medio ſuſtulerunt, at ipſam tyrannidem tollere non potuerunt. Statim enim perturbatis rebus, & omnium conſternatis animis eandem potentiam neſcio quo fato M. Antonius occupauit, quanquam moribus & vitæ inſtituto diſſimilis, aliisq; partibus Cæſare inferior: cui apertè omni contentione animi reſtitit M. Tullius, & plerique alii nobiles Romani. *M. Antonius tyrannus.* Eam quidem quam non modò antè præſentiebat, ſed planè experiebatur inſanam M. Antonii rabiem, non diſſimulauit ipſe Cicero 2. Philipp. cùm ait: Doletis tres exercitus populi Romani interfectos? interfecit Antonius: auctoritas huius ordinis afflicta eſt? afflixit Antonius: deſideratis clariſſimos ciues? eos quoque eripuit vobis Antonius: omnia deniq; quę poſtea vidimus (quid autem mali non vidimus?) ſi rectè ratiocinabimur, vni accepta referemus Antonio. Et deinde ſubiecit: Verſatus in bello eſt, ſaturauit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui ciuium. Itemq; 3. Philip. ait, eum in hoſpitis tectis Brunduſii fortiſſimos viros, ciues optimos, iugulari iuſſiſſe, quorum ante pedes eius morientium ſanguine os vxoris reſperſum fuiſſe conſtabat. Certè Plinius lib. 14. cap. 22. Antonium ſanguine ciuium ebrium, & eum ſitientem nominauit. Actionibus igi-

tur Philippicis à Cicerone in ſenatu habitis ſic excanduit Antonius, vt inde omnem, quod aiunt, lapidem mouerit, quo Cicero de medio tolleretur. Itaq; compoſita inter tres Romanorum duces pace, Lepidum, Antonium, & Cæſarem Auguſtum, triumviratus initur, fit ciuium proſcriptio: vbi Antonius ea conditione auunculum ſuum proſcribi paſſus eſt ab Auguſto, vt Cicero ſibi ab eodem proſcribendus traderetur. Quare Cicero cum tota domo proſcriptus Aſturam primò nauigauit, mox Circeios, in terram poſtea deſcendit, nondum omni ſpe de Octauio abiecta; Aſturam pedibus rediit. Hinc filiis ſuadentibus Formias tranſuerſis itineribus proceſſit: quo cum appuliſſet, corui infauſto volatu ab infauſto appulſu arcere voluiſſe viſi ſunt. Hinc lectica delatus eſt in proximam villam ſuam, neq; ibi diutius commorari eſt auſus, coruis iterum omnia garritu infeſtantibus; reuerſus itaq; in Formianum, vt nauim cõſcenderet, cum in altum prouectus eſſet, ventiſque aduerſis agitatus, & vitæ & fugæ eum cœpit tædium. Referebatur igitur lectica ad nauem; cum Popilius Lænas (quem aliquando Cicero in Senatu capitali iudicio defenderat patronus) cum globo militum Antonii obuiam occurrit. Senſit Cicero eos ad cædem miſſos, continuò lecticam deponi iuſſit, hicq; ſine gemitu barbam, ſibi læua manu (qui mos illi fuiſſe dicitur) demulcens venientes excepit, atq; ex lectica prominens caput immota ceruice amputandum Popilio præbuit. Interfectus eſt ergo annos natus quatuor & ſexaginta; caput ab Antonio inter duas manus in roſtris poſitum fuit, quo loco orationes in Antonium Cicero habuerat. Nec cohibere lacrymas potuit tota ciuitas, cum reſciſſum Ciceronis caput in illis ſuis roſtris ſpectaret: nec aliter ad illud videndum, quàm antè ad audiendum concurrebatur. Valer. Max. lib. 5. c. 3. multa, Seneca 7. Controuerſ. 2. & Suaſoriar. 6. capite, Appian. lib. 4. belli ciuil. Seuerus Cornelius fatum hoc planè funeſtum ita deflet:

Ciceronis fuga.

Ciceronis cædes …

Abſtulit vna dies aui decus, ictaq; luctu
Conticuit Latia triſtis facundia lingua.
Vnica ſollicitis quondam tutela, ſaluſq;
Egregium ſemper patriæ caput: ille Senatus
Vindex, ille fori, legum, rituſq; togæq;
Publica vox ſæuis æternùm obmutuit armis;
Informes vultus, ſparſamq; cruore nefando
Canitiem, ſacraſq; manus, operumq; miniſtras
Tantorum, pedibus ciuis proiecta ſuperbis
Proculcauit ouans: nec lubrica fata, deoſq;
Reſpexit, nullo luet hæc Antonius æuo. &c.

Quemadmodum autem in abſciſſum Ciceronis caput ignominiosè ſæuierint M. Antonius, & vxor eius, recitat Crinitus de honeſta diſc. lib. 1. c. 8. Quamquam ad Emblematis explicationem (ſubiungit Claudius Minos) videantur adduxiſſe, quæ ſtudioſo cuiq; ſatisfaciant: tamen adijciemus, quod non parùm fortaſſe conducat ad materiam ſeu fontem carminis huius explanandum. Si enim locus eſt coniecturæ noſtræ dandus (in quo tamen nihil cuiquam velim præiudicatum) videtur id Alciatus duxiſſe potius ex Antonianæ 2. M. Tullij loco, ſed (vt pleriſq; doctis videtur) corrupto, qui ſic habet: Vehebatur in eſſedo Tribunus, &c. ſequebatur eum rheda cum lenonibus, comites nequiſſimi. Nonnulli hic legunt, *leonibus*, quod non probatur criticis, & ijs, qui maiorem probabilitatem ſectantur; quiq; cenſoriam virgulam in ſcriptis auctorum meliorum ſubinde adferunt. Quo ex loco ſuum videtur Emblema confinxiſſe Alciatus, &, *leonibus*, legiſſe pro lenonibus: adhæc non rectè temporum rationem habuiſſe. Si quos moueat Plinianus locus, quem attuli, nihil certè moror, cùm nihil præfractè hac in parte auſim affirmare.

Fons Emblematis alter.

ROMANVM poſtquam] Eſt & in hoc hyperbaton, & implicatus verborum contextus, quem ſic digerimus: *Poſtquam* M. Antonius, *peſtis acerba patriæ ſuæ, perdiderat eloquium Romanum Cicerone perempto, inſcendit currus victor &c.*

III. *Syntaxis.*

Romanum eloquium] κατὰ τὴν ἐξοχὴν Romanæ princeps eloquentiæ vocatur Cicero, vt etiam diſertus artifex Reipub. adminiſtrandæ à D. Auguſtino. Plinius ſenior eum ſic lib. 7 c. 30. ſalutat: Salue, inquit, primus in toga triumphum, linguæq; lauream merite. &c. Lucanus maximum auctorem Romani eloquij appellat. Eximiam laudem Ciceronis vide apud Plinium loco citato, & lib. 31. c. 2. Item Cœlium Rhodig. lib. 25. cap. 3.

Eloquentia parẽs Cicero.

Perdiderat] id eſt, perdidiſſet, de medio ſuſtuliſſet. Martialis pulchro epigrammate comparat ſcelus Photini, qui Pompeium occidit, cum ſcelere Antonii. lib. 3. Epigr.

Epigr. 24.

Par ſcelus admiſit Pharijs Antonius armis,
Abſcidit vultus enſis vterq; ſuos.
Illud laurigeros ageres cũ læta triumphos:
Hoc tibi Roma caput cũ loquereris erat.
Antonij tamẽ eſt peior, quã cauſa Photini,
Hic facinus domino præſtitit, ille ſibi.

Alciatus notatus. Fallitur tamen Alciatus in temporis ſupputatione, quod paulò antè innuit Minos; nam ante mortem Ciceronis Antonius iunxerat leones, vt ex Plutarcho, & ex Plinij verbis citatis patet. Et ex Cicerone ad Atticum lib. 10. cum inquit: Tu Antonij leones pertimeſcas caue. Et in 2. Philip. Sequebatur rheda cum leonibus, ſic enim legendum, non leonibus, vti videtur legiſſe Alciatus.

Peſtis patriæ. *Patriæ peſtis acerba ſuæ*] Allegorica nefarij hominis, Reique pub. pernicioſi hoſtis, deſcriptio, quam ſæpè orationibus vſurpat, vt Catilinarijs, Poſt reditum, pro Sextio idem orator: vt cùm Clodium aliquando tetram & immanem belluam, ſæpe furiam, ſæpius peſtem appellat. Sed & Gabinium atq; Piſonem, duas imperii Romani peſtes memini nominatos eadem oratione Sextiana. Sic in Politic. Plutarchus Reipubl. hoſtes Ariſtiona, Nabim, Catilinam, peſtes, morbum & vomicam patriæ appellat, id eſt, *νόσημα ϗ ἀπόσημα πόλεως*. ſic Virgil. Æn. 3. Harpyias peſtem & iram Deorum: & 12.

——Turni ſe peſtis ad ora
Fertq; refertq; ſonans.

Non mihi tempero, quin & hæc adiiciã, in eorum maximè gratiam, quos in politioribus literis inſtituimus: quicquid lethale, noxium & damnoſum eſt, id peſtis nomine ſolere appellari. verbum enim, *Peſtis etymon & vſus.* peſtis, *παρὰ τὸ πτοεῖν*: vnde ducta vox antiqua, peſſum. Pernicies etiam à pernecando dicta. Salluſtius: Et ſi certa peſtis adeſſet, manſurum potius, &c. Catullus ſeipſum alloquens ita de amore ſuo:

Me miſerum aſpicite: & ſi vitã puriter egi,
Eripite hanc peſtem, perniciemq; mihi.

Idem ad Rufum:

Eripuiſti, heu heu, noſtræ crudele venenum
Vitæ, heu heu, noſtræ peſtis amicitia.

M. Tullius 1. in Catilin. Hoc autem vno interfecto, intelligo hanc Reip. peſtem pauliſper reprimi. & ibidem: Atque delebitur non modò hæc tam adulta Reipubl. peſtis, verùm etiam ſtirps ac ſemen malorum. Idem 2. in Anton. vt Helena Troianis, ſic iſte Reipubl. cauſa belli, cauſa peſtis atq; exitii fuit. Et Philip. 7. Tetram & peſtiferam belluam ne incluſam & conſtrictam dimittatis, cauete. Apuleius 5. Aſini aurei, de ſororibus Pſychæ: Sed iam, ait, peſtes illæ, teterrimæque furiæ anhelantes vipereum virus nauigabant. Idem lib. 7. Verùm fortuna meis cruciatibus inſatiabilis aliam denuò mihi peſtem inſtruxit. Eodem ſchemate dixit idem Apuleius 9. Aſini, de muliere quadam: Sed omnia prorſus vt in quandam cęnoſam latrinã in eius animum confluxerant flagitia. Et Arnobius lib. 5. contra gentes, de Ioue loquens: Vt eſſet, ait, criminum ſedes, maledictorum materia, locus quidem expoſitus, in quem ſpurcitię ſe omnes ſcenarum colluuionibus deriuarent. &c.

Iunxitq; leones] Præter ea, quæ de iunctis leonibus adducta ſunt, legimus apud Plutarchum, hãc pompam non fuiſſe tum primùm ab Antonio vſurpatam: conſtat enim iam olim Annoni Duci Carthaginenſium malè ceſſiſſe, quod leone pro iumento vſus fuerit ad ferendas ſarcinas, pulſumque in exilium eo nomine, quia id tyrannidem portendere videretur. Quod obiter mihi reuocat in memoriam hieroglyphicum EMOLLITAE FEROCIAE, *Bacchi currus tractus à tigribus.* vbi Bacchus curru trahitur à tigridum pari: cuius animalis effigies indomitam & efferatam ſæuitiam arguit. Sed ad rem. In Antiochi numo videre eſt leonem ferè humi procumbentem, & ſuperuolantem noctuam: quo ſignificatur, vires cedere ſapiẽtiæ. Leo enim roboris habet hieroglyphicum: noctua verò Mineruæ. Referrem & leones ſubiici magnæ Deæ vehiculo fuiſſe *Leones magnæ Deæ currum vehẽtes.* ſolitos, eoſque Solis trahere currum, ſed hæc non ſunt huius claſſis. Certè in Fauſtinæ vetere numo Cybele turrita ſellæ Leoninæ inſidet, quæ orbem intra manum & genu teneat, cum inſcriptione, MATRI MAGNAE. Reperio apud Herodianum in vita Seueri, Iulianum Elephantos quos habebat ad pompam inſtitutos, conatum aſſuefacere, vt ſeſſorem paterentur: quod & ab aliis tentatum non rarò accepimus. Sed de Antonii leonibus iam ſatis, ſi tamen admonuero id oſtentum à Cicerone ipſomet præuiſum, Epiſtolis ad Attic. Tu Antonii leones pertimeſcas, caue: nihil eſt illo homine iucundius, &c. quẽ

locum

locum ſupra quoq; tetigimus.

Iugũ qd. *Iugum.*] Nolim prætermiſſum quod notat Pierius 48. Hieroglyph. iugo ſeruitutem ſignificari, & fatigationem. vnde vulgatum illud: *Subdere colla iugo*, pro eo, quod dicimus, in ſeruitutem trahere, à bobus ſumpta metaphora. *Sub iugũ mittere.* *Sub iugum mittere*, caſtrenſe verbum eſt; de quo Liuius lib. 3. Tribus, inquit, haſtis iugum fit, humi defixis duabus, ſuperq; eas tranſuerſa vna deligata: ſub hoc iugum Dictator Aequos miſit. Mittebantur autem ſub iugum hoſtes diſcincti, ereptis omnibus armis teliſq; vt ſcribit Feſtus. Hinc etiam verbum *Subiugare*. *Pœna furum.* Noſtro tempore ſub iugum, quod Græcum Π æmulatur, mittuntur ii, qui picatis manibus rem inueniunt antequam amittatur; non tamen diſcincti conducuntur ſed à carnifice, & eius paranymphis lictoribus ſtrictim cincti: qui dum vno ſaltu hoc iugum tranſire cogũtur & conantur, fatali nexu irretiti hærent, & è feneſtra canabina proſpicientes miſerandum exhibent ſpectaculum, cum famæ & vitæ diſpendio, & corporis ſuſpendio.

Magnanimos ceſſiſſe] Huic fere ſimile Accii illud ex Nonio:

Nullum eſt ingenium tantum, neque cor tam ferum,
Quod non labaſcatur lingua, miteſcat malo.

Ambage hac.] Signis & mutis demonſtrationibus eiuſmodi. Leones enim iunxit, vt ſignificaret ſe fortiſſimos quoſque *Leo quid.* ſub iugum miſiſſe. Leo in Hieroglyph. fortitudinem, robur, & alia multa ſignat: *Ambages.* qua de re Pier. Valerianus lib. 1. Ambages autem primaria ſignificatione pro verborum circuitu, & ſententiarum aliorſum tortarum ductu accipi ſolet: at hic, quantum conijcio, ſchema, vel pompam, aut faſtum inſolentem arguit, quo tacitè quid ſibi vellet, innueret Antonius. Scio quidem apud auctores frequenter ſumi μεταφορικῶς pro verborum circuitu, qualis in criminibus excuſandis aut velandis adhiberi nonnunquam ſolet. Liuius 2. Per ambages tegens ingenij ſui effigiem. & 9. Vix pueris dignas ambages, ſenes & conſulares fallendæ fidei exquirere. & id quidẽ tranſlatitiè, propriè verò ambages ſunt flexus & mæandri fluminum. Claudianus itaque, Aequoris ambages dixit, ſic ſæpe apud Cornel. Tacitum Annalib.

1. PROPONITVR immanitas facinoris huiuſce Antoniani, vel potius inſolentiæ plusquã nefariæ inſani huius hominis iugatos leones ad currum iungentis. Et hoc quidem certè ſat nobis intelligi datur, nullam eſſe tantam vim, aut firmum animi propoſitum, nullius tam præfractam vocẽ & ſententiam, quæ non coerceri aut edomari queat. Quoties enim vel libertas, vel virtus oppreſſa, & quaſi ſopita eſt tyrannorum violentia? Vltrò ſeſe mihi offerunt exempla longè multa de ijs, qui indigna & immerità extincti nece à multis iam anteactis annis, deſiderium ſui nobis reliquerunt, vt eorum non poſſimus vel ſine lacrymis, vel iuſto dolore meminiſſe. Vice verſa nemo vſq; adeo ferox, immanis, potens, ſeu etiam aſtutus eſt, quin ab alio, etſi ſe inferiore tandem domari, vinci, & ſuperari poſſit. IV. *Nihil tã durum quod frãgi nõ poſſit.*

2. Notatur præterea hoc ſchemate inſolentia & ſuperbia, quæ ſemper & à natura victoriæ ineſt, vt exclamat Cicero in oratione pro M. Marcello, quem vide. Seneca in Troade: *Arrogantia victoria comes.*

Victor feroces impetus primos habet.

Recitat Plutarchus in Laconicis, Archidamum Ageſilai filium, poſt conflictum apud Chæroneam habitum, cum à Philippo rege Macedonum victore litteras accepiſſet acerbiùs ſcriptas, hunc in modum reſcripſiſſe: Si metiaris vmbram tuam, haudquaquam reperies illam factam maiorem, quã erat ante victoriam. Grauiter admonens, non eſſe prudentis ob fortunæ ſucceſſum intumeſcere, quam ipſe ſit nihilo maior. Aequum autem eſt, vt homo ſe ſuis, & propriis bonis metiatur potius quam externis, quæ fortuna cum libet, dat, cùm viſum eſt, eripit.

Gratiam

Gratiam referendam.

EMBLEMA XXX.



AERIO inſignis pietate ciconia nido,
Inueſtes pullos, pignora grata fouet.
Taliaq́, expectat ſibi munera mutua reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum
Corpora fert humeris, præſtat & ore cibos.

COMMENTARII.

1. IN ſummitate tecti, turricula eminente depictus eſt nidus ciconiarum, vbi cubantes ciconię ab altera ſui generis aduolante, cibumq; roſtro ferente nutriuntur.

Ex Oro Apolline Niliaco libro poſteriore de Hieroglyphicis tractum emblema: vel ex D. Baſilio Magno homilia 8. *εἰς ἑξαήμερον*, cum inquit: Iam verò pietas & obſequium ciconiarum erga ſuos ſenio confectos parentes, ſatis profecto liberos noſtros beneuolos parentibus atque obſeruantiſſimos efficere poteſt, modò mentem adhibere velint. Nemo enim prorſus eſt, qui naturæ ſenſu prudentiaq; ſic deſtituatur, vt non mediocri pudore eum exiſtimet dignum, quiſquis quod ad virtutem atti-

attinet, fuit ſe àb alitibus iſtis, nulla rectæ rationis vi præditis, deprehẽdi inferiorem. Illæ genitorem per ſenium defluxu pennarum degraueſcentem ſuiſmet pennis circumdatum fouent, & abundè victum, lauteq; ſubminiſtrantes ſubſidium etiam ei, quoad fieri poteſt, in ipſo volatu præſtant, ſenſim vtrinq; ſuis eum ſubleuantes alis. Idq; adeo vulgatum eſt, adeoq; notum, vt quidam harum ipſarum alitum nomine vicariam gratiæ dictionem appellent ἀντιπελάργησιν. Hactenus Baſilius. Orus autem Apollo ſic: Parentis amatorem ſignificare volentes Aegyptij, ciconiam pingunt. Hæc enim à parentibus enutrita non ſeparatur ab illis, verùm ad vltimam vſq; ſenectam permanens, parentibus victum ſufficit. Idem in libro priore de cucupha in hunc modum ſcribit: Gratitudinem ſcribentes cucupham auem pingunt. Sola enim hæc cæterorum animalium parentibus iam ſenio cõfectis gratiam refert: In quo enim loco ab eis nutrita eſt, nidum illis conficit, ac pennas vellit, cibumq; ſufficit, quouſq; renatis pennis per ſe ipſos iam parentes cibum parare poſſint. Vnde diuina ſceptra cucupha inſigniunt. Hæc ille. Cucupha auis quæ fuerit, ſiquis ſcire deſiderat, à Pignorio inuitatur ad Mẽſam Iſiacam, ad quam ille commentarium ſcripſit. Non eſt vtiq; cicuma, quæ videtur eſſe nycticorax, vt apud Antonium Liberalem. Extat in Chiliadibus elegantiſſimum prouerbium, ἀντιπελαργεῖν, vbi pulchra leguntur ex Homero, Euripide, Ariſtophane, Plinio, cæteriſq. Addam nihilominus quod Ariſtoteles de ciconia ſcriptum reliquit lib. 9. de nat. animal. Ciconias, inquit, genitorum ſenectutem inuicem educare vulgatum eſt. Sed ſunt, qui meropes quoque idem facere confirment, vicemq; reddi, vt parentes non modò ſeneſcentes, verum etiam ſtatim, cùm iam datur facultas, alantur opera liberorum, nec patrem, aut matrem exire, ſed in cubili manentes paſci labore eorum, quos ipſi genuerunt, enutrierunt, educarunt. Sic ille. De hoc argumento nonnulla etiam ex Platone 1. Alcibiad. petas licet. Plin. 10. cap. 23. & Val. Max. lib. 5. cap. 4. Athenęo, Homero Iliad. 4. Iſidoro lib. de nat. auium, item 12. etymologiar. cap. 7. Ariſtophane in auibus, Aeliano lib. 15. c. 4. & alijs.

Cucupha gratitudinis ſymbolum.

Cucupha auis.

III. *Aerius.*

AERIO nido] alto, ex ſubiecto adiunctum μετωνυμικῶς, vt apud Virgil. 1. ecloga:

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

& 3. Palumbes eadẽ ratione dicũtur aeriç.

Inſignis pietate] Petronius Arbiter:

Ciconia etiam grata, peregrina hoſpita,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Auis exul hyemis, titulus tepidi temporis.

Hinc in nummis Adriani ſculpta eſt ciconia cum inſcriptione, PIETAS AVGVSTA. Reges enim antiquitus ſummo in ſceptro Ciconiæ geſtabant effigiem, in imo Hippopotami, ait Suidas: vt admonerẽtur, pietatem plurimi eſſe faciendam, ſæuitiam & crudelitatem cohibendam atq; comprimendam. Crinit. lib. 4. cap. 13. Non patitur autem ciconia nos vltra progredi, priuſquam Ioannis Mallaræ ciuis Hiſpalenſis, Sanctio amiciſſimi, carmen apponamus, in quo ciconiæ pietas extollitur. Id eſt huiuſmodi:

Nummus Adriani.

Qui legis Æneæ pietatem in fata parentis,
Cũq; humeris olim dulce referret onus:
Laudas antiquos fratres, exarſerit igne
Cũ grauis Ætna, ſuos qui eripuere patres.
Miraris quando Iunonis templa ſacerdos
Aſcendit, gnatis vecta duobus anus:
Non animum extollis cùm parua ciconia nidis,
A quibus alta fuit, conuehit ore dapes?
Nõne tuas ardens exurit flãma medullas,
Antipelargias cum pia facta vides?
Quæ ratione carent, ſunt noſtro exempla labori,
Vt diſcat grates reddere, parq; pari.

Epigramma de pietate ciconiarum.

Elogium hoc, *inſignis pietate*, Aeneæ ſuo Poeta princeps initio 1. Aeneid. tribuit, quod repetitur ab hoc noſtro in Emblemate, cuius inſcriptio, *Pietas filiorum in parentes*. Verbum, pietatis (quod obiter) inde dictum, quod quæ in ea ſimul, quaſi penitus, & in penetralibus recondantur. Tullius vſurpat id vocabulum ſæpe, ſed maximè ad Lentulum, per quem fuerat ab exilio reuocatus. Sic enim 1. epiſtol. initio: Ego omni officio, ac potius pietate ſatisfacio omnibus, &c. Idem epiſtol. 9. lib. 1. eiuſdem: Periucundę mihi tuæ litteræ, quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipſum grauiſſimum, & ſanctiſſimũ nomen pietatis leuius mihi videatur?

Pietas unde dicta.

Ciconia] Fuit ciconia (vt ad fabulas nos conuertamus) antea pulcherrima puella

Fabula de ciconia.

Troiana, nomine Antigone, Laomedontis filia, quæ cùm ſe iactaret formæ pulchritudine Iunonem ſuperare, à Iunone in ciconiam conuerſa fuit. De qua Ouidius 6. Metamorph.

Pinxit & Antigonen auſam contendere quondam
Cum magni cõſorte Iouis, quam regia Iuno
In volucrem vertit; nec profuit Ilion illi,
Laomedonue pater, ſumptis quin candida pennis,
Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.

Virgilius explicatus. Huc alluſiſſe crederem Virgilium in illis verbis, *ſpretaq; iniuria formæ*. neque exponendum ibi, *que*, pro id eſt, vt aliqui putãt, qui omnia ſimul coniungunt, videlicet iudicium Paridis, ſpretæ iniuria formæ. Sed hoc curioſus lector diiudicet. De ciconia Noſcopulus περὶ σχεδῶν· πέλαργος ζῶον, ἀφ' οὗ ἀντιπελάργησις, ἐπὶ τῶν ἐπισαμένων χάριν, ἐφ' ὧν εὖ ἔπαθον, καὶ ἀντιδιδόντων, διὰ τὴν τῶν πελαργῶν πρὸς τοὺς ἑαυτῶν πατέρας ὅτε γηράσκωσι, κηδεμονίαν καὶ ἀντίδοσιν τῆς γεννήσεως αὐτῶν καὶ ἀνατροφῆς.

Inueſtis. *Inueſtes.*] Impuberes, & quibus propter teneram ætatem nulla pars corporis pilat, ait Nonius. de hoc verbo multa doctè Fornerius Selection. 1. cap. 29.

Liberi pignora. *Pullos pignora.*] Appoſitio. Liberi inter virum & vxorem tanquam vinculi & charitatis mutuæ habentur pignora. Ouid. 3. Faſtorum:

Inque ſinu natos pignora chara tenent.

Sic Nouella Valentiniani de libertis: Itaq; libertus, qui ciuis Romani priuilegium fuerit conſequutus, ſiue vnicum pignus, ſiue plures cuiuslibet ſexus habeat filios, cùm mori cœperit, ſoboli ſuæ omnes proprias ſi maluerit facultates ſupremo ſecurus dimittat arbitrio. Claudia. 1. De raptu Proſerpinæ, vbi Pluto queritur ſe priuari ſpe ſobolis:

Aſt ego deſerta mœrens inglorius aula
Implacidas nullo ſolabor pignore curas?

Et paulò poſt de Cerere:

Cõmedat Siculis furtim ſua pignora terris.

Idem 3. eiuſd. operis:

——reuocat tandem cuſtodia chari
Pignoris. ——

Taliaq; expectat &c.] Sibi vicem repenſum iri ſperat, cum fuerit affecta ætate, & alieno opus habuerit ſubſidio.

Nec pia ſpem &c.] nec pulli educati patiuntur parentum ſpem eſſe inanem, ſed ijs ſubueniunt cibando, geſtando & fouendo. hinc præclara verba γηροβοσκεῖν, γηροτροφεῖν, γηροκομεῖν.

IV. *Parentibus quantum debeamus.* OMNIBVS ijs, qui humanitatis iura colunt, ab ipſa omnium magiſtra natura perſuaſum debet eſſe quantum parentibus debeant, niſi tamen omnem humanitatem ſibi detrahi patiantur. Siquidem non homines modò arcano aliquo ſenſu pietatis in parentes, ſed & animantium quædam, à quibus abeſt ratio, admonentur. Ciconiæ enim, vt eſt apud Solin. cap. 43. Polyhiſt. quantum temporis impenderint fœtibus educandis, tantum & ipſæ à pullis ſuis inuicem aluntur. Itaq; hæ & pietatis & grati animi ſymbola gerũt, vt videre eſt apud Pierium lib. 17. Hieroglyph. Pudeat nos hac in re inferiores, aut etiam deteriores auibus eſſe. Atqui par eſt eo lubentiùs & alacriùs naturæ nos reddere quod accepimus, nimirum vitam eorum conſeruare tutarique, qui nobis auctores vitæ fuerunt: & quo nobilior eſt noſtra conditio, eo affectus debet eſſe paratior ad humanæ vitæ officia obeunda, & pietatem omnem exercendam. Nobis enim ætate iam affectis, & imbecillioribus factis, itidem liberi facient, eamq; rependent pietatem, quam primùm in parentes exhibuerimus. Nec verò eſt quòd pluribus has naturę leges cõmonſtremus, quandoquidem omnes norint, poſt tria illa, quæ ad diuinum cultum ſpectant præcepta, primum rerum humanarum decretum eſſe, vt parentes ipſos in honore habeamus: cui & ſpem certumque præmium vitæ longioris adiecit ſupremus ille legis auctor Deus, ad excitandam hominum tarditatem. Heſiodus huc alludẽs, 1. ἔργων, ſeculũ impium deſcribit ab effectis hominum ſceleratorũ, qui probro contumeliaq; afficient parentes, eosque ſenio affectos non ſuſtentabunt. *Iupiter*, inquit, *perdet hoc genus hominum*, Ζεὺς ὀλέσει καὶ τοῦτο γένος ἀνθρώπων οἳ γηράσκοντας ἀτιμήσουσι τοκῆας,

μέμψονται δ' ἄρα τοὺς χαλεποῖς βάζοντ' ἐπέεσσι
σχέτλιοι, οὐδὲ θεῶν ὄπιν εἰδότες, οὐδὲ μὲν οἵγε
γηράντεσσι τοκεῦσιν ἀπὸ θρεπτήρια δοῖεν
χειροδίκαι.

Parẽtum violatores. Et hodie quoq; multi ſunt, qui non ingratitudine ſolùm, quod eſt maximum omnium

dium vitiorum, vt inquit Fabius, nomen illud ſacrum violare non verentur; ſed etiã pugnis & verberibus in progenitores ſuos ſæuire non erubeſcunt; quibus tamen iuſto Dei iudicio & lege talionis, proprij liberi rependunt vices. Hinc quidam, cùm à filio raptaretur, cum ad ianuam perductus foret, ait παύεσθαι ἐκέλευε, καὶ γὰρ αὐτὸς ἑλκύσθαι τὸν πατέρα μέχρις ἐν ταῦτα. id eſt: *Deſine fili, nam & ego patrem hactenus!* Alius ſe excuſans, cur patrem verberaſſet: Et ipſe, inquit, patrem ſuum verberauit, & ille rurſus ſuum. quin & filium oſtendens: Et hic, ait, vbi in virum euaſerit, me quoq; flagris cędet: hoc enim gentile nobis eſt. Quis autem feret, ſi filium patri cauſam necis præſtitiſſe audiat? Portentum atq; monſtrum eſt certiſſimum, eſſe aliquem humana ſpecie & figura, qui tantùm immanitate beſtias vicerit, vt propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpexerit eos indigniſſimè luce priuarit. Sed vbi eſt illa naturę vis (ait Caſſiodor. variar. epiſt. 14. lib. 2.) quæ amplexu copulæ deſtinatur ad poſteros? ferarũ catuli ſequuntur parentes, à ceſpite ſuo virgulta non diſcrepant, propago vitis propriæ ſeruit origini; & diſcrepat homo à ſuo fuſus initio? Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneam perſonam poſſunt obligare? Nutriuntur à paruulis: ipſis laboratur: ipſis diuitię cõquiruntur: & cùm ſibi vnuſquiſque credat abundare quod poſſidet, cùm à patribus adhuc quęritur, pro altera potius ætate peccatur. Proh dolor? non merebimus eorum affectum, pro quibus ſubire non recuſamus exitium? Maria ipſa læuis tempeſtatibus excitata genitoris cura non refugit, vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ ſoboli relinquat. Aues ipſæ, quarum vita ſemper in eſcis eſt, naturam ſuam extranea ſorde non maculant. Ciconia, redeuntis anni iugiter nunciatrix, eijciens triſtitiam hyemis, lętitiam verni temporis introducens, magnum tradit exemplum pietatis. Nam cùm parentes eorum pennas ſenio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis ſuis genitorum membra frigida refouentes, eſcis corpora laſſa reficiunt, & donec in priſtinum vigorem alis grandæua redierit, pia viciſſitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli acceperunt. Ideoque non immeritò vita longa ſeruantur, qui pietatis officia non relinquunt. Hactenus Caſſiod. Hanc naturæ legem, quòd plerumq; à ſceleratis quibuſdam naturæ monſtris violaretur, iura ciuilia confirmarunt, vt lib. 5. Si quis à liberis, ff. de liberis agnoſcendis: & de alendis liberis ac parentib. C. vbi reſponſum hoc legitur Antonini Pij: PARENTVM NECESSITATIBVS LIBEROS SVCCVRRERE IVSTVM EST. ea tamen alimenta præſtari debent pro modo facultatum: & ſi non pręſtentur, captis pignoribus & diſtractis cogetur quis ſatis dare ſententiæ. Solon vnus è ſeptem ſapientibus, ſiquis parentes non enutriſſet, eum cẽſeri ignobilem ſtatuit & obſcurum. Nam vt Cicero quadam oratione ſcriptũ reliquit, quum pietas ſit virtutum fundamentum, patrem filius vt Deum vereri debet & colere, neq; enim multò ſecus parens liberis eſt. Quid autem potiſſimùm ratione beneficij deuinctus filius, & planè auctoratus parentibus debeat, Ariſtoteles ita finit lib. 9. Moral. Videtur quoq; parentibus alimenta maximè ſuggerenda, veluti hoc debeamus, quumq; vt ſimus ipſi argumentum præſtiterint; honeſtius quoque ea re illis mutuas operas reddere, quã nobis ipſis allaborare: honor item impendendus eis quemadmodum Deo.


Locus præclarus Caſſiodori.

Pietas virtutũ fundamentum.

Abſti-

Abſtinentia:

EMBLEMA XXXI.



MARMOREAE in tumulis vna ſtat parte columna
Vrceus, ex alia cernere malluuium eſt.
Ius hæc forma monet dictum ſine ſordibus eſſe,
Defunctum puras atque habuiſſe manus.

COMMENTARII.

1. ASTAT tumulus operoſa ſtructura erectus, in cuius priore facie vtrinq; inſculpta apparet columna, quarum dextra malluuium ſeu pollubrum, ſiniſtra verò vrceum ſuſtinet. Accuratè & planè ad mentem auctoris hanc reſtituit picturam Pignorius, fit enim columnarum mentio in epigrammate, quarum nihil apparet in reliquis editionibus. Epigraphen autem non eſſe ſatis plenam, & argumento carminis accommodatam cenſent Minos & Sanctius; hic mutat, *Abſtinentia iudicum*. Ille verò rectiùs, *Abſtinentia à muneribus capiundis*.

LEGE Iulia repetundarum cauetur, vt vrbani magiſtratus ab omni ſorde ſe abſtineant, neve plus doni muneriſve accipiant &c. Vide Alciat. lib. 3 diſpunct. cap. 9. Sic locutus eſt Horatius 1. Serm. Satyra 4. II. *Vnde petitum Emblema.*

Magnus vterq; timor latronibus: at bene ſiquis
Et viuat puris manibus, contěnat vtrumq;

Verùm quantum ad ſymbola propoſita ſpectat, malluuium & vrceus integritatem iudicis, & à muneribus capiundis abſtinentiam

Manus abluere ad olim. ſtinentiam repræſentant. Manuum ſiquidem abluendarum geſtus olim fuit innocentiæ quædam aperta demonſtratio. Cùm enim quis ſe inſontem & immunem à crimine aliquo vellet indicare, ſed nec vllum in eo admittendo aſſenſum præbuiſſe, præſentibus quibuſdam manus abluebat, vt ex ea manuum munditie puritatem animi declararet. Huc quidem ſpectat illud regij Pſaltis; *Lauabo inter innocentes manus meas*: idemque eſt intellectum à peruerſo noſtri Redemptoris iudice Pilato, cùm accepta aqua manus abluit, innocentiam profeſſus, crimenque in Iudæos reijciens. Quod annotauit Pierius Hieroglyph 35. *Ariſteæ locus de ritu Iudæorũ in abluendis manibus.* Commodè ſeſe obtulit locus ex lib. Ariſteę ſcriptoris Græci, qui eſt de lege diuina, huic emblemati non parũ accõmodus. Ille ſic: ἐπηρώτησαν δὲ, καὶ τοῦτο τίνος χάριν ἀπονιζόμενοι τὰς χεῖρας, τὸ τηνικαῦτα εὔχονται· διεσάφουν δὲ, ὅτι μαρτύριον ἐςὶ τοῦ μηδὲν εἰργάσθαι κακόν. πᾶσα γὰρ ἐνέργεια διὰ τῶν χειρῶν γίνεται. καλῶς καὶ ὁσίως μεταφέροντες ἐπὶ τὴν δικαιοσύνην καὶ τὴν ἀλήθειαν πάντα. id eſt, *Interrogarunt* (Iudæos intelligit) *cuius rei cauſa manus abluerent vota facturi: ſignificarunt illi id fieri in teſtimonium & argumentum nullius ſceleris perpetrati: Nam quòd per manus omnes conatus ſoleant expediri, ita pulchrè & ſanctè ad iuſtitiam omnia referebant*. Apud Aegyptios per *Ignis & aqua in thuribulo et phiala.* ignem & aquam, vt quę continerentur thuribulo & phiala, maculas, labeſve deterſas elutaſque optimè didicimus ſignificari. Apud quaſdam gentes ſuffitio erat in vſu, qua qui proſequebantur funus, quia polluti haberentur, aqua ſparſi ſolebant ignem ſupergredi, vt qui ſibi perſuaderent, purgationem ita fieri. In aqua puritatem hanc intellexit Catullus, cùm ait:

Aut quilibet qui puriter lauit dentes.

Nonnulla ſunt apud Caſſiodorum præclara monita, quæ ad id maximè faciant, ex eo petat, qui volet, lib. 9. epiſt. 19. & lib. 11. epiſt. 8.

Vrceus. *VRCEVS*] Aqualis, vas terreum aut æneum ad aquam excipiendam aut hauriendam. Horatius in Arte:

—— —— Amphora cœpit
Inſtitui, currente rota cur vrceus exit?

Malluuium. *Malluuiũm*] Pollubrum, vas, lebes, ſeu ſinus ad manus abluendas, quaſi manulauium. Bayfius in libello de vaſculis ſic ait: Nonnulli peluim à peluendo dictam volunt, alij à pedum lotione: inde pelluuiũ, vas in quo pedes lauantur; malluium verò, in quo manus.

Hac forma] hęc deſignatio ſymbolorũ.

Ius dictum.] Iudex, vt vult Varro, iuncto verbo dicitur, qui ius dicit. Ius dicere ipſorum eſt magiſtratuum. Cicero pro Flacco: Qui anno antè ius dixerat. Idem ad Atticum: Quippè ius Laodiceę me dicere cùm Romæ Plotius dicat. & 10. Antoniana: Qui cùm Prætor vrbanus eſſet, vrbe caruit, ius non dixit. Illud tamen paulò *Ius dicere.* diſtinctius eſt explicandum, ne mihi diem dicant iuris ſtudioſi. Didicimus itaque ex Vlpiano, l. Ius dicentis, ff. de iuriſdic. omn. iudic. Ius dicentis, hoc eſt, Prætoris, officium eſſe latiſſimum. At non modò Prætorem intelligimus iuris dicentis nomine, ſed & præfectum vrbi, vt ff. de off. præf. vrb. l. 1 &, De in ius voc l. 2. præſidem pro uinciæ, l cùm hi §. ſed nec mandare, ff. de tranſact. & ædilem curulem, qui certis de cauſis ius dicebat, l 1. de ædilit. edict. fuit tamen magis vſitatum, vt ius dicentis verbo, Prætor appellaretur, velut iuri dicundo præ alijs conſtitutus, l 2. §. populo, ff. de orig iur. At de vrbis Prætore id modò intelligimus: alij enim qui creati ſunt Repub. augeſcente, ius non dicebant, ſed tantùm de capitalibus quæſtionibus cognoſcebant, quæ ipſis obuenerant ſorte, vnde Quęſitores appellati. Ne longior ſim, ita ſtatuo, alium fuiſſe à Prætore iudicem, & à ius dicente: quod planum eſt ex M. Tullio, 2. in Verr. & pro Rabirio Poſt. Itaq; diſtinguimus officium Prætoris, & ius dicentis: vt ſtipulationem etiam prętoriam à iudiciali: tametſi aliquando iudicis & prætoris nomina confundantur. Etenim temporibus Imperatorum (quo antiqua penè omnia obſoleuerunt vnà cum linguæ Romanæ puritate) iudicũ nomine quicunq; magiſtratus et maiores appellari cœperũt.

Sine ſordibus] fuiſſe ἀδωροδόκητον κριτὴν, iudicem incorruptum, & à muneribus capiendis alienum, qualis ab Horatio deſcribitur 4. Carm. 9.

Vindex auara fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecunia &c.

Sordes. Sordes autẽ pro auaritia & nimia parſimonia poni notum eſt. Horatius 1. Ser. Sat. 3.

Si neq; auaritiam, neq; ſordes, ac mala luſtra
Obijciet verè quiſquam mihi.

Hinc ſordidi, tenaces, auari, & qui ex rebus viliſſimis quæſtum captant. Italis *Spilorçi, Tacconi, Leſinanti*. Germ. *spaerling, Kiſſenpfenning, die ein laus umb den balg ſchinden*.

Defunctum] qui iam officio ſuo viuendi functus eſt, & finem impoſuit.

Puræ manus. *Puras habuiſſe manus*] καθαρὰς χεῖρας, vt dicuntur in Nouella. 8 Hi puris manibus viuere dicuntur, qui purè atque integrè vitam tranſigunt; qui neq; dolo, neq; aſtu aliis negotium facesſunt; qui denique ſunt (vt hic Alciatus intelligit) ἀδωροδόκητοι, i. à munerib' accipiẽdis alieni.

IV. REPRAESENTANTVR iudicis æquiſſimi & incorrupti notæ, quibus poſt mortem vel maximè celebretur. Siquidem vrceolus vel aqualis vna tumuli parte, malluuium in altera depictum, arguit ſepulti hominis in adminiſtranda iuſtitia æquitatem & innocentiam. Quæ virtutes vt iudicem quemque maximè commendant, ſic ab eo ſi abſcedant, non iudex, ſed impius & inhumanus carnifex habendus eſt. Reclamant enim aduerſos iniquos iudices, & diuinæ & humanæ conſtitutiones, quòd in Republ. bene liberaliterque inſtituta nihil debeat incorruptius obſeruari quàm iudicium, quod lingua ſæpius quàm nummis peruerti ſolet. Quamobrem non iniuria Cicero dicebat, ſe non intelligere, cur qui ſentẽtiam pecunia corrumpit, pœna dignus ſit, qui autem oratione, laudem ferat. At præcipuè iudicis eſt nec muneribus, nec affectibus priuatis ab æquitate dimoueri; debet enim ipſe perpetuò meminiſſe Deum habere ſe iudicem, cuius oculum nihil effugere aut præterire poſſit. Et ne quid hic nota dignum tranſiliam, verba Iuſtiniani, quæ integra reperiuntur in primo Codicis, titulo de mandatis principum, huc adſcribam, digna quidem illa, quæ literis aureis paſſim conſignentur: δεῖ τοίνυν σε καθαρῶς παραλαμβάνοντα τὴν ἀρχὴν, καὶ δόσεως ἁπάσης χωρὶς, πρὸ τῶν ἄλλων

καθαραὶ χεῖρες. ἁπάντων καθαρὰς φυλάττειν θεῷ τε καὶ ἡμῖν καὶ τῷ νόμῳ τὰς χεῖρας, καὶ μηδενὸς ἅπτεσθαι κέρδους, μήτε μείζονος, μήτε ἐλάττονος, ἀλλ᾽ ἀρκεῖσθαι μόνοις τοῖς παρὰ τοῦ δημοσίου σοι χορηγουμένοις, καὶ διά τε σαυτοῦ διά τε τῶν περί σε καθαρὸν αὐτοῖς πανταχόθεν φυλάττειν τὸ δίκαιον. *Oportet igitur te purè ſuſcipientem hoc adminiſtrationis munus, procul ab omni largitione, præ aliis omnibus, mundas ſeruare Deo, nobisque, & legi, manus, nullum lucrum contingere, neq; maius, neq; minus, neq; captioſum quiddam contra ſubiectos facere negotiando, ſed contentum eſſe ſolis à fiſco tibi miniſtratis, & tam per te quàm per eos, qui circa te ſunt, purum eis vndiq; ſeruare ius.* Suetonius in Tito ait, Pontificatum maximum ideò ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus, fidem præſtitit. Puritas hæc manuum reuocat mihi in mentem ridiculum cuiuſdam factum, qui cum de iudicis iniquitate & inclementia apud vicinum conquereretur, *Cuiuſdã ſimplicitas.* vicinus monuit vt manus iudicis perungeret (largitionibus rem aggrediendam intelligens) idq; exemplo curruum perſuadẽs, qui niſi axes habeant probè perunctos, non niſi ſtridore & ſtrepitu promouẽtur. *Vver ſchmiert, der fahrt*. Moniti memor, ille die conſtituta ad tribunal comparet, accepta ſecum axungiæ copia, qua, dum aduerſarius rem agit, ille iudicis manus & veſtẽ non perfunctoriè perungit, vel hac ratione iudicem ſibi lenem & clementem facturus. Sic ſanè fit, vt plerunq; cauſa cadas, aut differaris, niſi iudicum vngas manus, non quidem axungia, ſed linimento ex chryſiti & argyriti præparato, ſiquidem facile

Cauſſa perduntur, quæ paupertate geruntur.

Inueniũtur & hodie Stratocles & Dromoclides, quorum ſermo omnis, cum de Reipub. negotio aliquo capeſſendo, deq; tribunalibus colloquerentur, erat, vt ſe inuicem ad auream meſſem inuitarent. Notum quoque eſt iniquitas iudicis illius, qui cum ab *Iudex corruptus.* vna parte ſaccum glandibus refertum, ab altera verò porcum dono accepiſſet, vnicuique victoriam pollicitus erat; cum verò ille, qui glandes attulerat, cauſa cecidiſſet, cum iudice expoſtulauit; ſed reſponſum tulit, porcum ſaccum euertiſſe, & glandes deuoraſſe. Largitiones huiuſmodi Germani non inconcinnè vocant *Heelkiechel*, quaſi dicas, *placentas infernales*, ad Stygium focum à dæmonibus excoctas, vnde & originem traxiſſe probabile eſt; nam in Romana hiſtoria prorſus latet, quis omnium princeps largitione graſſari adortus ſit, teſte Cœlio Rhodig. lib. 23. cap. 14. Hi qui tales placentas deuorant, tandem & ipſi à Tartareo barathro deuorantur. O meliora Deus.

Bonis

Bonis à diuitibus nihil timendum.

EMBLEMA XXXII.



IVNCTVS contiguo Marius mihi pariete, nec non
Subbardus, noſtri nomina nota fori,
AEdificant bene nummati, ſataguntque vel vltrò
Obſtruere heu noſtris vndique luminibus.
Me miſerum: geminæ quem tanquam Phinea raptant
Harpyiæ, vt proprijs ſedibus eijciant;
Integritas noſtra, atque animus quæſitor honeſti,
His niſi ſint Zetes, his niſi ſint Calais.

COMMENTARII.

I. DVO iuuenes capite, tergore, & pedibus alati, armis proſequuntur auolantes Harpyias, monſtra capite virgineo, alata, vncis pedibus, extremitate in anguē deſinente. Harpyiarum à Zete & Calai in fugam actarū imaginem ex antiquis monumentis ſtudioſè nobis reſtituit Pignorius; ſic enim extabāt in antiqua gemma exciſa, eius generis, quod gēmarij vocant Cameo.

II. *Occaſio Emblematis.* SIGNIFICAT ſibi rem eſſe cum quibuſdam rabulis forenſibus, malis vicinis, ſuas ædes ita altè extruentibus, vt officerent luminibus ſuarum ædium: atque à quibus ſic importunè fatigaretur, vt olim

Phineus ab Harpyijs, vt parũ abeſſet, quin proprijs ædibus expelleretur, niſi ſuccurriſſet animi probitas & integritas. Phinei autem fabula ſic ſe habet: Phineum Arcadiæ regem vxorem duxiſſe Cleopatram, Boreæ & Orithyiæ filiam tradunt, cumq; alteram nomine Idæam, Dardani filiam, liberis nouercam ſuperinduxiſſet, eius nefario ſuaſu filios ex Cleopatra ſuſceptos excæcauit. Qua de cauſa irati Dij, ei quoq; oculos ſuſtulerunt, & immiſerunt Harpyias, quæ cibos & menſam eius diriperẽt, & turpiſſimè fœdarent. Hic Iaſonem cum Argonautis vellus aureum petentem ſuſcepit hoſpitio. Cuius beneficij memores Argonautæ Zetum & Calain, Boreæ & Orithyiæ filios, alatos iuuenes ad pellendas Harpyias miſerunt. Illæ ex Arcadia armatos iuuenes fugientes ad inſulas Plotas peruenerunt. Et cum vltra tendere vellent, ab Iride admoniti, vt à Iouis canibus abſtinerent, conuerterunt ſuos volatus. Hæc conuerſio, id eſt, Strophe, nomen inſulis dedit. Hæc ferè Seruius 3. Aeneid. Sed ferè ſemper ille in Coſmographia fallitur, id quod diligens lector poterit intelligere multis in locis. Phineus igitur non Arcadiæ, ſed Odryſiæ rex fuit, vt ex 4. Val. Flacci conſtat, vbi eius narratur hiſtoria multis verſibus. Odryſia porrò in Thracia eſt, teſte Plinio, & extenditur vſque ad Boſphorum Thracium, vbi tunc erat Phineus, quando Argonautæ Colchos petebant; indeq; Harpyiæ fuerunt fugatæ, non ab Arcadia, vt Seruius narrat. Cætera ex Virgilio 3. Aeneid. Ouidio 6. & 7. Metamorph. petes. Vide etiam Val. Flaccum 4. Argonaut.

Fabula de Phineo.

Seruius notatus.

III. *IVNCTVS contiguo &c.*] Vicini mei Marius & Subbardus, qui iunctum habẽt parietem meis ædibus. Dicitur autem contiguum illud, cuius extremitas vel ſuperficies aliud tangit.

Cõtiguũ.

Pariete] Proceleuſmaticus pes, conſtãs quatuor ſyllabis breuibus, hic vice dactyli poſitus, quales verſus paſſim occurrunt apud Virgilium, vt

Ædificant, ſectaq; intexũt abiete coſtas. Et, *Hærēt parietibus ſcalæ, poſteſq; ſub ipſos.* Et, *Mœnia, quiq; imos pulſabat ariete muros.* Verùm commodè, nec inſolenter accipi verba ea ita poſſunt, vt *pariete, abiete, ariete*, ſint triſyllaba, nempe vt in *pariete*, r littera applicetur vocali præcedenti, & i. proxima fiat conſonans, ie, monoſyllaba; & ſic de cæteris.

Nomina nota] Bene noti in noſtro foro, vel vt locupletes, vel vt pragmatici & factioſi homines. *Sie ſeind beKandt als vvie der boes pfenning.*

Bene nummati] Horatius 1. Epiſtol. *At bene nũmatũ decorat ſuadela, Venuſq;* Cicero 2. in Rullum: Non minus bene nummatus, quàm egregiè capillatus. Ammian. Marcellin. lib. 14. Si ad aliquem bene nummatum, tumentemq; loculis honeſtus aduena ſalutatum introieris. Sanctius hic Diſplaſiaſmum eſſe dicit, qui fit, quando in medio dictionis eadem conſonans geminatur. Nam numus, & numatus, ſimplici m, debent ſcribi, teſte Ariſtotele lib. 5. de morib. inquit enim: Sed introductus numus eſt ex inſtituto, quaſi inopiæ ac indigentiæ præſidio futurus. Ob eamq; cauſam nomen duxit, quod non à natura, ſed à νόμῳ, id eſt, lege, numus ſit ortus, in nobiſq; id ſit, vt mutetur, reddaturq; inutilis.

Diſplaſiaſmus.

Sataguntq;] nitũtur quantum poſſunt.

Vel vltro] Etiam ſua ſponte, nullo ſuo iure nullaq; à me iniuria prouocati. Arguitur iniuſtus & violentus diuitum animus, à quibus in primis eſt timendum, quippe qui neq; ius neq; bonum, ſed nec æquum colunt. Qua ratione puto dictum à Platone 5. legum: valdè diuites homines non eſſe bonos. Refert Plutarc. ita quendam dixiſſe Syllę glorianti: Quomodo vir bonus eſſe potes, qui tam magnas opes poſſideas, cùm nihil à patre acceperis? Tales quidem ex eorum ſunt genere, quos notat Plautus in Pœnulo: *Si nihil ſit litium, lites ſerunt.*

Diuites improbi.

Obſtruere noſtris luminibus.] Obſtruere luminibus vicini ἐμποδίζειν τῷ φωτί. eſt ſtructuram aliquam iuxta eius ædificium facere, quæ lumen eidem eripiat. Obſtruere enim luminibus, verbum antiquum iuris. Vnde Cicero pro Domo ſua: Cùm ille negaret, inquit, primò ſe luminibus eius obſtructurum minabatur. Idem in Bruto: Vt horum conciſis ſententijs (de Philiſto & Thucydide loquitur) interdum etiam non ſatis apertis cum breuitate, tum nimio acumine officit Theopompus elatione atq; altitudine orationis ſuæ, quod idẽ Lyſiæ Demoſthenes: ſic Catonis luminibus obſtruxit hæc poſteriorum quaſi exaggerata altiùs oratio. Quod dictum à Cicerone per metaphoram nemo non videt, pro eo quod dixiſſet ſine tropos impedimento

Obſtruere luminibus quid.

dimento fuit, ne orationis Catonianæ lumina viderentur. Huc refero Alciati verba ex commentario ad tit. De verb ſignific. l. 139. Finge, inquit: Concedit lex volenti lautè ædificare, vt vicinum ad proximæ rei venditionem cogere poſſit, an eum quoq; adiuuabit, qui lautum ædificium perfecit, ſed addere illi aliquid deſiderat, puta hortum ampliare, vel impluuium? qua in re cùm ego peterer, negabam adiuuari. Cùm enim ornatus vrbis ratione ita conſtitutum eſſet, & qui ciues ad expolienda ædificia incitarentur, in eo qui iam perfeciſſet, hæc ratio locum non habebat. Paulò poſt ita: Verùm cùm non tam iuri meo quàm iudicibus diffiderem, tranſegi, vt veriſſimum ſit illud Heſiodi, *μὴ δ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ' εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη*. quod, vt ait Columella, non ſolùm de boue dicitur. ſed etiam de omnibus partibus rei familiaris, adeò refert non habere malum vicinum. Hęc Alciat. Vide adagium, *Officere luminibus. &, Aliquid mali propter vicinũ malum.* & Budæum in Annotat. prioribus in Pandect.

Harpyiæ quot, et unde dictæ.

Geminæ quem tanquam Phinea raptant Harpyiæ.] Heſiodum ſecutus, duas tãtum Harpyias ſtatuit. Virgil. trium meminit, quarum nomina Aello, Ocypete, & Celæno. Finguntur volucres monſtroſæ, facie virginea, vnguibus vultures referentes, *ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν*, à diripiendo dictæ. vnde Suidas ait, *ἁρπακτικοὺς δαίμονας εἶναι*. Sed quoniam nobis propoſitum, fabulis ipſis allegoricas enarrationes adijcere, non videbitur à re alienum, ſi explanemus, quid

Harpyiæ quid.

Harpyiarum nomine intelligatur. Sanè vt vis nominis indicat, Harpyia rapacitatem notat: vnde Harpax, & harpagare verbum apud Plautum. Has ſic deſcribit Virgilius 3. Æneid.

Virginei volucrũ vultus, fœdiſſima ventris
Proluuies, vncaq; manus, et pallida ſemper
Ora fame.

Cur virgines. *Cur volucres.* *Cur plumis prædita.* *Cur tres, Aello, Ocypete et Celæno.*

Fulgentius ait, ideo virgines fingi, quod rapina omnis ſterileſcat, nulliusq; ſit frugis: Volucres propter celeritatem, qua feruntur qui rapiunt: Plumis opertæ, quod latitet quicquid ab ijs æruſcatum eſt. Tres verò, quoniam primò aliena expetuntur, cui ſuccedit inuaſio, & poſtremo abſconduntur. Hinc enim nomina è re facta: Aello, tanquam *ἑλὼν ἄλλο*, *tollẽs alienum.* Ocypete, ab *ὠκὺς*, *velox*, & *πέτομαι*, *volo*, quaſi citiùs aufugiens. Celæno, à *κελαινὸς*, quod eſt *niger*. Sũt qui per tres Harpyias, auaritiam, inuidiam & ſuperbiam intelligi velint. Opinor autem hic Alciatum de induſtria duarum tantùm meminiſſe, vt ad rem ſuam, id eſt, duos vicinos accommodaret. Ille quidem 2. Prætermiſſorum ait, Harpyias ira tonantis aduerſus Phineum impulſas à Poeta fingi, quòd quæcunque maxima oriantur mala, iræ diuinæ ſoleant aſcribi: & Theophraſtus haſce rem peſtates, ſterilitates, & alia generis eiuſdem, quę non vitio terræ, ſed cælitus proueniunt, *ἀπὸ τοῦ δαίμονος αἰτίαν* appellat, id eſt, cauſam Deorum numine vrgentem. Plutarch. lib. de vſura vitanda, Harpyiarum fabulam torquet in debitores, qui grauentur ære alieno: tolerant enim ac ſuſtinent tanquam Phineus Harpyias illas pennatas paſcentes, &c. *ὡς ὁ φινεὺς ἁρπυίας τινὰς ὑποπτέρους βόσκοντες*. Si plura de Harpyis requiras, conſule Syntagma 6. Hiſtoriæ Deorum Gyraldi. Natalem Comit. Mytholog lib. 7. cap. 6.

Harpyiæ rigidi exactores.

Integritas noſtra, &c.] Accommodat fabulam. Proprijs ædibus cedere cogar, & his expellar, niſi mentis integritate & honeſtate vindicer, meq; tuter, vt olim Phineus, Zete & Calai adoleſcentibus fortiſſimis.

Hu niſi ſint Zetes, &c.] Verba Orphei ſubijciam Latinis verſibus:

Agnoui duplicem Borea de germine ſpicã,
Quos peperit nubens Illiſi ad fluminis undã
Regis Erechthei diuum genus Orithyia,
Qui plumis etiam circum talaria fuſis
Corpore Dijs ſimiles Zetes, Calaisque volabant.

Pindarus in Pythiis Od. 4. Strophe 8.

θυμῷ γελανεῖ θᾶσσον ὄν —
τυεν βασιλεὺς ἀνέμων
Ζήταν κάλαΐν τε πατὴρ βορέας,
ἄνδρας πτεροῖσιν νῶτα πε —
φρίκοντας ἄμφω πορφυρέοις. id eſt:

Animo ridenti velociter
Ornabat rex ventorum
Zeten Calainq; pater Boreas,
Viros, qui alis in tergo
Mouebantur ambo purpureis.

Zetes & Calais, ad quid relata nomina.

Boream autem ventum eſſe Septentrionalem nemo neſcit, cuius filij dicuntur Zetes & Calais, fictis ingenioſè vocabulis. Ex nominum etymo non eſt dubium quin longè multa peti poſſint, quæ quaſi nos ma-

nu ducant ad cognitionem rerum vberiorem, & quidem magis apertam. Certè mihi placet ſcholiaſtis Pindari acumen, qui eo loco: *ζήτην ὡς ζαήτην*, nempè *ἄγαν ἄων*, quòd *nimium flet*, interpretatur: *κάλαϊν* verò, vt qui *καλῶς ἄων*, quia *leniter flet*. Conficta creditur fabula, propter nimiam velocitatem illorum, qui ad Boream habitant; vnde hi principes ad Argo venerunt. At ad rationem phyſicam non vſurpat Alciatus, ſed ad mores conuertit, quò facilius ingenioſis hominibus ſuum id carmen oſtentet.

Integritas noſtra, atque animus quæſitor honeſti.

Nam *κάλαϊς* fortaſſe *ἀπὸ τοῦ καλοῦ*, quo animi deſignatur integritas: animus autem quæſitor honeſti, eſt ille *ζήτης*, à *ζητεῖν* nomen habens, quod *quærere* ſignificat. Idem video poſſe obſeruari facilè in Homericis nominibus permultis, & ijs perſonis, quæ à Platone inducuntur: quæ nomina interdum totius diſputationis argumentum implicant.

IV. *Vita integra theſaurus.* Ostendit Emblema, quantus theſaurus ſit vitæ innocentis conſcientia, vt quæ inſultus & iniurias maleuolorum rideat; & quamuis fractus orbis labatur, innocentem ferient ruinæ impauidum. Eſt enim hæc inſtar muri ahenei, qua quis ſuſtentatus, non eget Mauri iaculis, nec arcu, ad retundendas inſidias iniquorum & violentorum hominum. Itaq; rogatus Bias, quæ vita metu careret? innocens, inquit, & eius qui ſit ſibi bene conſcius: nam omnes animum innocentem amant & charum habent, vt eſt apud Pindar. adeò vt innocentem damnare pro grauiſſimo crimine ſit iam olim habitum: ergò, malè ceſſit Archiæ quòd Archilochum interfeciſſet: Cæcilio Metello de Dalmatis citra cauſam triumphanti: Attalo regi Aſiæ, quòd inſontes amicos occidiſſet. Virtus enim & animi dotes virum prudentem à quorumuis iniurijs & moleſtijs egregie nouerunt defendere, liberare, & vindicare. Siquidem vir prudens & ſibi & patriæ ſufficiens conſultor, teſte Platone in Alcib. 2. Sic enim viri boni ſæpenumerò ab importunis dominis deturbantur ſine vlla legum & honeſti ratione, niſi æquanimitate, vel potius numinis aliquo præſidio, & quaſi ariete vindicentur. Demoſthenes in Calliclem: *τὸ χαλεπώτερον οὐδὲν, ἢ γείτονος πονηροῦ καὶ πλεονέκτου τυχεῖν*: id eſt, *Nihil moleſtius eſſe poteſt, quàm in vicinum malum & auarum incidere.* *Intereſt bonū habere vicinum.* Quò etiam illud Pindari non malè quadrabit ex Nemeor. 10. *Χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποισιν ὁμιλεῖν κρεσσόνων*: *Periculoſum eſt contendere cum potentioribus.* Rectè Thucydides: *πρὸς τοὺς ὁμογείτονας πᾶσι τὸ ἀντίπαλον καὶ ἐλεύθερον καθίσταται.* *Ex vicinis malum bonumve proficiſcitur.* Themiſtocles cum prædium quoddam vendere vellet, hoc quoq; præconem addere iuſſit, *ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας*, id eſt: *quod vicinos etiam haberet bonos.* quaſi vicini commendatione futurum eſſet longè vendibilius. Cato quoque ſenior admonebat eos, qui agros empturi eſſent, vt ante omnia animaduerterēt, ne malum haberent vicinum. Cauebit ergo prudens, ne illi ſit ſalſuginoſa vicinia.

Signa fortium.

EMBLEMA XXXIII.



DIALOGISMVS.

QVAE te cauſſa mouet volucris Saturnia, magni
Vt tumulo inſideas ardua Ariſtomenis?
Hoc moneo, quantum inter aues ego robore præſto,
Tantum ſemideos inter Ariſtomenes.
Inſideant timidæ timidorum buſta columbæ;
Nos aquilæ intrepidis ſigna benigna damus.

COMMENTARII.

I. IN ſepulchro magnifico ſumptu erecto ſedet regina auium aquila, expanſis alis, volanti ſimilis, nota fortitudinis, ſtrenuitatis, & intrepidi animi. Editio Rouilliana in ſepulchro inſculptam habet epigraphē, *D. M. Ariſtomenis.* hoc eſt: *Dijs manibus Ariſtomenis.*

II. Hoc ex epigrammatū Græcorum libro 3. ſumptum pulchrè eſt æmulatus, quo ſub nomine Ariſtomenis Imperatorem Carolum V. celebrat, alluditque apertè ad aquilam, quam in ſcuto habuit, & imperiali ſtemmate, quæ fortitudinis notam præ ſe ferat. Ea enim vt dignitate cæteris auibus antecellit: ita ille Princeps alios & fortitudine & ſplendore nominis longè

Aquila pro ſtemmate Imperatoris.

gè antecedit. Hæc quidem Minos, ſed non immeritò cum Pignorio dubitamus, quomodo Alciatus potuerit celebrare tumulum Caroli V. cùm Carolus obierit anno 1558. Alciatus verò anno 1550. Sed Poetis aliquando licitum eſt etiam viuis tumulos erigere, præſertim ijs, quos in Deorum numerum inſerere properant. Epigramma eſt Antipatri εἰς ἀνδρεῖος, quod hic adſcribere non piget:

Emblematis fõs.

ὄρνι Διὸς κρονίδαο διάκτορε, τοῦ χάριν ἔστας
γοργὸς ὑπὲρ μεγάλου τύμβον ἀριστομένους;
ἀγγέλλω μερόπεσσιν, ὅθ' οὕνεκεν ὅσσον ἄριστος
οἰωνῶν γενόμαν, τόσσον ὅδ' ἡμιθέων·
δειλαίτοι δειλοῖσιν ἐφεδρύωσσι πέλειαι·
ἄμμες δ', ἀτρέστοις ἀνδράσι τερπόμεθα. hoc eſt:

Nuncia fare Iouis, prapesq́; volatibus ales,
Cur magni ad tumulum ſidis Ariſtomenis?
Hac homines moneo: volucrum quantum optima viuo,
Tantum hic heroas optimus inter erat.
Stiparint pauida timidorum buſta colūba,
Aſt ego delector fortibus vſq; viris.

Auis Iouis Saturnij nūcia, quam ob cauſſam ſtas
Ferox, ſu p magni tumulo Ariſtomenis?
Nuncio hominibus, qũod quantum præſtantiſſima
Volucrum ſum, tantum hic ſemideorum [fuit.]
Panidæ quidē panidis aſſidebūt columbæ,
Nos autem interritis viris delectamur.

Fare age qd ſedeas Iouis ales nūcia pernix
Magnanimi tumulum trux ad Ariſtomenis?
Nimirum quantum alitibus ſum robore praſtans,
Tantum ſemideus praſtitit ille viris.
Sic buſtis pauidū pauidas decet eſſe colūbas:
Nos verò intrepidis ſigna ſuperba ſumus.

Platonis tumulus. Antipatri extat Epigramma certè nobile in Platonis, diuini hominis, tumulum, cuius animam ad ſepulchrum è cœlo allapſam in ſpeciem aquilæ dicit:

αἰετέ, τίπτε βέβηκας ὑπὲρ τάφον, ἢ τινὸς, εἰπὲ
ἀστερόεντα θεῶν οἶκον ἀποσκοπέεις;
ψυχῆς εἰμὶ Πλάτωνος ἀποπταμένης ἐς Ὄλυμπον
εἰκών· σῶμα δὲ γῆ γηγενὲς ἀτθὶς ἔχει.

Cur aquila ad tumulum hunc volitas, dic? nunquid ab aſtris
Hic habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima extincti ſum diua Platonis, Olympum
Qua colo, ſed corpus terrigenum Attica habet.

His non abſimile eſt illud Marulli de Ageſilao:

Nuncia magnanimi volucris Iouis, ede quid vrna *Ageſilai tumulus.*
Inuicti roſtro cudis Ageſilei?
Ipſa inter volucres quantum caput effero, tantum
Mortales omnes cedere Ageſileo.

VOLVCRIS Saturnia] Aquila, quaſi dixeris Iouiana; nam & Iupiter dicitur Saturnius à Saturno patre. Virg. in 4. III. *Iupiter Saturnius.*

Nec Saturnius hac oculis pater accipit æquis.

Sic apud Homerum multis in locis κρονίδης. Cur autem aquila Ioui ſacra, diximus ſupra Emblem. 4.

Ardua] ſublimis, erecta, eminens.

Magni Ariſtomenis] id eſt, Caroli Quinti, quem nomine Ariſtomenis appellat. Ἀριστομένης, optimæ mentis hominem ſonat, ait Pindari ſcholiaſtes. Et Pauſanias in Meſſen. eum Græcorum omnium optimū Apollinis oraculo iudicatum refert; quod & alicubi confirmat D. Hieronymus. Sed Ariſtomenis hiſtoriam, quoniam multis eſt incognita, paulò latiùs quàm pro operis inſtituto narrabimus, quam credo legentibus non fore iniucundam. Scripſit illam Rhianus Renæus Græcis carminibus, in quibus Ariſtomenes nihilo fuit ignobilior, quàm in Iliade apud Homerum Achilles. Pauſanias in Meſſeniacis, Rhianum ſecutus, latiſſimè commemorat hanc hiſtoriã; nos autem multa præſcindentes, quod ad Ariſtomenem attinet, proſequemur. *Ariſtomenes.* Fuerunt igitur inter Meſſenios & Lacedæmonios certis de cauſis acerrima odia, bellaq; plurima, in quibus ęquo Marte pugnatum eſt. Tandem poſt continuos viginti annos in bellis exhauſtos (vt Tyrthæus canit) Meſſenijs deuictis tales leges impoſuerunt Lacedæmonij. Primum iureiurando eos aſtringunt, ne vel vnquam à Lacedæmonijs deficiant, vel aliàs noui quidpiam moliantur. Deinde vt de omnibus frumentis, *Ariſtomenis hiſtoria ex Pauſania.*

quæ

quæ agricultura comparantur in hominum alimoniam, dimidiam partem in Spartam ferrent. Decretum item eſt, vt ad funera regum, aliorumq; qui magiſtratum geſſerunt, tum viri ex Meſſenia, tum mulieres, pullis induti veſtimentis accedant. Itaq; tantis oppreſſi ærumnis Meſſenij, cum nihil humanitatis in poſterum à Lacedæmonijs ſperarent, ſatius eſſe duxerunt in acie cadere, aut tota Peloponneſo eiectos fugere, quàm hæc pati. Decreuerunt itaque deficere. Vrgebant eos non leuiter adoleſcentes quidam, rerum quidem bellicarum imperiti, magnitudine tamen animi præſtantes, qui in libera patria mori mallent, quàm aliàs beato etiam ſeruitio frui. Inter hos fuit & Ariſtomenes, cæteris nobilior: Nam cum eius matre Nicotelea Genium aut Deum ſerpentis ſpecie aiũt rem habuiſſe: putabatur tamen Pyrrhi, aut Nicomedis filius. Hic florens ętate, excelſoq; præditus animo magiſtratus ad defectionem ſolicitat: conſeritur prælium: victoriam neutri manifeſtam ſunt conſecuti. Ariſtomenem verò plura facinora edidiſſe fama eſt, quàm de vno viro credi poſſit, adeo vt finita pugna regem eum elegerint: Fuit enim oriundus ex genere Aepytidarum. Cùm regnum detrectaſſet, eum exercitus imperatorem deſignarunt. Qui vt terreret Lacedæmonios, profectus noctu Lacedæmonem, ad templum Palladis Chalciœci clypeum ſuſpendit, cui inſcriptum fuit, *Ariſtomenes de Spartanis Deæ dicauit.* Lacedæmonijs redditum fuit oraculum, vt conſiliarium Athenienſem acciperent. Athenas itaq; mittunt, qui oraculum nunciarent, & virum peterent. Athenienſes verò cum nollent nec res Lacedæmoniorum creſcere, neque Deo refragari, Tyrthæum ludimagiſtrum, qui & ingenio minimè valere putabatur, & altero pede erat claudus, Spartam mittunt. Profectus eò Tyrthæus, magiſtratibus & militibus elegiaca & anapæſtica recitauit carmina, quibus eorum animos ad bellicam laudem excitabat. Itur in bellum: Anaxander Spartanorum rex erat; Ariſtomenem legionarij ex Meſſenijs octoginta ſelecti comitabantur, qui contra Alexandrum & principes Lacedæmoniorum imperterrito animo irruentes, vulneraq; excipientes, audacia & tempore Anaxandri milites fugabant. Hos vt inſequerentur alij Meſſeniorum

Ariſtomenes parentes.

præcepit Ariſtomenes, ipſe autem facto in alios impetu, qui maximè reſiſtebant, ijsdemque vi repulſis, ad alios rurſus eſt conuerſus: Cum hos quoque abſque mora pepuliſſet, alacrius iam in eos, qui adhuc reſiſtebant, irrupit, donec totam Laconum aciem perturbauit. Cum verò non ſine turpitudine fugerent, & vim ſuſtinere non poſſent, horribilius eos, quàm pro vnius hominis furore inſequebatur: Ibi ne pyrum ſilueſtrem in campo enatam curſu prætervveheretur Ariſtomenes, prohibuit vates Theoclus; ad hanc enim Caſtorem & Pollucem dixit ſubſediſſe. Ariſtomenes autem cùm effręnatè ferretur, pyrum prę terlapſus ſcutum amiſit; quod dum quærit, multi Lacedæmoniorum fuga ſalutem quæſierunt. Poſt acceptam cladem, cum eſſet animus abiectus Laconibus, neq; iam amplius arma ſumere ſtatuiſſent, Tyrthæus recitatis elegis perſuaſit eis, vt arma non abijcerent, ſed bella capeſſerent. Ariſtomeni autem Andamiam reuerſo coronas & fruges iniecerunt mulieres, cãticum huiuſmodi concinentes:

Cãticum Ariſtomeni cantatum.

In medium campum Stenyclerion, & iuga montis

Spartanos ſequitur fortis Ariſtomenes.

Ariſtomenes poſthæc Delphos eſt profectus; cumq; ex Bœotia rediret, in templo Trophonij, reuelante Pythia, inuenit ſcutum, quo accepto maiora continuò eſt aggreſſus: namq; obſeruato veſpertino tempore in oppidum Pharis Spartanorum peruenit, indeq; occiſis, qui repugnabant, prædam ingentem abegit. In itinere autem, cum quidam Lacedæmoniorum grauioris armaturæ milites, & rex Anaxander irruerent, in fugam eos vertit, & Anaxandrum eſt inſecutus: ſed iaculo in coxendice grauiter vulneratus receptui cecinit; non tamen prædam ſibi, quam abegerat, extorqueri paſſus eſt. Poſtquam è vulnere conualuit, cùm vellet in Spartam irrumpere, Helenæ prodigijs & Dioſcurorum noctu eſt prohibitus. Virgines deinde, quæ in honorem Dianæ in Caryjs ſaltabant, per inſidias cepit, quarum patres opibus & authoritate valebant. Perductis his in Meſſeniæ vicum quendam, noctem illam quieuit, & militibus & manipularibus virginum cuſtodiam demandauit: Ibi petulantes adoleſcentes ad violãdas virgines impellebantur, vrgebantq; propoſitũ vel renuen-

Ariſtomenes virgines capit

te

te Ariſtomene, tanquam Spartanis viris ſolùm inferrent iniuriam. Et adeo res proceſſit, vt cogeretur Ariſtomenes quoſdam eorum interficere. Deinde virgines illæſas magna pecunia redemptas dimiſit. Eſt in Laconica Aegila, vbi templum Cereris eſt, ibi feſtum celebrari à mulieribus cùm ſciret Ariſtomenes, illuc cum militibus irruit: Sed cum mulieres non ſine numinis auxilio ad defenſionem proueherētur, multos Meſſeniorum & gladijs, quibus victimas ſecabant, vulnerant, & verubus, quibus aſſabant, transfigunt; Ariſtomenem verò facibus percuſſum viuum capiunt. Vt autem vinculis elaberetur, Archidamia Cereris ſacrifica in cauſa fuit, quæ eum illa nocte dimiſit, non largitionibus corrupta, ſed eius amore correpta: Excuſauit autem fugam, tanquam peruſtis vinculis Ariſtomenes euaſerit. Tertio belli anno, cùm prælium eſſet committendum ad foſſam magnam, & Arcades ex omnibus ſimul oppidis Ariſtomeni miſiſſent auxilia, Ariſtocratem Arcadum regem, & illo bello ducem Lacedæmonij pecunia corruperunt. Ariſtocrates accepta pecunia primò Arcadas celauit quid eſſet facturus; cùm verò ad manus iam eſſent venturi, eos perterrefecit, tanquam & anguſtijs forent comprehenſi, & ſi vincantur, recedendi copiam nullam ſint habituri: Sacrificia inſuper inauſpicata fuiſſe aſſerit. Quemlibet igitur iuſſit ſibi fuga conſulere, cum primùm ipſe ſignum daret. Cùm verò intuliſſent ſe iam hoſtibus Lacedæmonij, & contra niterentur Meſſenij, ſub initium pugnæ Ariſtocrates ſubduxit Arcades: Itaq; ſiniſtrū cornu, & medium agmen deſtitutum eſt præſidio. Ariſtocrates flagitium flagitio addidit, fugit enim per mediam aciem Meſſeniorum. Quare Meſſenijs cadebant animi, & Arcadum tranſcurſu erant perturbati; & quidam eos, vt manerent, ſuppliciter orabant; quidam cōuitijs aduerſus eos tanquam proditores, & iniuria ſunt vſi. Lacedęmonij deſtitutos auxilijs Meſſenios facile circumdant, ſuperant, fundunt. Ex Meſſeniorum vulgo multi ceciderunt, ex principibus etiam nōn pauci. Ariſtomenes, qui in illa pugna magna cum laude pugnauerat, ſed fruſtra, propter paucitatem, collegit Meſſenios palantes, quibus perſuaſit, vt mediterranea oppida deſererent, & in Iram montem commigrarent. Hunc ita que in locum cum ſe contuliſſent, eos obſidione Lacedæmonij cinxerunt, quibus Meſſenij per vndecim annos reſtiterunt; nec ſolùm reſtiterunt, ſed multis incurſionibus in agros Lacones exercuerunt, iumenta abigendo, meſſesq; Laconicas comburendo: captiuos inſuper ſub haſta vendebant. Fecerunt & irruptionem in oppidum Amyclas noctu, cepitq; illas Ariſtomenes, & diripuit, antequam Spartanī ſuppetias ferre poſſent. Deinde cum totam regionem deuaſtaret, obuiam factus eſt Lacedęmoniorum manipulis, & duobus regibus, commiſſoq; prælio vulnera inter pugnandum tum alia accepit, tum caput eius lapide eſt ictum, adeo vt tenebræ oculis offunderentur. Proſtrato eo Lacones frequentes accurrunt, viuumq; capiunt. Ceperunt item ex eius militibus circiter quinquaginta. Hos omnes Lacedæmonij in Cæadam (Barathri id nomen erat, quò Lacedæmonij nocentes præcipitabant) abijciendos cenſuerunt. Cæteri Meſſenij deiecti in Cæadam continuò perierunt, Ariſtomenem autem tum quoque, vt antea, deorum aliquis conſeruauit: Aiunt enim aquilam volatu ſe ſubmiſiſſe, aliſq; illum ſuſtinuiſſe, donec ad finem Barathri perueniret illæſus. Hic iam Ariſtomenes, ſciens fatale eſſe hominibus vt morerentur, obuolutus pallio, forti & imperterrito animo mortem expectabat. Tertio autem die poſt, cum ſtrepitum ſentiret, facie detecta vulpem cadauera corrodentem conſpexit, quam tacitus ſiuit ad ſe accedere, eamque vt acceſſit cepit, & altera manu chlamydem mordendam beſtiæ obijciebat, ne læderetur; fugere volentem ſequebatur apprehenſa cauda per tenebras: cumq; in loca tranſitu difficilia eſſet peruentum, à beſtia eſt auulſus. Tandem & cauernam quandam deprehendit, & per eam luminis ſplendorem vidit; tunc vulpem dimiſit, cauernamq; latiorem manibus reddidit, domūque in Iram montem incolumis euaſit. Ex templò Lacedæmonijs eſt per transfugas nunciatum, viuere Ariſtomenem; huic rumori non plus fidei eſt adhibitum, quàm ſi mortuus ſuis viribus reuixiſſe diceretur. Dum hæc aguntur, Corinthij Lacedæmonijs mittunt exercitum ad expugnandam Iram. Cuius rei cùm Ariſtomenes eſſet factus certior per exploratores, nocte ſopora ſecuros & palantes, nec excubias agentes

Mulieres Ariſtomenē capiūt.

Elabitur.

Ariſtocrates proditor.

Ariſtomenes ſecundò captur.

Seruatur per vulpē et elabitur.

tes Corinthios trucidat, vnà cum ducibus, ſpoliaq; diripit. Quæ res effecit, vt Spartani crederent Ariſtomenem viuere. Lacedæmonij poſt hæc quadraginta dierum inducias cum Iræ incolis pepigerunt, & ipſi quidem domum reuerſi feſtum celebrarunt; Cretenſes autem ſagittarij per Meſſeniam paſſim vagabantur. Ariſtomeni igitur ab Ira propter inducias longiùs profecto, & ſecurè vaganti, ſeptem ſagittarij inſidias ſtruxerunt: & captum loris, quæ in pharetris habebant, conſtringunt; duo verò Spartam proficiſcuntur, Ariſtomenem captum nunciaturi, reliqui Agellum Meſſeniæ vicum petunt. Habitabat ibi quædam puella cum matre, patre orbata, hęc noctu præterita per quietem viderat leonem vinctum, & vnguibus deſtitutum à lupis in agrum earum eſſe perductum, ipſa verò vinculis leonem exoluebat, vnguesque reſtituebat; & ſic lupi diſperſi à leone ſunt viſi. Tunc autem adducto à Cretenſibus Ariſtomene, intellexit virgo, re vera ſibi offerri, quod noctu antea apparuiſſet, & quis eſſet, matrem interrogauit. Vt rem percepit, Cretenſibus vinum infudit liberiùs, qui cùm fuiſſent inebriati, pugionem ab eo abſtulit, qui maximè ſomno erat oppreſſus; & ſic Ariſtomenis vincula reſecuit virgo. Ariſtomenes autem arrepto gladio Cretenſes interfecit. Hanc poſtea virginem duxit vxorem Gorgus Ariſtomenis filius: hoc enim modo pręmia perſoluit Ariſtomenes puellæ pro ſeruata vita. Vndecimo autem obſidionis anno fatale iam erat tum Iram capi, tum Meſſenios ſedibus eijci: habebat enim Ariſtomenes huiuſmodi oraculum:

Ariſtomenes tertiò capitur.

A virgine liberatur.

Cum Neda curuiuagas ex te caper hauſerit vndas,
Non ego Meſſenā tuear, qā fata propinquāt.

Neda.

(Neda fluuius eſt, cuius fontes ſunt in Arcadia, Meſſeniamq; ab Elæis diſterminat) Timebant itaq; Ariſtomenes & Theoclus vates (quibus datum fuerat oraculum) ne capri ex Neda biberent. Sed cum vates Theoclus iuxta Nedæ ripas ambularet, conſpexit caprificum, quæ ſummis folijs radebat aquas; hanc Græci Olynthum nominant, Meſſenij Tragum, id eſt, caprum. Vnde vates coniecit, id voluiſſe Deum ſignificare, inſtareq; iam fatum Meſſenijs. Id ſignificauit Ariſtomeni, reliquos Meſſenios celauit. Habebant neſcio quid in occulto Meſſenij, quod ſi euaneſceret, futurum erat ex oraculo, vt tota Meſſenia ſubmergeretur: ſin verò id conſeruaretur, fore vt regionem aliquando Meſſenij recuperarent. Id cùm certò ſciret Ariſtomenes, oracula noctu aſportauit, & in monte Ithoma defodit, vbi maxima erat ſolitudo; Iouemq; & reliquos Deos, qui Meſſeniam vſq; ad illa tempora ſeruauerant, adhibuit cuſtodes. Poſthæc nocte quadam procelloſa cuſtodes deſeruerunt præſidia, id cum per paſtorem quendam intellexiſſent Lacedæmonij, eadem nocte per tenebras inuadunt Meſſeniorum arcem. Quod cùm percepiſſet Ariſtomenes, venit cum Gorgo filio, Theoclo vate, Mãticlo Theocli filio, & alijs: noctu quidem nihil memoria dignum ab vtriſq; eſt geſtum. Orta autem luce, cum inuicem ſe aſpicere poſſent, Ariſtomenes Meſſenijs oraculum propalauit; qui in extremam deſperationem adducti, in Lacedæmonios quo quiſque potuit modo, impetum fecerunt. Meſſeniæ item mulieres correptas tegulas & ſaxa, aliaque in Lacedæmonios iaculabantur, ſed imbriū & fulgurum violētia oculos Meſſeniorum obcæcabat: quæ omnia Lacedæmoniorum animos erexerunt. Meſſenii tamen contra fatalem neceſſitatem totis viribus agebant. Tres itaq; dies contra Lacedęmonios ſteterunt, & totidem noctes, prodijt tandem Theoclus vates, & Ariſtomenem ſic eſt allocutus: Quid fruſtra laboras? capi Meſſenaim prorſus nunc fatale eſt; vidiſti caprificum, Apollo prędixit, mihi communem cum patria mortem Deus intentat: tu teipſum reliquosq; Meſſenios ſerua. Hæc cum dixiſſet in hoſtes irruit, quos ſic eſt allocutus: Atqui non perpetuò læti Meſſeniorum opibus fruemini. Poſthæc irruptione in hoſtes facta multos occidit, & ipſe interijt. Meſſenios à pugna auocauit Ariſtomenes, quibus præcepit vt ſe ſequerentur, ſi quem ipſe tranſitum præberet. Congregatis igitur vxoribus & liberis, in extrema parte poſuit filium Gorgum, & Manticlum vatis filium, ipſe in principio ad hoſtes conuerſus capitis nutu, ac motu haſtæ ſignificauit ſe tranſitum petere. Lacedæmonij ex Hecati vatis conſilio aditum patefecerunt, ne rabioſi homines, & ad extremam deſperationem perducti ſupra modum ferocirent. Meſſenios abeuntes ſuſceperunt Arcades allatis veſtimentis & cibis

Theocli vatis interitus.

bis

bis, terram inſuper cum eis ſunt partiti. Poſt aliquot deinde dies cum & Meſſenii & Arcades expeditionem occultam duce Ariſtomene in Lacedęmonios paraſſent, Ariſtocrates (quem ſupra diximus pecunia à Lacedæmoniis corruptum) hoc conſilium Lacedęmoniis patefecit. Hoc cum Arcades intellexiſſent (nunquam enim neque Arcades, neque Meſſenii proditorem putarunt Ariſtocratem) eum lapidibus obruerunt, inſepultumq; dimiſerunt. Rurſus Ariſtomenes cum quinquaginta Meſſeniis Iram montem inuaſit, multos ibi Lacedæmoniorum trucidauit, illorumq; triũphum vertit in luctum. Reuerſus in Arcadiam filium Gorgum, & Manticlum vatis filium cum exercitibus dimiſit, terras & ſedes quæſitum. Gorgus in Siciliam peruenit, & Zenclam vrbem occupatam Meſſenem nominauit. Manticlus inſulam Sardoam cepit, habitauitq; Ariſtomenes Delphos eſt profectus, quid ei reſponſum ſit, non dicitur. Cum filia deinde ſe in inſulam Rhodum contulit, poſtea Sardis ad Ardyn Gygæ filium. Cumq; ad regem Aphraortem animo deſtinaſſet iter, morbo correptus obiit. Neq; enim debebant Lacedæmonii vlla iam clade poſthæc ab Ariſtomene affici. Mortuo Ariſtomeni Damagetus ac Rhodii monumentum ædificarunt illuſtre, & honores ab eo tempore decreuerũt. Ariſtomenem item contendunt Thebanis in Leuctrico prælio auxilium tuliſſe poſt mortem, & in cauſa eum potiſſimùm fuiſſe, vt cladem acciperent Lacedæmonii. Hęc ex Pauſania. Quibus addimus feſtiuum Marulli epigramma:

Ariſtocratis pœna.

Ariſtomenis mors.

Viderat armatas vni dare terga cohortes
Iupiter; & Martem credidit eſſe ſuum.
Mox vt Ariſtomenes notus procul agnitus armis,
Et fulſit volucris auxiliaris apex:
Macte ait, o iuuenis, ſi te mea bella tuliſsēt,
Non alia cœlum tunc eguiſſet ope.

Dignum eſt relatu quod Plinius lib. 11. Nat. hiſt. cap. 37. de Ariſtomene ſcriptum reliquit: Hirto corde, inquit, gigni quoſdam homines proditur, neq; alios fortioris eſſe induſtriæ, ſicut Ariſtomenem Meſſenium, qui trecentos occidit Lacedæmonios; ipſe vulneratus & captus ſemel, per cauernam latomiarum euaſit, anguſtos vulpium aditus ſecutus: Iterum captus ſopitis cuſtodibus ſomno, ad ignem aduolutus lora cum corpore exuſſit: Tertiò capto Lacedęmonii pectus diſſecuere cauſa videndi, hirſutumq; cor repertum eſt. Idem narrat etiam Crinitus lib. 13. de honeſt. diſcip. c. 7. Vide Plutarch. in vita Romuli, & Val. Max. in fine libri 1. cum agit de Lynceo: ſed in omnibus codicibus inoleuit mendũ, legendum enim eſt ibi pro Athenienſes, Lacedæmonii. quod clarius eſt, quàm longiori indigeat probatione. Vide etiam Cœlium Rhodig. lib. 17. cap. 9. meminit quoque Dion Chryſoſtom. orat. 35. ferè initio.

Ariſtomenes corde hirſuto præditus.

Quantum inter aues] Collatio parium.

Semideos inter.] Semidei ſunt Heroes illuſtres, & nobiles viri, qui quoniam ad Deorum immortalium naturam quàm proximè acceſſerunt, ab imperita plebecula, & Poetis ipſis (qui vulgarem opinionem velis remiſque conſectati ſunt) in numero Deorum relati creduntur: Tales fuerunt illi, quos altero parente Deo, altero mortali prognatos exiſtimabãt: vt Hercules, Aeneas, Achilles, &c. Heſiodus:

Semidei.

Ζεὺς κρονίδης ποίησε δικαιότερον καὶ ἄρειον
Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἱ καλέονται
Ἡμίθεοι.
Iupiter Saturnius fecit iuſtius & melius,
Virorũ heroũ, diuinũ genus, qui appellantur
Semidei.

Ouidius 1. Metamorph.

Sũt mihi ſemidei ſilueſtria numina Fauni.

Et Statius 2. Achill. Reges ſemideos appellat. Lucianus in mortuorum dialogis ſub Trophonii perſona: Ἥρως, inquit, ἐστὶν ὃ μήτ᾽ ἄνθρωπός ἐστι, μήτε Θεὸς, ἀλλὰ καὶ συναμφότερόν ἐστι. id eſt: *Heros eſt, qui neque homo eſt, neq; Deus, & ſimul vtrumq; eſt.* Mitto quæ Plutarch. de oraculorum defectu diſputat, quæq; Diuus Auguſtinus 10. de ciuit. Dei, c. 21. aliiq; certè multi retulerunt de Heroibus.

Inſideant timidæ, &c.] Columbam pro trepidatione & timiditatis ſymbolo ponere vulgatiſſimum fuit antiquis, nam & nomen illi apud Græcos τρήρων, hoc idem ſignificat: deducitur enim à τρέειν, quod eſt *trepidare.* Homerus enim ſic:

Columba pro trepidatione.

Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ᾽ ὁμοῖαι. hoc eſt:

Hæ pauidæ greſſu ſimiles abiere columbis,

Ouid. 1. artis:

Vt fugiunt aquilas timidiſſima turba columbæ.

Pierius

Pierius Hieroglyph.lib.22.id ſcitè perſpi cueque declarat. Eſt enim columba auis *Columba natura.* ſimplex & ſupra modũ pauida,ita vt propter genuinum timorem in ſummis locis nidificet;admodum ſalax, fœtui continuò indulget,eaq; nihil fœcũdius,mares more fœminarum ouis etiam incubant & fouent, ob hæc Veneri ſacra eſſe creditur. Aquilæ odioſa,de qua re Varro plurima. Sed columbina ſimplicitas in prouerbium abijt.

Buſtum. *Buſta,*] Sepulchra,tumulos. Iuuenal. Satyr. 3.

——*portandum ad buſta cadauer.*

Ouidius Faſtorum 5.

Compoſitiq́; nepos buſta piabat aui.

Et Virgilius:

—— *ſemiuſtiq́; ſeruant Buſta.*

Cicero in Piſonem: Quorum ego furori niſi ceſſiſſem,in Catilinæ buſto,vobis ducibus,mactatus eſſem. Mortuorum cadauera olim cremabant,& cineres,quos religioſè aſſeruabant,buſta dicebantur,quaſi combuſta. Cicero tamẽ 3. De legib.buſtum pro monumento accipit, vt & Suetonius pro ſepulchro.

Aquila inſigne Romanorum. *Nos Aquila.*] Aquilam Romanorum (rerum dominorum) inſigne fuiſſe,quam plurimi auctores referunt. Neq; verò id ſine cauſa factum conijcio,nam vetuſti quique aquilam auium principem vocitabant: vt Horatius proinde dixerit,ei Iouem per *Aquila præſtãtia.* miſiſſe regnum in aues vagas. Obſeruabant enim eius auis præſtantiam virium,eam politam,concinnam, intrepidam, ſtrenuam, liberalem:quæ adiuncta perpetuò fortem *Aquilino naſo homines.* debent Principem comitari. Sed & aquilino naſo homines regios appellarunt, teſtibus Platone & Plutarcho:ita vt Perſæ ad regnum nemini aditum liberum concederent,niſi qui ea nota inſignis eſſent;atq; Cyrus ille, quem aquilino naſo fuiſſe memo- *Pyrrhus Aquila dictus.* rabant,Pyrrhus etiam Epirotarum Imperator,Aquilæ cognomen ſibi datum à ſuis lubens admiſit. Cùm enim milites eum Aquilam appellaſſent: τί γὰρ, inquit, οὐ μέλλω τοῖς ὑμετέροις ὅπλοις, ὥσπερ ὠκυπτέροις, αἰρόμενος. *Quid verò,non debeo veſtris armis, tanquam alis pernicibus, in altum tolli?* Imò verò apud Thebanos A- *Aquila ſacra auis Thebanis.* quilæ vt ſacræ aues colebantur, vt apud Aegyptios Crocodili,Ibes,Cynocephali. Imò non auſim equidem tranſilire, Aquilam olim rerum ſucceſſum proſperarum portendiſſe, ſic enim Iupiter omen optimum cepit,cùm ſibi aduerſus Titanas pro *Aquila omen.* ficiſcenti apparuit Aquila. Prætermitto lubens quę prolixa ſunt in Xenophontis commentariis. Certè Aquilam alii referunt, Gordii,pauperis alioqui viri, in curru per totum diem ſeſſitaſſe; vnde regnum Phrygiæ filio Midæ præmonſtratum volunt. Cùm Hiero admodum adoleſcens eſſet,& mediocrium homo fortunatum,primo bello,quod vnquam iniiſſet,Aquila ſedit eius clypeo, quod præſagium regni fuiſſe creditur. Tarquinio Romam migranti Aquila pileum è capite abſtulit; vnde Tanaquil vxor vaticiniorum perita regnum illi portendi coniecit. C. Marius puer Aquilæ nidum cum ſeptem pullis in agro reperit; cuius ominis ratio fuit ſeptem Conſulatibus oſtenſa. Celebratur & Octauii Cæſaris Principatus primùm Aquilę oſtento notatus. Cùm enim aliquando in via Campana pranderet, Aquila ex improuiſo panem ei de manibus eripuit,& leniter deinde reddidit. Nec prætermittendum quod legitur de Alexandro Macedone, quo recens nato, Aquilæ duæ in culmine domus per totum diem ſediſſe dicuntur; quod omen tum primùm captum fuit duplicis Imperii,nempè Aſiatici & Europæi. Sed hæc dum colligo,ferè non ſentio mihi ad reliqua pergendum. Vide Pierium Hieroglyph. 19.

IV. Carolus V. ſatis laudatus. Caroli V. laudes celebrat (vt Claudius Minos arbitratur) quem quam aptè cum Ariſtomene comparet,ſatis conſtabit, ſi quis geſta Caroli cum hiſtoria Ariſtomenis ſupra fusè enarrata conferat. Quare non multus ero in enumerandis eius laudibus,ne mihi contingat id,quod ſophiſtæ cuidam,qui cum appararet recitare librũ, & Antalcidæ percontanti,quod eſſet argumentum,reſpondiſſet,Herculis encomiũ: Quis,inquit,illum vituperat: Superuacaneum exiſtimans in eo laudando ſumere operam,quem omnes vno ore prædicarẽt. Hercules autem apud Spartanos religioſiſſimè colebatur,vt & Carolus apud Germanos;vixit enim is inter homines, vt viuus laudabilis fuerit, mortuus verò fœlix iudicetur.

Α'νέχου καὶ ἀπέχου.

Suſtine & abſtine.

EMBLEMA XXXIV.



ET toleranda homini triſtis fortuna ferendo eſt,
Et nimium felix ſæpe timenda fuit.
Suſtine (Epictetus dicebat) & abſtine. oportet
Multa pati, illicitis abſq; tenere manus.
Sic ducis imperium vinctus fert poplite taurus
In dextro; ſic ſe continet à grauidis.

COMMENTARII

I. A Vaccis grauidis, & armentorum grege paſcuo bubulcus taurũ reſpicientem ſegregat, in quem verberibus ſæuire videtur. Et quamuis epigramma de poplite vincto dicat, tamen hoc loco illud non exprimitur.

II. *Tauri ſymbolũ.* SVMPTVM eſt Emblema ex Oro Apolline in libello de Hieroglyphicis, vbi de tauro ſic ait: Hominum dubiæ & inſtabilis temperantiæ ſignificare volentes, taurum pingunt genu dextrum ligatum; ſic enim non coit. Alciatus vt hoc ob oculos poneretur, *συμβολικὸν* adiecit, nẽpe taurum roboris excelſi, patientiſſimum & abſtinentiſſimum animal. Aegyptii enim ſacerdores cum fortem & temperantem ſigni-

ſignificare vellent, taurum valetudinis integræ pingebant. Onerum enim & laborum omnium patientiſſimus eſt, ærumnas nullas detrectat, inſtatq; operi herili quantumlibet. Sed & abſtinens eſt, quippe qui poſt vaccæ conceptum cum illa non coeat, vt idem Orus lib. 2. Hieroglyph. & Plinius lib. 8. cap. 45. Vide Pierium Valer. lib. 3. Hieroglyphicon. Sed vt paucis, quemadmodum Patientia & Abſtinentia duæ virtutes ſunt præ cęteris vtiles, ſic iis oppoſita duo vitia, intolerantia nempè & incontinentia, multò omnium grauiſſimæ & exitioſæ maximè dicebantur Epicteto (teſte Gellio lib. 17. c. 19.) nempè cùm aut iniurias, quæ ſunt ferendæ, non toleramus, neq; ferimus: aut à quibus rebus voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus. Itaque, inquit, ſi quis hæc duo verba cordi habeat, eaq; ſibi imperando atque obſeruando curet, is erit plerunq; impeccabilis, vitamque viuet tranquilliſſimam. Verba duo hęc dicebat, *ἀνέχου καὶ ἀπέχου*. *Patere & abſtine*. De aduerſis æquo animo perferendis, quædam Lactantius 6. c. 18. & Plutarchus conſolatione ad Apollonium; de abſtinentia verò exempla longè multa ſunt apud Valer. Max. lib. 4. cap. 3. Vide quoq; adagium, *Suſtine & abſtine*. Vtriusq; verbi vim expreſſit Horatius 4. Carm. 11.

Vindex auaræ fraudis, & abſtinens
Ducentis ad ſe cuncta pecuniæ,
Conſulq; non vnius anni,
Sed quoties bonus atq; rectus
Iudex honeſtum prætulit vtili, &
Reiecit alto dona nocẽtium Vultu.

III. *ET toleranda homini &c.*] Aduerſa fortuna viro forti toleranda eſt. Huic reſpondet verbum *ἀνέχου*. Adhortatio eſt ad patiẽtiam, cui ſimile illud Virgilii 5. Æneid.
Quidquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferendo eſt.

Et nimium felix, & cæt.] Publii mimus eſt is:
Fortuna cum blanditur, captatum venit:
Tum enim maximè timenda eſt, cùm valde proſpera putatur. Ergo idem Publius verè:
Fortuna vitrea eſt, quæ cùm ſplendet, frangitur.
Horatianum hoc & vulgo tritum: *Sæpius ventis agitatur ingens Pinus*; quo videtur reſpexiſſe ad illa Herodoti, in Polymnia, *ὁρᾷς ὡς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι. τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέ μιν κνίζει. ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα, τὰ τοιαῦτα ἐπισκήπτει βέλεα; φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν.*
Alexidis hoc laudatur:
κἂν εὐτυχῇ τὶς, ὡς ἔοικε, προσδοκᾶν
ἀεί τι δεῖ, καὶ μή τι πιστεύειν τύχῃ.
Fortuna quamuis ſit tibi proſperrima,
Semper aliquid timeto, diffidens ei.

Epictetum.] Stoicus fuit natus Hierapoli Phrygiæ, ſeruus & claudus, cuius quidem morum & vitę tanta fuit admiratio, vt lucerna eius fictilis tribus drachmarum millibus penderetur. Circumfertur eius nomine Enchiridion multis paradoxis refertiſſimum, quod eius auditori Arriano tribuitur: continet libellus ille quaſdam diſputationes admodum vtiles & ſuccinctas ad perturbationes animi cohibendas. Hũc Politianus Latinitate donauit. Duos Epicteti de ſe verſus citat Aulus Gellius lib. 2. cap. 18. quos is ſic Latinos fecit: *Epictetus.*
Seruus Epictetus fuerãt qui corpore mancus,
Pauperie preſſus, charus eram ſuperis.

Illicitis abſq; tenere manus] Tmeſis. id eſt, tenere manus abs illicitis. nam abſque hic non eſt vna dictio, ſed duæ, conflatæ ex præpoſitione abs, & copulatiua que, ne quis fallatur. Suadet itaq; continendas eſſe manus ab illicitis.

Sic ducis imperium] id eſt, ductoris. Ægyptii cùm indicarent hominem modeſtum, & qui facilè poſſet à malè factis auerti, taurum genu dextro ligatum pingebant. Si enim dextro genu conſtringatur, manſuetum ſe præbet, & vincula conſequentem. Pierius eodem lib. 3. *Tauri ſymbolo quid ſignificetur.*

Poplite.] Poples, genu eſt curuatura, pars genu oppoſita. Lucanus: *Poples.*
——niſi poplite lapſo
Vltima curuati procederet vngula tauri,

Sic ſe continet à grauidis.] Huc pertinet egregium Ariſtotelis verbum *ἀτιμαγελεῖ*, de tauro dictum, qui ſeorſum à vaccarum conſortio & grege paſcitur, id eſt, *abarmentatur*. *Ἀτιμαγελεῖ.*

IV. DVOBVS his verbis, *ἀνέχου καὶ ἀπέχου*, Philoſopho Epicteto familiaribus, tota bene viuendi ratio comprehendi poteſt. Primò ſiquidem ad patientiam adhortabatur, qua quiſque diſceret tum aduerſos fortunæ caſus, tum etiam laborem ęquo animo per- *Philoſophia Epicteti duobus comprehenſa verbis.*

perferendum: altero, eſſe ab omni luxu, potiſſimumq; venereo præcipiebat abſtinendum. Quæ duo præcepta duobus hiſce verbis comprehenſa, ſic Horatius illuſtrauit:

Qui ſtudet optatam curſu cõtingere metã,
Multa tulit fecitq; puer, ſudauit & alſit,
Abſtinuit Venere & Baccho.

Patientia. Itaq; duo præcipuè nobis hoc emblemate proponuntur, tolerantia & abſtinentia.

1. In tolerantia conſtans hominis animus agnoſcitur, quando ſcilicet malis non cedit, ſed contrà audentior exſurgit. Vnica ſiquidem cõſtantia hominem ab hominum communi fęce differentem maximè, & longè nobiliorem facit: quandoquidem, vt doctè cecinit Prudentius, omnibus alijs virtutibus, & ſocietatem & auxilium ſuum fortis patientia miſceat; virtusque omnis vidua ſit, quam non patientia firmet. Grauiter ad hunc ſenſum Horat. 2. Carm. 3.

Æquam memento rebus in arduis
Seruare mentem, non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Lætitia. ——

Exemplo eſt Socrates, qui ea fuit æquanimitate, vt abeuntem domo, & redeuntem eodem ſemper vultu fuiſſe dicebat Xanthippe, moroſa vxor. Stoici ergo πρὸς τὴν εὐθυμίαν inducebant ſuis diſputationibus, τὴν ἀναλγησίαν, καὶ τὴν ἀπαθίαν. Et huc ſpectant Senecæ conſolationes, & ferè omnes epiſtolæ, quibus tolerantia & ſobrietas eruditis aculeis inſtillantur.

Abſtinentia. 2. At quantũ conducat abſtinentia, quantasq; habeat vires, pleni ſunt auctorum libri, plena antiquorum monumenta: iam enim latè patet, vt per omnia omnium virtutum domicilia ferè locum ſibi ſuo iure vendicet. Hinc apud Lactantium triplex ſtatuitur virtutis gradus: primus eſt à malis operibus abſtinere: alter, à verbis malis: tertius, à rerum malarum cogitatione. Notum eſt illud:

Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.

Cui non malè conuenit Ciceronis illud Offic. 1. Bene Pericles, cum haberet collegam in prætura Sophoclem Poetam, hique de communi officio conueniſſent, & caſu formoſus puer præteriret, dixiſſetq; Sophocles: o puerum pulchrum, Pericles? At enim pretorem, Sophocles, docet non ſolùm manus, ſed etiam oculos abſtinentes habere. Anacharſis Scytha eo geſtu repertus eſt apud Solonem dormiens, vt altera manu pudenda, altera os obſignaret, continentiæ & ſilentij ſigna exprimens. Duo enim ſunt in homine membra, quę non niſi admodum difficulter edomari poſſunt, lingua nempe & genitalia. Itaq; quod Anacharſis toto ætatis ſuæ tempore bellum voluptatibus indixerit, ſtatuis eius inſcriptum fuiſſe legimus, γλώσσης καὶ γαστρὸς, καὶ αἰδοίων κρατεῖν. Quare cum ſacerdotes Aegyptij frænum libidinibus imponendum eſſe ſuaderent, viri genitale manu cohibitum & repreſſum pingebant. Referrem quæ de Alexandri Macedonis continentia ab hiſtoricis memorantur, qui nuptam mulierem attingere, neq; Darij filias captiuas videre ſuſtinuit, ſed hæc ſunt in ore omnium. Huc facit illud Horatij: *Continentia geſtu.* IV.

Non poſſidentem multa vocaueris
Rectè beatum. rectiùs occupat
Nomen beati, qui deorum
Muneribus ſapienter vti,
Duramq; callet pauperiem pati,
Peiusque letho flagitium timet.
Non ille pro caris amicis
Aut patria timidus perire.

Item illud ἀνέχου ſic:

——& per obſtantes cateruas
Explicuit ſua victor arma.

Niſi id primum conferre manis cum illo 3. Carm. 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolida ——

3. Ex conſequenti hic inculcatur quoque continentia coniugalis, taurus enim, vt & cętera animalia, poſt impregnationem cum compare non coit, ſolus homo in tatem libidinem prurit, adeo vt δεκαπλασίως mulier affectet concubitum quam mas, ſi vtero gerat, vt refert Cœlius Rhodig. lib. 14. cap. 4. tunc enim ſemen conceptum neruos mouet, & inde ardor confricationis innaſcitur. Videant igitur mariti quomodo hac in parte mulieribus morem gerant. Laudatur continentia Druſi, qui ſe vxori ſeruauit integrum, quamdiu verſatus eſt in expeditione Germanica. Et Peſcenius Niger ignarus rei Venereæ fuiſſe dicitur, niſi quantum liberis procreandis impenderetur. Claudian. 2. de laudibus Stiliconis, quo loci laudat pudicitiam Theodoſii. *Continentia coniugalis.*

Hinc fuit ut primos in cõiuge diſceret ignes,

Ordi-

Ordiriq; virum non luxuriante iuuenta,
Sed cum lege thori caſto cum fœdere vellet.

Obuius ſeſe locus offert D. Hieronymi aduerſus Iouinian. Inconceſſum maritis poſt conceptum fœtum mulieribus iungi, tum quòd venter tumidus non ſubigatur ſine periculo; tum quòd non ſuſcipiendæ prolis cauſſa coeatur.

In adulari neſcientem.

EMBLEMA XXXV.



SCIRE cupis, dominos toties cur Theſſalis ora
Mutet, & vt varios quærat habere duces?
Neſcit adulari, cuiquàmve obtrudere palpum:
Regia quem morem Principis omnis habet.
Sed veluti ingenuus ſonipes dorſo excutit omnem,
Qui moderari ipſum neſciat Hippocomon.
Nec ſæuire tamen domino fas: vltio ſola eſt,
Dura ferum vt iubeat ferre lupata magis.

COMMENTARII.

I PINGITVR generoſus equus cum ſuo equite, habitu & apparatu equeſtri, quem equus eleuatis anterioribus pedibus, quaſi inſeſſoris impatiens, excutere nititur.

Ex Vlpiano Demoſthenis interprete, hi- II.

Locus e Demoſthenis interprete. ſtoriam primi huius diſtichi petitam ſuſpicor. Verba eius non piget adſcribere: ἀλεύας ἀπόγονός τις τοῦ ἡρακλέους θετταλὸς, ἐτυράννευσε θετταλῶν. εἶτα καὶ οἱ τούτου παῖδες. μὴ φέροντες οὖν τὴν τυραννίδα οἱ θετταλοὶ, καὶ ἀποροῦντες τί δεῖ ποιεῖν, μετεπέμψαντο εἰς συμμαχίαν τὸν φίλιππον. εἶτα ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐξέβαλε τοὺς ἀλευάδας ἐκ τῆς τυραννίδος. καὶ ὑπὲρ τούτου χάριν αὐτῷ ὁμολογοῦντες οἱ θετταλοὶ, δεδώκασιν αὐτῷ νέμεσθαι παγασὰς καὶ τὰ χρήματα τὰ ἐκ τῶν λιμένων καὶ τῆς ἀγορᾶς. ἄπιστοι θετταλοὶ ἐνομίσθησαν, ἢ διὰ τὸ τὸν ἰάσονα θετταλὸν ὄντα, ἄπιστον ὀφθῆναι περὶ τὴν μήδειαν. ἢ ὅτι τῷ πελοποννησιακῷ πολέμῳ, ἐν αὐτῇ τῇ παρατάξει ἀπὸ ἀθηναίων πρὸς λακεδαιμονίους μετετάξαντο, ὥς φησιν ὁ θουκυδίδης. id eſt: *Aleuas quidam ex Herculis familia Theſſalus, tyrannide in Theſſalia potitus eſt: deinde huius etiam liberi. Quam cùm Theſſali nec ferre poſſent, & quò ſe verterent, non haberent, Philippi opem petierunt. Is cùm veniſſet, Aleuadas tyrannos expulit. Cuius beneficij nomine gratum ſuum animum declaraturi, vſumfructum Pagaſarũ, portoriorum item ac mercatuum vectigalia illi conceſſerunt. Perfidi autem exiſtimati ſunt, vel propter Theſſalum Iaſonem, quem Medea fregiſſe fidem conſtat; vel quia bello Peloponneſiaco, cùm vtraq; acies iam ſtaret in procinctu, ab Athenienſibus ad Lacedamonios defecerunt, vt ait Thucydides.* Hactenus Vlpian. Innaſcitur autem plerunq; popularis rebellio, vel ob iniquam magiſtratus adminiſtrationem, vel intolerabilem Principum tyrannidem. Extant apud

Locus ex Liuio de Theſſalis. T. Liuium Dec. 4. lib. 9. orationes, quibus mutuis conuitiis ſe lacerant Philippus Theſſalorum rex, & ipſi Theſſali coram legatis, quos Senatus ad diſceptandas controuerſias miſerat. Verba Liuii ex oratione Theſſalorum hęc ſunt: Nequicquam & illum victum, & ſe liberatos eſſe, vt equũ tenacem non parentem frænis aſperioribus caſtigandum eſſe. Philippus ſic claudit ſuam orationem: Inſolenter & immodicè abuti Theſſalos indulgentia populi Romani, veluti ex diutina ſiti nimis auidè meram haurientes libertatem. Itaq; ſeruorum modo præter ſpem repentè manumiſſorum licentiam vocis & linguæ experiri, & iactare ſeſe inſectatione & conuitiis dominorum. Nec vero hic tranſire poſſum, equum rectè cum populo, non quouis, ſed ferocienti, & quiniſi difficulter fręno pareat, ſeſſorem cum principe comparari. Di-

Equi hieroglyphicum. dici enim fręnato æquo hieroglyphicè hominem deſignari ferocem quidem & animo inuicto, ſed qui tamen obſequatur rationi. Eſt enim equus animal ferox & ſuperbum, ſed quod hominis leges ſubeat, & quas non egrediatur, vbi paululum aſſueuerit: vt quod ait Horatius,

Non equitem dorſo, non frenũ pellat ab ore.

Sic Virgilius in Georgic.

Sed tamen ijdem olim curru ſuccedere ſueti
Quadrupedes, & frena iugo cõcordia ferre.

Idipſum & obſeruatur in Carthaginis hiſtoria: cùm enim vrbis fundamenta iacerentur, caput acris equi repertum, & hinc gentem fore bello egregiam pręmonſtratum eſt: cuius oſtenti ea ſignificatio fuit, facilem victu per ſęcula gentem. Addam & hoc, apud Onirocritas & ſomniorum coniectores, caput equi, aſini, canis, ſi in ſomnis apparuerit, ſeruitutem ſignificari. De quibus iam ſatis. Nunc ad hiſtoriam redeo, (inquit Claudius Minos) quam me non ſtatim eſſe nactum fateor, ſed pęnè aliud agẽs tandem reperiſſe. Cum enim iam horum commentariorum, non quidem perpoliendorum, ſed ſcribendorum me ſatietas aliqua tandem caperet, quippè qui ad ſtudia grauiora feſtinarem, mihiq; permulta nõdum ſatisfacerent, quod omninò, ſicuti mihi propoſueram initio, conſilium auctoris detexiſſe non viderer, maximeq; trium vel quatuor Emblematon, & huius ipſius in primis, opportunè de iis verba facienti & ſtudia humanitatis recolenti (tres ante annos, ni fallor, vnà cum viro doctiſſimo Roberto Vuidio, Tornodorenſi, Glareani Loriti quondam auditore, qui per ſeptennium hac in Academia Pariſienſi diligenter & eruditè docuit) mihi venit in mentem, quod aliud agens ab homine amico acceperam, huius Emblema-

Locus ex Diodoro Siculo. tis originem videri hauſtam ex Diod. Siculi lib. 16. ad annum Philippi 4. Sic enim penè Diodorus: Alexandrum Phereum tyrannum interfecerunt Thebe vxor eiuſq; fratres Lycophron & Tiſiphon: qua ex re ſibi gratiam popularem pepererunt. Hi tamen in apertam tyrannidem prolapſi, ſæuitiam tantam exercuerunt, vt Principes Aleuadę in Theſſalia nobiliſſimi in eos con

iurarint

iurarint. Quòd verò id per ſe non poſſent, Philippum Macedonium in ſui auxilium aduocarunt: qui profectus in Theſſaliam, tyrannis deuictis libertatem huic populo reſtituit.

III. *Theſſalia.* *THESSALIS ora*] Regio Theſſalica, id eſt, ipſi Theſſali. Theſſalia regio eſt Græciæ famoſa, montibus & ciuitatibus clara. Strabo lib 9. Gens inquieto genio &c. Flauius Vopiſcus in Saturnino de Gallis neſcio quid tale ſcripſit: Saturninus, ait ille, oriundus fuit Gallis, gente omnium inquietiſſima, & auida ſemper vel faciendi principis, vel imperij.

Toties dominos mutet] Reges, ſeu tyrannos potius. Hiſtoriam paulò ſupra ex Diodoro Siculo lib. 16. & Vlpiano retulimus.

Obtrudere palpũ. *Obtrudere palpum*] Prouerbium Plautinum, pro eo, quod eſt, arte doloq; fallere, ſiue adulari. Hinc Palpones dicuntur adulatores. Tranſlatio ab equiſonibus, qui refractarijs equis vel manuum plauſu, vel linguæ palpo blandiri ſolent. Lege Chiliad. Grauiſſimam offenſam tulit Veſpaſianus, quòd Neroni cantanti aut diſcederet, aut obdormiſceret, vt eſt apud Sueton. in Veſpaſiano.

Regia quem morem &c] Huc pertinet oratio Maronitarum ex Liuio, loco paulò ante citato: Itaq; dominari aſſentatores regios, his ſolis loqui & in Senatu, & in concionibus licere: eos omnes honores & capere ipſos, & dare alijs: optimum quemque, quibus libertatis, quibus legum cura ſit, aut exulare pulſos patria, aut inhonoratos, & deterioribus obnoxios ſilere. Occurrit exemplum Conſtantini Manaſſis, de Imperatore Michaele ab aſſentatoribus miſerè perdito: *Principes ab aſſentatoribus perditi.* In fabulis eſt (inquit ille) venatorem illum Actæonem à rabidis canibus pro fera dilaniatum: ſic certè cùm Michaelem ſtipaſſent aſſentatores quidam improbi, effœminati, omninoque malè feriati, in quod exitium miſerum, in quam malorũ Lernam eum non coniecerunt? Curtius lib. 8. Non deerat talia concupiſcenti perniciosa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio, quã hoſtis euertit. Paterculus 2. hiſtoriæ Rom. de nepote Auguſti Caio: Nec defuit conuerſatio hominum vitia eius aſſentatione alentium: etenim ſemper magnæ fortunæ comes adeſt adulatio.

Sonipes. *Ingenuus ſonipes*] Equus liber, generoſus, velox & ſuperbus, ſic dictus à ſonitu pedum, quem quaſi ad viuum verſu expreſſit Virgilius:

Quadrupedante putrem ſonitu quatit vngula campum.

Hippocomon. *Hippocomon.*] Ab equis ornandis ſeu componendis, vt etiam Hippocomius ab equis inſtruendis fucato colore, robur inani ſagina mentientibus, ait Quintil. Alciatus noſter in annotationibus in lib. 12. C. in l. non patimur ypocomos, vbi legendum Hippocomos, id eſt, ſtabularios, qui equos curant. ἵππος enim equum ſignificat, κομέω, nutrio, curo. Exiſtimo autem fuiſſe munus publicum eorum, qui in id agebantur, vt de prouincialibus acceptos cauſa publici curſus equos cura ſua alerent. Hæc ille. Forte illi ſunt, quos Itali vocant cauallarici, Germani Roſbereiter.

Clemẽtia principũ. *Nec ſæuire tamen domino fas*] Clementia principem maximè decet, nihilq́; debet eſſe ab eo tam alienum, quàm nimia cenſuræ ſeueritas; quòd ſi cogant iura & leges in facinoroſum aliquando ſæuire, id efficere debent, non quidem perſonæ, ſed vitij odio.

Lupata. *Lupata.*] Fręna aſperrima, quibus equus ferocior coercetur, à lupinis dentibus ita nominata, qui dentes inęquales sũt. Ouid. 1. Amorum:

Aſper equus durus contunditur ora lupatis.

Claudian. 2. de raptu Proſerpinæ:

Terruit orbus equos preſſis parere lupatis.

Et Panegyrico de Probini & Olybrij conſulatu:

——*Iuga ferrea nectit*
Cornipedes, rigiduq; docet ſeruire lupatis.

Principibus conſulere difficile. Plutarchus ſcribit, difficile eſſe conſilium dare regibus: non enim regium putant ad rationis præſcriptum viuere, qui regiam maieſtatem velint in effrænata licentia: alieno ſeſe arbitrio permittere, ſeruile arbitrantur. Quare ſuis moribus viuunt, ſeu verius, pro ſua libidine faciunt omnia. Si verò ſint paulò moderatiores, ne ii quidem interpellatorem æquo ferunt animo: adeò Regibus inſita eſt quaſi perpetuum, ac vernaculum malum, ignorantia. Si bene atq; ex officio adminiſtrent, id totum ſibi acceptum referri volunt: extraneos conſultores in ſocietatem laudis admittere dedignãtur. Vnde illud, *Magno conſtare regum amicis bona conſilia.* Eodem ferè ſenſu, niſi me fallit animus, ſugillat Galliarum

populos Lampridius in Alexandro Seuero, quo loci ait: Verùm Gallicanæ gentes, vt ſe habent duræ ac retrogradæ, & ſæpe in peratoribus graues. Idem dici par eſt de Belgis, quod peruicax, & ſuperbum hominum genus, & vix vnquam ſuis principibus morigerum. Hæc vetus ſcriptor de Belgis, fortaſſe verè pro ſuo tempore.

IV. 1. DISCANT hinc principes qua ratione ſubditos regere & moderari debeant, ne imperitis rerum gerendarum accidat quod equiſoni, qui dum equum alioqui violentum moderari neſciat, nec cùm ſit opus aut fræno, vt ſiſtat, aut calcaribus, vt incitet ad curſum, aut modum teneat, excutitur facillimè, ſeq; ex eius manu equus eximit: Eodem modo Princeps importunus, & in ſuos plus æquo ſæuiens, vel etiā omninò regni adminiſtrandi prorſus ignarus, vulgi animos in ſe commouet. Eam ob cauſam dicebat Ariſtippus, bene ceſſurum Regi & Principi, ſi equitandi artem primum teneret: etenim ſi alias diſciplinas diſceret, id quidem hominum opera & vigilijs effici, qui tamen ſæpenumerò verum dicere ne quidem audent, vt quod ſciunt odioſum eſſe principibus, qui cùm delinquerint, argui nolunt: at equitandi peritiam Princeps non modò ex hominibus, ſed ex equo didicerit, qui adulari neſciat, vt homo, nec certè blādiri, vt paraſitus aut ſcurra. Si enim vel ipſe Princeps equum, vt decet, non rexerit, erratum ſtatim equus vindicabit, ſuumq́ue ſeſſorem, quicunque ſit, deiiciet. Seriò itaq; priùs ars hæc addiſcenda principi, aut ſeſe indignum reputet, qui in tanto dignitatis gradu ſedeat. Quod præceptum alicubi à Plutarcho literis conſignatum memini ad hunc fermè ſenſum: Qui equos domant, ijs primùm adblandiuntur, ac molliſſimè tractant, vt aſſueſcant fræno: ſic popularis multitudo lenitate retinenda & excipienda ei, qui diu in pace regere cupiat. Huc reſpicit grauiter dictum à Scipione Africano maiore, quo regi Antiocho pacem cum Romanis inire cupienti exprobrauit, non eſſe tempus, quandoquidem rex ipſe perpeſſus eſſet lupatum & hippocomonem. Quò etiam Stobæi ea pertinent, quæ retulit ex Epicteto, ſerm. 44. Quemadmodum, ait, bonus equorum domitor non bonos tantum pullos alit, feroces autem famelicos valere iubeat, ſed ambos ex æquo nutrit, magis verò caſtigat alterum, & cogit ſimilem fieri meliori: ſic vir prouidus, & ciuilis facultatis peritus, bonos ciues beneficiis demereri, malos autem non continuò perdere conatur, ſed de alimento quidem minus ei proſpiciet, inſtituet verò, & vrgebit eū vehementiùs qui rationi & legi obſtiterit. Plutarch. initio De inſtitutione liberali: Qui equi à primis bene domiti annis, ſuis non obſequuntur ſeſſoribus? Qui autem indomiti perſtant, nonne ceruice duriſſimi, & animis feroces euaſerunt? Idem De diſcrimine adulatoris & amici, ex Carneade ait: Diuitum & regum filios nihil rectè neque bene diſcere, præterquàm equitare: quòd his aſſentetur præceptor in exercitatione literarum, ſemper ea probans quæ puer admiſerit, cedens ac ſubmittens ſeſe plus quàm par eſt. Certiſſimum enim eſt, ſæpè ab equo ſeſſorem deijci, qui equitandi fuerit ignarus. Hæc ferè Plutarch. Græca ſtudioſis penè omnibus ad manum eſſe ſcio, vnde latius non diffundor.

Equitādi peritia qua ratione in principibus eſſe debet.

Scipione cordatavox.

Carneadis apophthegma.

2. Taxatur pernicies regum, adulatio, quę plerunq; in aulis Principum ſedem habet, & veritati os obſtruere nititur: nam reges non facilè patiuntur ſibi molles auriculas mordaci radere vero, vt Perſius ait Sat. 1. Imò quotusquisq; ex aulicis eſt, qui vel hiſcat pro veritate contra mendacium? De hoc Principum ſolenni vitio Tacitus lib. 1. Hiſtoriarum, in oratione Galbæ Piſonem Licinianum adoptantis: Irrumpet adulatio, blanditiæ, peſſimum veri affectus venenum. Suadere principi quod oportet, multi laboris. Hæc ille. Marcellinus verò Ammianus paſſim de aſſentatoribus Conſtantij Imperatoris, Iuliani virtuti laudiq; detrahentibus, ſed maximè ad finem lib. 16. ita ſcribit: His tot ac talibus proſpero peractis euentu, in palatio Conſtantij quidam Iulianum culpantes, vt princeps ipſe delectaretur, Victorium ſiue Victorinum ideò nominabant, quod verecundè referens quoties imperaret, ſuperatos iudicabat ſæpe Germanos. Interq; exaggerationem inanium laudum, oſtentationemq́ue apertè luculentium, inflabant ex vſu Imperatorem ſuopte ingenio nimium, quicquid per omnē terræ ambitum agebatur, felicibus auſpicijs eius aſſignantes. Quocirca magniloquentia elatus adulatorum, tunc & deinde edictis propoſitis, arroganter ſatis multa mētiebatur, ſe ſolum, cùm geſtis

Adulatio taxata.

Adulatio in aulis principū.

Adulatores Conſtantij.

geſtis non aſſuiſſet,& dimicaſſe & viciſſe, & ſupplices reges gentium erexiſſe aliquoties ſcribens: & ſi, verbi gratia, eo agente tunc in Italia dux quidam egiſſet fortiter contra Perſas,&cæt. Tam longè exulat veritas ab aulis principum, vt non immeritò dixerit, quiſquis ille fuerit, autor Alphabeti aulici:

Quæſtus adulari & mẽtiri primus in aula.

Antigonus rex. Antigonus rex Aſiæ aliquando inter venandum, mutata veſte, relictis comitibus, errabundus apud agreſtes homines in vili tugurio pernoctabat incognitus, de ſe ipſo tanquam de altero percontatus aſtantes, omnia quæ fecerat mala, ab illis audiuit. Mane quęſitus atq; inuentus, cum veſtem allatam & regium ornatum vidiſſet: Date, inquit, purpuram, quam vt primùm indui, verum de me, niſi hac nocte, audiui nunquam. Tale eſt, quod fertur de Ludouico VI. Francorum rege, qui ſæpe diſſimulato habitu turbæ ſe admiſcuit, vt liberas populi voces & iudicia de ſe exciperet, quo facilius & ſuis & Reipub. mederetur incommodis. *Mãmeæ querela.* Nota eſt Alexandri Mammææ Imperatoris querela; veritatem, aiebat, regum auribus minimè eſſe peruiam, in tanta quidem adulatorum turba. O graue regibus incommodum, rerum veritatẽ vix, ac ne vix quidem ipſos percipere; longè verò grauiſſimum, quod ſobriarum admonitionum minime ſint capaces, ſed tanquam aduerſus incantationes, ita aduerſus bonas admonitiones obturant aures, & obdurant corda, ſolis adulatoribus faciles & morigeri. In aulis enim Principum

πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριϛα πάντων, δεύτερα

Ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτα λέγει.

Auguſtus. Subit Imperatoris Auguſti auguſta confeſſio Is mortuo Varo, idcirco ſupra modum dolere ſe aiebat, quod non eſſet, à quo verum audiret. Quidam non inconcinnè hac de re ratiocinatur. Habent, inquit, principes nonnulli apud ſe fęminam quandam vultu formoſiſſimam, quam magni faciunt, induuntq; veſte longiſſima ad talos vſq; deſcendente; hæc altero pede plerumq; claudicat, nonnunquam vtroq; etiam: quo fit, vt ægerrimè ferant, ſi ventus quiſpiam ſpirans veſtes, quibus hæc puellæ vitia teguntur, quandoq; attollit. Quare inſtituere permultos, qui non ſecus huiuſmodi ventos buccis plenis abſorbeant, atq; Charybdis & Scylla marinas aquas, & quæ in iis ſunt deglutire conſueuerunt. Id explicans ſubiungit: Principum vitæ conditio, permultis expetita, potentia prudentiaq; vtitur, & magna autoritate exornatur: quam veritas denudare & imminuere, adulatorum ora obtegere conſueuerũt. Nam regnat nunc *φιλοκολακία*, vt multis mendaciorum & calumniarum lues, velut obſonium omnino eſſe videatur. Et ita ipſi ex ſtultis reddunt inſanos, ex inſanis inſanabiles. *φιλοκολακία vitium ſolemne.* Habet illa Siren, adulationem dico, cautionem cari noſtrę ſuauiſſimam; ſumus enim *φίλαυτοι*, & quiſq; ſibi Suffenum agit. Longè ſecus Dauid egit, qui prolixè deſcribit, quos & quales in aula ſua ferat. Non erat ſtipatus, vt nunc fit, magno agmine aionum, negonum, ganeonum, gnatonum, balatronum; quos Conſtantinus tineas ſoricesq; palatij appellare ſolebat, vt Anaxilaus opum vermes, Diogenes canes regios. Heliogabalus alligabat eos rotæ aquaticæ, vocans eos amicos Ixionicos. Doceat adulatores reprimere Sigiſmũdus Imperator, qui cum à quodam ſupra modum laudaretur in faciem, & diis prædicaretur ſimilis, illi colaphum impegit; dicentiq; Cur me cædis Imperator? reſpondit, Cur me mordes adulator? De adulatione præterea & pernicioſis blanditiis plurima habet Cicero in dialogo de Amicitia, vbi poſt multa ſic ait: Scitum enim eſt & hoc Catonis, multò melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quam eos amicos, qui dulces videntur: illos namque verum ſæpe dicere, hos nunquam. Vide quoq; quę infra de adulatione dicemus.

Obdurandum aduerſus vrgentia.

EMBLEMA XXXVI.



NITITVR in pondus palma, & conſurgit in arcum;
Quò magis & premitur, hoc mage tollit onus:
Fert & odoratas, bellaria dulcia, glandes,
Queis menſas inter primus habetur honos.
I puer, & reptans ramis has collige: mentis
Qui conſtantis erit, præmia digna feret.

COMMENTARII.

I. *Palma arbor.* PALMA arbor eſt in Iudæa frequens, frondibus perpetuò virentibus, quas etiam nunquam amittit. Coma eius eſt in cacumine, & pomum non inter folia, ſed inter ramos habet. Folia cultrato ſunt mucrone lateribus in ſe bifidatis. Pomum palmæ eſt oblongum, non vt oliuæ orbiculatum. Hæc igitur arbor huc appingenda venit, cuius rami nonnihil inflexi puerum adhærentem ſurſum rapiant, ad ſignificandam eius firmitatem, vt quæ contra pondus nitatur.

HVIVS Emblematis primarius typus mihi videtur, niſi coniectura fallor, petitus è Quintio auctore Græco, qui editum quendam locum & admodum aſperum, difficilemque aſcenſu tradit, cuius in ſummitate palma conſurgat, illicque virtus inſideat, nimirum ex montis aſperitate varios & difficiles labores: ex palma verò tē- II. *Emblematis prototypus.*

pora

poſſe diuturnitatem intelligens. Nullus enim eſt, qui virtutem aliquam poſſit aſſequi, niſi multis laboribus diuque perpeſſis. At temporis diuturnitas nullo ſigno figurari melius poteſt, quàm eo quod anni & menſis habetur ſymbolum. Huc facit illud Quintiliani: Deſinit in aduerſa niti, qui peruenit ad ſummum, ſcandenti circa ima, labor eſt. Anſam quoq; præbere potuit Gellius in noctibus Atticis, lib. 3. c. 6. cuius hæc ſunt verba: Perhercle rem admirandam Ariſtoteles in 8. Problem. & Plutarchus in 8. Sympoſiac. dixit: Si ſupra palmæ, inquit, arboris lignum magna pondera imponas, ac tam grauiter vrgeas, oneresque vt magnitudo oneris ſuſtineri non queat, non deorſum palma cedit, nec intra flectitur: ſed aduerſus pondus reſurgit, & ſurſum nititur, recuruaturq; Propterea, inquit Plutarchus, in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenium eiuſmodi ligni eſt, vt vrgentibus, opprimentibusq; non cedat. Hęc Gellius. Commodè huc mihi ſeſe offert locus Phornuti Græci ſcriptoris, libro de natura Deorum, cap. de Muſis, vbi ait, Muſas ex veterum ſententia coronari palma, ob nominis ſimilitudinem, eo quòd Phœnices primi credantur litteras inueniſſe. Probabilior autem ratio eſt, quæ ab eo ſumitur; quòd planta hæc tenella ſit, quòd benefica, quòd perpetuò virens: Arbor hęc difficulter ſcanditur, fructusq; refert ſuaues admodum, vt non abs re Muſæ coronis vtantur è palma confectis. Græca ſi quis malit, apponam: στεφανοῦνται δέ φοίνικι, ὡς μέν τινες νομίζουσι, διὰ τὴν ὁμωνυμίαν, ἀπὸ τῶν φοινίκων δοκεῖν εὑρήματα εἶναι τὰ γράμματα· ὡς δὲ εὐλογώτερόν ἐστι, διὰ τὸ τρυφερὸν καὶ ἐυεργὲς καὶ ἀείζωον καὶ δυσανάβατον καὶ γλυκύκαρπον τοῦ φυτοῦ. Neſcio an ad palmæ naturam alluſerit Salomon in Canticis, cap. 7. cum inquit: Aſcendam in palmam, & apprehendam fructus eius. Sanctius certè nullum interpretum, quid literalis ſenſus ſignificet, indicare teſtatur. De palma vide Plinium lib. 13. cap. 4. & lib. 16. c. 42. Plutarch. 8. Sympoſiac. Orum Apollinem lib. 1. Philoſtrati Icones lib. 1. in Paludibus. Et ante omnia prouerbium, *Palmam ferre*. quod ſi legeris, nihil erit amplius quod deſideres. Cur autem eadem palma ſit victoriæ ſymbolum & præmium, vide apud Leonic. var. hiſt lib. 1. cap. 68.

Locus Gellij.

NITITVR in pondus] videtur niti aduerſus impoſitum forte ſibi onus. LII.

Conſurgit in arcum] Cauſam arcuationis ſeu fornicationis palmæ reddit Plutarchus in libello de cauſis naturalibus, problem. 32. his verbis: Cur inter omnes arbores ſola palma contra impoſitum onus aſſurgit? Vtrum quod ignea & ſpirabilis facultas qua maximè pollet, cum tētatur & irritatur, ſeſe exercens magis ac magis exerit? An quoniam pondus ramos ſubitò vrgens, aerem omnem, qui in his eſt, oppreſſum cedere retrò cogat, qui deinde reſumptis paulò viribus, aduerſus onus acrius rurſus inſtat? An molles & teneræ virgæ impetum non ſuſtinentes, cum onus quieſcit, paulatim ſe erigunt, & ſpeciem, quaſi contra illud aſſurgant, præbent?

Palma cur in arcum conſurgat.

Bellaria dulcia.] πέμματα vel τραγήματα: ſuntq; omnia ea, quæ ſecundis menſis apponi ſolent. Gellius lib. 13. c. 11. Locus eſt elegans apud Ioann. Salisberienſem (auctorem quidem non ineptum, & quem non ægrè inter optimos fortaſſe haberemus, ſi meliore ſæculo floruiſſet) in Polycratico lib. 8. cap. 7. Significant bellaria, ait, omne genus menſæ ſecundæ, quoniam ibi ſolent apponi quæ pulchriora ſunt & delicatiora. Vtitur autem hoc nomine M. Varro: Bellaria, inquit, ea maximè mellita sũt, quæ mellita non ſunt, Quod fortè eò referri poteſt, quòd vtenti gratiora ſunt ea, quæ neceſſitas appetit, quàm quæ irritatio gulæ inuenit. Hæc ille. Addam & locum Arnobij aduerſ. gentes lib. 7. nam & his verbis Bellaria ſignificat: Pulmentorum varietatibus, ait, afficiuntur Dij cœlites, vt fieri mos eſt poſt cœnarum ditium & locupletum ſaginas: fruſtilla hæc paruula pro ſuauibus mateolis ſumunt, non quibus famem ſedent, ſed vt palatis admoueant otium, ſeq; ipſos plenæ appetitu voracitatis inſtigent. Sed vereor ne quis hæc pręter rem congeſta dicat.

Bellaria.

Odoratas glãdes] Odoriferos dactylos. Fructus enim palmæ ob digitalem longitudinem dactyli dicuntur. Hic non poſſum nō latius aliquanto me diffundere, & de huius arboris mira natura aliquid non ingratum (vt ſpero) afferre. Sciendum enim palmas inuicem maritali quadam copula coniungi, maresq; attrahere ad ſe fœminas, neq; has congreſſum, quantumcunque

Palmæ admirãda natura.

que adniti poſſint, aufugere, ſed vltrò ramis ab vtraq; viciſſim contrà ad oſculum quodammodo exporrectis, manifeſta dare mutui deſiderii ſigna, quemadmodum eleganter oſtendit Philoſtratus in Imaginib. & Galenus tangit, lib. 6. de loc. affect. cap. 5. Narrat quoq; Ammian Marcellinus lib. 24. non tantum maritari palmas ipſas, ſed & ſexus facile poſſe diſcerni: quin & fœminas generare ſeminibus marium illitas, eaſque mutuo amore delectari. Atq; hoc inde claret, quod contra ſe viciſſim nutantes ne turgidis quidem flatibus auertantur. Et ſi ex more fœmina maris non illita fuerit ſemine, abortus vitio fœtus amittuntur intempeſtiui. Addit & illud: Si qua fęmina, cuius arboris amore præcluſa ſit, ignoretur, vnguento ipſius infici truncum, & arborem aliam naturaliter odoris dulcedinẽ concipere, hiſq; indiciis velut coeundi quãdam prodi fidem. Solent itaq; cauti palmarii, ne fęminæ aut ſterilitatis noxam incurrant, aut fructum, quem aliquando imaginatione libidinis (vt ita dicam) concipere conſueuerunt, ante maturitatem amittant, ita ordinare vtriuſq; ſexus palmas, vt mares eo ſaltem interuallo à fęminis diſtent, quo puluis ventorum flatibus à foliis maſculorum ſublatus, in fęminarum folia incidat, idque ſatis ad fœcunditatem & fructus maturitatem facere compertum eſt. Sed mirum dictu, quod ſi qua procul à mare abſtiterit, vt neq; puluis neq; aura, odorue eius ad eã permeare poſſit, excogitauerunt coloni funem à mare religatum ad fœminam vſq; producere, atq; ita quaſi maritali vinculo copulatam, maſculi virtute clanculum funem irrepente, fœcundam fieri, quæ prius in ea ſterileſcebat ſolitudine. Diophanes quoque autor Græcus Florentinum citat, de palmæ amore in Georgicis ita differentem: Palma, inquit, amat, & quidem ardenter, alteram palmam, neq; prius deſiderium in ea ceſſat, donec ipſam amaſiam conſolari contingat. Videre eſt ipſam arborem incuruatam, & non ferentem proprium pedamentum, neque fructum producentem. Atq; hoc ipſum agricolam non latet, nouit enim quod amet, quam verò amet, ignorat. Quapropter multas palmas contingens, rurſuſq; ad amantem regrediens, eamq; manu attingens, quaſi oſculum mutuò miniſtrare videtur. Quam verò ipſa deſideret, affectionum, & ſi ita dicere licet, manuum nutu aliquo modo ſignificat; ad illam enim reſpicit, & in illam ex toto ſe amanter iniicit, eamq; quaſi amplectitur. Medela igitur amoris eſt, vt agricola frequenter maſculam contingat, & manus ſuas amanti admoueat, & maximè vt flores ex ſpatha maſculæ decerpens, in caput amantis imponat, ac veluti expetiti concubitus gratiam faciat; hoc namq; modo amorem mitigat, & palma ipſa exhilarata de cætero optimum ac pulcherrimũ fructum fert. Cæterum ſine maribus non gignere fęminas, ſponte edito nemore, confirmat quoq; Plinius lib. 13. c. 4. imò verò circa ſingulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis: illum erectis hiſpidum, afflatu viſuque ipſo, & plures etiam reliquas maritare. Huius arbore exciſa viduas poſt ſterileſcere fęminas, adeoq; eſſe Veneriſ intellectum, vt coitus etiam excogitatus ſit ab homine ex maribus flore & lanugine, interim verò tantum puluere inſperſo fœminis. Quæ ne quis fabuloſa ſuſpicetur, huiuſmodi amoris & coniugii exemplum id genus arboris in Italia quoque dedit. Cuius rei celebris teſtis eſt Iouianus Pontanus, Alphõſi Iunioris Neapolitani Regis eo tempore præceptor, & epiſtolarum magiſter; Philoſophus, Orator, ac Poeta inſignis, & quem fabulas pro hiſtoria, de re maximè ſuo tempore omnibus conſpicua, ſcribere puduiſſet. Hic igitur duas celebrat palmas, marem vnum Brunduſii, fœminam alteram Hydrunti, quæ diu ſteriles permanſerunt, donec ſcilicet paulatim ſuccreſcentes, nondum altera alteram contueri poterat. Vbi verò tantum adoleuerunt, vt ſeſe inuicem conſpicere potuerint, longo quantumuis multorum ſtadiorum tractu diſſidentes, fętificare cœperint. Sed cur non ipſum audimus Pontanum?

Diophanus locus.

Palma ſine compare non fert fructum.

Iouianus Pontanus.

De duabus palmis mirum.

Brunduſij latu longè viret ardua terris
Arbor, Idumæis vſq; petita locis:
Altera Hydruntinis in ſaltibus æmula palma,
Illa virum referens, hæc muliebre decus.
Non vno creuere ſolo, diſtantibus agris
Nulla loci facies, nec ſocialis amor.
Permanſit ſine prole diu, ſine fructibus arbor
Vtraq; frondoſis & ſine fruge comis.
At poſtquam patulos fuderunt brachia ramos,
Cœpere & cælo liberiore frui:

Frondoſiq;

Frondoſiq; apices ſe conſpexere, viriq;
Illa ſui vultus, coniugis ille ſua:
Hauſere et blandum venis ſitientibus ignē,
Optatos fœtus ſponte tulere ſuo.
Ornarunt ramos gemmis, (mirabile dictu)
Impleuere ſuos melle liquente fauos.

Quos elegantiſſimos verſus propterea hic recenſere minùs dubitaui, quod videam his hiſtoricam fidem attributam non tantum à Ioanne Pierio in Hieroglyph. ſed & Melchiore Guilandino in Tract. de Papyro, memb. 3. plura de palmarum natura cognitu iucundiſſima & admiranda diſſerente, atq; Platonis, plantas animalia aſſerentis, ſententiam defendente.

Mēſas inter.] ἀναστροφὴ, pro, inter menſas.

Reptans.] nitens & conſcendens, μεταφορά.

Mentis qui conſtantis erit, &c.] γνώμη, quæ complectitur totius Emblematis ſententiam. Eam illuſtremus licet exemplo nobili, vt Emblema per ſe quidem lepidū, acceſſione quadam fiat illuſtrius. Admirabilis Q. Fabij Maximi conſtantia omni laudatione ſuperior venit in mentem. Is cùm pecuniam pro captiuis Annibali numeraſſet, fraudatus ea publicè, tacuit: vt enim parentibus, ſic neq; patriæ communi parenti putabat eſſe aliqua occaſione ſuccenſendum. Cùm ſibi dictatori magiſtrum equitum Minutium iure imperij ſenatus ęquauit, quanquam queri poſſet, ſiluit tamen. Multis iniurijs, contumelijs, probris laceſſitus, in eodem animi habitu permanſit. In bello gerendo prouidus, rumores, qui de ſe temerè à ſuis ſpargebantur, quòd cum Annibale iuueniliter exſultante non conſereret manus, aut contempſit, aut eluſit, adeò vt ſe inuictum aduerſus iram, ſpem, metumque præſtiterit. Dignus ergo non vna palma Fabius, qui niſi ſe imprimis ſuoſque fortitudine inuictoq; robore animi viciſſet, Annibalem potentiſſimum hoſtem vix etiam pugnando retundiſſet. Conſtantiæ exempla habet Val. Max. lib. 3. c. 8.

IV. Occasioni palmæ arboris, quæ pondere preſſa non flectitur, ſed attollitur; & cuius ſuauiſſimi fructus, nempe dactyli, cum voluptate ſecundis menſis apponuntur, ad laborū & difficultatum perpeſſionem fit adhortatio, ex qua nempe ſimus vtilitatem aliquam non minimam percepturi. Nullus eſt certè, qui eruditionis aut famæ laudem maximam aſſequi poſſit, niſi primùm graues & moleſtos labores pertulerit. Id velim ſymbolum bene natis adoleſcentibus proponi, qui aliquando ſtudiorum liberalium difficultate non minimum deterrentur. Si enim fructum maximum literarum, cogitatione intimoque ſenſu deguſtarent, hac vna grata boni ſpe, moleſtias quantumuis acerbas deuorarent. Sanè rebus in agendis propoſita ſemper debet eſſe conſtantia, quæ ſit ærumnæ cuiusuis firmiſſimum condimentum. Belle huc conuenit hoc Senecę 11. de Ira: Mille ſunt, in quibus pertinacia impedimētum omne tranſcendit, oſtenditq; nihil eſſe difficile, cuius ſibi ipſa mens patientiam indixerit. Et deinde: Nos non aduocabimus patientiam, quos tantum præmium expectat? *Studioſi deterrentur laborum difficultatibus.*

Palmæ porrò ſymbolum poteſt tribui Eccleſiæ victrici, quæ aduerſus tot tyrannos paganicę ſectæ, & Iudaicæ ſuperſtitionis æmulos tandem aliquando triumpharit. Vt enim concitati fluctus ventorum turbine ad cautem allidentes cum fremitu reſiliunt, nec continuo licet aſſultu percuſſum ſternunt aut penetrant: ita liuoris procella agitatus Dęmon, quantumuis impetu feratur & furore maximo in hanc petram, retunditur tamen vſq; & frangit vires vano conatu. Sic Hilarius de Trinitate lib. 4. Habet hoc proprium Eccleſia, dum exercetur, floret: dū opprimitur, creſcit: dum contemnitur, proficit; dum cæditur, vincit: dum arguitur, intelligitur. Quid? quod naturam quoq; palmę arboris habet ſacroſancta Crux, auguſtum ſcilicet, & adorādum illud trophæum, quod ſummus dux noſter, & ſupremus Chriſtianæ militiæ Imperator ſuis humeris impoſitum in alto Caluariæ vertice, atq; in ipſo vmbilico nationum omnium ac gentium, expugnatis hoſtibus triumphans erexit. Hæc enim dum cedit ponderi, & cacumen ſubmittit calcandæ ſimilis & proterendæ pedibus, ſe fortius deniq; relibrat, & in ardua paſſis frondibus contra nititur. Hæc nullum tormentum formidat Sathanæ, nullam machinam ſæuientis fortunæ, nullum arietem oppugnantis mundi, nullam phalaricam libidinis, nullam catapultam iniurię, nullos tentationum pyrobolos, nullam vim, nullum impetum. Fulminet inimicus, tonet, verberet, iaculetur, fodiat, punctim

Palma ſymbolū victricis Eccleſiæ.

Sancta Crux palma naturā habet.

S. Crucis vis.

punctim, cæſim, cominus, eminus, eludet ictus hæc parma, & diuinum ſacroſanctæ Crucis ancile, ſaluumq; tutabitur & inuictum militem. Qui enim ſic armatus, contemnit ariolorum magorumq; feralia illa arcana, & execrandas artes, & ſtygias coniurationes: non formidat occulta carminum murmura, nec Colchicos ſuccos, nec philtra vim Dijs factura, nec Plutonica volumina, quicquid recõditarum virium expirent, nec Acherontæos ritus, membrana chartaque contentos, nec præſtigiorum quidquid ab inferis, tutus eſt, tectus eſt, inexpugnabilis eſt. Si patenti chaſmate cęlum dehiſcens emicantem flammam in abdito oſtentet, ſi terrifico fragore crepent faſtigia orbis, ſi repentinus ignium ſulcus diuidat aera, ſi concuſſa reſultent fundamenta terræ, ſi cataractæ ruant, ſi raucá ventorum aſſibilent murmura, ſi lapides glomerentur, ſi fulmen incidat & erumpãt flammæ, ſi ſpectrum occurrat, aut triſtior aliqua nocturni phantaſmatis ſpecies, ſi cruenta appareant Solis & Lunæ corpora, ſi prodigioſæ deniq; in nubibus & inſolitæ figuræ; Crux inclamatur in deſperatis rebus omnibus. Quodcunq; in nos telum ſiniſtro libratum ſidere inuolet; quęcunq; procella inopini turbinis feriat, Crucis prętendimus ſcutum, & plagam aut retundimus ſubitò, vel minus penetrantem excipimus intrepidè.

Aduerſarij Crucis.

Reperiuntur tamen adhuc ex ea hominum colluuie multi, qui nõ ſolùm reuerentiam omnem & cultum, in neſcio quem impietatis atheiſmum phanatico ſpiritu deuoluti, ſubfurari impudenter, ſed ipſis etiam damnatorum flammis inaudita blaſphemia deuouere ſacrilegè præſumunt. Apud quos inter infamem ſuſpenſi latronis furcam, vbi infelicem animam eliſo gutture per poſtica corporis moriens eijcit, & noſtram hanc, in qua ſponte egredientem paternis manibus innocens filius commendauit, nihil relinquitur diſcriminis. Impoſturæ huius ſeminarium fuit ſchola Islebij apoſtatę, ille cruciarij huius (vt ſic dicã) belli anteſignanus ac prodromus, ductore Diabolo; cuius afflatu pleriq; ex alto Romani cardinis ſolio potentiſſimi Cæſares ebrij, promulgatis ſanguinarijs edictis, & publicata contra Crucem maledictionis ſententia, in tenerum adhuc naſcentis Eccleſiæ ſementem immanitatis ſuæ falcem immiſerunt, vt priuſquam in florem ac maturitatem germen lacteſcens pertingeret, decuteretur. Illiſos tamen pleroſq; ad hunc ſcopulum, & facto vitę naufragio turpiſſima morte conſumptos, euidenti vltionis exemplo, reperimus.

Simile.

Cum denſior aliqua nubes pendulis humoribus ſeſe conglomerans, lucernam illam orbis Solem ſubducit ad tempus, caligant inferiora hęc, & ſublatus vulgò creditur: mox vbi reſoluta in pluuiam materia, aut in ventos diſcuſſa, faciem denuò aperit, lumine velut recens producto, noua quadam amœnitate intuentium oculos permulcet ſuauiter ac recreat: Ita ſplẽdor Crucis poſt ecclypſin illam, & turbulentiſſimam tonantis paganiſmi procellam, cùm verſus in noctem totus putaretur & extinctus, perrumpens tandem impietatis nubem clarior multò emicuit, & in fulgore pulchritudinis admirabili, vt iam radios ſuos ac cęleſte iubar non in vnam aliquam prouinciam aut regnum, non in eas ſolùm partes terrarum & climata, quibus vniuerſi mundi ambitum generali illa ac trita partitione complectimur, Aſiam inquam, Europam, Africam; ſed ſub axem ipſum, & polum noſtris veſtigijs obuerſum, vltra metas Aequatoris, Capricorni, & Oceani, longè lateq; proijciat. Ibi depactus tener de hoc ſacratiſſimo ligno ramuſculus, iam in truncum exit, pandentem brachia ſub cadentem & naſcentem Solem, lambentem cono ſidera, baſi demiſſa ad vſque confinia Tartari, vbi piacularibus flammis ab inhęrentibus labeculis luſtrandi pij manes, riuulos etiam diuini ſanguinis per canalem gratiæ de alto ſalutiferæ Crucis tubo defluentes, cum ſpe potiundæ beatitudinis nobiſcum participant, & per nos. Pereant igitur à facie terræ omnes inimici Crucis, cuius laudes non capiunt orbis cardines; cuius nomen inclytum ſit & glorioſum cunctis gentibus. Hanc Maurus adoret ac Scytha, Thrax & Tartarus: huic lunas ſuas Oriens, aquilas Occidens ſubmittat: huic tiara Perſica cedat, & Romana mitra: huic regum poplites ſe incuruent, & ad oſcula procumbant magnates mundi.

Apoſtrophe.

Quis mihi dabit, vt apprehendam ramos tuos, ò felix palma, & comedam de fructu amaritudinis? vt mœroris decerpam floſculos, & in faſciculum myrthæ colligam? Submitte cacumen, eia ſublimis arbor, inflecte frondes tuas, ò ſpecioſum germen & floridum, ò nobi-

ò nobilis planta & inclita : ſine, vt contingam manu & arripiam de te ramuſculum: perunge ſenſus meos cruentati ſtipitis glorioſo riuulo, cuius balſamitico ſapore ignaui ſpiritus torpor totus immutetur, vt cū iudex tremendus, qui in te pependit, vindicaturus ſæculum per ignem, in nouiſſima tuba & tempeſtate valida deſcenderit; quando plangent vniuerſæ tribus terræ ad conſpectum apparentis ſigni tui, ego ſub vmbra ramorum tuorum protectus, ex vltricibus flammis arduus hinc abripiar in campos illos beatorum, perenni Maio ac ſempiternis delicijs æternum vernantes. O fiat, fiat.

Omnia mea mecum porto.

EMBLEMA XXXVII.



HVNNVS inops, Scythicíq; miſerrimus accola Ponti,
Vſtus perpetuo liuida membra gelu:
Qui Cereris non nouit opes, nec dona Lyæi,
Et pretioſa tamen ſtragula ſemper habet.
Nam murinæ illum perſtringunt vndiq; pelles:
Lumina ſola patent, cætera opertus agit.
Sic furem haud metuit, ſic ventos temnit & imbres;
Tutus apudq; viros, tutus apudq; Deos.

COM-

COMMENTARII.

I. IVXTA mare Scythicum rupes eminet, in qua cauerna vel antrum conſpicitur, vnde prodeat vir vndiq; præter oculos, pellibus indutus, qui tamen hoc loco nō ita depictus habetur, ſed id editio Lugdunenſis eleganter expreſſum habet, vt probè monet Pignorius.

II. CORNELIVS Tacitus extremo de moribus Germanorum, Fennos ita deſcribit: Fennis mira feritas, fœda paupertas, nō arma, non equi, non penates; victui herba, veſtitui pelles, cubile humus. Sola in ſagittis ſpes, quas inopia ferri oſſibus aſperant, idemque venatus viros pariter ac fœminas alit. Paſſim enim comitantur, partemque prædæ petunt. Nec aliud infantibus ferarum imbriumque ſuffugium, quam vt in aliquo ramorum nexu contegantur. Huc redeunt iuuenes, hoc ſenum receptaculum. Id beatius arbitrantur, quā ingemere agris, illaborare domibus, ſuas alienasque fortunas ſpe metuq; verſare: ſecuri aduerſus homines, ſecuri aduerſus deos. Hæc Tacitus. Quibus ex verbis facilè colligo ab Alciato ſumptum Emblematis exemplar. Eadem penè deſcriptio extat accolarum ad Nilum apud Ammian. Marcell. lib. 14. non longè à principio. Nec non Emblema hoc à Iuſtino hiſtorico petitum eſſe, facilè quiuis dixerit, qui Scytharum deſcriptionem, quam retulit ille lib. 2. euoluerit. Sic enim: Scythis inter ſe fines nulli: neq; enim agrum colunt, nec domus illis vlla, aut tectum, aut ſedes eſt, armenta & pecora ſemper paſcentibus, & per incultas ſolitudines errare ſolitis. Vxores liberosque ſecum in plauſtris vehunt: quibus, corijs imbrium hyemisq; cauſa tectis, pro domibus vtuntur. Iuſtitia gentis ingenijs culta, non legibus. Nullum ſcelus apud eos furto grauius: quippè ſine tecto munimentoque pecora & armenta habentibus, quid ſaluum eſſet, ſi furari liceret? Aurum & argentum perinde aſpernantur, ac reliqui mortales appetunt. Lacte & melle veſcuntur. Lanæ ijs vſus ac veſtium ignotus: & quamquam continuis frigoribus vrantur, pellibus tamen ferinis aut murinis veſtiuntur. Hęc continentia illis morum quoq; iuſtitiam dedit, nihil alienum concupiſcentibus. Quippè diuitiarum cupido, ibi eſt, vbi & vſus. Atq; vtinam reliquis mortalibus ſimilis moderatio & abſtinētia alieni foret: Profectò non bellorum tātum per omnia ſæcula terris omnibus continuaretur: neq; plus hominum ferrum & arma, quàm naturalis fatorum conditio raperet. Prorſus vt admirabile videatur hoc illis naturam dare, quod Græci longa ſapientum doctrina, præceptisque Philoſophorum conſequi nequeunt, cultosq; mores incultæ barbariæ collatione ſuperari: tantò plus in illis proficit vitiorum ignoratio, quantò in ijs cognitio virtutis. Et hæc quidem Iuſtinus. Quem locum integrum, quia pulcherrimus eſt, aſcribere malui, quàm truncatum. Hinc enim Alciatus, vt opinor, materiam traxit Emblematis, vti iam dixi: cuius epigraphe, *Omnia mea mecum porto*, ex apophthegmate Biantis, ſententiam complectitur, & quaſi animam ingenioſæ picturę, quam ſubiecit oculis. Bias enim Prienenſis, qui inter ſeptem ſapientes numeratur, cuius (vt inquit Cicero in paradoxis) cum patriam Prienem cepiſſet hoſtis, cęteriq; ita fugerent, vt multa de ſuis rebus ſecum aſportarent; cum eſſet admonitus à quodam, vt idem ipſe faceret: Ego vero, inquit, facio, nam omnia mea mecum porto. Hoc tam inſigne dictum vt nobis oſtenderet Alciatus, depingit Hunnum ſeu Fennum pellibus coopertum, nihilq; precioſi geſtantem: vnde fit, vt & frigora contemnat, & latrones nō pertimeſcat, nam, vt inquit Iuuenalis,

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Genus hoc hominum ſic deſcribi ab hiſtoricis recentioribus animaduerto, ne vel minimùm ſtudioſi hæreant. Pannones initio eam terram tenuerunt, Pæones olim dicti: inde Hunni habuere, gens Scythica. Mox Gotthi ex inſulis Oceani Germanici profecti: poſt Gotthos Longobardi; nouiſſimè Hungari ex alia Hungaria Scythica egreſſi, quæ non longè à Tanais ortu extat, & Imbra hodie dicitur: miſera adhuc regio, vtpotè quæ ſit ſub cęlo frigidiſſimo, Duci Moſcouiæ tributaria: non tamen aurum, argentumve quibus omninò carent, ſed precioſas animalium pelles ſabellorū ſciſmorumque pendunt homines. Non arant, non ſerunt, neq; panes conficiunt: ferarum carnibus & piſcibus veſcuntur: aquam potant, ſub tugurijs ex virgultis con-

Typus Emblematis.

Locus è Iuſtino hiſtorico.

Biantis apophthegma.

Deſcriptio Hunnorum.

contextis inter denſas ſiluas humiles habi-
tant: vnde fit, vt homines ſilueſtribus feris
commorantes, veſtimentis ſe non laneis ne-
que lineis induant, ſed pellibus nuper aut
lupo, aut ceruo vrsóve detractis. Nullius
ipſis aut auri, aut argenti vſus: lac & mel
in cibatu frequens: contra frigora & rigo-
res ferinis pellibus murinisq́; corpora com-
muniunt. Mela Hunnos eoſdem facit cum
Sarmatis, de quibus lib. 2. Sarmatę, inquit,
auri & argenti maximarum peſtium igna-
ri, vice rerum commercia exercent, atque
ob ſæuitiam hyemis admodum aſſiduæ,
demerſis in humum ſedibus, ſpecus aut
ſuffoſſa habitãt, totum braccati corpus, &
niſi qua vident etiam ora veſtiti. Ouidius
3. de Triſt.

Pellibus et ſutis arcet mala frigora braccis,
Oraq; de toto corpore ſola patent.

Idem 5. de Triſt.

Quos vt non timeas, poſſis odiſſe, videndo,
Pellibus & longa corpora tecta coma.

Facilè huc poſſem aggerere nobilem eiuſ-
dem gentis deſcriptionem ex 31. Ammiani
Marcellini, ab initio ferè; ſed ſtudioſos ad-
monuiſſe ſat eſt. Vide Val. Maximum lib.
7. c. 2. & Alciatum lib. 6. Parerg. cap. 26.

III. *HVNNVS inops*] Inops dicitur ſine ope
Inops. & auxilio. Virgil. 1. Georg.

Atq; inopi metuens formica ſenectæ.

Scythiciq; miſerrimus accola Pōti] Pau-
perrimus habitator iuxta mare glaciale
Accola. Scythicum. Sic enim differunt accola &
Incola. incola, vt accola dicatur, qui ad locum ali-
quem, hoc eſt, iuxta locum habitat, vt ac-
cola Padi, accola Rheni: Incola verò, qui
ipſum locum inhabitat.

Vſtus perpetuo gelu.] Vrere etiam frigo-
ris eſt. Virg. 1. Georg.

Vrere verbum. ——*Boreæ penetrabile frigus adurit.*

& Lucanus:

Vrebant montana niues.——

Sic Ouidius 3. Triſtium, eleg. 2.

Plurima me pelago terraq́; pericula paſſū
Vſtus ab aſſiduo frigore pontus habet.

Eodem lib. eleg. 4.

——*aſtricto terra peruſta gelu.*

Sed & Faſtor. 1.

Vos date perpetuos teneris ſementibus auctus,
Ne noua per gelidas terra ſit vſta niues.

Quanquam tamen verbum iſtud, *Vrere,*
pro moleſtiam exhibere, accipi metapho-
ricōs, & quidem non rarò, palam eſt. Cor-
nel. Tacitus lib. 13. Ambuſti multorum
artus vi frigoris. & Feſtus Pompeius lib.
14. ait, primum nomen inde accepiſſe fri-
gus, quòd fructus nempè ac virgulta per-
urat. Locus Pompeij Feſti, vbi pruinam
deriuat à perurendo quia virgulta & fru-
ges perurat, ſuppeditauit etiam mihi, *cu-
ra* verbum, quod à cor vrendo deflectunt,
& illud Ennianum: *Curamve leuaſſo, quæ
nunc te coquit.* Amm. Marcell. initio fe-
rè lib. 17. accipit vt hic noſter: Et quoniã
aeris vrente ſæuitia, cum diſcriminibus vl-
timis laborabatur. At μεταφορικῶς ſæpe
reperias, vt apud poetam aliosq́; non rarò:
qualia ſunt hæc:

Vritur infœlix Dido, totaq́; vagatur
Vrbe furens. Et, *Vrit atrox Iuno.*

Sueton. in Tiberio: Vrebãt inſuper anxiam
mentem varia vndiq; conuicia. Seneca e-
piſt. 3. Quidam obuijs narrant, & in quaſ-
libet aures quicquid illos vrit exonerant.
Marcell. lib. 20. Perfugæ vrebant Iuliani
virtutes, quas per ora gẽtium diuerſarum
fama celebrior effundebat. Idem ad finem
eiuſdem libri: Super his vrebat eius anxiã
mentem, quòd velut patefacta ianua diui-
tis domus, irritus propoſiti reuerteretur.
loquitur de Conſtantio ab expeditione Per-
ſica incaſſum reuertente. Lib. 22. vbi de Iu-
liano bellum in Perſas meditãte: Vrebatur
bellandi gemino deſiderio.

Qui Cereris non nouit opes.] qui vſum
panis atq; vini non habet. Sic Marcellinus:
In ſua vita victu ſunt aſperi, vt neq; igni,
neq; ſaporatis indigeãt cibis, ſed radicibus
herbarum agreſtium, & ſemicruda cuiuſ-
uis pecoris carne veſcantur.

Lyæi.] Bacchi, id eſt, vini, ἀπὸ τοῦ λύειν
ſic dicti, quòd hominum membra & ani- *Bacchus*
mos diſſoluat, vti norunt omnes. *Lyæus.*

Stragula] veſtimenta, pallia, pelles, qui-
bus vtitur pro veſtitu: alias ſtragula ſeu *Stragula.*
ſtragulæ (vtrumq; enim dicitur) pro le-
ctorum, & aliarum rerum opertorijs ac-
cipiuntur.

Perſtringunt] vndique cingunt, totum
operiunt, & quaſi includunt.

Murina pelles.] E murium pellibus. Am- *Pelles mu-*
mian. Marcell. ſic: Indumentis operiunt lin- *rina.*
teis, vel ex pellibus ſilueſtrium murium
conſarcinatis. Nec alia illis domeſtica ve-
ſtis eſt, alia forenſis: ſed ſemel obſoleti co-
loris tunica collo inſerta non antè deponi-
tur aut mutatur, quàm diuturna carie in
pannulos defluxit defruſtata. Hæc ille. Se-

neca

neca in epiſtolis meminit pelliculárum vulpium & murium, quæ ad arcendum frigus comparatæ eſſent. Has Armelinos atque Zibellinos quidam putant, ſed nõdum ſcio an rectè. Hodie quoq; è Scythia frigidiſſimisq; regionibus lautiſſimas pelles murium afferri Megiſtanum hiberno cultui, vel pueri ſciant; & Turneb. lib. 15. Aduerſar. cap. 13. meminit. Atq; harum pellium vſum etiam Chinenſibus familiarem eſſe, teſtatur Ioan. Petrus Maffeius lib. 6. hiſt. Indic. dum Chinenſes veſtimenta per hyemem precioſis murium Scythonicorum pellibus, quas vulgò Martas vel Zobellinas vocamus, calore admodum ſuaui, & ventis impenetrabili denſitate ſufful cire ait, quibus tamen haud ſcio an non & cuniculorum pelles in Batauia ſua meritò exæquandas putarit Hadr. Iunius. Sunt qui opinantur, murem illum peregrinum ab Hieronymo quandoq; dici Muſcum, qui in delicatiorum vſum habetur: nam muſcum, id eſt, *μῦσκον*, murem paruum indicare. Sed hoc odoris genus priſcis fuiſſe incognitum, Hermolaus putat; nec muſcum dici, ſed moſchum.

Chinẽſes pellibus vtuntur.

Sic furem haud metuit, &c.] Tutus & ſecurus agit, ex ſe beatus eſt; neq; furum, neq; temporis iniurias metuit.

IV.

Animus ab externis minimè pendens.

Hoc ſchemate ſignificatur, animum hominis pendere non debere ex his quæ caduca ſunt & fortuita, vtpotè quæ ſollicitudines & cruciatus innumerabiles pariant, ſed ea tantùm debere eſſe ſatis, quæ benigna natura ſit elargita, vel quæ ab ingenio proficiſcuntur. Vel intelligit paupertatem vbicunque terrarum (etiamſi ab omnibus penè miſerrima cenſeatur) eſſe tutam & ſecuram. Sic ſanè nemo poteſt non beatiſſimus eſſe, qui eſt totus aptus ex ſeſe, quiq; in ſe vno ponit omnia: cui autem ſpes omnis & ratio, & cogitatio pendet ex fortuna, huic nihil poteſt eſſe certi, nihilq́; quod exploratum habeat, permanſurum ſibi, ne vnum quidem diẽ, ait M. Tullius. Huc pertinent quæ Seneca diſputat epiſt. 14. quo loci comparat fortunæ & doctrinæ bona. Circumſpiciendum nobis eſt, quomodo à vulgo tuti eſſe poſſimus. Primùm nihil inde concupiſcamus: rixa eſt inter competitores. Deinde nihil habeamus quod cum magno emolumento inſidiantis eripi poſſit: quàm minimum ſit in tuo corpore ſpoliorum. Nemo ad humanum ſanguinem propter ipſum venit, aut admodum pauci: plures computant quàm oderint. Nudum latro tranſmittit: etiam in obſeſſa via pauperi pax eſt. Ad philoſophiã ergo confugiendum: Hæ literæ non dico apud bonos, ſed apud mediocriter malos, inſularum loco ſunt, &c. Adijcio ex fragmentis Petronij Arbitri:

Paupertas vbiq; tuta.

Cõſonuere tubæ, iugulo ſtat diuite ferrum
Barbara contemptu.

ſic lege, *contemptu*, pro contemptui, non vt in vulgatis, *contemni*. Idem in carmine, cuius initium,

Orbem iã totum victor Romanus habebat.

legitur eiuſdem argumenti *γνώμη*.

Arma placent miſeris, detritaq; commoda luxu
Vulneribus reparantur: inops audacia tuta eſt.

Salluſt. Quoniam egeſtas facilè habetur ſine damno. Quis autem nudo veſtimenta detraxerit? Non abludit Iuuenalis, quanquam non ſine ſale Satyrico:

——Iures licet, & Samothracum,
Et Diuorũ aras, contẽnere fulmina pauper
Creditur, atq; Deos, Dijs ignoſcẽtibus ipſis.

Concor-

Concordiæ Symbolum.

EMBLEMA XXXIIX.



CORNICVM mira inter ſe concordia vitæ eſt,
Mutua ſtatq́; illis intemerata fides.
Hinc volucres hæc ſceptra gerunt, quòd ſcilicet omnes
Conſenſu populi ſtantq́; caduntq́; duces:
Quem ſi de medio tollas, diſcordia præceps
Aduolat, & ſecum regia fata trahit.

COMMENTARII

I. IN ſolida baſi ſtat erectum ſceptrum regium, circa quod cornices, notæ ſatis aues, magna feſtiuitate & alarum plauſu volitare videntur, quaſi ſolicitæ, ne in aliquam partem declinans ſceptrum cadat.

II. *Emblema unde ſumptum.* DESVMPTVM eſt Emblema ex lib. 3. de animalibus Æliani Græci ſcriptoris, citante Politiano cap. 67. Miſcell. in hæc verba: Cornices inter ſe fidiſſimæ ſunt, & cum ſocietatem coierint, maximo ſe opere diligunt. Neq; id genus animalia videat quiſpiam licenter miſceri & temerè. Quin hoc quoq; dictitant, qui res iſtiuſmodi callent, altera extincta comparem viduam degere. Cæterum id quoq; audio, veteres in nuptijs poſt Hymenæum cornicem inuocare, ſignumque id concordiæ dare ijs conſueſſe, qui liberum quærendorum gratia conueniſſent. Tum qui ſedes auium & volatus obſeruant, inauſpicatum eſſe captā

tibus

cil·us auguria dicunt, vnius tantùm cornicis obſequium. Hæc Aelianus. Orus Apollo in Hieroglyphicis fere idem habet: Martem, inquit, & Venerem ſcribentes, aut nuptias, geminas cornices pingunt, marem & fœminam: quoniam hoc animal duo oua parit, ex quibus marem & fœminam generari oportet. Si autem eueniat, quod rarò euenit, vt duo mares generentur, aut duæ fœminæ, iugati mares cum fœminis alteri cornici non admiſcentur. Itidem neq; fœmina alteri mari, ſed diſſociati ſoli degũt. Ideo vnicæ cornici occurrentes augurantur futurum, vt viduali vita ſibi viuẽdum ſit. Sic ille. Cæterum cornices haberi pro concordiæ ſymbolo præter Orum tradit etiam Pierius Hieroglyphic. 20. Iuuenalis Satyra 1. *Cornices ſymbolũ cõcordia.*

Vt colitur pax, atq; fides, victoria, virtus,
Quaque ſalutato crepitat concordia nido.

Quem Satyrici locum ſcio à pleriſq; non de cornice (quod pro concordiæ nota hic ſtatuimus) ſed de ciconia intelligi. Solent enim ad id Ouidianum iſtud adducere:

Ipſa ſibi plaudat crepitante ciconia roſtro.

Sed cornicis imago videtur in Fauſtinę Auguſtæ nummis cum inſcriptione CONCORDIA. Sceptrum autem virgam regiam Hieroglyphicum regni eſſe, ex literis ſacris tradit idem Pierius lib. 41. Vide adagium, *Cornicum oculos configere*, cuius explicationem non admittit noſter Alciatus lib. 7. Parerg cap. 17. quem vide. Porrò prodigioſa cornicum viuacitas in prouerbium abijt, *Cornicibus viuacior*. Vnde Heſiodus: *Cornicibus viuacior.*

Ter tria ſecla hominis tranſmittit garrula cornix.

Et Fauſtus:

Longaq; producat viuax cũ ſæcula cornix.

Eodẽ pertinet, quod Philoſophus ille moriens cornicibus inuidiſſe longæuitatem legitur, quam natura negaſſet homini. De concordia præterea nonnihil agit Ouidius 1. Faſtor. ibi:

Candida te niueo poſuit lux proxima tẽplo,
Qua fert ſublimes alta Moneta gradus.

III. *MVTVA ſtatq; illis &c.*] Hic verſiculus in alijs editionibus ſic habebat:

Inq; vicem nunquam contaminata fides.

Quam autem ſequimur, correxit Bartholo. Anulus, vt alios quoſdam locos, quos poſtea indicabimus.

Quòd ſcilicet omnes, &c.] Huc, ni fallor, videtur pertinere Horatianum illud, Ode 35. lib. 1.

Iniurioſo ne pede proruas
Stantem columnam: neu, populus frequens
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumq; frangat.

Hic columnæ nomine, ſceptrũm Principis, ipſumq; adeò ſtatum regium, populi, omniumque Reipub. ordinum concordia fundatum ſignificat: quæ niſi ſeruetur concordia, omnia peſſum eunt. Elegans locus Nazarij Panegyrico ad Conſtantium: Perpendit ſecum excellens prudentia tua, eiq; ſemper pietas tua applicata omnes concordię commoditates, illam eſſe fundamentum ac radicem otij, bonorum diuium ſeminarium, quietis publicæ ſegetem, & almam pacis altricem. Videtur iſte panegyriſtes non obſcurè alludere ad nomen βασιλέως, quod inditum, quia rex ſit βάσις λαῷ. De quo Minos adhuc puer ita luſit:

Cur docti βασιλῆα olim dixere Pelasgi?
Nempe βάσις λαῷ rex bonus haud dubie eſt.

Stantq; caduntq;] Multiplex verbi *ſtare*, ſignificatus eſt ex Nonio: Stare, id eſt, conſiſtere, erigi, prominere, fidem habere, valere, conſtare, fixum eſſe. Sic apud eundem cadere, ruere, occidere, euenire. In panegyrico Maximiano & Conſtantino AA. dicto: Dij immortales probare voluerunt tibi innixam ſtetiſſe Rempublicam, cũ ſine te ſtare non poſſet. *Stare.* *Cadere.*

Duces] Reges, & qui imperium in populos exercent.

Quem] conſenſum.

Diſcordia præceps aduolat] Diſcordiam Deam coluere pagani homines, quam eandem cum Ate (de qua poſtea) pleriq; volunt. Vide Gyrald. Syntag. 1. *Diſcordia Dea.*

Regia fata] Regis aut Principis mortẽ. Alludit ad illa famigerata verba, quæ poſuit Salluſtius in Iugurtha: Concordia paruæ res creſcũt, diſcordia maximæ dilabuntur. Quod & euangelicæ literæ teſtantur. Sic ſubditorum atq; ipſius plebeculæ firma concordia, & tranquilla vnanimitas, Reges ipſos, eorumq; Rempubl. egregiè & diutiſſimè conſeruabit, iuxta adagium:

Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ. IV.

PRINCIPVM ſummorum ſtatus non aliunde ſtabilimentum capit, quàm à populi conſenſu, concordia, & beneuolentia. Itaq; prudenter & prouidè faciunt, qui *Plebis cõcordia principi neceſſaria.*

qui ſtabile ac firmum in ſubditos imperiũ tutari volunt, cùm motuum omnium &. ſeditionum cauſas præcidunt, maluntque à ſuis amari, quàm timeri. Eam populi concordiam & conſenſum, regiæ poteſtatis conſeruatricem hic proponit συμβολικῶς, adhibita cornicum, quæ ſceptrum ſuſtinent, imagine. Ex quo meminiſſe debent imperium ſuum pendere à populari conſenſu! Quod ne ſit moleſtum exemplis hinc inde conquiſitis confirmare, tantummodò repetam quæ auctor ipſemet in lib 15. Comment. De verbor. ſignific. attulit. *Locus ex Alciato.* Principio rerum omnium, inquit, non diuina iuſſione, ſed ex populi conſenſu reges aſſumpti ſunt: quod & poſt Romani imperij occaſum ſeruatum fuit, cùm Carolus Magnus à populo Romano Auguſtus electus eſt, & à Pontifice Leone ſacro oleo inunctus: quod ius populi hodie Gregoriana lege in ſeptem Germaniæ Primates translatum eſt. Sic & Franci Chilperico eiecto, quòd regno non eſſet idoneus, Pipinum παρακλητικῷ conſilio ſubſtituerunt. Et cùm Pipini proles à maioribus degeneraſſet, rurſus Odonem, mox eius fratrem Robertum, & deinde Roberti nepotem Hugonem ad ſummum faſtigium euexerunt. Is Hugo eſt, qui vulgò Capetus dicebatur, vnde oriundi ſunt, qui etiãnum Francorum rebus moderantur. Et quod de maximis hiſce Regibus, nimirum Romano & Franco, dictum eſt; idem & in inferioribus obſeruatum fuiſſe, qui hiſtoricos legerit, deprehendet, vt meritò cenſeam diuina lege eum iuſtum Principem eſſe, qui ex populi conſenſu regnet; quod & Ariſtoteles tradit: qui verò inuitis dominetur, eum tyrannum eſſe. Vnde cùm magna regna non ex ſubditorum conſenſu, ſed per violentiam primò conſtituta ſint, meritò D. Auguſt. De ciuit. Dei 4. magna latrocinia eſſe dixit, adducto etiam piratæ cuiusdam exemplo, qui comprehenſus, & ante Alexandrum Magnum adductus, cũ interrogaretur, qua cauſa mare haberet infeſtum? Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum habeas infeſtum? ſed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: tu quia magna claſſe, Imperator. Hactenus Alciatus. Quoties autem veterum monumenta percurrimus, facilè obſeruamus quàm fluxa, & momentanea ſit Principum potentia, quanquam ſublimis & altis nixa radicibus putetur. Hi enim niſi precario, & quaſi populari ſuffragio imperant, nempe quorum niſi moderatum ſit imperium, quàm citiſſimè corruit. Ælianus refert Thryſum inſignem tyrannum ſuos adeò torſiſſe vt legem tulerit, qua nemo neq; priuatim, neq; publicè inuicem colloqui aut miſcere ſermones auderet. *Hiſtoria Thryſi tyranni ex Æliano.* Quod cùm ſubditis moleſtiſſimum & odioſiſſimum eſſet, qui nutu oculorum, manuumq; geſtu animi ſenſa cogebantur exprimere, id etiam voluit eſſe prohibitum, vt moleſtiæ dolorem adijceret intolerabilem: quiſpiam eorum locum publicum petijt, qui multis lachrymis effuſis, alios etiã ad fletum prouocauit. Id cùm reſciſſet tyrannus, in forum ſtatim venit, quò etiam id, ſi poſſet, populo eriperet, flendi nempè libertatem. Ciues commoti arma regijs ſatellitibus extorſerunt, & ſuum tyrannum de medio ſuſtulerunt. Eandem fortunæ mutationem ſenſit Amaſis Aegyptiorum Rex. *Amaſidis fatum.* Cùm enim pleroſq; ex ſuis extremo ſupplicio affeciſſet, alios fortunis ſpoliaſſet, & in omnes inſolentior atque ſuperbior veniret, imperium eius aliquantò toleratum eſt, donec Actiſanes Aethiopum Rex in eũ irrupiſſet: tum enim odia occulta erupere, cumq; multi ab eo deſciuiſſent, regno tandem pulſus eſt, teſte Diodoro lib. 2. Plura obuia ſunt.

Concordia.

EMBLEMA XXXIX.



IN bellum ciuile duces cùm Roma pararet,
Viribus & caderet Martia terra ſuis:
Mos fuit in partes turmis coeuntibus eaſdem,
Coniunctas dextras mutua dona dare.
Fœderis hæc ſpecies: id habet concordia ſignum,
Vt quos iungit amor, iungat & ipſa manus.

COMMENTARII.

I. PINGVNTVR duo viri, belli duces, habitu militari dextras iungentes. *Pictura emendatio.* Hanc picturam licet omnes editiones ſic habeant, non tamen placet Sanctio, vt qui dextras coniunctas auro vel argento elaboratas vel depictas intelligat, idque ex locis Taciti colligi putet. Vnde non viuorum hominum manus coniunctionem, ſed quandam vſitatam fidei notam pingi vult. Cui & ego pedaneus iudex ſubſcribo, inductus ipſius Autoris verbis,

Coniunctas dextras mutua dona dare.

Dextræ enim donari non potuerunt, niſi metallo aliquo effigiatæ. Quid? quod Pignorius pignore contendere paratus eſt, Alciatum, cum hæc ſcriberet, reſpexiſſe ad eam annuli ſpeciem, qui dextras implicitas exhibet, quiq; in frequenti vſu apud maiores noſtros, nunc apud nos (vti præclara quæq; repudiauimus) vix, ac ne vix quidem

demextat; Itali appellabant olim, *Annello di fede*. Noſtri Germani vocant, *Handtrevv*, apud quos adhuc frequens iſtorum annulorum vſus, quibus plerunque noui ſponſi ſe donant, & quales in illicitis amoribus Niſa à ſuo Mopſo accipit. Hoc autem carmen videtur effictum in commendationem muneris, vt & Antonius Querengus, politiſſimus noſtri ſæculi poetarum, in munus ſmaragdi luſit elegantiſſimis carminibus, quæ adducit Pignorius, vt labori ſuo tumultuario auctoritatem concilient. Ea ſic ſonant:

Quem fulgore tibi rutilum viridante Smaragdum,
Parua nouū mitto munera ad hoſpitiū:
Hunc, ne ingrata tui ſubeāt obliuia Lygdi,
Pulcher Hyla, digitis inſere marmoreis.
Et quoties oculis flexi teres incidet auri
Incluſo radians circulus in lapide,
Dic tecum: Quo Lygdus Hylam bonus ardet amore,
Nullum aurum, nulla eſt lucida gemma magis.

II. *Origo huius Emblematis.* Me docuit Alciatus ipſemet Annotationibus, quas in Cornelium Tacitum edidit, vndènam materiam ſumpſerit Emblematis, nempè ex eodem Tacito, lib. 2. & 18. quibus oſtenditur, dextras concordię ſigna vltrò citroque deſtinari ab exercitibus ſolitas. *Lib. 2. c. 19.* Nec verò aſpernor quod libris Genialium dierum notat Alexander Neapolitanus, nempè Marium, cùm in Romanos maxima clade ſæuiret, quos ſeruare voluit, dextra porrecta aut ſalute data incolumes feciſſe. *Dextra ſymbolū fidei.* Tacitus in lib. 2. Annalium, vbi de morte Germanici agit: Iurauere amici, dextram morientis contingentes, hic geſtus eſt datæ fidei Germanico, qua pollicebantur familiares, eius ſe mortem vlturos. Idem paulò antè: Ab rege Parthorum Artabano legati venere, miſerat amicitiam ac fœdus, & cupere renouari dextras. Hic fędus renouatum inter principes Germanicum & Attabanum ſignificatur. Occurrit exemplum Valerij Max. ex lib. 6. cap. 4. de Caio Popilio, qui legatus ad Antiochum miſſus, iſque cùm prompto animo & amiciſſimo vultu dextram Popilio porrexiſſet, inuicem ei ſuam porrigere noluit, ſed tabellas ſenatuſconſultum continentes tradidit, cui cùm poſt aliquam breuem moram ſatisfeciſſet, Popilius manus eius tanquam ſocij apprehendit. Cæſar. 2. De bello Gallico, tendere manus, petendæ pacis ſignum fuiſſe Gallicum memorat, vbi de Bellouacis. Item 7. Gergouiorum mulieribus, quæ pectore nudo prominentes è muro paſſis manibus Romanos obteſtabātur. Signum item fuiſſe deditionis eodem lib. traditur, vbi de Heduis, qui manus tendere, deditionem ſignificare, & proiectis armis mortem deprecari dicuntur. Cum ijs, quę adduxi è Cornelio Tacito locis, velim addi hæc ex eodem lib. 18. Hiſt. Centurionem Siſenem, dextras, concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine ad Prætorianos ferentem, varijs artibus aggreſſus eſt. *Dextra iuncta pro cōcordia.* Dextras hic pro quodam vſitato fidei ſymbolo depicto in auro, argento ve, aut alio quouis metallo accipi patet. Quo ſenſu hic locus alius Taciti ſumitur libro Hiſtoriarū primo, vbi de initio principatus Vitellij: Miſerat (ait) ciuitas Lingonum vetere inſtituto dona legionibus, dextras hoſpitij inſigne.

III. *DVCES*] Imperatores ſuos, quibus exercitus eſſent committendi.

Viribus & caderet] Significat bellum ciuile: idque videtur ex Horatij Epod. 16. imitatus: *Bellum ciuile.*

Altera iam teritur bellis ciuilibus ætas,
Suis & ipſa Roma viribus ruit.

Itaq; conſultor ille apud Antiochum Annibal rebus omnibus maturo iudicio penſis ait: Romanos nunquam niſi armis ſuis vinci poſſe; nec Italiam aliter quam Italicis viribus ſubigi.

Martia terra] Roma, vel quod fuerit ſtudijs aſperrima belli: vel propter Romulum Martis filium, vt fama tulit, à quo originem traxit, ſic appellata. *Roma terra Martia.* Lege T. Liuium in principio totius operis. Ouid. 3. Triſt. eleg. 7.

Dumq; ſuis victrix ſeptem de mōtibus orbē
Proſpiciet domitū, Martia Roma, legar.

Martialis lib. 5. Epigram.

Pulcrior & maior quo ſub duce Martia Roma.

Alio quodam loco Martiam turbam, pro Romano populo dicit:

Crede mihi, nimium Martia turba ſapit.

Sic Symmachus lib. 1. Epiſtolar. Ab exortu penè vrbis Martiæ. &c.

Coeuntibus eaſdem] Synæreſis eſt, figura, quæ fit, quando duæ vocales in vnicam ſyllabam contrahuntur. Editio Stockhameri habet, *haſdem*.

Dextera fidei ſacra.

Coniunctas dextras] Dextera fidei dicata eſt, vt mox dicemus. Virg. 6 Æneid.

——Nec veriti dominorũ fallere dextras.

Plinius lib. 11. cap. 45. Ineſt & alijs partibus quædam religio: ſicut dextera oſculis auerſa appetitur, in fide porrigitur. Dextras iungere Græci eleganter vno verbo efferunt, δεξιοῦσθαι.

δεξιοῦσθαι.

Cõcordia vnde dicta.

Id habet concordia ſignum] Concordia dicta eſt, quaſi cordium coniunctio. Quæ coniunctio quia re ipſa nequit fieri, vt ſcilicet amicorum corda ipſa coniungantur, id fit per dextrarum apprehenſionem: dextræ enim parti potior cordis vis incumbit, & ipſa dextra manus eſt cordis potiſſima miniſtra.

IV. *Dextra concordiæ ſignum.*

Hoc Emblemate Alciatus indicare voluit priſcorum morem, quo iunctis dextris fidei & concordiæ ſignum exprimerent; eſt enim, vt dixi, dextera fidei ſacra, vnde in permultis veteribus nummis duæ manus iniunctæ oſtenduntur additis inſcriptionibus, *Fides exercituum:* nonnunquam etiam, *Fides Romanorum.* Fortaſſe huc pertinet illud Pythagoræ, Ne cuiuis dextram porrexeris, ne ſcilicet quempiam temerè in interiorem noſtri amicitiam admittamus. Et verò poeta nullius antiquitatis ignarus, ex dextra fideque, ait nimirum fœdus & concordiam per dextram ſignificari. Viderat hoc longè antè Xenophon lib. 5. De inſtitutione Cyri: καὶ Ὑρκανίως, οἷς τοὺς ὅρκους καὶ τὰς δεξιὰς ἔδωκα ἐμπεδώσω. Hunc quoque morem attigit Ariſtophanis ſcholiaſtes: ἔθος ἐπὶ πίστει καὶ συνθήκαις βεβαίαις τὰς δεξιὰς διδόναι ἀλλήλοις. Ouidius 6. Metamorph.

Vt pignus fidei dextras vtraq; popoſcit,
Inter ſeq; datas iunxit.

Dextera teſtis fidei.

Cicero ad Atticum: Vbi ſunt illę denſę dextræ? Idem 2. Philip. Dextræ, quæ fidei teſtes eſſe ſolebant, perfidia ſunt & ſcelere violatæ. Dextram in fide porrigi ideo ait Varro, quod omnis veterum auctoritas dexteræ manus virtute conſtaret. Auctor eſt Plutarchus, Flamines rem diuinam manu ad digitos inuoluta facere conſueſſe, ſymbolicè ſignificantes, fidem tutandam eſſe, ac eius ſedem in dextris eſſe ſacratam. Quæ de dextris diſputat Cœlius Rhodig. lib. 22. cap. 14. Sãctius pro ridiculis habet. Ferè tranſilieram quæ Iuſtinus de Dario moribundo retulit 11. lib. Is enim rex porrecta manu expirauit, quam vnicũ pignus fidei regiæ dexteram ſe ferendam Alexandro daredixit. Sic conqueritur Æneas Virgilian. 1. Æneid.

——cur dextra iungere dextram
Non datur?

Quò pertinet & illud ex vndecimo Æneid.

Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.

Cicero etiam pro Deiotaro: Per dextram ipſam, quam hoſpes hoſpiti porrexiſti. Fuit enim & hoſpitij ſymbolum apud Syros & Perſas. Hinc & Romani Principum bene de Republ. meritorum ſtatuas pedeſtres & equeſtres ita effinxerunt, vt dextra porrecta, fidem in Rempubl. oſtenderent. Itaq; in ipſo belli, ſeu tumultus ciuilis claſſico, ne amici cum inimicis abſque diſcrimine premerentur, interpoſitum eſt eiuſmodi fidei ſacramentum. Hoc de ſymbolo Pierius lib. 35. Mos ille dextras iungendi olim fuit apud Parthos, vt qui dextris complexis, tanquam Dijs præſentibus & arbitris, pacta ſancirent. Idem Medi obſeruarunt & Perſæ, qui dextræ fideiq; pignore confirmabant, ſi quid ratum eſſe vellent. Certè apud nos Germanos adhuc hodie ſolemnis eſt vſus, vt vel mutuò ſe ſalutantes, vel certi quidpiam promittentes, vel etiam ſingularem amorem & ſinceram fidem demonſtrare volentes, dextram inuicem porrigant. Sed & quidquid hoc modo inuicem ſtipulati fuerint, hoc inuiolata fide, non ſecus ac ſacrum iuſiurandum diligentiſſimè obſeruant, adeo vt *Germana fides* in prouerbium abierit. Hoc etiam apud D. Paulum 2. ad Galat. videre eſt: Dextras, inquit, dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis, &c. Hanc ſententiam Canoniſtæ adducentes, Iungere, aiunt, dextras ſolet eſſe ſignum confœderationis, quo vtebantur antiqui cum inuicem confęderabantur. Nec abſq; myſterio iam olim, & hodie in Catholica Eccleſia eandem conſuetudinem obſeruari videmus in ſponſalibus, vt quos animorum candor, caſtus amor, & ſpõtaneus conſenſus perpetuo & concordi matrimonij vinculo coniungere decreuit, hos omnino etiam dextrarum copula publicè corroboraret.

Dextera hoſpitij ſymbolũ.

Mos iungẽdi dextras.

Germana fides.

Concordia

Concordia inſuperabilis.

EMBLEMA XL.



TERGEMINOS inter fuerat concordia fratres,
Tanta ſimul pietas mutua, & vnus amor:
Inuicti humanis vt viribus ampla tenerent
Regna, vno dicti nomine Geryonis.

COMMENTARII.

I. GERYONIS effigiem exprimit homo corona & habitu regio, triceps, ſex pedibus, & totidem manibus, quarum ſiniſtræ omnes vni clypeo innituntur; dextræ verò, vna haſtam, altera gladium, tertia ſceptrum gerunt. Appoſita concordiæ imago, vt cui non deſit prudentia, defenſio, imperium, iniuriarum vltio comminus & eminus facta, celeritas, robur.

II. GERYONEM veteres talem finxerunt, qualem hic depictum damus, tricipitem, trimanum, tripedem; quod varij variè ſunt interpretati, alij ad hyemem, alij ad tempus, alij ad Lunæ mutationem triplicem id trahentes; alij ad ſophiſtam triũ linguarum peritũ referunt, alij ad tres inſulas Hiſpaniæ copioſiſſimas, duas nempe Baleārides & Ebuſin, quibus imperauit Geryon: Palęphatus mauult ad Trinacriam, i. tricipitiam ciuitatem in Euxino ponto conuertere: ſed quia hæc parum ad noſtrum inſtitutum facere videntur, iis omiſſis, de fraterna concordia id intelligimus. Vnde liquet Emblema deſumptum eſſe ex vlti-

Geryonis mythologia varia.

Fons Emblematis.

mo libro Iuſtini Hiſtorici, vbi hæc verba leguntur: In alia parte Hiſpaniæ, & quæ ex inſulis conſtat, regnum penes Geryonem fuit. In hac pabuli tanta lætitia eſt, vt niſi abſtinentia interpellata ſagina fuerit, pecora rumpantur. Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, vt Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipſum non triplicis naturæ (vt fabulis proditur) fuiſſe ferunt, ſed tres fratres tantæ concordiæ extitiſſe, vt vno animo omnes regi viderentur. Nec bellum Herculi ſua ſponte intuliſſe, ſed cū armenta ſua rapi vidiſſent, amiſſa bello repetijſſe. Sic ille. Huius de Geryone pegmatis permulti meminere, vt Eunapius Sardianus auctor Græcus, vita Sophiſtarum: Lucianus in Toxari, ipſo penè extremo: Arrianus de Alexandri geſtis lib. 2. quo loco ſententiam retulit Hecatei Abderitæ de Hercule & Geryone: Natalis Comes Mytholog lib 7. cap. 1 ſub finem: Cœl. Rhodig. lib. 6. cap. 7. & lib. 20 cap 6 Silius Italicus lib. 13.

Geryō cur triceps & tricorpor.

Qualis Atlantiaco memoratur littore quondam
Monſtrū Geryones immane tricorporis ira,
Cui tres in pugna dextra varia arma gerebant.
Vna ignes ſæuos, aſt altera ponè ſagittas
Fundebat, validam fundebat tertia cornū:
Atq; vno diuerſa dabat tria vulnera viſu.

Vide etiam Plinium lib. 4. cap. 2. & Pompon. Melam lib 3. cap. 6. Ouid. 9. Metamorph.

——Nec me paſtoris Iberi
Forma triplex mouit.

Huic armenta Hercules abduxit, ab Euriſtheo iuſſus, vt eſt apud Iſocratem in encomio Helenæ. Talis quoq; depingitur Herilus apud Virgilium.

Herilus.

Et regem hac Herilum dextra ſub Tartara miſi,
Naſcenti cui tres animas Feronia mater,
(Horrendum dictu) dederat, terna arma mouenda,
Ter letho ſternendus erat: cui tum tamen omnes
Abſtulit hac animas dextra, & totidem exuit armis.

Tales item fuiſſe Moliones, aut Molionides obſeruo; ſiquidem D. Gregorius Nazianzenus, vt hoc obiter adijciam, pro concordi fratrum amore, verbum Molionides vſurpauit, non ſine aliqua prouerbij facie: οἱ Μολιονίδαι, τῆς ὁμηρικῆς δέλτου τὸ θαῦμα, οὓς κοινωνία συμφορῶν ἐγνώρισε; *Molionidæ, Homerici poematis miraculū, quos periculorum ſocietas coniunxit.* Plutarch. περὶ φιλαδελφίας. θαυμάζουσιν οὐδὲν ἧττον ἢ τοὺς Μολιονίδας ἐκείνους συμφυεῖς τοῖς σώμασι γεγονέναι δοκοῦντας: *Non aliter quam Molionidas illos admirantur, quos coalito corpore concretos fuiſſe exiſtimarunt.* Hi vaſta corporis mole Augiæ regi Elidis auxiliares, oppreſſi ſunt ab Hercule atq; interfecti, ait Pindarus. Interpres Homeri ad Iliad. λ. quaternas manus totidemque oculos illis tribui à veteribus adnotat. Horum nomina Eurytus & Creatus.

Molionides.

III. *Tergeminus.*

TERGEMINOS] Lucretius lib 5.

Quidve tripectora tergemini quoq; Geryonai vis.

Virgilius 8. Aeneid.

——maximus vltor
Tergemini nece Geryonis, ſpolijsq; ſuperbus
Alcides aderat.

Sic Tergemini & Trigemini fratres dicuntur Horatij & Curiatij apud Liuiū 1. ab Vrbe, quod eſſent vno partu editi.

Inuicti humanis ut viribus] Vt cū vinci non poſſent ab hoſtibus etiam fortiſſimis.

Ampla teneret Regna] Duas ſcilicet inſulas Balearides & Ebuſin: vel Trinacriā in Ponto Euxino, de quia Palæphatus.

Vno nomine Geryonis.] Quamquā tres eſſent, vno tamen nomine nuncupabantur. Geryon vocabulum priſcum, à *gera* deriuatum, quod eſt aduena, vt interpretatur Hieronymus. Nam Geryon filius priſci Hiarbæ Numidæ fuit; quamuis Heſiodus in Theogonia eum filium Chryſaoris facit, qui fuit filius Meduſæ, in hanc ſententiam:

Geryon vnde ſit dictus, & cuius filius.

Edidit at Chryſaor ſibi Geryonea trifaucē,
Herculis ante ſuos illum vis inclita tauros
Perdidit, atq; animā claua deponere iuſſit.

Quidquid ſit, aduemens claſſe in Hiſpaniam, Geryonæ, id eſt, aduenæ nomen habuit. Sed qui Geryonem hyemem interpretantur, dictum volunt ἀπὸ τοῦ γαρύειν, q͞d eſt *fremere*, quod propriū eſt hyemis.

IV. CONCORDIA, vinculum incolumitatis & pacis, tot tantasque vires habet, vt vix vinci aut domari ferè queat, etiamſi præ ſe ferat neſcio quid puſillum aut debile

bile, nempè vbi ſingulorum habetur ratio. Vt enim lapides quidam inſulæ Cycladicę (teſte Plinio) integri natant in aqua, fracti conciduut in fundum: ita Reſpublicæ diſcordijs peſſum eunt, & quàm ocyſſimè collabuntur: concordi verò pace ligatę manent & perdurant. Quod apertè docuit Scilurus ille Scytha, cùm moribundus ex telorum faſciculo colligato, & poſtea ſoluto inuictam concordiam filijs commendauit. Nam fratrum inter ſe concordiam dixit Antiſthenes quouis muro firmius munimentum. Quintilian. declam. 331. De vnanimi fratrum amore: Membra herclè inter ſe citiùs pugnauerint, & ſi qua in nobis natura geminauit, diuerſos cęperint effectus: nam quid aliud eſt fraternitas, quàm diuiſus ſpiritus, & quæ ad tuendos nos conceſſa ſunt, multiplicata eò quidem feliciùs, quòd diuerſis etiam conſiſtētibus locis eſſe idem, ac plura ſimul obire poſſimus. Horat. lib. 1. epiſt.

——noti, teneriq; columbi,
Fraternis animis quicquid negat alter, & alter.

Idem eod. lib. ad Iulium Florum:

—— vbicumque locorum
Viuitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Nobile fraternæ concordiæ exemplum nobis reliquit Eumenes rex, qui inſidijs petitus à Perſeo, credebatur extinctus. Cum is rumor Pergamum eſſet perlatus, Attalus eius frater impoſito ſibi diademate, ductaque fratris vxore, regnum occupauit. Cæterum cum audiſſet illum viuum, profectus eſt illi obuiam vnà cum ſatellitibus, haſtam geſtans. Eumenes autem amanter illum amplexus, dixit in aurem: Ne feſtines ducere, priuſquam me mortuum videris; nec præterea per omnem vitam, vllam offenſi animi ſignificationem vel dicto vel facto dedit: quin etiam moriens fratri & vxorem & regnum reliquit. Cuius animi memor Attalus, cùm multos ex ſe liberos haberet, nullum tamen regno educauit: ſed filio Eumenis, poſteaquam adoleuiſſet, adhuc viuens principatum tradidit. Vide Plutarch. περὶ φιλαδελφίας. Simile concordiæ exemplar exprimit in coniugibus Ouidius 8. Metamorph.

Sed pia Baucis anus, pariliq; ætate Philemō
Illa ſunt annis iuncti iuuenilibus, illa
Conſenuere caſa, paupertatemq; ferendo
Effecere leuem, nec iniqua mēte ferendam:
Nec refert dominos illic, famulosve requras,
Tota domus duo ſunt, ijdē parentq; iubetq;

Cū Xerxes expugnatis Thermopylis crudeliter tractaſſet Aſtum, & hac fama perterriti claſſiarii cogitarent de repetenda domo, idque plerique ſuaderent: ſolus Themiſtocles obſtitit, dicens, eos vniuerſos hoſtibus fore pares, diſperſos verò perituros: Tanta fuit viro in vnanimi militum concordia fiducia. Vnde etiā Ageſilaus Lacedæmoniorum Rex, cum à quodam percontaretur, quam ob cauſam Sparta non cingeretur mœnibus? oſtendit ciues armatos & vnanimes: Hi, inquiens, ſunt Spartæ ciuitatis męnia. Significans, Reſpublicas nullo munimento tutiores eſſe, quam virtute ciuium conſentiētium. Eam ob rem etiam finxerūt veteres Geryonem fuiſſe tricorporem, aut tricipitem, quòd vnà cum fratribus, quos duos habebat, tanto amore tantaq; fide æuum traduxit, vt ij vno nomine Geryones dicerentur; adeoque vnicam regi animam & voluntatem inesse, quanquam tres eſſent, communis iactabat opinio. Nō poſſum hoc loco ſubijcere, quod mihi occurrit ex Politicis Plutarchi, quo loco monet, eum, qui ſit infirmo corporis habitu, induſtrium ſibi pro ſocio debere ſumere, vt quondam Nicias Lamachum. Siquidem proditum eſt memoriæ, his artibus Geryonem admirabilem fuiſſe, qui multa crura, pluresque manus atq; oculos habere dicebatur, vnico tamen animo atq; conſilio regni ſui fines moderaretur. Hæc ferè Plutarchus. Cæterùm aiunt Geryones ab Hercule vinci nunquā potuiſſe, niſi ſeparatos & à ſe diſiunctos. ex quo perſpicuum fit, quàm firmus & inuictus ſit vnanimus ille animorum & voluntatum quaſi nexus atq; conſenſus: Vniuerſi quippè concordes inuicti, qui ſinguli debiles, & nullius ſunt roboris. Sic enim, vt Philoſophi loquuntur, Vnita virtus valētior eſt ſeipſa diſperſa. Lege Pierium lib. Hieroglyph. 32. c. De tricipitio.

Geryō cū tricorpor.

Vnum nihil, duos plurimum poſſe.

EMBLEMA XLI.



LAERTAE genitum, genitum quoque Tydeos vnà,
Hac cera expreſſit Zenalis apta manus.
Viribus hic præſtat, hic pollet acumine mentis,
Nec tamen alterius non eget alter ope.
Cùm duo coniuncti veniunt, victoria certa eſt:
Solum mens hominem, dextrave deſtituit.

COMMENTARII.

I. PROPONITVR ἄγαλμα, in quo ſint expreſſæ, & mutuò coniunctæ effigies Vlyſſis, habitu ducis militaris, in actu loquentis; & Diomedis, habitu itidem militari, galea, haſta, & clypeo armati, quorum alter prudentia & conſilio, alter firmitate virium commendabilis. Cur autem hic Vlyſſi catulus attributus? an ob ſagacitatem ſignificandam? an quod poſt varios errores in patriam redux à cane cognitus fuerit? Editio Lugdunenſis viro armato ſenem, barba & tunica philoſophum, maximum codicem geſtantem, opponit. Nec id, meo iudicio, malè.

EMBLEMATIS huius typum obſeruo apud Homerum Iliad. κ. quo loco vnà cum Agamemnone & Menelao Neſtor conſultat de mittendis exploratoribus in Troianorum caſtra. Hanc in ſe prouinciam recipit Diomedes, animi magni vir, ſi II. *Fons Emblematis.*

tamen

tamen ei ſocius aliquis vnà profecturis adiungatur. Eius hæc verba;

νέστορ, ἔμ' ὀτρύνει κραδίη καὶ θυμὸς ἀγή-
νωρ,
ἀνδρῶν δυσμενέων δῦναι στρατὸν ἐγγὺς
ἐόντα
τρώων· ἀλλ' εἴτις μὲν ἀνὴρ ἅμ' ἕποιτο καὶ
ἄλλος,
μᾶλλον θαλπωρὴ, καὶ θαρσαλεώτερον ἔσαι.
σύντε δύ' ἐρχομένω, καίτε πρὸ ὃ τοῦ ἐ-
νόησεν,
ὅππως κέρδος ἔῃ μοῦνος δ' εἴπερ τε νοήσῃ,
ἀλλά τε οἱ βράσσων τε νόος, λεπτὴ δέ τε
μῆτις. id eſt,

Neſtor, me mouet cor, generoſusq́ animus,
Fortiũ hoſtiũ ſubire caſtra, quæ propè ſunt,
Troianorum: ſed ſi ſit aliquis vir, qui me
ſequatur,
Maior erit mihi fiducia, & audacius erit
Euntibus vna duobus: namq; hic ante il-
lum cogitat
Qualiter vtile ſit: ſolus verò quanquam in
telligat,
Tamen ei tardior animus, & conſilium im
becillius.

Vide adagium, *Duobus pariter euntibus*, vbi poſtrema pars horum Homeri verborum ſic redduntur:

At mihi ſi quis alius veniat comes, ille fu-
turus
Solamen, fueritq; ſimul fiducia maior,
Si duo coniũcti veniant. Dein hic prior illo,
Si q̃d opus facto, videt. Atqui ſolus & vnus
Quamuis perſpiciat, tamen eſt mẽs ſegnior
illi, &
Conſilium tenue.

Plutarchi diſputatio, qua ciuilem hominem informat, huc facit, cùm ita dicit: ἂν δ' ᾖ τις ἐργώδης, ἐπιφανὴς δὲ καὶ μεγάλη πρᾶξις, αὐτὸν ἐπὶ ταύτῃ τάξαντα πρῶτον, εἶτα προσελέσθαι τὸν φίλον. ὡς ὁ Διομήδης,

εἰμὲν δὴ ἕταρόν γε κελεύετ' ἐμαυτὸν ἑ-
λέσθαι,
πῶς ἂν ἔπειτ' Ὀδυσῆος ἐγὼ θείοιο λαθοί-
μην;

Cùm res aliqua proponitur, magna quidem illa atq; illuſtris, ſed ardua & difficilis, laborum & operis ſocium tibi amicum aſſumito, vt Diomedes: Quòd ſi mihi alterum adiungi iubetis, inquit, qui tandem poſſim obliuiſci diui Vlyſſis? &c. Eundem Homeri locum Apuleius de dæmonio Socratis vſurpauit, & breuibus verbis explicuit: Nonne Vlyſſes, ait ille, cum Diomede deliguntur, veluti conſilium & auxilium, mens & manus, animus & gladius? Attigit etiam Claudianus, cum ſic cecinit in ſexto Conſulatu Honorij:

Nunc mihi Tydiden attollant carmina
vatum,
Quod iuncto fidẽs Ithaco patefacta Dolonis
Indicio, dapibusq; ſimul, religataq; ſomno
Thracia, ſopiti penetrauerit agmina Rheſi,
Graiaq; rettulerit captas ad caſtra iugales.

Et Ouidius in oratione Vlyſſis:

Deniq; de Danais q̃s te laudatve, petitve?
At ſua Tydides mecum communicat acta,
Me probat, & ſocio ſemper confidit Vlyſſe.
Eſt aliquid de tot Graiorum millibus vnũ
A Diomede legi, nec me ſors ire iubebat.

LAERTÆ genitum] id eſt, Vlyſſem, III.
Laertæ & Anticleæ filium. Fuit enim Laer *Laertes.*
tes pater Vlyſſis, vt liquet ex eadem oratione Ouidij:

Nam mihi Laertes pater eſt, Arceſius illi,
Iupiter huic.

Vlyſſes rex fuit Ithacæ & Dulichij inſula- *Vlyſſes.*
rum, vir multiſcius, & aſtutus admodum, imò Græcorum omnium callidiſſimus, facundiſſimus, & ingenioſiſſimus, egregius bello, conſilio, & laborum patientiſſimus; ideoq; in Troiano bello multa prudenter perfecit, cuius nomine tota Odyſſea Homeri conſcripta, & paſſim de illo facit mentionem Homerus, vt in 1. Odyſſ. de eo ſic cauit:

Oppida multa adijt, fuit huic ſapiẽtia nota,
Cõſilium, variosq; dolos qui nouit & artes.

Vt refert Strabo lib. 1. Virgil. in Aeneide paſſim etiam plurima de eiuſdem virtutibus eximijs & ſapientia. Horat. lib. 1. epiſt. 2.

Genitum quoq; Tydeos] Diomedem, Ty
dei & Deiphiles filium. Tydeus filius Oe- *Tydeus.*
nei regis Aetoliæ, pater Diomedis, fuit magnus bellator, paruus tamen corpore. De quo dictum fuit illud peruulgatum:

Maior in exiguo regnabat corpore virtus.

De quo ſatis multa Statius, præcipuè lib.
3. Theb. Diomedes autem huius filius etiã *Diomedes.*
cum alijs Græcis ad obſidionem Troiæ profectus eſt, vbi adeo ſtrenuè ſe geſſit, vt poſt Achillem & Aiacem facilè palmam obtinuerit fortiſſimi: plurimas ſingulares pugnas aduerſus inſignes Troianorum principes habuit, & inter alia cum Aenea nobili Troiano congreſſus, Venerem Aeneam prote-

protegentem percuſſit: quapropter illa indignata multas ei miſerias attulit, vxorem eius etiam adulteram fecit. Qua re cognita, Bonus-homo domum redire noluit, vt idem Homerus. De Vlyſſe prçterea & Diomede multa eleganter Dict. Cretenſis, in ſex illis libris, quos de bello Troiano ſcripſit.

Hac cera] Has in cera effigiandi artes non ignoro antiquiſſimas eſſe, ſed an ad illud perfectionis faſtigium olim peruenerint, quo hodie ſunt, dubitare me faciunt inſignia hac arte elaborata opera, quæ paſſim me videre memini, quibus ſanè ad vitam præter ſpiritum nihil defuiſſe vel Iouem lapidem iuraſſes.

Zenalis. *Zenalis.*] Quis ille fuerit, adhuc clam me eſſe fateor ingenuè: puto equidem nomen eſſe cuiuſdam egregij pictoris, qui ętate Alciati non minus celebris fuit, quàm Alexādri tempore Apelles, aut Lyſippus, alter pictor, alter ſtatuarius: niſi aliquis malit eſſe nomen quoddam fictitium. Sed hẽ; dum in hac obſcuritate cum Minoe vacillans hærerem, luciditiſſimam facem nobis induſtria Pignorij (vt ſolet in his talibus) prætulit, ſic enim ille: Bernardus Zenalis Taruiſinus, acutus pictor & architectus, ſcripſit de Pictura, teſte Ioanne Paulo Lomatio, qui eiuſdem non ſemel meminit. Bonauentura Caſtillioneus: Quatuor præterea orbes eodem in marmore conſpiciuntur, ex quibus teſtimonio Bernardi Zenalij Architectonices peritiſſimi, noſter Alciatus exiſtimat, aquas ab Agonalibus vel aliunde labentes, per cuniculos ex orbibus ſalientes, copiam earum indigenti populo ſubminiſtraſſe.

Viribus hic præſtat] Diomedes valet corporis viribus.

Hic pollet acumine mentis] Vlyſſes pollet conſilio & perſpicacitate.

Nec tamen &c.] Alter alterius ope indiget.

Cùm duo coniuncti &c.] Alludit ad illud Homeri Iliad. *κ. σύν τε δύ' ἐρχομένῳ.*

Solum mens hominem, &c.] Conſilium viribus deſtitutum parum conducit: contrà verò corporis robur conſilij expers, facilimè in præceps ruit. Iſocrates Parænesi ad Demonic *ῥώμη δὲ μετὰ μὲν φρονήσεως ὠφέλησεν, ἄνευ δὲ ταύτης πλείω τοὺς ἔχοντας ἔβλαψε· καὶ τὰ μὲν σώματα τῶν ἀσκούντων ἐκόσμησε, ταῖς δὲ τῆς ψυχῆς ἐπιμελείαις ἐπεσκότησεν.*

IV. *Cōſilium & vires.* DOCET Emblema, nihil egregium, nihilq; magnificum perfici bellè poſſe, in his potiſſimùm, quæ bellica negotia reſpiciunt, niſi maturo conſilio coniungantur corporis vires, id eſt, niſi iuuenum robuſtiorum viuacitas, ſenum & eorum, qui valeāt experientia, ductu regatur. Non enim ſolùm viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, ratione, ſententia. Proinde Sophocles:

γνῶμαι μὲν ἔργων τῶν ἐν ἀνθρώποις τροφοί·
βουλαὶ τάδ' ἐξέπραξαν, οὐ χερῶν σθένος.

Hominum quidem rationibus opera fiunt ac enutriuntur: ſed eas res conſilia effecerunt, non manuum robur. Huc refer prouerbium *εἷς ἀνήρ, οὐδεὶς ἀνήρ. Vnus vir, nullus vir.* quo intelligitur quantum conferat mutuum auxilium in rebus arduis, & alioquin difficilibus. *Mercurius geminus.* Quam ob cauſam apud Ægyptios Mercurij gemini ſimulachrū ſic effictum conſpiciebatur, vt alterum ſenili eſſet vultu venerandum, alterum florente iuuenta: vt ſignificarent eum, qui Reipub. munia obire ritè velit, cum animi prudentia vires habere debere cōiunctas, quòd alterum alterius egeat adminiculo. Ariſtoteles 8. Moral. Nicomach. *σύν τε δύ' ἐρχομένω, καὶ γὰρ νοῆσαι, καὶ πράξαι δυνατώτεροι.* &c. hoc eſt: *Pariter autem ſi duo iter faciant, & maiora mente concipere, & plura conficere poterunt.* Quod perſpicuè declarat Salluſtius initio Catilinarij belli: Diu magnum inter mortales certamē fuit, vine corporis, an virtute animi, res militaris magis procederet. Nam & priuſquàm incipias, conſulto, & vbi conſulueris, maturè facto eſt opus. ita vtrumq; per ſe indigens, alterum alterius auxilio eget. Lege Plutarchi diſputationem pulcherrimam, An ſeni gerenda Respubl. ſit. Sed occurrit mihi Heſiodi iſtuc:

πλείων γὰρ πλεόνων μελέτη, μείζων δ' ἐπιθήκη. id eſt,

Plus augere poteſt multorū induſtria vires.

idemq; Homericum ex Iliad. *μ.*

——*πλεόνων δέ τι ἔργον ἄμεινον.*

Quid verò Euripideum hoc ſciēs prætercam ex Phœniſſis?

——*εἷς δ' ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ.* vel illud ex Heraclidis,

μιᾶς γὰρ χειρὸς ἀσθενὴς μάχη.

In id quadrat elogium de Fauno Aborigi-

num

num rege, quod in 1. retulit Dionyſius Halicarn. *ἀνὴρ μετὰ τοῦ δραςηρίου καὶ συνετός. vir & impiger & conſultus*. De Mithridate ſic Paterculus: Conſilijs dux, miles manu. Idem Pacatus panegyrico Theodoſij, dux conſilio, miles exemplo. Sed placet admodum quod fuit memoriæ proditum de Lælio & Scipione, quorum amicitia non minus quàm conſilium de rebus magnis celebrabatur. Itaq; qui gloriæ Scipionis inuidebant, dicebant eum eſſe egregiorum facinorum hiſtrionem; nempe Lælium illius collegam geſtorum: Scipionem præclara quædam gerere, ſed Lælij conſilijs. Tradit Iul. Capitolin. Antoninum Piũ nec in bellicis, nec in ciuilibus negotijs aliquid ſtatuiſſe, priùs quàm ſumpto cum viris grauibus cõſilio; dicebat enim æquius eſſe vt tot & talium virorum conſilium ſequeretur ipſe, quàm vt tot præclari homines ab vnius conſilio penderent. Vicem duorum ſuſtinere difficile eſſe dixit Iuriſc. in l. ſi plures. §. nam difficile. ff. de pact. Difficile eſt, ait, vt vnus duorum vicem ſuſtineat. In hanc ſententiam pulchre Ariſtoteles 2 Polit. Tamen Auſonius in Tumulis hoc elogio donat Antilochum:

Conſilijs belloq; bonus, quæ copula rara eſt.

Quo nomine celebratur Traianus apud Plinium Panegyrico, ciuitas Athenienſis à Pericle, idemq; Pericles à Thucydide. De conſilio, deq; viribus ad res maximas vnà gerendas coniunctis, adduxi nonnulla, ſed addo iſthæc ex declamatione Quintiliani 317. Inter præcipuas vires eſt, Imperatorem non pugnare aliquando. Sic extrahitur hoſtis: ſic impetus ſubitos partis aduerſæ mora frangit: ſic intercluſos commeatibus, in deditionem venire, fame cogimus. Itaq; herclè legimus militem robuſtum, legimus iuuenem: Imperatorem facimus ſenem. In illis enim vis corporum, & manus ſola ſpectatur: in his, conſilium, & ratio, quæ bona procedentis ætatis, in locum virium ſubeunt. Ipſum præterea nomen Imperatoris ſatis ſignificat, non exigere, manum ipſius, Imperator enim debet præcipere. Sed de his ſatis.

Imperatorum & militum munera.

Firmiſſima conuelli non poſſe.

EMBLEMA XLII.



OCEANVS quamuis fluctus pater excitet omnes,
Danubiumq; omnem, barbare Turca, bibas:
Non tamen irrumpes perfracto limite, Cæſar
Dum Carolus populis bellica ſigna dabit.
Sic ſacræ quercus firmis radicibus adſtant,
Sicca licet venti concutiant folia.

COMMENTARII.

I. ASTET procera quercus validis ſuis nixa radicibus, cuius laciniosa folia hinc inde impetus ventorum decutiat, arboris trunco immoto, vt probè hic exprimitur.

II. *Fons Emblematis.* FERE totum hoc mutuatus eſt Alciatus ex Epigrammate quodam Crinagoræ lib. 1. Antholog. εἰς ῥώμην. quod Carolo V. Imperatori accommodat:

Οὐδ' ἢν ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμῦραν ἐγείρῃ,
οὐδ' ἢν γερμανίη ῥῆνον ἅπαντα πίῃ·
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
δεξιὰ σημαίνειν καίσαρι θαρσαλέη.
Οὕτω καὶ ἱεραὶ ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
ἑστᾶσιν· φύλλων δ' ἄνα χεῦσ' ἄνεμοι.

Oceanus moueat licet ois vndique fluctus,
Et potet Rhenum Teutona terra ſuum;
Non cadet imperiū Roma, quo tēpore Cæſar
Præerit,† *atq; ſalus publica facta reget.* († *ac ſolus*)
Sacra Ioui quercus nam † *ſic radicibus hæret,* († *ſi*)
Et tamen aridulas huic † *capit aura comas.* († *rapit*)

Non ſi Oceanus omnem inundationem excitarit,
Nō ſi Germania totum Rhenū biberit;
Romæ vel tantillum labefactabit robur, donec manebit
Cæſaris dextra ad imperādum ſtrenua.
Sic & ſacræ Iouis quercus firmiter radicibus
Stant, ex folijs autem ea, quæ ſunt arida, decutiunt venti.

Oceanus quanquam ipſe omnes commouerit vndas,
Et Rhenum ebiberit Teutona terra ſuū;
Roma tamen ſtabit immoto robore, dextra
Cæſaris Imperio ſtrenua donec erit.
Nēpe Iouis ſacrā quercus radicibus hærent,
Sicca licet ventis pulſa cadant folia.

Germanorum Principum victoria de Turcis. Id conuertitur ingenioſè ad celebres illas victorias, quas Germani Principes de Turcarum exercitu retulerunt. Cùm enim Solymanus trecentis millibus armatorum, Vngaria maiori ex parte occupata, Auſtriam, ipſamq; Germaniam toto conatu inuadere ſtatuiſſet, de Vienna, clariſſima Auſtriæ vrbe, obſidenda cogitauit, quod immenſo apparatu circiter Idus Septemb. anno 1529. aggredi conatus eſt: cuius minas & impetum, quanquam maximum, cùm Germani non ita putarent eſſe metuēdum, vrbe vndiq; obſeſſa, tanta fortitudine reſtiterunt, vt Turcæ multoties reiecti, vix ad oppugnationem vel fuſtibus adigi poſſent. Sic Turca per menſem integrum cōtinuis oppugnationibus Viennam fruſtrà tentauit, poſtridie Id. Octob. re infecta inglorius diſceſſit, & fugienti ſimilis in Thraciam redijt, multis millibus ex ſuis amiſſis. De hac obſidione lege omnino diſcurſum Parutæ, lib. 2. Diſcurſuum politicorū, quos Italica lingua elegantiſſimè conſcripſit.

III. *Oceanus unde dictus.* *OCEANVS pater*] Quamuis videantur fluuij omnes in mare cogi, à mari magno abſumi. Dicitur Oceanus ἀπὸ ὠκύτητος, à velocitate. Quod videtur innuere Pomponius Mela in principio 3. cum inquit: Tanta vi ſemper immiſſum, vt flumina etiam vaſta retroagat, & aut terreſtria deprehendat animalia, aut marina deſtituat. Porro Patrem Neptunum, vt hic Oceanum patrem, qui aquam ſignificet, à qua cuncta oriuntur, dici palam eſt ex Lucilio:

——Pater optimu' diuum,
Vt Neptunus pater.

Oceanus cur pater dictus. Et fuit doctrina Thaletis Mileſij, qui omnia ex aquis generari exiſtimauit. Plutarch. in vita Homeri, vbi illud Homericum adducit:

Ὠκεανοῦ τ' ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται.

Idem Homerus:

Ὠκεανόντε

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Mater Tethys inquam, id eſt, mare dicitur: vt Platoni prima illa rerum omnium materia. Qua ratione Pindarus, *ἄριστον μὲν ὕδωρ* cecinit. Simile illud Virgilianum 4. Georgic.

Oceanũq; patrẽ rerum, Nymphasq; ſorores.

Cicero Academ. 2. Princeps Thales, vnus ex ſeptem, cui ſex reliquos conſenſiſſe ferunt, ex aqua dicit conſtare omnia. Quo pertinent etiam Homerica iſthæc à multis decantata, quibus Oceani patris vbertas longè latèque patens oſtenditur:

Ἐξ οὗ καὶ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα
Καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείατα πάντα νάουσι.

Sed & Catull. Argonauticis:

Oceanusq; pater totũ qui amplectitur orbẽ.

Oceanus pater ad allegoricũs.

Quid ſi per Oceanum patrem *ἀλληγορικῶς* intelligamus Turcicum Imperatorẽ, ſua celeritate, ſuoq; (vt ita loquar) hominum, vel potius mancipiorum examine, & inaudita multitudine toti Europæ, orbiq; Chriſtiano, vt magnum & immenſum mare cæteris fluuijs bellum indicentem, dudumq; minitantem? Videtur præterea hic alludere ad illud ex 1. Metamorph. Ouidij, vbi loquitur de diluuio in terras miſſo:

——illum
Cæruleus frater iuuat auxiliaribus vndis,
Conuocat hic amnes.——

Danubius.

Danubiumq;] Danubius fluuius Germaniæ celebris, qui & Iſter dicitur, teſte Pomponio Mela lib. 2. cuius hæc ſunt verba: Apertis in Germania fontibus, alio quã deſinit, nomine exoritur. Nam per immania magnarum gentium diu Danubius eſt: deinde aliter appellantibus accolis Iſter fit, acceptisq; aliquot amnibus ingẽs iam, & eorum, qui in noſtrum mare decidunt, tantum Nilo minor, totidem quot ille oſtiis, ſed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus, effluit. Hæc ille. Exoritur verò nõ

Origo illius.

longè à ſilua Hercinia, è fonte limpidiſſimo, in atrio arcis Donavveſchingen, quæ magnifica ſedes Comitum à Furſtenberg; vbi ſumpto initio etiam paſſu ſuperabili, curſum verſus orientem ad Ponticũ mare torquet, receptis ſexaginta nauigabilibus amnibus priuſquam mari immiſceatur. Et hic ſolus in Europa ad ortũ perpetuũ curſum dirigit. Vide Plinium lib. 4. c. 12.

Barbare Turca] Hæc verba magnam innuunt hyperbolen, idem enim ſonant ac ſi dixiſſet: O barbare Turca, etiamſi tot hominum millia congregares, quot dicitur olim Xerxes Perſarum rex habuiſſe, à cuius copiis flumina ingentia exiccata tradit Herodotus; nihil quicquam proficeres, ſi aduerſus inuictum Cæſarem arma moueres: imò iam omnibus notum eſt, qualiter aliquando ſalutem fuga quæſieris, idque præfractis pontibus, ne à Cæſarianis capereris. Sed hæc non ſunt noſtri inſtituti, & Caroli Imperatoris inuictiſſimi triumphi & parta gloria, magna deſiderant volumina. Vide Pantaleonis Proſopographiam. Intelligit itaq; noſter hic auctor innumerabiles Turcarum copias in alto mari nauigantes, Danubiumque Germaniæ fluuium nobiliſſimum numeroſo ſuo exercitu exhaurientes. Alluditq; ad exercitum Xerxis, quem Græci vt numeroſiſſimum facerent, flumina exhauſiſſe finxerunt.

Non tamen irrumpes] vi, magnoq; impetu non penetrabis in Germaniam.

Cæſar dum Carolus] Quamdiu præerit Imperator Carolus expeditionibus bellicis.

Sic ſacra quercus] Sacræ ſcilicet Ioui, nam Græca verba ſic habent: *ὥς καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες*, hoc eſt, *Sic & Ioui ſacra quercus*. Cauſam cur Ioui ſit ſacrata hæc arbor, ſupra innuimus, & Alciatus ipſe in fine libri refert. Eſt autem appoſitiſſima comparatio. Licet ventis hinc & hinc perflantibus è quercu frondes decidant aridæ, ipſa tamen immota ſedet arbor: ſic imperium firmis hæret fundamentis auguſtum & ſtabile, tametſi pleriq; hinc auocentur, aut pereãt in bellis Turcicis. Huc pertinet Virgilii collatio lib. 4. Æneid. quam vt Æneæ conſtantiam oſtenderet, ab Homero ſumpſit, teſte Macrobio lib. 5. c. 6.

Quercus Ioui ſacra.

Ac velut annoſam valido cũ robore quercũ
Alpini Boreæ nũc hinc, nũc flatibus illinc,
Eruere inter ſe certant: it ſtridor, & altè
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frõdes.
Ipſa hæret ſcopulis, & quantum vertice ad auras
Ætherias, tãtum radice in tartara tendit.

Eadem quoq; quæ hoc Emblemate comparatio allegorica legitur apud Lucanum lib. 2.

Pronior in magnum populus, pugnatque minaci

Cum

Cũ terrore fides, vt cũ mare poſſidet Auſter
Flatibus horriſonis, hunc æquora tota ſequuntur:
Si rurſum tellus pulſu laxata tridentis
Æolij tumidis immittat fluctibus Eurum,
Quamuis iſta nouo vẽtum tenuere priorem
Æquora, nubiferoq; polus conceſſerit Euro,
Vendicat vnda Notum. ——

Quercus quid. Et aduerte interea, quercus nomine ſignificari in Hieroglyph. fortitudinem, diuturnitatem, imperium firmum & principatũ, vt docet lib. 51. Pierius Valerian.

Firmis radicibus adſtant.] Huc fortè non omnino malè illud referam Senecæ è lib. De prouidentia: Id in quoq; ait, ſolidiſſimum eſt, quod exercuit. Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus conſurgat. Ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certiùs figit. Et id ex Epiſtola 265. Libanij Rhetoris (quem librum Græcè ſi haberem, eò libentiùs vterer) Ea, inquit, me ne minimè quidem commouerunt. Neq; enim vetuſta, & iam firmis radicibus arbor ad terram flecti, vento etiam maximè furenti, facilè poteſt.

Sicca folia] arida, & aliàs ad caſum prona. Typus humanæ vitæ, vt dicemus.

IV. 1. INNVIT, ea vix confici poſſe, aut labefactari, quæ firmis radicibus hærent, quæq; vel longo temporis decurſu, vel inſigni aliqua virtute famam ſibi pepererunt immortalem. *Carolus V. cur quercui collatus.* Ex induſtria autem quercui Cæſarẽ Carolum V. comparat auctor, vel quia Ioui ſacrata eſt. Ouid. lib. 7. *Sacra Iouis quercus.* Vel etiam quia à veteribus inter felices arbores prima recenſebatur. Meminit Artemid. de ſomn. interp. lib. 2. cap. 25. Crinit. lib. 20. cap. 6. de honeſta diſcip. Sed & ipſius arboris qualitas quàm maximè ad rem facit, eſt enim procera, ramoſa, & valida, craſſiore caudice, glandes producit optimas, quibus priſci frugi homines loco frumenti veſcebantur: teſtatur id Ouid. 1. Metamorph.

Arbuteos fœtus, montanaq; fraga legebãt,
Et quæ deciderant patula Iouis arbore glandes.

Multa hac de re Plinius lib. 12. cap. 1. Radix autem eius latiſſimè circumiacentem terram amplectitur: ſic valido robore quibuſuis tempeſtatibus, ventorum turbinibus, cœliq; iniuriis egregiè reſiſtit. Vide adagium, *Incus maxima non metuit ſtrepitus.*

2. Exhibet humanæ vitæ typum, tum quoad perturbationes & anguſtias, quæ maris fluctibus comparantur; tum quoad breuitatem & inconſtantiam, quam folia arida arborum repræſentant. *Mare pro tumultu.* Obſeruaui non rarò apud auctores litteratos, vitæ huius noſtræ perturbationes, tumultus, clades, marinis fluctibus comparari, vt apud Græcos & Latinos ſæpe, in ſacris verò libris ſæpiſſimè. Sic poeta:

Diluuio ex illo tot vaſta per æquora vecti.

Idem nubem belli dixit alio quodam loco. Si quis autem cauſſam requirat, cur aqua pro vehementioribus ærumnis accipiatur, prompta ratio eſt, quia pericula, caſuſque reliqui corpus ſoleant ex vna parte aliqua labefactare: ſed aqua vniuerſo ſtatim circumfuſa corpori, ipſum obruit, eique ſeſe tuendi conſilium omne adimit. *Homines folijs ſimiles.* Palam quoque eſt homines folijs eſſe ſimiles, indeque Homero dicuntur *μινυνθάδιοι, citò perituri*. Sicut Iliados 6. ijdem cum folijs conferũtur, quorum alia ventus humi ſternit, alia vireſcunt tempore verno. Apud Plutarch. Euripides:

ὁ δ᾽ ὄλβος, οὐδὲ βέβαιος, ἀλλ᾽ ἐφήμερος,
κ᾽ ἡμέρα μία τὰ μὲν καθεῖλεν ὕψοθεν,
τὰ δ᾽ ἦρ᾽ ἄνω. ——

Sophocles Aiace: *ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα, καὶ σκιὰ μόνον.* Nempe & in ſacris litteris homo dicitur vmbra, puluis, ventus, cinis, flos, fœnum, ad inconſtantiã & breuitatem vitæ deſignandam. Siſte te mihi paulisper hic, mi homo; non te ducam in Alcinoi vel Heſperidum illos ſæculis omnibus decantatos hortos, in areas florum fulgiente aere penſiles, ventis impoſitas, vbi diuinitatis æmula ſupra vires ſuas librauit ſe temerarijs alis humana ambitio. *Quid ex floribus diſcamus.* Pratum ingredere vernis menſibus, cui riuulus aquę cultoris manibus inductus paulò pinguior innatat: theatrum videbitur verſicoloribus aulæis diſtinctum, apotheca generibus aromatum vnguentorumque fragrantiſſimis referta; tabula (dicam verbo) diuino digito pigmentis omnibus & lenocinijs colorum diſcriminata, quibus palatia ipſa ſtellati orbis tacita mente confeſtas. Quid non ſpectatur ibi pro voto & affectu? imò ſupra votum & affectum, quod rapiat, ſuſpendat, liget ac vinciat ſenſus? Luſtra matutinis horis, cum formoſa mater Aurora, rubeſcẽte cęlo roſeis quadrigis inuehitur; luſtra, inquam, ac perluſtra, qualiter ſe ſargenti

genti lumini primùm obuertant teneri floſculi, & imprægnati iam nocturno roris ſucco fatiſcant paulatim apertis tunicis, & calycem rumpant, ſalutantes altorem Solem nouelli alumni, & oſtentantes diuitiarum quidquid habent. Stupenda res verè. Perge & inambula, concipe figuras, picturas, idæam totam ac ſpeciem, caulem, ſemen, folia, filamenta, cinnos, ſingula: carpe digitis de contemptiſſimis vnum, & conſidera, non deerunt argumenta diuinæ potentiæ in tantillo corpuſculo, quod ſic perfectè abſolutum, vt vel Apellis ingenium prouocet. Ergo patenti ſub cœlo, in medijs campis, ſcena nobis ingens panditur miraculorum Dei, ne remotius & tanquam in ſeceſſu ſepoſita, cauſam præberent obliuionis. *Miracula Dei.* Non enim vt paſcat oculos ſolùm, & applaudat diffuſi odoris flamine, emergit formoſum illud germen; ſed vt magnes ſit animorum, & attrahat ad cultum & agnitionem Autoris durum hũc chalybem humani cordis. Nunquid aliud etiam? Rumina & diſquire, primus aſpectus anſam dabit, & ſubijciet arcanum; non opus rimari altiùs & eruere. Vidiſti primo crepuſculo ſurgentis floſculi decorem? Paulò ſeriùs hortulum repete, ſqualorem videbis & mortis faciem, vt ſubita caluicie, flaccidis membris & languentibus, capita depilata gratiam omnem amiſerint diariç Veneres, & hemeruſiæ, quarum vitam dies vna cum Sole naſcentium & cadentium inchoat & claudit. *Vita breuitatem.* Vbi nec reginis ipſis ex eo genere parcitur, roſis & lilijs, quæ præeminent alijs forma, priuilegium tamen immunitatis non habent, triduo enim expirant, poſito diademate, qui curſus ætatis longiſſimus, nec ratus tamen, ingruentibus aliunde periculis ab inclementia cœli. O ſapientem & ſalutis prouidum, qui ſapere diſcit ex his talibus, & prouidere ſibi? Clamant ſine voce; docent & erudiunt ſine ſenſu ac mente; præeunt ac monſtrant viam paruulæ iſtæ particulç Vniuerſi huius, moriendum eſſe, nepotibus cedendum ac naſcituris poſt nos, eadem lege, vt & ipſi cedant regulari ſerie, ſerò & ſeriò decurrente, tangente quidquid ſatum vnquam & vſquam; hoc vnum. Et anguſtis terminis viuendi ſpacia circumſcribi; hoc alterum. Et exponi periculis, quæ primæ cauſæ cognita; hoc deniq; tertium. Et in triade hac fatali (numera vtut vis, inuerſo, conuerſo, triangulari ordine) quodlibet primũ eſt: in natiuitate enim periculum moriendi, & in morte ipſa, mortalem naſci medicina eſt mortalium, ſi meminerint. O iterum terq; ſapientem, qui ſic ſapit, vt neceſſitatem mortis ex floribus, & poſt hanc floridas illas palmas præmii nunquam deſituri contemplando ſæpius, florentibus ſertis redimitus, triumphans tandem poſſideat.

Hoc pio diſcurſu præiuit mihi Reuerendiſſimus & doctiſſimus P. Nicolaus de Oddis, celeberrimi monaſterij S. Benedicti Nouelli apud Patauinos Præſul vigilantiſſimus, *Nicolaus de Oddis.* cùm aliquando (quæ viri eſt humanitas) me ad alloquium & colloquium inuitaſſet, & ſimul iucundiſſimo proſpectu, hinc ad præterfluentis fluminis ripas, inde ad amœno virore ridentes campos, oculos & animum paſceremus. Cuius ego verba excipiens, in has prorupi voces: Felices ergo ter & amplius, qui concinnandis plantariis & hortorum cultura labores ſuos conſecrant, ii medius fidius vitam eligunt naturæ maximè congruam, cuius prima ſemina ab iiſdem initiis vernante adhuc & iuueneſcente mundo, quem in viridario paradiſi formatus Genearcha ſtirpis, raſtris & ligonibus exercuit, princeps hortulanus, impreſſo ad id operis diuino ductu, ratione magiſtra. Multas, vt video, habet commoditates hęc vita, ſeu voluptas ſpectetur, ſeu neceſſitas. Ab hac inuentio artis & modus colendi, *Vtilitas agricultura.* compellente fame & cuſtodia corporis fouendi, tegendi ex vtero telluris ſubactæ laboribus & edomitę ſolerti induſtria. Quid enim effundit illa niſi rogata & precatio, quod cedat in vſum noſtrum de meliori ſucco? ſilueſcunt paſſim agreſtia, & in copia pullulant, quibus cicurandis, vt ſic dicam, & in naturę mitiorem genium traducẽdis, ſtudio certè opus & ſolertia. Cui voluptas ſe comitem admiſcuit, non ea ſolùm quæ nutriant, ſed quæ delectent etiam & blandiuntur ſenſibus, viam oſtendens inueſtigandi. In quibus tanta varietas, ornatus, & elegantia, vt nec oculos ſaturare colore, nec fragrantia nares valeant, in admirationem ſui pertracto, & in naturalibus his aliquid etiam ſupra naturam ſublimius & purius contemplante ſpectatore.

Spes proxima.

EMBLEMA XLIII.



INNVMERIS agitur Reſpublica noſtra procellis,
Et ſpes venturæ ſola ſalutis adeſt:
Non ſecus ac nauis medio circum æquore, venti
Quam rapiunt, ſalſis iamq́ fatiſcit aquis.
Quòd ſi Helenæ aduenient, lucentia ſidera, fratres,
Amiſſos animos ſpes bona reſtituit.

COMMENTARII.

I. NAVIS in medio mari ventorum turbinibus, & fluctuum procellis agitata, velis vndiq; expāſis periclitari videtur, cui duæ ſtellæ, quæ Dioſcuri appellantur, supernè imminent, ſpem bonam tranquillitatis allaturæ.

II. *Tēpus Nicei colloquij.* SI quid noſtræ coniecturæ dandum, ſuſpicamur id ab Alciato ſcriptum fuiſſe, quo tempore ad Niceum colloquium, magna omnium ſpe & votis expectabantur Reip. Chriſtianæ Principes potentiſſimi, Carolus Quintus Imperator, & Franciſcus I. Galliarum Rex: quò loci nonnulli in certam ſpem veniebant, fœdus aliquod firmum & ſtabile, pacemq́; inter eos compoſitum tandem aliquando & ſancitum iri: vt eo tranſacto negotio rixarum omnium & contentionum, tum deniq; falſarum opinionum in religione Chriſtiana tā longè lateq́ue graſſantium omnis occaſio

tolleretur,

tolleretur, aut certè magna parte lues iſta ſanaretur. Comparat ergo Chriſtianam Rempublicam cum naui ventis & fluctibus hinc & illinc agitata, ſic vt parum abſit, quin inſanis & furentibus aquis obruatur, omniumq; ſpes penitus cadat, niſi tam craſſæ caligini & tempeſtati Deus Opt. Max. aliquid lucis immiſerit, quò bonorum virorum, totiusq; populi conſternati animi recreentur. Sunt verò qui hic per Caſtorē & Pollucem intelligi velint Summum Pontific. & Imperatorem, à quibus vnanimi voto ad metam eandem collimantibus bellorum ceſſatio, turbationumque optata fuit quies. De eo regum cōuentu, quem iam attigimus, extat Epigramma Iani Laſcaris, quod ſic habet:

Comparatio Reipubl. cum naui ventis agitata.

Caſtor & Pollux ad allegoricè.

Num Martis caſtra, an Veneris tentoria fulgent
Argento atq; auro? aſt are micāt pceres.
Et Marti grata & Veneri, Venus aurea: ferrum
Mars amat: in precio eſt ſpe quodq; ſuo.
Littora ad Oceani ſummi cū cōiuge vterq;
Conueniunt Reges. Regia tecta vides:
Conueniant alacres ad publica commoda; Turca
Europa excedent finibus atq; Aſia.
Eximij Heroum, Ledaa vt ſidera nauta,
Vos ſeruatores terra fretumq; colit.

III. *INNVMERIS agitur*] Reipublicæ ſtatus pluribus interturbatur afflictionibus.

Et ſpes &c.] Sola ſpes eſt, quæ foueat miſeris modis oppreſſos. Hinc interrogatus Diogenes, quidnam in vita eſſet extremum? Spes, dixit.

Non ſecus ac nauis. &c.] Rempublicam naui comparari ab auctoribus, notius eſt quàm vt multis probetur; quoſdam locos tamen attuliſſe non erit abs re: M. Tullius Epiſt. ad Cornificium 12. lib. rectè nauis nomine Remp. deſignauit. Conſcende, inquit, nobiſcum, & quidem ad puppim. Vna nauis eſt iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam, vt rectam teneamus, vtinam proſpero curſu. Idem in Piſonem non ſine gratia vſus eſt eadem allegoria: Non tam ſui timidus, vt qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reipub. nauem gubernaſſem, ſaluamq; in portu collocaſſem, frontis tuæ nubeculam pertimeſcerem. Alios ego vidi ventos, &c. Et pro Sexto eandem tranſlationem mirè variat: Si mihi in aliqua naue cum meis amicis nauiganti hoc accidiſſet, vt multi ex multis locis prædones claſſibus eam nauem ſe oppreſſuros minitarentur, niſi me vnum ſibi dediſſent, &c. Cùm verò in hanc Reipubl. nauem ereptis ſenatui gubernaculis, fluitantem in alto tempeſtatibus ſeditionum ac diſcordiarum, armatæ tot claſſes, niſi ego vnus deditus eſſem, incurſuræ viderentur, depugnarem potius cum ſummo, non dicam exitio, ſed periculo certè veſtro, quàm non id vnus pro omnibus ſuſciperem. Horat. 1. Carmin. eodem ſenſu & ſchemate:

Reſpublica naui comparata.

O nauis, referent in mare te noui
Fluctus, &c.

Præter Stobæi locum cap. 44. & alium quendam è Plutarchi Bruto, quibus Rempublicam naui comparant, ſuccurrūt duo alij è Panegyricis Maximiano dictis. Prior is eſt Pacati: Statim igitur præcipitantem Rempub. refrænaſti, & gubernacula fluitantia recepiſti: omnibus ſpes ſalutis illuxit, poſuere venti, fugere nubes, fluctus reſederunt: & ſicubi adhuc in longinquioribus terris aliqua obuerſatur obſcuritas, aut reſiduus vndarum pulſus immurmurat, neceſſe eſt tamen ante tuos nutus dileſcat. & ſileat. Alter verò eſt Mamertini: Neque, inquit, cùm Reipubl. nauem ſecundus à puppi flatus impleret, ſalutarem manum gubernaculis addidiſti, &c. Alia enim longiora ſunt, quàm vt huc transferri commodè poſſint. De naui quædam Pierius doctè collegit libro 47. quæ hic commemorare nihil attinet.

Circùm] Circum, hic aduerbij naturam induit, vnde & ſuo caſu priuatur.

Fatiſcit.] Deficit, & penè obruitur vi tempeſtatis & fluctuum. Virg. 1. Æneid: *Fatiſco.*

Accipiunt inimicum imbrem, rimisq; fatiſcunt.

Vbi Seruius ſic inquit: Fatiſcunt, abundanter aperiuntur: fatim enim abundanter dicimus, vnde affatim; id eſt, affatim hiſcunt.

Quod ſi Helena aduenianit &c.] περίφρασις eſt geminorum, qui Caſtor & Pollux à Poetis dicuntur, & Iouis ex Leda filii. Iupiter. n. in cygni formam verſus Ledam compreſſit, quæ peperit duo oua, è quorum altero gemini nati ſunt, Caſtor & Pollux: ex altero verò Helena. Quæ fabula ex dictione πολυσήμῳ nata eſt, vt ait Athenæus lib. 2. cap. 17. in Dipnoſoph. qui aſſerit ὠόν, id eſt, *ouum*, idem apud vete- *Caſtor & Pollux.*

P res

res quod ὑπερῷον ſignificaſſe, id eſt, *ſuperiorem thalamum*, cœnaculum, vel cubiculum, quale tribuit Homerus Penelopæ, Odyſſ. 1. Atq; ideo nati ex ouis, quia in ſuperiore parte domus fuerint nati. Hi vbi adoleuiſſent, mare piratis liberarunt, eaque de cauſſa propitij nautis olim credebantur. Ferunt, ſi horum alter appareat, tempeſtatem portendere; ſi ambo, ſerenitatem. De his ſic Plinius lib. 2. c. 37. Vidi nocturnis militum vigilijs inhærere pilis pro vallo fulgorem effigie ea, & antennis nauigantium, alijsq; nauium partibus, ceu vocali quodam ſono inſiſtunt, vt volucres ſedem ex ſede mutantes: graues cùm ſolitariæ venere, mergentesque nauigia: & ſi in carinæ ima deciderint, exurentes: geminæ autem ſalutares, & proſperi curſus prænunciæ, quarum aduentu fugari diram illam ac minacem, appellatamq; Helenam ferunt. Et ob id Polluci & Caſtori id numen aſſignant, eoſque in mari Deos inuocant. Hominum quoq; capita veſpertinis horis magno preſagio circumfulgent. Omnia incerta ratione, & in naturæ maieſtate abdita. Hæc Plinius. Seneca Natural. Queſt. lib. 1. ſic: Argumentum tempeſtatis nautæ putant, cùm multæ tranſuolant ſtellæ: quod ſi ſignum ventorum eſt, ibi venti ſunt, id eſt in aere, qui medius inter Lunã & terram eſt. In magna tempeſtate apparent quaſi ſtellæ velo inſidentes, adiuuari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis & Caſtoris numine. Cauſa autem melioris ſpei eſt, quòd iam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos. Sic ille. Solet & hoc noſtro tempore id ſplendoris ſiue luminis nautis apparere inter procellas & tempeſtates: quo viſo bene ſperare incipiũt nautæ, idq; vel D. Nicolai, vel S. Thermi, ſiue D. Hermiæ numini tribuunt. Sed (abſque Sanctorũ iniuria, & bona piorum nautarum pace dixerim) res eſt naturalis, vt communis Philoſophorum conſenſus prodidit. Nam hic ignis fit in infima aeris regione ex fumo pinguiore, qui frigiditate aeris nocturni cogitur atq; denſatur. Incenditur autem ex concurſu duarum contrariarum qualitatum, quæ inter ſe pugnãt: Vapor enim calidus eſt, & aer nocturnus frigidus. Concurrunt autem tantiſper, donec hac agitatione vapor incendatur. Figitur autem pilis, aut antennis nauium, propter ſuam grauitatem, vbi tantiſper hæſet, donec incendij materia fuerit abſumpta. De Caſtore & Polluce vide Plutarch. 2. Decretorum Philoſophic. cap. 18. Diodor Siculum lib. 5, ſub finem cap. 5. Lactant. lib. 2. cap. 2. Val. Maximum lib. 1 c. 8. Theocrit. eidyll. 27. Pindarum Nemeorum ode 10. Senecam in Herc. Furent. Nat. Comit. Mythol. lib. 8. c. 9 Vide quoq; Homerum & eius interpretes lib. Iliados 3. in illo verſu:

Plinius. *Seneca.* *Caſtoris & Pollucis cauſa Phyſica.*

Κάστορά θ' ἱππόδαμον, ϗ πὺξ ἀγαθὸν
πολυδεύκεα.

Horatius 1. Carmin.

Dicam & Alciden, puerosq; Ledæ,
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntq; nubes,
Et minax (ſic Dij voluere) ponto
Vnda recumbit.

Lucentia ſidera] Ita Horatius 1. Carm.
Sic te diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida ſideræ.

Intelligit Caſtorem & Pollucem geminos, qui aliàs Dioſcuri dicuntur, id eſt, Iouis filij. Horum fabulam eleganter narrat Ouidius in fine 5. Faſtor. his verbis:

Dioſcuri. *Fabula Dioſcurorum.*

Abſtulerãt raptas Phœben, Phœbesq; ſororẽ
Tyndaridæ fratres, hic eques, ille pugil.
Bella parant, repetuntq; ſuas & frater, & Idas,
Leucippo fieri pactus vterq; gener.
His amor vt repetant, illis vt reddere nolint
Suadet, & ex cauſa pugnat vterq; pari.
Effugere Oebalidæ curſu potuere ſequentes,
Sed viſum celeri vincere turpe fuga.
Liber ab arboribus locus eſt, apta area pugnæ;
Conſtiterant illo nomina fida loco.
Pectora traiectus Lynceo Caſtor ab enſe,
Non expectato vulnere preſſit humum.
Vltor adeſt Pollux, & Lyncea perforat haſta,
Quà ceruix humeros continuata coit.
Ibat in hunc Idas, vixq; eſt Iouis igne repulſus;
Tela tamẽ dextrã fulmine rapta negãt.
Iamq; tibi Pollux cœlum ſublime patebat:
Cùm, Mea, dixiſti, percipe verba, Pater.
Quod mihi das vni, cœlum partire duobus:
Dimidium toto munere maius erit.
Dixit, & alterna fratrem ſtatione recepit:
Vtile ſollicitæ ſidus vtrumq; rati.

Sed obiter memini legere me apud Feſtũ, ſtellam

Stella q̄d ſignificet. *Lux quid hieroglyphicè.* ſtellam ſignificare lætum ac proſperum, idq́; ex Ateio Capitone, auctoritatem ſecuto Seruilii auguris. Lucem etiam ſeu lumen, id eſt φῶς, pro ſpe accipi ſollemne fuit, vt apud M. Tull. 1. Philippica: Lux quædam videbatur oblata, &c. Euripid. item, *φῶς ἥκει ἐμοῖς κακοῖς, Lux venit meis malis*. Nam & Varro de lingua Latina 2. teſtatur, lumē pro fauſto omine veteribus fuiſſe. Ex quo illud Virgilii:

——ſubitoq́; fragore
Intonuit læuum, et de cœlo lapſa p̄ vmbras
Stella facē ducēs multa cum luce cucurrit.

Sidus. *Sidera*] Sidus Latinum vocabulum eſt, ideo per i. & non per y. ſcribendum, vt faciunt imperiti: ſic etiam Cōſiderare, Deſiderare. Eſt autem ſidus conglobatio multarum ſtellarum, quod aliqui conſtellationem dicunt, vt Taurus, Orion. Quamuis aliquando ſidus pro ſtella ponatur, contra Macrobij præceptum.

IV. *Allegoria.* NON eſt alienus animus ab illa allegoria, quam ſupra tetigimus, vt ſcilicet per nauem procellis agitatam Reſpublica intelligatur, per lucida ſidera Summus Pontifex, & Chriſtianiſſimus Imperator, fratres nempe formoſiſſimæ Helenæ, Eccleſiæ Catholicæ, qua nihil ſpecioſius: hi etenim in flagranti turbine Reipub. Chriſtianæ ſpem nobis adduunt non modicam. *Caſtoris & Pollucis.* Eſt autem nobis in aduerſis amplexanda ſpes proxima & firmiſſima, quæ nec fallit, nec fruſtratur vnquam; de qua Pſal. 9. Sperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te Domine. *Spes.* De hac clamat Eccleſiaſt. 2 Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote, quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim innocauit eum in die tribulationis, & deſpexit illum? Hanc vas electionis ad Roman. 5. inculcat: Gloriamur, inquit, in tribulationibus, ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò ſpem; ſpes autem non confundit.

In Simulacrum Spei.

EMBLEMA XLIV.



DIALOGISMVS.

QVÆ Dea tam læto ſuſpectans ſidera vultu?
Cuius peniculis reddita imago fuit?
Elpidij fecere manus. Ego nominor illa,
Quæ miſeris promptam Spes bona præſtat opem.
Cur viridis tibi palla? Quòd omnia me duce vernent.
Quid manibus mortis tela refracta geris?
Quod viuos ſperare decet, pracido ſepultis.
Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?
Sola domi manſi volitantibus vndique noxis,
Aſcræi vt docuit Muſa verenda ſenis.
Quæ tibi adeſt volucris? Cornix fidiſsimus oſcen;
Eſt bene, cùm nequeat dicere, dicit, erit.
Qui comites? Bonus Euentus, præcepsq́ Cupido.
Qui præeunt? Vigilum ſomnia vana vocant.
Quæ tibi iuncta aſtat? Scelerum Rhamnuſia vindex,
Scilicet vt ſperes nil, niſi quod liceat.

COMMENTARII

I. QVOD attinet ad picturam ea ad Authoris mentem ſic exprimenda fuerat. Mulier viridi palla induta fundo dolioli inſideat, vultu ad cęlum eleuato, arcũ fractum manibus geſtans: cui cornix appecta ſtet, & pręcedat Cupido, more ſolito nudus & alatus pictus; tum Bonus euentus, habitu ſimplici, dextra pateram, ſiniſtra ſpicam & papauer oſtentans. A tergo verò aſtet Rhamnuſia, fræno & cubito armata. Hic tamen pictoris ſocordia cornicem relegauit, quam deſidero, vti etiam Spei erectos ad ſidera vultus. Doliolum noſtris moribus depictũ Pignorius cenſet æquius fuiſſe teſtaceum exprimendum, quamuis & ligneum ab antiquitate ſit, vt idem in Commentario de ſeruis pridem annotauit. Hæc ad mentem Alciati: interim non me fugit, Spem, (Deam à Romanis cultam æde in foro olitorio ædificata) aliter quoq; pingi ſolitam: nam ait Gyraldus, eam ſe vidiſſe pictam in Adriani Imperatoris aureo numiſmate. Fęmina fuit ſtans, inquit, iuſtitiæ laciniam ſiniſtra manu nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram proferebat, in qua repoſitum erat veluti ciborium, id eſt, vas in floris ſimilitudine, cum hac inſcriptione SPES P. R. Quidam etiam Spem Deam viridi indutam palla effinxerunt, & ſedentem ſupra dolium cum cornice quidem etiam cum Nemeſi, &c. Hæc ille. Vide Syntag. 1.

Correctio figura.

Ædis Spei.

II. Ex varijs locis aptè concinnatum eſt hoc Emblema, quapropter ſingula percurramus, vt vnicuique ſuam explicationem adaptemus, vbi priùs huc adſcripſerimus doctiſſimi viri B. Dardanij epigramma in Spem, vt, ſi fieri poſſit, cum Alciati Emblemate conferamus. Eſt autem eiuſmodi:

Epigramma in Spem.

Tu, quæ ſuſtentas tereti veſtigia ligno,
Esne Dea? an noſtro ſãguine creta? Dea.
Vnde ſata? E cæca rerum caligine. Et ecquæ
Admouit nutrix vbera? Credulitas.
Ecquinam à tergo plaudunt tibi? Gaudia. Dic quis
Pallidulo ſemper te prait ore? Timor.
Suſpicis intento cur cœlum lumine? Tandẽ
Hinc dabitur votis meta ſuprema meis.
Fare, age, q̃ vultus deturpat cauſa ſerenos?
Excrucior, quoties irrita vota cadunt.
Cur baculo innixa es? Dum paſcit opinio mentem

Cæca

Cæca meam, irrepſit curua ſenecta mihi.
Quid titubas pedibus? Rerum eſt ſpes lubrica: ſapè
Quod puto complecti, labitur è manibus.

Huic verò Emblemati, vt & 46. infrà, mirum ni occaſionem dederit Marullus, qui lib. 3. Carm. ita ſcripſit de ſpe & Nemeſi:

Quænam hæc tam ſemper quæ læta eſt? Optima rerum
Spes bona. Quæ lateri iuncta? Potens Nemeſis.
Dux magis an comes eſt? Vindex magis. Vnde duabus
Tēpla eadem? Speres ne niſi quod liceat.

Et hinc licet videre quàm minimè puduerit clariſſimum virum laudatis aliorum veſtigijs, & quidem non ſemel, inſiſtere, quod neſcio quibus nimium delicatulis religioſum fuiſſet.

III. *Omnia bona à Deo.* *SVSPECTANS ſidera vultu*] Videtur hic verſiculus exprimere geſtus ſperantiū, qui ſemper cœlum intuentur, quoniam omnia bona è cœlis, atq; à Deo ipſo bonorum omnium datore proueniunt. Huius expectationis ſignum expreſsè notauit regius Pſaltes, Pſal. 120. ἦρα τὺς ὀφθαλμύς μυ εἰς τὰ ὄρη, ὅθεν ἥξει ἡ βοήθειά μυ. *Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi.* Et 122. πρός σε ἦρα τὺς ὀφθαλμύς μυ τὸν κατοικῦντα ἐν τῷ ὐρανῷ. *Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlū.*

Peniculus. *Peniculis reddita imago.*] id eſt, penicillo depicta & expreſſa. Peniculus, vel penicillus, ſiue peniculum, pictorum eſt inſtrumentum, ex caudarum extremitatibus confectum, quaſi dicas, paruum penem. Plin. 35. lib. Arrepto peniculo lineam ex colore duxit ſummę tenuitatis per tabulam.

Elpidius. *Elpidij fecere manus*] Nullus extitit, quod ſciam, pictor aut ſtatuarius hoc nomine, ſed eſt nomen è re fictitium, nam ἐλπίδιος ἀπὸ τῆς ἐλπίδος, hoc eſt, à ſpe, quam depinxit, nomen habet.

Ara bonæ Spei. *Spes bona præſtat opem.*] Alludit ad Prouerb. *Spes ſeruat afflictos.* &, *Spes alunt exules.* Ouidius:

Spes bona dat vires, animum quoque ſpes bona firmat:
Viuere ſpe vidi qui moriturus erat.

Sed & memini legere me apud Plutarchū, olim Romæ aram fuiſſe bonæ Spei. Cui conuenit & verſiculus è Comędia quapiā: ἀνὴρ ἀτυχῶν σώζεται ταῖς ἐλπίσι.

Hæc explicatius dixit Ouidius 1. de Ponto, Eleg. 7.

Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras,
In Dijs inuiſa ſola remanſit humo.
Hæc facit, vt viuat foſſor quoque compede vinctus,
Liberaq; à ferro crura futura putet.
Hæc facit, vt videat cùm terras vndique nullas,
Naufragus in medijs brachia iactet aq̄s.
Sæpe aliquē ſolers Medicorū cura relinquit,
Nec ſpes huic, vena deficiente, cadit.
Carcere dicuntur clauſi ſperare ſalutem,
Atq; aliq̄s pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quàm multos laqueo ſua colla ligantes,
Non eſt propoſita paſſa perire nece.

Spei quoq; commoda deſcribit eleganter Tibullus lib. 2. Eleg. vlt.

Iam mala finiſſem letho, ſed credula vitā
Spes fouet, & melius cras fore, ſēper ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Spes etiam valida ſolatur cōpede vinctum,
Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.
Spes facilem Nemeſin ſpondet mihi: ſed negat illa.
Hei mihi, ne vincas dura puella Deam.

Cur viridis tibi palla?] Palla veſtimenti genus eſt ad terram vſq; promiſſum. Viridis autem color eorum eſt proprius, qui ſpe aliqua lactantur: nec immeritò is ſpei fuit dedicatus, ſimilitudine ducta à ſegetibus, quas quando virides videmus, ſperamus illas ad maturitatem peruēturas. Hęc ſubindicat Alciatus in emblemate illo de coloribus: *Palla. Cur viridi veſte induta Spes.*

Nos ſperare docet viridis, ſpes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retro cadit.

Quid manibus mortis tela, &c.] Refracta mortis tela non temerè Spei tribuuntur, quòd viuos etiam in extremas miſerias adactos ſoletur & recreet, vt enim habet Adagium, *Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt:* & Theocritus: *Fracta tela mortis.*

Θαρσεῖν χρὴ φίλε βάττε, τάχ᾽ αὔριον ἔσσετ᾽ ἄμεινον,
Ἐλπίδες ἐν ζωοῖσιν, ἀνέλπιστοι δὲ θανόντες.
Χὠ ζεὺς ἄλλοκα μὲν πέλει αἴθριος, ἄλλοκα δ᾽ ὕει. hoc eſt:

Fidere, Batte, decet, melius cras forſan habebis;

Sperandũ eſt viuis, nõ eſt ſpes vlla ſepultis.
Nunc pluit, & claro nunc Iupiter æthere fulget.

Quidam Rhodius ob intempeſtiuam libertatem à tyranno iniectus in caueam, in qua more feræ alebatur, ad cruciatum ignominiamq; amputatis naribus, ac fœdata vulneribus facie, cùm à quibuſdam admoneretur, vt inedia ſibi dolorum finem aliquem quæreret, his reſpondit: At cuncta homini, quoad viuit, ſperanda ſunt. Quæ dum commentor, lubens adijciam Fornerii, præclari certè hominis diſtichõ, quod ille vtraq; lingua, eademq; ſententia ſuggeſſit:

Ἐλπὶς γηροτρόφος μούνη τρέφει ἔνδοθι ἦτορ,
ἧς ἀπάνευθε θανεῖν ἥδιον, ἢ βιοῦν.

Intus alit pectus noſtrũ ſpes viuida: quæ ſi
Deſtituat, durum eſt viuere, malo mori.

Spes etiã in moribundis.

Ammian. Marcell. lib 31. quo loci de bello planè cruento & miſero aduerſus Germanos agit: & cùm omnia cæſorum corporibus opplerentur, iacebant inter eos quidam ſemianimes ſpem vitæ inaniter vſurpando. Apollodorus Comicus huc reſpexit, cum ait, non oportere animum abiicere eum, cui aliquid aduerſi ceciderit, ſed ſemper expectandum eſſe melius.

οὐδέποτ' ἀθυμεῖν τὸν κακῶς πράσσοντα δεῖ
ἄνδρες, τὰ βελτίω δὲ προσδοκᾶν ἀεί.

Quod viuos ſperare decet &c.] Sic ordino: *Præcido ſepultis* illud, *quod decet ſperare viuos:* vt illud, *quod*, ſit in accuſandi caſu, non coniunctio. Præcidere verò hic amputare, vel denegare ſignificat: & dicimus, ſpem alicuius rei præcidere, id eſt, auferre ſiue præcludere, vt apud Ciceron. 2. Verr.

Præcidere.

Cur in dolioli, &c.] Ignauiæ hæc nota eſſe poteſt. Nam ferè dum ſperamus, deſidemus: ſed malim hoc ad fabulam referri, quam tradit Heſiodus de Pandora, principio fermè libri, qui *ἔργα καὶ ἡμέραι* inſcribitur. Cum enim Prometheus ignem ſuffurando Iouem offendiſſet, cauſa fuit mundo tantorum malorum: fabricatur virgo Pandora, fortiſſima & gratioſiſſima, cui ſinguli Dii dona contulerunt, vti Pallas ſapientiam, Venus decorem, Mercurius eloquentiam &c. vnde & nomen habuit, *πᾶν* enim *omne*, & *δῶρον donum* ſignificat. Mittitur ergo Pandora in terram, dolium afferens Epimetheo fratri Promethei, omni malorum & morborum genere refertum. Hoc cum aperuiſſet, innumerabilia calamitatum genera tum primùm homines inuaſerunt, vna tantùm ſpe in dolii labris remanente, id eſt, in ipſius ore pyxidis conſiſtente. Sic enim Heſiodus:

Locus ex Heſiodo.

Fabula de Pandora.

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα
ἐσκέδασ', ἀνθρώποισι δ' ἐμήσατο κήδεα λυγρά.
μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
ἐξέπτη. hoc eſt,

——Tegmen ab vrna
Dum Pandora leuat, totũ exiliere per orbẽ
Curarum infeſta effigies: ſpes ſola remanſit
Intus, & è labris ima ſub parte reſedit.

In adagio. *Malo accepto ſtultus ſapit.* narratur hæc fabula, ſed conciſè, & videtur innui Epimetheum aperuiſſe pyxidem (ſi pyxis vocandum eſt vas illud, quod omnia mala continebat, & non dolium) cùm ipſa Pandora in domo Epimethei vas aperuit. Certè verba Heſiodi non indicant, vas illud poſſe Latinè dici pyxidem,

ἀλλὰ γυνὴ χείρεσσι πίθου μέγα πῶμ' ἀφελοῦσα. hoc eſt:

Sed mulier manibus magnum operculum auferens.

Vide Plutarchum in conſolatione ad Apollonium. Moſchopulus in Heſiodum, Satyros dicit dolium dediſſe Epimetheo ante Pandoræ aduentum. Origenes aduerſus Celſum lib. 4. hanc ridet fabulam. Ridiculum, inquit, eſt, quod de dolio dicitur, quòd olim viuerent homines abſq; malis, & graui dolore, & morbis moleſtioribus, quæ Parcæ mortalibus dederant: ſed fœmina manibus magnum dolii operculum auferens, diffudit hominibus, & curas atroces partita eſt; ſola autem ibi Spes in tutiſſimis domibus intus relicta eſt ſub dolii labris, nec extra euolauit. Hęc Origen. Mythologi tamen Pandoram, ad humanum corpus referunt, fœmineo nomine expreſſum, quòd carnis imbecillitas minimo exſolui poteſt.

Pandora.

Noxæ] Noxæ Deæ finguntur, quæ hominibus mala inferunt, eorumque mentes perturbant. vt canit Heſiodus.

Noxæ.

Aſcræi te docuit, &c.] Heſiodus ab Aſcra

Heſiodus

ſcra

ſcra Bœotiæ vico. Virg. 6. Ecloga:

——Hos tibi dant calamos, en accipe, Muſæ
Aſcræo quos antè ſeni.

Quæ tibi adeſt volucris? Cornix.] Quòd vocem edat, Cras, Cras, cornix Spei adiũgitur, propterea quod ſemper qui ſperant animi pendeant in futurum tempus.

Oſcen.

Oſcen] Oſcen dicitur cornix, quia voce augurium præſagit, vt de ea Virgilius:
Sæpe ſiniſtra caua prædixit ab ilice cornix.
Omnes namq; aues ore cãtuq; auſpicium facientes, priſcis oſcines fuerunt vocatæ, ait Varro, Crinit. lib. 21. cap. vlt. de honeſt. diſcipl. vt & apud Horatiũ lib. 3. Ode 27.

Oſcinem coruum prece ſuſcitabo
Solis ab ortu.

Locus ex Suetonio.

Et bene cum nequeat dicere, dicit erit] Videtur hoc imitatus, & quidem mutuatus ex Suetonii Domitiano, qui ſic ait: Ante paucos, quam occideretur, menſes cornix in Capitolio elocuta eſt: ἔσται πάντα καλῶς. id eſt: *omnia rectè procedent.* Nec defuit, qui oſtentum ſic interpretaretur:
Nuper Tarpeio quæ ſedit culmine cornix,
Eſt bene, non potuit dicere, dixit, erit.
Hęc Suetonius Tranquillus in fine operis. De fortuna in melius mutata, 11. Æneid. Virgil.
Multa dies, variuſq; labor mortalibus ægris
Rettulit in melius: multos, alterna reuiſens
Luſit, & in ſolio rurſum fortuna locauit.
Sed ad rem propius: ex hiſtorijs eccleſiaſticis meminimus,

Athanaſij præſagium.

Athanaſium, virum ſanctum, à paganis ſuggillatum, quaſi magicis artibus deditum. Illum ergo excipientes ludibrio, audita cornicula, poſcebant, quod omen illud eſſet? reſpondit: Auis dicit, cras, cras, pronunciat enim vobis triſte de Iuliano infortunium. Quod verum conſtitit, nam paucis poſt diebus relatum eſt de cæde Iuliani nuncium.

Qui comites? Bonus Euentus, &c.] Duo hi Spei comites vana quædam phantaſmata ingerunt, ne plus tædij adferat expectatio, quàm ferre queant miſeri mortales.

Bonus Euentus.

Boni Euentus ſimulachrum dextra pateram, ſiniſtra ſpicam ac papauer tenẽs, ſculptum Romæ fuiſſe ſcribit Plin. libro 34. c. 8. & 36. c. 5. Boni Eu ẽtus, & Bonæ fortunę ſimulachra in Capitolio ex Praxitelis operibus. Gyrald. Syntagm. 1. Legi de veteri numiſmate Imperatoris Titij, vbi quoddam ſimulachrum fuit BONI EVENTVS AVGVSTI, dextra pateram, ſiniſtra papauera tenens, vt apud Plin. Et in Seueri numo eadem Boni Euentus ſpectatur effigies, figura ſtolata, ſtante, dextra pateram cum frugibus, ſiniſtra ſpicam & papauer tenente. Circumfertur libellus Bartholomæi Marliani, qui inſcribitur Topographia vrbis Romæ, vbi lib. 6. cap. 6. hæc verba reperiuntur:

Templũ Boni Euentus.

Templi Boni euentus veſtigia quadrata & oblonga ſpectantur, inter Mineruæ & S. Euſtathij plateas. Colebatur autem euentus, vt omnia proſpere fœliciterq; euenirent. Quare Varro ad Fundanium ſcribens, ipſum inuocauit. Cuius ſimulachrum erat habitu pauperis, dextra manu pateram, ſiniſtra verò tenens ſpicam. Vide Alexand. ab Alexand. Dier. genial. lib. 4. cap. 11.

Qui præeunt?] Hæc verba mihi videntur poſſe melius legi ſine interrogatione, & ad ſuperiora referri, vt intelligas Bonũ euẽtum & Cupidinem Spei eſſe anteambulones, qui etiam vocantur ſomnia vana vigilum. Sed de hoc liberum eſto iudicium.

Spes vigilum ſomnia.

Vigilum ſomnia vana vocant] Hoc ex Platone ſumptum eſt, qui dicebat τὰς ἐλπίδας ἐγρηγορότων ἀνθρώπων ὀνείρους εἶναι. hoc eſt: *Spes eſſe vigilantium ſomnia.* Et Quintilianus lib. 6. cap. 3. Spes inanes, & tanquam ſomnia quædam vigilantium. Quo videtur alluſiſſe Maro in Bucolic.
——an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingũt?
Non enim eſt qui verbis poſſit facilè conſequi, quàm varias in animo patiantur imaginationes, qui vehementer aliquid ſperãt. Atq; his inanibus ſimulachris perinde afficiuntur, ac ſemet oblectant, ac ſi iam tenerent, quæ ſibi pollicentur. Pindarus in Olymp. 12.

——αἵ γε μὲν ἀνδρῶν
πόλλ' ἄνω, τὰ δ' αὖ κάτω
ψευδῆ μεταμώνια τέμνοι-
σαι, κυλίνδοντ' ἐλπίδες.

id eſt: Spes etenim mortalium, multa ſurſum, deinde verò deorſum vana mendacia ſecantes volutant.

Rhamnuſia vnde dicta.

Scelerum Rhamnuſia vindex] Nemeſis, quæ etiam Rhamnuſia dicta, quia eius ſtatuam ab inclito ſtatuario Agoracrito fabricatam coluit Rhamnus, nobilis Atticæ pagus, teſte Pauſan. in Attic. De Nemeſi Pomponius Lætus in Romanarum hiſtoriarum compendio ſic ait: Virgo & victrix Nemeſis numen fuit, quo qui ex malefa-

Nemeſis quod numen fuerit.

ctis delinquebant, puniebantur. Vnde victores Nemeſin non fruſtra inuocabant. Romani enim ſemper iuſta mouere arma; cæteræ nationes odio & maleuolentia liuoreque quod imperium tantæ vrbis iuſtitia augeretur, tela in populum Romanum capiebant. Nemeſis, quam pleriq; exiſtimauere eſſe vim fortunæ, alij filiam Iuſtitiæ, alij vim quandam eſſe inter cœleſtes diſcurrentem, prima rerum ſemina, quæ fatorum & ſortium vires temperat, atq; emendat, rebus humanis trutinam adhibens, è cęloque terrena deſpectans, nocentes punit, bonis præmia largitur. Et cum ſit velociſſima, quia diu non permittit impios præeſſe atq; graſſari, alata fingitur à veteribus, & eius pedibus ſupponitur rota; cùm citiſſimè diſcurrat. Sed tandem multitudine ſcelerum indignata, oculos iam diu à rebus humanis auertit, & cum genitrice in remotiore parte cœli vltra terrarum regiones non reditura renaſcentem vrbem expectat. Rhamnuſia eſt appellata ab Rhãnunto oppido Atticæ regionis, vbi tẽplum & ſimulacrum habuit: & ab Adraſto, Adraſtia. Romæ templum huic Deæ poſuit in Capitolio, vt inde ſuam vrbem poſſet vlciſci. Hæc ille. Vide quæ ſupra Emblem. 27. de Nemeſi accumulauimus.


Vt ſperes nil niſi quod liceat] Quælibet enim ſperare nõ eſt cuiuslibet. Itaq; in hoc præcipuè illud animo fixum hæreat, *Ne quid nimis*. Fortunæ, vt naturæ noſcenda eſt menſura ſuæ. Nec verò ſapiunt, qui altius ſpirant, plusq; animi gerunt, quam vitium habeant.

IV. ELEGANS eſt Spei deſcriptio per Dialogiſmum, cuius nempè vires & adiuncta conuenientiſſimis ſymbolis explicat. Ea enim hominem lætum reddit, & ſemper meliora expectantem ad mortem vſq; comitatur. Ea tamen ſi importuna ſit & immoderata, vltricem Rhamnuſiã ſecum aduocat; quæ vota plùs æquo ambitioſa faciat irrita. Sed quia hæc ſingillatim ſuis locis tacta ſunt, plura de his addere ſuperſedeo. Qui plura de ſpe cupit, adeat Stobæum ſerm. 109. & alios; nos ad porcum properamus vlterius.

Spei effecta.

In dies meliora.

EMBLEMA XLV.



ROSTRA nono mihi ſetigeri ſuis obtulit anno,
Hacq́ cliens ventri xenia, dixit, habe.
Progreditur ſemper, nec retrò reſpicit vnquam,
Gramina cùm pando proruit ore vorax.
Cura viris eadem eſt, ne ſpes ſublapſa retrorſum
Cedat, & vt melius ſit, quod & vlterius.

COMMENTARII.

I. PORCO terram roſtro ſuffodiēti, cui aſſcriptum ſit VLTERIVS, aſter ruſticus, qui verſus duas columnas ſymbolum Caroli V. habentes, PLVS VLTRA, manum extendat.

II. RVSTICVS quidam Alciati cliens Kalendis Ianuarijs porcinum caput pro ſtrenis obtulit. Hinc ſibi Emblematis argumentum nactus Alciatus, ex natura ſuis (qui dum ſiliquas ore reflexo colligit, ſemper vlterius progrediens, nunquam retrò aſpicit) nempè vt nihil procraſtinando meliora ſequamur, neque temporis aliquam particulam ſinamus effluere, quod non pertineat ad aliquem progreſſum, & rei melius gerendæ occaſionem. Alludit autem ad extremum (vt ne in minutulis etiam otioſum deprehendas) ad ſymbolum Caroli V. Imperatoris, quod eſt VLTERIVS. Epigraphen hanc, *In dies meliora.* videtur attigiſſe Tullius 3. de legibus: Ego animi pendere ſoleo, ait, cùm quid orſus traducor aliò; neq; tam facilè interrupta contexo, quàm abſoluo inſtituta. Non abludit Corn. Tacitus initio libri de Oratoribus: Huius libri editionem maturaui, vt dimiſſa priore cura huic nouæ cogitationi toto pectore incumbam. Hæc ille.

Natura porci.

Symbolū Caroli V.

III. ROSTRA] Synecdoche numeri. Roſtrum autem nō ſolum de auibus dicitur, ſed etiam de alijs animantibus, & de ipſo homine. Plaut. Menæch.

Roſtrum.

Apud menſam plenā homini roſtrū deliges.

Roſtra caprarum dixit Var. 2. de re ruſt. c. 3. Canum Plinius lib. 8. cap. 4. Suum Cicero 1. de Diuinat. A ſimilitudine autem roſtri auium pars nauis exporrecta & acuminata, ex ære ferrove in prora eminens, roſtrum appellatur; hinc naues roſtratæ, quæ etiam æratæ dicuntur.

Nono anno] Kalendis Ianuarij, quo die etiam hodie ſtrenas mittēdi obtinuit vſus.

Setigeri ſuis] proprium porci epithetō, ſetiger, vel ſetoſus. Virgil. 12. Aeneid.

Setigeræ fœtum ſuis, intonſamq; bidentem
Attulit: ——

Dicuntur autem ſetę à ſue, quaſi ſuetæ; & ſunt pili craſſiores, rigidi atq; erecti, quales ſues habent. Et licet leonum & equorum pili propriè dicantur iubæ, tamen etiam nonnunquam ſetę vocantur. Cic. Tuſc. 5. In hoc medio apparatu fulgentem gladium è lacunari ſeta equina appenſum demitti iubet. Dicuntur item ſetæ de homine. Ouidius:

Seta.

Barba viros, hirtæq; decent in corpore ſetæ.

Plautus Caſina:

Ita quaſi ſetu labra mihi cōpungit barba.

Setas denſum pilorum & barbitii horrorem vocat; vnde etiam, barba ſetoſa.

Cliens] Cliens eſt correlatiuum patroni: nam patronus eſt defenſor cauſæ, cliens verò defenſione indigens, id eſt, litigator, qui patronum ſequitur, vt ab eo defendatur in iudiciis.

Cliens.

Xenia.] ξένια, munera hoſpitibus dari ſolita, quæ verò remittebantur, apophoreta dicebantur. Hinc Martialis duos poſtremos epigrammatum libros Xenia, atque Apophoreta appellauit, quod in ſingulis diſtichis deſcripta ſint munera, quæ mitti ſolebant, & diſticha ipſa pro muneribus, hoc eſt, pro xeniis & apophoretis miſſa. Hic verò intellige ſtrenas, amicorum donaria, quę Kalend. Ianuarii vltrō, citrōque exhiberi ſolita. Ex L. Pomponio: Pictoribus aſſide, ſi qua ventura eſt alia ſtrena ſtrenuē. Quo loco aduertimus ſtrenam à ſtrenuitate dici, vt apud Nonium. Iam quidem Kalendas anni auſpices antiquitas ſacrauit, quibus & ſtrenæ donarentur. Qui mos à Tatio rege poſteris trāſmiſſus, cùm verbenas felicis arboris ex luco ſtrenas noui anni auſpices primùm accepiſſet, vt videre eſt apud Symmachum: quod argumentum iam inde fuit viris ſtrenuis eas deberi

Xenia.

Strena.

beri, & ob virtutem elargiendas. Ex eo colligimus, occaſione munuſculi à ruſtico cliente dati, artificem ingenioſum Alciatum egregiam ſententiam captaſſe, & rationem arripuiſſe philoſophandi.

Ventri habe] Proſopopœia ruſtica ruſtici hominis. Solebant autem pro Xeniis plerunq; mitti lauta obſonia & delicatiores cibi; quod ex Apuleio colligo: Mittit mihi, inquit, xeniola porcum optimum, & quinq; gallinulas, & vini cadum iam ætate pretioſi. Obiter hic noto, priſcis Italis carnes ſuillas in magnis deliciis fuiſſe, præſertim vuluam ſuillam. Vnde Martialis:

Carnes ſuillæ in delicijs.

Te fortaſſe magis capiet de virgine porca,
Me materna graui de ſue vulua capit.

Lucanis quoq; Italiæ populis Lucanicas, genus farciminis ex porcina carne, acceptas referimus. Quomodo verò hę fiant, lingua Italica tibi dicet ipſe porcus in Sphingem mutatus:

Ænigma Lucanicæ.

Eſſendo ſtato in vita ſan del corpo,
Dopo morte pigliai la pelarella.
Hebbi già le budella dentro al corpo,
Ed hora hò il corpo dentro à le budella.
De le quali entrar debbo à vn altro corpo,
E quindi girmi à ſotterranea cella.
Là oue ſenza Sol m' aſciugherò,
Perch' eſca ad ingraſſar chi m' ingraſſò.

Sed parum abfuit, quin me porcus extra chorum ſaltare faceret. De carne ſuilla plura habes apud Cœl. Rhodig. lib. 25. cap. 25. & 26.

Progreditur ſemper] Hinc occaſio capta Emblematis; & fit alluſio ad ſymbolum Caroli V. Imperatoris, VLTERIVS.

Gramina] Quiſquilias, furfures, & alia.

Ore pando] Roſtro reflexo, recuruo. De voce *pandus*, diximus Emblemate 7.

Cura viris eadem eſt] Itidem debent curare homines, ne fruſtrentur ſua ſpe, rebus que cupitis.

Vt melius &c.] id eſt, *δευτέρων ἀμεινόνων*.

IV. *In dies meliora.*

PERTINET hoc præceptum ad ſedulos & diligentes, qui ſemper in melius proficiunt, non procraſtinant, non differunt, neq; moras nectunt, & diutiùs conſultando ſibi mera ſomnia fingunt: deſidẽt interea, ſpeq; vana ſeſe lactant; vt ille apud Martialem, qui ſe nunc cauſſidicum, nunc ſe Rhetora fingeret, aut ſperaret neſcio quid, nunquam tamen ſe proueheret: Inani certè ac ſupina cogitatione, imò væcordia planè delira. Nam, quod Seneca epiſtola 13. Inter cętera mala hoc habet propriũ ſtultitia, ſemper incipit viuere. Ad id traduci poteſt quod Senec. diſputat de Benefic. lib. 2. cap. 16. quò loci ait, vitam ſemper inchoare, moleſtum: Idẽ ad fin. epiſt. 69. & pulchrè paulo antè epiſt. 63. Nõ inconcinnè illud Horatii:

——*viuendi rectè qui prorogat horã*
Ruſticus exſpectat dũ defluat amnis. ——

Certè ne pluribus, puto generali ſententia emblematis intelligi *τὴν εὐημερίαν*, hoc eſt, felicem diei ſucceſſum, qua voce Cicero vſus ad Atticum 9. Contrarium eſt adagium, *Mandrabuli in morem res ſuccedit:* cui conuenit illud Maronis 1. Georgic.

——*Omnia fatis in peius ruere.*

Quid ſi hoc referamus ad ſtudii Philoſophici aſſiduitatem, vt Plutarchus facit diſputatione de profectu morum? Sic enim ille: *ἐν τῷ φιλοσοφεῖν οὐκ ἔστι λήγοντος διάλειμμα προκοπῆς, οὐδὲ στηριγμός.* In philoſophando & virtutis itinere nulla eſt ceſſatio, nulla perpetui progreſſus intermiſſio. Contrà, miſerè & nonnunquam improbè deſipiunt, qui ſuis ita malè rebus proſpiciunt, vt quo magis ætate prouehantur, peiores euadant: Sicuti Menedemus permultos Athenas ſtudiorum cauſa proficiſci dicebat, principio ſapientes, deinde philoſophos, poſtea Rhetores, tandem idiotas. Qui itaq; ſe meliorem in dies facit, quaſi ſeipſum vincit: qui in deterius abit, vinci ſe ignauè permittit. Quod Plato 1. De legib. ait eſſe turpiſſimum: *ἡττᾶσθαι αὐτὸν ὑφ' ἑαυτοῦ πάντων αἴσχιστόν τε ἅμα καὶ κάκιστον.* In varijs Caſſiodori formulis multa ſunt, quibus hic locus commodè poteſt exornari. Alacriter, ait, incumbendum eſt inchoatis, cùm iã exſpectatur aliquid, quo nos profeciſſe gaudeamus: ſpes enim efficiendi laboris tędium adimit: magnum que illicium & incitamentum, ſi nobis perſuadeamus id perfectum iri, quod percupimus. Idem lib. 8. Natura ipſa boni adhibita perſeuerantia præliatur; quia minus eſt, ſi quæ laude digna iudicantur, incipiamus, quàm quod conſultò eſt inceptum perſequamur.

Aſſiduitas.

Illicitum

Illicitum non ſperandum.

EMBLEMA XLVI.



SPES ſimul & Nemeſis noſtris altaribus adſunt,
Scilicet vt ſperes non, niſi quod liceat.

COMMENTARII.

I. IMAGINES Spei & Nemeſis ſuperiore Emblemate ſcitè expreſſimus, eædem & huc appingendæ, Spes ſcilicet dolio inſidens, palla induta viridi, arcu fracto, & cornice aſſecla. Nemeſis verò altera frenum, altera manu cubitum tenens. Deſidero hic formam dolioli, arcum fractum (hic enim integer apparet) & abſentem cornicem.

II. *Imitatio Alciati.* HOC Emblema fere idem eſt cum ſuperiore 44. Videtur autem Alciatus alluſiſſe ad Epigramma Græcum, quod habetur lib. 1. Anthol. *εἰς ἐλπίδας*, ſed diuerſa clauſula: nam Græcum diſtichon irridendo concludit.

Ἐλπίδα καὶ νέμεσιν ἴσους παρὰ βωμὸν ἔτευξα,
Τὴν μὲν ἵν' ἐλπίζῃς, τὴν δ', ἵνα μηδὲν ἔχῃς.

Quod ſic eleganter reddidit Politianus:

Spem ſimul & Nemeſim poſita dicat Eunus in ara,
Scilicet vt ſperes omnia, nil habeas.

III. NEMESIS] De Nemeſi, quę & Rhãnuſia, & Adraſtia, deq; eius origine, ſimulacro, ac deniq; contumelioſorum & elatæ mentis hominum perſecutione & punitione ſcribit Pauſanias in Atticis, & refert Leonic. de var hiſtor. lib. 2. cap. 28. Vide adagium, *Rhamnuſia Nemeſis*, præterea, quæ ſupra abundè dicta ſunt.

Altare. *Noſtris altaribus*] Ijſdem aris ſunt locatæ. Altare, quaſi dicas, Alta ara. Nam antiqui in ædificijs à terra eleuatis ſacra faciebant

ciebant Dijs ſuperis, in terra Dijs terreſtribus, in effoſa Dijs infernalibus. Altare ſuperis tantùm conſecratum erat, ara tam ſuperis quam inferis.

Scilicet vt ſperes &c.] Verſus iſte ferè idem eſt cum vltimo Emblematis 44.

IV. Recte & verè Pindarus Nem. 8.

Κενεᾶν δ' ἐλπίδων χαῦνον τέλος.

Vana ſpei imbellis euentus. Quo ſpectat Horatianum illud ex 4. Carmin.

Terret ambuſtus Phaethon auaras
Spes, &c.

Spes cum Nemeſi. Meminimus in ſuperiori Spē cum Nemeſi vnà expreſſam fuiſſe, ex quo intelligi liceret, nihil niſi quod fas & iuſtum ſit, quòd que fieri facilè poſſit, expectandum, ſibiq; fingendum eſſe. Nam valdè eſt inſolens & temerarium ambire, quæ nequeas aſſequi, aut ſi aſſequaris, non tamen tueri aut ſeruare poſſis. Occurrit exemplum Cęſaris Borgiæ Valentinorum Ducis, qui audacius *Cæſar Borgia.* quàm aliquis alius eiuſdem conditionis, Imperii maieſtatem ſibi pollicitus, militaribus aliquot vexillis appingi curarat illud vulgo Italico: O *Cæſare, ò nullo.* id eſt: Aut Cæſar, aut nihil: qui tandem morte miſera interceptus, vaticinii locum inuenit; ſed non quem ſpe magnifica ſibi propoſuerat. Itaq; de eo ſic luſit Sannazarius:

Aut nihil, aut Cæſar vult dici Borgia: quidni,
Cùm ſimul & Cæſar, poſſit & eſſe nihil?

Idemq; in eundem:

Omnia vincebas, ſperabas omnia Cæſar:
Omnia deficiunt, incipis eſſe nihil.

Non poſſum non afferre, quę Plato de Spe ſentiat lib. 13. ſuæ Reip Dial. 1. *Platonis locus.* Qui nullius, inquit, iniuriæ ſibi conſcius eſt, huic iucunda ſpes ſemper adeſt, optima ſenectutis nutrix, quemadmodum Pindarus ait. Quicunq; videlicet iuſte ſancteque vitam exigit, dulcis eum ſpes comitatur, cor nutriens, ſenectutemq; fouens, quæ maximè hominum volubilem gubernat animum. Hæc Plato.

Pudicitia.

EMBLEMA XLVII.



POR-

PORPHYRIO, domini ſi inceſtet in ædibus vxor,
Deſpondetq́ animum, præq́ dolore perit.
Abdita in arcanis natura eſt cauſſa: ſit index
Sincera hæc volucris certa pudicitiæ.

COMMENTARII.

I. *Porphyrionis forma.*

PORPHYRIO pudicitiæ ſymbolũ, ab Ariſtotele inter ſciſſipedas commemoratur, cœruleoq; eſſe colore, cruribus longis, roſtroq; iuxta caput purpureo, magnitudine galli gallinacei. Eorum etiam, quæ pedibus apprehendit, ſeruat fruſtula. Fodientis more bibit. Quinq; digitos habet, inter quos medius eminet. Alexander Myndius in 2. de Volucrum hiſtoria, Libycam eſſe auem dicit, & inter Lybicos Deos numen habere. Plinius ait, Porphyrio ſolus morſu bibit; idem ex proprio genio omnem cibum aqua ſubinde tingens, deinde pede ad roſtrum veluti manu afferens. Laudatiſſimi in Comage. Roſtra ijs & prælonga crura rubent.

II. *Porphyrionis auis mira natura.*

ATHENAEVS lib. 9. Dipnoſoph. cap. 12. de Porphyrione hæc habet: Polemon in 5. eorum, quæ ad Antigonum & Adæum ſcripſit, Porphyrionem auem refert, in quacunq; domo fuerit enutrita, vxorum pudicitiam mirè ſeruare, & eiuſmodi præſenſionem habere in adulterijs, vt ſi tale quid cognouerit, ſtatim domino ſignificet, ſuſpendio vitæ finem imponens. Addit præterea, hanc auem non prius cibum ſumere, quam loco commodo reperto, vbi pauliſper deambulet. Poſtea puluere ſe conſpergens lauat, & ſic demum cibum capit. Aelianus quoq; lib. 14. cap 35 ait, Porphyrionem muliebris pudicitiæ obſeruatorem eſſe, matriſq; familias adulteriũ ſuſpendio ſuo indicare. De hac aue vide etiam Oppianum. Nicolaus Leonicus lib. 3. de var. hiſt. cap. 17. latè proſequitur Porphyrionis naturam. Fit etiam in Leuitico de hac aue mentio, cap. 11. Hiſpanis hæc auis dicitur *Calamon*, vt monet Antonius Nebriſſenſis in Quinquagenis, c. 35. Ioannes Tzetzes Chil. 9. ſic ait:

Ὁ πορφύριον ὄρνεον ἄγαν ὑπάρχει σῶφρον,
Ὡς εἰ κ̓ μόνην ὄψαιτο πόρνην, εὐθέως θνήσκειν, Id eſt:
Porphyrio auis valde eſt temperans,
Vt ſi ſolum videat meretricẽ, ſtatim pereat.

Huius rei cauſſa eſt in abditis naturæ arcanis: tantumq́ue licet hinc colligere, quàm turpe, quamq́; flagitioſum ſit adulterium, cuius actu vel clanculario auis eiuſmodi vita priuetur. Itaq; quantum ad id argumentum pertinet, hæc adhiberi poteſt pro certæ & illibatæ pudicitiæ ſymbolo.

III. *Inceſtus.*

INCESTET.] polluat ſe adulterio. Inceſtus, vel inceſtum, eſt flagitium in affines admiſſum. Non. Marcel. Sed & pro quacunque libidinoſa pollutione Seruius accipit. *κέστος*, pudoris cingulum, quo ſponſæ ornabantur; per tranſlationem ſumitur pro pudore ac legibus connubij. Hinc *ἀκεστον*, pro turpi flagitio Græci accipiunt. Iuriſconſulti inceſtum ſumunt pro impudico, & turpitudinis flagitio in propinquos admiſſo, l. vlt. ff. de ritu nupt. Inceſtare etiam dicere poſſumus, funere polluere, auctore Virgilio 6. Aeneid. *Inceſtare.*

Præterea iacet exanimũ tibi corpus amici.
Heu neſcis, totamq; inceſtat funere claſſem.

Deſpondere animum.

Deſpondetq́ animum.] Animum deſpondere, apud Ciceronem nuſquam legi Budæus opinatur: vſum tamen eius loquendi formulæ apud Varronem, Liuium, Columellam notat: apponit Plautinum id è Menæch. *Pater eius poſtquam perdidit puerum, animum deſpondit.*

Cauſſa occulta.

Abdita in arcanis.] Cauſſam occultam philoſophi appellant, vt cùm quæritur, cur magnes ferrum? cur ſuccinum paleam trahit? id in naturæ arcanis eſſe dicũt, quia eius ratio reddi non poteſt.

Sincerus.

Sinceræ] puræ, ſimplicis, & ſine fuco: & in hac ſignificatione per i, Latinum ſcribendum eſt. Quod ſi pro integro & illibato accipias, per y ſcribitur, quia præpoſitioni Græcæ *σὺν*, *cum*, originem ſuam debet. Nam qui diuidere fructum aluearum cum ſocio volunt, ſimul cum cera mel partiuntur; quod ſi mel tantum ſine cera conſignent, fraudem ſocio faciunt, nec integrè agunt. Syncerum itaq; quaſi ſimul cum cera.

IV. *Adulterium.*

PRORSVS deteſtandum eſt adulterij crimen, vt quod animalia rationis experua

tia ad indignationem moueat; nam quod de Porphyrione aue allatum eſt miraculum, eius quoq; apud alios fit mentio, ſed neotericos, quorum ſtudium & induſtriã laudo: ſed veteres in primis habeo. Firmicus Maternus (quem aliàs citauimus, auctorem certè pium & doctum) ſcribit, à leone caſtiſſimo animali leænam fœminam iugulari, quæ cum pardo coierit. Apud Ariſtotelem & Plinium exempla quædam alia leguntur, quibus eadem naturæ verecundia oſtenditur. Non eſt alienum quod Nouella 12. Iuſtinian. ſcribit, eos qui ſe polluunt nefario coitu, ea facere, quæ bruta rationis expertia deteſtantur. πράττειν ἀσεβῆ τε καὶ ἀνόσια, καὶ τοιαῦτά γε ἐπιθυμεῖν, ὁποῖα πολλὰ καὶ τῶν ἀλόγων ἀποσείεται ζώων. Vnde non immeritò apud diuerſas gentes grauiſſimè in adulteros & adulteras animaduerſum eſt.

Pœna adulteriorum.

Solon ſuis legibus ſtatuit, fas eſſe deprehendenti mœchum interficere in ipſo adulterio. Zaleucus legem tulit, vt quiſquis mœchus aut adulter fuerit deprehenſus, erutis oculis pœnas lueret. Aegyptij adulterij conuictum virgis ad plagas mille cædebant, muliere naribus mutilata: nouerant quippe ſapientiſſimi Legumlatores immoderatam & indomitam fœminei ſexus ambitionem à libidine & voluptatibus, non tam ſeueritate pœnarum quàm formæ turpitudine & infamia deterreri.

Adulteri caſtrati.

Aliquando tamen adulterium in viris caſtratione & virilium abſciſſione punitum legimus; vt ea pars pœnas lueret, quæ peccaſſet. Vnde meritò à Martiali ridetur, qui vxoris ſuæ mœcho nares præciderat, qua tamen corporis parte nihil fuerat peccatum:

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?
Nõ hac peccatum eſt parte, marite, tibi.
Stulte, quid egiſti? nihil hic tua perdidit vxor,
Cum ſit ſalua ſui mentula Deiphobi.

Pudicitia Spartanorum.

Lycurgi temporibus tanta erat apud omnes vxorum pudicitia, tantumq; aberãt ab ea facilitate, quæ poſt inuaſit, vt prius eſſet incredibile, crimen adulterij apud Spartanos inueniri: ferturque dictum cuiuſdam vetuſtiſſimi Spartani Geradæ, qui rogatus ab hoſpite quodam, quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? neq; enim videre ſe quidquam ſuper hac re ſancitum à Lycurgo: Nullus, inquit, ò amice, apud nos adulter eſt. Quum ille ſubieciſſet: Quid igitur, ſi exiſtat? Dabit, inquit, bouem tantum, vt porrecto vltra Taygetum mõtem collo bibat ex Eurota. Cumq; ille ridens dixiſſet: Fieri non poteſt vt tantus bos inueniatur: Et quo pacto, inquit Geradas, Spartæ exiſtat adulter, in qua diuitiæ, delitiæ, & corporis aſciticius cultus probro habentur: contra, verecundia, modeſtia, ac obedientiæ magiſtratibus debitæ obſeruatio, decori laudiq; dantur? Prudenter intellexit Geradas, ibi non poſſe naſci vitia, vbi non admittuntur vitiorum ſeminaria.

Priſcarũ matronarum pudicitia.

De fœminarum præterea priſcarum pudicitia notum eſt illud Argei, qui quibuſdã non ſuas, ſed aliorum quorundam vxores prædicantibus: Per deos, inquit, de bonis & honeſtis mulieribus nihil temerè loquẽdum eſt, ſed in totum quales ſint oportet ignorari, præter quam ſolis maritis, quibus cum viuunt. Tam inſignis erat apud priſcos virginum & vxorum pudicitia, vt eas ab alijs, quàm à parentibus, aut ſuis maritis conſpici, gradus aliquis ad impudicitiam haberetur: tantaq; cautione conſulebatur illarum famæ, vt parum pudica haberetur, de qua rumor, quamuis vanus, oriri potuit; ſed ea demum ſumma matronalis pudicitię laus haberetur, ſi mulier adeo domi concluſa viueret, vt nullus eſſet, qui de ea vel bene, vel malè loqui poſſet: propterea quod hoc ipſum, matronam verſari in fabulis, trahiq; per ora hominum, proſtitutionis genus putaretur. Etenim qui laudat alienam vxorem, videtur habere cognitam cuius laudes prædicat, quod ipſum aliquid detrahit pudori fęmineo. Quid igitur dicendum de noſtri temporis matronis, quæ ſine maritis intereſſe gaudent iuuenum conuiuijs, quæ curſitant ad alienarum ciuitatum dies feſtos & emporia, quę ducunt choreas ex viris & fęminis alternè mixtas, quæ in balneis corpus nudum oſtendunt quorumlibet virorum oculis? Penitiora tangam cum Horatio, non ſine morſu:

Sunt quas Eunuchi imbelles, & mollia ſẽper
Oſcula delectant, & deſperatio barbæ,
Et quod abortiuo non eſt opus.

Proh pudor; Hæ tamen Penelopæ & Lucretiæ haberi volunt. Hinc ego nouus aruſpex Porphyrionum raritatem auguror, vt quos muliebris petulantia ad infauſtum ſuſpendium adactos, è rerum natura exulare fecit.

In victoriam dolo partam.

EMBLEMA XLVIII.



AIACIS tumulum lacrymis ego perluo Virtus,
Heu miſera albentes dilacerata comas.
Scilicet hoc reſtabat adhuc, vt iudice Græco
Vincerer: & cauſſa ſtet potiore dolus.

COMMENTARII.

I. MVLIER diſcincta, mœſta, tumulo marmoreo inſidet, crinem ſibi dilanians. Ad ſignificandum verò Aiacis eſſe tumulum, inciſæ apparent litteræ, D. M. AIACIS, Dijs Manibus Aiacis.

II. *Fons Emblematis.* EXPLICATVR id agalma ab Euſtathio ad Iliados Homericæ β. citaturq; à Porphyrio alicubi. Quod epigramma tributum Virtuti, conditionem ſuam deploranti, mutatum fuiſſe à Mnaſalca Sicyonio, & in Voluptatem conuerſum, ex altero factum de Aiace, admonuit doctiſſimus Camerarius. Hoc ex 3. Epigrammatῶν Græcorum ſumptum, tit. εἰς ἥρωας. Eſt enim tetraſtichon Aſclepiadis:

ἁ δ᾽ ἐγὼ ἁ τλάμων ἀρετὰ παρὰ τῷ δε κάθημαι
ἄιαντος τύμβῳ κειραμένα πλοκάμους.
Θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, ἕνεκ᾽ ἀχαιοῖς
ἁ δολόφρων ἀπάτα, κρεῖσσον ἐμεῦ κέκριται.

Vrſinus ſic vertebat:

† *Dilacerata comas, viſu miſerabilis, eheu,* † Dilanians.

Conſider.

Conſideo ad cineres hic Telammiadæ,
Icta dolore graui, mihi quòd fraus callida quondam
Iudicibus Graijs antè locata fuit.
Illa ego miſera Virtus huic aſſideo
Aiacis tumulo, dilaceratis crinibus,
Animũ dolore magno ſaucia, quod Græcis
Fallaciarum machinatrix fraus, res præſtantior me iudicata eſt.
Ad tumulum ſedeo Aiacis, miſerè obruta luctu,
Atq; comas, Virtus, dilacerata meas:
Victa dolore graui, ꝙ Graiũ iudicia vnam
Meme fallaci poſtpoſuere dolo.

Epigramma Antipatri. Eiuſdem omnino argumenti ſequitur eodem 3. lib. Epigramma Antipatri, quod ſubiungimus:

Σῆμα παρ' Αἰάντειον ἐπὶ ῥοιτηίσιν ἀκταῖς
Θυμοβαρὴς ἀρετὰ μύρομαι ἑζομένα.
ἀπλόκαμος, πινόεσσα, διὰ κρίσιν· ὅττι πελασγῶν
Οὐκ ἀρετὰ νικᾷν ἔλλαχεν, ἀλλὰ δόλος.
Τεύχεα δ' ἂν λέξειεν Ἀχιλλέος, ἄρσενος ἀκμᾶς·
οὐ σκολιῶν μύθων ἄμμες ἐφιέμεθα.

Sanctius ita reddidit:
Aiacis propter Rhœteo in littore buſtum
Aſſideo Virtus, nec leuis ira mea eſt.
Dilaniata comas, lacrymans, quòd monit Achiuos
Non virtus, quando vicerit arte dolus.
Arma vel hæc dicant Pelidæ fortis, inane
Quid volumus verbum? poſcimus arma virum.

III. *Aiacis tumulus.* *AIACIS tumulum*] Tumulum aiacis in littore Rhæteo fuiſſe conſtat ex epigrammate iamiam allato, & vult Q. Calaber: Eũ fuiſſe prope Sigæum Troiæ promontorium ponit Plinius lib. 5. cap. 30. & Sozom. hiſtor. tripart. lib. 2. cap. 18. Sed & de Aiacis interriti Herois apud Ilium inuentis oſſibus, cuius genu patella puerilis diſci magnitudinem facilè æquaret, ſcribit Pauſan. ſe ab homine fide digno audiſſe, qui confracta verſus littus eius tumuli parte, marinis fluctibus, in illum viſendi cauſa ſe penetraſſe, & omnia diligenter perſpexiſſe aſſeuerauit. *Aiax vnde dictus.* Nolim prætermiſſum, quod notatur à ſcholiaſtis quibuſdam, Aiacem (de quo hic) nominatum ab *αἴ, αἴ, heu, heu*, nota dolentis, ſeu lamentantis particula; & *αἰάζειν*, lamentari eſt.

Dilacerata comas.] Signum doloris grauiſſimi Sic Ouid. de Tibulli morte:
Venit inornatas dilacerata comas.
Aeſchyli ſcholiaſtes ἐν πέρσαις: σύνηθες γὰρ τοῖς θρηνοῦσι τίλλειν τὰς ἑαυτῶν τρίχας. Et ne quid præteruolet, quod ad materiam illuſtrandam facit, illud putamus adijciendum. Geſtum lamentantis expreſſit Lucan. lib. 2. in Martia matrona: *Luctus Martiæ.*
——Poſtquam condidit vnà
Supremos cineres, miſerando concita vultu
Effuſas laniata comas, concuſſaq; pectus
Verberibus crebris, cineresque ingeſta ſepulchri:
Non aliter placitura viro.
Cum hac ſtatua Virtutis eiulantis confero illud Horatij ad Auguſtum 1. Epiſt. lib. 2.
Romulus & Liber pater, & cum Caſtore Pollux,
Poſt ingentia facta, Deorũ in tẽpla recepti:
Plorauere ſuis non reſpondere fauorem
Optatum meritis.
Placet illud Petronij Arbitri Satyrico:
Pellitur à populo victus Cato, triſtior ille
Qui vicit, faſceſq; pudet rapuiſſe Catoni:
Namq; hoc dedecus eſt populi, morumque ruina:
Non homo pulſus erat, ſed in vno victa poteſtas,
Romanumq; decus: quare iã perdita Roma,
Ipſa ſui merces erat, & ſine vindice præda.
Porrò Alciatus imitatus eſt hoc Ouidianum 4. de Ponto, 13.
Venit ad albentes illabefacta comas.
Indice Græco.] Id eſt, Agamemnone, quem prauum Atridem vocat Auſon. in Epitaphio Aiacis, quod etiam huc non malè referri potuiſſet. *Agamemnon.* Vide num alludat ad Prouerb. *Græca fides.* &, *Pergræcari.* quoniam malè audiebant Græci circa fidem & probitatem. Sed is poſtremò locus mihi videtur altiore quadam conſideratione indigere: nam cùm dicit,
Hoc reſtabat adhuc, vt indice Græco
Vincerer.
Rem exaggerat ipſa Virtus lachrymarum plena, à iudicis perſona. Eſt enim indigniſſimum, virtutem à Græcis ipſis, à quibus id omnium minimè fuit expectandum, eiectam, oppreſſam ac deſertam fuiſſe: ſunt enim Græci ſapientiæ nomine commendati, quo etiam cæteris alijs nationibus præluceant. Atqui ſi id à Barbaris profectum

eſſet

eſſet, ferendum quidem aut ridendum deniq; fuerat. De hoc iudicio vide quæ ſupra Emblemate 28. diximus. item Ouidium 13. Metamorph. Et latiùs habetur apud Cretenſ. lib. 5. de bello Troiano, prope finem.

Cauſa ſtet potiore doli] adeo fraudulenti & doloſi ſuperiores ſint in controuerſia. Vel, dolus ſit melioris conditionis quam iuſtum & æquum.

IV. *Virtutem lugere quid.*

PROSOPOPOEIA eſt Virtutis ad Aiacis tumulum inſidentis, & magna lachrymarũ copia eiulantis, propterea quòd iniuſtè lata ſit à Græcis iudicibus ſententia de armis Achillis Vlyſſi, non autem Aiaci, cui debebantur, adiudicatis. Quo intelligi datur, quoſdam viros bonos plerũque iniquorum iudicum decretis augi, & iniuſtè de ſuo iure deturbari; nullis tamen condolentibus aut opem, vel conſilium præſtantibus. E multis quæ occurrunt locis ad id illuſtrandum, apponam vnum aut alterum ex M. Tullio, quibus clarorum virorum beneq; de rep. meritorum caſus miſeros & indignam fortunam conqueritur. Sic pro Sextio: Hæc audiuimus de clariſſimorum virorum conſilijs & factis, hæc accepimus, hæc legimus: neq; eos in laude poſitos videmus, qui incitarunt aliquandò populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcarunt mentes imperitorum, aut qui fortes & claros viros, & bene de Repub. meritos in inuidiam aliquam vocauerunt: leues hos ſemper noſtri homines, & audaces, & malos, & pernicioſos ciues putauerunt: at verò qui horum impetus & conatus repreſſerunt, qui auctoritate, qui fide, qui conſtantia, qui magnitudine animi conſilijs audacium reſtiterunt; ij graues, ij principes, ij duces, ij auctores huius dignitatis atq; imperij ſemper habiti ſunt. At ne quis ex noſtro, aut aliquorum præterea caſu hanc vitæ viam pertimeſcat, vnus in hac ciuitate, quem quidem ego poſſum dicere, præclarè vir de Repubĺ. meritus L. Opimius indigniſſimè concidit, cuius monimentum celeberrimum in foro, ſepulcrum deſertiſſimum in littore Dyrrhachino relictum eſt, &c.

Locus Ciceronis.

Idem 1. de Oratore vbi agit de Rutilij cauſa, qui C. Marij Procõſul à publicanorum iniurijs Aſiam defenderat, inuiſus equeſtri ordini, penes quem iudicia tunc erant, in exilium pulſus eſt damnatus repetundarum. Sic itaq; Cicero: Cum eſſet ille vir exemplum, vt ſcitis, innocentiæ, cumq; illo nemo neq; integrior eſſet in ciuitate, neque ſanctior, non modò ſupplex iudicibus eſſe noluit, ſed ne ornatius quidem aut liberius cauſam dici ſuam, quam ſimplex ratio veritatis ferebat. Et poſt: Nunc talis vir amiſſus eſt, dum cauſa ita dicitur, vt ſi in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur, nemo ingemuit neq; inclamauit patronorum; nihil cuiquam doluit: nemo eſt queſtus: nemo Rempub. implorauit, nemo ſupplicauit. Cæterùm neſcio an conferre huc poſſim opportunè adag. quo dicitur, *bonos viros eſſe lacrymabiles*; faciles enim ſunt ad miſericordiam viri boni pijque: vt de Heraclito palàm eſt. Sic Æneas Virgil. *fatur lacrymans*, Dido contrà duritiem eidem exprobrat, in 4.

Boni viri lacrymabiles.

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina
flexit?

Et Horat. in Odis Plutonem illachrymabilem facit.

Non ſi trecenis quotquot eunt dies
Amice, places illachrymabilẽ Plutona.

Ex ea certè perpulchra theſi poſſumus & alias quaſdam à re non alienas ſubijcere: id primum ex D. Hieronymo ad Iulianũ: Difficile eſt preſſam in malis innocentiam non dolere, & in hoc ipſo, fide non periclitari, quia videat ſe iniuſtè ſuſtinere quod patiatur. Sed hoc grauius, quod putetur indignum, iniurias proficiſci, vnde naſci iura debeant, vt in L. meminerint. C. vnde vi. Nec hodie id rarum, vt fraus, iniquitas, & perplexa litium ſtratagemata præualeant, æquitas interim & probitas obfuſcetur, & vſq; adeo opprimatur, vt virtuti ipſi anſa flendi detur frequentiſſima.

In fraudulentos.

EMBLEMA XLIX.



PARVA lacerta, atris ſtellatus corpora guttis
Stellio, qui latebras, & caua buſta colit,
Inuidiæ, prauiq́ doli fert ſymbola pictus.
Heu nimium nuribus cognita Zelotypis.
Nam turpi obtegitur faciem lentigine quiſquis,
Sit quibus immerſus ſtellio, vina bibat.
Hinc vindicta frequens decepta pellice vino,
Quam formæ amiſſo flore relinquit amans.

COMMENTARII.

I. *Stellionis deſcriptio.* AD deſignandum hominem fraudulentum & inuidum pingitur ſtellio, quo nullum animal fraudulentius. Eſt autem ſtellio ſerpens lacertæ ſimilis, circulis quibuſdam, & velut lucentibus guttis in modum ſtellarum depictus. Rore viuit. Eius morſus hominem facit ſtupidum, raro tamen interficit. Sanctius emblematis epigraphen emendat. *In fraudulentos & inuidos.*

II. *Stellio.* PLINIVS lib. 29. cap. 4. tradit è ſtellionibus malum medicamentum fieri. Nam

Nam, inquit, cùm ſtellio immortuus eſt vino, eorum qui biberint, faciem lentigine obducit. Ob hoc in vnguento necant eum inſidiantes pellicum formæ. Alciatus libro 1. Parergōn, cap. 46. id copioſè ſatis enarrat. Sic enim ait: Crimen ſtellionatus nomen ſumpſit à ſtellione, lacerta ſtellata: quod animal malè apud veteres audijt, ſiue quia inuidum (cùm enim eodem, quo anguis modo pellem exuat, eam confeſtim deuorat, tanquam vtilem eſſe pro comitialis morbi remedio norit, idcircoq; hominibus præripiat, vt Plinius lib. 8. cap. 31. atteſtatur) ſiue quòd ex eo malum medicamentum fiat, quo mulieres decipiuntur. Nam cùm mortuus eſt in vino, faciem eorum qui biberint, lentigine obducit: ob hoc in vnguento eum necant, ſi quæ mulieres pellicum formæ inſidiantur. Qua ex cauſſa veriſimile eſt primò proditum id indicium: An quia in id animal verſus ſit, vt canit Ouid. Metamorph. 5.

—— duri puer oris, & audax.

Crimen ſtellionatus.

vnde & impudentiæ eſt ſymbolum, Græcéq; dicitur ἀσκάλαφος, quia ſit ἀσκελὴς τῆς ἁφῆς, *contactu aſper & durus*. Hæc Alciat. noſter. Sanè idem Plinius lib. 30. cap. 10. nullum eſſe animal dicit, ex opinione communi, quod fraudulentius inuideat homini: indeq; ſtellionum nomen in maledictum translatum ferunt. Quocirca & Venus irata, Cupidinē filium probroſo & maledico nomine Stellionem vocat, apud Apuleium lib. 5. Mileſiac. Pleriq; volunt ſtelliones eoſdem eſſe ac tarantulas, quas Græci ἀσκαλαβώτας nominant. Quia verò ex proximo Alciati loco meminerimus criminis ſtellionatus, de eo hæc pauca obiter: Stellionatus ijs obijcitur, qui aliquid dolo fecerint: & vbicunq; nomen propriū deficit criminis, ſtellionatus obijcitur, ait Vlpian. Locum autem præcipuè habet in eo, qui rem fortè alij obligatam diſſimulata obligatione per calliditatem diſtraxerit: ſed & in eo, qui merces ſuppoſuerit, vel corruperit, quiq; impoſturam fecerit. Pœna ſtellionatus nulla eſt à legibus conſtituta, quia nec legitimum crimen eſt. Vnde facta illa illuſio, de qua apud Trebellium Pollionem in Gallienis. Cum enim quidam gemmas vitreas vendidiſſet pro veris, ſubripi quaſi ad leones venditorem iuſſit, deinde eauea caponem emitti, & per Curionem edici: Impoſturam fecit, & paſſus eſt. Quem locum ex Capitolino etiam Lipſius adducit lib. de amphitheat. c. 9. De crimine ſtellionatus vide plura apud Anton. Gomezium lib. 3. Reſolut. cap. 7. Cuiacium lib. 10. obſeruat. cap. 26 Proſperum Farinac. in praxi criminali lib. 1. tit. 3. cap. 9. n. 33. cum multis ſeqq.

Stellio impudentiæ ſymbolū.

Stellionatus quid.

PARVA lacerta] Quod ſtellio lacertæ ſit ſimilimus, ſed multò ea minor.

Stellatus corpora guttis] In tergore habens notas in modum ſtellarum. Verrius tamen ab eo dicit, quod verruis ſtillet cibo, potiùs quam à ſtellarum ſimilitudine, quia eius corium varium eſt. Helleniſmus hic eſt: vt nuda pedem, hoc eſt, ſecundum pedem. Græci ſæpe hanc præpoſitionem κατὰ, id eſt, *ſecundum*, omittunt. Imitatus eſt autem Ouidium, qui dicit:

—— varijs ſtellatus corpora guttis.

Stellio qui latebras] Virgil. 4. Georgic.

—— Sæpe ignotus adedit

Stellio lucifugis congeſta cubilia blattis.

De Stellione ſic canit Ouid. 5. Metamor.

Dū bibit illa datū, duri puer oris, & audax
Conſtitit ante Deā, riſitq; auidāq; vocauit.
Offenſa eſt: neq; adhuc epota parte, loquentē
Cum liquido mixta perfudit diua polenta.
Combibit os maculas: et qua modo brachia geſſit,
Crura gerit, cauda eſt mutatis addita membris:
Inq; breuem formam, ne ſit vis magna nocendi,
Contrahitur, paruaque minor menſura lacerta eſt.
Mirantem, flentemq; & tangere monſtra parentem
Fugit anū, latebrāq; petit, aptumq; colori
Nomen hēt, varijs ſtellatus corpora guttis.

Metamorphoſis ſtellionis.

Et cana buſta colit] Ouidius 3. Amor. eleg. 8.

Mors rapta è templis in cana buſta trahet.

Prauiq; doli] Doli mali, ad differentiā doli boni, qui eſt ſolertia quædam, calliditas, & ſtratagema in hoſtes adhibitum. Dolum malum Seruius definit machinationem quandam alterius decipiendi cauſſā, cùm aliud ſimulatur, aliud agitur. Labeo autem omnem fallaciam, calliditatem, machinationem ad circumueniendum & decipiendum alterum adhibitam, cenſetque ſine dolo malo aliud agi poſſe, aliud ſimulari. Hac de re Cœl. Rhodig. lib. 11. cap. 7. & 8.

Dolus malus.

Zelotypiæ.] ζῆλος, æmulatio ſeu inuidentia; τύπος, forma. Hinc mulier zelotypa, quæ formæ alienæ inuidet. Ea zelotypiæ opinio permultis mulieribus animum dedit viros quoquo modo tollendi de medio, vt hoc etiam adijciam præter rem. Nam Cic. 2. de Offic. refert Alexandrum Pheræum ab vxore interfectum propter pellicatus ſuſpicionem. Sic Antoninum Verum Lucilla: Lemniæ viros omnes vno excepto interfecerunt: & Demetrius Antigoni filius, Nicanor, alijq; à ſuis fœminis interempti. Deniq; cum omnia peruestigaris, collige tecum, quòd vindicta nemo magis gaudet quàm fœmina. Ouid. 2. artis:

Sed neq; fuluus aper media tam ſæuus in ira eſt,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes:
Fœmina quam ſocij deprenſa pellice lecti
Ardet, & in vultu pignora mentis habet.
In ferrum flammamq; ruit, poſitoq; decore
Fertur, vt Aonij cornibus icta Dei.

Nam turpi obtegitur] Syntaxis obſcurior ſic componitur: *Quiſquis vina bibat, quibus ſit immerſus ſtellio, obtegitur faciem turpi lentigine.*

Lentigo. *Lentigine.*] Lentigo, macula ſubruſa, aut nigricans in facie aut manibus ad lentis ſimilitudinem.

Pellex. *Pellice.*] Pellex, quaſi παλλακὴ ἢ παλλακίς, ait Gell. lib. 4. cap. 3. vel à pellendo, quòd vxorem legitimam è thalamo pellat, vel quòd virum polliciat. Paulus in l. 144. de verb. ſignif. Digeſtis ex Maſurij Sabini ſententia pellicem pro ea ſumit, quæ citra matrimonium cum aliquo conſueſcat, domiq; retineatur: additq; vulgò ſic accipi, quæ cum eo ſe miſceat, cui ſit vxor. Cæterùm an admittere auſim diſtinctionem Iuriſconſulti in dicta lege inter pellicem, amicam, concubinam, nondum ſatis liquet. Sed præſtat audire Demoſthenem oratione aduerſus Neæram, egregiè nomina τῆς παλλακῆς, τῆς ἑταίρας, καὶ τῆς γυναικὸς diſtinguentem: ait enim: τὰς μὲν ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν· τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος· τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως, καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν. *Amicas habemus voluptatis cauſa: pellices ſeu concubinas famulitij & cura quotidiana gratia corporis vtimur: vxores autem ducimus vt legitimos tollamus liberos, fidamq; rei familiaris cuſtodiam habeamus.*

Forma amiſſo flore relinquit amans] Solenne hoc ferè eſſe ſolet in amore meretricio, vt cum formæ flore pereat etiam amoris feruor. Quod non neſciuit meretricula illa apud Terentium Heautont.

Quippe forma impulſi noſtra, nos amatores colunt:
Hæc vbi immutata eſt, illi ſuum animum alio conferunt.

Hinc Socrates dicebat, formam eſſe modici temporis tyrannidem. Deformitatem autem nihil magis accelerat, quam vinum, in quo ſtellio ſuffocatus ebibitur, vt docet ex Plinio Alciatus: nec diſſimulat doctiſſimus Turnebus, cuius carmina ex Epithalamio Franciſci Valeſij adducere non grauabor, ſic enim ille:

Sic quæ pellicibus nuptæ inſidiantur auaris, *Turnebi carmina.*
Quas forma plus eſſe dolent, medicata propinant
Pocula, guttata lentigine ſtellio quæ tu
Inficis, vt vario ſignetur tergore vultus
Diſcolor, & maculis liueſcant ora ſubortis.

PROPONITVR ſtellio, fraudis & malignitatis nota, vtpote qui non modò homini bona ſua inuideat, ſed etiam virulentia inficiat. Vnde non immeritò ſtellatis circulis maculatur: Videmus enim in pleriſque animantibus certas quaſdam notas eſſe malignitatis à natura inditas, vt caueamus, ne quid inde noxæ damniue contrahamus. Vulgò enim fertur, cauendum eſſe ab ijs, qui notis quibuſdam inſignes ſunt. Diciturq; non rarò eum, qui pedibus claudicat, & animi quadam claudicare parte; quique gibbo ſit deformatus, aut ſtrumis, aut aliquo generis eiuſdem vitio, cæteris infeſtiorem eſſe, & magis verſipellem, ſi quid tamen vulgari hominum opinioni dandum: Vitioſum corpus vitioſę naturę imaginem eſſe. Quod Homerus in iſto Therſite confirmauit, qui vt deformior erat, ita etiam turpior, loquacior, & ſeditioſior deſcribitur. Sic Cicero pro Roſcio Comœdo cauillatur Fannium Chæream ex habitu corporis: Nonne ipſum caput, & ſupercilia illa penitus abraſa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nonne ab imis vnguibus vſq; ad verticem ſummum (ſi quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mendacijs conſtare totus videtur? qui idcirco capite & ſuper-

LV.

Notæ malignitatis.

ſupercilijs ſemper eſt raſis, ne pilum vllum viri boni habere dicatur. Luſit eodem penè ſchemate Martialis in Zoilum:

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine luſcus:
Rē magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Fraudulenti. In fraudulentos tales Sinones porrò multa θετικῶς congeri poſſent, ſed pauca adduxiſſe ſuffecerit: vt illud Tullianum pro eodem Comœdo Roſcio: Atquè perfidioſum ac nefarium eſt fidem frangere, quæ vitam continet; & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit; & ſocium fallere, qui in negotio ſe coniunxit. Plinius Secundus: Fides improborum leuis, & tam infida quàm ipſi. In Anthologia Græcorum hoc circumfertur:

Οὐκ οὕτως βλάπτει μισεῖν ὁ λέγων ἀναφαντῶν,
ὥσπερ ὁ τὴν καθαρὰν ψευδομένη φιλίην.
τὸν μὲν γὰρ μισοῦντα προειδότες ἐυτρεπόμεσθα,
τὸν δὲ λέγοντα φιλεῖν, οὐ προφυλακτόμεσθα.
ἐχθρὸν ἐγὼ κεῖνον κρίνω βαρὺν, ὅς ποτε λάθρῃ
τὴν ἀπὸ τῆς φιλίας πίστιν ἔχων ἀδικεῖ.

ſcilicet amicum ſimulatum declinare non poſſumus: eum, qui apertè nobiſcum exercet inimicitias, vitare non ita ægrè poſſumus. Et quid homine ſubdolo & duplici poteſt eſſe perniciofius? Seneca Tragic. Hippolyto in fallaces, & ſimulatores:

Vbi vultus ille, & ficta maieſtas viri,
Atq; habitus horrens, priſca, & antiqua appetens,
Morumq́, ſenium triſte, & aſpectu graue?
O vita fallax, abditos ſenſus geris,
Animiſq́, pulchrā turbidis faciem induis.
Pudor impudentem celat, audacem quies:
Pietas nefandum vera, fallaces probant,
Simulantq; molles dura. ——

Potes huc adijcere exempli cauſſa, quod Marcellin. Ammian lib. 15. initio, & de Mercurio perfidiſſimo aſſētatore, ibidem. Nos ad alia feſtinamus.

Dolus in ſuos.

EMBLEMA I.



ALTILIS allectator anas, & cærula pennis,
Aſſueta ad dominos ire redire ſuos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum ſe recipitq́ gregem,
Pratenſa incautas donec ſub retia ducat:
Obſtrepitant captæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales,
Officioſa aliȷs, exitioſa ſuis.

COMMENTARII.

I. AVCVPES in inſidijs latitant, expanſis ſuis retibus: anates, aues vndique cognitæ, turmatim aduolant, præda futuræ. Sed ſplenem exerceo naſum criſpante cachinno, quoties artificis contemplor ſubtilitatem in exprimendo hoc reti, cancellos verius dixeris. O cæcæ & ſtolidæ aues, quas tales clathratæ inſidiæ decipiunt.

II. *Locus Alciati.* ALCIATVS lib. 9. Parergῶn cap. 11. ſic ait: In Milite Plautino vitioſè legitur, *Paleſtrio*, cum legendum ſit, *Paleutrio*, nomen veteratori, impoſtoriq; ſeruo conueniens. Vnde & παλεύτριαι, quaſi allectatrices aues Ariſtoteli libro de hiſtor. anim. 9. turtures vel columbæ, quæ aluntur, vt alias alliciant, & aucupes ad congeneres capiendas adiuuent. Quod & in coturnicibus fieri conſueuit, itemque anatibus: de quibus (eſt enim aucupij genus valde iucundum) nos quandoque ſic carmine luſimus:

Altilis allectator anas, & cærula pennas,
Aſſueta ad dominos ire redire ſuos,
Congeneres cernens volitare per aera turmas,
Garrit, in illarum ſe recipitq; gregem,
Incautas donec pratenſa in retia ducat:
Obſtrepitant aliæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida fraudatrix cognati ſanguinis ales,
Officioſa aliȷs, inſidioſa ſuis.

Hæc Alciatus, cuius verſus ideo aſcripſi, quod paucula quædam in his immutata ſint. A fide dignis mihi relatum eſt, eſſe in montibus Veronenſibus huiuſmodi aucupes, qui tales anates in turribus, vt columbas, alant, quę cum euolant, non prius domum redeunt, niſi alienis comitatæ, adeo vt ſæpe triduo aut quatriduo domo abſint. Et hanc ſimilitudinem Alciatus ad ſuæ gentis proditores applicat.

ALTILIS anas] Anatem à natandi aſſiduitate dictam vult Varro 5. de lingua Latina. Nam iuxta paludes parit, & ſtatim à partu aquas petit. Huius auis pectus tantum & ceruix olim gulę dabatur, nunc tota voratur. Martial. III. *Anas.*

Tota quidẽ ponatur anas, ſed pectore tantũ,
Et ceruice ſapit cætera redde coquo.

Dicitur autem altilis, quod alatur domi, vel ruri, vt gallinæ &c.

Allectator] ab alliciendo. Legi alicubi, morem eſſe aucupibus, exoculatam columbam in reti ponere, quæ ſubſultans ſtrepitu cæteras columbas ad ſe pelliciat. Ea Græcis dicitur, παλεύτρια, à παλεύειν, quod eſt decipere, ſeducere, ſiue in laqueum illicere. Vide adag *Sedens columba.* Ariſtoteles lib. 9. de hiſtor. anim. cap. 7. ait: Palumbum allectricum (quæ domi excæcatæ aluntur) prius mas, quàm fœmina moritur. Ariſtophanes in Auibus de columbis loquens: *Allectator.*

Καὶ ἐπαναγκάζει παλεύειν δεδεμένας
ἐν δικτύῳ id eſt:

Et cogit paleutriã agere alligatas in reti.

Vide etiam adagium, *Pulchrè fallit vulpẽ.*

Cærula pennis] cani coloris, vel ſubcinericij.

Ire redire.] Ire, pro abire, vt alludat ad verba Iuſtiniani, in §. Ceruorum quoque, De rer. diuiſione, in Inſtitut. in ſiluam ire & redire ſolent. & paulò poſt: In ijs animalibus quæ ex conſuetudine abire & redire ſolent. Martialis 12. lib. epigram.

Atq; inter menſas ire, redire ſuas.

Virgilius 6. Aeneid.

Itq; reditq; viam toties. ——

Congeneres turmas] Eiuſdem generis anates turmatim volantes.

Garrire. *Garrit*] Garrire, quaſi ineptè ſtrepere. Cicero lib.2. de Orat. Nam & ſæclis multis antè gymnaſia inuenta ſunt, quam in his Philoſophi garrire cœperunt. Nonius. Et proprium eſſe auium quidam putant: hinc aues garrulæ dicuntur canore & hilares. Virgil.4. Georg.

Garrula quum tignis nidum ſuſpendit hirundo.

In illarum ſe recipitq; gregem] ſe ſociã illis adiungit.

Pratenſæ incautas] Donec eas cogat in paratas ab aucupibus pedicas.

Perfidiæ cognato &c] Seſe obſtringit ſcelere perfidiæ longè grauiſſimo, quod prodat, & per inſidias ad mortem præcipitet ſui generis aues.

IV. *Proditorũ fraudes.* Hac ſimilitudine (cuius facilè ſubintelligitur apodoſis) proditorum animum fraudulentum apertè arguit: qui cùm animo eſſe amico ac beneuolo ſeſe profiteantur, vt incautis & improuidis facilius imponant, eò ſanè nocentiores, quò verſutiores, habendi ſunt. Sic enim plerumq; inſontes & incautos in ignota diſcrimina, vel ad extremum vſque vitæ periculum adducunt & compellunt, ſed potiſſimùm cùm vel vitæ conſuetudine, & familiaritate, aut etiam obſequij aliqua ſpecie fucata eos tenent irretitos, nodiſq; tam tenacibus illigatos, vt ſeſe hinc nequeant extricare. Quo de genere ſunt veſpertiliones quidam, & ſceleratiſſimi ſycophantę (quorum numerus quantum his temporibus accreuerit, dici non poteſt) qui viros inculpatæ vitæ, ſimplices planè, & ab omni fuco alienos, in diſcrimen & præcipitium trahunt; nullumq; non mouent lapidem, vt, quod eſt in prouerbio, in laqueos inducãt: quam ad rem cuniculis quibuſdam vtuntur, cùm impingunt nomen deteſtandi ſortilegij, vel etiam hæreſeos, aut ſectæ alicuius, vt ſecuriùs magiſque impunè ouiculam, id eſt, hominem ſimplicem, minimeq; malum ab omni crimine tam ſceleſto, tamque abominando alieniſſimum mactent, vel certè quocunque tandem modo exterminent: ſic vt inſons ille miſellus hac aſperſus labe (tametſi toto vitæ tempore virtuti pietatiq; nomen dederit) humanæ ſocietatis pernicies, & peſtis habeatur ab imperita multitudine, quæ vt in vitium plus quàm liceat credula, ita ob inconſtantiam maximam, quæ illi familiaris eſt, ad virtutes ipſas inuertendum ſic prompta & parata ſit, vt, quod ait Flaccus, ſincerum auidè cupiat vas incruſtare. Sed vt paucis contraham, hoc genus hominum vt exitialius & magis auerſandum, ſic & præter cęteros alios, in quos leges ſolent animaduertere, digniſſimum qui in exteras terras ablegentur, aut certè vt calumniatores merita pœna afficiantur. Quod enim vnicè docuit optima illa omnium magiſtra natura, hi tollunt, & improbitate iniquiore labefactabant, nimirùm vbi contra ſuum ſanguinem inſidiantur, & in animas ſuas fraudem moliuntur, vt loquitur Salomon. Id torum tamen torqueri melius fortaſſe poteſt in patriæ proditores, quales fuere οἱ φιλιππίζοντες apud Græcos, apud Olynthios Laſthenes. Talis fuit Metius ille Suffetus dux Albanorum, pugnæ deſertor in bello Romanorum aduerſus Albanos, qui ſuæ proditionis pęnas dedit ab equis diſcerptus, vt lib.1. Liuius memorat. Tu quoq; ò ſcelerate Iuda, Chriſtum Dominum & Magiſtrum tuum (voluiſſes modò) & noſtrum, nefario oſculo prodidiſti. O impietatem. Sic ſæpiſſimè *Proditores patriæ.*

Impia ſub dulci melle venena latent.

Maledicentia.

EMBLEMA LI.



ARCHILOCHI tumulo inſculptas de marmore veſpas
Eſſe ferunt, linguæ certa ſigilla malæ.

COMMENTARII.

I. STATVATVR tumulus marmoreus, in quo vndiq; veſpæ, inſecti genus inuiſum, oberrent. Quamuis cæteræ editiones habeant aduolantes & auolantes, hæc tamen pictura magis arridet, quæ veſpas potiùs ſculptas (de quibus epigramma loquitur) quam viuas repræſentat.

II. *Archilochus.* ARCHILOCHVS Poeta Lacedæmonius, vel vt alij volunt, Parius, repudiũ ac repulſam paſſus in nuptijs Neoboles, Lycambis filiæ, ſibi promiſſæ. Iambis à ſe repertis ſatyricè adeo, & grauiter ipſum Lycamben deuouit & inſectatus eſt, vt eum cum filia ad laqueum impulerit. Vnde Horatius in arte Poetica:

Archilochum proprio rabies armauit Iābo.

Et alibi:

Et agentia verba Lycamben.

Ouidius in Ibin:

Poſtmodò ſi perges, in te mihi liber Iambus,
Tincta Lycambeo ſanguine tela dabit.

Politianus in Nutricia:

——Licet acrem effuſus in iram,
Ore Lycambiadas rabioſo occiderit ambas
Archilochus.——

Hinc prouerbia, *Archilochia edicta*, pro contumelioſis & mordacibus. *Archilochi patria*, pro maledicis. *Archilochum terere*, *Archilochum calcare*, pro eo, quod eſt, maledicentia delectari. Extat epitaphium Archilochi, ex quo Emblema hoc deſumptum videtur, lib. 3. Epigram. Græcor.

Σῆμα.

Epitaphiū Archilochi. Σῦμα τόδ' Ἀρχιλόχȣ παραπόντιον, ὅς ποτε πικρὰν
Μȣ̃σαν ἐχιδναίῳ πρῶτος ἔβαψε χόλῳ·
Αἱμάξας ἑλικῶνα τὸν ἥμερον. οἶδε λυκάμβης
Μυρόμενος τρισσῶν ἅμματα θυγατέρων.
Ἠρέμα δὴ παράμειψον ὁδοιπόρε, μήποτε τȣ̃δε
Κινήσῃς τύμβȣ σφῆκας ἐφεζομένους.

Archilochus iacet hoc in littore tectus, amara
Cuius vipereo carmina felle madent.
Sanguine fœdauit Muſarum Helicona, Lycambes
Luget natarum turpia lora trium.
Hoſpes abi tacitè, irrites ne fortè crabrones,
Illius in tumulo quos habitare vides.

Sepulchrum hoc Archilochi littoreum, qui quondam amaram
Muſam ſerpentina primus tinxit bile:
Qui cruentauit Helicona manſuetum. nouit (id) Lycambes,
Lugens trium nexus filiarum.
Senſim verò tranſi, viator, ne fortè huius
Moueris tumulo fucos inſidentes.

Littoreum Archilochi tumulum en: qui noxia quondam
Carmina vipereo ſanguine tincta dedit:
Iſq; cruentauit manſuetum Helicona: Lycambes
Pendentes natas de trabe tresq; videt.
Tu verò ſenſim tranſi, ne fortè crabrones
Affixos iſti commoueas tumulo.

Piudar. 2. Pyth. ait ſe nolle conuicio aliquo Ixionem afficere, quod Archilocho conuicia non bene ceſſerint. Sic ille:

—— Ἐμὲ δὲ χρεὼν
φεύγειν δάκος ἀδινὸν, κακαγορίαν.
Εἶδον γὰρ ἑκὰς ἐὼν, τὰ πολλ' ἐν ἀμαχανίᾳ
ψογερὸν ἀρχίλοχον βαρυλόγοις ἔχθεσι πιαινόμενον.

id eſt: *Me autem oportet effugere morſum imbellem & impotentem, maledicentiam nempè. Vidi enim iam olim multa in egeſtate poſitum conuiciatorem Archilochum, infenſis obtrectationibus enutritum, & quaſi pinguem factum.* Antiſthenes dicebat, Diogenem veſpis eſſe ſimilem. *Diogenes veſpis ſimilis.* Veſpis enim non magnum eſſe alarum ſtrepitum, aculeum autem acutiſſimum. Dion oratione 8. & Stobæus Sermon. 11. De Archilocho plura habes apud Val. Maxim. lib. 6. cap. 3. Alciatum lib. 5. Parerg. cap. 18. Prouerb. *Irritare crabrones.*

TVMVLO de marmore] Tumulo marmoreo, vt apud Virgil. 4. III.

—— *Fuit in tectis de marmore templum.*

Veſpas] Veſpæ inſectorū genus, apibus penè ſimile; ſic dictum, quod veſperi grandiores muſcas venetur in cibo, iiſq; capite amputato, reliquum corpus abſumat. *Veſpa.* Veſpas quoq; eos dici ait Sextus Pomp. lib. vlt. qui funerandis corporibus officium gerunt, non à minutis illis inſectis, ſed quia veſpertino tempore eos efferunt, qui pompa funebri duci propter inopiam nequeūt. Veſparū mirum artificium in conſtruendo nido deſcribit Pierius Hieroglyph. lib. 26.

Certa ſigilla.] Quæ ſunt ſymbola certæq; notæ hominis intemperanter lingua abutentis, vt qui maledicentiſſimus fuerit. *Veſpa obtrectatores.*

VESPAE tumulo affixæ Archilochi, linguæ malæ petulantiam effrænem arguunt: hæ enim raucæ ſunt & mordaces, ſed nullam ab iis neq; oblectationem, neq; fructum comparare poſſis, vti nec à maledicis aut mordacibus expectare quicquam præter aculeum debeas. IV. Sub Archilochi nomine intelligitur ſcriptor quiuis, inſolita quadam verborum petulantia & mordacitate alios inſectans: in quo tamen neq; curam, neq; eruditionem poſſis deprehendere: ſed hoc tantùm notus, quòd audaciā in obtrectando maluerit oſtentare, tamq; pranè innoteſcere, quàm ſtare gratis, & cum ſilentio, vt loquitur Martialis. Lubet attexere cenotaphium Laurentij Vallæ, mordaci effectū ſtylo, vt mordax ille fuit in ſcriptis penè omnibus à ſe editis. *Epitaphiū Vallæ.*

Venit ad infernas poſtquā Laurentius ædes:
Si quæris quid agat? nunc quoq; mordet humum.

Mordacius fuit Aretini virulenti ac peſtiferi ſcriptoris Italiæ epicedium, lingua Hetruſca conſcriptum:

Qui giace l'Aretin Poeta Toſco, *Aretini.*
Che diſſe mal d'ognun, fuor che di Dio,
Scuſandoſi con dir: Non lo conoſco.

Cuius hic ferè ſenſus: Hic iacet Aretinus vates Hetruſcus, qui petulantis linguæ virus in quoslibet euomebat, præterquam in Deum, cuius nullam habebat cognitionem. Et hi tales nonne ad venena naſcuntur? qui cum velut ſcorpionis ictu optimum quemq; lancinarint, ac fiſtulato vulnere, vt Hieronymi vtar verbis, viam aperuerint, *Maledici.*

mox

mox latius veneni peſtiferam vim fundũt. Atra hominum, vt inquit Plinius, ceu ſerpentum lingua vibrat, tabesq; animi contrectata omnia adurit, culpantium omnia, ac dirarum alitum modo tenebris quoq; & ipſarum noctium quieti inuidentium gemitu, quę ſola vox eorum eſt, vt inauſpicatarum animantium vice, obuij quoq; vetent agere aut prodeſſe vitæ. Nec tamen vllum aliud abominati ſpiritus præmium nouere, quàm odiſſe omnia. Cicero pro Plãtio: Nihil eſt tam volucre quam maledictum; nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, latius diſſipatur. Fœtens ſermo putridę mentis eſt indicium; hinc nihil grauius olet, quàm oris malum & virulenta mephitis. Plauti ex Pœnulo ſcita ſententia eſt, in maledicos, ac velut Scyllæos canes concinnata:

Iſthic eſt theſaurus ſtultis in lingua ſitus,
Vt quæſtui habeant malè loqui melioribus.

Medius adulator.

Fuit Medius quidam ex Alexandri adulatoribus, qui alios hortabatur, calumnias in quemuis audacter conflarent. Nam etiamſi, inquit, vulnus perſanarit, in quem morſum infixeris, nihilominus cicatricoſus conuiſetur locus.

Balatro.

Balatronem quoq; inuenio ſcurram fuiſſe virulẽtum: vnde Horatius: *Balatro ſuſpendens omnia naſo*. Et Hieronymus: Ne me putes in modum ruſtici Balatronis cuncta Origenis reprobare. In hoc peſtilentiæ virus ſcitè conformatum eſt adagium, vt *ocimum ſerere* dicantur, quum pernicioſus ſe carptorum vitupero numq; ſubducti ſupercilii vibrat identidẽ ſpiritus, cuius nocentiſſimi non aliud ferè opus eſt, quam cuiusq; famam proſcindere, & tetterrimi veneni liuidam tabem affigere, qua plurimum vita deflorescit, parantur rebus exitia, & mentium quoq; (vt ſic dicam) exuruntur intima, quãdo nihil eſt, quod ſordidus dens, & felle non lita, ſed maceiata vox non concutiat, dum luto eodem conſpurcat omnia, nec in ſe ingeſtum diluit, aut de alterius oculo feſtucam excuſſura, ſuam prius trabem eximit. Adagii ratio eſt, quoniam (vt Plinius inquit) nihil ocimo fœcundius, cum maledictis ac probris ſerendum pręcipiunt, lætius proueniet. Cæterum ne lingua noſtra ſit gladius acutus, dum ſale multo hunc illumq; defricamus, meminerimus Archilochi libros ob ſolam dicacitatem & ingenii virulẽtiam à Lacedæmoniis vrbe ſua interdictos, ne illorum lectione quippiam de veneno honeſtis illorum moribus inſtillaretur, quando ad bene dicendum natus homo eſt, non ad infigendum atrocis linguæ vibrantem aculeum optimo cuiq; non ad inſpergendam factis alienis labem.

Libri Archilochi reiecti.

Videmus tamen ferreque ac pati cogimur Archilochos & Ariſtarchos quoſdam in publicis ſcholis,

Ariſtarchi.

Qui omnia ſe ſimulant ſcire, (Plauti verba ſunt) *nec quidquam ſciunt.*
Quod quiſq; in animo habet, aut habiturus eſt, ſciunt.
Id quod in aurem Rex Regina dixerit.
Sciunt. Quod Iuno fabulata eſt cum Ioue,
Quæ neq; futura, neq; facta ſunt, tamen ij ſciunt.

Quod ſi ijs, vt Aſino illi Æſopico, leonis pellem detraxeris, illico illæ aures Midæ latitantes patebunt. Et cur in Midæ familiam eos non transſcribam? cum dictus putetur Midas, quaſi μηδὲν εἰδώς, hoc eſt, *nihil ſciens*. Nihilominus hi tales nil aliud penſi habere videntur, quàm vt ſtylo confodiant quoſcumq; vel rei literariæ principes, ſeq; ex ea obtrectandi licentia palmarium quærere. Infelix hominum genus, qui grunnitu porcos, latratu canes, ruditu aſellos malunt æmulari, ſuamq; pruriginem, ac ſcabiem prodere, quàm intra fores Muſarum τὰς αὐθόνες ſe continere. Audite, ò viperæ, quid vobis occinat Italus quidam Poeta, ſanè venuſtiſſimus:

Punge la lingua più che la ſaetta.
E fù da la Natura
Cinta di doppie mura,
Perche s'habbia à tener guardata, e ſtretta.
Tu, che l'hai sì attoſcata
Verſo la fama altrui,
Tiella de' denti tui
Rinchiuſa frà i cancelli,
Ch'vn dì non te la rubino i coltelli.

Sed ceſſo plura maledicis bene dicere, ſaltem Anticyras eos nauigare velim, vt pectoribus hellebero purgatis, & depoſito illo ignorantiæ atq; obtrectationis morbo, ad ſaniorem tandem, Æſculapio fauente, mentem redeant. Quod in tanta maledicorum frequentia magis opto, quàm ſpero.

In receptatores ſicariorum.

EMBLEMA LII.



LATRONVM, furumq̨ manus tibi, Scæua, per urbem
It comes, & diris cincta cohors gladiis:
Atque ita te mentis generoſum, prodige, cenſes,
Quòd tua complures allicit olla malos.
En nouus Actæon, qui poſtquàm cornua ſumpſit,
In prædam canibus ſe dedit ipſe ſuis.

COMMENTARII.

I. VIR venabulo & habitu venatico instructus, caput ceruinum eminentibus cornibus habens, à grege canum irruentium proſternitur & laceratur.

II. STOBAEO citatur illud ex Phauorino, ni fallor: ὥσπερ ὁ ἀκταίων ὑπὸ τῶν τρεφομένων ἀπ' αὐτοῦ κυνῶν ἀπέθανεν, οὕτως οἱ κόλακες τοὺς τρέφοντας καταλύουσιν. *Quemadmodum Actæon à canibus, quos alebat, diſcerptus eſt: ita paraſiti & aſſentatores eos, à quibus enutriuntur, miſerè perdunt.* Actæon venator Ariſtæi ex Autonoe filius, Cadmi nepos, cum ex venatione laſſus ad fontem potaturus accederet, ibi caſu Dianam (venationis Deam, caſtitatis & ſolitudinis amicam) vidit nudam ſe lauantem. Quod illa indignè ferens, in faciem Actæonis aquam inſperſit, vnde

Fons Emblematis à Stobæo.

Actæonis fabula.

vnde ille in ceruum conuerſus eſt. Quem cum canes conſpexiſſent, in eum irruentes dilaceratum comederunt. Namq; ita Saturni legibus cautum fuerat (vt ait Callimachus in quodam hymno) vt qui Deum inuitum cernat, ingenti mercede cernat. Quò reſpexiſſe videtur Virgilius in Pharmaceut. cum dixit:

Fer cineres, Amarylli, foras, riuoq; fluenti,
Tranſq; caput iace, ne reſpexeris.

Hanc Actæonis fabulam latè proſequitur Ouidius lib. 3. Metamorph. idemq; breuiter lib. 2. de Triſt.

Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam,
Præda fuit canibus non minus ille ſuis.

De eodem etiam Claudian. in Ruffin. & Sill. lib. 12. Huc facit pulcherrimus locus ex Miſcel. Politiani, cap. 80. de Tireſia, ob Pallada nudam conſpectam oculis capto. Ibi ex Nonno 5. Dionyſiacῶn, inducit Actæonem exclamãtem, vt felicem Tireſiam dicat, qui citra mortem, tantùm amiſſis oculis Mineruam conſpexerit nudam, quæ etiam lumen ademptum in animum ipſius tranſtulerit. Atq; adeo ſic ait:

Ὄλβιε Τειρεσία, σὺ μὲν ἔδρακες ἐκτὸς ὀλέθρου
Γυμνὸν ἀναινομένης οἰκτείρμονος εἶδος Ἀθήνης.

Felix Tireſia, tu quidẽ vidiſti citra perniciẽ
Nudã inuita miſericordis formã Mineruæ.

De Actæone varia. Quod narratur de Actæone in ceruum transformato, ſunt qui fabulam putant, plerique hiſtoriam malunt, auctore maximè Plinio, qui Actæonem & Cippum cornutos editos memorat. Quin & Maximius Tyrius à veris canibus Actæonem laceratum fuiſſe dicit apud Corinthios, huiuſq; facinoris auctores Bacchiadas appellat. Vide Mytholog. Natal. Comitis. lib. 6. c. vlt. Ad quod apud Homerum legitur, Dianã per montium errantem iuga telis delectari, capras & ceruos fugaces venando perſequi, ſunt qui referant ad fabulam Actæonis. Alij veterum ſecuti philoſophiam, ſagittas eas, quæ ceruum aſſequuntur, ſolares radios in licare volunt ἱερογλυφικῶς, quorum nempe radiorum repercuſſu, cornua ipſa pro conditione loci, vbi luna eſt, & apparent & obducuntur. Sed hoc in carmine Alciati illuſtrando, placet mythologia, quam acceptam ferunt Anaximeni: nimirum quod Actæon periculis, quæ multa venando pertulerat, tandem expenſis, ætate iam affecta timidior factus, in ceruum dicatur mutatus, cumq; canes nihilo ſecius aleret, ſuum omne peculium abſumpſit, hincq; à canibus laceratum. Conuerſus autem fingitur in ceruum haud abs re. Nam ſic aptè ſignificatur ſtultitia. Auctor namque eſt Ariſtoteles, omnia animalia, quę magnum cor habent, timidiora, inſaniorаq; eſſe. Vnde apud Homerum Achilles vocat Agamemnonem, *Cur in ceruum mutatus Actæon.*

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματα ἔχων, κραδίην δ᾽ ἐλάφοιο.

Temulente, qui canis oculos habes, cor autem cerui.

Vide Adagium: *Ceruinus vir.* Plinius quoque vult, pauida eſſe animalia, quibus præ grande ſit cor: quo in numero refert mures, lepores, aſinos, ceruos, &c. Maluit Alciatus, & quidem ingenioſè, torquere in eos, qui latrones fureſq; recipiunt: aut etiam (vt verbis vtar Marcellini de deprauatis Romani populi moribus agentis, lib. 14.) qui familiarium agmina, tanquam prędatorios globos poſt terga trahunt, ne Sannione quidẽ domi relicto, vt ait Comicus.

III. *Latronum.* *LATRONVM*] Vox latronũ apud veteres vſurpata eſt pro ſtipatoribus, & cuſtodiæ corporis protectoribus, qui Imperatorẽ comitabantur, quaſi laterones, quod circa latera eſſe ſolebant, à verbo Græco λατρεύω, quod eſt, *inſeruio*. Seneca 1. de Clementia, cap. 12. Ita ſumit Capitolinus, Marcellin. Spartian. & Herodian. lib. 5. σωματοφύλακες dicti, ſeu lateris cuſtodes. δορυφόροι, ſpiculatores Tacito lib. 17. & 18. Senecæ 3 de Benefic. cap. 25. & lib. 1. de ira. Sueton. Claudio, cap. 35. In Galba, cap 18. Tacit. 1. & 13. Annal. refert, Germanos cuſtodes Imperatori Romano, & principi fęminæ adfuiſſe. Sic olim latrones pro ſtipatoribus, à ſtipe nuncupati, quam mercedis nomine accipiebant corporis cuſtodes, qui cum ferro circundabant Regum corpora. Latrones ergo, ἀπὸ τοῦ λάτρου, à mercede. Varro lib. 6. Latinæ linguæ. Hodie dicuntur latrones viarum obſeſſores, qui publicè & per vim furantur: ſic dicti à latendo, vel quod à latere adoriãtur. Horat. lib. 1. Epiſt.

Vt iugulent homines ſurgunt de nocte latrones.

Furumq;] Ganeonum, eorumq; qui malis artibus viuunt. Eruditus vir Alciatus has voces, *Latronum furumq;* non accipit

vt

vt ſynonyma, vel promiſcuè, quod Horat. ait 1. Serm. furta latrocinijs eſt magnis parua comparare.

Manus. *Manus*] Multitudo, globus, vt maxuma militum manus apud Ciceronem in Philipp. & ſæpe aliàs. Virgil. 6. Aeneid.

Iuuenum manus emicat ardens.

Scæua. *Scæua.*] Proprium quoddam nomen aut fictitium, non temerè ſuſpicetur aliquis. Pleriq; *ſæua*, legunt, pro, dira, crudeli, terrifica, &c. Sed malim Scæuam accipi, vt Symmachus, pro improbo, ſiniſtræ famæ homine, rerum imperito. Quæ ſub obtentu tuo à quibuſdam ſcænis deſignata dicuntur, ait ille. Et Græci, eum qui ingenio tardo, σκαιὸν appellant: οὐδὲ σκαιὸν, οὐδ' ἀπάλαμνον, dicit Ariſtophan. id eſt, neq; *ſcæuum*, neq; *conſilij inopem*.

Itque comes] te comitatur, ſe tibi adiungit, & latera ſtipat.

Cincta cohors gladijs] Turba ſicariorũ, quos vulgus Italorum vocat, *braui*, & *ſpadacini*, per contumeliam.

Mentis generoſum] Nobilem, & excelſo animo præditum.

Prodigi. *Prodigo.*] Cicero 3. Offic. Prodigi, qui epulis & viſcerationibus, & gladiatorum muneribus, ludorum venationumq́ue apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam ſunt omninò relicturi.

Olla amicitiæ. *Allicit olla malos.*] Ea eſt *olla amicitia*, vt habet Prouerbium; ad quod reſpexit Martialis lib. 9. epig. 15.

Hunc, quem vina tibi, quem menſa parauit amicum

Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?

Vinum amat, & cyathos, & ſumina, & oſtrea, non te:

Sublato vino nullus amicus erit.

Ex nouum Actæon, &c.] ἀνθολογία. Tãgit Actæonis fabulam, quam fusè narrat Ouid. 3. Metamorph. vt ſupra innuimus.

IV. Variorum documentorum ſegetem ex hoc Emblemate metere licet. Nos tria potiſſimũ libabimus, & leui (quod aiunt) brachio perſtringemus.

Receptatores ſicariorum. 1. Corripiuntur Actæones quidam, qui ſibi videntur multò inſigniores & nobiliores, ſi quoſuis ſicarios, nulliuſq; frugis homines, & ganeones inertes, domi & menſæ ſuſcipiant, haud ſano mentis oculo prævidentes, ſe vnà cum patrimonij comminuti damno, nominis et plerumq; vitæ iacturam facere. Tutiſſimos enim ſe fore credunt, vtpotè tanto tamq; generoſo ſatellitio ſtipatis, & tamen non aduertunt, quanti conſtet, quamq; noxia ſit ea familiaritas. Antulus in picta poeſi ſic:

Cornibus in ceruum mutatum Actæona ſumptis

Membratim proprij diripuere canes.

Ne, miſer eſt dominus, paraſitos quiſquis edaces

Paſcit, adulãtum præda parata canum:

Se quibus irridendũ ſuggerit & comedendũ

Seruus & ex domino corniger efficitur.

Locus Dionis Chryſoſt. Non piget huc traducere, quæ Diõ Chryſoſt. orat. 10. De ſeruis, appoſitè ſcribit, ſe non putare damna à malis canibus plures accepiſſe, quàm à malis hominibus. Etenim à canibus pernicioſis vnum Actæonẽ aiunt (inquit ille) perditum, & his quidem in rabiem cùm acti eſſent: à pernicioſis verò hominibus dici non poſſe, quot perierint & plebei & reges, quot etiam ciuitates; hi quidem à ſeruis, illi autem à militibus & ſatellitibus, alij ab amicis quibuſdam, nomine tenus amicis: alij quidem à filijs & fratribus, vxoribuſq; damna capiunt innumera. Memorabile eſt illud ex Conſtantino Manaſſe Michaelis Imperatoris exemplum, quem cum Actæone à canibus diſcerpto comparat: ſiquidem inconſulto illi Principi, quod ab aſſentatoribus obſeſſus eſſet, miſerè omnino ceſſit. *Michael Imperator.* Talem quoq; Cicero depingit Verrem diuerſis locis. Libro 4. Tua Meſſana, tuorum adiutrix ſcelerum, libidinum teſtis, prædarum ac furtorum receptrix. *Verres.* Aliquanto poſt: Fuiſſe Meſſanam omnium iſtius furtorũ ac prædarum receptricem, negare non potuerunt. Idem lib. 5. in eundem: Nam, vt antè docui, hanc ſibi iſte vrbem delegerat, quam haberet adiutricem ſcelerum, furtorum receptatricem, flagitiorum omniũ ſociam. Sic Paulus Iouius lib. 11. Hiſtor. de Sacramoro Vicecomite: Sub idem tempus, inquit, Sfortia aduerſis mutantis Liguriæ rumoribus, & Sacramori Vicecomitis inexpectata defectione perculſus, cum primus Heluetiorum cohortibus Nouariam contenderat, vt opportuna in vrbe, tutus ab inſidijs, aduentantes legiones expectaret. *Sacramorus.* Sacramorus circumuallandæ arci præerat, vir principe ortus familia, ſed maiorum ſuorum virtutis & gloriæ penitus oblitus, vtpote qui fortuna ſua minimè con-

contentus, ad antiquum inclitę domus decus, nequaquam bonis artibus aſpiraret: alebat enim circa ſe audaces veteranos, ab egeſtate & ſuperbia cædibus aſſuetos, & maleficijs infames; & in his aliquot primæ nobilitatis adoleſcentes diſſoluta vita perditos & effręnes, qui à parentum imperio, gratiaq; dilapſi, licentiæ militaris libertatem quærebant. &c. Venit hic mihi in mentem quod de receptoribus, ſeu receptatoribus iura edixerunt, in quos nempe voluerunt acerrimè animaduerti, l. 3 §. cognoſcit. ff. de off. præf. vigil. quia ſine his diu maleficia latere non poſſint. l. 1. de recept. Sic Vlpian. in l. Congruit, de præf. iuſſit à præſide animaduerti in ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures, prout eorum quiſque deliquerit: receptoreſq; eorum coercere, ſine quibus latro diutius latere nō poteſt. Cui ſimile illud Quintiliani ex declamatione 255. vbi ait, proximos eos eſſe transfugis, à quibus transfugæ recipiuntur: quia natura ſimile ſit, facere ſcelus & probare.

Pœna receptatorum.

2. Qui mythologica tractarunt, hoc de Actæone figmentum ad venatores referūt, qui ſuas opes miſerè dilapidant in venandi luxu inutili admodum & ſumptuoſo: etenim à canibus, quos aluēre, tandem vltione diuina quaſi membratim dilaniātur. Nam tametſi nihil aliud ſceleris admitterent, niſi in eo, quòd erogent in victum canum, quod commodius poſſet egenis & paupertie preſſis conferri: ea tamen culpa ſatis habet grauitatis ad prouocandum iuſtam Dei præpotentis iram, qui tot bona nobis non eſt elargitus, vt ijs tam malè vtamur. Eoque grauius illi peccant, quòd rebus neceſſarijs animum non applicent, vt agriculturę, vt Reip. vt alijs honeſtis actionibus, ſed omnem temporis vſuram collocant in venatu: quo fit, vt in vrgentem minusq; ſibi notam penuriā pręcipites ruant. Itaq; dici non ab re poteſt, eos non à canibus modò, ſed auibus & equis abſumptos ac dilaceratos. Palæphatus ait, Poetas hoc figmento nihil aliud docuiſſe, quàm homines cauere maximè debere, ne quid agant quod dijs inuiſum ſit aut ingratum, aut quod eos in iram prouocet. Adhæc olim omnes labori fuiſſe intentiſſimos, & manibus victum quæſiuiſſe, non ſeruis aut cæteris ſua negotia, ſed ſibi tantùm commiſiſſe: ideoq; qui laborioſi eſſent, opibus & facultatibus præ cæteris abundaſſe: cōtrà qui ſeſe otio dedebant, voluptates ſectabantur, venationi & aleæ dabant operam, in extremam rerum penuriam decidiſſe, & opibus exhauſtos eſſe, adeo vt aureo hamo ſe piſcatos eſſe dolerent, aut cum canibus ſibi opes cucurriſſe, auolaſſe cum accipitre conquererentur: quemadmodum & ipſi Actæoni cōtigit. Cui rei domeſticæ curam negligenti, quinimò venationi duntaxat intēto, facultas omnis & vita defecit. Cùm autem nihil amplius in bonis haberet, in illum homines dicebant: *Δείλ᾽ Ἀκταῖον, ὃς τῶν ἰδίων κυνῶν κατεβρώθης*. id eſt: *O miſer Actæon, qui à proprijs canibus conſumptus es*. Vide prouerbium, *Ale luporum catulos*.

Venatores.

Veterū induſtria.

Otioſi venatores.

3. Demum illud ſpeciatim in prodigos adoleſcentes non ab re licet connectere, qui promi magis quàm condi, vt Phryges ſerò ſapiunt; & tum fortè, ſed fruſtra reſipiſcunt, cùm nihil eſt amplius in loculis. Sibi quidem mirè placent, cùm ſecundis fortunæ ventis opes ſuppetunt, quibus impudentes & ignauos ganeones (qui nullum aliud ſibi penſum relictum habent, quàm vt lautas culinas aſſectentur, alienaq; quadra viuant) paſcant & enutriant. At exhauſtis patrimoniis, quid illis ſupereſt, niſi vt aliena compilent, tandemq; in malam crucem adigantur, ab ijs relicti, longumque valere iuſſi, à quibus in conditionem tam miſeram, tamq; abiectam coacti ſunt? Recte itaq; dicere ſolebat Ariſtonymus: Ligna dum ignem nutriunt, ab ipſo conſumi, diuitias dum adulatores alunt, ab eis labefactari. Quæ cum ita ſint, commendandus eſt Timon Athenienſis, qui Demeam adulatorem ligone percuſſit, homines admonere volens, ne peſſima paraſitorum contage labefactati, per imprudentiam in tam procliuia vitæ diſcrimina peſſum raperentur, omniumq; ignominiæ, contumeliis, atq; ludibriis expoſiti, eorum, quibus ſe ſuaq; omnia crediderant, proditione perderentur.

Adoleſcētes prodigi.

In adulatores.

EMBLEMA LIII.



SEMPER hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram
Reciprocat Chamæleon:
Et mutat faciem, varios ſumitq; colores,
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hiansq; cuncta deuorat:
Et ſolùm mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici neſcius.

COMMENTARII.

I. *Chamæleontis deſcriptio.* CHAMAELEONTEM pro pictoribus ſic ex auctoribus deſcribo. Chamæleontem habet Africa, ſed frequentiorem India. Crura eius recta ſunt, latera ventri iunguntur vt piſcibus, & ſpina ſimili modo. Roſtrum habet ſuillo non multum diſſimile, caudam prælongam, quę in tenuitatem deſinit, viperinis orbibus ſe implicans; vngues aduncos. Motus ei tardus, vt teſtudini: corpus aſperum, vt crocodilo. Oculi in receſſu cauo, tenui diſcrimine prę grandes & concolores corpori, qui nunquam

quam operiuntur: nec pupillæ motu, ſed totius oculi verſatione circum aſpiciunt. Celſus eſt, & hianti ſemper ore; ſolus animalium nullo alio quam aeris alimento nutritur. *Genus carminis.* Epigrammatis verſus primus eſt Hexameter, ſecundus quiſq; Iambicus dimeter, conſtans quatuor Iambis, recepto tamen in locis imparibus Spondeo.

II. *Emblema è Plutarcho petitum.* EXPRESSVM id è Plutarchi libello, De diſcrimine adulatoris & amici: huius hæc verba: Ὁ κόλαξ ἀτεχνῶς τὸ τοῦ χαμαιλέοντος πέπονθεν· ἐκεῖνός τε γὰρ ἁπάσῃ χροιᾷ πλὴν τοῦ λευκοῦ συναφομοιοῦται. καὶ ὁ κόλαξ ἐν τοῖς ἀξίοις σπουδῆς ὅμοιον ἑαυτὸν ἐξ ἀδυνάτου παρέχειν οὐδὲν ἀπολείπει τῶν αἰσχρῶν ἀμίμητον. *Adulator vt Chamaleon.* *Adulatori quidem omnino id accidit vt Chamaleonti: ſiquidem vt ille colorum omnium ſimilitudinem exprimit præterquam albi: ſic aſſentator, cum ſe ſimilem præſtare non poſſit in his, quæ digna ſunt ſtudio, turpia queq; imitatur quantum poteſt.* *Chamæleontis natura.* De Chamæleonte Plinius lib. 8. cap. 33. Ipſe celſus, inquit, hianti ſemper ore, ſolus animalium nec cibo nec potu alitur, nec alio quàm aeris alimento: & coloris natura mutabilior: mutat namque eum ſubinde, & oculis, & cauda, & toto corpore, redditque ſemper quemcunq; proximè attingit, præter rubrum, candidumque. Caſſiodorus Variar. formularum lib. 5. epiſt. 34. naturam Chamæleontis ad fruſtratorem debitorem non minus ingenioſè traducit. Fugere neſcius, ſed ſuę ſponſionis ignarus: obliuioſus cùm relinquitur: trepidus, cùm tenetur. Mutat verba, variat conſtituta: nec in vna dicti ſui qualitate contentus, diuerſis imaginibus immutatur. Meritò Chamæleonti beſtiæ conferendus, quæ paruorum ſerpentum formæ conſimilis, aureo tantùm capite, & reliquis membris ſubalbentis praſini colore diſtinguitur. Hæc quoties hominum aſpectus incurrerit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate, colores ſuos variè commutat, vt modò veneta, modò blattea, modò praſina, modò poſſit cyanea reperiri. Prouer. *Chamæleonte mutabilior.* Meminit & Ariſtoteles Chamæleontis lib. 1. de morib. cap. 10. & Plutarch. in Alcibiade, Democrit. in lib. de poteſtate Chamæleontis, Crinitus lib. 18. de honeſt. diſc. cap. vlt. Ouidius 15. Metamorph.

Id quoq; quod ventis animal nutritur & aura,
Protinus aſſimilat, tetigit quoſcunque colores.

Chamæleontem nihil edere, & vento nutriri, non probatur omnibus, iiſq; eruditis: linguam enim habere inquiunt, hoc animal ſemipalmum longam, quam porrò in inſecta, quibus maximè veſcitur, exerit ac vibrat, eiuſq; mucrone ſcarabæos, locuſtas, formicas, muſcas, & alia inſecta ad ſe adducit. Fatentur tamen ad octo menſes, atque interdum integri anni ſpatium famem tolerare; nam cum pulmonibus magnis ſit præditus, ventum intrò magno impetu attrahit, eoq; intumeſcit. Chamæleon nomẽ *Chamæleon vnde dictus.* eſt animalis & herbæ mutantis colorem, à χαμαὶ, id eſt, *humi*, & λέων, quaſi leo terreſtris. Ariſtotel. 4. de part. anim. cap. 11. Omnium ouiparorum pedeſtrium tenuiſſimus Chamæleon eſt. Præ nimio namque metu multiformis efficitur; metus enim refrigeratio per inopiam ſanguinis calorisque eſt. Vide eundem lib. 2. de nat. anim. cap. 11. per totum. Chamæleontem apud Leonem X ſummum Pontificem ſe vidiſſe teſtatur Pierius, Hieroglyph. lib. 27.

SEMPER hiat] Hiare, propriè eſt ore III. aperto ſpiritum emittere. Accipitur tamen *Hiare.* etiam pro ſponte, aut aliqua vi externa aperiri ſiue ſcindi, vt lingua hiat ariditate, tellus æſtu hians etiam flores, quando aperiũtur; oratio quoq; hiare dicitur, quę malè coniuncta coniunctaq; eſt. Per tranſlationem ſignificat mirari, dubitare, ſtupere. Virg. 6 Æneid.

Inceptus clamor fruſtratur hiantes.

Reciprocat.] Repetit, retroflectitur, vel *Reciprocare.* recipit. procare, petere eſt, vnde procax, & proci dicti. Reciprocum verò à recipiendo dici ait Varrò, quia eò redeat vnde profectum eſt. Hinc maris & animę reciprocatio. Hoc loco verò reciprocare propriè eſt auram reſorbere, ſubindeq; retrahere: ſic enim Liuius reciprocare pro reſpirare vſurpauit.

Veſcitur aura.] Alluſio ad Prouerb. *Vento viuere.* *Veſci aura.* *Populari aura veſci*, eſt populi nugis aſſentiri, vulgi mores inſequi. Aliàs *aura æthereа veſci*, eſt viuere: nam quemadmodum partes ſolidę animalis cibo & potu, ſic ſpiritus aere aluntur. Virg. 1. Æneid.

Quod ſi fata virũ ſeruant, ſi veſcitur aura
Æthera. ——

Sic & adulator] Applicatio ſimilitudinis.

Mores

Mores atros] malos: Solebant enim priſci quod bonum erat, creta, vel alba linea notare, quod turpe, carbone nigro. Vnde Perſius:

Quæq; ſequenda forent, & quæ vitanda viciſſim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notaſti.

Color albus & rubeus. *Albi & pudici neſcius.*] Color albus mentis integritatem, vt rubeus pudorem ſignat, vt dicemus infra.

IV. *Adulatorũ mores.* PERSTRINGIT Emblema non ſine ſale proiectam adulationẽ, quæ in Chamæleonte præfiguratur: nam aſſentator ore mellito, turpiſſima & perniciosa adulatione peruerſos mores ſuperioris ſui facilè imitatur, & approbat, à pudore & integritate animi prorſus alienus. Vt enim nonnulli pictores imperiti, quia nequeant aſſequi quæ pulchra ſunt & difficilia, in næuis quibuſdam ac verrucis aut rugis depingendis toti ſunt, & quælibet repræſentant præter ea, quæ pulchra ſunt, quæque ingenioſi artificij laudem mereantur: Sic & aſſentator, vt principi viro, cui aſſidet, aliquid gratum faciat, eius diligenter imitatur intemperantiam, iracundiam, ſupercilium, acerbitatem in ſeruos, diffidentiam in domeſticos, & cognatione iunctos. Nam præterquàm quòd ſponte naturæque propenſione ad deteriora propenſum eſt, videtur eo modo ſibi longè abeſſe à vitio reprehenſionis, ſi turpia imitetur. Quem morem vt barbaricis moribus conuenientiſſimum, meritò perſtrinxerunt auctores grauiſſimi: hoc enim vitio quòd laborarit

Alcibiades. Alcibiades, vt qui ingenio eſſet verſatili, & ad quiduis comparato, natura iam Chamæleontis habuiſſe dictus eſt. Sed mirum eſt

Arabum aſſẽtatio. ſanè quod narrãt de Arabum quibuſdam populis, apud quos inualuit conſuetudo, vt illorum Rege aliqua corporis parte affecto, aut detruncato, populus eius regionis ægritudinem imitetur Principis, illoque membro faſcijs lanaque conuoluto, ſic in medium prodeat. Quod idem de ſcurra

Scurra Philippi Macedonis. quodã Philippi Macedonis memoriæ proditum accepimus: Cùm enim in oppugnatione cuiuſdam ciuitatis Argiuorum, vnus Philippo fuiſſet excuſus oculus, poſtridie ſcurra faſcia ſimilem oculum circumligatus proceſſiſſe fertur. Idemq; cùm crus in quadam pugna Regi fractum eſſet, in eius conſpectum venire non erat ſolitus, niſi claudicans, eodemq; crure colligato.

Ea itaq; eſt aſſentatorum mens, hoc vnum ſtudium, vt imitentur omnia, omnibus aſſenſum præbeant, præterquàm ijs, quæ ſunt à natura ſua longiſſimè remota, nimirùm quæ à niueo ſimplicitatis & innocentiæ decore, ac pudoris & verecundiæ quaſi rubore omninò ſit aliena. Nam quod Antiſthenes dictitabat, vt meretrices omnia bona præter prudentiam, ſanumque iudicium ſuis amatoribus imprecantur: ſic aſſentatores ijs, quibus cum agunt. Vide Pierium in Chamæleonte, lib. 27. Hieroglyph. Aſſentatorum porrò mores eleganti & acuto mucrone percuſſit Satyra 3. Iuuenalis:

Natio comœda eſt. rides? maiore cachinno
Concutitur: flet, ſi lacrymas aſpexit amici,
Nec dolet: igniculũ brumæ ſi tẽpore poſcas,
Accipit endromidem: ſi dixeris, æſtuo, ſudat.
Non ſumus ergo pares: melior, qui ſemper & omni
Nocte, dieq; poteſt alienum ſumere vultũ,
A facie iactare manus, laudare paratus,
Si benè ructauit, ſi rectũm minxit amicus,
Si trulla inuerſo crepitũ dedit aurea fundo.

Benè Iſocrat. ad Demonicum, *μισεῖ τοὺς κολακεύοντας ὥσπερ ἐξαπατῶντας, ἀμφότεροι γὰρ πιστευθέντες τοὺς πιστεύοντας ἀδικοῦσι.* Ammian. Marcellin. libro 15. Quàm ſit aſſentatio infeſta principi, nondum apud Noricum exuto penitus Gallo, Apodemius aſſentator, turbarumq; incentor, raptos eius calceos vehens, equorum permutatione veloci, Mediolanum aduenit, ingreſſus regiam, Conſtantij ante pedes proiecit, velut ſpolia regis occiſi Parthorum, & perlato nuncio repentino docente rem inſperatam & arduam, hi qui ſummã aulam tenebant, omni placendi ſtudio in adulationem ex more collato, virtutem, felicitatemque Imperatoris in cœlum extollebant: cuius nutu duo exauctorati principes eſſent in modum militum gregariorũ. Quo ille ſtudio blanditiarum exquiſito ſublatus, immunemque ſe deinde fore ab omni mortalitatis incommodo fidenter exiſtimans, confeſtim à iuſtitia declinauit, ita intemperanter, vt æternitatem eam aliquoties aſſereret, & ipſe dictando, ſcribendoq; propria manu, orbis ſe totius dominum appellaret. Q. Curtius lib. 6. de Alexandro: Non deerat talia concupiſcenti adulatio perniciosa; perpetuum malum regum, quorum opes ſæpius aſſentatio quàm hoſtis euertit. D. Hieronymus in Pelag. Callida,

inquit, inſidioſa, blandaq; ſemper eſt adulatio. Diogenem Cynicum ſcitè admodum & verè ſolitum dicere accepimus: *κρεῖττον εἶναι ἐς κόρακας ἀπελθεῖν, ἢ ἐς κόλακας.* id eſt: *præſtare ad coruos redigi, quàm adulatoribus exponi*. quoniam illi morticina modò conſectentur, hi etiam viuos bonosque laniatu peſtifero excarnificent. Idem interrogatus, quænam beſtia morſum haberet omnium nocentiſſimum? reſpondit, Si de feris interrogas, eſt obtrectator: ſi de manſuetis, eſt adulator. Nam obtrectator quidem præ ſe fert odium, adulator autem ſub amici perſona multò lædit grauius. Et hi tales, qui probe loquuntur, & improbè faciunt, *χρυσόλογοι* dicuntur, qui norunt propinare *θανάσιμον μελίκρατον*. *Ein Iudas Kuſſ.*

Das ſeind die rechten Katzen
Die vornen leeken und hinden kratzẽ.

Adulatorum mores graphicè depingit Terentius Eunucho:

Omnia habeo, nec quidquam habeo: nihil cum eſt, nihil deſit tamen. *Adulatoris mores.*
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego nõ paro me vt irrideant,
Sed his vltrò arrideo: & eorum ingenia admiror ſimul.
Quicquid dicunt laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoq;
Negat quis, nego: ait, aio.
Poſtremò imperaui egomet mibi
Omnia aſſentari: is quæſtus nunc eſt multò vberrimus.

Sed de hac malè feriatorum hominum turba aliàs.

Ei, qui ſemel ſua prodegerit, aliena credi non oportere.

EMBLEMA LIIII.



COLCHIDOS in gremio nidum quid congeris? eheu,
Neſcia cur pullos tam malè credis, auis?
Dira parens Medea ſuos ſæuiſſima natos
Perdidit, & ſperas parcat vt illa tuis?

COMMENTARII.

I. BASI ſuæ inſiſtat ſtatua Medeę, ſtricto ferro infantem nudum petentis, in cuius gremio auiculæ aduolitantes nidum conſtruere appareant: ſed pone infans alter nudus & ſaucius, quaſi mortuus abiectus humi iaceat.

II. CVM Epigraphe huius Emblematis conuenit illud Senecæ de beneficijs 4 cap. 27. Quomodo malè filiæ conſulit, qui illam contumelioſo & ſæpe repudiato collocauit: quomodo malus paterfamilias habebitur, qui negotiorum geſtorum damnato patrimonii ſui curam mandauerit: quomodo dementiſſimè teſtabitur, qui tutorem filio reliquerit pupillorum ſpoliatorem: ſic peſſimè beneficia dare dicetur, qui cumque ingratos elegit, in quos peritura conferat. Hoc ex Græco Archiæ Poetę Epigram. lib. 1. εἰς φιλοστοργίαν.

Typus Emblematis.

Αἶαν ὅλην, νήσους τε διιπταμένη σὺ χελιδὼν,
μηδείης γραπτῇ πυκτίδι νοσσοτροφεῖς;
ἔλπῃ δ᾽ ὀρταλίχων πίστιν σέο τὴν δὲ φυλάξειν
κολχίδα, μήδ᾽ ἰδίων φεισαμένην τοκέων;

Terram omnem, inſulasq́; peruolitans tu hirundo,
Medeæ in picta tabula pullos alis?
Speras autem pullis implumibus fidẽ tuis hanc ſeruaturam
Colchidem, quæ neq; propriis pepercit liberis?

Tot ſaltus, vndasq́; emenſa, ô hirundo, volatu,
Medeæ in picta nidificas tabula?
Tuq́; tuos fore ſecuros? tibi fida putanda,
Quæ neq; vel natis dira pepercit, erit?

Marullus ſic expoſuit 3. Epigrammaton paraphraſticῶs:

Quid vaga tot terras vrbesq́; emenſa volucris,
Colchidos in ſæuo nidificas gremio?
Pignoribusq́; tuis credis malè ſana fidelẽ,
Ipſa ſuos partus quæ laniauit atrox?
Ni fœtus exoſa tuos Pandione nata
Phaſiaca quærit perdere ſæuitia.

Breuius reddidit Politianus, nimirùm tribus hendecaſyllabis:

Medea ſtatua eſt, miſella hirundo,
Sub qua nidificas; tuosne credas
Huic natos, rogo, quæ ſuos necauit?

Sed breuiſſimè Borbonius noſter, vno diſticho:

Medea ſtatua eſt: natos cui credis, hirũdo?
Fer alio: viden', hæc mactet vt ipſa ſuos?

Idem penè Italico idiomate eleganter redditum inueni:

Sai quale ſtatua è quella,
Ou' hai tu'l nido poſto,
Semplice rondinella?
De la cruda Medea. Mutalo toſto,
Mutalo, nè fidare i figli tuoi
A chi già vcciſe i ſuoi.

Multa alia extant in Medeam epigrammata in lib. 4. Epigram. Græcor. εἰς ἡρωίδας, vnum tamen eiuſdem eſt argumenti, quod ſic habet:

Κολχίδα τὴν ἐπὶ παισὶν ἀλάστορα τραυλὲ χελιδὼν,
πῶς ἔτλης τεκέων μαῖαν ἔχειν ἰδίων;
ἧς ἔτι καὶ θολὸς ὄμμασιν ἐπαστράπτει φόνιον πῦρ,
καὶ πολιὸς γενύων ἀφρὸς ἀποστάλάει·
ἀρτιβρεχὴς δὲ σίδηρος ἐφ᾽ αἵματι. φεῦγε πανέλη
μητέρα, κἂν κηρῷ τεκνοφονοῦσαν ἔτι.

III. COLCHIDOS] Medea Colchis nominata; quamuis Medeæ patria fuit Corinthus, vt teſtatur Pindarus Ode 13 Olymp. & interpres Apollonij, non Colchi, vt pleriq; exiſtimant: tamen euicit vſus, vt Medea dicatur Colchis, propterea quod pater eius Aeta Corinthum linquens Colchos tenuit, vbi diu regnauit. Fuit autem inſignis venefica, & incantatrix maxima, quæ cum Iaſonem ex Theſſalia cum Argonautis venientem perditè amaret, illum adiuuit, vt vellus aureum, quod in templo Apollinis à dracone cuſtodiebatur, acquireret, & draconem ſopitum occideret: quo facto vnà

Medea in ſtoria.

cum Iaſone clam aufugit, vt prolixè deſcri- ‑bit Valer. Flaccus in Argonaut. Ob hoc pater eam celerrimè perſequebatur: illa verò hoc aduertens confeſtim fratrem ſuum paruulum, quem ſecum abduxerat, occidit, & in multa fruſta ſecuit, ac ſparſim in varijs locis proiecit, vt ſcilicet pater perſequens in colligendis hinc inde diſſipatis membris retardaretur, ipſaq; interim commodius aufugere poſſet. Cùm verò aliquã diu cum Iaſone vixiſſet, & duos ex eo liberos procreaſſet, Iaſon pertæſus eam repudiauit, & Creuſam Creontis regis Corinthiorum filiam duxit; quamobrem illa tam indignata ita exarſit, vt in vindictam duos filios, quos ex Iaſone ſuſceperat, in patris conſpectu trucidaret, nec prius à cædibus abſtinuit, quam nouam nuptam cum tota domo concremaret. Hinc illud Ouidij 1. de Arte:

Cui non defleta eſt Ephyræa flãma Creuſæ,
Et nece natorum ſanguinolenta parens.

Tum demum Athenas ſe contulit, Aegeoque Athenarum regi iam ſeni nupſit. Hæc breuiter perſtrinxi, quia nihil tritius quàm Medeæ hiſtoria. Qui plura cupit adeat Senecam in Tragœdia, cui titulus *Medea*. Et Ouid lib. 7. Metamorph. Natal. Comit. Mytholog. lib. 6. cap. 7. & alios.

Gremiū. *In gremio*] Gremium eſt inter complexum femorum, feminumq; in quo complexu mulieres concipere ſolet. Et differt *Sinus.* à ſinu, quoniam ſinus eſt intra pectoris brachiorumq; complexum: quare cum lactantur infantes, ad ſinum admouentur; pueri verò iam facti à ſedentibus matribus, vtique cum illis blandiuntur, ad gremium accipi ſolent. Cic. in Bruto: Filius in gremio matris educatus.

Dira parens Medea] Taxat improbitatem & crudelitatem fœminarum, vt quæ ira percitæ proprijs filijs non parcerent. *Malitia mulierū.* De harum autem malitia innumera & mira adducerem, niſi vel crabrones irritare, vel paruulam bonarum turbam offendere vererer. Sed audiamus vnum & alterum. Seneca:

Sed dux malorum fœmina, & ſcelerum
artifex.

Sic & Pamphilus Poeta:

Fallax, improba, ſæua, triſtis, amens,
Infirma, inſtabilis, procax, petulca
Quæq; eſt fœmina.

Idem alio loco:

Labilis, incõſtans, præceps, mutabilis, ardẽs,
Inſulſa, ferox.

Hac de re lege Eclogam Baptiſtæ Mantuani: imò, ſi vis, ipſum Salomonem.

Apostrophe eſt ad hirundinẽ, ad ſtatuam Medeæ nidificantem: ex quo datur intelligi, cauendum eſſe ab eo, qui ſemel impoſuit: vel ijs nullam amplius habendam fidem, qui ſemel vel quoquo modo læſerunt; aut ijs nullo pacto aſſentiendum, qui cùm ſua dilapidarint, vix aliorum curam commodè gerent. Nemini enim res aliena quàm ſua debet eſſe charior aut commendatior. Quomodo enim fieri poteſt, κακῶς κεχρημένον ἄνδρα τοῖς ἰδίοις, εἶναι πιστὸν ἐν ἀλλοτρίοις. Id explicat Socrates apud Xenophontem lib. 3. ἀπομνημ. nempè colloquio cum Glaucone. Refert Plutarch. ἐν γαμικ. παραγγέλ. Qua ratione Timarchum impudicitię & prodigalitatis accuſauit Aeſchines; non tam vt hominem probro afficeret, quàm ne deinceps ad populum concionaretur. Qui enim rem familiarem adeò malè adminiſtraſſet, indignus videbatur cui publica crederentur. Præclarè Tiberij factum memoratur à Corn. Tacito: qui vt honeſtam innocentium paupertatem leuauit: ita prodigos, & ob flagitia egentes Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Syllam, Vitellium, mouit ſenatu, aut ſpontè cedere paſſus eſt. Gorgia oratore publicè aliquando dicente, vt concordiam ſuaderet, Melanthius nõ ſuſtinuit: aiebat enim de pace cum minimè alijs verba facere debere, qui ſibi, vxori & ancillæ concordiam perſuadere non potuiſſet. Idem in Laconicis: Agis Archidami filius ei minimè Duci fidem habendam dicebat, neq; credendum iuuenum exercitum, qui ſuam ipſius patriã miſerè prodidiſſet. Id dicebat Ephoris, qui Imperatorẽ quendã lubricæ hominem fidei in hoſtes mittebant. Egregiè Iſocrates ad Demonicum: ὅταν ὑπὲρ τοῦ σεαυτοῦ μέλλῃς τινὶ συμβουλεύεσθαι σκόπει πρότερον πῶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ διῴκησεν. ὁ γὰρ κακῶς διανοηθεὶς ὑπὲρ τῶν ἰδίων, οὐδέποτε καλῶς βουλεύσεται ἐπὶ τῶν ἀλλοτρίων. *Cum quid de te ipſo conſilium ab aliquo es capturus, aduerte prius quomodo ĩ ſuo ipſe ſe negotio geſſerit: nam qui perperam ſuas res adminiſtrauerit, vix eſt vt quidquam rectè conſultet in alienis.* Idem ad Nicoclem, ſub finem

IV. Fides non habenda ei qui fidẽ violarit.

tiem: δῆλον ὡς ὁ μηδὲν ὢν αὑτῷ χρήσιμος, οὐδ᾽ ἐν ἄλλοις φρόνιμος ποιήσειεν. Certum eſt, quòd qui ſibi nihil vtile proſpiciat, neq; in alienis prudentem fore.

Temeritas.

EMBLEMA LV.



IN præceps rapitur, fruſtra quoque tendit habenas
Auriga, effræni quem vehit oris equus.
Haud facilè huic credas, ratio quem nulla gubernat,
Et temerè proprio ducitur arbitrio.

COMMENTARII.

I. AVRIGA currui inſidens ab equis curſu citato properantibus per ſalebras & deuia rapitur in præceps, fruſtra retractis & directis habenis.

II. *Emblema ex Platone ſumptũ.* LOCVS eſt Platonis in Phædro de duobus equis, bono & malo, & eorum auriga ratione: quò M. Tullius alluſiſſe viſus eſt 2. de Republ. Vt auriga indoctus curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur. Quem locum obſeruauit Heraclides Ponticus libro de allegoriis Homericis. Locus hic, vt apparet, è Maximi Tyrii ſermone 55. tractus eſt. Neque verò grauabor locum integrum ſubiicere. Τὸν δὲ τῆς ἀνθρωπίνης ἐνδείας πρὸς τὸ θεῖον ἐξεῦρε θεὸς τρόπον, ἐπιδεὶς τὴν ψυχὴν γηΐνῳ σώματι, ὡς ἡνίοχον ἅρματι, καὶ παραδοὺς τὰς ἡνίας τῷ ἡνιόχῳ

ἀφῆκε θεῶν, ἔχουσαν μὲν παρ' αὐτῷ ῥωμην τέχνης, ἔχουσαν δὲ καὶ ἀτεχνίας ἐξουσίαν· ἡ δὲ, ἐπειδὰν ἐπιβῇ ἁρμάτων, καὶ λάβηται τῶν ἡνιῶν, ἡ μὲν εὐδαίμων καὶ μακαρία ψυχὴ καὶ μεμνημένη τοῦ ἐπὶ τὸ ὄχημα ταύτην ἐμβιβασαμένου θεοῦ καὶ ἡνιοχεῖν προστάξαντος, ἔχεται τῶν ἡνιῶν, καὶ ἄρχει τοῦ ἅρματος, καὶ κολάζει τὰς τῶν ἵππων ὁρμάς· οἱ δὲ εἰσιν ἀτεχνῶς παντοδαποὶ, ἄλλος ἀλλαχοῦ θεῖν διωρμημένοι, ὁ μὲν αὐτῶν, ἀκόλαστος καὶ ἀδηφάγος καὶ ὑβριστὴς, ὁ δὲ, θυμώδης καὶ ἰταμικὸς καὶ ἔμπληκτος, ὁ δὲ, νωθὴς καὶ ἐκλελυμένος, ὁ δὲ ἀνελεύθερος καὶ σμικρόφρων καὶ ταπεινός. ὅ τοι ἅρμα ἐστασιασμένον ταράττει τὸν ἡνίοχον. κατὰ κἂν μὲν κρατήσῃ αὐτοῦ, κατὰ τὴν τοῦ δυναστεύοντος ἵππου ῥύμην ἄξων φέρεται, νῦν μὲν τῷ ἀκολάστῳ ἵππῳ πᾶν τὸ ἅρμα ξυμφερόμενον αὐτῷ ἡνιόχῳ ἐπὶ ὕβρεις καὶ παροινίας καὶ λαγνείας καὶ ἄλλας ὅτι εἰλικρινεῖς ἡδονὰς, νῦν δὲ τῷ θυμικῷ ἐπὶ κακώσεις παντοδαπάς. Quæ Latinè ita ſonant: *Verùm hic vnus inuentus eſt modus ab ipſo Deo, quo humana conditio minorem ſe eſſe diuina fateretur, propterea ſcilicet quòd animum terreſtri corpori, tanquam aurigam impoſuit currui, cuius & habenarum ſuſtinendarum & incitandi vim eſſet habiturus. Huic enim aurigæ, ſimul aurigandi artem, vireſq; tradidit: ſimul etiam liberum abutendæ artis arbitrium dedit, qui poſtquàm inſcenderit currum, & habenas acceperit, ſiquidem felix beatuſq; animus ſit, memoriamq; habeat ſe iuſſu Dei ſublatum eſſe in currum, validèque aurigationem regere debere, nimirùm habenas moderatur, regitq; currum, & equorum temeritatem contundit. At equi diuerſum appetunt curſum, temereque huc atq; illuc rapiunt currum, hic ad petulantiam, ingluuiē ac contumeliam, ille ad temeritatem atq; ferociam, alius verò tarditatem, mollitiē, ſeruitutem, fatuitatem, atq; humilitatem ſectatur; cuiuſmodi ſeditionibus diſtractus currus, aurigam conturbat, & ſi vicerit eū prapotentus equi vis, fertur currus pro libidine victoris. Quo fit, vt victrice interdum petulantia, vnà currus & auriga ad contumelias, conuicia, impuritates, atque alias nefarias, minimèque ſinceras voluptates; interdum verò dominante iracundia, in multas variaſq; calamitates vterque ferantur in præceps.* Huc etiam referam commodè illud D. Cypriani, ex lib. De diſciplina & bono pudicitiæ: Coerceat animus, ait, ſtimulos carnis, reſtrenet impetum corporis: Accepit hanc enim poteſtatem, vt illiad imperium eius membra ſeruirent. Et quaſi legitimus ac perfectus auriga vltra conceſſas corporis metas extollentes ſe carnis impetus, cœleſtium præceptorum habenis reflectat, ne vltra terminos ſuos currus iſte corporis raptus in periculum ſuū ſecum & ipſum rapiat aurigam, &c. *Cypriani locus.*

IN præceps rapitur fruſtra &c.] Alludit ad illud Virgilianum, III.

——*Fruſtra retinacula tendens.*
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Et ad prouerb. *De curru delapſus.* Citatus ex Platone locus eſt in Phædro, qui explicatur commodiſſimè à Plutarcho, Quæſtionum Platonic. 8. quò pertinet Ciceronis hoc è 3. Tuſcul. Exiſſe è poteſtate dicimus eos, qui effrenati feruntur, aut libidine, aut iracundia. Qui igitur exiſſe è poteſtate dicuntur, ideò dicuntur, quia non ſunt in poteſtate mentis, cui regnū totius animi à natura tributum eſt; hinc compotes & impotes, qui animum habent, vel nō habent in ſua poteſtate.

Auriga] Auriga non dicitur ab auro, ſed ab aureis: ſunt enim aureæ lora ſiue freni, qui equis ad aures alligantur; ſicut oreæ, quibus ora coercentur. *Auriga.*

Effrani quem vehit oris.] Manifeſta alluſio ad parœmiam, *Os infrane.* id eſt, ἀχαλινὲ στόματος ἵππος.

Ratio quem nulla gubernat] vide prouerbium, *Exitij nulla ratio*, ὀλέθρου οὐδεὶς λόγος. cui affine illud Quintiliani, Scelera non habent conſilium.

SIGNIFICATVR, nihil ei committendum eſſe, qui in proprios affectus nullum ſibi ſumit imperium, ſed temerè huc atq; illuc concitatus fertur, non aliter quàm equus, quem nulli freni, nullæque habenæ continent. Similitudinem hanc mutuatus eſt ex Platone, qui animum noſtrū cum auriga, corpus verò & eiuſdem perturbationes cum equis comparabat. Iuxta quod ab Hieronymo etiam dictum eſt, ſenſus corporum quaſi equos eſſe ſine ratione currētes, animam verò in aurigæ modum frena currentium retinere. Maximè enim eſt efficiendum, vt appetitus rationi obediant, eamq; neq; præcurrant, nec propter IV. *Cui non credēdū.*

teme-

temeritatem, nec propter pigritiam aut ignauiam deſerant, ſintq́; tranquilli, atque omni perturbatione careant, vt docet M. Tullius. Nam quod aſinus facit, quod ſus, & canis, hoc homo qui affectibus obtemperat, rationi enim ſubducit clauum, & committit furioſo ac ſtolido, qui leges nullas accipit, nullas dictat. Beſtiam vis inſita trahit & obiecti amor, moderari neſcit vel cohibere, imperium enim eſt & neceſſitas in ipſa, non voluntas nec electio. Felem vide cum obijcitur muſculus, per medios fuſtes inuolat & rapit. Similis impetus in illo, qui ſenſus ſequitur, & quod iubent eligit. Prępoſterus ordo, ſi dominij ius ſeruus occupet, excuſſa diſciplina; ſi imperat cui parendum; ſi præſit inferior, ſubſit maior. Vbi ſic, ibi præſens noxa & excidij metus, labaſcit regnum & inclinat ad euerſionem. Arcem ſtruxit manus diuina, dum conderet hominem, imò non arcem, ſed mūdum quaſi quendam contractiorem, & ambitu minori cōpactum, vbi ſicut in amplo hoc & ſpacioſo, iura etiam diuiſit & ordines, vt caput eſſet & rector vnus, velut Monarcha regni, ſubditi cæteri. Apex hic celſitudinis & ius ſceptri rationi ceſſit: ſors deterior, quibus ſub præcordia ſtationes diuiſæ, affectibus ſuppoſitis, qui cum belluis naturæ ductum participant, & præſentia rerum tanguntur, & guſtant, niſi dirigat virtus prædominans, & habenas inijciat: ſi laxentur, ruunt vt torrens egreſſus metas, & ferociunt vt aper aut pardus, quos occultus amor ſtimulat. Spectant huc illa ex Tulliana ſchola petita, 2. Tuſculan. diſputation. Reliquum eſt, vt tute tibi imperes: quanquam hoc neſcio quomodo dicatur, quaſi duo ſimus, vt alter imperet, alter pareat: non inſcitè tamen dicitur, eſt enim animus in partes diſtributus duas, quarum altera rationis eſt particeps, altera expers. Cùm ergo præcipitur, vt nobiſmetipſis imperemus, hoc præcipitur, vt ratio coerceat temeritatem. Philon Iudęus lib. 1. de vita Moſis ſic ait: In vniuerſum dabat operam, vt ad primos impetus animi reſiſteret, quaſi contumacem equum obſeruans: nimirum ne inuito auriga ratio ne curſum plus ſatis accelerantes confunderent, perturbarentq; omnia. Hæ ſunt enim bonorum & malorum origines: bonorum, ſi ratio teneat imperium: contrariorum, ſi affectus dediſcant obedientiam. Seneca item ad hunc modum: Quid prodeſt equum regere, & curſum eius fręno temperare, & affectibus efferatiſſimis abſtrahi? Fortaſſe id non malè conuertas ad iuueniles impetus, conſilij ac iudicij expertes, quibus nihil credendum facilè, quòd ſit ea ætas lubrica certè, & pręceps, & quę niſi maturè refręnetur, triſtem exitum ſeu ſurra ſit. Argutè Dion Chryſoſtomus: χαλεπὸν ἡ νεότης, καὶ εὐρίπιστον, καὶ σφοδροτέρου δεῖται χαλινοῦ. Et Ariſtot. Moralibus ad Nicomachum οὐ χαλεπὸν καταμαντεύεσθαι περὶ νέων, ἀστόχαστος γὰρ ἡ ἡλικία, καὶ πολλὰς ἔχουσα μεταβολὰς ἄλλοτ᾽ ἐπὶ ἄλλο φερομένη. Elegans eſt deſcriptio adoleſcentis apud Horatium epiſt. ad Piſones:

Cereus in vitium flecti, monitoribus aſper,
Vtilium tardus prouiſor, prodigus æris,
Sublimis, cupiduſq́; & amata relinquere pernix.

Quid pluribus opus? Tria ſibi videri difficilia dixit ſapiens Hebræus, viam auiculæ in aere medio volitantis: viam colubri in media planitie oberrantis: viam nauis in æquore medio, ſed omnium difficillimū, viam adoleſcentis in ipſo ætatis feruore luxuriantis. Sed me reprimo, ne metas excedam lectionis compoſitæ ac moderatæ.

Homo obtemperās affectionibus.

Laus Ciceronis.

Philō de Moſe.

Iuuenilis impetus.

In temerarios.

EMBLEMA LVI.



ASPICIS aurigam currus Phaethonta paterni,
Ignivomos auſum flectere Solis equos:
Maxima qui poſtquàm terris incendia ſparſit,
Eſt temerè inſeſſo lapſus ab axe miſer.
Sic plerique rotis fortunæ ad ſidera Reges
Euecti, ambitio quos iuuenilis agit;
Poſt magnam humani generis cladémque ſuamque,
Cunctorum pœnas denique dant ſcelerum.

COMMENTARII.

I. SOL radiatus curru ſuo aureo quatuor equis (licet hoc loco duo tantùm ſint conſpicui) vehitur, qui dum conſternati & ferocientes videntur, iuuenem aurigam ſuum è curru relictis habenis dant præcipitem.

II. PHAETHON filius Solis & Clymenes Nymphæ, iuuenis maximè temerarius, qui arroganter ac importunè à patre efflagitans, vt currum & equos, quibus Sol vehitur, die vno gubernare permitteretur: impetrauit, ſed oneri difficillimo impar. Equi enim ignoto vectore perterriti, in partem contrariam inclinauerunt, quos ipſe *Fabula Phaethontis.*

extra

extra viam currentes retinere amplius nõ potuit; inde magnum in terris incendium exortum, adeoq; vt vniuerſus conflagraret mundus: & Iupiter ipſe cęlo timens illum fulminis ictu de curru pręcipitauerit, & in Padum deiecerit, vbi fuit ſubmerſus. Hinc Ouid. lib. 1. Triſtium:

Vitaret cœlum Phaethon, ſi viueret, et quos
Optauit ſtultè tangere nollet equos.

Totam autem Phaethontis fabulam, & pręcipitem eius caſum deſcribit latè Ouidius à fine 1. Metamorph. per magnam partem 2. Cicero quoq; 3. Offic. ſic de Phaethonte meminit: Ac ne illa quidem promiſſa ſeruanda ſunt, quę non niſi iis ipſis vtilia, quibus illa promiſeris. Sol Phaethonti filio (vt redeamus ad fabulas) facturum ſe eſſe dixit, quidquid optaſſet: optauit, vt in currum patris tolleretur. Sublatus eſt, atq; is antequam conſtitit, ictu fulminis deflagrauit. Quanto melius fuerat, in hoc promiſſum patris non eſſe ſeruatum? Plinius Natur. hiſtor. lib. 37. c. 2. Phaethontis, inquit, fulmine icti ſorores fletu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus, vt plurimi Poetæ Græci dixerunt. Sed paulò inferius ſubdit: Phaethontem in Aethiopia Ammonis obiiſſe Theophraſtus aſſerit. &c. Vtitur exemplo Phaethõtis Horatius lib. 4. Carm. ad Phyllidem amicam, qui illam monet, ne altiora ſe petat, ſic:

Terret ambuſtus Phaethon auaras
Spes, & exemplum graue præbet ales
Pegaſus, terrenum equitem grauatus
Bellerophontem.
Semper vt te digna ſequare & vltrà
Quàm licet, ſperare, nefas putando,
Diſparem vites.

Placet huc affigere cuiuſdam anonymi carmen non illepidum de Phaethonte:

Auſus in æternos iuuenis cõſcẽdere currus,
Igneaq; audact ſumere lora manu,
Oblitus pariterq; ſui, meteq; paterna,
Quos mundo ſparſit ignibus ipſe perit.

Et illud breuius eodem ſpectat:

Lucifero puer inuectus temerarius axe
Concidit, & ſecum perdidit orbis opes.

Quid per Phaethontem. Hæc dicta meminimus in fatuos & ſocordes principes, qui cum nimia animorum impotentia terræ cœloq; minari non dubitent, ſemetipſos in præcipitium non rarò conjiciunt. Et de Gallicis motibus quod ſequitur, frequenter à ſtudioſis recitatur:

Si Phaethonte vno bona pars ambuſta cadente,
Orbis, & inſolitis terra peruſta rogis;
Nil mirũ infelix ſi iam cadat impete vaſto
Gallia, qua fatuos tot Phaethõtas habet.

De Phaethonte vide plura apud Plutarchum, De ſera numinis vindicta, Lucianũ in Dialogis Deorum, Icones Philoſtrati, tit. *Phaethon*. Natal. Comit. Mythol. lib. 6. cap. 1.

III. ASPICIS *aurigam currus &c.*] Alludit ad Epitaphium Phaethontis, quod Ouidius loco citato ponit:

Hic ſitus eſt Phaethon, currus auriga paterni;
Quem ſi non tenuit, magnis tamen excidit auſis.

Ignivomos Solis equos] Sol à quatuor equis trahebatur, quorum nomina referuntur ab Ouidio lib. 2. Metamorph. *Solis equi.*

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusq; Phlegon hinnitibus auras
Flammiferis implent.

Quamuis Homerus 4. Odyſſ. duos tantũ Solis equos enumeret, Lampum ſcilicet, & Phaethontem: quibus alii addunt Erythræum & Actæonem. Hi quatuor equi Solis igneam naturam indicant: Phlegon, à φλέγω, quod eſt *inflammo*: Pyrois, quaſi *ignitus*, ἀπὸ τοῦ πυρός: Eous, ab ἠῶς, *aurora*: Aethon, quaſi *ardens*: Sũt qui his equis quatuor horas iuxta Solis exortum apparentes intelligi velint, vnde eſt illud:

Hæc iubet, hæc ſplendet, dein hæc calet, illa tepebit.

Malim ego à ſtudioſis legi diligenter quæ de iis Solis equis habet Ouidius loco iam citato.

Maxima qui poſtquam] vbi permultos motus concitauit, flamma & incendio terram depopulatus eſt.

Eſt temere inſeſſo] de plauſtro decidit, quod auſu temerario inſcenderat.

Lapſus ab axe] Synecdoche, pars pro toto.

Sic pleriq; rotis &c.] Similitudinis ἀπόδοσις. nam noui quidam principes ad regni vel principatus faſtigium euecti aura quadam fortunę blandientis, non ex virtutum meritis. Fortunæ rota, cui inſidet, tributa eſt, propter varietatem & inconſtantiam. *Fortuna cur rotæ inſiſtat.* Galenus ἐν προτρεπτικῷ ἐπὶ τὰς τέχνας, egregiè

egregiè fortunam eiuſq; inconſtantiam de pinxit.

Ambitio quos iuuenilis agit] iuueniliter exultantes, vt de Hannibale Cato maior. Pignorius hæc de Galeacio Sfortia Duce Mediolanenſi dicta eſſe cenſet, qui natus annos tres ſupra triginta, ab Andrea Lampomano, Hieronymo Olgiato, & alijs in æde D. Stephani cæſus eſt. Lamponianum autē celebrauit elegantiſſimis verſibus Marullus lib 3. carm. Et de Galeacio Boſſus epiſt. 5. ſcripta ad Lodouicum Sfortiam: Quod tuo fratri Galeaz facilè contigiſſet, ni generoſum quidem animum ad ſæuitiā, intolerabilemque libidinem conuertiſſet. &c. Extat exemplum longè pulcherrimū apud Ammianum, hiſtoriarum lib. 26. de Cilice quodam Procopio, qui vana quadā motus ambitione deſciuit ab Imperatore Valentiniano: imò verò imperium mercatus, imperatorque appellatus leui paucorum ſuſurro illectorum precio, deinde tumultuarijs ſucclamationibus plebis, multos ad ſuam factionem concitauit, plurimas ſtrages edidit. Sed tandem victus poſt fœdam ſuorum defectionem, captuſq; Imperatori offertur reticens atq; defixus: ſtatimque abſciſſa ceruice diſcordiarum ciuilium gliſcentes turbines ſepeliuit, ad veteris Perpennæ exemplum, qui poſt Sertorium inter epulas obtruncatum dominatione paulisper potitus, è frutetis, ſub quibus latebat, extractus, oblatuſq; Pōpeio, eius iuſſu eſt interfectus. Subit & illud Antigoni regis, qui cùm audiuiſſet filium in extraordinario conflictu ab hoſtibus interfectum eſſe, nil aliud dixit quàm, Serò nimis interijſti, mi fili, qui tam temerè in hoſtes te conieceris, neq; tuę ſalutis, nec meorum monitorum memor. Senſit vir prudentiſſimus, eum meritò perire, qui nec ſuæ ſalutis, nec bonorum virorum monitorum memor, temerè in periculum ſe conijcit.

Galeacius Sfortia.

Miſerrimus Procopij Cilicis casus.

Antigonus Rex.

Poſt magnam humani generis &c.] Poſt ingentem populorum ſtragem, & facultatum longè maximum diſpendium tādem pœnas ſui furoris & amentiæ luunt. Seneca epiſt. 95. Multi inueniuntur, qui ignem inferant vrbibus, qui inexpugnabilia ſæculis, & per aliquot ætates tuta proſternant, qui æquum arcibus aggerem attollant, & muros in miram altitudinem adductos arietibus ac machinis quaſſent. Multi ſunt qui ante ſe agant agmina, & tergis hoſtium graues inſtent, & ad mare magnum perfuſi cæde gentium veniant. Sed hi quoque vt vincerent hoſtem, cupiditate victi ſunt. Nemo illis venientibus reſiſtit, ſed nec ipſi ambitioni crudelitatiq; reſtiterant. Tunc cū alios agere viſi ſunt, agebantur. Agebat infœlicem Alexandrum furor aliena deuaſtandi, & ad ignota mittebat. Nec Cneo quidem Pompeio extrema inire bella, aut domeſtica virtus, aut ratio ſuadebat, ſed inſanus amor falſæ magnitudinis, modò in Hiſpaniam & arma Sertoriana, modò ad colligendos piratas ac maria pacanda vadebat. Hæ prætexebantur cauſæ ad continuādam potentiam. Quid C. Cæſarem in ſua fata priuata pariter ac publica immiſit? gloria & ambitio, & nullus ſupra cæteros eminendi modus. Quidni C. Marium ſemel conſulem (vnum enim conſulatum accepit, cæteros rapuit) cum Teutonicos Cimbroſque concideret, cum Iugurtham per Africæ deſerta ſequeretur, tot pericula putas appetiſſe virtutis inſtinctu? Marius exercitum, Marium ducebat ambitio. Ideoq; cum multis fuerunt mali, peſtiferam illam vim, qua pleriſque nocuerunt, ipſi quoque ſenſerunt. Et hæc quidem Seneca.

Miſera principū quorundam ambitioſorū fortuna.

Alexander.

Pōpeius.

Cæſar.

Marius.

IV. *Stulti Principes.*

PHAETHONTIS caſus hic traducitur in Principes quoſdam Duceſq; iuueniliter exultantes, qui magno ſuo ſuorumque malo cuncta ſurſum & deorſum vertunt: cumque quod volunt, omne ſibi licere putent, non mirum eſt, ſi intolerabilem malorum lernam ſecum aduehant. Nihil enim aliud afferre poteſt tam cæca præcepsque temeritas, quàm certiſſimum populi diſcrimen, & interdum exitiū. Quòd ſi illi quandoq; reſipiſcant (quod ferè non fit, niſi accepto damno, eoq; grauiſſimo) id ſanè contingit, poſtquàm vulgus decidit in grauem fortunarum omnium iacturam, vt ſpei nihil reliqui habeat: ferè fit enim, vt Principes illi fatui & excordes, eo quod habeant in alios imperij ac potentiæ, pro ſua libidine miſerrimè abutantur, & quaſi prodigant in Reip. detrimentum. Vitio datur Agamemnoni, quòd ambitioſus magis quàm cordatus fuerit, qui pro vna Helena tot tantoſq; homines ad necem poſtularit, ſuoſq; ad eandem belli aleam prouocarit. Rectè Flaccus:

Fabula qua Paridis propter narratur amorem
Græcia

Græcia Barbariæ lento colliſa duello,
Stultorũ regum & populorũ continet æſtus.
Non eſt ambiguum, quin ſecurius æuum traduxiſſent, & gloriam credo meliorem fuiſſent conſecuti nobiliſſimi Imperatores, Cyrus, Xerxes, & Alexander, ſi ſuis contenti finibus, maluiſſent regna propria tutari & adminiſtrare, quàm armorum alea plus quàm par eſſet, alienis inhiare. Itidẽ & innumerabiles alij, quorum efferatior ambitio, regnandiq́; cupiditas, & ſuũ & populi interitum accerſiuit. Quid enim, vt cæteros taceam, aliud fecit Alexander, quanquam præclaris naturæ & doctrinæ subornatus muneribus, quàm vt graſſatorum princeps orbem circumcurſaret, ſibi ſuisq́; labores & moleſtias innumerabiles crearet, nullumq́; quietis & otii finem proponeret? Huius inſatiabilem victoriarum ſitim nullus vel proſperrimus ſucceſſus vnquam reſtinguere potuit: nullus honos, quamquam magnus, eius ambitionem ſedauit. Itaq; non contentus ampliſſimo imperio Perſico, impetum fecit in Scythas, in Bactrianos, in Indos, vltrà etiam progreſſurus ſi per copias ſuas licuiſſet, aut niſi morte violenta repreſſus eſſet. Quid de Pompeio? quanta virtute & experientia viro? quàm magni à ſuis habito? nec enim vna cauſa fuit cur à Romanis, aliisq; gentibus maximo in honore eſſet. Eum tamen miſerè occæcauit, tandemq́; perdidit inſana ambitio, nec ſe modò, ſed & patriam & Remp. quam defendere ſe iactabat, oppreſſit & funeſtè dilacerauit. Totus enim in aucupanda gloria, in cuius communicationem admitti neminem ſuſtinebat, dum Spartacum perdomuit, dum Lucullo eripit victorias Ponticas & Armeniacas, dum Metello honorem de piratis ſuffuratur, vnusq; omnibus excellere, omniumq; gloriam obſcurare cogitat, alienauit à ſe optimorum quorumcunq; animos. Ergo dum potentiam ſuam putat egregiè fultam C. Cæſaris affinitate, quem ſibi adiunxerat ad ſuas vires firmandas, ab eodem fuit oppreſſus. Et hos quidem ſuæ ciuitatis Phaethontas rectè dicimus, quales nimium multos ſuperior patrum & noſtra vidit ætas. Conſtantinus Manaſſes Annal. de Michaelo Imperatore hunc in modũ ferè ſcribit: (quia enim Græca non ſuppetunt, Latinam verſionem huc conferre non verebor) vbi Michaelus maturam ad ætatem peruenit, iãque ſolus amplitudinem negotiorum Imperij procurare cœpit, reapſe verum illud probauit eſſe quod eſt in fabulis. Quippè mox vt alter quidam iuuenis Phaethon, curru conſcenſo, totum Romanorum imperium perdidit, & ipſe de aureo patrioque regno, veluti quodam curru, eſt deturbatus & excuſſus, non pronus tantùm cadẽs, ſed etiam deorſum lædens. Quippè luxurioſæ humidæq́ue vitæ ſe dedidit, velut alter Nero, immodeſtus in vino, animo effœminato, impudicus, temulentus, omnem pecuniam in colluſores exhauriens, qui erant ſcurræ impuri, curruum agitatores, mimi, primo ſtatim diluculo temulentiæ dediti, delicias ciborum & ſuauium obſoniorum auidè quærentes, totos dies apud inuerecundas mulieres exigentes, potores, ludiones, libidinum flammis furentes: quales ſcilicet olim erat ille Sardanapalus rex Niniuitarum, &c. Quod dum meditor, vltrò ſeſe offert Caroli vltimi Burgundiæ Ducis fatum deploratiſſimum, qui propter virtutem bellicam, & ditionem ampliſſimam, inter Principes fortunatiſſimos haberi potuiſſet, ſi vim ingenij, qua pollebat, & magnitudinem animi, qua ſe terribilem & formidabilem oſtenderat, ad ſua potius aſſeueranda, aut etiam augenda, quàm ad extera expugnanda conuertiſſet; nec ſanè tam infelicem mortem obijſſet. Huc refer Adagium, *Aut Regem, aut fatuum naſci oportere.* &, *Habenas ignarus non tractet.* Fabulam hanc alij aliò transferunt, nimirùm ad inſignem quandam conflagrationem, vt Plato in Timæo, cui Lucretius lib. 5. ſubſcribit. Ficinus, & aliquot alij, tradunt fuiſſe Cometam vaſtum natura ſolarem, qui tandem diſſolutus, intolerabiles æſtus concitauerit. Sed hęc præter rem. Si ad mores referre malis, apponere huc potes exemplum Flaminij Conſulis, cuius temeritas inſigne detrimentum ſuæ Reipubl. attulit. Valer. Max. 1. cap. 6. Cæterum nolim hoc loco prætermitti, Phaethontem hic ſcitè ab Alciato comparari cum ambitioſis & improuidis principibus (quod etiam facit Dio. Chryſoſtomus Oratione 1. de regno) vt tacitè alluderet, meo quidem iudicio, ad Tiberij de Caligula dictum. Quod enim ſagaciſſimus ſenex Tiberius naturam adoleſcentis Caij Caligulę ſæuam atq; probroſam non poterat inhibere, aliquoties prædicabat exi-

Alexãdri ambitio.

Pompeij.

Michael Imperator.

Carolus dux Burgundionum.

Cũ Phaethonte Principes ambitioſi comparãtur.

rio

tio ſuo, omniumq́ue Caium viuere: & ſe matricem (ſerpentis id genus eſt) populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.

Furor & rabies.

EMBLEMA LVII.



ORA gerit clypeus rabioſi picta leonis,
Et ſcriptum in ſummo margine carmen habet:
Hic hominum eſt terror, cuius poſſeſſor Atrida:
Talia magnanimus ſigna Agamemno tulit:

COMMENTARII.

I. AGAMEMNON habitu militari, regia corona ornatus appingitur, qui dextra ſtrictum gladium, ſiniſtra clypeum geſtat, in clypei verò medio ſeu vmbone leo depingitur, & in margine nomen AGAMEMNON conſpicitur. Et quia Agamemnon in decennali illo Troiano bello ſummus militiæ dux erat, propterea hinc Græcorum caſtra, illinc Troia incendio conflagrans ei attribuitur.

Ex Pauſania lib. 5. qui primus ἐλιακῶν, cuius hęc ſunt verba: Timor Agamēnonis ſcuto inſidet, habēs caput leonis cum hoc carmine: II.

Οὗτος μὲν φόβος ἐςὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων ἀγαμέμνων.

Hic

Hic timor eſt hominum, ſed eum geſtans Agamemnon.

vel aliter:

Terror hic eſt hominum, quiq; hunc gerit, eſt Agamemnon.

Clypeus Agamemnonis. Talem enim clypeum habuit Agamemnō cum leone depicto ad terrorem aliis incutiendum: qui in Olympię fano per aliquot tempora pependit. Homerus Iliad. 11. paulò aliter arma Agamemnonis depinxit, cuius verba Sanctius ſic Latina fecit:

Accipit ingentem clypeum, pulchrumq; ſuperbumq;
Orbibus huc decies circūdabat areus orbis,
Bisq; decē ingyrū radiabant ultima bullis.
Aſt mediis infixis clauis; atq; are rigebant.
In medio horribilis ſurgebat Gorgone ſaua;
Vmblicus durus, circum terrorq; timorq;
Deſuper huic inerāt calata argentea lora,
Cœruleus quem terga draco maculoſa trahebat.
Ipſe tricepsterrā tollebat in aſtra coronā.

III. *Leo ſymbolū terroris.* *ORA gerit clypeus*] Leo quidem pro ſigno roboris & vigilantiæ apud Aegyptios habebatur, ſic & ad terrificum hominem, qui reliquos aſpectu ſolo conſternaret, aſſumebatur, teſtis eſt Pierius in Leone. Orus Apollo ſic inquit: Terrorem ſignificantes, leonis caput pingunt: quoniam hoc fortiſſimum animal omnibus aſpicientibus timorem incutit.

Et ſcriptum in ſummo] Id vno nomine dicitur ἐπίγραμμα, vulgo Gallico *Eſcriteau*.

Hic hominum eſt terror] Inſcriptio clypei: οὗτος ὁ φόβος ἐστὶ βροτῶν.

Atreus. *Cuius poſſeſſor Atrida*] id eſt, Agamemnon. Atreus Tantali filius fuit, pater Agamemnonis & Menelai, qui inde Atridæ dicuntur. Horatius:

—— Neſtor componere lites
Inter Pelidem feſtinat, & inter Atridem.

Talia ſigna] huiuſmodi ſymbolum.

Agamemnon vnde dictus. *Magnanimus Agamemno*] Agamemnon filius Atrei & Aeropes, de quo multa Homerus. Nam rex fuit Mycenarum, & rex regum in expeditione Troiana; ſic dictus ab ἄγαν, id eſt, valde, & μέμνω, maneo, duro, quaſi qui diu duret in bello; aut qui in operanda virtute ſit indefeſſus. Paulò tamen aliter deriuat Socrates apud Platonem in Cratylo, quamquam ratio etymologiæ eodem tendat. Etymologia verò hæc eſt, ἀγαστὸς κατὰ τὴν ἐπιμονήν. Eſt autem hoc loco terminatio antiqua, qua veteres vtebantur, Agamemno, pro Agamemnone: ſic Telamo, pro Telamone.

IV. *Signa ferocitatis.* QVORVNDAM Principum & Imperatorum ferocia & immanitas ſignis pleriumque notiſſi̧s vexillaribus exprimitur, ita vt quid in animo reconditum habeant, tacitis ſymbolis apertè oſtendant. Quid enim ſignificāt in eiuſmodi ſtemmatis Vultures, Gryphes, Dracones, Aquilę, Leones, quàm rapacitatem, ferociam, internecionem, formidinem, & cętera generis eiuſdē, quæ perpetuò ſanguinarios Duces comitantur? Plutarchus Ariſtide: Hanc iuſti appellationem, inquit, regum & potētum nullus eſt proſecutus; ἀλλὰ πολιορκηταί, καὶ κεραυνοί, καὶ νικάτορες, ἔνιοι δὲ ἀετοὶ καὶ ἱέρακες ἔχαιρον προσαγορευόμενοι, τὴν ἀπὸ τῆς βίας, καὶ τῆς δυνάμεως, ὡς ἔοικε, μᾶλλον ἢ τὴν ὑπὸ τῆς ἀρετῆς δόξαν ἀγαπῶντες, *ſed potius dicti ſunt vrbium vaſtatores, fulmina, & domitores: alij etiam aquilæ & accipitres vocari malluerunt, à vi & potentia, vt apparet, magis quàm ex virtute laudem & gloriam amplectentes.* Appoſitè ad id argumentum Lactant. lib. 1. Diuinar. Inſtitut. cap. 18. Romani non ſapientiores Græcis, regiam virtutem putauerunt, ait, exercitus ducere, aliena vaſtare, vrbes delere, oppida exſcindere, liberos populos aut trucidare, aut ſubijcere ſeruituti, videlicet quò plures homines afflixerint, ſpoliauerint, occiderint, eò ſe nobiliores & clariores putant: & inanis ſpecie capti gloriæ, ſceleribus ſuis nomen virtutis imponunt. Hæc Lactan. Neſcio quis apud Tullium loquitur imperator glorioſius:

Si fas cadendo cœleſtes ſcandere ſedes,
Vni mi cœli ianua aperta patet.

Cum Syllana crudelitas magna licentia ſæuiret in capita ciuium (nam ſupra nouem millia occiſa feruntur) percuſſoribus liberè per vrbem vagantibus, ac cæteris metu attonitis, Q. Catulus palam auſus eſt dicere Syllæ: Cum quibus tandem victuri ſumus, ſi in bello armatos, in pace inermes occidimus? Subit Neronis ſanguinaria crudelitas: is Veſtinum conſulem, cùm eodem die omnia munia conſularia obijſſet, è conuiuio repentè ad mortem rapi iuſſit. Conuiuæ nihil aliud quàm exitium expectabant. Horum pauorem irridens Nero, dixit illos ſatis ſupplicij luiſſe pro conſulis *Neronis crudelitas.*

con-

conſularibus. Dicas hoc à clemente dictũ, ſi cætera Neronis facinora ſpectes. Hei quibus portẽtis aliquando committitur Reſpublica?

In eos, qui ſupra vires quicquã audent.

EMBLEMA LVIII.



DVM dormit, dulci recreat dum corpora ſomno
Sub picea, & clauam cæteraq́ arma tenet,
Alcidem Pygmæa manus proſternere letho
Poſſe putat, vires non bene docta ſuas.
Excitus ipſe, velut pulices, ſic proterit hoſtem,
Et ſæui implicitum pelle leonis agit.

COMMENTARII.

I. HERCVLES exuuijs leonis tectus, & clauа ſua armatus, monti innixus dormiens effingitur, quem nanorum turba omni genere armorum hac illac aggreditur, & dormiẽtem laceſſit. Videtur autem hic deſiderari pinus ſeu picea, ſub qua dormientem fingit Herculem Emblematographus.

II. Epigraphe. EPIGRAPHA hæc reſpicit ad illud Heſiodi ex 1. ἔργων.
ἄφρων δ' ὅς κ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.

νίκης

νικας δ' ἑτέρωται, πρὸς τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει.

Inſipientis, ait, eſſe cum potentioribus velle congredi: qui etenim ita ſe gerit, longè abeſt à victoria, & adhæc damna patitur atrocia. Emblema autem ex Imaginibus Philoſtrati petitum eſſe, perſpicuum eſt, cuius hæc ſunt verba: Herculem in Libya dormientem, poſt Antæum ſuperatum, Pygmæi inuadunt, vt Antæum vlciſcerentur, cuius ſe fratres aſſerebant, non quod athletæ, aut illi pares eſſent, ſed quod terrigenæ, & alioqui fortes. Quibus è terra exeuntibus (nam veluti formicæ terram habitant) concitatur arena, non aliena, ſed propria, proprijsq; manibus culta paſcuntur. Cùm meſſis aduenit, ſecuribus dicuntur vti in ſpicas, eò quod arbores eas arbitrentur. Sed ò temeritatem, Herculem dormiẽtem ſe interfecturos aſſeruut, quem nec vigilantem formidarent. Ipſe verò ex palæſtra defeſſus dormiens in arena cubat, exanimisq; ante ipſum iacet Antæus. Pygmęorum verò manus Herculem circumſiſtit, vnaq; phalanx ſiniſtram, duæ dextram inuadunt. Sagittarij & funditores pedes obſident, ingentes tibias non ſine admiratione ſpectantes. Alij caput oppugnant, inter quos erat rex, hucq; machinas omnes impellunt, arcem veluti munitiſſimam expugnaturi, admouent ignem comæ, oculis ſarculos, naribus & ori fores, ne, cum caput captum fuerit, poſſit Hercules reſpirare: Dum hæc circa dormientem aguntur, ecce hic erigitur, tantumq; ridens adeſſe diſcrimen, hoſtes colligit vniuerſos, inq; pellem leonis congerit, ad Euriſtęum (vt coniecto) reportaturus. Hæc ex Philoſtrato. Meminit figmenti huius Politianus epiſtola quadam, his quidem verbis: Vincere nõ magis te potui, quàm Herculem ridiculi apud Philoſtratum Pygmęi, quos ille omnes correptos leonis pelle inuoluit. &c. Męminit & Alciatus noſter Commentar. de quinq; pedum præſcriptione.

Emblema ex Philoſtrato petitũ.

III. *RECREAT dum corpora ſomno*] Idem atq; dormit. Virgil.

——Placidam per membra quietem
Irrigat.

Picea. *Sub picea*] Piceam, quintam cedri ſpeciem eſſe docet Plinius lib. 16. cap. 10. Arbor eſt feralis, & funebri indicio ad fores poni ſolita. Vnde Virgilius de tumulo Miſeni loquens 6. Aeneid. ait:

Procumbũt piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex.

Clauam] Claua Herculi attribuitur pro armis proprijs. Vnde illud:

Herculis armata eſt inuicta dextera claua.

Et alibi:

Num tegit Alcides nodoſa robora claua?

Vide Prouerbium, *Clauam extorquere Herculi.*

Alcides. *Alciden*] Herculem, ſic vel ab Alcæo auo, Amphitryonis & Perſei patre; vel ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, à robore & fortitudine dictum volunt.

Pygmæi. *Pygmæa manus*] Pumilionum & nanorum multitudo. Vocantur à Philoſtrato οἱ πήχεις παιδία. q. d. cubitales pueri. Euſtathius & D. Auguſtinus de ciuit. Dei 16. cap. 8. Nanos aiunt Pygmæos appellatos à πυγών, vel πυχὸς, quod cubitum ſignificat: vel πυγὸς breuis. Itaq; πυγμαῖος, quaſi πηχυαῖος. Hi per cauillum *homines triſpithami* vocantur. Tales autem homunciones extremas Aegypti partes inhabitãt, agricolationi dediti, ſubinde cum gruibus bella gerunt, ab ijsq; ſępe vincuntur; quod innuit Homerus 3. Iliados:

Homines triſpithami.

Ac veluti ſonitus ingentes æthere ab alto
Ingeminant triſtes imbres hyememq; peroſæ,
Lata grues cani repetentes littora Ponti,
Pygmæa bellum genti crudele minantes.

Pomponius Mela lib. 3. cap. 9. loquens de ſinu Arabico: Fuere, inquit, interius Pygmęi, minutum genus, & quod pro ſatis frugibus contra grues dimicando defecit. Solinus in Thracia ponit Pygmæos, in vrbe Gerania, vnde fugatos à gruibus ait Plinius lib. 4. cap. 11. De his ortum Prouerbium, *Pygmæo breuior.* Mantuan.

Inter Pygmæos non pudet eſſe breuem.

Ouidius de Pygmæis lib. 6. Metamorph. ſic ſcribit:

Altera Pygmææ fatum miſerabile matris
Pars habet. hãc Iuno iuſſit certamine victã
Eſſe gruem, populisq; ſuis indicere bellum.

De Pygmęis plura vide apud Plinium lib. 7. cap. 2. Ariſtotel. 8. de nat. anim. cap. 12. Gellium lib. 9. cap. 4. Claudianum lib. 1. in Eutropium, Iuuenal. Sat. 13. Prouerbia, *Pygmæorũ acrothinia coloſſo adaptare.* &, *Communis Mercurius.*

Manus, pro multitudine. *Manus*] Non facilè verbis inhæreo, niſi quantum ad antiquitatis notitiam faciant liberaliorem, & ne multa, video verbum, *manus*, non rarò accipi pro hominum multitudine: vt apud Tull. 2. Verrina: Comi-

tes

tes illi tui delecti, manus erant tuæ: præfecti, ſcribæ, medici, accenſi, aruſpices, præcones, manus erant tuæ: vt quiſq; te maximè cognatione, affinitate, neceſſitudine aliena attingebat, ita maximè manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm ſi centum cohortes fugitiuorum fuiſſent, tua manus ſine controuerſia fuit. Idem lib. 4. in eundem: Non hoſtium aduentu, neq; repentino prædonum impetu, ſed ex domo atq; cohorte Prætoria manum fugitiuorum inſtructam, armatamque veniſſe. Item eadem oratione: Vt cùm perinde apud te Prætorium imperium, ac nomen eſſet, ad illam paruam manum extinguendam, ducem te, principemque præberent: Noſter hic de receptatoribus ſicariorum autē:

Latronum furumq; manus, &c.

Proſternere letho.] ſuffocare, elidere, tollere de medio.

Poſſe] quod erat ἀδύνατον.

Putat] quod erat ἀνόητον. Scipio Africanus dicere ſolebat, in re militari turpe verbum eſſe, *Non putaram*. quod aliis in rebus interdum locus datur malè inſtituta poſterioribus conſiliis melioribus corrigere; ſed quæ ferro peraguntur, ea non oportet temerè aggredi, quod hic error ferè eſt inemendabilis.

Vires non bene docta ſuas] Græca phraſis, pro, non bene dimenſis viribus ſuis, nulla ratione habita imbecillitatis ſuarum virium.

Excitus] Excitatus à ſomno. Liu. lib. 1. Hercules ad primam ſomno excitus.

Proterit hoſtem] Facilè vir magnus victoriam de puſillis nanis retulit.

Et ſaui implicitum pelle &c.] Partem eorum contriuit vt pulices, partem recluſit in pelle leonis, fortaſſe vt ad Euriſtęum ferret. Leonina autem pelle dicitur vſus pro thorace Hercules poſt occiſum in ſilua Nemea leonem truculentiſſimum, de quo Theocrit. & Diod. Siculus, & nos poſtea.

IV. *Nihil præter vires ſuſcipiendum.* APOLOGVS hic admonet, nihil pręter vires aggrediendum, nec vllum ſuſcipiendum negotium, ad quod perficiēdum vires nō ſuppetant. Rectè Pindar. Pyth. β. Χρὴ καθ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον. *Oportet quiſq; ſui modulum ſpectet.* Sic Propertius:

Turpe eſt quòd nequeas capiti ſummittere
pondus,
Et preſſum inflexo mox dare terga genu.

Et Cicero 1. Officior. Suum quiſq; noſcat ingenium, acremq; ſe & vitiorum, & bonorum ſuorum iudicem præbeat, ne ſcenici plus quàm nos videantur habere prudentiæ: nève hiſtrio videat in ſcena, quod nō videat ſapiens in vita. Pindarus Nē. 10. Καλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν κρεσσόνων. id eſt:

Difficilis pugna eſt fortioribus repugnare
velle.

Quod mihi declárat in Vrania Herodotus: καὶ δύναμις ὑπὲρ ἀνθρώπων ἡ βασιλῆος ἐστὶ καὶ ὑπερμήκης. Sed, ni fallor, conuerti fabula in eos poteſt, qui licet tenuis fortunæ ſint, aut ingenio non perinde valeant, audent tamen potentiores, vel etiam doctiores impetere, quo ex conflictu nihil reportaturi ſint præter infamiam & detrimentum. Alluſio eſt ad prouerb. *Cum ſis nanus, cede.* Quod intellexiſſe videtur Ammian. Marcellinus 22. lib. quò loci magnum Iuliani Imp. animum celebrat, & maledicorum in eo contemptum illud eſſe prouerbiali ſchemate, eoque eruto è Græco apologo quopiam: Fruſtrà, inquit, virum circumlatrabant, immobilem occultis iniuriis, vt Pygmęi, Thiodamas agreſtis homo Lyndius cum Hercule. Quo innuit Iulianum nihilo magis commotum fuiſſe ſuſurronum & blateronum aulicorum conuiciis, quàm Hercules ille μεγαλόθυμος καὶ μεγαλόψυχος ruſtici hominis contumelioſa in eſtatione, aut Pygmęorum inſultibus exterritus fuerit. Huc refero prudens Archidami dictum, qui conſpiciens filium cum Athenienſibus iuuenìliter ac temere congredientem: Aut viribus, inquit, adde, aut animis adime. Docēs periculoſam eſſe audaciam, ſi vires nō ſuppetant.

Impoſi-

Impoſſibile.

EMBLEMA LIX.



*A*BLVIS *AEthiopem quid fruſtra? ah deſine: noctis*
Illuſtrare nigræ nemo poteſt tenebras.

COMMENTARII

I. DVo viri circa Æthiopem nudum ſedentem iuxta fontem occupãtur, vt eundem alter aſpergendo, alter abſtergendo in nitorem dent, & candorem.

II. Ex Luciani Diſticho translatũ, quod reperitur lib. 2. Epigram. Græcorum, tit. *εἰς ἀδύνατον*, ſic enim habet:

Εἰς τί μάτην νίπτεις δέμας ἰνδικόν; ἴσχεο τέχνης,
οὐ δύνασαι δνοφερὴν νύκτα καθηλιάσαι.

Quod ſic redditum eſt Latinitati:

Ablus Æthiopẽ fruſtra. quin deſinis artẽ?
Haud vnquam efficies nox ſit vt atra dies.

Emblematis fõs. Id autem ex apologo quodam Æſopico manaſſe planum eſt, de quodam, qui emit Æthiopem, ratusq; illum colorem non natura, ſed præteriti domini negligentia accidiſſe, perpetuis lotionibus miſerum vſq; ad morbum diuexauit, colore nihilo quàm antea fuerat meliore. Natiuum Æthiopum nigrorem ex ſideris vicini vapore putat accidere Plinius, lib. 2. cap. 78. Ouid. 2. Metamorph. ad fabulam retulit, ex incendioq; Phaethontis accidiſſe, vt nigreſcerent Æthiopes: *Æthiopes cur nigri*

Sanguine tum credunt in corpora ſumma vocato,
Æthiopum populos nigrum traxiſſe colorẽ.

Æthiopum nigritiem omnino exuſtioni

&

& ſuperficiali calori, qui non in corde reſideat, ſed in extremis ſupernatet, Alexander putat aſſcribendam. Cui rei argumento illud eſſe, populos eos quum æſtuoſiſſima incolant, timidos item eſſe ac effœminatos: Scythas verò, qui in gelidiſſima ſunt regione albos eſſe ac animoſos. Quod ipſum etiã Gallis ferè vſu venit, quibus in corde ac iecore naturalis ſubſiſtit calor ac nidulatur, nec ad extima ſe magnopere promit, indicio eſt cutis candor. Vide Cęlium Rhodig. lib. 16. c. 15.

Galli cur albi.

III.
Æthiops vnde dictus.
Æthiops non albeſcit.

ABLVIS Æthiopem] Maurũ. Aethiops autem dicitur à verbo Gręco αἴθω, *ardeo*, & ὢψ, *aſpectus*, qui ſolis ardore torreatur. Huc pertinet prouerb. *Æthiopem dealbare*: &, *Æthiops non albeſcit.* quò refer & illud Nazianzeni: Πάρδαλις οὐκ ἀποτίθεται τὸ κατάστικτον, οὐδ᾽ αἰθίοψ τὸ μέλαν. hoc eſt, *Pardus non deponit pellis maculas, neq; nigrorem Æthiops*. Si quid de Aethiopibus pluribus requiras, conſule Plin. lib. 5. c. 8. & lib. 6. cap. 30.

IV.
Mores uel animum mutare difficile.

SIGNIFICATVR hoc ſchemate, ὅτι μένουσιν αἱ φύσεις ὡς προῆλθον τὴν ἀρχήν. *naturas manere vt ſuum habuere principium.* Pindarus Olymp. 13. ἄμαχον δὲ κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος. *Difficile eſt occultare morem ingenitum.* Idem Ariſtophanes Veſpis: ἀποστῆναι χαλεπὸν φύσεως ἣν ἔχοι τις ἀεί. *Tegere difficile eſt quam quis naturam habeat.* Succurrit illud Ciceron. ad Q. fratrem: Hoc nũc non contendo, quod fortaſſe cùm in omni natura, tum iam in noſtra ætate difficile eſt mutare animum, & ſi quid eſt penitus inſitum moribus, id ſubitò euellere. Quò referendum Diogenis apophthegma, qui cùm improbum quendam & proteruum caſtigaret, rogatus quid faceret: Aethiopem, inquit, abſtergo, vt difficulter candidum reddam. Quod in genere de his omnibus intelligi poteſt, quæ nulla arte, nullaque induſtria corrigi aut mutari queunt. Sed ſpeciatim hoc torquebimus in ea, quæ fucata ſunt & ſimulata, vt gloriam inanem, non vitæ meritis, ſed precariò emptam, cuius omnia ſimulacra, vt ſic dixerim, tanquam floſculi celeriter decidunt: quandoquidem ſimulatum quicquam non poſſit eſſe diuturnum, & ficta citò ad naturam redeunt ſuam. Verè Flaccus:

Naturã expellas furca, tamen uſq; recurret.

Menander:

ἡ φύσις ἁπάντων τῶν διδαγμάτων κρατεῖ.

Natura omnibus doctrinis imperat.

Vel hoc traducemus ad mores indociles, & indomitam quamdam naturam, quæ nulla vi aut arte miteſcere poteſt, vt ſunt efferata quorundam ingenia, à quibus non poſſunt auelli, quæ rudibus annis primùm percepta ſunt. Nam

Quo ſemel eſt imbuta recẽs, ſeruabit odorẽ
Teſta diu. ——

Tametſi enim ad tempus deſinere videatur in pleriſq; cacoethes, multaq; prohibeant ætas, metus, & magiſtri; cum tamen habitum delere, nedum tollere, ferè nõ eſt qui poſſit. Adſcribam huc Epigramma lepidum Aulli ex Picta Poeſi:

Indocile ingenium ſi pergas velle docere,
Infelix operam perdas: vt ſi quis aſellum
In campum doceat paretem currere fræno:
Qui cùm quadrupedum in morem videatur equorum
Tollere poſſe caput, greſſus glomerare ſuperbos:
Hunc tamen aut frænis, aut ſi calcaribus vrges,
Auriculas demittit iniqua mentis aſellus
In terram, et pedibus poſtic[ē] calcitrat. Ergo
Deſine: nam nunquam ars naturam vincet, equusq;
Nunquam ex degeneri fiet generoſus aſello,
Et nunquã ex ſtolido cordatus fiet ab arte.

Τὸ τολμᾶν ἀδύνατον, ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ. *Conari quod fieri non poteſt, non pertinet ad ſapientem:* Helenæ verba ſunt ad Menelaum apud Euripidem. Nulla ſapientia (inquit Seneca epiſtola vndecima) naturalia corporis aut animi ponuntur vitia; quicquid infixum & ingenitum eſt, leuiter arte non vincitur. Quædam nec diſciplina, nec vſus vnquam excutit, ſed natura vim ſuã exercet, & illos vitij ſui etiam robuſtiſſimos admonet. Hæc, vt dixi, nulla ſapientia abigit, alioqui haberet rerum naturam ſub imperio ſui, ſi omnia eraderet vitia. Quæcunque attribuit conditio naſcendi, & corporis temperatura, cùm multum ſe, diuq; animus compoſuerit, hærebunt. Nihil horum vitari poteſt, non magis quàm acerſiri. Iſocrates inter familiares dicere ſolitus eſt, ſe quidem docere decem minis: cæterum qui ipſum docuiſſet audaciam & vocalitatem, quę natura illi denegarat, mercedis loco daturum decem millia. Hęc autem

Vitia naturalia vix facile tolli.

tem

tem quia ſunt naturæ, quæ non facilè mutari poteſt, non artis, à præceptoribus dari non poſſunt. Durum eſt adſueta relinquere, ait ille: Hieronymus ad Heliodorum, de laude vitæ ſolitariæ: Corpus aſſuetum tunicis loricæ onus non fert: caput opertum linteo galeam recuſat: mollem otio manum durus exaſperat campus. Nicephorus lib. 12. cap. 32. hiſtor. eccleſiaſt. de Martiano epiſcopo Nouatiano, qui cùm Iudęũ initiaſſet, qui tamen ritus adſuetos non poſſet abijcere, dicebat Martianus, perinde fuiſſe ac ſi ſpinis manus impoſuiſſet, non autem Sabbatio. Conferri poteſt Iuuenalis illud è Satyra 13.

Mobilis & varia eſt certè natura malorũ:
Cùm ſcelus admittunt, ſupereſt conſtantia: quid fas,
Quidve nefas, tãdem incipiunt ſentire peractis
Criminibus, tamen ad mores natura recurrit
Damnatos, fingi & mutari neſcia: nam quis
Peccandi finem poſuit ſibi? quando recepit
Eiectum ſemel attrita de fronte pudorem.

Vlpianus Iuriſc. hanc theſin ad ſpeciem facti ſingularis aptauit, l. præcipiunt, ff. de ædil. edict. mancipia, quæ rudia ſunt, præſumuntur eſſe ſimpliciora, & ad miniſteria multò aptiora, trita verò & veteratiora difficile eſt reformare.

Cuculi.

EMBLEMA LX.



R*VRICOLAS, agreſte genus, plerique cucullos*
Cur vocitent, quænam prodita cauſſa fuit?

Vere nouo cantat Coccyx, quo tempore vites
Qui non abſoluit, iure vocatur iners.
Fert oua in nidos alienos, qualiter ille,
Cui thalamum prodit vxor adulterio.

COMMENTARII.

I. DVABVS arboribus inſident duæ aues, vni cuculus in ramo; alteri curuca in nido, quæ ſuppoſita cuculi oua fouet, ſua eſſe credens.

II. *Alciati locus.* QVOD hoc emblemate expreſſit, idē nobis luculenter enarrauit ipſe Alciatus lib.7.Parerg.cap. 5.his verbis: Cuculum vocant, qui matrimonij ſui incurioſus ſit, quique vxorem ſuam mœchis permittat. Cucubitare verbum confinxerunt, quaſi cuculitare. Ego cuculos peculiari cōuicio agricolas dictos apud veteres legi, qui negligentes, ſocordes, tardiq; eſſent, quòd nō priùs putatas vites haberent, quàm cuculus canere cœpiſſet. Horatius:

——*Magna compellans voce cucullum.*

Græcè *κόκκυξ* à voce dicitur, vt appareat veteres Græcos ypſilon per u, eo more, quo nos Latini facimus, pronunciaſſe. Recentiores Grammatici Cuculos dici hos homines putant à natura auis, quæ in alienum nidum, maximè Hypolaidis, quam ipſi Curucam vocant, oua ſua transfert. Sed hac ratione non cuculi, ſed curucæ dici debuiſſent; cùm non ipſe in alienum, ſed alij in ſuum nidum congerant: vnde & adulterium dictum, quaſi *ad alterius torū*. Hactenus Alciat. Ait itaq; Cuculi nomen abuſiuè in eos eſſe traductum, quorum impudicæ ſunt vxores; cùm ij contrà cuculi potius vocari debeant, qui alienas vxores adulterant, ſpectato nimirum auis ingenio, quæ ſua in nidis alienis oua ponere ſoleat. Latius hęc proſequitur autor Adagiorum, in Prouerb. *Cuculus.* &, *Hernioſi in cāpum.* ibiq; citat Plinium & Heſiodum, à quibus hæc ſumpta ſunt. Addit inſuper: Quin arbitror in conuicio cuculi, alluſum ad vocem cubādi. Ariſtoteles lib. 6. de nat. anim. *Cuculi, quot.* cap. 7. ſic ait: Pullos cuculi nemo ait ſe vidiſſe; parit tamen, verùm non in nido, quē ipſe fecerit: ſed interdum in nidis minorū auium, & oua, quæ aliena reperit, edit. Maximè verò nidos palumbium petit, quorum & ipſorum oua eſu abſumens ſua relinquit. Multa quoq; de cuculo repetit lib. 9. cap. 29. per totum. Nicolai Leoniceni circumferuntur problemata naturaliū, in quorum 28. ſic inquit: Cur cuculus a- *Cur cuculus in nidis alienis pariat oua.* uis in alienis (vt aiunt) ſemper parit nidis? An quia natura duce animantium nonnulla pro ſui cuſtodia, multa callidè & prudenter facere videntur? Quamobrem rationis non omnino expertia eſſe bruta pleriq; philoſophorum contenderunt. Timiditatis igitur ſuę conſcius cuculus, vtpote qui à minimis quibusq; vellicetur auiculis, ita non fore tutam generi ſuo ſtirpem ratus, ni fefellerit, nullum facit nidum, ſed ad alios deuolat, vbi adulterato fœta nixu pro ſuo alienum & ſubdititium educat cuculum. Vide Plinium lib. 18. cap. 26. Pierium Valer. Hieroglyph. lib. 25.

RVRICOLAS &c.] Solent, inquit Porphyrio, læuia ruſtici (alij *lenti* legunt) circa viam arbuſta vindemiantes à viatoribus cuculi appellari: tum illi prouocati, tantā *Cuculi qui ſint.* verborum amaritudinem in eos effundūt, vt viatores illis cedant, contenti eos cuculos iterum atq; iterum appellaſſe. Acron hæc affert: Hoc autem ipſa re nouimus, quemadmodum viatores, quos in itinere per agros conſpexerint vindemiatores, conuicijs agitare gaudeant, illiq; itá reſpondere, vt cuculum eum appellent, quaſi pigrū, ignauum ſcilicet ac nihili hominem. Sed hoc parum eſt, aliter hodie res agitur, calumnijs vehementioribus obſtrepitur: Viatores enim eos nunc Poltrones, nunc Cornutos, nunc aliis atq; aliis conuiciis inceſſunt. Illi contrà, ſiue ciuis, ſiue magiſtratus, ſiue rex ipſe occentare cœperit, omne opprobrii genus regerunt, retectisq; poſterioribus turpiſſima quæque minitantur: quamuis id impunè toto agro Campano Neapolitanoq; tempore vindemiæ licere audio, nempe ne quid libertatis Libero detrahatur.

Cucullos.] Dicitur etiam cucullus, idque frequentius. Martialis:

Quamuis permultos cuculus cantauerit annos. *Cuculus & cucullus.*

Aliàs

Aliàs cucullus ſignificat tegumentum capitis, Iuuenal. Sat. 3.

Contentusq; illic veneto, duroq; cucullo.

Hinc Bardocucullus. Item inuolucrum chartaceum, quo inſtitores & propolę pulueres & aromata cõdunt, Germanis *Scharnuzel*. Martial.

——Vel thuris, piperiſq; cucullus.

Cuculus veris ſignum. *Vere nouo cãtat*] vnde & pro verni temporis ſymbolo ponitur Cuculus, id quod imperitæ etiam plebeculæ innotuit. Vnde illud de cuculi natura:

Frigore digredior, redeunte calore reuertor:
Deſero quod peperi, hoc tamen educat altera mater.
Quid tibi vis aliud dicam? me vox mea prodit.

Sic Heſiodus:

ἦμος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι:
Vt cantum audieris quem reddit ab ilice coccyx.

Tunc enim exultare homines dicit, quia eo nuncio verum veris aduentum intelligant. Piſtotherus apud Ariſtophanem, Auibus, vbi Cuculum Aegyptiis imperaſſe dicit, tam eos ait quàm Phœnices ad cantum huius auiculæ, tanquam ad imperium, triticum & hordeum demetere ſolitos: tempeſtiuior enim apud eos meſſis, quàm in Græcia & in Italia fit. *Cantus coccygis.* *Cantus* porrò *coccygis*, prouerbii ſpeciem habet, de iis, qui ſemper eadem ingerunt: quod auis hæc eãdem vocem ſæpius reiteret.

Quo tempore vites, &c.] Illud eſt, quod Plinius ait, probro ſolere obiici vindemiatoribus, ſi cuculus eos deprehẽdiſſet vitem putantes. & Horat. 1. Sermon.

Tum Præneſtinus ſalſo multumq; fluenti
Expreſſa arbuſto regerit conuicia, durus
Vindemiator, & inuictus. cui ſæpè viator
Ceſſiſſet, magna compellans voce cucullum.

Cum loco Horatiano & Pliniano coniungo illud Auſonii conſentaneũ, in Moſella:

—— Inde viator
Riparũ ſubiecta terens, hinc nauita labẽs,
Probra canunt ſeris cultoribus. ——

Iners. *Notatur iners*] ignauus, otioſus, qui nihil laboris vel artis facit. Virg. eclog. 1.

Libertas, quæ ſera, tamen reſpexit inertem.

Agricolæ cur dicti cuculi. *Fert oua in nidos alienos*] Agricolæ, inquit Sanctius, non vocantur cuculi, propterea quod cuculi naturam imitentur, ſed quod domi habeant cuculum, id eſt, adulterum. Quare ſic ille verba explicat & ordinat: *Cuculus fert oua in nidos alienos, qualiter ille*, id eſt, adulter, *cui vxor*, ſcilicet aliena. *prodit thalamum*, ſcilicet mariti, *adulterio*, id eſt, adulterando. Ego verò exiſtimo, Alciatum, reſpexiſſe ad prouerbium ex Ariſtophane petitum, κόκκυ, ψωλοὶ πεδίονδε. *Coccu, hernioſi in campum.* obiter taxans Aegyptios, apud quos plerique ſunt executi: & hos ad agricolationem vocat. Hinc quoq; hæc vox *coccu*, occinitur iis maritis, quibus, dum fundi vxorii ignauos ſe præbent colonos, vicaria opera ſtrenui & magis aſſidui cultoris ſuccedit. Quo ſpectat perfacetum illud Epigramma, quod ex venerandę vetuſtatis monumentis deſcriptum Martiali reſtituit Hadrian Iunius lib. 5. Animaduerſ. cap. 17. id Martialis eſſe vel Iouem lapidem iurare paratus. Id verò ſic ſe habet:

Milo domi nõ eſt: peregrè at Milone profecto,
Arua vacãt; vxor non minus inde parit.
Cur ſit ager ſterilis, cur vxor lactitet, edã:
Quo fodiatur ager nõ habet; vxor habet.

Thalamum prodit] coniugium, ſeu lectum coniugalem deſerit, decipit, lędit: Sic dicimus prodere coniugium, prodere fidẽ, *Prodere fidem.* prodere officium, pro, iureiurando non ſtare. Saluſt. in Catil. Ea ſæpe ante hæc fidem prodiderat. Cicero 4. Academ. Qui ſtatuit omnem cruciatum perferre potiùs, quàm aut officium prodat aut fidem.

QVID ſibi velit Emblema hoc, ſatis ex dictis clarum arbitror: ſiquidem cuculi nomen abuſiuè in eos traductum eſt, IV. *Cuculi ſ.* quorum impudicę ſunt vxores: cum ii contra cuculi potiùs vocari debeant, qui vxores alienas adulterant, ſpectato nimirum auis ingenio, quæ ſua oua in nidis alienis ponere ſoleat. Quo etiam ſignificato vtitur Plautus Aſinar.

At etiam cubat cuculus: ſurge amator, i domum.

Et paulò poſt ibidem:

Cano capite te cuculum vxor ex luſtris domum rapit.

Hirci qui ſint, & quare ſic dicti. Hos tales Italicæ linguę procacitas etiam Hircos vel capros nominat, inuento non adeo nouo, vt nullam ſapiat antiquitatem: erat enim caper apud veteres hieroglyphicum eius, qui vxorem haberet adulteram. Atque inſuper illud adagium ferebatur in ſpurios, ſi de patre quiſpiam quęritaret, vt reſponderent, τῆς μητέρος ὡς αἴξ. *Matris quippe vt capra.* Nam caprarum natura in-

ſtabilis, lubrica, atque mobilis admodum eſt, quare hœdus in caprilibus à matre tantùm dignoſci poteſt. Quod verò ſunt non illiterati viri, qui dicterium inde ſumptum putant, quod hirci ſuas fœmellas iniri ab alio facilè patiuntur, etiamſi coram ſpectauerint, vt quem notat Iuuenalis, cũ dixit: *Doctus & ad calices vigilãti ſtertere naſo.* aliter traditum ab Aeliano legimus (vt etiam ſupra retulimus) qui ſentire hircos riualitatis affectum teſtatur exemplo Crathis paſtoris, cuius dormientis cerebrum caper cornibus in eum incitatis eliſerit, propterea quod deprehenſus eſſet ab eo cum capella, quam amabat, Venerea copula miſceri, de quo vide Cœlium Rhodig. lib. 25. cap. 32. (proh pudor; hircum quadrupedem à capro bipede honeſtate vinci.)

Becchus vnde dictus.

Quod verò vulgus *Becchum* vocitet eiuſmodi notæ hominem, antiquiſſimam eſſe dictionem in Græcorum habetur commentarijs. Apud hiſtoricos enim legere eſt, Pſãmetichum Aegypti regem Phrygiorum antiquitatem, de qua magna inter Aegyptios & Phrygas erat contentio, in Aegyptiacis pueris humano omni conſortio inhibito educatis, eo argumento deprehendiſſe, quòd ex ſuapte natura *Bech*, pronunciarent, quę vox propriè caprarum & hircorum eſt, eoq; vocabulo Phryges panem appellarent. Roſtrum verò auium pleriſq; nunc Italię locis *Beccho* nũcupatur; quod non neſciuit Suetonius, agens de A. Vitellio, cui Toloſæ nato cognomen in pueritia Becco fuerat, id explicat gallinacei roſtrũ. Et *Becchare*, paſſim pro mordendo decerpere dicitur. Quaſi verò fuerint primitus homines à capris eruditi, naturaq; ipſa vocem enũciare docuerit, quæ ad alimoniam magis neceſſaria videretur, id honoris Phrygibus adiudicatum, vt antiquiſſimi omniũ haberentur: quaq; ratione balantes oues, & latrantes canes nos appellamus, eadem illi becchos hircos vocauere. Nec ſufficit petulanti plebeculę illos becchos appellaſſe, niſi eoſdem probroſo etiam ignominioſi epitheti conuicio proſcinderent, & *becchos cornutos*, ſeu cornigeros indigitarent, mõſtroſiſq; cornuum ſignis oſtenſis, ipſas voces exaſperarent.

Becchi cornuti conuicium probroſũ.

Sic Andronicus Imperator Conſtantinopolitanus, luxu & libidine perditus vir, cornua ceruorum, quos venatus erat, inſignia, & rari aliquid habentia in porticibus fori ſuſpendebat, ſpecie quidem oſtentandæ magnitudinis ferarum, quas cepiſſet, cùm reuera ciuitatis mores, & vxorum, quas ipſi corrumpebat, laſciuiam notaret; vt prodidit Nicetas lib. 2. de Imperio Andronici Comneni.

Cucurbita quis dicatur.

Inuenio prætereà vxoris adulterio infamem *Cucurbitam* dici; nam in legibus Longobardicis *Corbita*, pro ſtupro vel infamia vſurpatur. Hinc verbum Cucurbitare, quod dicitur de vaſallo, qui vxorem domini adulterat, vel ſaltem ad illud crimen ſolicitat. Sed ne illi hominum generi, quos vnquam Sol vidit miſerrimo, ſim acerbior, neue iam antè ſatis afflictis iſtis Bonis hominibus commentatione hac mea afflictionem addere videar, his dimiſſis ad cuculos redeo.

Cuculus p ineptο.

Scio enim nomen cuculi alio quoq; accipi ſenſu, vt pro inepto homine, rerumque imperito, vt apud Lycophronem Aiax κόκκυξ appellatur; ſicuti Meleager Glauconis filius *inſulſus cuculus*, κόκκυξ ἠλίθιος, apud Platonem Comicum. Et nos quoque hodie ſtolidis & ineptis voce *Cuccu*, inſultamus: quod (vt ego quidem reor) traductum eſt à luſu puerili, qui à Polluce dicitur Apodidraſcinda, Germanis, *Guggebergen*. vbi obſtructis vnius ex caterua oculis, cæteri in latebras ſeſe abdũt, quos dum ille veſtigat, ipſi ſubinde emiſſa voce *Cuccu*, ſigna dant, & quærentem quaſi imprudentiæ arguunt, quod proditos nequeat inuenire. Nunc ad veſpertiliones.

Veſpertilio.

EMBLEMA LXI.



ASSVMPSISSE ſuum volucri ex Mincide nomen,
Socraticum auctores Chærephoonta ferunt.
Fuſca viro facies, & ſtridens vocula, tali
Hunc hominem potuit commaculare nota.

COMMENTARII.

I. PINGE noctis tenebras, luce lunari nonnihil illuſtratas; in his volantem veſpertilionem, auem omnibus notam, vel ſi mauis, murem alatum, exprime.

II. SVMPTVM videtur Emblema ex Suida in dictione χαιρεφῶν. Fuit Chærephon Athenienſis, Socratis diſcipulus, qui tam pertinaciter libris incubuiſſe fertur, vt lucubrationibus nocturnis extenuatus, maximum palloꝛem maciemq́ue contraxerit, vt vulgari ioco Noctua, vel, vt alijs placet, Veſpertilio ſit vocitatus. Apud Ariſtophanem, in macilentum & pallore confectum petitur dicterium prouerbiale, οὐδὲν διοίσεις χαιρεφῶντος τῇ φύσει. *Nihil natura differs à Chærephonte.* Hic eſt ille Chærephon, vt ait Laertius in Socrate, cui Pythia de Socrate reddidit celebre illud oraculum: σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος Εὐριπίδης, ἀνδρῶν δὲ ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. id eſt *Sapiens quidem Sophocles, ſapientior Euripides, at mortalium omnium ſapientiſſimus Socrates.* Philoſtratus in præfat. vit. Sophiſtarum, duos fuiſſe eius nomi-

Chærephō Noctua dictus.

nis tradit, quorum alter Buxeus eſt cognominatus (vt πυξίνους Græci nominant, qui ſunt lurida cute, & texturę rarioris) quòd admodum pallidus eſſet; ille enim lucubratione nimia ſanguine laborabat: iſque eſt, qui cognomen habuit Noctuæ. Alter iniurius quidam homo fuit, impudentiſſimeque momordit, qui etiam Gorgię ſtudium taxare auſus ſit. Ex quorumdam, qui non extant, commẽtarijs Ælianus refert in 9.

Philetas. variæ hiſt. Philetam quendam Coum fuiſſe adeò macilentum, vt occaſione etiam leuiſſima ſubuerti poſſet: qui ne à ventis tolleretur, ferreis ſoleis vtebatur. Id tamen figmento ſimilius eſſe quis non videt ad iocandum?

III. *Mineides.* *VOLVCRI ex Mineide.*] Id eſt, veſpertilione. Mineides Thebanæ ſorores, cùm Liberi patris ſacrificia in contemptum raperent, Mineruæ lanificio adductæ, ex improuiſo, quadam vi numinis, vocibus tibiarum & tympanorum ſono perterritæ, telis inſtrumentiſq; ſuis in vites ac hederam repentè commutatis, omnique loco feris repleto, noctu fugientes, in veſpertiliones transformatæ ſunt. Hinc volucrem Mineidẽ pro veſpertilione dixit Alciatus. Quia vero typi opportunitas me huc inuitat, nihil verebor ipſum Ouidium, fabulam hãc elegantiſſimis verſibus, 4. libro Metamorph. exprimentem adducere, ſic enim ille canit:

Finis erat dictu: & adhuc Mineia proles
Vrget opus, ſpernitq; Deũ, feſtumq; pfanat:
Tympana cum ſubito non apparẽtia raucu
Obſtrepuere ſonu, & adunco tibia cornu,
Tinnulaq; æra ſonant, & olent myrrhaque crociq;
Resq; fide maior, cœpere vireſcere tela,
Inq; hederæ faciẽ pendens frõdeſcere veſtis.
Pars abit in vites, & quæ modò fila fuerũt,
Palmite mutãtur: de ſtamine pãpinus exit:
Purpura fulgorem pictis accommodat vuis.
Iamq; dies exactus erat, tempusq; ſubibat,
Quod tu nec tenebras, nec poſſes dicere lucẽ,
Sed cum luce tamen dubiæ confinia noctis.
Tecta repente quati, pinguesq; ardere videntur
Lampades, et rutilis collucent ignibus ædes,
Falſaq; ſæuarũ ſimulacra vlulare ferarũ.
Fumida iãdudum latitant p tecta ſorores,
Diuerſaq; locis ignes ac lumina vitant.
Dumq; petunt tenebras, paruos membrana per artus
Porrigitur, tenuesque includunt brachia penna.
Nec, qua perdiderint veterẽ ratione figurã,
Scire ſinũt tenebræ. nõ illas pluma leuauit,
Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis.
Conatæq; loqui, minimam pro corpore vocẽ
Emittũt, peraguntq; leui ſtridore querelas.
Tectaq; non ſiluas celebrant, lucẽq; peroſæ
Nocte volant, ſeroq; tenent à veſpere nomẽ.

Charephoonta] Lege Chęrephoonta per αι, non per οι. Additum autem eſt o, poeticè, nam dicendum erat Chærephonta. Eſt autẽ accuſatiuus Græcus in a, terminatus.

Fuſca viro facies] quod eſſet colore ſubnigro, & voce ſtridula. Eius quidem rei cauſſam referre non temerè poſſumus ad lucernarum fuliginem, qua lucubrantes inficiuntur. Quintilian. 11. cap. 3. Et vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibenda. Dicitur etiam *fuſca vox*, φαία φωνὴ, Polluci; huic opponitur canora. *Fuſca vox.*

Stridẽs vocula] propriè. Veſpertiliones enim ſtridere dicuntur, Græcè τρίζειν.

Commaculare nota] probro, conuicio, ignominia. Nota dicitur probrum, inquit Nonius, Lucillius lib. 30. *Nota.*

Qui ſcis ſcire tuas oẽs maculasq; notasq;.
Suetonius: Varijs affectus notis. Cicero pro Rabirio: Turpitudinis notis omnibus inſignis homo.

IV. *Sẽſus Emblematis.* QVANTVM conijcere licet, Emblema hoc non torquetur in pallorem, qui ex ſtudijs contrahitur, ſed in labes quaſdam corporis, quæ animi vitia produnt. Qui enim oculos habent ægros, aſſiduiſq; lucubrationibus propè iam perditos, non ideò ludibrio ſunt habendi; ſed potius qui veſpertilionis æmulati naturam, videntur aliquo modo tum vocem, tum vultum humanum exuiſſe in eo, quod in luce hominum verſari refugiunt. Sed de his proximo Emblemate latiùs.

Aliud

Aliud.

EMBLEMA LXII.



VESPERE quæ tantùm volitat, quæ lumine luſca eſt,
Quæ cùm alas geſtet, cætera muris habet;
Ad res diuerſas trahitur: mala nomina primùm
Signat, quæ latitant, indiciumq́ timent.
Inde & Philoſophos, qui dum cœleſtia quærunt,
Caligant oculis, falſaq́ ſola vident.
Tandem & verſutos, cùm clam ſectentur vtrumque,
Acquirunt neutra qui ſibi parte fidem.

COMMENTARII.

I. PICTVRA eadem huc quadrat, quæ ſuperiori Emblemate fuit expreſſa, nempe Veſpertilionis.

II. *Emblematu argumentū.* CONFICTVM ex multiplici acceptione vocabuli Veſpertilionis, quod ad varias res torquere ſolent eruditi. Primò, in debitores, qui ne in iudicium pertrahantur, & æs alienum cogantur exſoluere, ad modum veſpertilionum lumen fugiunt, & in medijs noctis tenebris, & per amica ſilentia Lunæ volitant. Conuertitur etiam in tenebriones quoſdam, qui ſapientiam eã profiteri ſe fingunt, à qua ſunt alieniſſimi, ſimulant enim quod non ſunt; nec ſecus

ac

ac volucres hæ plumarum loco membranas in aere motãt, muribus non abſimiles: ita hi naturæ aut rerum obſcurarum arcana rimantur, ſed irrito conatu. Denique in verſipelles, & ſubdolos quoſdam dicitur, qui nulli factioni ſe addicunt, ſed cum vtraq; parte colludunt: qui tamen cum ſoleant omnibus imponere, omnibus etiam ſuſpecti ſunt & inuiſi. Sed pro hoc & priori Emblemate perlege ipſius Alciati caput integrum 16. libri 9. Parerg. qui locus egregie tibi iſta declarat.

III. *Veſpertilio.* *VESPERE quæ tantum volitat*] Veſpertilio, volucre, biforme animal, à veſpere nomen trahens, quòd veſperi volitet, de quo Plin c. 61. lib. 10. & cap. 37. lib. 11. Legi alicubi tetraſtichon hoc, naturam veſpertilionis exprimens:

Vt quadrupes & auis volitat, diſcurrit, & inter
Quadrupedes non eſt, nec numerandus aues:
Lacte ſuos nutrit pullos, & non parit ouum:
Sunt alæ, dentes, labra, pedeſq; duo.

Idem ipſe de ſe ſic:

Eſt mihi de ſero deductum veſpere nomen;
Ala mihi cutea eſt; plumaque mollis abeſt.
Sola auiũ pario, ſoli vbera lacte tumeſcũt
Aſpera ſunt ſoli dentibus ora mihi.

Vel aliter:

Nec mus prorſus ego, volucris nec glorior eſſe,
Sola meo fœtum nutrio lacte meum.

Aduerte autem illud (*Veſpere quæ tantum volitat*) referri ad primum genus hominum, quos attigimus, eorum nempè, qui infames ſunt, & iudicium formidant.

Luſcus. *Quæ lumine luſca eſt.*] Membrum hoc refertur ad caligantes Philoſophos. Luſcũ autem ponit pro luſcioſo ſeu luſcitioſo; ſiquidem luſcus ille eſt, qui altero oculo captus eſt, qui etiam monoculus, & cocles dicitur. Martial.

Oculo Philænis ſemper altero plorat:
Quo fiat iſtud quæris modo? luſca eſt.

Luſcioſi & Luſcitioſi. Luſcioſi verò ſunt, qui ad lucernam non vident, & μύωπες vocantur à Græcis. Luſcitioſi demum Feſto ſunt, qui parum vident propter vitium oculorum, quique plus veſperi vident quam meridie: quo morbo laboraſſe Tiberium, Dio ſcribit: & Suetonius eundem etiam noctu in tenebris vidiſſe refert. Vlpianus verò Luſcitioſum dici putat, vbi homo lumine adhibito nihil videt; cui & Nonius adſtipulatur, & Varro. Plautus Milite:

Mirum eſt, lolio victitare te, tã vili tritico,
Quid iam? Quia luſcitioſus. Verbero, edepol tu quidem
Cæcus, non luſcitioſus.

Dicunt enim, quod lolium comedentibus oculi obſcurentur. Vide prouerbium, *Lolio victitant.*

Quæ cum alas.] Hęc pars ad poſteriores reſpicit, nempè verſutos & infidos, qui de ſe poſſunt, quod eſt apud Varron. in Agathone, profiteri:

Quid multa? factus ſum veſpertilio, neque
In muribus planè, neq; in volucribus ſũ.

Nomina pro debitoribus. *Mala nomina*] id eſt, debitores, qui non ſunt ſoluendo. Nomina, inquit Budæus, pro debitoribus ponuntur, vel pro ſyngraphis pecuniarum creditarum. Inde illud prouerbiale apud Columellã lib. 1 c. 7. Vel optima nomina nõ appellando fieri mala, fœnerator Alphius dixiſſe veriſſimè fertur: id eſt: quamuis locupletes habeas debitores, tamen ſi diu ipſis iudicium non dictaueris, vſuraſq; non petieris, mala tandem fieri, id eſt, ipſos tandem non ſoluendo tanto æri alieno fieri: ſicq; inanem tandem perſecutionem, & nomina ipſa caſſa factum iri. Hæc Budæus.

Inde & Philoſophos]. Confer huc Plutarchum de placitis Philoſophorum, M. Tullium de natura Deorum 2. Ariſtophan ἐν νεφέλαις. Lucianum paſſim, Iuſtinum Martyrem aduerſus Ariſtotelis dogmata, & alios ſanè multos, qui ſapientum veterum cæcitatem ſtilo confoderunt. Vide ſis Gratianum, c. hinc etiam, 49. diſt. 1

Caligant oculis] caliginem inducunt, obſcurant. Vnde oculorum caligo.

Falſaq; ſola vident] Sic faſſus eſt Cicero 2. de natura Deor. ſe facilius quid falſum ſit, videre, quàm verum agnoſcere.

Verſuti. *Tandem & verſutos.*] hoc eſt, ἀλλοπροσάλλους, qui tanquam beſtiæ generis communis vel epicœni oberrant, deſultoria leuitate infames, infidi, veteratores, Vertumno, Proteo, aut Empuſa mutabiliores, quos neque vt prehendas, neque vt mittas, ſcias. Verſutos Nonius vocat ad malitiam callidos, vt de Catilina Cicero pro Cęlio: Verſare ſuam naturam, & tegere ad tempus, atq; huc & illuc torquere & flectere. Idẽ Cicero 3. de nat. Deor. Verſutos eos appello

ſo, quorum mẽs celeriter verſatur. Feſtus: Verſuti dicuntur quorum mẽs crebrò, ad malitiam vertitur. Plautus Epidico:

Verſutior es quàm rota figularis.

Ita Suidas: γιγγλύμου πολυστροφώτερος, *cardine verſatilior.*

IV. Qvanqvam veſpertilionis nomen ad multa traduci poſſit, ſpeciatim tamen triplici hominum generi accommodat Alciatus.

Mala nomina. 1. Primò Veſpertiliones ij appellantur, qui ob malam famam, vel aliquam capitis diminutionem, domi ſe continent, neq; in publicum prodire audent: hi quidem lucifugę à Seneca & Apuleio appellati. Vel qui ęre alieno grauati noctu tantum prodeunt, ne à creditoribus offendãtur, & in ius quo quo modo vocentur, vt indicat Alciatus de rerum ſignific. Itali de ijs dicunt, *E' pipiſtrello.* Quod ab Aeſopi notiſſima fabella tractum, de veſpertilione, mergo, & rubo, nauticam ſocietatem contrahentibus. Vide adagium, *Veſpertilio.*

Philoſophi cæci. 2. Deinde õuertitur id nominis in quoſdam rigidos Philoſophię ſatellites, qui omnino cæcutiunt, dum ea, quæ ſunt abſtruſa prorſus atq; abdita ſcrutantur, ac rerum cœleſtium naturam inquirunt, quæ à nobis longè remotæ, neq; oculis intueri, neq; tangi manu, neq; percipi ſenſibus poſſunt: & tamen ſic de his diſputare auſi ſunt, vt quæ aſſeruerunt, probata certaq; videri velint. At profectò longè ſecus habendum nobis eſt. Illi enim dum contradicendi prurigine inſaniunt, dum etiam quæ falſa ſunt proferunt, arctè & accuratè defendunt, aliorumq; argumenta, quanquam vera, refutant audacius, non tantùm illis elapſa veritas eſt, quam ſe quęrere ſimulant, ſed ipſi eam, ſi quam tandem reperire magno ſtudio potuerunt, vel imminuunt, vel etiam labefactant. *Similes ſunt noctuæ oculis*, aiebat Bias, *qui ſapientiæ inani dant operam; illius enim oculi noctu quidem vim ſuam habent, ſole orto caligant: eodem modo eorum mens ad res vanas perſpiciẽdas acutiſſima eſt, ad veri aũt luminis obtuſa*, hoc eſt: ἐοίκασι τοῖς ὄμμασι τῆς γλαυκὸς οἱ περὶ τὴν ματαίαν σοφίαν ἠσχοληκότες· καὶ γὰρ ἐκείνης αἱ ὄψεις νυκτὸς μὲν ἐρρῶνται, ἡλίου δὲ λάμψαντος ἀμαυροῦνται· ὡς δεινοί, πρὸς δὲ τὴν τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς κατανόησιν ἐξαμαυροῦνται. Facit huc Varronis illud Eudæmonibus: Poſtremò, nemo ęgrotus quiſquam ſomniat, nec tam infandum, quod non aliquis ſomniat philoſophus. Socrates cùm eſſet omnium Philoſophorum vel Apollinis oraculo ſapientiſſimus iudicatus, tamẽ vt cęterorum argueret ignorantiam, dicebat ſe duntaxat hoc vnum ſcire, quod nihil ſciret. Videbat enim oculatiſſimus ille veritatis indagator, Philoſophiam illam humanam nihil in ſe habere certi, nihil veri: nec (vt plerique cenſent) doctrinam ipſam diſſimulauit, vt alios refelleret, ſed quadam ex parte veritatem nouit: humanam enim ſapientiam nullam eſſe falſus eſt, adeoque quam Philoſophi ſcientiam profitebantur, quæ tum maximè verſabatur in ſiderum inſpectione, contempſit, deriſit, abiecit.

3. Poſtremò nomen hoc traducitur in callidos & verſipelles ancipitis fidei homines, qui nec huius ordinis ſunt, nec illius, cum vtroq; tamen colluſunt, & plerumq; tanta dexteritate res agunt ſuas, vt cum vtraque parte communicandi ius habere videãtur, & vtramq; (vbi collibuerit) conuicijs proſcindere: cumq; aliud temporis exiget occaſio, eandem probabunt, præque altera efferent. Genus hominum certè vt verſatile & infidum, ſic deteſtandum maximè & exſecrandum. Quid enim cum illis agas, qui neq; fidem, neque mentem habent ſibi conſtantem? Non dubium eſt, quin alios, cum quibus verſantur, fallant, cùm ſeſe ipſi prius fefellerint. Si enim veritatis eſſent aliqua tandem parte ſtudioſi, darent operam profectò, vt ſocietatem cum melioribus & ſapientib. inirent, iiſq; adhærerent, contrarios verò fugerent, & ſeriò, non perfunctoriè aut oſcitanter, & quaſi aliud agẽtes, aduerſarentur. Sed quid lucri, aut præmij deniq; conſequuntur? nimirùm quod mendaces atq; impoſtores, quibus non credatur, etiamſi vera dixerint: ſed & illud adijcitur, quòd vtriq; parti ſuſpecti & odioſi apud omnes turpiſſima infamiæ labe aſperguntur. Vtrinq; enim proditorum habentur loco, quibusque neutra pars ex animo fauere poſſit: quo fit, vt qui factionis vtriuſque ſibi contrariæ conuictores & aſſeclæ voluerint haberi, non rarò ab vtraq; conficiantur & atterãtur, vt Metius Suffetius Albanorum dux, ancipitis & dubiæ fidei homo, ruptor Albani, Romanique fœderis, cuius alio loco memini: vt fuerunt in bello Italico Senenſes, in quo cùm ſe medios *Verſipelles.*

gere-

gererent in neutram partium inclinatos, ſedato tandem bello a diuiſis militibus confoſſi ſunt. Vnde feſtiuè dixit quidam magni nominis Princeps, Senenſibus idem accidiſſe, quod ijs ſolet, qui mediam domus partem incolunt, vt fumo ab inferioribus, puluere autem & ſtrepitu vexentur ab ijs, qui ſupernas partes teneant. Sapienter itaque à Solone ſancitum eſt, vt qui in ciuili diſcordia & populi diſceſſione duas in partes, non vni aut alteri ſe adiunxiſſet, ſed ſolitarius, neuterque à communi malo ciuitatis seceſſiſſet, is domo, patria, fortuniſq; omnibus priuaretur, & exul extorriſq; eſſet; quod non inflammandæ aut augendæ diſcordiæ, ſed compeſcendæ potiùs, aut etiam extinguendę gratia decretum eſt. Idẽ Phauorinus Philoſophus inter fratres & amicos diſſidentes faciendum eſſe cenſebat, vt qui eſſent in medio partis vtriuſq; beneuoli, ſi in concordia amittenda parum auctoritatis quaſi amici ambigui habuiſſent, tum alter in alteram partem diſcederet, vt hac via concordiam vtriuſq; inſtaurarent. Eo conſilio Cicero actionibus in Catilinam vult in fronte, nedum in animo inſcriptum eſſe quibuſcunque ciuibus, vt omnes apertè fateantur, quid de bello tam nefario & periculoſo ſentiãt. Orus Apollo, Hominem, inquit, imbecillẽ ἢ προπετευόμενον, id eſt, leuem ac temerarium ſignificare volentes, veſpertilionem pingunt. Hæc enim auis cum pennas non habeat, volat tamen. Hunc alluſit Politianus in quadam epiſtola: Dum nec mures planè, nec aues ſumus, vtriſq; tamen nos probare tentamus. Sed ad alia feſtinandum, ſi prius monuero, Heſychium dixiſſe, veſpertilionem impurum hominem, quique in ambiguo ponat ea, quæ fidei ſunt, repræſentare: Veſpertilio enim vtrum ales an muſculus ſit, ambiguum eſt, cùm ipſemet in fabulis perſuadeat gallo ſe eſſe murem, cato verò alitem. Volat quidem non pennis, ſed membranulis innixus, neq; pluma, ſed pilo, eoq; murino veſtitur. Ita homines plerique volatu qualicumq; præditi, ſacroſancto Baptiſmatis fonte tantùm abluti, apud Catholicos Chriſtum fatentur, Petrum Eccleſiæ ſpecificè præpoſuiſſe apud hæreticos impudenter delirant atq; prçuarican tur, apud Iudæos Chriſtum rident, apud Mahumetanos tam Iudęos quàm Chriſtianos inceſſunt. Impuriſſimum hominum genus, nõ modò veſpertilionibus perquam ſimile, ſed cui meritò ἀπὸ τοῦ μιαραίνεσθαι nomẽ inditum ſit, abominabile id quidem & omnibus abhorrendum. Pierius lib. 25. Hieroglyph. Ex hac fæce fuit Ecebolius Conſtantinopolitanus Sophiſta, de quo Socrates libro 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſt. cap. 13. & Suidas, mentionem faciunt, qui cum Imperatorum ingenijs ſe accommodaret, vehementer Chriſtianum eſſe palliato fuco ſimulauerat: ſub Iuliano vero Apoſtata tempori inſeruiens truculentus Gentilis apparuit; ac rurſus poſt Iulianum Chriſtianus eſſe voluit. Etenim ante portam oratorij ſe ipſum pronum in terram proijciens, clamauit: Calcate me, ſalem inſipidum. Ad hunc modum leuis & mobilis Ecebolius & ante & poſt Iulianum fuit. Sed hi Vertumni cui non iuſtam moueant iram? Ergo directò ad Iram.

Solonis lex.

Veſpertilionis ſymbolum.

Ecebolius Conſtantinopolitanus.

Ira

Ira.

EMBLEMA LXIII.



ALCAEAM veteres caudam dixere leonis,
Qua ſtimulante iras concipit ille graues.
Lutea cùm ſurgit bilis, crudeſcit & atro
Felle dolor, furias excitat indomitas.

COMMENTARII.

I. LEO, horrendum animal, à venatoribus inſequentibus actus, irruentium & latrantium canum turbę ſe opponit, cauda erecta latera flagellans, oculis, ore, ac toto corporis habitu furorem præ ſe ferens.

II. ID è ſcholiaſte Apollonij Rhodij ad lib 4. *ἀλκαίη λέγεται κυρίως ἡ τοῦ λέοντος οὐρά, ἀπὸ δ' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι: Alcaa dicitur præcipuè leonis cauda, qua nimirum ad robur & fortitudinem excitatur.* Reliqua apud eundem require. Impotentem & indomitum furorem ſignificantes Aegyptij, leonem catulos cauda flagellantem pingebāt: leonem quidem ob iram, catulos verò cæſos, quoniam eorum oſſa inter ſe colliſa ignem videntur emittere. Plinius 8. lib cap. 16. leonis irati ſigna colligens, ait: Leonum animi index cauda, ſicut & æquorum aures. Namq; & has notas generoſiſſimo cuiq; natura tribuit. Immota ergo placidus, clemens, blandientiq; ſimilis, quod rarum eſt: crebrior enim iracundia eius. In principio terra verberatur, incremento terga, ceu quodam incitamento

to, flagellantur, &c. ex quibus colligere eſt facile, quantus ſit leonis concitati furor. Ælianus 5. hiſtor. animal. c. 39. idem quod Plinius: deq; alcæa cauda videtur idem penè quod Alciatus efferre lib. 13. cap. 14. eiuſdem hiſt. anim. Cœlius Rhodig. lib. 13. cap. 8. Quoniam verò, inquit, Plinius ſcribit, leonem conuerberando ſe cauda, ſtimulandoq; in prælium excitari; ſciendum eſt, ex hoc facto dici eam ab eruditiſſimis Alcæam. ἀπὸ τοῦ δι' αὐτῆς εἰς ἀλκὴν τρέπεσθαι, quod eius incitamēto ad fortitudinē exuſcitetur. Plutarchus in libello de vita Homeri, loquens de leone ſic ait:

Leonis cauda cur alcæa.

οὐρῇ μὲν πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν
μαστίεται. hoc eſt:

Cauda latera & coſtas vtrinq; flagellat.

Eſt autem verſiculus Homericus. Vide Orum Apollinem lib. 1. & 2. Nicolaus Leonicenus in ſuis quæſtionibus naturalibus duas reddit cauſas, cur leo moueat in iracundia caudam. Inquit enim: Cur leones in iracundia terga ſua cauda flagellant? An quia leonum animi index eſt cauda? & reliqua Plinij verba. An quod iracundia, accenſo circa præcordia calore prouenire dicitur? calidi autem eſt mouere cum omnia, tum ea magis & crebriùs, quæ mobiliora exiſtunt, qualis ſanè in animantibus omnibus eſt cauda. A quo non diſſentit Lucretius, his verſibus:

Cur leo in ira caudam moueat.

Sed calidi plus eſt illis, quibus acria corda,
Iracundaq; mens, facilè efferueſcit in ira;
Quo genere in primis vis eſt violēta leonū,
Pectora qui fremitu rumpunt plerunq; gementes,
Nec capere irarū fluctus in pectore poſſunt.

Superius verò, cum de varietate animi loqueretur, dixerat:

Eſt etiam calor ille animo, quē ſumit in ira
Cùm ferueſcit, & ex oculis micat acrius ardor.

Alexander Aphrodiſeus hanc cauſam reddit, quod eorum anima vehementius moueatur, ſitq; vltionis admodum appetens; cauda verò vtatur veluti homines manu, qua illi ſe plerunq; in excandeſcentia complodere ſolent. Leo porrò, vbi ira feruidus, ac turba canum circumuallatus, defixis in terram oculis, conſurgit in prælium, dicitur σκύζειν. Heſiodus in fine ſui clypei:

σκύζειν quid.

Δεινὸν ὁρῶν ὀφθαλμοῖσι, λέων ὣς σώματι κύρσας,
Ὅς τε μάλ' ἐνδυκέως ῥινὸν κρατεροῖς ὀνύχεσσι
Σχίσσας, ὅττι τάχιστα μελίφρονα θυμὸν ἀπηύρα,
Ἐμμενέως δ' ἄρα τοῦγε κελαινὸν πίμπλαται ἦτορ. id eſt:

Sæuum videns oculis, vt quando nactus leo corpus,
Quiq; alacriter admodum vnguibus ſæuis pelle
Diſſecta, q̄ citiſſimè lenē animum abſtulit:
Alacriter adhac furibundum cor explet.

Sed huc propiùs accedit Lucani pulchra deſcriptio è lib. 1. quo loco Cæſarem cum leone furibundo comparat:

Aeſtiferæ Libyes viſo leo cominus hoſte,
Subſedit dubius, totam dum colligit iram.
Mox vbi ſe ſæua ſtimulauit verbere cauda,
Erexitq́ue iubas, vaſto & graue murmur hiatu
Infremuit, dum torta leuis ſi lancea Mauri
Hæreat, aut latū ſubeant venabula pectus,
Per ferrum tanti ſecurus vulneris exit.

Horatius quo loco verba facit de excandeſcentia, peritè dixit, Promethea inſani leonis vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro. Vide de leone plura huc facientia apud Cœl. Rhodigin. lib. 13. cap. 8. ſup. cit. & Pierium Valer. lib. 1. Hieroglyph.

III. *Cauda alcæa.*

ALCÆAM veteres caudam &c.] Teſtes ſunt auctores iam citati, qui huius nominis cauſam aſſignāt. Callimachus etiam in muſca alcæam abſurdè poſuit. In Lexico Comico: Non in leone ſolùm intelligitur alcæa, ſed in equo item & boue, & id genus alijs, quæ vtuntur cauda vt adiutorio: Vnde caudam Græci vocant οὐρὰ, διὰ τὸ ὀρίνειν ἑαυτὰ τὰ ζῶα τῇ οὐρᾷ quia ea parte ſe concitent animalia, vt leo, taurus, canis.

Qua ſtimulante] qua ſe mouente, erigente, & quaſi ſpineſcente, lateraq; flagellante. Sic Lucan.

Mox vbi ſe ſæua ſtimulauit verbere cauda.

Bilis qd.

Lutea cum ſurgit bilis.] Bilis Græcè χολὴ, omnis humor eſt in nobis calidus ſiccus. Duplex primùm ſtatuitur, naturalis vna, quæ ſimplici nomine bilis appellatur, eſtq́ue vtilis ad alendum corpus: Alia verò eſt quæ recedit à naturæ mediocritate, additoque nomine vitium deſignante ſolet appellari, eſtq; in multiplici differentia: alia enim rubra, alia glaſtea, alia nigra, flaua alia, liquida, aquoſa, fuſca, &c. puto hic intelligi glaſteam, quæ ἰσατώδης glaſtum colore

colore cæſio refert, eam medici faciunt acerrimam, calidiſſimam, mordaciſſimam, quæq; extremam inter bilis genera malignitatem obtineat, in ventriculo & circa ipſum gignitur à calore vehementiſſimo. Præter Galeni commentarios ea de re plura perdoctè diſputat Fernellus De functionibus & humoribus lib. 2.c.3.& 9.

Crudeſcit.] Crudus fit, commouetur, excitatur. Sic ferè Curtius lib. 7. initio, Recruduit ſoporatus dolor.

Atro felle] Fel, iræ folliculus, quę hominem pro ſui conditione commutare ſolet. Cicero 3. Tuſcul. Græci volunt illi quidē, ſed parum valent verbo, quem nos furorem, μελαγχολίαν ipſi vocant: quaſi vero atra bili ſolum mens, ac non ſæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur.

Furias excitat indomitas.] Philemon Comicus,

Iræ furor breuis.

μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζόμεθα.
τὸ γὰρ κατασχεῖν ἐςὶ τῆς ὀργῆς πόνος.
Inſanimus omnes cum iraſcimur.
Ira enim difficillimè refrænatur.

Et Tuſculanarum 4. Cicero: An quicquam eſt ſimilius inſaniæ quàm ira? quàm bene Ennius iram initium dixit inſanię? & furiarum tædas ardentes dixit in Paradoxis aduerſus Clodium.

Iracūdiæ gradus. Verbum Græcum θύμος, animum vehementem ſonat, de quo hic, à θύομαι, *cum impetu feror*. At nihil aliud inſania eſt, quàm ira, vel audacia nimia, aut ſine ratione pericula ſuſcipere. ὀργὴ leuius quiddam eſt, & cupiditas vlciſcēdi, παρὰ τὸ ὀρέγειν, *appetere, cōcupiſcere*. at μῆνις, grauius quid & vehementius, vbi cupiditatem factum comitatur, ita vt à μενύειν duci videatur.

IV. *Iræ cohibenda.* ADMONEMVR iræ impetum cohibendum eſſe, omneſque occaſiones deuitandas, quòd ea perturbatio ſic hominem extra ſe deijciat, vt in belluam ferociſſimā quaſi transformet. Hæc vbi ſemel erupit & laxauit fræna furori, impotens eſt, nec

Irati deſcriptio. ſui capax: in voce rabies, in oculis, in vultu, in inceſſu; præceps fertur, non vadit: glomerat verba & abrumpit laborante ſpiritu, hiulca, interciſa, præpoſtera: ſpumat lingua vt ſolet cani venatico, tument buccæ, crepant dentes, igneſcunt lumina & fulminant, tremunt pedes, rotantur brachia, aſſultu rapitur vt ceruus traiectus glande, ſurſum deorſum curſitat, minatur, ſternit, peſſundat, mactat quidquid obuium. M. Tullius 1. de Officijs: Licet ora ipſa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti ſunt, aut voluptate nimia geſtiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, ſtatuſque mutantur. Lactātius de ira Dei, cap. 5. Cùm in animum cuiuſdam incidit velut ſęua tempeſtas, tantos excitat fluctus, vt ſtatum mentis immutet, ardeſcant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alterius vultum maculet nunc ſuffuſus rubor, nunc pallor albeſcens, &c. Sic Ouidius 3. de Arte:

Pertinet ad faciē rabidos cōponere mores:
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigreſcunt ſanguine venæ,
Lumina Gorgoneo ſæuius angue micant.

Itaq; ſummè nobis elaborandum eſt in ira domanda, vel ſaltem ſic compeſcenda & continenda, ne nobis poſſit vllum adferre nocumentum: hanc enim qui vicerit, hoſtem ſe viciſſe omnium maximum & pernicioſiſſimum dicere non iniuria poteſt. Pertinet huc Tullij 3. Tuſcul. His perturbationibus, quas in vita hominum ſtultitia quaſi quaſdam immittit furias, atq; incitat, omnibus viribus, atq; ope repugnandum eſt, ſi volumus hoc quod datum eſt vitę tranquillè placideq; traducere. Quod ex Græco Menandri ſumptum videtur, qui ait:

Ζήσεις βίον κράτιςον ἂν θυμοῦ κρατῇς.
Viues beatè vacuus iracundia.

Salluſt. Iugurtha: Cupido & ira peſſimi conſultores. Quædam leguntur apud Hebræum Parœmiaſten, Prouerb. 22. Noli amicus eſſe iracundo, neq; ſtude furioſo, ne diſcas mores eius, & capias animę tuæ ſcandalum. Idem c. 22. Graue eſt ſaxū & oneroſum, ſed ira ſtulti grauior. Et Eccleſiaſtici 28. Certamen feſtinantium lites incēdit; ſi ſufflaueris, quaſi ignis ardebit: ſi expueris, extinguetur. Ennius iram initium dixit inſaniæ: cùm pleriſque nimis illam ſequentibus finis & inſaniæ ſit & vitæ. Siquidem hæc etiam peſtis etſi ſæpe alios, ſemper tamē prius poſſeſſorem ſuum torquet & cruciat, vt mirer, vnde quibuſdam videri potuerit huic neſcio quid melle dulcius ineſſe. Habet fortaſſe vltio dulce aliquid efferum, inhumanum; ira nihil niſi amarū habet. Mordicus ergo Ciceronianum illud tenendum eſt: Ira procul abſit, cum qua nihil

hil rectè fieri, nihil conſiderate poteſt. Inter laudatur Architæ Tarentini dictum, & Platonis amici ſui factū, quorum primus, dum ſe ſtudijs dedito poſſeſſiones ſuas culpa villici deſtructas aſpiceret, in eum verſus: Sumerem, inquit, ex te debitas pœnas, niſi tibi iratus eſſem. Alter iratus ſeruo nō impunem dimiſit, vt Architas, ſed amico commiſit, vt ſupplicium exigeret, veritus ne ſe iræ impetus, quo non deceret, impelleret. Hæc, horumq; ſimilia frænare iram debent, ne ſequaces ſuos, vt ſolita eſt, in infamiam clademq; præcipitet. Id quod Alexandro Macedoni, totiùs penè Orientis victori, contigit, qui ſubita quadam ira correptus, Clytum nutricis ſuę filium (à quo fuerat ad Granicum amnem ſeruatus) interfecit; quemque prouinciæ præfecerat, conuiuio admouerat, multiſq; honoribus, vt amiciſſimum, donauerat, impetu neſcio quo inflammatus ferro traiecit. At paulò poſt cùm ad ſe redijſſet, ereptum telum ex Clyti vulnere in ſeipſum doloris impatientia vertebat, niſi ſuorum manibus fuiſſet prohibitus. Sic & Mahometes Othomanus, cum duos cucumeres in horto pubeſcentes foris rediens decerptos inueniſſet, protinus duos iuuenes ſibi charos, eleganti forma præditos (quos ad vſum nefariæ libidinis domi enutriebat) ſe decerpſiſſe negantes, traiecit gladio. Hinc non immeritò Menander:

Architas & Plato.

Ira percitus Alexander amicū interfecit.

Mahometes Othomanus.

Ὀργὴ δὲ πολλὰ δρᾷν ἀναγκάζει κακά.

Mala perpetrare cogit ira plurima.

Ariſtoteles dicebat, perinde atq; fumus oculos & aſpectum conturbat, vt neque ea nobis videndi poteſtas fiat, quę ſunt ante pedes: ita oborta ira rationi caligo ſuffunditur, vt ſe delinquere nulla cogitatione deprehendere poſſit. Vnde plerumq; facta ex ira ſequitur pœnitentia. Quod innuit Horatius lib. 1. Epiſt. dum canit:

——Qui non moderabitur iræ,
Infectum volet eſſe dolor quod ſuaſerit & mens,
Dum pœnas odio per vim feſtinat inulto.

Sapuit Syrus ille Terentianus, qui ſe coniijcit in angulum, edormiturus quod biberat villum: at ira minus eſt ſui cōpos quā ebrietas. Democritus ad Lacedæmonium flagris in ſeruum ſęuientem: Deſine, inquit, te ſeruo tuo ſimilem oſtendere. Nam ſeruus eſt qui ſuis cupiditatibus imperare nō poteſt. Hinc Cotys Thracum Rex, natura celer ad iram, ſæuusque caſtigator eorum, qui in miniſterio deliquiſſent: igitur naturæ ſuæ morbum agnoſcens, vitio materiam præripuit. Nam cum quidam ad illum detuliſſet vaſcula fragilia tenuiaq; ſcitè tamen & curioſè elaborata, is quidem hoſpiti munera dedit, cæterum vaſcula omnia confregit. Demirantibus cur id faceret: Ne, inquit, ſæuiam in eos, qui erāt fracturi. Hoc moderationis exemplum ex *bello furioſa Thrace* (vt canit Horatius) habeto. Noſtrorum temporum heri famulos ſuos diris, exitijs, crucibus, execrationibus furioſo ore imprecatis caſtigant: Vnde quidem miniſter cum domino ad irā & maledicta procliui pactus, ne poſthac mille peſtes, aut totidem cacodæmones in hominum cœtu ſibi imprecaretur, ſed mille potius aureos; facilè enim tum ſibi futurum, vt clam ſecum domini expendat voluntatem. Non ita multò poſt herus ira percitus, in copioſa frequentia hominum mille aureos famulo imprecatur. At hic illi rurſus decem mille. Quæ res ita concitauit ad amarulentiam herum, vt iam diras, exitia, & quidquid vſpiam eſt malarum execrationum, intonaret. Qui aderāt litis componendæ ſtudio, dominum orant, ne ſæuiat, neve in deteriorem partem dicta famuli interpretetur, cum nemo ſit ex ijs, qui non verum eſſe velit, quod ille optauit. Verum vos quidem dicitis, ait, atqui alia hæc eſt moneta, de qua clam inter me & famulum conuenit, eam vos non cognoſcitis. Qui plura Emblema hoc explicantia deſiderat, euoluat totum Plutarchi librum de ira cohibenda, & Valer. Max. lib. 9. cap. 3.

Cotys Rex.

Facet.

In eum

In eum qui ſibi damnum apparat.

EMBLEMA LXIV.



CAPRA lupum non ſponte meo nunc vbere lacto,
Quod malè paſtoris prouida cura iubet.
Creuerit ille ſimul, mea me poſt vbera paſcet:
Improbitas nullo flectitur obſequio.

COMMENTARII.

I. CAPRA vberibus lacte diſtentis lupi catulum lactentem lactat, & in ſuam perniciem hoſtem nutrit.

II. Ex lib. 1. Epigrammatum Græcorum, tit. εἰς εὐχαρίστους καὶ ἀχαρίστους, auctoris incerti, quod eſt huiuſmodi:

Epigramma. Τὸν λύκον ἐξ ἰδίων μαζῶν τρέφω οὐκ ἐθέλουσα,
Ἀλλά μ' ἀναγκάζει ποιμένος ἀφροσύνη.
Αὐξηθεὶς δ' ὑπ' ἐμοῦ, κατ' ἐμοῦ πάλι θηρίον ἔσται·
Ἡ χάρις ἀλλάξαι τὴν φύσιν οὐ δύναται.

„ *Capra lupũ lacto mammis inuita, ſed illud*
Paſtoris cogit mens malè cauta mei.
Nutritus per me tandem fera ſæuiet in me:
Vertere naturam gratia nulla poteſt.

Lupum proprijs vberibus nutrio inuita,
Sed [ad id] me cogit paſtoris imprudentia:
Qui vbi creuerit ex me, contra me rurſum fera erit:
Gratia mutare naturam non poteſt. „

Lacto lupi catulum mãmis inuita capella,
Quæ me paſtoris cura coegit iners.
Poſtquam creuerit ille ex me, malè ſaniet in me:
Naturam mutat gratia nulla malam.
Chiliadum autor ſic vertit:
Lacto lupum vberibus proprijs, non ſponte, ſed horſum
Me demens adigit paſtor, vt id faciam.
In me rurſus erit fera, poſtquam creuerit ex me:
Natura haud vnquam vertitur officijs.
Videtur conſictum hoc Epigramma ex Theocrito, apud quem eſt eiuſdem argumenti apologus.

III. *MALE paſtoris prouida cura*] ποιμένος ἀφροσύνη.

Iubet] Permittit, ſinit, Græcum habet ἀναγκάζει, cogit.

Creuerit ille ſimul] Poſtquam adoleuerit. Simul. Ponitur autem ſimul pro vbi, vel poſtquã. Sic Liuius 6. Belli Punici: Qui ſimul in poteſtate veſtra erũt, extemplò omnia, quæ nunc ſub Carthaginenſibus ſunt, in ditionem tradent.

Mea me poſt vbera paſcet] id eſt, poſtquam meis vberibus enutritus fuerit, me deinde ipſam paſcendo abſumet. Eſt autem Paſco. verbum *paſco*, hoc loco neutri generis, & veſci, vel comedere ſignificat. Sic Virgil.
——*Paſcentes ſeruabit Tityrus hædos.*
Aliàs quoq; actiuum eſt, & ſignificat alteri cibum prębere, nutrire, vel etiam paſcentem obſeruare. Cicero 1. de Diuin. Qui cũ propter paupertatem ſues puer paſceret.

Improbitas nullo &c.] Idem ſonat penè Publianus ille mimus:
Maleuolus ſemper ſua natura veſcitur.
id eſt: nullo beneficio ingrati animus mutatur. Conſonat quoq; cum Socratis dicto: κακοὺς ποιῶν εὖ, θρέψαι λύκους. hoc eſt: *Malis faciens bene, nutrit lupos.* Hiſpani dicunt: *Cria el cueruo, ſacarte ha el oio.* Huc refer adagia, *Lupus pilum mutat, non animum.* &, *Colubrum in ſinu fouere* &, *Aries nutricationis mercedem perſoluit.* Occurrit opportunè illud Theocriti Eidyll. Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥς τυ φάγωντι. *Ale & fætus lupi, ale canes, vt te abſumant.* Sic autem Scholiaſtes, ἐκτρέφειν αὐτὸς καὶ λύκων ἐκγόνους. καὶ κύνας, ἐπὶ τῷ λυμῆναι τῷ αὐτῷ. ὡς κἀγὼ τοῦτον ἐδίδαξα ἐπὶ ἀχαριστίᾳ. ἐστὶ δὲ τοῦτο Σωκράτους. κακοὺς ποιῶν εὖ θρέψαι κύνας.

TORQVETVR Emblema in ingratos, eosq́ue potiſſimum, qui perniciem ijs IV. Ingrati. adferunt, qui de ſe bene meriti ſunt: quo genere hominum nihil peius aut deterius educere vel gignere terra poteſt: tantumq́; id flagitium atrocitatis habet & probri, vt omnia conuicia ingratitudinis ſolo nomine contineri dicantur. Quid verò execrabilius eſſe poteſt, quàm ijs vitam adimere, aut etiam quodam torquere pacto, qui nobis viuendi cauſas ſuggeſſere, dederuntq́; operam, vt quod ſumus, eſſemus? C. Toranius ingratiſſimus filius, triumvirum partes ſecutus, proſcripti patris ſui, prætorij & ornati viri, latebras, ætatem, notasq; corporis, quibus agnoſci poſſet, centurionibus edidit, qui eum perſecuti ſunt. Senex tamen pater de filij vita magis, quàm de ſua ſolicitus, petijt, an incolumis filius eſſet, & an imperatoribus ſatisfaceret. At ipſe eſt, qui te nobis prodidit, inquit vnus è militibus: continuoq́ue pectus eius gladio traiecit. Indigna quidem mors, ſed auctore cædis miſerior. Idem penè de Villio Annali narratur, qui cùm proſcriptus ad clientẽ ſuum confugiſſet, ſceleratus filius militibus occidendum patrem ſe præſente obiecit, bis parricida, vt qui conſilio priùs, deinde ſpectaculo tam crudeli & impio ei vitam ademerit, à quo vitam acceperat. Dignũ quoque quod memoretur ingratitudinis exemplum eſt militis cuiuſdam Philippi Macedonum regis: Ingratitudinis exemplum. is fortè naufragio exutus omnibus, vix etiamnum ſpiritum ducens errabat, conſilij inops. Eum conſpicatus Macedo quidam benignè amplexatur, iubet bene ſperare, ſemiuiuum in villam ſuam perducit, fouet accuratè, lectulo quoq; cedit, nec patitur quidquam ab eo fruſtra deſiderari. Poſtremò digredientem viatico etiam inſtruit, ſubmurmurantem identidem: Nõ ſentiar ingratus, parem rationem faciam, liceat modo mihi imperatorem meum adire. Venit ille ad Philippum, miſeriam ſuam exponit, ſed hoſpitis benignitatem reticet: nec ſatis; Miſerantem illum inducit impudenter quidem, ſed militariter, donet ſibi Macedonis cuiuſdam agros. At is non alius erat quam ille ipſe hoſpes. Qui tam inhumaniter omnibus exutus, nil diſſimulando, per epiſtolam facti ſeriem Philippo inſinuat. Excanduit is, nec valens tam inſignem ſæuitiam decoquere, improbiſſimo homini beneficium raræ fortunæ inuſitata

rabie

rabie retalianti, ſtigmata inuri iuſſit, reſtituto in integrum priore domino. Miſſos facio quàm plurimos alios ingratitudine notatos, qui nobis interdum occurrunt in hiſtoricorum monumentis, ne nimium hic hæream. Tantùm adijcio, quod ſcribunt auctores grauiſſimi, ingratitudinem ſceleris atrociſſimi loco eſſe poſitam, adeò vt tanto crimini non ſit vlla pœna legibus conſtituta, quòd (ſicuti ſapienter arbitrãtur) maius ſit quàm vt ab hominibus vindicari poſſit, ideoque ad vltionem diuinam remitti. Nam ſi omnium virtutum mater gratitudo, quoniam ex huius fontibus profluat in parentes pietas, in patriã charitas, in Deum religio, inter homines amicitia, in educatores & magiſtros veneratio: certè colligendũ, quod ad Atticum Cicero ſcribit, ingratis omnia ineſſe vitia. Hinc opinor factum, vt natura ipſa ad id nos prouehente, ingratos nemo non Vatiniano proſequatur odio: ſiq; facultas adſit, & patiatur ratio, primo quoq; tempore vltum eat, veluti ſint tum beneficentiæ, tam tenuiorum omnium communes hoſtes. Vnde legimus apud Xenophontem, in Perſarum moribus & ſtatutis hoc eſſe poſitum, vt maximè ingratitudinis notam inſectentur. Quem enim cognouerint poſſe gratiam referre, nec refert, in hunc ſeueriſſimè animaduertunt: quippè qui arbitrentur eos, qui ſunt ingrati, & Deos negligere, & parentes, & patriam, & amicos. Ingratitudinem verò, ait, potiſſimùm impudentia ſequitur, quæ ad omnem turpitudinem maxima eſt dux. Sanè vt hoc quaſi per tranſennam adijciã, pulcherrimas ingenij ſui penè diuini dotes multum obſcurauit Ariſtoteles, ἡμίονος dictus ab Athenæo, quòd animo in præceptorem Platonem fuerit ingrato; quanquam tamen alicubi diſſimulet in ſuis diſputationibus: ex quibus oculati homines facilè conijciunt, quid animi habuerit ille in doctorem, cui debebat omnia lubens referre accepta. Quapropter nõ immeritò ẽt ab ipſo Platone mulus vocabatur, quod mulus, cum ſaturatus eſt lacte materno, calcibus petat matrem. Ab hac ingratitudinis peſte miſerè exercitus fuit Romanæ facundiæ parens Cicero, qui à Popilio, quẽ capitis reum defenderat, è viuis ſublatus fuit. Tullia quoq; Tarquinij filia, currum ſuper faciem mortui parentis duxit, equis etiam immanitatem refugientibus; vt canit Ouidius lib. 6. Faſtor. Scribit Trogus, Theſſalonicen ab Antipatro filio interfectam, quod Alexandro fratri magis quam ſibi faueret; quum tamen illa vitam per vbera materna deprecaretur. His hominum portentis iure adiungo Neronem, alteram humani generis facem, vt eum Plinius vocat: Is matrem Agrippinam varijs modis perdere tentauit: primò veneno, ſed cum ſentiret eam antidotis præmunitam, nauem ſolutilem, cuius ruina periret, commentus eſt, ſimulataque amicitia Baias euocauit. Quam nando euaſiſſe vt comperit, inops conſilij eam interfici iuſſit, quam prius ſtupro contaminauerat. Ea perempta procurrens nudam eſt cõtemplatus, nec verbo temperauit flagitioſiore: *οὐκ ᾔδειν, ὅτι οὕτω καλὴν μητέρα εἶχον. neſciui*, inquit, *mihi eſſe matrem adeo venuſtam*. Propter hæc & alia nefanda flagitia puto irroboraſſe opinionem illorum, qui Neronem reſurrecturum ſuſpicati ſunt, futurumq; Antichriſtum. Alij vero putarunt, nec occiſum quidem, ſed ſubtractum, & viuum occultari in ætatis vigore, qua fuit, cùm crederetur extinctus, donec ſuo tempore reueletur, & reſtituatur in regnum. Sed hæc vt Ialemo frigidiora, & quæ vel ipſas thermas Neronianas poſſint refrigerare (vt Martialis abutar verſiculo) meritò irridet Auguſt. lib. 20. de Ciuit. Dei. Confer huc, ſi vacat, pulcherrimum Socratis monitũ ad filium Lamproclem, matri Xantippæ contumelioſum, ex 2. ἀπομνημον. Xenophontis, & quædam Æliani De varia hiſtoria exempla, ex lib. 3. c. vlt. De ijs qui ab ingrata patria malè plexi ſunt, & iniuſtè dãnati. Nihil enim video aptiùs huic loco illuſtrando.

Ariſtoteles ingratus.

Crudelitas Tulliæ.

Neronis parricidium.

Fatuitas.

EMBLEMA LXV.



MIRARIS noſtro quòd carmine diceris Otus,
Sit vetus à proauis cùm tibi nomen Otho.
Aurita eſt, ſimiles & habet ceu noctua plumas,
Saltantemq́; auceps mancipat aptus auem.
Hinc fatuos, captu & faciles, nos dicimus Otos:
Hoc tibi conueniens tu quoque nomen habe.

COMMENTARII.

I. Otus. STVLTVS aurito bardocucullo tectus, auem otida ſequitur, quam manibus prehendere ſatagit. Eſt autem Otis (vt refert Plinius lib 10. cap. 23.) auis bubone minor, noctuis maior, auribus plumeis eminentibus; vnde & nomen illi. Quidam Latini Aſionem vocant; imitatrix aliàs auis ac paraſita, & quodam genere ſaltatrix. Capitur haud difficulter, vt noctuæ, intenta in aliquo circumeunte altero.

II. Otus gr. IOCATVR Alciatus in quendam Othonem, vocando eum Otum, id eſt, ſtultum, ob vocabuli ſimilitudinem. Porrò de Oto ſic ſcribit Ariſtoteles lib 8. de natura anim. cap 12. Otus noctuæ ſimilis eſt, pinnulis circiter aures eminentibus præditus; vnde

vnde nomen accepit, quaſi auritum dicas. Nonnulli vlulam eum appellant, alij aſionem. Blatero hic eſt, & hallucinator, & planipes, ſaltantes enim imitatur. Capitur intentus in altero aucupe, altero circumeunte, vt noctua. Athenæus lib. 9. Dipnoſoph. cap. 14. cum ferè ea, quæ iam ex Ariſtotele citauimus, diſputauerit, ſubdit: Vnde effectum eſt, vt qui facilè decipiuntur, Comici ex re ipſa Otos vocauerint. Cœlius Rhodig. lib. 3. cap. 29: Ab auribus, inquit, quæ Græcè ὦτα dicuntur, corruatur Otus, veluti auritus dicatur, pinnulis circa aures prominentibus. Vlulam nonnulli interpretantur, alij aſionē. Scitum eſt, quod ſcribit Aelius Dionyſius: Auis hęc, inquit, laudata, & ſaltans capitur veluti nycticorax: vnde Otos item dicimus, qui nullo negotio decipiuntur, aut gloriæ vanitatem affectantes, id eſt, κενόδοξοι. Hæc Cœlius. Vtitur autem in hoc Epigrammate Alciatus quodam ridiculi genere, de quo meminit Quintilianus lib. 6. cap. de riſu, his verbis: Fiunt & detracta & adiecta aſpiratione, & binis coniunctis verbis. &c. Fit enim interdum, vt ij, qui nobilitatem affectant, nomine leuiter immutato vel detorto, dignam ſtoliditatis appellationem ſortiātur.

III. *DICERIS Otus*] ſeu potiùs Otis. Licet etiam Hiſpani Otin & Otum nomine diſtinguant, vt teſtatur Sanctius, tamen hæc nomina ſæpe confunduntur, vt hic apparet; aues ſunt tamen diuerſæ.

Otus & Otis aues diuerſæ.

Aurita eſt, ſimiles &c.] Vide Plinium lib. 10. cap. 23. Ariſtot 8. de nat. anim. cap. 12. Athenæum Dipnoſoph. 9. cap. 14. Cœl. Rhodig. lib. 3 cap 29.

Auceps aptus] doctus aucupandi.

Mancipare.

Mancipat] Manu capit, propriam efficit, & vſu capit. Mancipare verbum eſt Iuriſconſoltorum. Horat. 2. Epiſtol. 3.

Quedā (*ſi credis conſultis*) *mancipat vſus.*

Mancipium.

Hinc emancipare, quod eſt manumittere, liberare. Et mancipium, homo vel iumentum, quod manu capitur, ſiue mancipi emptione acquiritur. Eſt autem mancipi emptio, quæ ſolemnitate quadam fiebat, adhibitis non minus quinque teſtibus Romanis ciuibus puberibus, & alio eiuſmodi conditionis, qui libram æneam teneret. Emptor ita dicebat: Hoc ego ex iure Quiritium meum eſſe aio, hoc quod emptum eſt hoc ære, æneaque libra. deinde libram ære percutiebat, idq; ęs dabat ei, à quo rem emptam accipiebat: & hæc mancipatio vocabatur.

Mancipatio.

Auem] Otidem.

Captu & faciles] qui facilè decipiūtur, & circumueniuntur, fatui. Italicè, *chi non hanno punto di ſale in zucca*

Hoc tibi conueniens.] Quaſi diceret: Tu te Othum iactas, vt qui originem trahas ab Othone Imperatore magno, cùm ingenio ſis ad vanitatem compoſito, ad aucupandam gloriolam pronus: ego verò te Otum ab Otide aue dixerim, quòd vti ea geſticulabunda, & ad ſuas laudes aſſultans facilè capitur, ſic tu ineptus & glorioſulus conueniens tuis nomen moribus inditum habes.

IV. Hoc dictum eſt in quempiam temerarium, gloriabūdum, & plus quàm par eſt, auitæ nobilitatis iactatorem, quem Othonem appellat, ab Otide aue fatua & geſticulatrice, captuque facili, quam Ariſtoteles noctuæ ſimilem, & circa aures alarum quandam ſimilitudinem habere tradit. Prouerbialiter enim ὦτοι dicuntur, qui in re qualibet facilè decipiuntur, ac illi maximè, qui verbis ſeſe protelari facillimè ſinunt; cuilibet ſine delectu & prudentia dextram, quod aiunt, inijcientes, vt ex Euſtathio Homeri ſcholiaſte didicimus. Otos dici gloriæ vanitatem affectantes, id eſt, κενοδόξους, quidam eruditi homines adnotarunt. Vide prouerb. *Aues quæris*. Noto præterea hoc loco eos, qui vt priſcæ nobilitatis exiſtimationem ſibi concilient, genus ſuum ab ipſa arca Noe, ne dicam à turre Babylonica, aut primo rerum chao deriuant, idq; armis gentilicijs neſcio quibus, planè ridiculis, probare contendunt: vnde nihil mirum, ſi deinde Oti, aut etiam ex re nata gigantum fraterculi habeantur, vt qui in tanta omnium rerum viciſſitudine hanc generis gloriam ſuperſtitiosè affectent.

Otho ab Otide.

ὦτοι qui.

Thraſones.

Obliuio paupertatis parens.

EMBLEMA LXVI.



CVM lupus eſuriens mandit ceruarius eſcam,
Præq; fame captum deuorat hinnuleum,
Reſpiciat ſi fortè aliò, vel lumina vertat,
Præſentem oblitus quem tenet vngue cibum;
Quaritat incertam (tanta eſt obliuio) prædam.
Qui ſua neglexit, ſtultè aliena petit.

COMMENTARII.

I. *Lupus ceruarius.* LVPVS ceruarius, ſic dictus, quod ex cerua & lupo, vel ex lupa & ceruo gignatur, animal miſtum, pingitur prædam vnguibus tenens, ſed reſpiciens ad gregem ſub paſtoris cuſtodia paſcentem; præſentis oblitus futuro inhiat. Quod ſi placet lyncem appingere, quæ etiam eſt ex genere luporum ceruariorum, per me licet: eſt autem animal vario colore, & maculoſo tergore, acutiſſimi viſus, mammas habet in pectore. *Lynx.*

II. CARMINIS huius ſententia ſimilis eſt huic, quæ ex Menandro citatur:

ἀφεὶς τὰ φανερὰ, μὴ δίωκε τ' ἀφανῆ.

Aperta linquens, perſequi noli abdita.

Plinius lib. 8. cap. 22. Sunt, inquit, in eo genere, qui ceruarij vocantur, qualem è Gallia in Pompeij Magni arena ſpectatum vidimus. *Ceruarij natura.*

dimus. Huic quamuis in fame mandenti, ſi reſpexit, obliuionem cibi ſurrepere aiũt, digreſſumq; quærere aliud. Solinus hoc explicatiùs dixit, cap. 18. polyhiſtor. Coeunt, inquit, lupi toto anno non amplius dies duodecim. Veſcuntur in fame terra. At hi, quos ceruarios dicimus, quamuis poſt longa ieiunia repertas ægrè carnes mãdere cœperint, vbi quid caſu reſpiciunt, obliuiſcuntur, & immemores præſentis copiæ, eunt quæſitum quam dereliquerunt ſatietatem. Meminit quoq; huius rei D. Hieronymus in epiſtola ad Chryſogonum monachum, his verbis: Verùm tu quod natura lynces inſitum habẽt, vt poſt tergum reſpicientes, non meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre deſierint: Ita noſtræ es neceſſitudinis penitus oblitus, vt illam epiſtolam, quã in corde Chriſtianorum ſcriptam Apoſtolus refert, non parua litura, ſed imis, quod aiunt, ceris eraſeris. Et illæ quidem, quas diximus, feræ, ſub frondente captantes arboris ramo fugaces capreas, aut timidum ceruos animal comprehendunt, currentemq; fruſtra prædam, dum hoſtem ſuum ſecum vehit, rabido deſuper ore dilaniant; & tamdiu meminere prædandi, quamdiu venter vacuus, ſic cum fame guttur exaſperat: vbi verò ſanguine paſta feritas viſcera diſtenta compleuerit, cum ſaturitate ſuccedit obliuio, tamdiu neſcitura quid capiat, donec memoriam reuocauerit eſuries. Tu necdũ ſatiatus è nobis, cur finem iungis exordio? cur amittis antequam teneas? Hæc ille.

III. *LVPVS ceruarius*] Lynx.

Mandit] mandere incipit.

Hinnuleum] Hinnulus ſeu hinnuleus, eſt ceruorum, caprarum, damarum, & ſimilium fœtus; Horatius 1. Carm. Ode 23. *Hinnuleus.*

Vitas hinnuleo me ſimilis Chloe.

Inuenio etiam hinnulum dici piſcẽ, quem aliàs galeum læuem dicunt, Romani *peſce colombo*. Dicuntur etiam hinnuli fœtus ex equa & aſina geniti, quibuſdam burdones vocati.

Quem tenet vngue] Aliquæ editiones habẽ: *tenet ore*; at magis arridet *vngue*, quod habet Rouilliana.

Incertam prædam] Quam nondum arripuit, nec de arripienda ſecurus eſt.

Qui ſua neglexit, &c.] Non videtur incommodum, ſi apponam lepidum & facile Thomæ Mori tetraſtichon, huic Emblemati conuenientiſſimum:

Os canus implet anas: alium capturus hiabat:
Non capit, at quæ iam cœperat, ore fugit.
Sic miſer in terra, dum rẽ captas alienam,
Sæpius & meritò perdis, auare, tuam.

Gloſſographi Accurſij aiunt, eum, qui hora vna eademque duos ſectatur lepores, quandoq; vtroque carere.

QVOD de lupo ceruario dictum eſt, idem ſæpe contingit ambitioſis & auaris, qui ſpe honoris amplioris, aut commodi, in quo ſit vberior quæſtus, neglecta præſenti ſorte venantur aliam. Fit tamen ſæpenumerò, vt vtraq; fruſtrentur. Hinc Sophocles in Thyeſte: IV. *Auari & ambitioſi.*

——τῶν ἀμηχάνων δ' ἔρως
πολλοὺς ἔθηκε τοῦ παρόντος ἀμπλακεῖν.
id eſt:
Impoſſibilium cupido
Multos fecit re præſente fruſtrari.

Id quidem exemplis quàm plurimis confirmari poſſet, ſed vnum ex Iuſtino ſubijciam. Pyrrhus Epirotarum Rex, in ampliſſimo imperij faſtigio collocatus, iam nec eo contentus, Græciæ, Aſiæq; regna meditabatur: neq; illi maior ex imperio quàm ex bello voluptas erat: nec quiſquam Pyrrhum, quà tuliſſet impetum, ſuſtinere valuit. Sed vt ad regna deuincenda inuictus habebatur, ita victis acquiſitiſque celeriter carebat; tanto meliùs ſtudebat acquirere imperia quàm retinere. Quam ob cauſsã collatus eſt ab Antigono, luſori imperito, qui cùm multa & feliciter iaciat, ijs tamẽ vtendi modum negligat, Plutarcho teſte. Fruendum eſt itaq; rebus præſentibus, & rectè agẽdo ſperanda meliora. Eſt enim animi valdè puſilli & anguſti, inopiam metuere plus quàm par eſt, ideoque ijs, quæ adſunt, non frui, & alienis anxius inhiare, magnæ ſtoliditatis argumentum. Ferè enim fit, vt iuxta prouerb. *Duos inſequens lepores neutrum capiat*: cuique illud conueniat: *Pyrrhus Epirota.*

δυοῖν ἐπιθυμήσας οὐδετέρου ἔτυχες.
Ambo concupiſcens neutrum aſſecutus es.

Pulcher locus apud Procopium 2. De bello Gothico: refert enim Beliſarium initio belli ſcripſiſſe ad Theudebertum Francorum Regem (qui cum eo manus cõſeruit) Satius eſt ſecurè ſua vt quiſque poſſideat tenere, quàm dum aliena nimium appetit, de ſuis rebus periclitari. Huic bellè conuenit *Procopij locus.*

uenit quod Seneca refert epiſt. 73. Solebat Attalus hac imagine vti: Vidiſti aliquando canem à domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? quicquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat. Idem nobis euenit, quicquid expectantibus fortuna proijcit, id ſine vlla voluptate dimittimus, ſtatim ad alterius rapinam erecti & attenti. Hoc ſapiēti non euenit, plenus eſt: etiam ſi quid eueniт, ſecurè excipit. Huc refer Adag. Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris? Multæ ſunt huic affines ſententię, vt apud Heſiodum:

Cupidorũ mos.

Νήπιος, ὃς τὰ ἕτοιμα λιπὼν, ἀνέτοιμα διώκει.

Stultus, qui non prompta ſequens, iam prompta relinquit.

Salluſtius in Catilinario, quo loco verba facit de legatis Allobrogum, pertractis ad ſocietatem nefarij belli, de euentu tamen anxiè dubitātibus in incerto habuere, quid nam conſilij caperent. In altera parte erat æs alienum, ſtudium belli, magna merces in ſpe victoriæ: in altera maiores opes, tuta conſilia, pro incerta ſpe, certa præmia. Sed & Pſeudolus ſeruus apud Plautum ſic ſecum loquitur: *Certa amittimus dum incerta petimus, atq; hoc euenit in labore, atque in dolore, vt mors obrepat interim.* Iuſtinianus l. nemo. C. de aſſeſſorib. Feſtinans ad duo diuerſa neutrum bene peragit, ne cum in vtrumq; feſtinat, neutrum perficiat. Et Satyra Iuuenalis:

Pectora noſtra duas non admittētia curas.


Ridetur adoleſcens luxu perditus apud Perſium, Satyra 3 his verbis:

——Duplici in diuerſum ſcinderis hamo:
Vdum & molle lutum eſt.

Hæc dum colligo, penè mihi quoq; ad vlteriora progrediendi ſurrepſit obliuio.

Superbia.

EMBLEMA LXVII.



En

EN ſtatuæ ſtatua, & ductum de marmore marmor,
Se conferre Deis auſa procax Niobe.
Eſt vitium muliebre ſuperbia, & arguit oris
Duritiem, ac ſenſus, qualis ineſt lapidi.

COMMENTARII.

I. APOLLO cum ſorore Diana è ſublimi ſagittas in liberos Niobes iaculatur, quorum ille filios, hæc filias ferit ac proſternit: Niobe verò mater flebilis & mœſta ſcopulo aſſidet, in quem tandem verti videtur. Ad picturam exprimendam nonnihil confert Pauſanias in Atticis, qui Nioben in marmor conuerſam etiamnum lacrymas emittere in Sipylo affirmat, ſeq; aliquando illud, vt videret acceſſiſſe dicit his verbis: Ad theatri verticem ex medijs ſaxis ſpelunca in arcem ſubijt, impoſito tripode, in quo Apollo & Diana ſunt Niobes filios necantes. Nioben ego quoque vt viderem Sipylum montem conſcendi. Sed vbi propè acceſſeris, videas ſaxum & rupē præcipitem, nullam prorſus effigiem præferentem, nec mœrorem. Quod ſi procul abſcedas, intueri videaris flentem & mœſto vultu mulierem. Quod etiam Ouidius 6. Metamorph. fabulam elegantiſſimè narrans, & de ſaxo ſic loquens, innuit:

Niobe ſaxea.

Flet tamen, & validi circumdata turbine venti
In patriam rapta eſt, vbi fixa cacumine montis
Liquitur, & lacrymis etiamnum marmora manant.

II. EMBLEMA hoc ex Iuuenalis Satyra 6. potiſſimùm ſumptum eſſe cenſemus, vbi ille Niobes fabulam commemorat, vt mulierum ſuperbiam notet, quæ multorum ſæpe malorum cauſa fuit. Sic igitur inducit Iuuenalis Niobes maritum Amphionem clamantem ad Apollinem:

Emblema vnde petitum.

Parce precor, Pæan, & tu depone ſagittas:
Nil pueri faciunt, ipſam configite matrem;
Amphion clamat, ſed Pæan cōtrahit arcū.
Extulit ergo gregem natorum, ipſumq; parentem,
Dum ſibi nobilior Latona gente videtur,
Atq; eadem ſcrofa Niobe fœcundior alba.

Quibus in carminibus (vt & hoc dicamus obiter) legendum puto,

Parce, precor, Pæā, & tu Dea pone ſagittas.

Nam Apollo mares, Diana fœmellas interficiebat, vt patet ex Homeri verſibus, quos ſic vertit Nicolaus Valla:

Niobes fabula ex Homero.

Aureo ſex natas arcu cecidiſſe Diana,
Ac totidem Phœbi iuuenilia corpora telo
Infelix vidit Niobe; cùm ſe illa per omnes
Oſtentat populos, nec demens cedit honorē
Inſignis Latona tuo, quia numero fœlix
Natorum. Sed te genitam Titanida Ceo
Arguit enixam geminos: qui numina facti
Tam facilè exitio potuerūt tradere plures.
Nona dies illos funeſta morte iacentes
Vidit adhuc, nec enim tumulari Iupiter ipſe
Paſſus, & in lapidem populum conuerterat omnem.
Luce tamen decima, miſerantia numina Diuum
Mandauere ſolo. Niobe tot funera vidit,
Et potuit tandē lacrymis ſaturata doloreq;
Indulſiſſe epulis. Sipyli nunc mōte ſub alto
In lapidem verſa aſpicitur, ſimiliſque gementi
Supplicia expendit ſupus, vbi numina mille
Nympharum ſub tecta colunt, Acheloia circum
Litora, vbi toties iuuat indulgere choreis.

Meminit huius fabulæ & Q. Calaber lib. 1. de relictis ab Homero, cuius verba ſic Latina fecit Sanctius:

Ex Q. Calabro.

In Sipyli ſcopulis, Niobes vbi corpora quondam
In ſaxum vertere Dei, nunc ſaxa per vda
Diſtillant lacrymæ, nebula caligine miſtæ
Circumſtant lapidem, damnoſa vmbracla colonis.
Hanc faciem veniens longis ſtupet aduena ab oris,
Et gemebunda piè miratur lumina petræ,
Fœmineā ſpeciē referentis imagine luctus.

Fabulam autem totam habes in Chiliadibus, adagio, *Niobes mala*. Erat Niobe filia Tantali, vxor Amphionis, quæ filios habebat ſex, totidemq; puellas. Eo ſucceſſu inſolens contempſit Latonam, quæ non niſi duorum mater eſſet, Apollinis ac Dianæ. Hanc fabulæ narrant poſt occiſos liberos,

Ex Chiliadibus.

quos permultos habebat, præ dolore in ſaxum conuerſam fuiſſe, illud innuentes, im modico dolore diriguiſſe. Id ſaxum, quod fabulæ dedit occaſionem, in Sipylo Phrygiæ conſpici tradit Homeri ſcholiaſtes, lacrymarum fontes emittens. Gellius lib. 20. cap. 6. ſic ait: Mira & propè adeò ridicula

Filij Niobes. diuerſitas fabulæ apud Græcos Poetas deprehenditur ſuper numero Niobes filiorum. Nam Homerus pueros puellasq; eius ſenos dicit fuiſſe, Euripides bis ſeptenos, Sappho bis nouenos, Bacchilides & Pindarus bis denos. Quidam alij ſcriptores tres fuiſſe ſolos dixerunt. Tzetzes ſeptem filios & totidem filias ſuis nominibus enumerat; filij ſunt, Sipylus, Agenor, Phædimus, Iſmenes, Eupnytus, Tantalus, Damaſichthon: filiæ, Neæra, Cleodoxe, Aſtiocha, Phaeta, Pelopia, Eugyge, Chloris. Alij aliter enumerant. Palæphatus in libel

Hiſtoria de Niobe. lo de non credendis fabulis ſic ait: Nioben dum viueret, ſuper filiorum ſepulchrum lapidem factam eſſe memorant. Quicunque autem ex lapide hominem, rurſumq; ex homine lapidem fieri poſſe credit, ſtultus hic quidem planè eſt. Verum autem ſic habet: Niobe, mortuis ſuis liberis, cum lapideam imaginem ſibi conſtituiſſet, eam ſupra natorum ſuorum ſepulchrum poſuit. Nosq. ipſi hanc vtiq; qualis reuera eſſet, inſpeximus. Hæc Palæphatus. Extat in tumulum Niobes elegiaca proſopopœia certè elegans, his omnino verbis:

Eſte procul læti, cernant mea funera triſtes:
Non ſimilis toto mæror in orbe fuit.
Bis ſeptem natos peperi; bis pignora ſeptem
(Me miſeram) Diuum ſuſtulit ira mihi.
Dirigui demum lacrymis, & marmora manant.
Sic mihi mors dolor eſt, ſic mihi vita dolor.
Diſcite, mortales, quid ſit turgeſcere faſtu,
Et quid ſit magnos poſthabuiſſe Deos.

Mythologia. Fuerunt qui Niobes fabulam ad hiſtoriam referre conati ſunt, dixeruntq; acerbiſſimã peſtilentiam aliquando fuiſſe in Phrygia, atque eodem die Niobes filios omnes interijſſe, cum multos haberet. Atq; cum peſtilentiæ autor ſit Sol & Luna, quia ex calore vaporumq; copia illa naſcatur, proditum eſt in fabulis Apollinem & Dianam illos ſagittis confodiſſe; ad tantos dolores cum obſtupuiſſet, & propè ſine ſenſu Niobe mater eorum videretur, dixerunt fabularum artifices illam fuiſſe in lapidem conuerſam. Quo etiam alluſiſſe videtur Cicero 3. Tuſculan. Et Niobe, inquit, fingitur lapidea, propter æternum, credo, in luctu ſilentium. Vide Mytholog. Natal. Comitis lib. 6. cap. 13. & alios. Multa quoq; Niobes inuenies epigrammata Græca lib. 3. Antholog. tit. *εἰς ἀρχαίους τινάς*. Et lib. 4 *εἰς πραξιτέλους*... quæ breuitatis cauſa omitto.

EN ſtatua ſtatua &c.] Expreſſa imago lapidea ex alia imagine ſaxea, in quam conuerſa Niobe. Hoc imitatus ex ſenarijs his ex 3. Epigram. III.

Ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρὸν,
Ὁ νεκρὸς οὗτος ἐκτὸς οὐκ ἔχει τάφον,
Ἀλλ' αὐτὸς αὑτοῦ νεκρός ἐστι καὶ τάφος.
Hoc in ſepulchro mortuus non conditur.
Hoc eſt cadauer, & ſepulcrum non habet:
Sed eſt idem cadauer, & ſepulchrum ſibi.
Sepulchrum hoc nõ habet intus mortuũs
Mortuus hic extra non habet tumulum;
Sed ipſe ſui mortuus eſt & tumulus.
Iſtud ſepulchrum mortuũ intus non habet:
At nec ſepulchrũ ſibi habet extra mortuus:
Sibi ſed ipſe eſt & ſepulchrum & mortuus.

Illud huic ſimile eſt lib. 4. Antholog. tit. *εἰς πραξιτέλους*.

ἐκ ζωῆς με θεοὶ τεῦξαν λίθον· ἐκ δὲ λίθοιο
ζωὴν Πραξιτέλης ἔμπαλιν εἰργάσατο.

Quod Sãctius Græca epigrammata euoluens ſic ex tempore vertit:

Viuebam: fecere Dij me marmora; marmor
Sed rurſum viuit munere Praxitelis.

Cæterùm id variè accipi figmentum reperio, vt cùm torquetur in præfractæ ceruicis hominem, ſtupidum, eumq; qui ſit vel animo vel corpore immotus. *Niobe ſtupidum ſignificat.* Ad id facit quod citatur ex Lucilio poeta Græco, de quodam ſaltatore, qui ſe mouere non poſſet, *ὀρχηστὴς νιόβης ἔμπνοον ἀρχέτυπον*. *Orcheſtes ſpirans archetypum Niobes.*

Ductum de marmore marmor] Marmoreum idolum è ſimulacro marmoreo, id eſt, Niobe marmorea. Cæterum marmor *Marmor.* dici videtur *παρὰ τὸ μαρμαίρειν*, *ſplendeſcere*, & quaſi ſcintillis micare. De marmorum generibus habes apud Plinium lib. 36. cap. 6. cum ſeq. & Iſidorum lib 16. c. 5. item apud Pancirollum lib. 1. Rerum memorab. Inter hæc vt Parium candore, *Parium.* ita Lacedæmonium viriditate cunctis hilarius. *Lacedæmonium.* Lacedæmonium Martialis intelligit cum lib. 1. Epigr. 84. ita canit:

Quicquid picta colit Spartani frigora ſaxi!

hoc

hoc eſt, potentiorum domos Laconico marmore cultas, Lacedæmonios autem Spartiatas ſiue Spartanos fuiſſe nominatos, notum eſt, & hiſtoricam huic rei fidem facit Perotus ad iſtum Martialis locum. Ac quia Lacedæmonium ſiue Spartanũ iſtud marmor diuerſis quaſi ſquammarum coloribus erat variegatum, non immeritò illud pictum appellat; idq; à ſerpentum maculis

Ophites.

Serpentinum ſiue Ophites etiam nominatur, vt idem Perotus alibi innuit. Præter ſupra adducta, fabulam Niobes habes apud Ouidium Metamorph. 6. Rei veritatem, ſi vacat, ex Palæphato & Pauſania in Arcadic. exquire.

Se conferre Deis] Quæ numini auſa eſt obloqui, ſeq; efferre ſupra hominũ captũ.

Procacitas.

Procax Niobe] petulans, conuiciatrix. Vnde procacitas, licentia turpium conuiciorum, qua meretrices & ſcurrę vtuntur.

Eſt vitium muliebre ſuperbia] Solenne eſt mulieribus, quę ſunt potentiores, ſuperbire. Sic Salluſt. in Iugurthino dicit, ſuperbiam commune nobilitatis malum. Idem ibidem: Quæ in magnis ſuperbia, in infimis iram rectius nuncupari. ὀργὴ, quaſi ὀρέγη, ab ὀρέγεσθαι. hinc ὄργιλος *iracundus*, qui Gallico idiotiſmo, *orgueilleux*. Sed rurſum alia occurrũt Salluſtiana: Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia, atq; crudelitas appellatur.

Ea eſt ἀναισθησία, et ſẽſuum vacuitas.

Arguit oris Duritiem, ac ſenſus, &c.] Sic conſtrue: *& ſuperbia arguit duritiem oris & ſenſus, qualis ineſt lapidi.* *Senſus* hic eſt genitiuus. Huic conſonat illud Terentij, *os durum*, pro impudente. Lapis in Hieroglyphic. hominem ſenſus expertem ſignificat; vt pro ſtupido & alienatæ mentis homine vſurpari certum eſt: vnde illud Comici: *Quid ſtas lapis?* & primos illos homines rudes & impolitos, nullaq; diſciplinarum cognitione cicuratos, ſaxeos appellarunt. Hinc enim Maronis illud:

—*Quo tempore primum*
Deucalion vacuũ lapides iactauit in orbẽ,
Vnde homines nati, durum genus.

Sic & Ouidius 1. Metamorph.

Inde genus durum ſumus, experienſq; laborum,
Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

Theocritus in Eidylliis Milonẽ ruſticum impolitum, planèq; rudem appellat *fragmen dura rupis*, id eſt, πέτρας ἀπόκομμα ἀτεράμνε. Lactantius lib. 1. c. 20. loquens de termino, qui in Capitolio locabatur: Quid de his dicam, qui colunt talia? niſi ipſos potiſſimum lapides, ac ſtipites eſſe? Ouid. 5. Metamorph.

—*Ad auditas ſtupuit ceu ſaxea voces,*
Attonitaq; diu ſimilis fuit.

Idem 13. Metamorphoſ.

—*Duroq; ſimillima ſaxo Torpet.*

Et in Ariadne:

—*In ſaxo frigida ſedi,*
Quamq; lapis ſedes, tam lapis ipſa fui.

Quo ſenſu dixerat ante Ouidium Catullus de nuptiis Pelei, Ariadnen ſaxea effigie fuiſſe, vt vim doloris exprimere non poſſet, neq; in vllam vocem erumpere, cùm vidit ſe à Theſeo in litore Naxus inſulæ relictam. Tibullus lib. 2. Eleg. 4.

O ego, ne poſſim tales ſentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus eſſe lapis?
Stare vel inſanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quã vaſti tũderet ora maris.

Ouidius De Ponto:

Felicem Nioben, quamuis crudelia paſſam,
Quæ poſuit ſenſum ſaxea facta malis.

1. de Ponto, Eleg. 2.

Fine carent lachrymæ, niſi cùm ſtupor obſtitit illis;
Et ſimilis morti pectora torpor habet.

Et deinde:

Ille ego ſum fruſtrà qui lapis eſſe velim.

Sic impoſſibilitate ipſa mutata in lapidem Pſyche, quamuis præſenti corpore, ſenſibus tamen aberat. Apul. 6. De Aſin. aur. Quod autem modò dicebam lapidem pro ſtupido vſurpari hieroglyphicè, id oſtento planum eſt, quod animum perculit Superbi Tarquinij, cùm à columna lignea repentè lapſus anguis omnes in fugam vertiſſet, omninò hoc viſo conſternatis. Nam portendebat is ſerpens nouum & inexpectatum principem, de columna lignea, hoc eſt, ſtupore, quem diu ſimularat, proditurum.

Lapis pro ſtupido.

Qualis ineſt lapidi.] Lapidem vſurpari, pro ſtupido, aut ſenſus vacuo iam diximus. Sic Martialis lib. 5. in quandam Matriniam:

Non poſſum vetulam quereris, Matrinia? poſſum
Et vetulam, ſed tu mortua, nõ vetula es.
Poſſum Hecubam, poſſum Nioben, Matrinia: ſed ſi

Nondum

Nondum erit illa canus, nondum erit iſta lapis.

IV.

Niobes fabula quid ſignificet.

FIGMENTVM hoc Niobes ob inſolentem iactantiam in ſaxum rigens transformatæ, arguit potentiorum quarundam mulierum ſuperbiam, & immodicam arrogantiam, quæ obcæcatæ ne ipſis quidem Superis ſubeſſe ſe putant, adeò vt ſuæ mortalitatis immemores incidant in miſeram quandam *ἀναισθησίαν*, & ſenſus vacuitatem. Hoc ergo verborum inuolucro monentur, ne ſeſe altiùs efferãt, & plus quàm oporteat apud alios intumeſcant, aut etiã plus ſibi tribuant, quàm par eſt. Prætereà

De Dijs benè ſentiendum.

de numine bene ſentiendum eſſe, tacitè videtur innuere: quandoquidem non erratur periculoſius, neq; ſceleſtius quàm in numinis contemptu. Pindar. Olymp. 9. *ἐπεὶ τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς ἐχθρὰ σοφία, καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει. nam Dijs conuiciari, inquit, odioſa ſapientia eſt; & intempeſtiuè gloriari, idem eſt atq; inſanire:* Præclarè monitor ille apud Virgilium:

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

Sed quod ad argumentum facile emblematis facit, non poſſum prætermittere illud Valerij Max. de neglecta religione: Deorum ſpreti monitus excandeſcunt, & humana conſilia caſtigantur, vbi ſe cœleſtibus præferunt. Etenim propter *ἀλαζονείαν καὶ μεγαληγορίαν* magnificos luit impia flatus Tãtalis, vt Statius cecinit Thebaid. 3. Huc congeram inſignem Pindari locum ex Olymp. 9. quo ſub Cadmi perſona monet vnumquemque, vt exemplo Penthei filij, piè & reuerenter de Dijs ſentire diſcat.

εἰδ' ἔστιν, ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ,
εἰς τοῦ δ' ἀθρήσας θάνατον ἡγείσθω θεούς.
τὸ σωφρονεῖν δὲ, καὶ σέβειν τὰ τῶν θεῶν
κάλλιστον οἶμαί γ' αὐτὸ, καὶ σοφώτατον
θνητοῖσιν εἶναι χρῆμα, τοῖσι χρωμένοις.

id eſt:

Si quis ſit, qui Deos contemnat, ad huius (nempè Penthei) *mortem reſpiciens, ſecum animo reputet eſſe Deos. At vero temperantem eſſe, & numen diuinum colere, cenſeo rem eſſe omnium pulcherrimam, & ſapientiſſimã hominibus, qui huic ſeſe implicant.*

Thamyris.

Sicquoq; Thamyris, cùm nimis fuiſſet arrogans ob poeticę facultatis peritiam, cum Muſis in certamen venire auſus, ſatis magnas ſuæ temeritatis pœnas dedit. Sic non leue ſupplicium paſſus eſt Marſyas, quia cum ipſo Deo, à quo canendi artem acceperat, de cantu contendere auſus eſt.

Marſyas.

Sic etiam Arachne fertur in beſtiam mutata, quia auſa fuit cum illa Dea de artificio texendi contendere, à qua artem didicerat.

Arachne.

Fuit Niobe Tantali & Euryanaſſe filia: ac Tantalus auaritia, Euryanaſſe opulentia eſt, ex his naſcitur mortaliũ ſuperbia, quã iamiam depictum ibo; cuius & Deorum deſpicientia, amicorum contemptus, & beneficiorum vel à Deo, vel ab hominibus acceptorum obliuio, aſſeclæ eſſe conſueuerunt.

Niobes mythologia.

Apellis mihi hic manum optarem & pigmenta, quibus ad viuum liceret depingere horrendum illud monſtrum, cœli exulem, ſali & ſoli pondus, Stygis incolam, Superbiam, inquam. Non oculus eſſet hominis tam curioſus, ſcio, quem ad intuendum voluptas traheret, vel amor picturæ; qui deſiderio duceretur oblectandi ſe terribili aſpectu iſto ac tetrico.

Deteſtatio ſuperbiæ.

Coloribus viuis ego non vtar, & carbo mihi pro penicillo erit, qui adumbret rem rudiori ductu, nec ad artis legem. Quid ad legem autem, vbi lex omnis contempta virtutis & honeſtatis? vbi ſceptrum libidini, clauus faſtui, fræna ambitioni committuntur? vbi calcatur ius & æquitas? vbi pudor & modeſtia ſub pedibus iacent? vbi nefas & flagitium iura dictat? Hiccine ad legem me componi poſſe & decorum feruare, vbi in dedecore ſummo & confuſione ſingula? Comicorum morem imitabor, & quod verbis non exprimo, declarabo ſignis & nutu: id eſt, producam & ſiſtam in theatro ventoſam illam & turgidam Axoli filiam Superbiam, quæ ventrem habet tumentem inani flatu velut vtrem, pedes longos ac rigidos, collum gruis inſtar erectum, manus ſicut cedros vicinas nubibus: metatur paſſus ac numerat librato corpore, ſpirat vt follis, tanquam Euros parturiens aut Aquilones; oculos rotat ac diducit, iactitat brachia, caput obliquat vt anſer, voluit grandia, quaſi mundum cerebro clauderet: aſſurgit ſpiritu, nec ſeipſam capit, contemnit Deum, ridet homines; ſimiæ mores refert, affectum pauonis: quidquid videt vanitatis, imitatur & effingit, & ſpectari vult, & oſtentat, non contenta decore ſuo niſi admirator adſit, qui monſtret digito. Calamiſtrum in dextra eſt & radius crinalis, in altera

Superbiæ deſcriptio.

cera ſpeculum: pro galea & thorace reticulum & vitta; ſuras ſandalium cingit. Et hæc ſic armata vincit tamen. O incuriam? Inſpeximus monſtrum, & quæ toruitas in vultu ac membris vidimus, nondum mores ac fructus, quos parit in obſtellis, o deformitas, quàm tibi conſorores? Profectò & iſti in lucem, à turpiſſima matre turpior proles, à putri trūco vitioſus ramus; hinc flos & fructus ad naturam ſtirpis. Ingrediatur ſuperbus, quibus ſignis hic morbum ſuum & generoſam indolem aperit? conſideremus eia. Bipedem ſciurum aut catum dicemus, cum manè ſurgit, ita pilos componit, effingit & refingit ſe, fricat, lambit, criſpat, ſurrigit, aut in tergum pendulos reijcit, vel intorquet cinnos, vnguentisq; ſaturat, rotādo digitis ſat implumem adhuc, & diſtractam in angulos, murinis caudis mediusfidius quàm ſimillimam barbulam; Ibi ſtat in obtutu ſpeculi defixus, ſubridet, miratur formam & egregiū illud decus naturæ, venuſtè obliquat oculos in humeros & latera: placet ſtatura, placet habitus, aſſurgit paulatim ſpiritu, & reciprocatur in ſui amorem tumés affectus, inflatus ſupra id, quod eſt, inani ac turgido faſtu. concipit nauſeam ac deſpectum aliorum, ſolus in ſui admiratione & mundo corporis, ſupra omnem molliciem fœmineam ac leuitatem occupatus. Si toga in collari minus decens, aut plica in palliosi calceus in pede fluens aut laxior, ſi ſtriatus thorax, aut ſollicantes caligæ, nec ad ſuras velut conglutinata tibialia, rapitur è furia & diras ſpuit, execratus opificis incuriam & errorem manus. Quem hic mihi næuum veſti aſperſit trifurcifer ille ſartor? vt Dij Deæq; perdant ſcelus. I puer, accerſe portentum hominis: pereat in via mala peſte; en, vt ludibrio ſim beſtiæ? Sic turbat ſuturæ vix notabilis error delicatulum, & magnum quiddam de authoritate ſibi detractum putat, ſonaret pauxillum in corio pedunculus. Lepidus homuncio. Quid tum? Egreditur in publicum, vbi prius ſepteno ſcreatu claſſicum cecinerit, quem tanto impetu promit, ac ſi pulmones euellere, & omnia viſcera euomere conaretur: iactat caput in omnes partes, quaſi muſcas in aere numeraturus aut hirundines: ad menſuram paſſus, quaſi qui ſementem ſpargit, certo ſpacio figit, & incedit natanti ſimilis, tanquam ad ictum tympani armatus miles. Nunc vibrat ſuras vt thyrſum quatiens, nunc extremo calce leuiter ſtringit humum, & circumfert ſe affectata quadam iactatione corporis. Docet naturam, non docetur gradum formare quaſi in libra pendulum. Cedite obuij, & locum honoratiorem concedite, niſi thraſonis malicis experiri armatam manum: vos quoq; iumenta ſiſtite, cum calcitrone enim vobis res eſt. Hæc leuitatis ſigna, quæ adhuc vel ætas excuſet, vel ſtoliditas, ſi non contemptus ſe admiſceat, & neſcio quæ præpoſtera philautia, vaniſſimæ perſuaſionis fulcro inſiſtens. Deuoluitur enim interdum eò dementię inflatus animus, vt cęcitate hac percuſſus nec agnoſcat authorem vitæ, nec bona & dona, quæ habet ex eo fonte, irriſor Dei atq; hominum. Et illum in admiratione ſui totus defixus hæret, non remittit agnitionis radios, grata ac humili beneficiorum recordatione, ad caput ipſum & primum oſtium caualis. In cœlo natum hoc flagitium, eò grauius, quò altior ruina ſ multatum enim perenni flammarum vſtione lucis Angelum in executorem transformauit diuinæ iuſtitiæ, horribili metamorphoſi. Prima igitur noxa hæc, vnde nocendi ac perdendi omnes formæ, ſeminarium malorum, quia excuſſit à ſupremo gradu celſitudinis ſpiritum inter cœleſtes choros principem, in voraginem calamitatis nunquam terminandæ; quod calcar erat perſecutionis in noſtrum genus, & exercendæ tyrannidis. Tantò ſtudioſius euitandum, quoniam qui tali ſcelere ſe contaminat, in Deum ipſum armare manus, & velut gigas quidam expellere de throno videtur; montes enim vaniſſimarum cogitationum aggeſtu ſurgenti in nubes conuectat, & de ſpolio cœli, exturbandoq; rege tacitus præſumit. Non hoc intendat, dic ſodes, cui alas iſtas tumētes agglutinat non quiſpiam Dedalus, ſed diabolus? Omninò: ſui enim memoriam deponit, ex quo formatus, & lucem auiti ac generoſi ſtemmatis in ſe traducit, vt nobilis proſapiæ ſplendorem degener ſpurius. Aſſurgit mente per ſcalam vanitatis & inanis gloriæ, non rectis & directis gradibus, ab infimo in altiorem ordine, ſed aſſultim ad culmen temerario paſſu. Periculoſum eſt ſtare in præcipitio & reſpicere, vertigo corripit & ſternit. Caue faſtus, ne idem tibi, aut ex te, cultori.

Superbi hominis viua idea.

φιλαυτία.

Superbiæ origo.

Impu-

Impudentia.

EMBLEMA LXVIII.



PVBE tenus mulier, ſuccincta latrantibus infra
Monſtrorum catulis, Scylla biformis erat.
Monſtra putantur auarities, audacia, raptus:
At Scylla eſt, nullus cui ſit in ore pudor.

COMMENTARII

I. *Scylla.* DE Scyllæ pictura ſic Pignorius: Scyllam qui viderint in anterioribus editionibus, non rideant, modò poſſint ſe continere. Nos illam è veteri ectypo hic & alibi exprimendam curauimus. Vides ergo hic fęminam alatam infima ſui parte in varia monſtrorum capita deſinentem. Hanc Hactius refert capita habere ſex, & duodecim pedes: *ἓξ μὲν κεφαλὰς ἔχων. κάμπης, κυνὸς: λέοντος. γοργόνης. φαλαίνης, ἀνθρώπου* *Sex habens capita, eruca, canis, leonis, Gorgonis, balana, fœmina.* Alij aliter eam deſcribunt, vt mox dicemus.

II. *Scylla in mõſtrum marinũ mutata.* SCYLLAM Phorci filiam, Glauci amore captam, Circe, quod eundem deperiret, ſic affecit, vt fontem, in quo Nympha ſe lauare conſueuerat, veneficijs & magicis herbis infecerit, cuius rei neſcia Scylla fontem de more ingreſſa, inferiores corporis ſui partes in caninos rictus vidit eſſe commutatos: quam tantam deformitatem horrens, in mare ſe præcipitem dedit & in ſaxum mutata. Poetis argumentum fabulæ præbuit. Homerus Odyſſ. μ Ouid. 14. Metamorph. Refertur etiam hęc fabula in prouerbio, *Charybdim fugiens incidi in*

Scyllam

Locus Iuſtini de Scylla.

Scyllam. Iuſtinus in Trogum 4. fabulæ de Scylla & Charybdi materiam Poetis ſuggeſtam ait ob fretum, quod in Sicilia citato ſæuoque impetu fertur, in quo vndarum inter ſe concurrentium tanta pugna fit, vt aliàs veluti terga dantes vorticibus in imũ deſidere, aliàs quaſi victrices in ſublime ferri videas: nunc hic fremitum feruentis æſtus, nunc illic gemitus in voragine deſidentis audias. Accedit perpetuum Aetnæ montis incendium: hinc latratus auditos: hinc monſtri credita ſimulacra, dum nauigantes magnis vorticibus pelagi deſidentis exterriti, latrare putant vndas, quas ſorbentis æſtus vorago collidit. Scyllam fuiſſe nauem triremem Palæphatus tradit. Salluſtius ſaxum putat eſſe in mari prominens, quod procul viſentibus muliebrem formam repræſentet, in quod illi fluctus, quoniam & luporum eiulatum, & canum latratum videntur imitari, finxerunt illam pube tenus feris huiuſmodi ſuccinctam eſſe.

Salluſtij locus.

Emblematis typus.

Heraclides Ponticus ait, ab Homero per Scyllam ſignificari omnis generis impudentiam, quæ non ab re canibus cingatur, rictibus audacia, rapina, & auaritia referris. Locum Græcum apponam, ex quo Alciatum puto ſuum Emblema duxiſſe: *σκύλλαν τε τὴν πολύμορφον ἀναίδειαν ἠλληγόρησε· διὸ δὴ κύνας οὐκ ἀλόγως ὑπέζωσαι, προτομαῖς ἁρπαγῇ, τολμῇ καὶ πλεονεξίᾳ πεφραγμέναις.* Virgilius ſic Scyllam depingit:

At Scyllam cæcis cohibet ſpelunca latebris
Ora exertãtem, & naues in ſaxa trahentẽ,
Prima hominis facies, & pulchro pectore
virgo
Pube tenus: poſtrema immani corpore pi-
ſtrix,
Delphinum caudas vtero cõmiſſa luporum.

Quæ carmina mythologicè ſunt intelligenda de libidine, impudentia, cõfuſione. Scylla enim meretrix eſt, quæ canibus lupiſq; inguina commiſcet. Ita Fulgent lib. 2. Mytholog. Cœlius Rhodig. lib. 14. cap. 3. Seneca epiſt. 93. Natalis Comes Mytholog. lib. 8. cap. 12 Succurrit mihi (inquit Franciſcus Sanctius) nunc Ariſtotelis locus in libro de moribus 2. circa finem, nuſquam, quod ſciam, ab interpretibus declaratus, qui etſi ad noſtrum emblema non maximè pertineat, ab Scylla tamen & Charybdi non abhorret omnino. Quem locum pro viribus explanare tentabimus, longè aliter quàm omnes intelligunt, quos & legere & audire contigerit. Verba igitur Ariſtotelis hæc ſunt: Quare omnes, qui mediocritatem inueſtigant & exquirũt, primum ab eo debẽt, quod magis ei contrariũ eſt, diſcedere, quemadmodũ Calypſo monebat: *Extra vndã & fumũ longè cõpelle carinã.* Hæc Ariſtoteles. Quo in loco primò eſt notandum, lapſum Ariſtotelem memoria, vt ſæpe ſolet, cum citat Homerum. Nam, vt omnes ibi notant, Calypſo poſuit pro Circe. Sed ego pro Calypſo reponendum cenſeo Vlyſſes. Locus enim, quem citat Ariſtoteles, eſt apud Homerum Odyſſ. 12. Verba autem ſunt Vlyſſis ad nauclerum ſuum, iubentis vt nauem deflectat longè à fumo & vnda, vbi erat Charybdis. Nam de Scylla non auſus eſt Vlyſſes verbum facere, ne & ſocios & nautam terreret multitudine periculorum, vt ipſemet Vlyſſes paulò inferius teſtatur. Deniq; intellige fumum & vndam, tantùm pro Charybdi. Monet enim Ariſtoteles, vt quando vitium aliquod fugere voluerimus, in contrarium deflectamus, ſic enim medium melius tenuerimus; idq; probat experimento, illorum, qui contortas virgas in rectum dirigunt. Ex his collige, fruſtra ſcripſiſſe Chiliadum autorem adagium illud, *Extra fumum & vndam.* Namq; neq; adagium illud eſt, nec locus explicatur, nec meritò taxatur Argyrophus, qui etſi non omnino ſcopum tetigit, minus tamen aberrauit in ſua tranſlatione. Præterea verſiculus ille, qui circumfertur incerto autore,

Ariſtotelis locus explicatur.

Incidit in Scyllã cupiẽs vitare Charybdim.

Adagiũ explicatum.

malè intelligitur à noſtris. Non enim ſignificatur minus periculum vitans in maius incidere, ſed contrà. Nam Scyllam minus malum eſſe quàm Charybdim, notius eſt quàm vt egeat admonitione. Hactenus Sanctius.

III.

PVBE tenus mulier] Impudentiæ nota. *εἰς σημεῖον τῆς ἀνοίας οὐκ ἐλάχιστον. quod non minimum amentiæ ſignum*, ait Galenus *προτρεπτικῷ ἐπὶ τέχνας.* Imitatus eſt autem Virgilium, qui ſic:

——& pulchro pectore virgo
Pube tenus.

Succincta latrantibus infra &c.] Inferiore ſui parte cincta quaſi monſtroſis canibus. Eſt altera imitatio Virgiliana:

Quid loquor aut Scyllam Niſi, quam fama
ſequuta eſt,

Candi-

Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris,
Dulichias vexaſſe rates?

Scylla duæ.

Ex quo loco aduertes duas fuiſſe Scyllas. Vna Niſi Megarenſium regis filia fuit, contra quos dum deuictis Athenienſibus pugnaret Minos, propter filij Androgei interitum, quem Athenienſes & Megarenſes dolo necauerant, amatus eſt à Scylla Niſi filia. Quæ vt hoſti poſſet placere, comam purpuream parenti abſciſſam ei obtulit: quam Niſus ita habuerat conſecratam, vt tamdiu regno potiretur, quamdiu illam habuiſſet intactam. Poſtea & Scylla à Minoe contempta, dolore in auem cirin, quæ & alauda dicitur, conuerſa eſt. Virgil. 1. Georg.

Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.

Vide fabulam apud Ouidium 8. Metam. Altera fuit filia Phorci, de qua hic ſermo eſt, quæ verſa fertur in ſaxum in mari periculoſum, de qua Ouid. 4 Metam. Has tamen plerumque Poetæ confundunt, vt 6. Faſt. Ouidius. Et Propertius lib. 4. ſic loquitur:

Quid mirum in patrios Scyllam ſæuiſſe capillos,
Cãdidaq; in ſæuos inguina verſa canes?

Ouidius in Amoribus:

Per nos Scylla patri canos furata capillos
Pube premit rabidos inguinibusque canes.

Idem 2. de remedio:

Præterita cautus Niſeida nauita gaudet.

Sunt qui volunt Virgilium vtramq; Scyllam coniunxiſſe, quapropter ſic verſum excudendum curarunt,

Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſequuta eſt.

Sed duriuſculus eſt verſus, nec credo Poetam ſic ſcriptum reliquiſſe, imò potiùs more poetico fabulas confudiſſe, vt vnã Scyllam pro altera acciperet. Nam & ipſe in Ciri varias refert opiniones, quem vide. Lege etiam Nannij Miſcellan. lib. 6. & Iacobum Bononienſem, Annotat. quas pauculas ſcripſit in Virgilium. Alciatus lib. 1. Parerg. cap. 6. contendit Virgilium τὸ πρέπον ſeruare voluiſſe, quæ vt plurimum falſa eſt: ſed id non placet Sanctio.

Monſtrorum catulis.] canibus monſtroſis. Virgil. dixit:

Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis.

Et Ouid. 4. Triſt.

Eſſe canes vtero ſub virginis.

Cicero de haruſpic. reſponſis: Quam Scyllam tam eminentibus canibus, tamque ieiunis Poetę fingendo exprimere potuerũt? &c. Canes porrò accipi pro rapacibus & exploratoribus hominum rapacium idem Cicero nõ ſine ſatyrico morſu nos docuit, vt lib. 1. in Verr. Debere, aiebat, ſuam rationem ducere: multa ſibi opus eſſe, multa canibus ſuis, quos circa ſe haberet. Et lib. 3. in eundem: Quid iſta cohors, quorum hominum eſt? Voluſij aruſpicis, & Cornelij medici, & horum canum, quos tribunal meum vides lambere? Eadem oratione: Qui cùm agros maximos ac feraciſſimos per ſeipſum, hoc eſt, per Apronium, Verrem alterum depopularetur, ad minores ciuitates habebat alios, quos tanquam canes immitteret, nequam homines, & improbos, quibus aut pecuniam, aut frumẽtum publicè dari cogebat. — *Canis pro rapaci.*

Scylla biformis] Supernè fœminam referens, infernè in caninos rictus deſinens. Dicitur vero Scylla *ἀπὸ τοῦ σκυλᾶν, à ſpoliãdo* ſcilicet: vel à *σκύλλειν, vexando*: licet quidam putarint *ἀπὸ τῶν σκυλάκων, à catulis* deriuari. — *Scylla vnde dicta.*

Monſtra putantur &c.] Mythologia. Monſtra Scyllam, id eſt, impudentiam comitantia ſunt auiditas, temeritas, rapina ſeu rapacitas.

Raptus.] hic raptus, pro rapina, poetico more; vt cogitatus, pro cogitatione: vt auſus pro audacia. In iure alioqui raptus dicitur contrectatio fraudulenta perſonarũ, propriè, vt in Cod. de raptoribus virgin. & in Decretal. 5. de raptoribus. Rapina verò fieri intelligitur in rebus mobilibus per vim ablatis, vt in tit. Vi bonor. rapt. — *Raptus.* *Rapina.*

At Scylla] ipſamet eſt τῆς ἀναιδείας typus ſeu imago. Vide omnino Cœl. Rhodigin. lib. 14. cap. 3. nolo enim ego hic impudenti turpitudine chartam inquinare.

IV. *Impudentia.*

QVIDNAM ſibi velit hoc emblema, ſatis ex ipſo epigrammate conſtare reor: appoſitè enim Alciatus id ad impudẽtiam tranſtulit, quæ tribus potiſſimum vitijs rabidiſſimis comes eſſe ſoleat, auaritię, ſiue rapinæ, audaciæ, inuidiæ, quæ ſub eleganti aut viri, aut mulieris forma plerumq; latitant. Quid enim non audeat impudens, qui nihil non ſibi permittit, turpe putat nil?

Rabulæ forenſes

Porrò hoc quicquid eſt emblematis, rectè torſeris in fori latratores, rabulas, quibus quid impudētius? quid rapacius? quid deniq; fraudulentius? qui dum iuſti & æqui patrocinium ſuſcipere aiunt, ſæpius alter affirmatiuam, alter negatiuam partē rei iudicādæ defendunt: vnde fit, vt vnus eorū iniuſtum ſemper tueatur, prout pars hunc vel illum conuenerit prius, idq; per plures dies, menſes, & annos, lites interdum immortales protrahentes, quoad miſerorum nummi penitus exhauriantur ac eloculentur, tantum abeſt vt bona publica & priuata defendant. Sed ne videar patris odio laborare, nihil dicam hic vltra de æruſcatoribus illis, quibus nulla religio eſt vel omnem hominem natum, vt dicebat Archilochus, decoriare, principis ſaltē ſui, cui placere hoc pacto ſtudeat, fiſcum vt adaugeant; & nec minus tamen prædam in ſinū ſuum conferant, vt eſt apud Lampridium. Et tamen hi in precio habentur, qui potius nouis illis tormentorum, hoc eſt, tributorum, vectigalium, portoriorum, quibus miſera plebs dilaniatur, excogitatis generibus digni erant, vt Perilli taurum æneum experirentur. Hos igitur morboniam abire exoptem; eum enim in locum lauerniones & gryphos iſtos, vel ipſis etiam felibus rapaciores ablegari video à Lipſio, lib. 4. de Repub. c. 11. Quò etiam ego amando Veſpaſianum cū vectigali ſuo vrinario.

Æruſcatores.

Φιλαυτία.

EMBLEMA LXIX.



QVOD nimium tua forma tibi, Narciſſe, placebat,
In florem, & noti eſt verſa ſtuporis olus.
Ingenij eſt marcor, cladesq́; φιλαυτία, doctos
Quæ peſſum plures datq́;, dedit q́; viros:
Qui veterum abiecta methodo, noua dogmata quærunt,
Nilq́; ſuas præter tradere phantaſias.

COMMENTARII.

IN fonte limpidiſſimo iuuenis formoſus vmbram ſuam ab aquis reuerberatam intentè contemplatur, iuxta quem ſui nominis flos, Narciſſus ſcilicet, prorũpit. Flos eſt purpureus, ſtellatus, de quo Plin. lib. 21. cap. 5. 11. & 19.

II. *Vaticinium Tireſiæ de Narciſſo.* TIRESIAS vates tamdiu victurũ Narciſſum prædixit, quamdiu à ſui conſpectu abſtineret. At ille ignarus infortunij, quod iamiam ſibi impendebat, viſam in fonte ſui vultus imaginem ſic deperijt, vt ſui amore captus miſerè contabuerit, & in florem ſui nominis commutatus ſit, qui Narce dicitur, teſte Plinio lib. 21. cap. 19. *Narce herba.* Eſt autem Narce, *νάρκη* ſiue *νάρκησις*, ſtupor, torpor, membrorumq; diſſolutio: & Narciſſus flos, ſi diutius naſo admoueatur, mentis torporem inducit, de quo vide Marcellum Virgilium in Dioſcoridem. Narciſſi fabulam refert Ouidius 3. Metamorph. De eodem vide Icones Philoſtrati, tit. Narciſſus, & Statium lib. 7. Thebaidos. *Narciſſi fabula.* Pauſanias in Bœoticis ſic ait de Narciſſo: In Theſpienſium terra locus eſt, qui Danacum appellatur: ibi Narciſſi fons viſitur: & aquam hanc inſpexiſſe Narciſſum ferunt, qui nõ intellexit ſuam ſe vmbram videre, ac ſeipſum à ſemetipſo amari ignorauit, atq; hoc amore iuxta fontem contabuit. Sed id planè inſulſum eſt, eo dementiæ quemquam peruenire, vt ex amoris ardore hominem ab hominis vmbra dignoſcere nequeat. Verum de eodem & alia quædam narrantur prioribus minus nota. Sororem Narciſſum gemellam habuiſſe, tum in alijs rebus ſpecie planè ſimilem, tum eãdem: vtrosq; comam habuiſſe vnicolorem, iiſdemq; veſtibus fuiſſe indutos, ſimul item venatum exijſſe: at Narciſſum in amorem incidiſſe ſororis. Mortua autem puella fontem adijt, & ſuam ſe videre imaginem intellexit. Qua re intellecta, non nihil alleuationis in amore ſenſit, tãquam non ſuam vmbram, ſed ſororis imaginem conſpicaretur. Hæc Pauſanias, qui & Narciſſum herbam multò ante Narciſſi mortem fuiſſe, teſtimonijs antiquiſſimorum probat. Vide plura de Narciſſo apud Nat. Comitem Mythol. lib. 9. cap. 16. Cæl. Rhodig. lib. 26. cap. 21.

QVOD nimium &c.] Deſcriptio φιλαύτου. Huic ſimile penè eſt Epigramma pictæ Poeſeos Bartholom. Anuli, quod propter elegantiam aſcribam: III.

Narciſſus liquidis formam ſpeculatus in vndis,
Contemnens alios, arſit amore ſui:
Tabuit, & ſenſim venienti in membra ſtupore,
Ipſe ſui, factus flos hyacinthus, amans.
Hinc fugite (o iuuenes) fons iſte Philautia, ſeipſum
Stultus vbi, cũ ſe non bene norit, amat.

Euolue pulcherrimam diſputationem ea de re Marſilij Ficini, Orat. 6. c. 17. in conuiuium Platonicum.

Tua forma tibi, Narciſſe, placebat.] Plutarch. Sympoſiac. 5. quæſtion. 7. refert, idem accidiſſe cuidam, quem Eutelidã nominat, qui cùm ſe in vndis aſpectaret, amore ſui captus, penè perijt, dum ita deperiret.

In florem] tibi cognominem, id eſt, Narciſſum.

Noti ſtuporis] Narciſſus enim flos dicitur à *νάρκη*, quod ſtuporem ſonat; vel *ἀπὸ τοῦ ναρκᾶν*, *torpeſcere*. Vnde etiam flos ipſe caput tentat. *Narciſſus vnde dictus.*

Olus] Olus dicitur omnis herba ſatiua. *Olus.*

Marcor] putredo, caries. Metaphora, pro eo quod eſt deprauatio, *φιλαυτία* enim ingenio inducit quaſi marcorem & exitium. *Marcor.*

Cladesq;] mors & exitium, alia metaphora.

φιλαυτία] *φιλαυτία*, vt vertit 1. Carm. Ode *Philautia.*

Ode 18. Horatius, eſt cæcus amor ſui; cuius verba elegantiſſima ad Bacchum, ſubſcribam :

——Sæua tene cum Berecynthio
Cornu tympana, quæ ſubſequitur cæcus amor ſui,
Attollens vacuũ plus nimio gloria verticẽ.

De φιλαυτία vide prouerbia, *Suum cuiq; pulchrum.* & φίλαυτοι. Adi etiam Ariſtotelem lib. 9. Moral. cap. 7. & 8.

Peſſum. *Peſſum plures datq; deditq;*] pro, peſſundat, & peſſundedit, tmeſis. Peſſum, à πεσεῖν, *cadere*, ſignificat deorſum, quaſi ſub pedes proiectum. Apul. lib. 5. Niſi eam peſſum de tantis opibus deiecero. Lucret. lib. 6.

Multaq; præterea ceciderunt mœnia magnis
Motibus in terris, & multa per mare peſsũ
Subſedere ſuis pariter cum ciuibus vrbes.

Qui veterum abiecta methodo] Qui à veterum doctrina, docendiq; ratione deſciſcentes, nouam quandam ſectam induxerunt. *Methodus.* Methodus eſt compendioſa via, ſeu præceptio: ſiquidem ὁδὸς, viam ſignificat, & μέθοδος, viam breuiuſculam & compendioſam, qua incedere vetuit Pythagoras. Vnde abbreuiationes & artium præceptiones hoc vocabulo ab Ariſtotele intelliguntur.

Nilq; ſuas præter] ijq; nil aliud tradere voluerunt, quàm quod eorum dictabat libido.

Phãtaſia. *Phantaſias.*] Opiniones. φαντασίας Fabius lib. 10. cap. 7. & lib. 12. cap. 10. appellat rerum viſiones & imagines, Cicero 1. Academ. Viſa. Ariſtoteles 2. de Anima, phantaſiam deſcribit phantaſticæ virtutis operationem, ſcilicet motum à ſenſu ſecundum actum facto. Vnde patet differentia inter phantaſiam & phantaſma, quam phantaſma eſt imaginatio vel viſio eius, quod non eſt: phantaſia autem ſolùm eius quod eſt, authore Suida. Ego cum Socrate per canem & anſerem iurare paratus ſum, *Phãtaſia morbus.* Alciatum hoc loco reſpexiſſe ad phantaſiã morbum, quæ eſt intellectus vel cogitationis deprauatio, de qua Galenus interiorum 3. Affectio, inquit, quæ dicitur phantaſia, nil aliud eſt, quàm intellectus corruptio. Quam etiam tangit Celſus lib. 3. vbi phreneſis ſpecies exequitur. Hinc à communi iudicio deuios ſimplex vulgus phantaſticos nuncupat. *Bizari.* Hos Itali paſſim Byzaros dicunt, credo ab inconditis moribus populorum, qui in Ponto dicuntur Byzares, vt inquit Stephanus, meminitque Valerius Flaccus: *Byzareſq; vagi.*

I. V. NOTANTVR hoc figmento, qui à veterum legibus & inſtitutis deſciſcentes, nouam quandam doctrinę formam conſectantur: tamq; ſibi placent, vt licet obtuſiores reuera ſint, quicquid tamen præcipiũt, violentius aliquantum inculcant, neglecta prorſus & obliterata maiorum via & ratione: eoque deuentum eſt, vt fidem illam canam, & priſcam veterum auctoritatem præ ſua opinione nihili ducant: tanta eſt cæcutientia, ſtultitia atq; peruerſitas. *Noui doctores reprehenſi.* Tales ſunt νεόσοφοι quidam impudentiſſimi, qui nouorum dogmatum perſuaſione populum incautum ineſcant, verborumq; phaleris ſic protelant & peruertunt, vt miſerrimi homines errore periti, quaſi guſtata loto, libenter à Chriſtianæ Reipubl. communione, ſuo magno malo, deſciſcãt. Tam enim ſunt perfrictæ frontis, vt ſua dogmata omnium eſſe certiſſima verbis ſcriptiſq; aſſerere nõ veriti, nullam aliam meliorem, aut certiorem de religione traditam fuiſſe ſententiam, quàm quæ à ſe ſuiſque tradatur, affirment. Sicq; plurimorum damno & pernicie deteſtandam φιλαυτίαν in rebus diuinis experimur. *Imperiti φίλαυτοι.* Poteſt & hoc torqueri commodè in imperitos, & ἀμύσους rerum ſuarum non æquos admiratores, quibus ſanè (vt Comicus ait) nihil vnquã quicquam iniuſtius: nihil enim rectum putant niſi quod ipſi fecerint: quo fit, vt aliena tam impensè carpendo, ſuaq; plus quã par eſt, admirando, ingenioli flos abſq; vllo fructu facillimè marceſcat. Vnde meritò illud repetam, quod Alciatus in quadã Oratione dixit: Nullam eſſe pernicioſiorem ſtudiorum calamitatem, quàm ſui ipſius confidentiam & admirationem, quem morbum Græci φιλαυτίαν appellant. Eſt enim ea lues adulatione deterior, eoq; hominem inducit, vt ſe exiſtimet optimè ſcire quæ non intelligit, redditque eum negligentem, ſuperbum, otioſum, aliorum contemptorem. Emendatur autem hic error non tam oratione quàm frequenti auditu & collatione, quę cum peritioribus habetur. Quapropter, inquit ille, cauẽdum ab hac bellua: nullus enim erit veræ ſapientiæ capitalior hoſtis, quàm qui meliorum præceptorum dogmata flocci facit. Diui-

uus Plato, quem tanquam raræ alicuius & veræ ſapientiæ terreſtre oraculum meritò docti omnes ſuſcipiunt ac venerantur, lib. 5. De leg. auream planè ſententiam pari verborum pondere ſcriptis mandauit: πάντων δὲ μέγιστον κακὸν ἀνθρώποις τοῖς πολλοῖς ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐστὶν, οὗ πᾶς αὑτῷ συγγνώμην ἔχων ἀποφυγὴν οὐδεμίαν μηχανᾶται· τοῦτο δ' ἐστὶν ὃ λέγουσιν, ὡς φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τε ἐστὶ καὶ ὀρθῶς ἔχει τὸ δεῖν εἶναι τοιοῦτον· τὸ δ' ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημάτων διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίνεται ἑκάστοτε. Quæ ſingula ſi diligenter expendamus, ſuppetet nobis accommodatum certè & præſens amuletum ad arcendum, aut minuendum hunc animi errorem, hominibus quidem gratum, ſed tamen exitialem. In primis enim φιλαυτίαν non abs re appellat maximum quoddam malum, innatum in meliore hominis parte, nempè animo: & eo quidem deterius ac præſentius, quòd licet eo plerique morbo correpti ſint, non tamen vnquam de remedio quærendo, aut parti malè affectæ applicando cogitant, vt tandem ſani poſſint euadere. Atqui nulla exitialior aut damnoſior ægritudo eſt, quàm quæ ſui ſenſum adimit, ita vt ἀναισθησίαν quandam inducat, & tenaciter foueat: quo fit, vt omni animi contentione & induſtria in eo malo periculoſiſſimo propulſando ſit enitendum, & eò maior cura conferenda, quò morbus hic (in quo ſit fons, & certè principium aliorum omnium, quæ in animum cadere poſſunt, vitiorum) grauiores affert corruptiones, clademque ingenij præſentiorem. Nulla enim ratione fieri poteſt, vt qui hac perculſus peſte oberret, ſanum vel in alijs, vel in ſeipſo iudicium retineat, cùm ſe non norit: quandoquidem ſit in oculis mentis infuſa caligo tam dẽſa, tamque ſpiſſa, vt vel apertis oculis nihil videat. Itaq; qui ſui capitur amore, non verè ſeſe amare poteſt, ſed falſam quandam de ſe opinionem, vt vmbram aliquam, quaſi qui in tenebris palpat, oſcitanter aucupatur. At verò (vt Plato docet) ſeipſum à ſeipſo falli πάντων χαλεπώτατον, imò verò adijciam δεινότατον καὶ ἀθλιώτατον. Cum enim impoſtor ipſe præſtò ſemper habeatur, nec minimùm quidem abſcedat, quo pacto non eſſet grauiſſimum malum, inprimiſque deplorandum? Cæcitas hæc omnium maximè intolerabilis, cùm inſcitiam noſtram ſapientiæ loco habemus. & quanquam omnium penè rerum ignoratio ne laboremus, tamen nos omnia ingenio aſſecutos arbitramur. Tolerabile alioqui vitium, ſi ea tantùm placerent, quæ ingenij ſpecimina quædam præ ſe ferunt, aut alia generis eiuſdem: in quibus ſi tantùm fallimur, nec fallimus, aut ſi ſic fallimur, vt melioribus & peritioribus aurem patẽtem agnito errore præbeamus, nemo eſt qui non veniale putet. Quotus autem quiſque eſt, qui placido ferat animo, quòd ipſi naui, & vitia tam impensè nobis placeant, velut amatorem amica, vt ait Flaccus,

Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam
ipſa hæc
Delectant, veluti Balbinum polypus Agnæ.

Quò fit, vt vero verius dictum ſit à Theocrito (vt id ad noſtrum ſermonem conuertamus.) ——ἔρωτι

Πολλάκις, ὦ Πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. id eſt,

——Haud rarò Polypheme,
Quæ minimè ſunt pulchra, ea pulchra videntur amori.

Nimirum id in cauſſa eſt, quod, vt ait Varro, Omnes videmur nobis eſſe belli, feſtiui, ſaperdæ, cum ſimus σαπροί. Id tametſi omnibus generaliter verum eſt, tamen in artifices, atq; ex his potiſſimum poetas, adhæc in amãtes præcipuè quadrare videtur. Etenim rectiſſimè ſcripſit Ariſtoteles lib. 4. Moral. Suo quemq; artificem opere impenſe delectari, nõ aliter, quàm rebus quibuſdam ex ſeſe prognatis. Neq; ſecus adamant ſua carmina poetæ, quam parentes liberos. Eſt enim artificis opus quaſi quidam ingenij fœtus: de quo Socrates ait, rectius iudicare obſtetricem quàm matrem ipſam. Sponſis item amantibus mos eſt, ſuam cuiq; ſponſam certatim extollere. Cuius rei ſat magnum exemplum extat de Tarquinijs adoleſcentibus. Vnde & hodie vulgo ſcitè dicunt: Nullum reperiri deformem amaſium, propterea quòd amãti vel non pulchra pulcherrima videãtur. Hinc illud Plautinum in Sticho:

Suus rex reginæ placet: ſua cuique ſponſa ſponſo.

Id quoq; optimè denotare videtur apologus ille. In auium concilio dixit aquila, ſe in aulicos eligere velle formoſiſſimos quotque aliarum auium filios. Cùm igitur certaim

Marginal notes: *Præclarus Platonis locus.* — *φιλαυτία morbus maximus.* — *Cæcitas animi maxima.* — *Suum cui que pulchrum.* — *Apologus de bubone.*

tatim quęq; ſuos offerret, bubo, O regina, inquit, accipe meos, qui cæteros pulchritudine ſuperant. Qua forma, ſubdit aquila, ſunt filij tui? Qua ego ſum, reſpondit bubo. Tunc omnes vehementi cachinno commotæ fuerunt. Sed eſto hoc venia dignum, vt ſuis quiſq; liberis, ſuis artibus, ſuo inſtituto, ſuis inuentis, ſuæ patriæ paulò impenſiùs faueat; niſi eò cæcitatis rapiamur, vt & virtutes alienas calumniemur, & noſtris blandiamur vitijs, eaq; virtutum nomine donemus: ac ſibi quiſq; ſit, quod ſibi fuit Suffenus Catullianus, aut Mœuius Horatianus. Quod vitij Flaccus in Epiſtolis notans inquit:

Dum mala delectant mea me, vel denique fallant.

Ex Ariſtonymo citatur illud: *ἐςὶν ἐν βίῳ μάλιςα βλάπτον, τὸ ἀνοήτους ὄντας τοὺς πολλοὺς, οἴεσθαι φρονίμους εἶναι. Id in primis eſt in vita humana noxium, quod permulti cùm ſe ſapere putent, tamen deſipiãt.* Quamobrem nihil deterius aut periculoſius, quàm nimium fidere. Certè (vt de me ipſo aliquid) ſum ſatis mihi conſcius, quàm debili & penè nullo ingenio ſim: ſi quid tamen ſit, nũquam vllatenus me profeciſſe liberè confiteor, quàm cùm ignorare me multa, & quidem penè omnia primũ agnoui, tumq; meo non minimo ſumptu deprehendi, & apertis, quod dicitur, oculis expertus ſum, quàm nõ ſit tutum aliorum iudicio & famæ incumbere. Nam ſæpenumero contingit, vt nos plerique præſentes laudent, vel amore, aut alio quouis affectu ducti, ſicq; de nobis bene mereri putant, cùm ſæpius vt de coloribus cæci, ſic ij de noſtro captu & in literis, aut etiam honeſtis actionibus profectu ſentiant. Interea tamen eorum in ſententiam pedibus imus, quod aiunt, atq; importunè falli nos ſinimus. Craſſam mehercle & ſupinam credulitatem. Agnouit lubens Socrates de ſe Phyſiognomi iudicium, talemq; à natura fore ſe palam faſſus eſt, niſi ſe Philoſophiæ excolendum tradidiſſet. A qua quidem modeſtia longè ſemper abſumus, qui ementitos quoſdam ſapientiæ colores, & imaginaria virtutum ornamenta nobis ineſſe demiramur, & vt vera credimus abſolutaque, quaſi quibus ad perfectionem addi nihil poſſit, ideoq; moleſtè ferimus, ſi qui, dum noſtri mentionem faciunt, non ſatis honorificè loquantur, eaque tribuant, quæ nos

Aſſentationis malum.

Socratis modeſtia.

minimè attingunt, vel etiam nullo modo ad nos attinent. Qui morbus vt deploratiſſimus ſanari ęgrè poteſt, niſi tamen aliquãdo meliore quodam impulſi genio, potius ſpectemus quid nobis deſit, quàm quid adſit. Si quid enim adeſt, cauendum eſt imprimis ne effluat, aut pretio ampliori quàm par ſit, æſtimatum vileſcat apud alios: ſi quid deeſt, quod ſciamus ornamento nobis eſſe poſſe & vſui, efficiendum eſt, vt labore & diligentia comparari à nobis & conquiri poſſit. Sed in primis meminiſſe debemus, ſubindeque animo repetere, non quantum cæteris excellimus, ſed quantum alijs ſimus inferiores, & quàm alioqui deteriores. Bene Seneca libello de vitæ tranquillitate: Puto multos potuiſſe ad ſapientiam peruenire niſi putaſſent ſe perueniſſe. Illud enim *φιλαυτίας* vitium tam nobis familiare ac domeſticum, ſed tamen in primis exitioſum, præterquàm quòd tumorem, inuidiam, audaciam, & deſidiam fouet, ſolet etiam vnà ſecum aduehere & alere turpiſſimam ignorationem, quam meritò Sophocles *δυσπέλαςον κακὸν* appellat. Veteribus illud in ore fuit, eum malignos habere vicinos, qui ſui laudator fuerit. Idcircò numquam probata eſt illa plus æquo pruriens *φιλαυτίας* opinio in Aſtydamante hiſtrione, quòd ſuas ipſe laudes inſcribi vellet ſtatuæ, quam meruerat. Non enim populus hominis votum inſolens ſibi ferendum eſſe putauit, quanquam de ſua patria bene meriti. At quod penè mihi, dum ad alia propero, exciderat, Suidas auctor eſt, Nymphas à Narciſſo ſpretas veriſſimè dixiſſe:

πολλοί σέ τε μισήσουσιν, ἂν σαυτὸν φιλῇς.
Et multi te oderint, ſi tu te ipſum ames.

Quid tam malè audijt Sophiſtarum nomen, niſi ob effrenatam illam, & cæcam ſui admirationem? Socrates vt eorum importunitatem frangeret atq; eluderet (illi enim nihil ſe neſcire iactabant impudentius) eoſq; contrarijs armis oppugnaret, nempè honeſta diſſimulatione potius, quã pari verborum ſtrepitu atq; contentione, dicebat hoc vnũ ſe ſcire, quòd rerum omnium eſſet inſcius. Id verò non aiebat, vt falſa de ſe loqueretur, apud eos pręſertim, quorum familiari conſuetudine vtebatur, ſed vt aſſereret ea lubens omnia ſe neſcire, quæ tam impudenti fronte ſibi arrogabãt triuiales illi *ματαιόλογοι*, qui ſic liberales

Quæ ſequantur φιλαυτίαν.

Aſtydamas hiſtrio.

Sophiſta.

diſciplinas, ipſamque Philoſophiam oſtentando, reuera proſtituerent & profanarent: aut potius vt ſignificaret ad veram ſolidamque ſapientiam neminem accedere vnquam poſſe, niſi primùm ſe norit ignorare. Sunt enim quidam ingenio tam ſtolido & lubrico, qui cùm nondum primoribus labijs literas deguſtarint, falſam tamen ſibi ſcientiæ perſuaſionem induant. Ex quibus alij ſe αὐτοδιδάκτες, alij πανσόφους καὶ πανεπιστήμονας efferre non verentur: alij alios quoſcumque conuellunt & impetunt, in quorum vel leuiculis & venia dignis erratis ingenioſiores, non perpendunt, ὅτι μωμήσασθαι ῥᾶον ἐστὶν ἢ μιμήσασθαι. ſibi nempè ignoſcunt, vt Mæuius ille Horatianus, qui ſeipſum ignorans carpebat alios, ſeque venia dignum cenſebat. Quamobrem audijt ad extremum, ſtultum & improbũ hunc amorem eſſe, dignumque notari. At quanto in errore verſantur, qui ſibi primas nullo rubore tribuunt? Agathocles Peripateticus cùm apud Demonactem iactaret, ſe ſolum & primum eſſe Dialecticorum, audiuit: Si ſolus es, qui primus? ſi primus, qui ſolus potes eſſe? Non eſt quòd repetam literatoris illius Rhemnij intolerabilem arrogantiam, cùm diceret, vnà ſecum natas, & tãdem perituras diſciplinas.

Rhēnius Palamõ.

Nec eſt quòd memorem duorum in Philoſophia principum notam ſatis & peruulgatam φιλαυτίαν, Ariſtotelis nempè & Ciceronis; quorum hic tam ſuæ ipſemet induſtriæ & ingenio tribuit, vt nullis ferè in procœmijs laudem propriam conticuerit: ille verò, quòd non modò ſuis in eodem Philoſophico curriculo certatoribus parùm fauerit, ſed quòd contradicendi ſtudio doctorem etiam Platonem vexarit, ſui nominis celebritatem non parùm obſcurauit.

Ariſtoteles & Cicero φίλαυτοι.

Illi ipſi Philoſophi libris, quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen etiam ſuum præfigi volunt. Vnde Heraclitus rectè arrogantiam ſacrum nuncupauit morbum: vel quia præſtantiſſimus quiſq; ea in primis peſte implicetur: vel quia vltima rerum linea mors, afferre medelam valeat. Permittatur hoc ad inflammandum ſtudium, & exercendam doctorum hominum induſtriam: *honos enim alit artes*; nulluſq; ſui laboris præmio, & contentionis honeſtæ laude fruſtrandus eſt. At quis ſanæ mentis eum dixerit, qui ſibi plura quàm habeat, arroget? Narrat Athenæus lib. 12. cap. vltimò, Traſylaum quendam tanta inſania fuiſſe percitum, vt quotquot naues in Pyræum appellerent, ſuas eſſe crederet: eas enim voluptate quadam incredibili numerabat, alijſq; ſuam fortunam lubens communicabat; quod ſi qua naufragium feciſſet, nil inde mœroris concipiebat: donec frater eius è Sicilia reuerſus, hominem medico committeret, is vbi reſipuiſſet, affirmauit ſe nũquam vixiſſe feliciùs, quàm cùm eo mentis errore teneretur, quippè qui in tanta voluptate nihil moleſtiæ ſenſiſſet.

Philoſophi φίλαυτοι.

Thraſylaus inſanus.

Perinde ſe habent φίλαυτοι, aut reuera deteriùs, quandoquidem vt alijs nocumento ſint, anxiè ſtudent, tum vel maximè quòd honorem alienum ſibi audaciùs arrogant, aut quòd aliorum conatum nigro loliginis ſucco, & mera ærugine conſpergant. Olim diſcipulis mos erat, vt proprio etiam Marte reperta ad præceptores referrent. Quem morem ſecutus Plato 2. ad Dionyſium Epiſtola fatetur, quicquid ſcripſerit, non ſua, ſed Socratis eſſe.

Platonis modeſtia.

Qui leges primùm tulerunt ad curandos mores, aut continendos hominum animos, earum inuentionem non ſibi, ſed alieni numini tribuerunt: tum vt diuinitatis nomine, quaſi obtento aliquo velo, plus haberent auctoritatis, tum vt inſererent rudiorum animis, leges, vt pulcherrimum Deorum inuentum, ſic & vtiliſſimum, à nemine eſſe violandas, ſed toto pectore colendas, tuendas, amandas.

Legum latores primi.

Sic & priores illi, cùm referrent omnium artium & diſciplinarum inuentionem ad primam illam cauſſam, id eſt, præpotentem rerum omnium opificem Deum, Palladem è Iouis cerebro natam eſſe commenti ſunt. Quorſum hæc? vt nimirùm intelligamus, quàm in omnibus pulcherrima ſit modeſtia, quamque turpis valdeque pernicioſa φιλαυτία. Concludam itaq; cum Platone, dicamque eum, qui magnus eſt futurus, maximè decere, neq; ſe, neq; ſua ſic admirari, vt nihil putet exactius, nihil melius: διὸ πάντα ἄνθρωπον χρὴ φεύγειν τὸ σφόδρα φιλεῖν αὐτὸν, τὸν δ' αὐτοῦ βελτίω διώκειν δεῖ μηδεμίαν αἰσχύνην ἐπὶ τῷ τοιούτῳ πρόσθεν ποιούμενον. Idcirco eſt operæ pretiũ, vt quiſq; nimium ſui amorem fugiat, meliores inſequatur, nullo verecundiæ rubore præpeditus. Repeto illud Platonis Cratylo: τὸ γὰρ ἐξαπατᾶσθαι ὑφ' αὐτοῦ πάντων χαλεπώτατον, ὅταν γὰρ μηδὲν σμι-

κρὸν

χρὸν ἀποστατῇ, ἀλλ' ἀεὶ παρῇ ὁ ἐξαπατήσων, πῶς οὐ δεινόν; A ſeipſo decipi aliquem, res eſt omnium peſſima. nam quando ſui ipſius impoſtor ne vel minimùm à ſe diſcedat, ſed ipſi ſemper adſit, quis non dicat hoc eſſe moleſtum? Verecundè hoc ita poeta princeps:

——non ego Daphnim
Cantãdo metuã, ſi numquam fallit imago.

& M. Tullius: Niſi me communis decipiat φιλαυτία. Luſit in quemdam ſui nimio plus confidentem Strobilum, vir catus, & ſui natura minimè dicax, his omnino ſpiculis:

In ſpeculo, & vitreus ſeſe dum ſpectat in vndus
Cherilus, & nimio flagrat amore ſui.
E doctore vago bacchatur vappa, ſuosq;
Collegas nihili cæcus, inersq; facit.
Ringit, & ipſe ſuos patitur pro crimine manes;
Sic neq; ſe inſanum cogitat eſſe miſer.

Succurrebat pridem exemplum Theſſali apud Plin. Hiſtoriæ mundi lib. 29. vbi ſic: Eadem ætas, Neronis principatu ad Theſſalum tranſiliuit, delentem cuncta maiorum placita, & rabie quadam in omnes æui medicos perorantem. Hic tanta arrogantia fuit, vt Iatronicem ſe inſcripſerit, quaſi medicorum victorem. Nihil inferior fuit Menecratis medici arrogantia, qui, cùm quædam deſperatæ curationes ipſi feliciter ceſſiſſent, populari adulatione dictus eſt Iupiter. Hoc cognomento vir arrogantis ingenij delectatus, inſolentius vſus eſt eo pro titulo. Tandem Ageſilao ſcribens, litteris hanc præfixit ſalutationem: Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem. Rex eo offenſus prooemio nihil vltra legere dignatus eſt, ſed reſcripſit in hunc modum: Rex Ageſilaus Menecrati ſanitatem. arguens hominis inſaniam. Nunc ad alia.

Theſſali arrogantia.

Menecrates.

Garrulitas.

EMBLEMA LXX.



QVID matutinos Progne mihi garrula ſomnos
Rumpis, & obſtrepero Daulias ore canis?
Dignus Epops Tereus, qui maluit enſe putare,
Quam linguam immodicam ſtirpitus eruere.

COMMENTARII.

I. PICTVRA, quæ hic repræſentatur, homo ſcilicet humi reclinatus & dormitabundus, ſuperius verò hirundo in ſuo luteo, quod ſub trabe fixit opere, non ſatis facit ad meam ſaliuam; magis placet illa, quam editio Lugdunenſis habet. Quod ſi nodum in ſcirpo quærere fas ſit, ſic ego effingerem. *Alia pictura.* In cubiculo aperto hominem in lecto collocarem, ibiq; hirundinem aut circumuolitantem, aut extra nidum reſidentem (in nido ſiquidem plerumq; conticeſcit) exprimerem. Et quia Alciatus hic pro iure poetico hirundinem & luſciniam confundit, idem in pictura imitarer, & foris in arbore reſidentem luſciniam affingerem; nam ſic quoque garrulitas importunior notaretur. Ad deſignandum verò tempus matutinum, Solis radij è ſummis montium apicibus prominentes (vt habet editio Rouilliana) mihi ſigno eſſent.

II. *Character huius Emblematis.* IMITATVS eſt Anacreontis Odam εἰς χελιδόνα, quæ ſic habet:

Τί σοι θέλεις ποιήσω,
Τί σοι λάλη χελιδών;
Τὰ ταρσά σου τὰ κοῦφα
Θέλεις λαβὼν ψαλίξω,
ἢ μᾶλλον ἔνδοθέν σου
Τὴν γλῶσσαν, ὡς ὁ Τηρεὺς
Ἐκεῖνος, ἐκθερίξω;
Τί μου καλῶν ὀνείρων
Ὑπορθρίαισι φωναῖς
Ἀφήρπασας Βάθυλλον;

Ad verbum ſic ſonat:

Quid tibi vis faciam,
Quid tibi loquax hirundo?
Pennas tuas leues
Vis abreptas forſice reſecem?
Aut potiùs internam hanc
Linguam, vt Tereus
Ille, demetam?
Quid mihi gratos ſomnos
Matutinis vocibus
Eripuiſti Bathyllum?

Eandem ſic Latijs numeris donauit H. Stephanus:

Quibus loquax, quibuſnam
Te plectam hirundo pœnis?
Vtrùmne vis volucres
Alas tibi recidam?
Imam ſecemve linguam
Tibi quod ille Tereus
Feciſſe fertur olim?
Nam tu quid ante lucem
Meas ſtrepens ad aures,
E ſomnijs beatis
Mihi rapis Bathyllum?

Minos verò ſic:

Quaſnam tibi parabo
Pœnas, loquax hirundo?
Pennas tuas recidam
An forſice has volucres?
Tuam ſecemve linguam,
Olim vt tibi ille Tereus?
Nam manè garriendo
Gratum mihi ſoporem,
Meum rapis Bathyllum.

Eiuſdem argumenti eſt lib. 1. Epigr. Græcor. ἀργαντα... hexaſtichon galli indignantis, vt apud Lucianum Micylli, quòd eum importuno ſuo cantu excitatum, ſuauiſſimo ſomno priuarit; ideoque malum illi imprecatur. Hic autem hirundinem obiurgat, ſomnos matutinos auertentem, ſuoque importuno cantu dormientes interturbantem. Sanctius cenſet ſermonem fieri potiùs ad luſciniam; idq; probare conatur ex epitheto *garrula*, vt infra ſuo loco dicetur. Sed ad intelligentiam Emblematis, & eorum, quæ dicturi ſumus de Progne & Philomela, fabulam de Tereo præmittemus, quam multis verſibus deſcribit Ouidius in fine 6. Metamorph. Tereus itaque Rex Thracum fuit, qui cum Pandionis Regis Athenarum filiam, Prognem nomine, *Fabula de Tereo.* duxiſſet vxorem, & poſt aliquantum tempus ab ea rogaretur, vt ſibi Philomelam ſororem videndam accerſeret, profectus Athenas dum adducit puellam, eam vitiauit: ac ne cuiquam ſcelus indicaret, linguã illi amputauit, ſororem periiſſe coniugi affir-

affirmans. Illa tamen rem in veſte ſuo cruore deſcriptam miſit ſorori: qua re cognita Progne Itym filium interemit, & patri epulandum appoſuit. Poſtea omnes in aues mutati ſunt: Tereus in vpupam, Itys in phaſianum, Progne in hirundinem (vt communior fert opinio) Philomela in luſciniam.

III. *QVID matutinos ſomnos*] Qui ſunt longè ſuauiſſimi. Hinc intellige otium quietum, & à cōtentione laborum vacationem; quę tamen quies aliquando interrumpitur *Matuta.* importuna quorundam nugacitate. Matutinus dicitur à Matuta, id eſt, Aurora, quæ matutino tempori præeſt, Græci λευκόθεαν vocant. Ouidius 6. Faſt.

Leucothea Graijs, Matuta vocabere noſtris.

Videtur autem Alciatus primum hūc verſum ex Martiale mutuatus lib. 14.

Si matutinos facilè eſt tibi rūpere ſomnos

Lucanus in tertio:

Dum non ſecuros liceat mihi rumpere ſomnos.

Statius 2. Siluarum:

Et matutinos abrūpere murmure ſomnos.

Progne] Hirundo. Videtur autem hic noſter Alciatus Prognen cum Philomela confundere, cuius linguam Tereus abſcidit, cum ei vim intuliſſet, non autem Prognæ vxori. Num verò Progne in hirundinem mutata ſit, vel in luſciniam,

De metamorphoſi Prognes & Philomelæ diuerſæ opiniones.

Grammatici certant, & adhuc ſub iudice lis eſt.

Ouid. 6. Metamorph. vbi fabulam narrat, etſi non exprimat, quæ illarum in luſciniam, quæve in hirundinem mutata ſit, inquit enim: *Ouidij.*

Pendebant pennis: quarū petit altera ſiluas,
Altera tecta ſubit, neq; adhuc de pectore cædis
Exceſſere notæ, ſignataq; ſanguine pluma eſt.

attamen 2. Faſtor. Prognen in hirundinem transformatam canit:

Fallimur, an veris prænuncia venit hirūdo,
Et metuit ne qua verſa recurrat hyems?
Sæpe tamen Progne nimium properaſſe quereris:
Virq; tuo Tereus frigore lætus erit.

Seruij. Idem ſentit Seruius, explicans illud Virgilij carmen ex Ecloga 6.

Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.

Atqui, inquit ille, Progne hoc fecit, ſed abutitur nomine, aut illi imputat, propter quam factum eſt. Probus verò eundem locum explicans Prognen in luſciniam dicit transformatam. Martialis & communior opinio Philomelam in luſciniam mutatam aſſerunt, ſic enim ille 14. Epigram. *Probi.* *Martialis.*

Flet Philomela nefas inceſti Tereos; & quæ
Muta puella fuit, garrula fertur auis.

Cæterùm non deſunt, qui contrarium ſentiant, & Prognem in luſciniam, Philomelam in hirundinem mutatam aſſerant: vt Tzetzes in Chiliad. Statius Papinianus: *Tzetzæ* *Statij.*

——Non ſic Philomela penates
Circuit amplectens, animamq; in pignora tranſſert.

Et Ioannes Grammaticus in Heſiodi commentario ferè in fine, inquit: καὶ πρόκνη ἀηδὼν γεγονυῖα τὸν ἴτυν ὀδύρεται, φιλομήλα δὲ χελιδὼν, τηρεύς, φησὶ, μὲ βιάσατο. hoc eſt: *Et Progne in luſciniam commutata Ityn deplorat. Philomela autē in hirundinem, Tereus, inquit, mihi vim intulit.* Idem Ouidius ipſe ſecutus, ad Liuiā de morte Druſi luſciniam intelligit, cui tribuit filium, & in vmbroſis ſiluis commorari dicit: vnde colligunt hanc antè fuiſſe Prognen: *Ioan. Grāmatici.* *Ouidij altera.*

Talis in vmbroſis mitis nunc denique ſiluis
Deflet Threicium Daulias ales Ityn.

Idem expreſſius alibi:

Sola virū nō vlta prius mœſtiſſima mater,
Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.

Gabrias etiam Græcus fabulator Itym filium facit luſcinæ. Catullus eodē modo: *Gabriæ.* *Catulli.*

Qualia ſub denſis ramorū concinit vmbris
Daulias abſumpti fata gemens Ityli.

Ita & Horatius de Progne loquens, quamuis non expreſſo nomine, luſciniæ tamen ſimilem dicit: *Horatij.*

Nidum ponit, Ityn flebiliter gemens
Infelix auis, & Cecropiæ domus
Æternum opprobrium, quòd malè barbaras
Regum eſt vlta libidines.

Omnium apertiſſimè id manifeſtat Marcus Varro dicens: Luſciniola (aliqui perperam legunt *Luſciola*, nam ipſius Varronis autoritate conſtat in libris de re ruſtica, cantatrices luſciniolas appellatas) quod luctuosè canere exiſtimatur, atque eſſe ex Attica Progne facta auis. Sed quid opus tam multis? vide quid hac de re diſceptēt Cœlius Rhodigin. lib. 29. cap. 26. Iacobus Bononiē. & P. Nannius 6. Miſcellan. annotation. in Virgil. nec enim video quam ſit *Varronis.*

neceſſe

neceſſe quæſtionem hanc inter Grammaticos controuerſam dirimere ; vt neq; vacat huc adducere quę leguntur apud Thucydidem lib.2. τῆς συγγραφῆς, Pauſaniam in Phocicis, Strabonem lib.1.& alibi.

Garrula] Hoc epitheto Sanctius probare conatur, hoc loco de luſcinia fieri mentionem, cum de ea dicatur, *cantare ſimul nocte dieq; poteſt*. Ductus præterea veteri prouerbio, *Daulia cornix*. quod in garrulos & canoros dicitur, & de luſcinia intelligitur. Martialis etiam garrulam illam vocat, loco paulò ante citato. Plinius quoq; cantum luſciniæ garrulum vocat lib. 10. cap. 29. Citat demùm adagium, *Luſciniæ deeſt cantio*. Sed meo iudicio, parum conuincit, cum idem epitheton etiam hirundini tribuat Maro 4. Georg.

Daulia cornix.

Garrula quam tignis nidum ſuſpendat hirundo.

Adhęc hoc emblemate tangitur odioſa garrulitas, at garrulitatis ſymbolum eſſe hirundinem cõſtat ex Pierij Hieroglyph. lib. 22. Cantum autem luſciniæ quotusquiſq; eſt qui potius ſtudio & labore accerſat, nedum auerſetur. Deniq; poſſum & ego adagium adducere ex Ariſtophanis Ranis, qui nugationem nihili *Muſæum hirundinum* vocat. Huc ſpectat illud Heſiodi:

Hirundo garrulitatis ſignũ.

τὸν δὲ μετ' ὀρθρογόη Πανδιονὶς ὦρτο χελιδών.

Quem manè gemens Pandionis excit hirundo.

Vbi interpretes ὀρθρογόη exponunt, clamoſa, non autem diluculo flens, cum hirundo tota clamitet die, non autem mane tantùm aut veſperi, veluti facit luſcinia. Eidem Heſiodo κωτίλλη ἡ χελιδὼν dicitur propter garrulitatem, vnde Poeta is κωτίλλουσα formauit. κωτίλλειν enim garrire eſt, eoq; cognomento ales hæc apud Anacreontem & Simonidem appellatur.

ὀρθρογόη.

Hirundo garrula.

Somnos rumpis] Refricat mihi memoriam hiſtoria ex Plinio lib. 35. cap. 11. Lepidus in Triumuiratu quodam loco deductus à magiſtratibus in nemoroſum hoſpitium, minaciter cum iis poſtero die expoſtulauit, ſomnum ſibi ademptum volucrũ concentu. At illi draconem in longiſſima membrana depictum circumdedere loco, eoq; terrore aues tum ſiluiſſe narrantur, & poſtea cognitum eſt ita poſſe compeſci.

Auiũ cantus vt cõpeſcatur.

Daulias.

Daulias] Daulia, Daulis, vel etiam Daulias, pro luſcinia effertur à Poetis, quòd in vrbe Daulide (quæ quondam fuit ſub ditione Regis Thraciæ. Plin. lib. 4. cap. 3.) in auem ſui nominis transformata dicatur à Poetis. Ouidius 6. Metamorph. & Prou. *Daulia cornix*.

Dignus Epops Tereus, &c.] id eſt, merito in Vpupam mutatus, qui maluerit linguam reſcindere, quàm omninò auellere. Vpupa auis militarem quandam criſtam in capite retinet, & quaſi adhuc filium quęritans, has videtur ingeminare voces, πῦ, πῦ, id eſt, *vbi, vbi*: hinc Epops dicta, Latinis vpupa. De qua Plinius 10. cap. 29. Alij in accipitrem mutatum Tereum volunt, vt Higinus fabula 45. Solinus: In Senienſi regione, non longè à Flauiopoli colonia, Byziæ oppidum, quondam arx Terei regis: hinc inuiſum hirundinibus, & deinceps alitibus illis inacceſſum. Ante aquilã rex auium fuiſſe vpupa dicitur, cuius eminentiæ nõ obſcura inſignia reliqua conſpiciuntur: criſtam enim habet plicatilem, quæ cum erigitur per longitudinem capitis, refert ſimilitudinem diadematis regij: adhæc longo & acuto roſtro tanquam cuſpide armata exercet tyrannidem in auiculas. Hinc illud:

Vpupa.

Vpupa olim rex.

Rex fueram; ſic criſta probat; ſed ſordida vita
Immundam è tanto culmine fecit auẽ.

Ait enim D. Hieronymus in ca. 5. Zachar. Spurciſſima eſt auis vpupa, ſemper in humano ſtercore commorans, ex quo & nidum facere dicitur, & pullos ſuos de vermiculis ſtercoris putreſcentis alit. In diuinis etiã vpupa ſymbolum exhibet hominis vitijs dediti. Pierius lib. 25. Hieroglyph.

Vpupa ſymbolũ.

Putare] Præſcindere. Metaphora à vitibus & arboribus, in quibus ſuperflua & inutilia reſecantur.

Putare.

Stirpitus eruere] funditus, radicitus euellere. Auem porrò philomelam (verba ſunt Sanctij) lingua carere pro certo affirmare poſſum, niſi me oculi fallunt. Nam diebus abhinc paucis, cum hæc ſcriberem, amicus quidam meus mihi commonſtrauit philomelam in cauea concluſam, quam cum inde extraxiſſemus, pertenue veſtigium linguæ vix potuimus reperire: quæ res non paruam mihi præbuit admirationem, tantam ineſſe huic auiculæ ſuauitatem cantilenæ, & vocis criſpationem, nullam tamen linguam, qua id poſſit modulari, niſi fortè eam in gutture habeat abſconditam. Vnde

Philomela lingua caret.

non

non abs re finxerunt Poetæ Philomelæ præciſam fuiſſe linguam. Vide Ariſtot. 9. de hiſtor. anim. cap. 15. Conſule etiam Plinium loco citato lib. 10. cap. 29. qui ingenium exercuit in luxurioſa tantillæ auiculæ deſcriptione.

IV. Garruli odioſæ importunitas.

TORQVET VR. Emblema in eos maximè, qui odioſa garrulitate rationis inopiam præ ſe ferre ſatis arguunt, vt Progne abſciſſa lingua in hirundinem garritu nimio inſignem commutata, eos ſignificet, qui ſapientiæ parum, loquentiæ multum habent. Et ſanè vſuuenire ſolet, vt loquaciores ferè ſint, quibus eſt rationis defectus, quàm qui prudentia & ingenij viribus anteſtant: cùm apud graues & ſapientes quoſque viros ſilentium commendatiſſimum, verborumque parſimonia grata ſit. Extat apud Ariſtophanem de Cleophonte quodam garrulo dicterium:

ἐφ' ᾧ δὴ χείλεσιν ἐπιβρέμεται θρηκία χελιδών.

Ex cuius labris hirundo Thracia inſtrepit.

Quò ſpectat præceptum illud Pythagoricum: *ὁμωρόφιους χελιδόνας μὴ ἔχειν*. id eſt: *Hirundines ſub eodem tecto ne habeas.* Quod D. Hieronymus & Cyrillus cum Ariſtotele conſentientes intelligunt, abſtinendum eſſe à cõſuetudine & commercio garrulorum & ſuſurronum; quam quidẽ ſententiam corroborat Alexandri hiſtoria,

Hiſtoria Alexandri.

quem cum quieſcentem hirundo quædam magno garritu ſupra caput volitans importunè interturbaret, Ariſtander Thelmiſſeus pro domeſticis, qui Alexandro inſidias pararent, accipiẽdum interpretatus eſt; quod euentus poſtmodum comprobauit, Alexandri Aeropi, quem ex amicorum numero Theſſalis equitibus præfecerat, cõſilio patefacto. Hirundinis quoq; garrulitatem notauit ſuis Iambis Nicoſtratus:

εἰ τὸ συνεχῶς καὶ πολλὰ, καὶ ταχέως λαλεῖν
ἦν τοῦ φρονεῖν παράσημον, αἱ χελιδόνες
ἐλέγχοντ' ἂν ἡμῶν σωφρονέστεραι πολύ.

hoc eſt:

Loqui ſi indeſinenter, multáq; et velociter,
Prudentiam indicaret, vtiq; hirundines
Fortaſſe quàm nos ſapere dicantur magis.

Lege Plutarch. 8. Sympoſiac. problem. 7. & ea, quę ſupra Emblemate 11. & alibi accumulauimus: quibus hic adiungimus lepidam à Cœlio Rhodig. relatam hiſtoriã, lib. 21. cap. 46.

Loquacitas notata.

Ex Helleſponto in Atticam venerat amator quidam, Gnatheniæ ſcortilli fama illici pellectus: cumque admiſſus commodum accubuiſſet, erat inter pocula loquacior impendio, ac planè, vt Græci dicunt, *φορτικός*. Id mirabunda mulier, cupiensq; finem, ſic illum adorta fertur: An non ab Helleſponto te profectum dicis? Quum annuiſſet is: Et quo, inquit, pacto ciuitatum illic primam ignorare videris? Sciſcitante autem eo, quænam foret hæc? Sigeum, reſpondit Gnathena. quo aptè admodum & concinnè, ex nominis ratione ſilentium, quod Græcis *σιγή* eſt, illi ſuadere viſa eſt. Sic enim Troiæ promontorium Sigeum dictum accepimus, ob Herculis taciturnitatem: qui hoſpitio ibi prohibitus diſceſſum ſimulaſſe dicitur, mox per ſilentium aduerſus Troiam veniſſe, atque eam expugnaſſe. *Sigeum.* Huc facit dictum Cleomenis, qui cùm riſiſſet, Sophiſta quodam multa de fortitudine diſſerente, atq; dicente: Quid rides Cleomenes, audiens de fortitudine diſſerentem, præſertim cum ſis rex? *Cleomenis dictũ.* Quoniam, inquit, ô amice, ſi hirundo de fortitudine loqueretur, idem facerem quod nunc facio: ſin aquila, magno ſilẽtio auſcultarem. Viſum eſt ineptum, quenquam de fortitudine magnificis vti verbis, qui ipſe nihil fortiter geſſiſſet vnquam, nec aliud poſſet quam in hirundinis morem garrire. Planè quemadmodum laudi quã maximę eſt vera illa facundia: ita inanis verborum ſonitus, nulla ſubiecta ſententia, vitio non caret quàm maximo. Cui accedit, quod quibus multa effutire moris eſt, ij aut falſa loquantur, aut ſuperflua, vel quod verius, vtraque. Nam *χωρὶς τό τ' εἰπεῖν πολλὰ, καὶ τὰ καίρια. Non eſt eiuſdem & multa & opportuna dicere.* Videas tamen Arabicos iſtos tibicines, ære Dodonęo loquaciores, in conſeſſu & congreſſu ſapiẽtum garrulitate ipſas columnas rumpere, *Garruli reprehẽſi.* dum ore effræni ſenſuum effutiunt inuolucra, & verborum ſeſquipedalium inſtrepunt voluminibus, ac vocum turba: atq; vitio Piſoniano cum loqui neſciant, tacere tamen haud queunt, qui ſibi nihilominus acuti & arguti videntur, etiamſi ſint omni piſtillo obtuſiores. Hi ſanè ſi tantum in loquendo moleſtiæ caperent, quanta alios afficiunt, non vtique longos traherent ſermones. Garrulitatis vitio non obſcurè inſimulantur à Plutarcho tonſores, nam tonſorum genus bene loquax eſſe pronunciat. *Tonſores cur garruli.*

ciat: & Theophraſtus tonſtrinas ideo vocat ἄοινα συμπόσια, id eſt, *ſicca conuiuia*. Solent enim in tonſtrinas, quæ ſunt tonſorum officinæ, ſpermologi, nullius rei, niſi rumorem mutuò colligendi, ac poſtea diſſerendi ſtudio ducti confluere. Hinc Donatus in Terentium, tonſtrinam eſſe ſedem ocioſis aptam annotat, quemadmodum & ſcholiaſtes Ariſtophanis in Pluto. Ex multo igitur illo in tonſtrinis deſidentium ſermone tonſorum loquacitas. Senſit id Archelaus, qui tonſori garrulo ſubinde rogan ti: Quomodo te radam, ô rex? Silendo, inquit. His tamen hac in parte non multum fortaſſis concedunt lippi, qui cum ob oculorum imbecillitatem plurimum à rebus gerendis habeant otij, rumoribus audiendis & diſſipandis ſe dedere ſolent. Inde iſtud prouerbiũ apud Horat. lib. 1. Sat. 7. *Omnibus & lippis notum, & tonſoribus*. Sed ne & ego lectoribus odioſo multiloquio moleſtiam pariam, nunc ad Inuidiam me conuerto. *Itē lippi*

Inuidia.

EMBLEMA LXXI.



SQVALLIDA vipereas manducans fœmina carnes,
Cuiq́ dolent oculi, quæq́ ſuum cor edit,
Quam macies & pallor habent, ſpinoſaq́ geſtat
Tela manu: talis pingitur Inuidia.

COM-

COMMENTARII.

I. *Inuidia.*

QVOMODO Inuidia depingẽda ſit, ſatis ex ipſius Alciati verbis colligi poteſt. Mulier nimirũ macie lurida, obliquata oculorum acie, viperis circum caput errantibus redimita, mammis turpiter dependentibus, dextra ſpinoſum gerẽs baculum, ſiniſtra viperam & cor humanum: quæ, ſi ori deuoraturæ ſimilis admoueret, magis meo placeret iudicio. Reliqua eius ornamenta iamiam ex Ouidio adducemus.

II. PRAESENS Emblema Inuidiæ deſcriptionem ob oculos ponit, eiusque effectus ſub ipſa figura indicat. Cuius viuam imaginem non alius expreſſit elegantius ipſo Ouid. 2. Metamorph. Et in primis eius domum ſic depingit:

Inuidia domus.

Protinus Inuidiæ nigro ſquallentia tabo
Tecta petit: domus eſt imis in vallibus huius:
Abdita, Sole carens, non vlli peruia vento,
Triſtis, et ignaui pleniſſima frigoris, & quæ
Igne vacet ſemper, caligine ſemper abũdet.

Ad habitum deinde ipſius Inuidiæ accedens, canit:

Inuidia forma.

—Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorũ,
Inuidiam: viſaq; oculos auertit. At illa
Surgit humo pigrè, ſemeſarumq; relinquit
Corpora ſerpentum, paſſuq; incedit inerti.

Ex duobus interpoſitis verſibus:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto:
Nuſquã recta acies; liuent rubigine dẽtes:
Pectora felle virent: lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi mouere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis;
Sed videt ingratos, intabeſcitq; videndo
Succeſſus hominũ, carpitq; et carpitur vnà,
Suppliciumq; ſuum eſt.

Et paulò infra:

—Baculumq; capit, quem ſpinea circũ
Vincula cingebant: adopertaque nubibus atris
Quacunque ingreditur florentia proterit arua,
Exuritq; herbas, & ſumma cacumina carpit:
Afflatuq; ſuo populos, vrbesq; domosq;
Polluit.

Nõ multum huic diſſimilis eſt deſcriptio Virgiliana Inuidiæ, in opuſculo de Liuore. Nos ſic depingemus luridam huius ac triſtem formam: palleſcit vt plumbum color non natiuus, ſed argyrio ſimilis & ſulphuri, concauitas luminum in exangui vultu, ſuperciliorum ſilua, rigida cutis ac ſtriata plicis, dens nigricans, latus, ſeſquipedalis, vt ſpatha piſcatoria, aut palmula nautica: camuræ aures ac fluxæ, capilli velut ſtiriæ pendentes, aduncus naſus, hamati digiti, ſtruma & gibbo formidabilis forma, & prorſus ad habitum Stygium. Pyxidem geſtat impletam ſaliua ſpumantis Cerberi, ſtridentibus hydris circumuoluta collo ac humeris, terrifico aſpectu. Huic ſubter præcordia vorago patens imos receſſus corporis aperit, vbi vultur ſedet, & rodit ilia, dipſades circum & viperæ, quæ ſanguinem ad lambunt. Vis mores? dicam paucis. Odit, rodit, mordet, vorat, ridet, ſpernit, inſectatur, calumniatur, execratur, damnat omnia. Porrò in hanc materiam multa ſcripta reperiuntur apud Poetas & Oratores, quos vide.

Inuidia idea.

Inuidia mores.

III. SQVALLIDA] Sordida, inculta, à ſquãmarum crebritate & aſperitate dicta vox. Olim enim verbum *Squallere*, de omnibus ijs dicebatur, quæ dura eſſent, denſa, & rigida, ſquammarumq; ſimilitudinem imitantia: at poſtea aſſiduo vſu effectum eſt, vt hoc verbum de ijs tantum diceretur, quæ inculta ſunt, deformia, & multarum ſordium congerie contaminata. Virg. 2. Aeneid.

Squallere.

Squallentem barbam, & concretos ſanguine crines.

Squallor etiam eſt triſtitiæ nota: Cicero ad Terent. Mihi ante oculos dies noctesq; verſatur ſquallor veſter & mœror.

Squallor.

Fœmina] Rectè fœmina Inuidia, vel quia id nomen contumelioſum, vel quod non cadat id vitium, niſi in animos molles, parumq; viriles. Ex omnibus enim vitijs nullum eſt pigrius inuidia, hęc in altos animos non aſcendit. Hinc Ouid. lib. 3. de Ponto:

Inuidia cur fœmina.

Liuor, iners vitium, mores nõ exit in altos,
Vtq; latens ima vipera ſerpit humo.

Ea quoq; de cauſa idem Ouidius Inuidiã in imis vallibus latitare confinxit.

Vipereas manducans carnes.] Inuidia ſimile aliquid habet cum vipera, quam fe-

Inuidia et vipera.

tunt non prodire in lucem, niſi arroſis matris lateribus (Theophraſtus autem id negat, & aliam cauſam aſſignat mortis maternæ) ſic liuor eum primùm afficit, & quaſi enecat, in quo gignitur. Quò pertinet illud Ouidij in deſcriptione Inuidiæ, 2. Metamorph.

——Videt intus edentem
Vipereas carnes, vitiorum alimenta ſuorũ.

Sed alia fortaſſe ratio commodè reddi poteſt, vipereas carnes edit Inuidia, quòd alienis malis gaudeat, iiſque paſcatur: (id vitium Græcis appellatur ἐπιχαιρεκακία) vel id dicitur, vt eius pernicies oſtendatur, quæ enim venenata veneniis aluntur animalia, exitialius venenum habent. Plinianum illud rectè cõcinit lib. 24. Sed quis inuenit illa, venena ſcilicet, prçter hominẽ? *In veneficos.* Deinde ſequitur: Quid? non & homines quidam ad venena naſcuntur? atra hominum, ceu ſerpentium lingua vibrat, tabesque animi contracta adurit culpantium omnia, ac dirarum alitum modo tenebris quoque & ipſarum noctium quieti inuidentium gemitu, quæ ſola vox eorum eſt, vt inauſpicatarum animantium vice obuij quoq; vetant agere, & prodeſſe vitæ, nec vllum abominati ſpiritus præmium nouere, quam odiſſe omnia.

Cuiq; dolent oculi] Hinc illud Maronis de Liuore:

Teſtatur gemitu graues dolores,
Suſpirat, gemit, incutitq; dentes,
Sudat frigidus, intuens quod odit.

Sunt qui oculorum affectioni liuorẽ perſimilem faciant, & rectiſſimè quidem: Illi quippe lumen clarius ferre nequeunt, & ad omnem ſplẽdorem caligant; quod idem eſt inuidiæ proprium. Vnde puto dictam *Inuidia vnde dicta.* inuidiam ab *in*, quod aliquando ſignificat valde: & *video*. Quia qui inuidentia laborant, ſemper animum & oculos in eum, cui inuident, habent; ex quo tamen non niſi tormentum hauriunt, quo maius Siculi non inuenere tyranni, vt canit Horatius.

Cor nõ edendum. *Quaq; ſuum cor edit*] Alluſio ad Prouerb. Pythagoræ, *Cor ne edito.* id eſt, ne cuius animum excrucies: vel ad vocabulum *cura*, quæ quòd cor vrat, vel edat, dicitur. Cicero 3. Tuſcul. ex Homero illud de Bellerophonte citat ex veterum neſcio quo:

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Similes Maronis verſus hi:

Torquet viſcera carnifex cruentus.
Veſanos tacitè mouet furores.
Intentans animo faces Erinnys
Lethalis, Tityiq; vultur intus
Qui ſemper lacerat, comeſtque mentem.

Sic & Petronius Arbiter:

Cui vultur iecur intimum peruerrat,
Et pectus trahit, intimasq; fibras,
Non eſt quem lepidi vocant Poetæ?
Sed cordis mala, liuor atq; luxus.

Quò ſpectat dictum Matreæ Alexandrini, qui ænigmate luſitando aiebat, ſe *belluam alere, quæ ſe ipſam abſumeret*: θηρίον τρέφειν, ὅπερ αὐτὸ ἑαυτὸ ἐσθίει. quo ſignificabat quorundam inuidiam, qui improbè & ignauè dolerent ob proſperos ſuorum laborum ſucceſſus. Retulit Euſtath. 1. Odyſſ. & Athenæus. Seneca lib. De paupertate: Interdum non licet eſſe palam miſeros, ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes. Græci dicunt δάκνεσθαι, vel τὴν καρδίαν δάκνεσθαι, cùm grauem & moleſtam animi ſolicitudinem ſignificant. *δάκνεσθαι.* Et δακέθυμος ἄτη, *noxa animum mordens*, vt Homerus Iliad. vltimo:

——Τέο μέχρις ἐδυρόμενος καὶ ἀχέυων
σὴν ἔδεαι κραδίην;
Quouſque lamentans & mœrens cor tuum
exedes?

Quam macies] ſic Ouidius: *Macies & pallor inuidi.*

——Macies in corpore toto.

Virgilius:

Infelix macies renudat oſſa.

Et pallor habent] id eſt, macies & pallor totam occupant. Ouidius:

Pallor in ore ſedet,

Virgilius:

Pallor terribiles genas colorat.

Spinoſaq; geſtat Tela manu] Hoc referendum eſt ad aculeatam inuidorum maledicentiam. *Maledicentia inuidi.* Siquidem

Effundit mala lingua virus atrum,

& perpetuò carpit, quod aſſequi nũquam poteſt. Ad id reſpexit Ouidius, cum ait:

Indoluit, baculumque capit, quem ſpinea circum
Vincula cingebant.

IV. *Inuidiæ effectus.* Elegans Inuidiæ deſcriptio ex effectis, adiunctiſq; quibus oſtenditur eum, qui laboret inuidia, virulentis cogitationibus paſci, aliorum proſperis ſucceſſibus ingemiſcere, animum mœrore conficere, corpus macie & pallore confectum reddere,

aculeis

aculeis maledicis alios inſectari. Nullum enim vitium inuidia penè vetuſtius eſt, aut hominum damnoſius & efferatius: quandoquidem ſi eum quibuslibet alijs conferatur, inſpiciemus quàm cæca temeritate rapiantur, qui melioribus inuident. Nulla enim alia vitia ſunt, quæ non aucupentur aut ſentiant aliquam voluptatem: Inuidus perpetuò mœret ac triſtatur, eoq; grauius afficitur, quo maiori tenetur inuidia, qui non ſecus atq; ædes, in quibus ipſe ſit, conflagret. Miſerrima ſanè conditio, ſed quæ tanquam felicitatis pediſſequa, ſucceſſus videndo proſperos intabeſcat, vt Naſo cecinit. Arridet Alexandri Macedonis dictum, Inuidos homines nil eſſe aliud quã tormenta, ſeu tortores ſuos proprios. leuis adoleſcentis graue verbum. Anacharſis inuidiam vocauit vlcus, quod paſſim verum ſua vi contraheret. Socrates ſerram animæ appellabat. Ariſtoteles antagoniſtam fortunatorum. Inuidi enim non minus cruciantur aliena felicitate, quàm ſuo infortunio. Hinc Themiſtocles adhuc adoleſcens nihil dum ſplendidum à ſe fieri dixit, quod inuidos adhuc nactus non foret. Nam ſicut cantharides vegeto maximè tritico innaſcuntur, & roſis pulchrè florentibus: ſic inuidia plerunq; inuadit bonos viros, & in virtute proficientes, & ingenij perſonæq; gloriam ſuſtinentes. Quare rectè Cicero 3. Tuſculan. inuidiam dixit eſſe ægritudinem ex alterius rebus ſecundis. Sed illud in hac peſte peſtilentiſſimum, quod Inuidus mentis æſtuationem grauius diſtrahentem nemini omnino audeat aperire, ſed defixus hærens in vno obtutu (vt Virgiliano abutar verſu) non vellicatur modò, ſed lancinatur, ac demum excarnificatus tantæ ſolicitudinis rationem comprimit: credo, diuino iudicio protinus irrogante ſupplicium. Ita enim intolerabilius vritur, dum fateri erubeſcit, inuidiæ ſtimulis ſe agitari, ſecundis rebus ingemiſcere, fratris aut vicini fortunam videri maiorem aut nimiam. Actius Sincerus, rari vir ingenij, magnæque nobilitatis, cum in conſpectu Federici regis inter phyſicos eſſet quæſtio, quid præcipuè conferret oculorum perſpicuitati? alijsq; fœniculi afflatum, alij vitri vſum, alij aliud diceret. At ego, inquit, inuidiam aio. Obſtupuerunt hoc dicto adeò Medici, vt ab auditoribus deriſui haberentur. Tum ipſe Annon inuidia omnia maiora & pleniora videre facit? Quid autem oculis magis præſentaneum, quam vt vis ipſa videndi maior reddatur atq; vegetior? protulitq; ſtatim Ouidianos verſus ex 1. de Arte amandi:

Alexãdri dictum.

Themiſtocles.

Peridum Actij Sinceri reſpõſum.

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in aruis,
Vicinumq; pecus grandius vber habet.

Pindarus 2. Pyth. ſic:

Pindari locus.

——ſάθμας
δέ τινος ἑλκόμενος
περισσᾶς, ἐνέπαξεν ἕλ-
κος ὀδυναρὸν ἑᾷ πρόσθε καρδίᾳ,
πρὶν ὅσα φροντίδι μηχανᾶται τυχεῖν.

id eſt:

Qui facultate alicuius tangitur abundanti, inflixit vlcus miſerum ſuo antè animo, quàm quæ ſecum corde molitur, aſſequatur. vel: *Qui ob facultates cuiuſdam, opimque abundantiam, animo diſcruciatur, ſeipſum angit miſerè, ſibiq; antè infligit vulnus, quàm vt nocere poſſit ei, cui inuidet.* Hæc autem deſcriptio perlegans, qua inuidorũ triſtiſſima & infeliciſſima vita proponitur: quippè qui virulentis cogitationibus paſcantur, quæ ſibi horribilem perniciem adferant, quiq; ſine conſilio & ratione aliorum rebus opimis marceſcant, & aculeis maledicis pungant & inſectentur, nullum tamen inde commodum reportaturi. Itaq; vt hoc quaſi per tranſennam, quid ea turpius aut miſerius, cùm vt alijs noxam dãnumq; inferat, ſibi prius, & quidem ſæpenumerò grauiùs nocet? Ergo in cæteris iniquiſſima, in hoc tamen æquitatis aliquid habet, quòd eum, in quo eſt, tanquam veneno proprio afficit, perdit, abſumit, eumque vlciſcitur primum, à quo concepta & educata fuerit: quod habet illud:

Inuidorũ miſera cõditio.

ὁ φθόνος ἐςὶ κάκιςον, ἔχει δὲ τὶ καλὸν
ἐν αὐτῷ·
τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.

Inuidia eſt malum; habet autem aliquid boni in ſe:
Tabefacit enim inuidorũ oculos & cor.

Res mala, liuor; habet tamen in ſe quid boni: adurit
Quos tenet, interna, corde oculisq; face.

Quod idem videtur ſentire Menander, dum ait:

ὁ φθονερὸς αὐτῷ πολέμιος καθίςαται.
Ἀυθαιρέτοις γὰρ συνέχεται λύπαις ἀεί.

Sibi hoſtis ipſe redditur vir inuidus;
Hunc namq; mœror, quẽ ſibi accerſit, premit.

Placet

Inuidi rebus à Iuliano geſtis impenſè detrahebant apud Conſtãtium.

Placet addere inſigne inuidæ maledicentiæ exemplum, ex Animiano lib. 17. quo loco narrat, quantum apud Conſtantium Auguſtum detraxerint aſſentatores rebus pręclarè à Iuliano geſtis: Omnes qui plus poterant in palatio adulandi profeſſores rectè conſulta, proſpereque facta vertebãt in riſum, talia ſine modo ſtrepentes inſulsè, in odium venit cum victorijs ſuis capella, non homo: vt hirſutum Iulianum carpentes, eumq; talpam loquacem nominantes, & purpuratam ſimiam, & litterionem Gręcum: & his congruentia plurima, atq; vernacula principi reſonantes, audire hæc taliaq; geſtienti, virtutes eius obruere verbis impudentibus conabantur, vt ſegnem inceſſentes, & timidum & vmbratilem, geſtaq; ſecus verbis comptioribus exornantem: quod non tunc primitus accidit: nam que vt ſolet ampliſſima gloria obiecta eſſe ſemper inuidiæ, legimus in veteres quoq; magnificos duces vitia criminaq; (etiamſi inueniri non poterant) finxiſſe malignitatem ſpectatiſſimis actibus eorũ offenſam: vt Cimonem Milciadis filium inſimulatũ inceſti, qui prope Eurimedonta Pamphilium flumen Perſarum populum deleuit innumerum, coegitque gentem inſolentia regis elatam, obſecrare ſuppliciter pacem: Aemilianum itidem Scipionem, vt ſomniculoſum, æmulorum incuſari maleuolentia, cuius impenetrabili vigilantia obſtinatæ in perniciem Romæ, duæ ſunt potentiſſimæ vrbes exciſæ. Necnon etiam in Pompeium obtrectatores iniqui multa ſcrutantes, cùm nihil vnde vituperari deberet, inueniretur, duo hæc obſeruarunt ludibrioſa & irrita, quod genuino quodam more caput digito vno ſcalpebat: quodque aliquandiu tegendi vlceris cauſa deformis, faſciola candida crus colligabat: quorum alterum factitare vt diſſolutum, alterum vt nouatum rerum cupidum aſſerebant, nihil intereſſe oblatrantes argumento ſubfrigido, quam partem corporis redimeret regiæ maieſtatis inſigni, in eum virum, quo nec fortior, nec cautior quiſquam patriæ fuit, vt documenta pręclara teſtantur. Hęc quoq; peſtis magnos quandoq; viros inficit, quando eius quoque ſtimulis proditur agitatus: Alexander rex potentiſſimus, vt Perdicam odio proſequeretur, eò quod eſſet bellicoſus. Lyſimachum, quod militandi peritus; Seleucum, quod magni animi; Attalum, quod imperatoria dignitate polleret; Ptolemæum, quod ei proſperè omnia ſuccederent. Sic Simmias Periclem, Alcmæon Themiſtoclem, Clodius Pompeium, Meneclides Epaminõdam, Aſinius Pollio Ciceronem inuidia oppugnauere.

Alexãder inuidus.

Inuidiæ ſæuitiam quoq; expertus eſt Beliſarius, Iuſtiniani Dux generalis, ſummus in laude militari vir: refert enim Zonaras tom. 3. Annal. in Iuſtinian. eum iuſſu Iuſtiniani, ſiue Triboniani eius Cancellarij, cuius prima erat apud ipſum principem auctoritas, odio & inuidia, adde etiam calumnia affectati imperij, ſatellitio & ſtipatoribus ademptis mulctatum, & domi cuſtodiri iuſſum, eiusque mortui opes fiſco addictas. Procopius tamen & Crinitus ſcribũt, eum luminibus priuatum; & tam graui, tamq; iniqua oppreſſum fortuna, tugurio lum ſibi prope viam conſtitui feciſſe, in quo reliquum vitæ tranſigeret, victum quæritans, & hoc ſubinde prætereuntibus dictitans: Date ſtipem Beliſario, quem rerum proſperè geſtarum magnitudo extulit, & nec error, ſed liuor & inimicorum inuidentia excæcauit. Præclarè Lipſius: Sicut virtuti gloria comes, ſic & inuidia: ſed hanc adeo non curat, vt vix cernat. Minuti qui non ſe attollunt, nolunt etiam alios: & factis cum obſtare non poſſunt, conãtur linguis; & ſpargunt verborum leuia iſta tela Atq; id eminus, vt Parthi fugientes, nam cominus non ſe componunt, ne rectis oculis ſplendorem noſtrum intueãtur. Sed coronidem imponat ipſa Inuidia, & ſuam nobis breuibus deſcribat naturam.

Beliſarij exitus.

Inuidiæ natura.

Sum peſtis; toto qua non truculentior orbe,
In portentoſo corpore pœna mihi.
Ex proprio lætor non proſperitatis honore,
Ærumnis animo non queror ægra meis:
Eſt amor alterius dolor, eſt ærumna voluptas.
Quo me conficio corpore ſemper adeſt.
Dum nihil alterius damnis gauiſa reporto;
Alteriusq; bonis nil cruciata lucror.
Sola mihi noceo, pario mihi ſola dolorem,
Conficio torquens membra furore meo.
Immenſum proprio tormentũ corde, meoq;
Alterius morior proſperitate ſinu.

Plura de inuidia habes apud Horatium in Epiſtolis, Plutarchum paſſim, Cœlium Rhodig. lib. 20. c. 30. & maximè apud D. Baſilium in libello de Inuidia.

Luxuria.

EMBLEMA LXXII.



ERVCA capripes redimitus tempora Faunus,
Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.
Eſt eruca ſalax, indexq́ libidinis hircus:
Et Satyri Nymphas ſemper amare ſolent.

COMMENTARII.

I. PINGITVR Faunus ſiue Satyrus, mōſtrum cornutum, facie rubra, hiſpidum, caudatum, caprinis pedibus; mutone arrecto, cætera ſpecie humana; cuius tempora cingat eruca; cuius latus ſtipet Nympha.

II. *Hiſtoria prodigioſa de Satyris.* PAVSANIAS in Atticis narrat hiſtoriam de Satyris, eorumq; libidine valde prodigioſam, vnde hoc Emblema deſumptum videtur; eamq; ſe ait accepiſſe ab Euphemo Care, qui narrabat, ſe, cum in Italiam nauigaret, vi ventorum pulſum ad extimum mare, quod nauigari non ſoleat, perlatum eſſe. Inſulæ ibi multæ ſunt ac deſertæ, quarum incolę ſunt agreſtes homines. Ex inſulæ nominantur Satyricæ, in *Inſula Satyrica.* quibus homines rubicundi, qui caudas in medio dorſo habeant, equinis non multo minores. Qui ſtatim vbi ſenſerunt nouos veniſſe hoſpites, ad nauigium, quaſi facto impetu, accurrerunt, nullamq; vocem ediderunt, ſed mulieribus vnà aduectis manus iniecerunt. Nautæ metu perculſi, barbaram mulierem in inſulam proiecerunt, eam Satyri non ſolum qua parte naturæ conſuetudo permittit, ſed & toto corpore

Plinius quid de Satyris ſentiat. libidinoſè violarunt. Minimè verò fabuloſum eſſe de Satyris commentum oſtendit Plinius, qui illos in ſubſolanis Indorũ montibus inueniri tradit, humana effigie animal perniciſſimum, vt propter velocitatem niſi ſenes aut ægri capi nequeant. Idem Satyros, quales poetæ & pictores fingunt, ex capra videlicet & homine permixtos fuiſſe arbitratur. Vide eundem lib. 6. c. 30 lib. 7. c. 2 & lib. 8. cap 54. Hoc idem videtur ſentire Plutarchus in Sylla. Diuus item Hieronymus refert, eiuſmodi animal *De Satyro à D. Antonio viſo.* à S Antonio Eremita viſum inter ſaxoſam vallem, homunculum ſcilicet haud grandem, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata, cuius extrema pars corporis in capratum pedes deſinebat. Qui de conditione ſua interrogatus reſpondit: Mortalis ego ſum, & vnus ex accolis eremi, quos vario deluſa errore gentilitas, Faunos, Satyros, & Incubos vocans colit &c. Et paulò infra ſubdit Hieronymus: Hoc ne cuipiã ob incredulitatem ſcrupulum moueat, ſub rege Conſtantino, vniuerſo mundo teſte, defenditur: nam Alexandriam iſtiuſmodi homo viuus perductus, magnum populo ſpectaculum præbuit: & poſtea cadauer exanime, ne calore æſtatis diſſiparetur, ſale infuſo, Antiochiam, vt ab Imperatore videretur, allatum eſt Plura de Satyris vide apud Ælianum lib. 3. De var. hiſt. & Leonic. Thomæum lib. 2. c. 24. Apud Plutarch. in Galba, *homines in diem viuentes, & Satyri* i, ἐφήμεροι καὶ σατυρικοὶ τοῖς βίοις ἄνθρωποι, pro libidinoſis & luxu diffluentibus accipiuntur. Idem in Pericle: *οἱ Σάτυροὶ τοῦ Διονύσου ἱεροὶ ὄρθια ἔχουσι τὰ αἰδοῖα, ξύμβολον τοῦ θείου πράγματος:* *Satyri Bacchi ſacri.* *Satyri Baccho ſacri erectos habẽt mutones, diuina ſymbolum poteſtatis.*

III. *Eruca.* *ERVCA*] Eruca vermis eſt, & herba calidæ virtutis, de qua Plinius lib. 19. cap. 8. Alij ſic dictam volunt ab vrendo; alij ab erodendo, quod beſtiolas omnes corpori innaſcentes erodat: huius in condiendis obſonijs tanta eſt ſuauitas, vt Græci eam ob bonitatem iuris εὔζωμον appellarint. Venerem mirificè ſtimulat, vt dicemus. Itali vocant *Ruchetta*, vel etiam *Ricola*.

Faunus. *Capripes Faunus*] Quos Græci Satyros vocabant, Latini Faunos appellant, qui Dij nemorum habiti ſunt, & agrorum. Seruius in 7. Æneidos; Faunus, inquit, & Fauna dicti ſunt à vaticinando, id eſt, à fando: vnde & fatuos dicimus inconſideratè loquentes. Sed de alio Fauno ibi videtur fieri mentio, qui & Fatuelus Pici filius, & pater Latini, qui in Latio regnauit. De Faunis ſic Plinius lib. 12. cap. 1. Quin & Siluanos, Faunoſq; & deorum genera ſiluis, & ſua numina tanquam è cœlo attributa credimus. Faunorum quoq; mentionem facit Cicero 3. de Nat Deor. & nos infra plura dicemus, cum de Pane acturi ſumus; ſiquidem, vt doctis placet, Pan Inuus, & Faunus pro eodem ſumuntur. Dicitur capripes à pedum forma. Horatius Carm. 2. Ode 19.

——& aureis
Capripedum Satyrorum acutas.

Redimitus tempora.] Caput habens cinctum & coronatum. Virgil. in Copa:

——Graia redimita mitella.

Ouid. 3. Amorum, eleg. 9.

Flaua Ceres tenues ſpicis redimita capillos.

In 10. Æneid. vbi de Æmonide Phœbi ſacerdote:

Infula cui ſacra redimibat tempora vitta.

Idem 3. Æneid.

Vitta, & ſacra redimitus tempora lauro.

Immodica Veneris] Nam Venus moderata, vt naturalis, non vertitur vitio, modò ſit licita. De commodis autem & incommodis à Venere ortis legat curioſus Aetiũ lib. 3. cap. 8. Paulum lib. 1. cap. 35. Celſum lib. 1. & Medicos paſſim, mihi hæc docere iam non vacat.

Eſt eruca ſalax.] Frequens enim eius *Eruca ſalax.* eſus Venerem ſtimulat. Ideò antidotum contra amorem præſcripturus Ouid. ab erucæ vſu cauendum ſuadet 2. De remedio:

Nec minus erucas iubeo vitare ſalaces.

Virgilius etiam in Moreto:

——Venerem reuocans eruca morantẽ.

Et appendicibus Virgilianis:

——Libidinoſis incitatus erucis.

Ibidemque:

——Salaces nolle tollat erucas:

Eodem quoq; poemate:

Nam quamuis videar ſatis paratus,
Erucarũ opus eſt decem maniplis &c.

Vt & Æmilius Macer in eleganti opuſculo De viribus herbarum:

Non modicè manſam, Venerem ſtimulare,
vel hauſtam,
Confirmant medici, pariter pluresq; poeta.

Loquitur de eruca. Illud tritum vulgo:

Excitat

Excitat in Venerem tardos eruca maritos.
Et ex Ouidio etiam illud:

—— Ex horto quæ venit herba ſalax.

Salax. Sal. *Salax*] ad libidinem prouocans; petulantiæ nomen, dictum à ſale, qui propter calorem libidinem excitare, ſeminalemque vim expergefacere & acuere poteſt. Inde Venus mari vel ſalo nata fingitur, illiq; ſalacitatis ergo fanum ad portum maris aruſpices poni iuſſerunt. Inde marini Dij omnes laſciuiores fœcundioresq; habiti ſunt à Poetis. Hac eadem de cauſa Aegyptij olim omnem ſalem ita auerſabantur, vt ne pane quidem ſalito veſcerentur: quippe cũ viuendi puritatem in primis adamarent, omnia nequitiæ irritamenta ſubmouenda cenſebant. Vide Ariſtot. in probl. Langium lib. 2. Epiſt. 32.

Hircus libidinis hieroglyphicum. *Indexq; libidinis hircus*] Viri libidinoſi probra & impudica facinora notare ſi vellent Aegyptij ſacerdotes, hircum finxerunt; hircus enim celerius quàm quoduis animal rem Veneream aggreditur, quippe ſeptima poſtquã natus eſt die, vt eſt apud Aelianum, alij ſeptima dixerunt hebdomade, fœminas inſcendit. Quare non immeritò ab Horatio libidinoſus appellatur: cuius fœcunditatis gratia inter Deos inſipienti ſæculo annumeratus aliquando eſt, perinde ac Panes & Satyri. Huc puto torquendum *τραγίζειν.* Ariſtotelis verbum τραγίζειν, quod nonnulli vertunt, *hirquitallire*, id eſt, in morem hircorum ſalacium clunes mouere & laſciuire: quamquam ab hircino odore ſęculento alij trahant. Non poſſum tranſilire quod retulit Pauſanias de ſimulachro Veneris hirco inſidentis, ad ſignificandam nimirum coitus inſanam petulãtiam. Plautus Moſtel. de immundo & libidinoſo:

—— At te Iupiter
Dijq; omnes perdant, oboluiſti allium.
Germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis,
Canem capra commiſta.

Eundem Apuleius vocat, hominem ſordidum, & hircina libidine fœtentem.

Et Satyri] De Satyris præter ſupra citatas auctoritates vide Pomp. Melam. Aelianum de animal. Orphei hymnũ in Satyrum, Natalem Comit. Mytholog. lib. 5. c. 7. 9. & 10.

Nympha. *Nymphas*] Nymphę Oceani & Tethyos filię creduntur, quarum quędam cœleſtes, quædam terreſtres, quædam fluuiales, alię marinæ, aliæ ſtagnorum præſides. Quæ cœleſtes putabantur, credebantur eſſe animæ ſphærarum, quas etiam Muſas vocarunt, ac vires, quæ inde ad nos manarent. Terreſtrium aliæ ſiluis præerant, vt Dryades; aliæ montibus, vt Oreades; aliæ ſingulis arboribus, vt Hamadryades; aliæ paſcuis & floribus, vt Napeæ. Fluuiorum præſides Naiades dicebantur; ſtagnorum Limniades. Quæ fontibus præeſſe putarunt, Ephydriades vocarunt. Vide Mytholog. Comitis lib. 5. cap. 11. & 12.

Semper amare ſolet] Amare hic mihi videtur eſſe verbum petulantiæ, & pro ipſo *Amare.* amore frui, poni. Sicut poſuit Terentius Eunucho, interprete Donato:

—— Certè extrema linea
Amare, haud nihil eſt.

Plautus Bacchid. *Sine te amem.*

LIBIDINIS fœdæ expreſſiſſima ſymbola ponit ob oculos, nempè Satyrũ, *IV. Symbola libidinis.* qui erucam capite geſtet. Eruca quidem (ab vrendo dicta) prouocat ad Venerem, vtpotè quę virtutis ſit calidiſſimæ. Plin. lib 19. cap. 8. Satyrus autem, ſiue hircus (animal ſalaciſſimum) luxuriam putidam & olentem deſignat. Sunt enim Satyri ad Venerem propenſiſſimi: vnde id nominis *Satyri libidinoſi.* dictum putant à σάθη, quod virile membrum eſt. Hoc itaq; innuit libidinem in affectu ardere maximè, in actu ipſo fœtere, & olentem eſſe, vt quemque ab illicitæ Veneris titillationibus ſubducat. Depinximus in ſuperioribus Superbiam & Inuidiam, age experiatur etiam penicillum noſtrum Luxuria, illa ſcilicet quæ ad Priapum, impudicum hortorum cuſtodem, *Luxuriæ Idea.* ſtirpis ſuę refert primordia, ſalaciſſima mulier, cloaca libidinis, quæ ſicut Aethna furtiui amoris perpetuo æſtuat incendio: patenti coma, laxa ac pendula, in qua fucus coloris & tinctura, delibuta vnguentis & ſmigmate aromatico, laſciuis & emiſſitijs oculis, procaci vultu, inflata facie ac ſubruffa, carbunculis ſuis condecorata ſcilicet & ſmaragdis, quales lepræ flos protrudit, aut lues Gallica. Inſignes gemmulæ? Nardo redolent manus, pectus nudum, turgidæ mammillæ, compoſita ad laſciuiã omnia meretricio cultu. Nunquam hæc ſola graditur, ſatellitio cincta eſt, pſaltriæ comitantur & chorus muſicus, Veneris præfertur imago in vexillis, rhedæ inſidens, quam trahunt ad libidinem proiectæ volu-

cre. Arma non habet, quibus pugnet, aſpectu vincit & verbis, quæ ſicut tela penetrant & occidunt. Væ qui tangitur; ſine ſenſu vulnus, incurabile tamen, fibras enim cordis depaſcit, & ſerpit ad centrum vitæ. Gradatim & diſertè hoc docet Gregorius in Moral. cùm ita ſcribit: Ex quo luxuria

Gregorij locus.

ſemel mentem alicuius occupauit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim deſideria viſcoſa, quia ex ſuggeſtione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectatione delectatio, ex delectatione conſenſus, ex conſenſu operatio, ex operatione conſuetudo, ex conſuetudine deſperatio, ex deſperatione peccati defenſio, ex defenſione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Quocirca Seneca 28. Epiſt. monet, indurandum eſſe animum, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendum. Et quidem libidinis initium continebis, ſi exitum cogitaueris: quanquam adeo blandum malum luxuriam dixit Val. Maximus lib. 9. vt accuſare id aliquanto ſit facilius, quàm vitare. D. quoq; Bernardus luxuriam triumphantem graphicè depingit: Luxuriæ currus, inquit, quadrigis voluitur vitiorum, ingluuie ventris, libidine coitus, mollicie veſtiũ, ocij ſoporiſque reſolutione: trahitur equis æquè duobus, proſperitate vitæ, & rerum abundantia: & qui his præſunt duo, ignauiæ torpor, & infida ſecuritas. Sed quoſnã captiuos in triumphum ducat nonnihil diſpiciamus.

Luxuria triũphãs.

Atq; vt de Hercule taceam, quem Iupiter per adulterium ex Alcmena ſuſtulit, & qui, ne non patris ſui ſimilis eſſet, nihil antiquius habuit voluptate, & quidem impura, & quouis iure vetita; exindeq; triginta vna nocte mulieres aliquando fertur iniiſſe; atq; vt apud Athenæum eſt, idem ſeptem diebus quinquaginta filiabus Theſtij virginitatem imminuit:

Hercules luxurioſus.

Traditum vtiq; meminimus, Proculum, qui Probi tempore tyrannidem inuaſit, nocte vna decem captiuas ex Sarmatia conſtupraſſe: atq; ea de re peculiari eum epiſtola gloriatum fuiſſe, ſeq; inter fortes numerari affectaſſe, dum molliciem ſuam maximè commemorando manifeſtauit, vt grauiter cenſuit Pierius lib. 10. Hieroglyph. Hoc amplius Anton. Mizaldus prodidit, ex eodem Proculo centum virgines intra quindecim dies fœtum concepiſſe. Cent. 1. Memorab. aphor. 88. Et qua continentia

Proculus.

fuiſſe dicas eum, qui cum viginti iam ſepeliſſet vxores, eam ſibi matrimonio copulauit, quæ vigeſimum ſecundum maritum habuerat? De his D. Hieron. lib. 5. Epiſt.

Polygami.

Ex hoc hircorum genere fuit quoque Heliogabalus, ille, vt Alexander Seuerus ait, non ſolùm bipedum, ſed etiam quadrupedum ſpurciſſimus: is enim mulieres nunquam iterauit præter vxorem. Nec tamen video, quid maribus in hoc velint mulieres cedere.

Heliogabalus.

Singulare muliebris laſciuiæ exemplum retulit Gaudentius Merula, qui Auguſtæ Taurinorum vidiſſe ſe teſtatur adoleſcentulam ſatis elegantem, & adeo libidinis auidam, vt quinq; & triginta viros ordinis militaris ad coitum ſeriatim admiſerit. Anton. Mizaldus Cent. 8. Memorab aphor. 10.

Laſciuia puellæ cuiuſdam.

Meſſalinam ſcilicet Claudij Cæſaris vxorem victura, quam Plinius lib. 10. cap. 36. ſcribit, ancillam in Veneteum id certamen è proſtitutis electam, die ac nocte ſuperaſſe quinto & viceſimo concubitu; *Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.* vt ait ille. De huius portentoſa libidine extat apud Dionem Caſſium Nicæum lib. 60. & eius Epitomarium Xyphilinum in Claudio. Nihil dicam de ſalacitate Semiramidis, Myoniæ, Cyrenæ, & aliarum prurientium fœminarum, ſola mihi agmen ducat Quartilla Petronij, cuius dictum ille, efferatam mulieris libidinem, & paſſiuam proſtituti pudoris nundinationem exequens, ita concinnauit: Iunonem meam (inquit Quartilla) iratam habeam, ſi me vnquam memini virginem fuiſſe. Nam infans cum paribus inquinata ſum, & ſubinde prodeuntibus annis maioribus me pueris applicui, donec ad hanc ætatem perueni, qua ſcilicet (vt eſt in prouerbio) taurũ ferre poteſt, quæ vitulum tulerat. Sed portentoſa hæc libido me quoq; in verborum luxuriem traxit.

Meſſalina.

Quartilla Petronij.

Deſino, vbi cum Venerabili Beda exclamauero: O extrema libidinis turpitudo, quæ non ſolùm mentem effœminat, ſed corpus eneruat: non ſolum maculat animam, ſed fœdat perſonam. Omne namq; peccatum, quodcunq; fecerit homo, extra ſuum corpus eſt; qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Semper illam præcedunt ardor & petulantia, ſemper comitatur fœtor & immunditiies, ſemper ſequitur dolor & pœnitentia.

Exclamatio.

Luxu-

Luxurioſorum opes.

EMBLEMA LXXIII.



RVPIBVS *aerijs, ſummiq́ crepidine ſaxi*
Immites fructus ficus acerba parit:
Quos corui comedunt, quos deuorat improba cornix,
Qui nihil humanæ commoditatis habent.
Sic fatuorum opibus paraſiti, & ſcorta fruuntur,
Et nulla iuſtos vtilitate iuuant.

COMMENTARII

I. IN cacumine arduo montis exprimitur arbor caprificus cum ſuis groſſis, ad quam certatim aduolant aues, maximè verò cornices & corui. Emblematis titulum Sanctius mutat, & reponit, *Fatuorum opes.* Aut pro luxurioſis intelligi vult effuſos & prodigos: & tunc alio loco cenſet collocandum Emblema.

Epigraphe.

II. Hoc ex apophthegmate Diogenis ſumptum. Dicebat enim, eos, qui profuſè & temerè bona decoquerent in rebus Venereis, conuiuijs magnificis, & id genus alijs, arboribus eſſe ſimiles in montium cacumine naſcentibus, quarum fructus hominibus eſſent inutiles, à vulturibus aut coruis deuorandi. Argutā hāc Diogenis ſententiā retulit in Paraphraſi Menodoti orationis ἐπὶ τὰς τέχνας Galenus, his planè verbis: καλῶς οὖν καὶ ὁ Δημοσθένης καὶ ὁ Διογένης· ὁ μὲν, χρυσᾶ πρόβατα καλῶν τοὺς πλουσίους καὶ ἀπαιδεύτους· ὁ δὲ, ταῖς ἐπὶ τῶν κρημνῶν συκαῖς ἀπεικάζων αὐτούς.

Fons Emblematis.

Locus Galeni.

ἐκείνων γὰρ τὸν καρπὸν, οὐκ ἀνθρώπους, ἀλλὰ κόρακας ἢ κολιοὺς ἐσθίειν· τούτων τε τὰ χρήματα, μηδὲν μὲν ὄφελος εἶναι τοῖς ἀστείοις, δαπανᾶσθαι δ' ὑπὸ τῶν κολάκων. οἵ τινες ἐὰν οὕτως τύχῃ πάντων αὐτοῖς ἀναλωθέντων, ἀπαντῶντες παρέρχονται, μὴ γνωρίζειν προσποιούμενοι. ὅθεν οὐδ' ὁ ταῖς κρήναις τοὺς τοιούτους εἰκάσας, ἄμικτός τις ἦν, καὶ γάρ τοι καὶ οἱ ἀπὸ τῶν κρηνῶν ὑδρευόμενοι πρόσθεν, ἐπειδὰν μηκέτ' ἔχωσιν ὕδωρ, ἀνασυράμενοι προσουροῦσι. Quæ verba ſic ſe habent: *Preclarè itaq; Demoſthenes & Diogenes: ſiquidem ille diuites imperitos, nulloq; literarum cultu perpolitos, aureas pecudes appellabat: hic autem eoſdem ficubus comparabat, quæ naſcuntur in locis præruptis, & ad quæ difficilis acceſſus eſt; earum enim arborum fructus non homines, ſed coruos & graculos veſci: horum autem hominum bona & reditus non ab honeſtis hominibus, ſed à quibuſdam facetis & aſſentantibus abſumi. Qui tamen, poſtquam locupletis res omnis conſumpta eſt, huic fortè occurrentes, cùm eius cognitionem diſſimulent, ſine ſalutatione prætereunt. Quare nec ille inelegans, qui huic locupletum generi ſimilitudinem cum fontibus eſſe oſtendit, quando quidem hos, cum fortè humore omni exhauſti ſint, qui antè ab iiſdem aquari ſolebant, mox abducta veſte permingunt.* Hæc Galenus. Confero verba Plutarchi ex apophthegmatis Philoſophorum: *τοὺς ἀσώτους ἔφη παραπλησίους εἶναι συκαῖς ἐν κρημνῷ πεφυκυίαις, ὧν τοῦ καρποῦ μὲν ἄνθρωπος οὐκ ἀπογεύεται, κόρακες δὲ καὶ γῦπες ἐσθίουσι.*

III. *Aerius.* *RVPIBVS aeriis &c.*] id eſt, editiſſimis, altiſſimis: eadem metonymia, qua ſuperiùs Emblem. 30. *aerio nido* dixit. Sic Virg. 4. Georg.

Rupe ſub aeria deſerti ad Strymonis vndã.

Sed nota acumen & artificium, nam rupes ſeu ſaxum, eſt imperiti & ſtolidi ſymbolum; aer, pro ventoſo ponitur; crepido, pro fortunæ ſummo gradu. Qua ergo ratione elegantius exprimas diuitẽ imperitum & glorioſum?

Crepido. *Summiq; crepidine ſaxi*] Crepido ſecundum Vallam eſt ora terræ, quam aqua alluit, ex hoc appellata, quòd ibi aqua alluens crepat, cum currit, aut vndas appellit. Columel. lib 8. cap. 17. Sic enim maris atrocitas obiectu crepidinis frangitur. Per metaphoram verò & putei extremam oram, quæ ad puteum reſpicit, vulgò os putei dictum; & omnem extremitatem ſolemus crepidinem appellare. Dicitur etiam crepido abrupti ſaxi altitudo, vt ait Seruius, vel ora præcipitij. Virg. 10. Aeneid.

Fortè ratis celſi coniuncta crepidine ſaxi.

quem locum hic videtur imitatus Alciatus. Item crepido dicitur editioris cuiuſq; loci altitudo & extremitas, quam mendici inſidere ſolebant, vt eſſent magis cõſpicui. Seneca: Quis crederet, iacentem ſuper crepidinem Marium, aut fuiſſe, aut futurum conſulem? Ponit Minos hic; ἀκρόκαρπος, arbor dicitur in cacumine aut extremo fructificans. Sed videtur mihi deceptus, reſpexit enim ad locum & ſitum arboris, de quo *Minos deceptus.* hic agitur: atqui ἀκρόκαρπος ea eſt arbor, quæ fert fructum in cacumine & apicibus ramorum. Id verò quid hic ad rem? cum ea arbor etiam in plano poſſit conſiſtere cuilibet expoſita.

Immites fructus] crudos, immaturos, acerbos, καρποὺς ἀκάρπους. Sic Plinius, immitia adhuc & cruda poma vocat. Horatius *Fructus immitis.* 2. Carm. Ode 5. Vuam immitem appellat. Eoſdem Virgilius vocat *feros*, Georg. 2.

——*Fructusq; feros mollite colendo.*

Et eleganter Lucretius lib. 5.

——*Fructusq; feros manſueſcere terra Cernebant.*

Ficus acerba] Caprificum intellige: *Caprificus.* quæ ideo *acerba* dicitur, quod fructus ipſius nunquam matureſcãt. De hac Plinius lib. 15. cap. 19.

Quos corui] improbi quiq; impoſtores, *Corui qui* homines nigri, id eſt, moribus infamibus & perniciosis præditi, quos fugiendos eſſe monuit Horatius:

Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto.

Coruum autem eſſe impoſtoris hieroglyphicum teſtatur Pierius lib. 24.

Improba cornix.] Id eſt, inauſpicata, *Cornix inauſpicata.* quam Virg. ſiniſtram vocat in Eclogis; & improbam 1. Georgicõn, vt improbus anſer ob garrulitatem. Cornicem autem priſci inter prodigioſas aues reponebant. Itaq; his nominibus improbæ vitæ homines intelligit, ex quibus nulla poteſt neq; gratia, neque commoditas elici, vt ſunt lenæ, & ſcortilla, & alij opum aſſeclæ.

Qui nihil humana commoditatu habēt] qui non ſubſeruiunt hominum vſibus, quamuis omnia hominum cauſa ſint facta.

Bona vnde dicta. cta. Et bona dicuntur à beando, beare, eſt prodeſſe, ſeu beatum facere. Hinc χρηστοὶ ἄνδρες, *viri boni & ſalutares.*

Fatui. *Sic fatuorum*] inſipidorum, improuidorum, nulla penè mente, nulloque ingenio præditorum. Cicero 2. de Finib. Ipſe negat, vt antè dixi, luxurioſorum vitam reprehendendam, niſi planè fatui ſint.

Paraſiti. *Paraſiti*] ſcurræ vagi, homines alienæ quadræ aſſueti, & qui omnia ventris gratia faciunt. De his commodiùs infrà Emblemate 93.

Scortum. *Scorta*] meretriculæ. Scortum apud antiquos corium vel pellem ſignificabat: inde in aliquot ſacris ac ſacellis ſcriptum haberi Varro teſtatur lib. 6. de lingua Latina: Ne quid ſcorteum adhibeatur, ne morticinum quid adſit. Quò reſpiciens Ouidius ita canit:

Scortea non vlli fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata Deos.

A ſcorteis iſtis pellibus meretrices quoque ſcorta fuerunt appellatæ, & pelles. Nam & in Atellanis licet animaduertere, ruſticos dicere, ſe adduxiſſe pro ſcorto pelliculam, teſte Varrone, loco iam allegato. Et illud Leuit. 15. Veſtem & pellem, quam habuerit, lauabit aqua: Heſychius Hieroſolymitanus de meretricibus interpretatur. Vel, quod pellibus ſcorteis pro lecto vtebantur. Pierius lib. 34. hieroglyph. Vel, quod vt pelliculæ ſubigantur, vt eſt apud *Scortum ſcorteum.* Feſtum. Vnde ſcortum ſcorteum Apuleio libro 1. Miſcel. pro meretrice annoſa, & inſtar pelliculæ ac corij rugoſa.

Iuſti qui. *Iuſtos.*] Viros bonos. In ſacris iuſti dicuntur non tantùm qui iuſtitiam, ſed & qui virtutes alias omnes colunt: eaq; iuſtitia eſt, quæ in ſe virtutem amplectitur omnem. & Plato Dialogo, qui ἐρασταί, vel περὶ φιλοσοφίας inſcribitur, virtutes morales vno iuſtitię nomine complecti videtur. Tullius 1. Offic. Iuſtitię ineſt ſplendor virtutis maximus, ex qua boni viri nominantur, cuius primum munus eſt, ne cui noceat; deinde vt communibus pro communibus vtatur, priuatis vt ſuis. Idem in 2. Iuſtitia, ex qua boni viri appellantur, mirifica quædam res multitudini videtur. Referre poſſis huc quæ diſputat περὶ νόμου Dion Sophiſta, & Ariſtoteles 5. de moribus ad Nicomachum.

IV. *Prodigi.* ILLVD hoc loco exprimitur, quod vulgus crebrò vſurpat: E diuitiæ malo malę opes, & opibus bonis eos indignos eſſe penitus, qui iis malè vtantur. Fit enim ſæpe, vt ampliſſimæ poſſeſſiones, quæ in pios vſus conuerti debuerant, in ſumptus inutiles, vel etiam pernicioſos & deteſtandos prodigantur, nulla habita iuſti ac æqui ratione. Etenim pecunias, quas multo cum labore quis vnciatim vix comparſerit, iuxta Archilochum, eas non rarò vniuerſas ſemel in vnius ſcorti aut ſcurræ marſupiũ effundit homo ignauus, prodigus, & inutile terræ pondus. Alexander Macedo Promachum hominem bibaciſſimum, in vini certamine victorem, aurea corona donauit. *Alexander.* M. Tigellius Hermogenes fuit adeo prodigus, vt tibicines, hiſtriones, paraſiti, gnathones, mimi, epulones, balatrones, mendici, vnguentarij, caupones, reliquiq; otioſę & perditæ vitæ homines, mortem eius lacrymis defleuerint. *Tigellius.* Horat. lib. 1. ſerm. Sat. 2.

Ambubaiarum collegia, pharmacopolæ,
Mendici, mimi, balatrones, hoc genus omne
Mæſtum ac ſollicitum eſt cantoris morte Tigelli,
Quippe benignus erat.

Callias quidam fuit, qui conſectandis meretricibus vniuerſum dilapidauit patrimonium. *Callias.* Hinc per iocum dicebatur à ſcortis deplumatus. Commodè ſe mihi affert occaſio promendi de luxu id, quod alta mẽte clauſum gero, ſermonem ſcilicet familiarem, quem non ita pridem mecum habuit Reuerendiſſimus Pręſul Nicolaus de Oddis, vir vt doctiſſimus & humaniſſimus, *Nicolaus de Oddis.* ita præclarè de me meritus. Nam cum de donis & bonis naturæ incidiſſet mentio, iſq; plura eruditè (vt ſolet omnia) cedro digna locutus eſſet, ego tunc vulgari imbutus opinione ſic ſubiungo: In ſenium vergit natura, parca nunc in largitionibus, quæ olim profuſior; vix decimo ſuppetũt ad vſum vitæ, quibus famem pellat, & ab iniurijs cœli tectus ſit; labor & ſumptus grandiores ſępe, nec ad menſuram prouentuum: vitis & arbor infra votum coloni, nec comparandis rebus precium, nec cudendo huic materia ſufficit: in ſummo mercium omnium valor, & in monetis iniquũ auctarium, non à pondere ad vnciariam legem aut libellam, ſed à libidine taxantiũ ęſtimatis. Non ea gratia fructibus & ſapor, non ea virtus herbis & radicibus, non ea copia in volucrum & aquatilium genere,

nec tam prodigi in humanos vſus propagatione fetinæ ſaltus ac nemora, ſicut antiquis ſæculis. Irata ſit aut inuida terra neceſſe eſt, aut malè propitia ſidera; torpere illi vterum grandæuæ, aut impotentia hæc ad ſeminandum. Verùm ille ſubridens: Falleris, mi Thuili, falleris, inquit; & te vulgata ad aſſenſum ſeducit opinio; non certè me. Conſidera mores & luxum ſæculi huius, prodigioſus eſt & in tumore ſuo, vt Nilus in ſolſtitio, tranſgreſſus rationis metas & naturæ, à duplici fonte, Libidinis & Luxus, quibus monſtris ſaturandis vel orbis æraria congeri nil iuuet. Vt in ſexum peccetur & diuerſam ſpeciem, vt amatori ſuo cognata ſuccumbat, vt ſepta religionis perfringat inceſtus ſtuprator, adulter alienos thoros violet, in raptum quæratur virgo, pellex & vxor cohabitent, matronæ periclitentur & impuris lenonibus prædæ ſint, miſceatur proles dubijs parentibus, tot ſpurios & nothos omnis regio alat, nocturnis lamiarum conuenticulis ſiluæ & montes perſtrepant, Libido ſuadet, quæ conglutinandis affectibus impuritatis nexu, querulis hinc inde tranſmiſſis epiſtolis & munuſculis primò vadũ tẽtat, cõuẽtus indicit ſolitarios & clandeſtina colloquia, ad ſympoſia citat, voluptuarias menſas inſtruit, lauticijs adornat & ſcenico apparatu, ſcurras accerſit & mimos, phonaſcos adhibet & pſaltrias, ad Phrygios modos & ſaltatiunculas prouocat, in amplexum deniq; propellit; & hæc omnia ſua quadam ſolennitate & plauſu, proſtituto pudore, publicè, paſſim, impunè. Sumptuoſa hæc ſpectacula ſunt, & impenſis egent irritando ſceleri, quę vel larga patrimonia exhauriant: pecunijs non parcitur, modò potiundæ Veneris arrideat ſpes, aer & vnda conuehant, quod pro philtro ſit, & trahat in naſſam. O infelix piſcatio & capturæ modus? Ita viuitur tamen, vt totum orbem in hoc malum coniuraſſe dicas: non tot auiculæ in ſiluis, quot meretriculæ, lenones, fornicarij, concubinarij, pellices, adulteræ in vrbibus, vbi mœchantur, ſcortantur, venantur, & lepuſculos quærunt in iſtis dumetis. Ah, Chriſtianum hoc? Barbarum interroga, Thracem, Turcam, Scytham, deteſtabitur turpitudinem, ad honeſti amorem ſolius naturæ ductu, quàm nos, qui de ſalutifero chriſmate & fidei dono adeò gloriamur, meliùs compoſitus. Peculiaria quædam vitia notantur & quaſi propria ſingularum gentium, vt aliæ latrocinijs aut furtis deditæ ſint impenſiùs, ad crapulam aliç aut faſtum & inanem gloriam, ad iracundiam quædam & furorem proiectiores: libido vniuerſum mundum poſſidet. Et neſcio certè quo fato contingat, vt decretum iudicis, aut prætoria ſeueritas in hoc genus flagitij minus rigida & præceps, lentè admodum procedat, aut infra modum delicti: conniuetur, hæret ſententia, in mora totus proceſſus ſuffragantium lenitudine. Laudem, ſi in ſpem correctionis, patrato crimine, non iterato & in conſuetudinem tracto: reprobem, ſi in ſcandalum & corruptelam aliorum, quam intempeſtiua hæc conniuentia facilè proſeminat, peſtilenti ſanè & omniũ maximè pernicioſo Reipub. contagio. Luxum adiungo, non minus noxium & virulentum malum ciuitatibus, prouincijs, regnis, imperijs; graſſatur enim & ſerpit quà terrarum ſe latera porrigũt. Hunc diſſuaſorem honeſti, & populatorẽ opum, præclaris ſcilicet titulis & elogijs, Poetæ inſigniunt. Verè talis, ſorbet, deglutit, deuorat, decoquit vniuerſa inexplebili ſtomacho. Regios theſauros, & talentorum myriades ingluuies capit, in ſtructuris, mũdo, voluptate, & paſtu corporis (animam vt focariam miniſtram habet) exceſſus ad ſtuporem, ſupra rem & annuos cenſus: abſumit diæta quod menſis non reddat; quò animus rapitur, ærumena ſequi cogitur, quidquid repoſitum inſit. Non ergo naturæ ſenium aut laſſitudinem incuſa: immenſa petimus, quæ illa largiri neſcit; terminos ſuos habet, deſideria noſtra infinita ſunt; neceſſitati ſuccurrit, ad ſuperflua nos vota extendimus; benignè diſpenſat, ingrati accipimus; dat quantum poteſt, nos iniuriam interpretamur, ſi in media copia defatigatis extrema deficiant. Illa nos paſcere ac veſtire debet, fecit, ac faciet in poſterum, imperio magni Numinis, quod præſidet: quis ad plura importunus vrgeat? Dignum eſt experiri nouercam, vbi materna ſolicitudo in nauſea. Hæc ille tanquam ex Phœbi tripode; ego tacitus in ſentẽtiam pedibus iui, plura additurus, niſi me Lais ad ſe vocaſſet.

Duo ſaeculi mala, Libido & Luxus.

Luxus.


An natura deficiat.

Deteſtatio libidinis.

Tumu-

Tumulus meretricis.

EMBLEMA LXXIV.



QVIS tumulus? cuia vrna? Ephyrææ eſt Laidos. ah, non
Erubuit tantum perdere Parca decus?
Nulla fuit tum forma: illam iam carpſerat ætas,
Iam ſpeculum Veneri cauta dicarat anus.
Quid ſcalptus ſibi vult aries, quem parte leæna
Vnguibus apprenſum poſteriore tenet?
Non aliter captos quòd & ipſa teneret amantes:
Vir gregis eſt aries, clune tenetur amans.

COMMENTARII.

TVMVLVS pingitur marmoreus, in quo ſculpta cernitur leæna, arietem vnguibus à tergo complexa. Sed neſcio quis veternus hic pictorem corripuit, qui dum aries depingendus fuiſſet, capram, eamq; mammis ſuillis præditam effinxit. Quis ſibi à riſu temperet?

DVCTVM Emblema eſt ex Pauſania 2. Corinthiac. cuius hæc ſunt verba: Ante vrbem (Corinthum dicit) cupreſſorum II.

nemus

nemus viret, quod Cranion vocãt, in quo eſt Bellerophontis lucus, & Veneris Melanidis templum, ac Laidis monumentum inſculpta leæna, quæ prioribus pedibus arietem complectitur. Alterum item in Theſſalia eſt, quod Laidis exiſtimant. In Theſſaliam enim acceſſit Hippoſtratis amore capta. Antea verò cum adhuc puella eſſet, ex Hyccaris, quæ in Sicilia ſunt, à Nicia & Athenienſibus captiuam fuiſſe referunt, Corinthiq; diuenditam, forma omnes temporis eius meretrices ſuperaſſe, atque in tantam veniſſe æſtimationem apud Corinthios, vt nunc quoq; pro Laide contendant. Hæc ille. Fuit enim Lais meretrix nobiliſſima Corinthi, vnde & Corinthĩa dicta Gellio lib. 1. cap. 8. quãquam patriam habebat Siciliam, auctoribus Plutarcho, Athenæo, & Solino. Hæc ob elegantiam venuſtatemq; formæ grandem pecuniam demerebat; conuentusq; ad eam ditiorum hominum ex omni Græcia celebres erant, neque admittebatur, niſi qui dabat, quod popoſcerat: poſcebat autem illa nimiam quantitatem. Hinc natum illud frequens apud Græcos adagium: *οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς.*

Monumẽtũ Laidis. *Lais quæ.*

Non cuiuis hominum contingit adire Corinthum.

Ab hac cum Demoſthenes petijſſet, vt ſui copiam faceret, & illa decem drachmarũ millia pro concubitu popoſciſſet, petulãtia mulieris, & pecuniæ magnitudine expauidus Rhetor, diſcedens: Ego, inquit, tanti pœnitere non emo. Solinus Polyhiſtor. cap. 11 de Sicilia: Hic Lais illa, quæ eligere patriam maluit, quàm fateri. Hoc dicit, quod cum nata Craſti foret, quæ vrbs eſt Siciliæ, Corinthi agere, Corinthiaque dici maluit. Eam porrò Suidas à Theſſalis mulieribus Zelotypis in templo Veneris interfectam ſcribit ex Athenæo: nam Corinthũ Veneri operatam, Cotyn Deam turpitudinis, & præpoſteræ libidinis præſidem coluiſſe, tradit idem Suidas, quę eadem Cocyto dicebatur, in cuius tutela obſcœni infamium amorum ſectatores erant. Eam idem nominat *ἔφορον τῶν αἰσχρῶν*. De Laide extat ſcriptum carmen anonymi cuiuſdam, eruditi ſanè hominis:

Lais occiſa. *Cotys Dea turpitudinis.*

Lais anus ſpeculo ſe contemplata nitenti,
Vt ſolitum vidit deperijſſe decus,
Labraque nunc pallere, olim inuidioſa corallis,
Et verſa in canas aurea fila niues,
Et qui certabant ebori, rubigine dentes
Squallere, & ruga tempora laxa rudi,
Luminaq; illuſtri tantũ nõ æmula Phœbo,
Nunc ſub mucoſo clauſa latere ſpecu:
Et tamen idem animus ſtimulos ſub pectore eoſdem,
Et noto ſenſit feruida corda Deo;
Sic ſecum: Facie nimium viuacior, ò mens,
Cur dudum hæc Anus eſt, tuque puella manes?

Id non malè quadrat in noſtrum hoc Alciati carmen, ſed accepi pridem à viris Italici ſoli, id ſcriptum fuiſſe in quandam meretricem Venetam, quæ ætatis lapſo, ſeu decuſſo flore, quoties ſe in ſpeculo conſpiceret, fronte iam rugis obſita, miſerè contabeſcebat, & nihilò ſegnius ardore tentiginis premebatur. Plura de Laide require apud Stephanum Nigrum, de nimio vitæ luxu, cum de meretricibus agit; Athenæum lib. 13. cap. 10. Leonic. de var. hiſtor. lib. 1. cap. 81. Lactantium lib. 3. de falſa ſapientia. Gyraldũ Syntagm. 13. hiſt. Deor. Memini quoq; me de eadem aliquid legere in epiſtolis Antonij de Gueuara.

QVIS tumulus?] Cuius hoc eſt ſepulchrum? De *tumulo* diximus ſupra Emblemate 8. III.

Cuia vrna?] Veteres interrogabant per Cuius, cuia, cuium; nunc idem per genitiuum Cuius quærimus. Cicero 3. Verr. Vt optima conditione ſit is, cuia res eſt, cuium periculum. Vrna autem propriè ſignificat vas aquarium, à verbo vrinare, ſiue vrinari, quod eſt in aquam mergi. Sed hic capitur pro ſepulchro, quia cum corpora mortuorum cremabantur, quidquid reliquiarum remanebat, in vrnam conijciebatur, ſiue lapideam, ſiue fictilem, quæ imponebatur ſepulchris.

Cuius. *Vrna.*

Ephyrææ eſt Laidos] famoſæ illius meretricis. Dicitur autem Lais Ephyræa ab Ephyra vel Ephyte, vrbe Achaiæ, quam poſtea Corinthum appellauerę, teſte Plinio lib. 4. cap. 4. cuius verba ſunt: Medio hoc interuallo, quod Iſthmon appellamus, applicatu colli habitatur colonia Corinthus, antea Ephyra dicta, ab Ephyra Oceani filia. Propertius lib. 2. eleg. 6.

Ephyre.

Non ita complebant Ephyrææ Laidos ædes,
Ad cuius iacuit Græcia tota fores.

Claudian. in Eutropium:

Haud aliter iuuenum flammis Ephyreia Lais,

Et

Et gemino ditata mari.
De eius patria pleriq; cōcertāt, vt Atheni.

Ah, non Erubuit] ei etiam tam formoſæ mors auſa eſt inijcere manus? Nēpe mors nemini parcit. Virgilius in Appendicibus:

Mors nemini parcit.

Illa rapit iuuenes prima florente iuuenta,
Non oblita rapit ſed tamen illa ſenes.

Et Odar. lib. 3. Horat.

Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis iuuenta
Poplitibus, timidoq́; tergo.

Parca.

Parca] mors, vltima linea rerum. Dicuntur Parcæ deæ fatales, ſic à Poetis per ἀντίφρασιν dictæ, quod nemini parcant. Quarum tres ſunt, Clotho, Lacheſis, Atropos, diuerſis præfectæ officijs: volunt enim vnam eſſe, quæ vitam hominis ordiatur, & colum baiulet; alteram, quæ neat & contexat; tertiam, quæ filum rumpat ac finiat. Prima eſt Clotho, quam Statius vocat ferream, Seneca grādæuam, Pontanus improbam & ſedulam. Secunda eſt Lacheſis, Ouidio dura, Martiali inuida, Claudiano ferrea dicta. Tertia Atropos, de qua Statius lib. 4. Thebaid.

Parcarū officia.

——*Hos ferrea neuerat annos*
Atropos.

De Parcis vide Mytholog. Comitis, lib. 3. cap. 6.

Nulla fuit tum forma] Iam obrepente ſenio amiſerat formæ elegantiam & venuſtatem.

Carpſerat ætas] Nempè ſenilis, qua veniente color & venuſtas flaceſcit. Ouid. 3. Triſt.

Senectute forma deflorescit.

Iſta decens facies longis vitiabitur annis,
Rugaq́; in antiqua fronte ſenilis erit:
Inijcietq; manus formæ damnoſa ſenectus,
Quæ ſtrepitum paſſu non faciente venit.

Arma ponere.

Iam ſpeculum Veneri, &c.] Milites, qui per ætatem à bellicis functionibus ceſſāt, dicuntur vulgò arma poſuiſſe: & qui alicui omninò arti renunciaſſent, Deo illi, qui arti præerat, inſtrumenta eius artis ſuſpendebant. Horat. 3. Carm. 26.

Vixi puellis nuper idoneus,
Et militaui non ſine gloria.
Nunc arma, defunctumq́; bello
Barbyton hic paries habebit.

Idem 1. Epiſtola ad Mecœnatem:

——*Veianius armis*
Herculis ad poſtē fixis, latet abditus agro.

Vt alicubi Virg.

——*hic victor ceſtus, artemq́; repono.*

Loquitur de Entello. Sic ſcorta, cum ad ſeniles annos peruenīūt, Veneri ſpeculum dicant. Auſonius Græcum Platonis epigrāma ſic vertit:

Veneri ſpeculum dicare.

Lais anus Veneri ſpeculum dico: dignum habeat ſe
Æterna æternum forma miniſterium.
At mihi nullus in hoc vſus, quia cernere talem,
Qualis ſum, nolo: qualis eram, nequeo.

Idem inuenies apud Thomam Morum. Neq; hoc Poetæ alicuius Itali, ſanè elegantis, diſſentit:

Viſtaſi Nicoloſa
Dentr' vn ſpecchio, ch' vn dì l'era dauante,
A la laida Bertuccia eſſer ſembiante:
Ahi veloci anni (diſſe) ahi lieue etate,
Come toſto paſſate;
Hier creſpa e gialla hebb' io la chioma, hor baggio
Creſpo e giallo il viſaggio.
Hier fui con queſto viſo
Cagion di pianto, hor ſon cagion di riſo.

Aegrè ferunt enim rugas contractas, amiſſamque formæ gloriam, quam diu in ſpeculo erant intuitæ. Hinc Ouidianum illud 3. Triſt.

Cumq́; aliquis dicet: Fuit hæc formoſa, dolebis,
Et ſpeculum mendax eſſe querere tuum.

Idem ferè auctor de medicamine faciei:

Tempus erit, quo vos ſpeculum vidiſſe pigebit,
Et veniet rugis altera cauſſa dolor.

Id & attingit ad Liguriuū Flaccus lib. 4.

Dices heu, quoties te ſpeculo videris alterū:
Quæ mens eſt hodie, cur puero non eadem fuit?

De ſpeculo multa paſſim leguntur: fuit enim illud anathema Veneris. Philoſtratus Iconibus. Ideoq; Triton apud Apuleium Veneri ſpeculum prægeſtat in pompa. Amor, vt ait Euripides, εἰλεῖ κάτοπτρα καὶ κόμης ξανθίσματα, *amat ſpecula, & crinium ruffationem.* Apud eundem Electra damnat formæ lenocinium vſu quæſitum ſpeculi, in matre Clytemneſtra, abſente marito Agamemnone:

Speculum anathema Veneris.

Ἠ ξανθὸν κατόπτρον πλόκαμον ἐξήσκεις κόμης.
Quæ flauos orbes crinium ad ſpeculum ſtudioſè componebas.

Sed & Ouidius, tenerorum doctor amorum.

rum, eleg. 14. lib. 1. ad amicam:

Quid malè compoſitos quereris periſſe capillos?
Quid ſpeculum mœſta ponis inepta manu?

Scalpere. *Quid ſcalptus*] Scalptus idem eſt quod ſculptus; imò ſcalpere, & non ſculpere, dici debere auctor eſt Diomedes. Hiſtoriam iam ex Pauſania commemorauimus.

Non aliter captos, &c.] eò quòd ſciret ineſcare & capere miſeros amantes.

Vir gregis eſt aries] Virum gregis appellat arietem, vt primo Transformationum Ouidius:

De grege nunc tibi vir, & de grege natus habendus.

Vir gregis. Virgilius etiam de Capro:

Vir gregis ipſe caper.

& in Georgicis:

Quem legere ducem, & pecori dixere maritum.

Vide Macrob. lib. 6. cap. 6. Hanc loquendi formam vſurparunt auctores certè graues, vt miſſum faciam Ciceronem, qui oratione in Piſonem, admiſſarium pro homine immoderatæ libidinis dixit. Papinianus enim de admiſſario tauro:

——ſtabuliq; maritus.

Admiſſa-. Et Saluianus 7. de Prouidentia: Hi verè vt emiſſarij equi, non ad paucas tantùm, ſed penè ad omnes vernulas ſuas, id eſt, ad greges proprios irruebãt, & in morem eorum pecudum, qui mariti gregium appellãtur, feruidæ libidinis debacchatione graſſantes, in quamcumq; eos primam fœminam ardens impudicitiæ furor traxerat, irruebãt. Hos tales & nos Germani vocamus *Stattbaagen*. quaſi dicas tauros vrbanos, qui toti vrbi ſufficiant.

Clune tenetur amans.] Horatius 2. Satyra lib. 1. Sermon.

Quod pulchra clunes, breue quod caput, ardua ceruix,
Hoc illi rectè, ne corporis optima lynceis
Contemplere oculis.

Locus iſte omnis ſanè lubricus ac Venereus, quo feſtiuus ſcriptor mulieres equis venalibus comparat. Sed ad rem; clunes, & earum inſpectio, ſedes ac incitamentum libidinis, quarum intuitu mulieres ἀνδρομανεῖς homines otioſos adigunt ad inſaniam. Sed quis non videt, quàm fœdum ac contemptum clune capi, & voluptati turpi ſuccumbere? quàm belluinum, ſi homo rationis particeps nihil putet inter ſe & quadrupedem intereſſe? Adduxiſſem huc aliquid hunc locum explicans ex Anatomicorum ſcitis, niſi caſtis mẽtibus parcẽdum duxiſſem. Pertinet huc Diogenis Cynici dictum, apud Laertium, qui videns Olympionicen quendam oculos in ſcortum ſubinde reflectentem: Ecce, inquit, vt aries Martius à puella vulgari obtorto collo vinctus abducitur. Diogenis dictum.

IV. Hoc ſchemate exprimitur ſtoliditas amatorum, & rapacitas meretricum. Nam per arietem, fatuum ſtolidumq; animal, amatorem veſanum & fatuum intellige, qui blandæ & doloſæ dominæ ſubſeruiat, quiq; ſuam ſeruitutem, quàm ſit miſera, non ſentiat: ſed vides eundem à leæna partibus poſterioribus ſcalptum & detentũ, quo rapina meretricia, imperiumque in amaſios libidine prurientes, & quaſi vinculo colligatos exprimitur. Cæterùm leænæ nomine meretricem intelligi multis veterum ſententijs conſtat, & maximè ſacrorum Bibliorum locis aliquot: Ezechiel enim Hieroſolymam leænam vocat, & Heliachim catulum eius, qui in Ægyptum ductus eſt. Plautus Truculento: Aries ſtolidum ſignificat. Leæna meretricem ſignificat.

Bonus eſſe oportet dentibus leænam probam,
Arridere quiquis veniat, blandè alloqui, malè cordè,
Conſultare, benè loqui linguam: meretricem eſſe ſimilem ſentis
Condecet. &c.

Huic & conuenit ſenarius veteris cuiuſdam poetæ:

ἴσον λεαίνης καὶ γυναικὸς ὠμότης.
Par eſt leænæ & fœmina crudelitas.

Retulit Pierius in leone 1. Hieroglyph. quem etiam lege in Ariete lib. 10. in quibus Laidis monumenti huiuſce meminit. Idem Pierius eodem lib. 1. oſtendit, meretrices quoq; ſphĩgis effigie hieroglyphicè deſignari, quòd capite humano manſuetudinem præſeferrent quidem, cæterum reliquo corpore leonino rapacitatem & imperium, quod in amatores exercent, indicarent. Idemq; Philip. Camerarius cap. 71. Horar. ſuccis. ſcriptum reliquit. Et Megaricæ ſphinges in opprobrium dici ſolitum de meretricibus, ob impuros ſcilicet mores Megarenſium, quos omnes veterum ſcriptores damnant. Eædem quoq; vocantur lupæ; vnde lupanar dicitur à Tertulliano lib. 3. ad vxor. conſiſtorium publicarum Meretricẽ ſphinx deſignat.

rum

rum libidinum. Plautus Epidico:

Diuortunt mores virgini longè, ac lupæ. Sic verò dicuntur, fortaſſe quòd miſeros amantes laniant, excoriant, lacerant & deglutiunt: Eſca enim eſt meretrix, eodem Plauto teſte, quæ *tantiſper blanditur, dum illud quod rapiat, videt*. Eam etiam mari ſimilem facit, cum quicquid des deuoret & abſorbeat, ſatietur nunquam. Sed de his latiùs in ſequentibus.

In amatores meretricum.

EMBLEMA LXXV.



VILLOSAE indutus piſcator tegmina capræ,
Addidit vt capiti cornua bina ſuo;
Fallit amatorem ſtans ſummo in littore ſargum,
In laqueos ſimi quem gregis ardor agit.
Capra refert ſcortum: ſimilis fit ſargus amanti,
Qui miſer obſcœno captus amore perit.

COM-

COMMENTARII.

I. PISCATOR in cymba ſua ſtans, cornibus & pelle caprina tectus, reti captum ſargum extrahit. Eſt autem ſargus (*Sargus.*) piſcis quidam cantharo piſci ſimilis, bis anno pariens, vere & autumno; antris inhabitat, & ſemper mullum comitatur. Plin. lib. 9. cap. 17. & 51.

II. (*Locus Æliani, qui eſt typus huius Emblematis.*) COMPARATIONIS huius origo ſumpta eſt ab Æliano, lib. 1. de animal. cap. 23. (alij lib. 11. cap. 19. allegant, ego hoc auctore deſtitutus, dum propero, videre non potui) cuius verba huc conferre non piguit. φιλοῦσι τὰς τῶν ἀλόγων αἶγας ἰσχυρῶς. ἐὰν γοῦν πλησίον τῆς ἠιόνος νεμομένων ἡ σκιὰ μιᾶς ἢ δευτέρας ἐν τῇ θαλάσσῃ φανῇ, οἱ δὲ ἀσμένως προσνέουσι καὶ ἀναπηδῶσιν, ὡς ἡδόμενοι καὶ προσάψασθαι τῶν αἰγῶν ποθοῦσιν ἐξαλλόμενοι, καίτοι οὐ πάνυ τι ὄντες ἁλτικοὶ τὴν ἄλλως· νηχόμενοι δὲ καὶ ὑπὸ τοῖς κύμασιν, ὅμως τῆς τῶν αἰγῶν ὀσμῆς ἔχουσιν αἴσθησιν, καὶ ὑφ' ἡδονῆς προσελθεῖν ἐπ' αὐτὰς σπεύδουσιν. ἐπεὶ τοίνυν εἰς τὰ προειρημένα δυσέρωτές εἰσιν, ἐξ ὧν ποθοῦσιν, ἐκ τούτων ἁλίσκονται. ἁλιεὺς γὰρ ἀνὴρ αἰγὸς δορὰν ἑαυτὸν περιαμπέχει σὺν αὐτοῖς τοῖς κέρασι δαρείσης αὐτῆς, λαμβάνει δ' ἄρα τὸν ἥλιον κατὰ νώτου ἐπιβουλεύων ὁ θηρατὴς τῇ ἄγρᾳ, εἶτα καταπάττει τῆς θαλάσσης ὑφ' ἣν οἰκοῦσιν οἱ προειρημένοι, ἄλφιτα αἰγείῳ ζωμῷ διαβραχέντα. ἑλκόμενοι δ' οἱ σαργοὶ ὡς ὑπό τινος ἴυγγος, τῆς ὀσμῆς τῆς προειρημένης, προσίασι καὶ σιτοῦνται μὲν τῶν ἀλφίτων, κηλοῦνται δὲ ὑπὸ τῆς δορᾶς βλεπομένης ὡς αἰγὸς, αἱρεῖται δὲ αὐτῶν πολλοὺς ἀγκίστρῳ σκληρῷ. Quorũ verborum hæc eſt ſententia: *Capras ſargi admodum amant. Cùm n. umbra quædam apparet earũ caprarũ, quæ ſecus dum littus paſcuntur, ſtatim præ lætitia geſtiunt, et quantum maximè poſſunt, adnatant: & quanquam ſalire non poſſunt, tamen ſalire nituntur, ſed fruſtrà tamen. Caprarum odorem percipiunt, etiamſi in fluctibus verſentur; quæ cauſſa eſt vt accedere ad capras in primis affectent. At cùm in ſuo amore ſint adeo infelici nati ſidere, earum cauſſa capiuntur, quas tam deperennt. Piſcator enim caprina indutus pelle cum cornibus, inſidias ſtruit, ſole relicto à tergo: atq; farinam iure caprino madefactam in eam deijcit partem maris, in qua ſargi ſunt: quo illicio odoris captî ſargi accurrunt, farinam deguſtant, & maximè detinentur, eius pellis caprinæ quam ſentiunt. Ex his itaq; piſcator multos valido hamo capit, &c.* Sic ſe habet iuuenilis amaſiorum facilitas, qui in quoduis formæ obiectum, vel capræ etiam laruatæ ſpectrum ita exardeſcunt, vt illius laqueis irretiti, vix inde ſe extricare poſſint. Porrò ſargus & eius amor in capras quærendus eſt apud Gaudentium Merulam lib. 3. Memorab. cap. 33. Eundem quoq; pulchrè deſcribit Oppianus lib. 4. & Volaterranus lib. 25.

VILLOSÆ indutus piſcator &c.] Piſcator indutus caprinam pellẽ piloſam. Hoc mutuatus eſt ex Moreto Virgiliano: III.

——& cinctus villoſa tegmina capræ.

Addidit vt capiti &c.] additis capiti duobus quaſi cornibus; nam ſtulti amantes induunt & libidinem hircorum, & ferociam taurorum.

Amatorem] amore capræ detentum.

Stans ſummo in litore] piſcator eo cultu & tegmine ad litus hærens.

In laqueos] Laqueo amorem ſignificari, & Venerem vinculo, docuit Pierius lib. 48. Hieroglyph. quippe laqueis, retibus, aut decipulis incauti in inſidias trahũtur; Sed neminem facilius decipias, & arbitrio colligaris tuo, quàm amantem. Quo ſenſu Virgilius: (*Laqueus.*)

Compedibus Venerem, vinclis conſtringe Lyæum.

Et appoſitiſſimè Ouidius 3. de arte:

Dum cadat in laqueos captus quoq; nuper amator,
Se ſolum thalamos ſperet habere tuos.

Simi quem gregis ardor agit] Sargus capræ amore detentus, & ementita capræ forma deluſus illaqueatur. Simum gregem pro capris dixit, quæ ſimæ dicuntur ob depreſſas nares. Eodem enim epitheto vſus eſt Poeta 10. Ecloga: (*Simus grex.*)

Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.

Citantur & hi verſiculi Næuij Ægiſtho:

Tum autem laſciuum Nerei ſimum pecus
Ludens ad cantum claſſium luſtrat.

Capra refert ſcortum] Quia capra libidinoſa admodum eſt, vt ait Plutarchus in quæſtionibus Romanis prope finem, cuius hæc (*Capra meretricem ſignificat.*)

hæc ſunt verba : Quid eſt , quod cane & capella ſacerdotem adeo abſtinere voluerunt, vt non modò attingere, ſed ne appellare quidem liceret? An quod caprã quaſi luxurioſam atq; olidam abhorrerent ? An quòd tanquam morbidam timerent? Capra enim morſu peſtilenti maxime nocet, ſiquidem germina perueſtigat, quæ auidiſſimè depaſcitur : ſic meretrix adoleſcentiæ potiſſimùm cupida eſt , nimirùm ætas ea eſt, quæ ob imperitiam facilius decipiatur. Vnde non illepidè Nico Attica meretrix αἶξ, id eſt, *Capra*, cognominata eſt, quòd Thallum adoleſcentem , qui in Atticam mel & caricas empturus aduenerat, abligurijſſet.

Nico meretrix.

Obſcœno captus amore perit] Imitatus & mutuatus eſt illud Ouidij 2. Faſtor.

——*cæco captus amore furit.*

vbi de Tarquinio amore Lucretiæ capto loquitur. De nomine verò *Obſcœnus*, quod ad ſcribendi rationem attinet, pulchrè annotauit Lucius Andreas Reſendius, Luſitanus, vir pariter & Græcis & Latinis litteris imbutus, in ſuo Vincentio. Oſci, inquit, populi fuere Italiæ, de quibus Aeneid. 7. *Oſcorumq; manus.* Hi notati ſunt à veteribus de ſpurcarum libidinum frequentiori vſu. Vnde verba impudentia & ſpurca, autore Feſto, Verrius tradit Oſcena appellari. Ergo in prima ſyllaba b, ſcribendum non eſt, nec diphthongus in penultima. Quin etiam ſi à ſcena deriuetur (vt Varroni placet, qui ſanè etymologias coactiores facit) abſq; diphthongo ſcribi oportet, quoniam in ſcena, quæ Græcè σκηνὴ dicitur, nulla eſt. Plura de hac voce commentatus eſt Baptiſta Pius in Lucretium. Qui *obſcœnus* ſcribunt, ab *ob* & *cœno* deriuant.

Obſcœnus.

Oſci.

IV. *Sargus quid.*

HOC de ſargo piſce, qui ſi ſit à laruato piſcatore deceptus, manifeſtè in eos torquetur, qui cæco turpiq; amore capti decidunt in obſcœnam perſonatarum meretricum naſſam, meuxis errore neſcio quo rati pulchrum id eſſe, quod pulchrum apparet, ſed tandem eos diu multumq; pœnitet, cum ad ſeſe redeunt; non enim poſſunt effugere, cùm maximè volũt. Quod diſcrimen vt vitari tandem aliquando poſſit, adhibenda eſt cautio diligens. Nam, vt noſtrates dictitant , Prius noſſe opus eſt, quàm amare, qui enim primò viſam ſtatim exardet, leuitatis non minimum præ ſe fert argumentum. Iudicio ſiquidem eſt opus & maturo conſilio. Proinde bellè profectò Ouid. De remedio amoris primo, qui vt illicitos excludit eiuſmodi ignes, ſic honeſtos probat: ait enim :

Quomodo à turpi amore cauendum ſit.

Si quis amat, quod amare iuuat, feliciter ardet ;
Gaudeat, & vento nauiget ille ſuo.

Sed hodie, proh dolor, ſceleratos & libidinoſos pleroſq; flagitioſo fœminarum amori ſeſe tãquam in ſeruitutem deteſtabilem applicantes, tandem inſidiarum reti turpiſſimè capi, & ad omnium fortunarum, famæ, honoris, atq; ipſius vitæ perniciem ruere, & ſubitò præcipitari videmus. Rectè Plautus meretricem mari ſimilem facit, vbi incauti omnium facultatum faciũt naufragium. Huc ſpectat dictum Architæ Tarentini apud Platonem : ἡδονὴ δέλεαρ κακῶν. *Eſca malorum voluptas*: qua vt piſces hamo, ſic homines omnis generis & ætatis capiuntur. Hinc macaronicè quidem, ſed verè & ſeriò iocatus eſt ille, quiſquis ſit, qui cecinit de fraude meretricia :

Voluptas eſca malorum.

Vult iuuenem, Veneris propter ſmorzare bruſorem :
Vult brauum, propriam propter defendere cauſam :
Vultq; ſenẽ, reliquu pro ſouuenire biſognu.
Atq; in malhoram mittit finaliter omnes.

Has tales miratur Apuleius: Quantas, inquit, latebras nequiſſimæ mulieres pro ſuà libidine comminiſcuntur? callidæ, procaces, temerariæ, & ad flagitia peraſtutulæ. Sed auſcultemus, obſecro, ſapientiſſimo Salomoni, qui Prouerb. 5. ſic ait: Fauus diſtillans labia meretricis, nouiſſima autem illius amara quaſi abſynthiũ, & acuta quaſi gladius biceps. Pedes eius deſcendunt in mortem, & ad inferos greſſus eius penetrant. Nunc ergo, fili mi, audi me: longè fac ab ea viam tuam, & ne appropinques foribus domus eius. Ad huius Emblematis argumentum copioſius illuſtrandum, repetenda eſt pulcherrima Socratis diſputatio cum Ariſtippo 2. Commentariorum Xenophontis, & colloquium eiuſdem Socratis cum Theodota, lib. 3.

Apuleius.

Salomon.

Cauen-

Cauendum à meretricibus.

EMBLEMA LXXVI.



SOLE ſatæ Circes tam magna potentia fertur,
Verterit vt multos in noua monſtra viros.
Teſtis equum domitor Picus, tum Scylla biformis;
Atque Ithaci poſtquàm vina bibere ſues.
Indicat illuſtri meretricem nomine Circe;
Et rationem animi perdere, quisquis amat.

COMMENTARII.

1. PICTVRA, quæ hic repræſentatur, (vt liberè dicam) non placet, fœmina nempe iuxta nauem ſtans, & herbis inſtructa, potionem nautis ſubminiſtrans: non enim Circe ad nauem venit, ſed ab Vlyſſe miſſi ſocij in domum illius diuerterunt, quos illa poculo & tactu virgæ aureæ in beſtias transformauit. Hic verò illa virgam non habet, & ei delphinus appingitur. Quid delphinus in terra? nonne hoc eſt. *Delphinum ſiluis appingere, fluctibus aprum?*

Placent magis cæterarum editionum figuræ, & præſertim illa, quam habet editio Rouilliana; ibi enim mulier ſolio ſedens, circumiacentes belluas virga tangit.

HOMERVS

11. *Vlyſſis ſocij à Circe in belluas träſformati.*

HOMERVS Odyſſea κ. ait, ſocios aliquot Vlyſſis, qui miſſi ab eo fuerant exploraturi Circæas ædes, virga percuſſos à Circe, epotoq; pharmaco venefico, ſtatim in porcos eſſe transformatos. Quo figmento effingitur meretricis & libidinis fœdæ typus. Ea enim ſuis præſtigijs humanas illas cogitationes, & naturales motiones (quę ὁρμαὶ Gręcis dicuntur) in homine tumultuantes excitat impotenter, & mutat in deterius; ex quo fit, vt homo naturæ diuinæ particeps in belluam degeneret. Per Vlyſſem autem, qui nullo veneficio à priſtina forma dimoueri poteſt, mentem animę ducem, intelligimus. Morale huius Emblematis figmentum (inquit Franciſcus Sãctius) ſumptum eſt ex Plutarchi libello, quem de vita Homeri compoſuit, qui libellus, quod ſciam, nondũ eſt donatus Latinitate; quãuis Politianus raptim, atq; ſuppreſſo auctore omnẽ ſuã præfationẽ in Homerũ tranſcripſerit. Plutarchi verba ſic ſe hẽnt:

Plutarchi locus, ex quo sũptum Emblema.

καὶ τὸ μεταβάλλειν δὲ τοὺς ἑταίρους τοῦ Ὀδυσσέως εἰς σύας, καὶ τοιαῦτα ζῶα τοῦτο αἰνίττεται, ὅτι τῶν ἀφρόνων ἀνθρώπων αἱ ψυχαὶ μεταλλάττουσιν εἰς εἴδη ἀσωμάτων θηριωδῶν, ἐμπεσοῦσαι εἰς τὴν τοῦ παντὸς ἐγκύκλιον περιφορὰν, ἣν Κίρκην προσαγορεύει. ϗ κατὰ τὸ εἰκὸς ἡλίου παῖδα ὑποτίθεται οἰκοῦσαν ἐν τῇ Αἰαίῃ νήσῳ. Ταύτην δὲ ἀπὸ τοῦ αἰάζειν, καὶ ὀδύρεσθαι τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τοῖς θανάτοις κέκληκεν. Hoc eſt: *Et illa transformatio ſociorum Vlyſſis in ſues & ſimilia animalia, ænigmatice innuit, quòd amantium hominum animæ tranſmutantur in ſpeciem corporum ferina natura, cadentes in circularem hallucinationem vniuerſi, quam Circen appellat Homerus. Et meritò Solis filiam illam facit in Aiæa inſula commorantem; & hanc à lamentatione & luctu hominum circa mortuos ſic appellauit.* id eſt, ab αἶ, αἶ. *heu, heu*. Sunt verò, qui dicant rei veritatem ex eo eſſe inſpiciendã,

Circe meretrix.

quòd Circe meretrix, quos ſibi amore turpi deuinxit, effeciſſet tandem prædatores, viarum obſeſſores & homicidas, nempè quibus nihil ſupereſſet ad vitam miſeram ſuſtinendam; quæ vitia cùm potiùs ferarum ſint quàm hominum, rem totam lepido & commodo ſchemate Homerus, & alij nonnulli è veteribus adumbrarunt. Cui ſententiæ ſubſcribit Palladas lib. 1. Græcor. epigr. his verbis:

τὴν κίρκην οὐ φημι, καθὼς εἴρηκεν ὅμηρος,
ἀντ' ἀνδρῶν ποιεῖν ἢ σύας ἠὲ λύκους.
τοὺς αὐτῇ προσιόντας. ἑταίρα δ' οὖσα πανοῦργος,
τοὺς δελεασθέντας πτωχοτάτους ἐποίει.
τῶν δ' ἀνθρωπείων ἀποσυλήσασα λογισμῶν,
εἶτ' ἀπὸ τῶν ἰδίων μηδὲν ἔχοντας ἔτι,
ἔτρεφεν ἔνδον ἔχουσα, δίκην ζώων ἀλογίστων·
ἔμφρων δ' ὢν ὀδυσσεὺς τὴν νεότητα φυγών,
οὐχ ἑρμοῦ, φύσεως δ' ἰδίας † δώρημα λογισμὸν † ἔμφρονα.
εἶχε, γοητείας φάρμακον ἀντίπαλον.

id eſt:

Nõ, vt Homer⁹ ait, triſti medicamine lectos
Hoſpitio Circe reddidit ipſa ſues:
Pauperior ſed quiſquis erat diſceſſit ab illa:
Nam meretrix quondã pernicioſa fuit.
Exutosq; ſua prorſus ratione maritos
Fornice continuit, non ſecus atq; feras.
Et tamen hanc ſtrenuè deluſam ſpreuit Vlyſſes,
Inſigni rerum conditione valens:
Mercurioq; datam nec fas eſt credere moly,
Ille ſed ingenio reppulit vſq; dolum.

Circem non dico, vt dixit Homerus,
Pro viris feciſſe aut ſues, aut lupos.
Ad ipſam diuertentes, meretrix cùm eſſet vafra,
Hamo ineſcatos pauperrimos effecit.
Et humanam vbi prædata eſt rationem,
Dein (fecit) vt nihil haberent amplius.
Alebat intus habens inſtar animalium expertium rationis,
Prudens autem cum eſſet Vlyſſes iuuentutem vitans:
Non (tam) Mercurij (quàm) naturę propriæ donum, rationem
Habebat, incantationis remedium contrarium.

Non credam Circen, ceu magno fertur Homero,
Transformaſſe homines in noua mõſtra, lupos.
Sed ſpoliaſſe illos fortunis omnibus, hamo
Correptos, meretrix nã benè cauta fuit.
Exutos opibus fatuos & mente carentes
Reddebat, miſeris turpiter vſa viris.
Expertes rationis erant: has intus alebat,
Vt captas turpi in fornice vafra feras.
Hanc tamẽ illuſit maturo pectore Vlyſſes,
Non tam Mercurij, quàm rationis ope.

Y Xeno-

Xenophon 1. ἀπομνημονευμάτων: Socratem, ait, in conuiuijs, ad quæ non niſi coactus accedebat, parciſſimè cibum capere ſolitum, iocoq; vſurpare, multis eiuſmodi appoſitis cibis, Circem homines transformaſſe in ſues: ipſum autem Vlyſſem mutari non potuiſſe, conſilij Mercurij memorem, & abſtinētia ipſummet ſua ſemper vtentem. Præterea fabulæ huius meminere Diodorus lib. 4 Plinius varijs locis, D. Auguſtinus 18. de Ciuitate Dei, cap. 17. M. Tullius quoque prima Verrina (vt hoc quaſi per tranſennam) alluſit ad hanc poeticam fabulam: Eſt adhuc id, quod vos omnes admirari video, non Verres, ſed Q. Mutius. quid enim facere potuit elegantiùs ad hominum exiſtimationem? æquiùs ad leuandam mulieris calamitatem? vehementiùs ad Quæſtoris libidinem coercēdam? ſummè hæc omnia mihi videntur laudanda: ſed repentè veſtigio ex homine, tanquā aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres: redit ad ſe, atq; ad mores ſuos, &c.

III. *Circe Solis filia.* *SOLE ſata Circes*] Ouidius initio 14. Metamorph.

Sole ſata Circes, variarum plena ferarum.

Teſtis Higinus. Virgilius (vt & Ouidius) Solis filiam vocat, Æneid. 7. initio:

Proxima Circææ raduntur litora terræ,
Diues inacceſſos vbi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu.

Circe qua. Fuit autem Circe (vt inquit Heſiodus in Theogonia, & Cicero 3. de Nat. Deor.) Solis filia ex Perſide Oceani filia. Hæc veneficijs dedita, multarum herbarum ac radicum vires adinuenit, quamuis à matre prius in ijs eſſet inſtructa. Nupſit Sarmatarum regi, quem veneno ſuſtulit, regnoque crudeliter vſa, ab incolis pulſa eſt. Indeque in Italiam venit, & non longè à Caieta Campaniæ oppido in monte Circeio conſedit, vbi homines ad ſe venientes carminibus & veneficijs in varias beſtias mutabat. Vide Virg. 7. Æneid. *Cur Solis filia Circe.* Filiam autem Solis habitam propter herbarum ſciētiam, quæ radijs Solis vim & incrementum capiunt, credibile eſt. Lege omnino Nat. Comitem Mytholog lib. 6. cap. 6.

Tam magna potentia] Vis carminum & veneficiorum; de qua re vide Epiſtolam Medeæ apud Ouidium, Virgilium in Bucolicis, Manilium lib. 1. Aſtronom.

Verterit vt multos &c.] Homerus Odyſſ. 10. & poſt eum Virgilius & Ouidius, hic 14. Metamorph. ille 7. Æneid. & Eclog. 8.

Teſtis equum domitor Picus] Sic quoq; eum vocat Virgilius 7. Æneid. *Pici fabula.* Picus fuit Saturni filius, rex in Latio, quem Pomona, Dea florum, amauit, & eius volentis ſortita eſt coniugium (licet Ouidius 14. Metamorph. Canentem Iani & Veniliæ filiam vxorem habuiſſe dicat) Poſtea Circe cùm eum in venatione viſum amaret, & ſperneretur, irata eum in auem picum Martium conuertit. Virgil.

Ipſe Quirinali lituo, paruaq; ſedebat
Succinctus trabea, læuaq; ancile gerebat
Picus equum domitor. quem capta cupidine coniux
Aurea percuſſum virga, verſumq; venenis,
Fecit auem Circe, ſparſitq; coloribus alas.

Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit, & domi habuit picum, per quem futura noſcebat.

Tum Scylla biformis] Idem epitheton *Scylla.* tribuit Scyllę ſupra Emblem. 68. Ouidius 14. Metamorph. circa principium refert, Glaucum Deum marinum à Scylla Phorci filia ſpretum, Circes auxilium imploraſſe, Circemque eiuſdem Glauci amore correptam, illi Scyllæ odium conatam inducere. Quod cum minus aſſequeretur, lacum, in quo ſe Scylla lauare conſueuerat, infecit venenis; quibus pube tenus in varia monſtra conuerſa Scylla, cum ſibi diſpliceret, ſeque ipſam fugeret, in fretum Siculum deſiluit, ibiq; in ſaxum conuerſa eſt, cuius ſuperior pars virginis figuram refert, inferior in canes, & lupos, & huiuſmodi animalia mutata eſt. Carmina Virgilij de hac re, ſupra Emblem. 68. citauimus, vbi plura de Scylla congeſſimus.

Atq; Ithaci ſues] Vlyſſis ſocios innuit in ſues mutatos, quia Ithacæ rex fuit Vlyſſes. Sed hæc trita ſunt, nec in his immorari neceſſe eſt.

Indicat illuſtri &c.] Hoc eſt quod ſupra de Circe meretrice innuimus. Hoc autem epitheton *illuſtri*, declarat cur Solis filia dicta fuerit Circe, quia illuſtris & famigerata: nam hoc ſentit Plutarchus in verbis ſupra citatis.

Et rationem animi perdere] Ideò mythologici Venerem ἀφροδίτην, quaſi ἀφροσύνην, id eſt, ſtultitiam & mentis priuationem interpretantur. *Luxuria mente priuat.* Propius alluſit 2. de laudib. Stiliconis Claudianus:

Luxu-

Luxuries prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitrijs, hebetat caligine ſenſus,
Mēbraq; Circæis effœminat acrius herbis.

Simile eſt iſtud Menandri:

Ἀλλ᾽ ὅταν ἐρῶντα νοῦν ἔχειν τις ἀξιοῖ,
Παρά τινι τὸ ἀνόητον οὗτος ὄψεται;
Carere amantes mente ſi quis non putat,
Quos eſſe potius mentis expertes putet?

Propertius:

Scilicet inſano nemo in amore videt.

IV. *Meretrices.*

A meretricibus efferantur homines, & in belluas mutantur, dum nimirum fiunt libidinoſi vt hirci, guloſi vt ſues, inuidi & rixoſi vt canes, inertes vt aſini. Hoc per fabulam Circes hoc loco eleganter exprimitur, quam ad veterum mythologorum ſenſum ſic expreſſit vir induſtria & ingenio (vtinam verè addere poſſem, orthodoxa fide) nulli ſecundus Eraſmus: Quid innuit Circes fabula, venefici js homines vertentis in feras, niſi eos, qui nequaquam ratione ducuntur, id quod hominis eſt proprium, ſed totos ſeſe dediderunt turpibus affectibus, iam præter hominis vocabulum nihil hominis habere, ſed ad pecudum degeneraſſe naturam, putà libidine in vrſos, ſomnolentia ignauiaque in ſues, ferocia in leones, atq; ita de conſimilibus? Quid Vlyſſes, qui ſolus poculo epoto, virgaque monſtrifica percuſſus, non eſt mutatus, niſi firmum illum & conſtantem ſapientis habitum, qui nec frangi terroribus, nec vllis affectuum illicijs ab honeſto poteſt abduci? Huc quoq; recidunt carmina Horatij 1. Epiſtol.

Socij Vlyſſis qui.

Vlyſſes quid.

Sirenum voces, & Circæ pocula noſti:
Quæ ſi cum ſocijs ſtultus cupidusq; bibiſſet,
Sub domina meretrice fuiſſet turpis & excors:
Vixiſſet canis immundus, vel amica luto ſus.

Præclarus Plutarchi locus.

Nec parum illuſtrabit hoc Emblema Plutarchi Dialogus, quo Grillum diſputantem facit. Idem ἐν γαμικοῖς παραγγέλμα. ſic habet: ἡ διὰ τῶν φαρμάκων θήρα, ταχὺ μὲν αἱρεῖ καὶ λαμβάνει ῥᾳδίως τὸν ἰχθὺν, ἄβρωτον δὲ ποιεῖ καὶ φαῦλον. οὕτως αἱ φίλτρα τινὰ καὶ γοητείας ἐπιτεχνώμεναι τοῖς ἀνδράσι καὶ χειρούμεναι δι᾽ ἡδονῆς αὐτοὺς, ἐμπλήκτοις καὶ ἀνοήτοις καὶ διεφθαρμένοις συμβιοῦσιν. οὐδὲ γὰρ τὴν κίρκην ὤνησαν οἱ καταφαρμακευθέντες, οὐδὲ ἐχρήσατο πρὸς οὐδὲν αὐτοῖς ὗσι καὶ ὄνοις γενομένοις· τὸν δ᾽ ὀδυσσέα νοῦν ἔχοντα καὶ συνόντα φρονίμως, ὑπερηγάπησεν. id eſt: *Vt piſces quibuſdam medicamentis celeriter capiuntur, ſed eſui tamen fiunt inutiles: ita mulieres, quæ amoris poculis & veneficijs viros captant, voluptateq; in ſuam poteſtatem redigunt, ſtupidos eos, amentes, & deprauatos vitæ ſocios deinceps habent. Ii enim nihil Circæ profuerunt, quos veneficio mutauerat, neq; ad vllam rem ijs vſa eſt, cùm in canes & aſinos degeneraſſent: Vlyſſem autem prudentem virum, prudenterq; ſecum verſantem, omnino dilexit.* Lubet intexere lepidum ac mordax epigramma Bellaij in quendam:

Lepidum epigramma Bellaij.

Certauere diu, cùm te genuere parentes,
Tene aſinum mallent, an generare ſuē:
Clitella namq; huic, laniena placebat at illi;
Nec paribus ſtudium par erat ingenijs.
Fecit te varium amborū ſententia mōſtrū,
Nam caput eſt aſini, cætera mēbra ſuis.

Videtur hoc eleganti ſanè penicillo expreſſiſſe hominem planè ſtolidum, ac guloſū, qui non plus integræ mentis habet quàm aſellus, vecors animal, & tamen gulæ ac libidini addictior, ad naturam ſuillam accedit. Quales nimis multos ſtrobilos & ganeones, è bonis alioquin & honeſtis ortos familijs agnoſcimus, & quos neq; natales ingenui, neq; ipſa educatio flectere potuerit. Et quid cum ijs agas lurconibus, comedonibus, ventribus, qui inter inguen & caput nullum diſcrimen faciunt, & tantum ſubare & obligurire ſciunt? Diximus ſatis de priori exemplo eorum, qui à Circe in belluas ſunt conuerſi. Alterum eſt Pici equum domitoris: hunc etſi in auem ideo mutatum diximus, quod primus pico in auſpicijs vſus ſit, quodque augur fuerit; quod à Seruio eſt annotatum: tamen id melius, & ad hunc locum opportunius referemus ad animi leuitatem & inconſtantiā, quæ ex turpi amore contrahitur. Tertium exemplum fuit appoſitum in Scylla, de qua iam ſuperiùs à nobis dictum ſatis. Hic tamen ſpeciatim conuertitur ad meretriciam turpitudinem, quæ vt supernè faciem virgineam oſtentat, ita infernè rabidi canes conſpiciuntur, audacia, rapina, ingluuies, qui ad exitium miſeriamq; certiſſimam præcipites agant, quotquot amore turpi capiuntur. Quæ omnia eò ſpectant, vt quiſq; virtutis & honeſti ſtudioſus

Picus cur in auem mutatus

Scylla quid hic denotet.

ſus

ſus impudicarum mulierum dolos præſtigiasque omnes declinet; intelligatq; quod Cicero ait, corporis voluptatem non ſatis dignam eſſe hominis præſtantia, eamque vt belluarum propriam contemni ac reijci oportere: Præſertim cum (quod idem Cicero prudenter monet,) libidinoſa intemperansq; adoleſcentia effœtum corpus tradat ſenectuti. Rectè Val. Maximus: Luxuria & libidine nihil fœdius, nihil damnoſius: his virtus atteritur, victoriæ langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animiq, pariter & corporis vires expugnantur. Adeo vt neſcias ab hoſtibusne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit. Itē nunc, qui tam ſtudioſè meretrices ſequimini, quę vos ad mortem animæ & corporis raptant, in infamem notam, ſeramque pœnitentiam, & fortaſſe inutilem, ducunt. Cogitate, quæſo, rei obſcœnitatem, breuitatem, finem, ac longum dedecus, horæq; fugacis, aut forſitan momenti vnius illecebras, multorum pęnitentia, vel æterno ſupplicio puniendas: eſt enim meretrix (vt cū Boetio concludam) inferni ianua, via iniquitatis, ſcorpionis percuſſio, viſcarium ſcelerum, puteus interitus. Nunc vobis Veneris amuletum paratum eo.

Locus Valerij Maximi.

Amuletum Veneris.

EMBLEMA LXXVII.



INGVINA dente fero ſuffoſſum Cypris Adonin
Lactucæ folijs condidit exanimem.
Hinc genitali aruo tantum lactuca reſiſtit,
Quantum eruca ſalax vix ſtimulare poteſt.

COM-

COMMENTARII.

Amuletum.

I. IVVENEM formoſum exanimem Venus lacrymabunda tegit lactucæ, herbæ hortenſis, folijs; cui tam pio officio intereſt Cupido, matri condolens: aper verò homicida, fuga ſibi conſulit. Quod ad Epigraphen ſeu indicem Emblematis huius attinet, eſt *Amuletum Veneris*. Sciendum ergo, quid ſit amuletum. Amuleta, remedia ſunt, quibus arceri & auerti creduntur mala omnia, ſed maximè veneficia; ab amoliendo nominata, de quibus Plin. aliquid 23. cap. 1. & lib. 25. c. 9. item 28. cap. 4 & 30. cap. 10. & 15. & lib. 37. cap. 3. & 9. Dicuntur & ἀποτροπαῖα, quæ appenſa, alligataque incitamenta magica, venenorum propulſant inſidias, aut certè inefficaces reddunt; in quo differunt à periammatis & periaptis, quia hæc ſpecialius quid ſignificent, & quod ſuum effectum præbeant, vt hominibus inſtar miraculi ſint. Illa verò ſignificatum habent generalem, ſuamque vim ex ratione medica videntur mutuare. Apud Medicos amuleta ſunt in differentia multiplici, ἀποτροπαῖα, ἀλεξητήρια, ἀλεξιφάρμακα. Hæc beſtiarum venenatarum medentur morſibus, teſte Galeno, eoq; differre ἀπὸ τῶν ἀλεξιφαρμάκων quidam putant: quod tamen non probatur Galeno. Eruditi homines hoc differre putant, quod τὸ ἀλεξιφάρμακον intrò ſumatur, ἀλεξητήριον foris imponatur, nec modò veneni cauſſa, ſed & faſcinationis depellendæ, quæ appendi ſoleat collo: ἀλεξητήριον ſimpliciter Hippocrati eſt medicamentum ſeu remedium: nam ἀλέξασθαι eſt βοηθεῖν. Alexipharmacum dicitur medicamentum, quod deleteriis pharmacis medetur, nõ extrinſecus impoſitum corpori, vt quod ἀλεξητήριον dicitur, ſed intrò ſumptum. Sunt tamen qui hæc accipiant indifferenter: ἀλέξειν enim eſt à veneni noxa vindicare, ſicuti & Latinis amuleta, ab amoliendo: ἀποτροπαῖα ſunt amuleta quæ appenſa, illigataq; venenorum & incantamentorum arcent inſidias, aut reddunt inefficaces. Hęc hactenus, nunc ad ipſum Emblema pergimus.

Amuletorũ differentia.

Alexipharmacum.

II. *Lactuca vis.* ATHENAEVS lib. 2. Dipnoſophiſt. cap. 32. rationem affert, cur dicatur Venus Adonidem ab apro interemptum lactucæ folijs occultaſſe, quòd nimirum lactucis veſcentes hebetiores fiant, καὶ δἰυρητικοὶ, & ad libidinem minus idonei. Eius verba hæc ſunt: Καλλίμαχος φησὶν, ὅτι ἡ ἀφροδίτη τὸν ἄδωνιν ἐν θριδακίνῃ κρύψειεν, ἀλληγορούντων τῶν ποιητῶν, ὅτι ἀσθενεῖς εἰσὶ πρὸς ἀφροδίσια οἱ συνεχῶς χρώμενοι θρίδαξι. Hoc eſt: *Callimachus ait, Venerem inter lactucas Adonin condidiſſe, allegoricè innuentibus poetis, eos ad Venerea imbecilles eſſe, qui lactucis aſſiduè veſcantur*. Idem Athenæus citat hæc carmina Eubuli poetæ:

Μὴ περιτίθει μοὶ θριδακίνας, ὦ γύναι,
Ἐπὶ τὴν τράπεζαν, ἢ σεαυτὴν αἰτιῶ·
Ἐν τῷ λαχάνῳ τούτῳ γὰρ, ὡς ὁ λόγος ποτὲ
Τὸν Ἄδωνιν ἀποθανόντα προύθηκε Κύπρις.
Δύς ἐστι νεκύων βρῶμα. Hoc eſt:
Ne appone nobis lactucas, ò mulier,
Meam ante menſam, vel teſe coargue:
Namq; hac in herba, vt vetus ſermo prædicat,
Venus Adonin condidit exanimem.
Eſt itaq; ne erres, mortuorum hic cibus.

Cœlius item Rhodig. lib. 27. cap. vlt. in fine, ſic ait: Quod ad lactucas attinet, celebres ſunt apud Athenæum Ariſtoxeni θριδάκιναι, id eſt, lactucæ, quibus in hortis ſole occiduo œnomeli infundebat, manè oſtentans virentes ſe habere placentas, ſibi à terra ſummiſſas. In lactuca deniq; occultatum à Venere Adonin, cecinit Callimachus. Quod allegoricè interpretatus Athenæus, illuc referendum putat, quod in Venerem hebetiores fiant, lactucis veſcentes aſſiduè, tanquam mortuorum ſit cibus, vti ſcribit Eubulus. Hæc & plura Cœlius.

θριδάκιναι Ariſtoxeni.

III. *INGVINA ſuffoſſum*] Hellenismus, ſubintelligitur enim præpoſitio κατὰ inguina; in loco nimirum maximè periculoſo, cum eò inteſtina decumbant. Theocritus tamen in epitaphio Adonis, in femore percuſſum dicit.

Dente fero] apri, qui fulmen in dẽtibus & ore habet, vt canit Ouid. 8. Metamorph.

Cypris.] Venus, ab inſula Cypro ei ſacra, libidini deditiſſima Polydor. Virg. lib. 3. cap. 17. De inuentorib. rerum, poſt Iuſtinum Martyrem, Euſeb. Lactant. & alios ſexcentos retulit. Alij Venerem Cypriam dictam putãt, quia in vtero ferre prębeat, quod dicunt Græci κύειν πόρειν, quippe cũ Cyprus, antequã Venus eò appuliſſet, dice *Cypria Venus.* *Quare ſic dicta.*

retur Sphecia, ab habitantibus ibi populis Sphecibus vocatis, vt ſcripſit Philoſtephanus in rebus Cyprijs. Deinde dicta Ceraſtia, vt inquit Xenagoras in lib. 2. de Inſulis, quod illam homines habitarent, qui multos tumores, tãquam cornua quædam in capitibus habere viderẽtur, cum cornua κέρατα dicta ſint Græcis, κεραςαὶ, cornuti. (Venus enim cornutos efficit) Alij voluerunt inſulam illam vocatam fuiſſe Macariam, quaſi beatam, ob fertilitatem. At poſtquam Venus illuc appulit, vocata fuit Cyprus.

Adonidis fabula. *Adonin*] Fabulam Adonidis ab apro interempti deſcripſit Ouidius ſub finem 10. Metamorph. huius tamen myſterij non meminit. Fuit Adonis filius Cyniræ regis Cypriorum ex propria filia Myrrha, adeo pulchritudine excellens, vt eius amore Venus caperetur. Cumq; maxime deditus eſſet venationi, aliquando, mandatorum Veneris immemor, aprum excipere auſus, ab eo fuit interemptus. Addunt autem Græci fabulæ huic, Martem riualem, quia amorem Veneris Adonidi inuideret, ſeſe in aprum transformaſſe, & ſub illa ſpecie Adonim interemiſſe. Fabulam hanc attigit Auguſtinus De ciuitate 6. cap. 7. totumq; illud ad Phyſicen retulit Macrobius 1. Saturn. cap 21. De Adonide plura vide apud Nat. Comitem Mytholog. lib. 5. cap. 16.

Lactuca folijs condidit &c.] quod hic refert Alciatus de Adonide, id alij de Phaone Leſbio tradidere, quem Cratinus ait inter lactucas pulchras abſconditum ab amante Venere, vt retulit in hiſtoria Poetarum Lil. Gyraldus.

Aruum genitale. *Genitali aruo.*] Hic aruum genitale pro vitilibus & pudendis poſuit, quòd ſint generationis inſtrumenta, vt Virg. 3. Geor.

Hac faciunt nimio ne luxu obtuſior vſus
Sit genitali aruo, & ſulcos oblimet inertes.

Sic quoq; vocat (ſi rectè memini) Ouidius 2. Amor. eleg. 13. Loquendi eandem formulam non eſt aſpernatus Auguſtin. lib. 18. cap. 23. De ciuitate Dei: Sed voluntati, inquit, membra illa, vt cætera cuncta ſeruirent: ita genitale aruum vas in hoc opus creatum ſeminaret, vt nũc terram manus, &c. Sic aruum genitale. κῆπος Græcis, Latinè hortus dicitur. Apuleius ex Menandro:

Arentq; ſulcos molles aruo Venereo,
Thyrſumq; pangant hortulo in Cupidinis.

Lactuca. *Lactuca reſiſtit*] Plinius lib. 19. cap. 8. de generibus lactucæ loquens ſic inquit: Quidamq; Eunuchion, quoniam hæc maximè refragetur Veneri. Eſt quidem natura omnibus refrigeratrix, & ideo æſtate gratæ: ſtomacho faſtidium auferunt, cibiq; appetentiam faciunt. &c. Dionyſ. Caſſius lib. 12. de agricult. cap. 13. Cocta, ait, coitum auertit. Vnde Pythagorici ipſam eunuchũ appellant: at mulieres ἀςυλίδα, fortè quia attigere prohibeat: ςύλος .n. columna eſt.

Eruca. *Quantum eruca ſalax &c.*] Plinius ſatis de eruca lib. 20. cap. 13. in princip. ſed apertius eius naturam declarat lib. 19. cap. 8. his verbis: Eruca præcipuè frigorum contemptrix, diuerſæ eſt quàm lactuca naturæ, concitatrix Veneris. Idcircò iũgitur illi ferè in cibis, vt nimio frigori par feruor immiſtus temperamentum æquet. Vide quæ de eruca diximus Emblem. 72.

IV. FINGITVR Venus interempti Adonidis genitalia lactucis recondere, vt moneamur, libidinem turpemq; voluptatem ciborum moderatorum vſu ſopiendam & reprimendam eſſe. Nihil enim æquè conducit ad motus illicitos cohibendos, quam *Victus ratio quid conferat.* victus ratio temperata. Ouidius inter alia, quæ de remedio amoris ſcripſit, vt à quibuſdam cibis abſtinendum eſſe monet, ſic quoſdam eſſe tutò adhibendos ſuadet, his quidem verbis:

Ecce cibos etiã (medicina fungar vt omni
Munere) quos fugias, quosve ſequare dabo.
Daunius an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An veniat Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces,
Et quicqd Veneri corpora noſtra parat:
Vtilius ſumas acuentes lumina rutas,
Et quicqd Veneri corpora noſtra negat.

Laurentius Lippius Collenſis, in diſtichis:

Surgentem Venerẽ mollis lactuca moratur:
Deuoret erucas qui cupit eſſe ſalax.

Sic quoq; Martialis lib. 13. palumbes torquatos reprimere Venerem tradit:

Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi.
Non edat hanc volucrem qui volet eſſe ſalax.

Ciborum copia libidinem irritat. Sed & ex nimia ciborum copia turpem amorem excitari Phocylides teſtatur:

Οὐκ ἀγαθὸν πλεονάζον ἔφυ θνητοῖσιν ὄνειαρ,

Ἡ πολλὴ

Ἠ πολλὴ δὲ τρυφὴ πρὸς ἀμέτρους ἕλκει ἔρωτας.

Rectè Valerius Max. Eſus carnium, & potus vini, ventriſque ſaturitas, ſeminarium libidinis. Siquidem, teſte D. Hieronymo, venter mero æſtuans citò ſpumat in libidinem. Venter enim & genitalia vicina ſũt, & vnum alteri ſubminiſtrat. Ex vicinitate enim membrorum ſequitur conſideratio vitiorum. Et cui incognitum eſſe poteſt illud: *Sine Cerere & Baccho friget Venus?* Pabuli certè vbertatem, quæ genituræ redundantiam plantis etiam, nedum animantibus affatim ſubminiſtrat, in homine quoque ſalacitatis cauſam exiſtere, tradit Empedocles. Quò pertinet illud Euripidis: Vult crapulatum Cypris, haud famelicũ. quod ab Achæo ſumptum, qui multò antè dixerat: Amara Cypris eſt eſurientibus. Sed quid furioſo noſtro ſæculo amuleta præſcribo Veneris? irritamenta & incitamenta nunc quæruntur: quotusquisq; enim eſt, qui non ex intimis Medicinæ penetralibus pharmaca ad Venerem prorítantia eruat? nec Medici inquiritur conſilium, quisq; ſibi hic medicus. Poſſem tædij leuandi gratia adducere binas hiſtorias de cantharidibus perperam adhibitis, planè ridiculas, in quibus ego ipſe conſultus Apollo, dum Conſtantiæ ad Acronium lacum adhuc ſtudioſus Medicinæ, D. Andreæ Kaltio (æternùm viue Deo, mi Andrea, quando mihi non potuiſti diutius) in praxi aſſiſterem; ſed memor iuramenti Hippocratis noſtri de taciturnitate ſeruanda, ſupprimo, & à Venere ad Cupidinem propero.

Inuiolabiles telo Cupidinis.

EMBLEMA LXXVIII.



NE dirus te vincat amor, neu fœmina mentem
Diripiat magicis artibus vlla tuam:
Bacchica auis praſtò tibi motacilla paretur,
Quam quadriradiam circuli in orbe loces:
Ore crucem & cauda, & geminis vt complicet alis,
Tale amuletum carminis omnis erit.
Dicitur hoc Veneris ſigno Pagaſæus Iaſon
Phaſiacis lædi non potuiſſe dolis.

COMMENTARII.

I. INTER duos circulos ſeſe quaſi decuſſatim interſecantes pingatur motacilla ſeu iynx, ita vt ore & cauda, & ambabus alis, quatuor nimirum angulis, crucẽ conſtituat, vt hic vides. Motacillam & Iyngem aliqui confundunt. Picturam iuuet Ariſtoteles lib. 2. de nat. animal. cap. 12. his *Iynx.* verbis: Vt auiculæ, quam Iyngem vocant. Hæc paulò maior quam fringilla eſt, colore vario: habet ſibi propriam digitorum, quam modò dixi, diſpoſitionem, & linguã ſerpentibus ſimilem, quippe quam in longitudinem menſura quatuor digitorum porrigat, rurſumque contrahat intra roſtrum, non complicatam, ſed terreni lumbrici more collectam, & in ſe reductam. Collum etiam circumagit, in aduerſum reliquo quieſcente corpore, modo ſerpentum: vngues ei grandes & ſimiles, vt monedulis exeunt; voce autem ſtridet. De hac aue vide plura apud Plinium lib. 11. præter ea, quæ iamiam ſumus prolixius dicturi in Claſſe 3.

II. *Motacilla à Venere Iaſoni tradita.* PINDARVS Ode 4. Pythiorum auctor eſt, motacillam à Venere primum è cœlo ad homines deportatam, & Iaſoni traditam, vt Medeam alliceret. Eius verba hæc ſunt:

† *πέτνια*

† Πότνια δ' ὀξυτάτων βελέων
Ποικίλαν ἴυγγα τετράκναμον
Ο'λυμπόθεν ἐν ἀλυτῳ ζεύξασα κύκλῳ,
Μαινάδα ὄρνιν Κυπρογένεια φέρεν
Πρῶτον ἀνθρώποισι. λιτάς τ' ἐπαοιδὰς
Ε'διδάσκησεν σοφὸν Αἰσονίδαν,
Ο'φρα Μηδείας τοκέων ἀφέλοιτ' αἰδῶ.
id eſt:

Veneranda verò Cyprogenia, telorum acutorum domina,
Picturatam Iyngem, Bacchi auẽ, ex Olympo attulit
Hominibus primum, vt indiſſolubili circulo quadriradiam
Iungens; carmina præterea magica ſapientem docuit
Æſonidem, vt Medea erga parentes reuerentiam
Et pudorem adimeret.

Quo loco admonent interpretes, Pindari *Iynx quid.* Iyngem auiculam eſſe maculoſis plumis, oblongo collo, linguę admodum protenſa, frequenter ſeſe vertentem, ceruicem ſubinde volutantem, quam ſibi veneficæ mulieres ad amatorias incantationes accommodam putent: eam namq; accipiunt, trocho & rotæ alicui alligantes, quam in orbem voluunt, & noxia verba immurmurant. Addunt inſuper ſcholia, Venerem Iaſoni hanc dediſſe auiculam applicatam rhombo, pedibus & alis crucem complicantem: vt Medeæ erga parentes ſuos ipſe Iaſon auferret pudorem, & illam ad ſuum auxilium inſtimularet. Alij, quod exempta viſcerum interanea orbiculo appendunt. Vnde prouerbio apud Græcos vulgato, Iyngem hi dicantur habere, qui veluti quibuſdam præſtigijs homines ad ſui amorẽ pertrahunt. Eſt etiam alius locus Pindari ſuper eadem re, quẽ citat Adagiorũ auctor, ſimul cum his, quæ adducunt interpretes. Quapropter conſultius erit, ipſius verbis omnia referre. In adagio igitur, *Iynge trahor.* ſic ait: Qui vehementi & impotenti deſiderio trahuntur ad aliquid, Iynge trahi dicuntur. Ita Pindarus in Nemeis, hymno 4 ἴϋγγι ἕλκομαι ἦτορ. id eſt: *Iynge trahor animo.* Interpres addit huiuſmodi fabu- *Iyngu fabula.* lam: Iyngem, aiunt, fuiſſe filiam Echus, alij Pythus, quæ cum amatorijs venenis incitaſſet Iouem in amorem Ius, à Iunone irata verſa eſt in auem, qua mulieres vti conſue-

conſueuerunt in amatorijs veneficijs, quē admodum indicat Theocritus in Pharmaceutria:

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.

Per te Iynx meus ille domum vir, quaſo, trahatur.

Hæc ille. Ex quibus ſatis apparet, hanc auiculam non fuiſſe olim accommodam ad depellendos amores, ſed ad inducendos potiùs. Id quod ſatis declarat verſiculus Theocriti, toties in Pharmaceutria repetitus; intercalaris enim eſt: & verba commentatorum Pindari: tum prętereà ipſa fabella. Siquidem Iynx pellexit Iouem in Ius amorem, non autem amuletum fuit, vt Iupiter ab amore liberaretur. Sed Alciatum non de ea intellexiſſe argumento ſunt verba Pindari, vnde ille omnia ſumpſiſſe videtur, & duo illa carmina vltima huius epigrammatis. Sed antequam vltra progrediamur, audiamus quoq; opinionem Stockhameri, qui ad hoc emblema ſic commentatur: Hoc abſtruſum remedium, quo violenti amores, & magicæ artes fugari & euitari poſſint, excerpſit auctor ex Paulo Geometra Florentino, lib. 2. ſuę Geometr. cap. 10. qui aſſerit, ſe in quodam Alberti Magni libello, quem de amuleto, hoc eſt, de omni genere remedij aduerſus cuncta mala medicamenta, & præſertim contra veneficia, quàm doctiſſimè ſcripſit, legiſſe ſæpius, Motacillam auem notiſſimam (cuius duplex genus recenſet Ælianus lib. 15. c. 28. & lib. 16. cap. 13.) Libero patri, id eſt, Baccho multis de cauſis ſacram, vt auctor eſt Herodot. lib. 8. cap. 36. in figuram crucem efficientem diſpoſitam, inter circulos binos æquè ſeſe interſecantes, ac humano pectori adhibitam, quàm maximum eſſe amuletum aduerſus philtra, ac veneficia omnia, maximè tamen contra illa, quæ homines ad Venerem impellunt, contra ſæuiſſimos ſęuiſſimi Cupidinis arcus, q quidem, vt Pelignus vates multis in locis teſtatur, paucis parcere didicerunt. Medeā verò nullis carminibus, nullis medicamentis, nullis deniq; incantationibus aut veneficijs potuiſſe ad amorem ſui Iaſonem reducere, ex quo ipſam Corintho, vbi tunc erat, expulit, & Glaucen ſiue Creuſam Creontis regis filiam vxorem duxit, vt refert Theodontius lib. 10. cap. 43. Id autem propter amuletum illud, quod Iaſon ſecum geſtabat, cuius nomen ſubticet Theodontius. Hæc ille. Quæ licet cum Alciati mente probè conuenire videntur, Sanctius tamen omnia meras nugas eſſe dicit, ob rationes nunc adductas. Nos aliorum ſententiam poſtea afferemus, eidemq; ſubſcribemus. De Iynge vide porrò Tzetzen Chiliad. 11. Suidam, & Lycophronis interpretem; item adagia, *Iynges*. &, *Iyngem habet*.

Opinio Stockhameri.

III. *Dirus.*

NE dirus te vincat amor] Ne amoris laqueis te irretiri patiaris. Dirus amor, quaſi Dei ira immiſſus. Ouidius 10. Metamorph.

Multaq; vt excuteret diros, ſi poſſet, amores
Addidit.

Neu fœmina &c.] Neue mulier quędā venefica animum tuum magicis artibus præpediat.

Bacchus cur dicatur ἰυγγιὴς.

Bacchica auis] Cur motacilla dicatur auis Bacchica, rationem auctores non reddunt. Heſychius quidem Bacchum *ἰυγγιὴν* cognominatum ait, quia (ni fallor) ad Venerem inflammet immoderatus vini vſus. Fortaſſe Bacchus *ἰυγγιὴς* appellatur, quòd vinum homines ad ſe Iyngis inſtar alliciat, ac ſi dicamus, illecebroſum. Pindarus dixit *μαινάδα ὄρνιν*. hoc eſt, *auem inſanientem*. à *μαίνω*, quod eſt *furioſe moueor*, aut *inſanio*; quemadmodum Mænades Bacchi ſacerdotes. Vide Herodot. lib. 8. cap. 36.

Motacilla quæ auis.

Motacilla] Auicula eſt plumis diſcoloribus, prælongo collo, lingua exerta, colore vario, motu crebro ſe circumagens, & ceruicem in orbem flectens: vnde & *σεισοπυγίδα* vocant, ſeu *σείσουραν*, aut *κίλλουρον*, vt apud Heſychium; Latinis Motacilla, Gallis *bergeronnette*, aut *ballequeue*, Italis, *Codatremola*, à caudæ motu, ſeu cauda tremula. Venetis, *Squaſſacoa*, *ballarina*, *vccello di neue*. Germanus, *Bachſteltz*, qui etiam aſſiduam caudæ vibrationem ori garrulo comparant, dicētes: *Es gehet ihm das maul als vvie der Bachſteltzen der ſchvvantz.* Hiſpani vocant, *Pezpita*, vel *aguzanieue*, quod roſtro niuem foret. Varro meminit De lingua Latina: Sic Galerita & Motacilla: altera quòd in capite habet plumam alatam: altera quòd ſemper mouet caudā. Non me tamen fugit, quòd pluribus verbis contendat Baptiſta Pius, Annotat. poſt. c. 3. Motacillam, & Iyngem pro vna & eadem accipi non debere, idque contra Seruij & Gazæ opinionem. Certè *ἴυγξ*, *Iynx*,

Iyngis deſcriptio.

ea eſt,

ea eſt, quæ alio nomine dicitur *κίναιδος*, Latinis, *Verticilla*, Hiſpanicè, *Torzecuello*, Italicè, *Stortacollo, capotorto*, Germanicè, *Vvindhals, Traehals*, Gallicè *turcot*; auis paulò maior fringilla, coloris varij, cui collum circumagitur, lingua ſerpētibus ſimilis, prælonga (qua exerta formicas attrahit, vnde formicula dicta quibuſdam Italis) vngues vtrinq; bini. Quæ autem hæc auis ſit, repete ex Plinio lib. 11. & ijs, quæ ſupra ex Ariſtotele adduximus.

Quadriradia. *Quam quadriradiam*] quam locabis in medio orbis circulo, ita vt vtraq; ala, capite & pedibus quaſi crucem referat. Voluit autem exprimere verbum Græcum τετράκναμον, quo Pindarus eam, de qua hic agitur, auem appellat, id eſt, *quadriradiā*: κνήμη enim eſt radius rotæ.

Amor diuiſus infirmior. *Ore crucem & cauda &c.*] Hoc allegoricè aliqui interpretantur, innuentes, ſi velis ab amoris ſeruitio liberari, opus eſſe, vt illum amorem diuidas. Id quod præcipit Ouidius 2. de Remedio amoris, his verbis:

Hortor & vt pariter binas habeatis amicas:
Fortior eſt, plures ſi quis habere poteſt.
Secta bipartito cum mens diſcurrit vtroq;
Alterius vires ſubtrahit alter amor.

Hoc pulchra ſimilitudine ob oculos ponit Plutarchus in libello de amicitia in multos diffuſa. Inquit enim: Verùm quēadmodum fluuij in multos diducti riuos lentiorem habent curſum, ita vehemens amor in multos diſperſus haud dubiè marceſcit. Habetur & alia allegoria, de qua paulò poſt.

Amuletum. *Tale amuletum*] Ἀλεξιφάρμακον, omne genus remedij aduerſus veneficia, malaq; medicamenta; dictum ab amoliendo, vt quidem aiunt. ἀποτροπαῖον, ἀπὸ τοῦ ἀποτρέπειν, *amoliri, depellere*, quod verbū frequens eſt Plinio. Vide quæ ſuperiore Emblem. initio de amuleto diximus.

Carmen pro incantatione. *Carminis*] Carmen hic ponitur pro incantatione, vti Virgil. vſurpauit Eclog. 8.

Ducite ab vrbe domum mea carmina, ducite Daphnin.
Carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunā.
Carminibus Circe ſocios mutauit Vlyſſis.

Hoc Veneris ſigno] quia id Venus è cœlo attuliſſe, & Iaſoni donaſſe, cecinit Pindarus.

Pagaſæus Iaſon.] Falluntur qui legunt *Pegaſæus*. Iaſon autem dictus eſt Pagaſæus à Pagaſa Theſſaliæ vrbe, quam ſinus Pagaſicus amplectitur, teſte Pomponio Mela lib. 2. Iuxta hanc Argo nauis fabrefacta fuit, quam etiam Ouid. 7. Metamorph. principio Pagaſæam puppem nominat. *Pagaſa.* Idem 8.

——Auctor teli Pagaſæus Iaſon.

Et Faſtorum 1.

Paſſus idem Tydeus, & idē Pagaſæus Iaſon.

Lucan. 2.

Vt Pagaſæa ratis peteret cum Phaſidos vndas.

Pagaſæ. Aliquibus ea vrbs dicitur Pagaſæ, numero multitudinis; hinc corruptè legi in Pomponio loco citato Pagaſam, pro Pagaſas, doctè annotauit Ferdinandus Pincianus, vir acerrimi iudicij, in ſuis caſtigationibus in Pompon.

Iaſon. *Iaſon*] Iaſon filius Aeſonis Theſſaliæ regis fuit, qui in Colchos expeditionē parauit ad vellus aureum expugnandum. Quam rem latè proſequitur Ouid. lib. 7. Metam. & Orpheus in Argonauticis, Pindarus Ode 4. Pythiorum, Apollonius Rhodius, Valerius Flaccus, & alij. Dicitur *Iaſon vnde dictus.* autem Iaſon à ſanando, vt videtur innuere Pindarus citato loco, ἴασις namq; *ſanitas* eſt: & quia Chiron, qui à primis annis Iaſonem inſtituit, magnus fuit in arte medendi, ideo ab ea arte ἰάσονα, quaſi ſanatorem nominauit.

Phaſis. *Phaſiacus dolus*] Incantamentis Medeæ. Phaſis fluuius eſt Colchorum, vnde fuerunt nominati Phaſiani. Ab eodem etiam Medea Phaſiaca, & Phaſias Poetis dicitur, quod ibi natam eſſe quorundam ſit opinio, quamuis Pindarus Corinthi oriūdam dicat, Ode 13. Olymp.

IV. ARTIFICIALE eſt in Venereos motus, & præſtigiorum laqueos amuletū, cuius tamen rei fides penes auctores eſto. *Amuletū ad amorem.* Id Alciatus noſter ex Homero & ſcholiaſtis quibuſdam extulit, quod hic octoſticho tradit, nimirùm ad arcendas amoris illecebras (quo nullum exitialius aut furioſius præſtigium) adhibendam eſſe motacillam humano ſtomacho, quæ diſponatur inter binos circulos ſeſe quaſi interſecantes. Sanè nunquam mihi perſuaſero, virum doctiſſimum, & rerum multarum cognitione inſignem, id alijs communicaſſe vt rem veram & ſeriam; vt crederet tātam eſſe amatorij philtri vim, vt mentis huma

ne

næ libertatem ſic cogere, aut torquere vel flectere eo tandem modo poſſet. Sed tamen profectò non auſim diffiteri, pleraque eſſe remedia ex bonis auctoribus petenda, quibus effrenata & indomita penè amoris huiuſce petulantia cohiberi, aut etiam ſopiri queat. At verò quis tam excors erit aut ſtupidus, qui furorem illum Cupidineum inſigni hoc præſtigio coerceri poſſe dixerit, & faſcino quodam cupidines mentem occupantes exturbari? Viderint alij, quibus amatoria Ouidiana quandoq; placuerint impenſius: tamen ipſemet extulit & verius, & quidem ſalubrius:

Præſtigiũ amoris præſtigio non pellitur.

Ardet, & aſſuetas Circe tendebat ad artes,
Nec tamen eſt illis attenuatus amor.
Ergo quisquis opē noſtra tibi poſcis ab arte,
Deme veneficijs carminibusq; fidem.

Idem loco alio verè & diſertè, amorē non conciliari magicis artibus, docet:

Fallitur Æmonias ſi quis decurrit ad artes,
Datq; quod à teneri fronte reuellit equi.
Nō faciēt vt viuat Amor Medeides herbæ,
Mixtaq; cū magnis Marſa venena ſonis.
Phaſias Æſonidem, Circe tenuiſſet Vlyſſem,
Si modò ſeruari carmine poſſet amor.
Nec data profuerint pallētia philtra puellis:
Philtra nocent animis, vimq; furoris habent.
Sit procul omne nefas: vt ameris amabilis eſto;
Quod tibi nō facies, ſolave forma dabit.

Sed miſeri homines amore perculſi graui, cùm re amata ſtatim potiri nequiuerunt, ad artes magicas & amatoria pocula perfugium habuere, res inprimis noxias & exitiales. Conſtat enim Lucretium poetam, Antiochum, Caligulam, in furorem verſos ſumptis hiſce philtris, quemadmodum & Lucullum, aliosq́ue nonnullos. Cæterum nullum perinde remedium eſt efficax ad turpes hoſce motus ſedandos, quàm ſtudio & labori cuipiam honeſto ſeſe prorſus dedere: ſic enim fiet, vt clauus clauo pellatur. Cùm enim perſpicuum ſit, amorem hunc non niſi in animos luxu & otio fractos irrepere, nullo planè modo auelli poteſt, niſi accedat labor aliquis & anxietas, quę ſua moleſtia innatas amoris maculas oblinat. Ouidius:

Philtra ſunt noxia.

Remediũ efficax in amorem.

Deſidiam puer ille ſequi ſolet, odit agentes:
Da vacuæ menti, quo teneatur, opus.

Porrò de hac re Claudius Minos: Diu me torſit, quod fateor ingenuè, carminis huius ſententia, ſed poſt diutinum meditationis tædium, coniectanei mei facio copiam ſtudioſis, vt exſpectem eorum iudicium, quorum acutior εὐστοχία. Quamquam libidinis ſit adeò furens ac feruidus impetus, vt vix ſubmoueri animo poſſit, quem ſemel occuparit, ſopiri tamen impoſito aliquo labore vel ludicro poteſt, qui quadam opinione hominem teneat obuinctum ac defeſſum, vt quaſi clauus trudatur clauo, & mollicies, vnde naſcitur malè feriatus amor, retundatur, aut etiam quodammodo corrigatur. Amor certè res leuis, & qui non niſi leuitate nititur; at ſiſtitur aliquando rei leuiculæ interuentu. Et quid ſi rei ſeriæ animus intendatur, & honeſtis ſeſe laboribus dedat?

Amor res leuis.

Nę, Venus otia amat: finem qui quæris amori,
(Cedit amor rebus) res age, tutus eris.

Nullus tamen qui ſapiat, exiſtimet amorem ſedari efficaciter per carmina, vel furtos magicos, ſed nonnumquam commentis quibuſdam, ac ludicris artibus motus animi efferati, aut impotentis compeſcitur. Occurrit exemplum, fortaſſe ab hoc argumento non alienum, apud Corn. Tacitum lib. 16. vbi de Pœno quodam, Baſſo, qui Neroni Domitio flagitijs impuris ac cædibus ciuium occupato, ſpeciem theſauri obiecit, quem dicebat in fundo quodam defoſſum. Vanum quidem certè commentum, ſed interea dum theſaurus ille imaginarius magno conatu erueretur, aut erui putaretur, tamdiu Nero ſpe animum lactans, remiſit ſeſe, & à ſceleribus vacauit. Eodem ſpectat illud, quod eſt apud Plutarchum. Alcibiades, cùm populi rumores de ſe ſparſos inhibere non poſſet, caudam ſuæ caniculæ truncauit, eaq́ue per vrbem Athenienſem fugiente, popularis multitudo cauſſam exquirebat, cur id factum eſſet. Rogatus à familiaribus Alcibiades, quem ad finem id populo ſpectaculum præbuiſſet? Vt tandem deſinat, inquit, de me deteriora comminiſci. Sed veſani amoris, atq; effrenis libidinis adeo difficilia & abſtruſa ſunt remedia, vt niſi diuinitus dentur, vix quiſquam eſt, qui huiuſmodi inſidias euadere poſſit. Quid ſi ergo amuletũ certius & profectò ſalubrius huc appoſuero? Suggerit illud Laurentius Antiquus, Leontinus, inſignis Theologus, & rarę probitatis, nec vulgaris eruditionis vir: Is enim

Baſſus.

Alcibiades.

Amuletũ ſacrum contra amorem.

albi-

arbitratur, hoc ſymbolo, Motacillæ crucis orbi incluſæ, voluiſſe Alciatum exprimere verba illa D. Pauli ad Galatas cap. 5. *Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs.* Interpretatur autem dirum amorem, Venerem maſculam, cui auctor adiungat illicium fœminarum, quæ duo mentem diripiunt. Profectò frequens ille caudæ motus in Motacilla, neſcio quid obſcœni repræſentet. Piè ſanè, & ingenioſè. Habemus ergo præſentiſſimum contra tela Cupidinis remedium, nempe vt iuxta D. Pauli conſilium, carnem cum vitijs crucifigamus. Siquidem iſte erit diuinus & cœleſtis *ἀντέρως*, qui terrenum illum, & in hac corporis compage deliteſcentem *ἔρωτα*, robore validiore conficiet. Hoc vnum captiuarum animarum amuletum ſatis erit ad turpia omnia libidinum motuumq; genera frangenda.

Laſciuia.

EMBLEMA LXXIX.



DELICIAS & mollitiem mus creditur albus
Arguere, at ratio non ſat aperta mihi eſt.
An quòd ei natura ſalax & multa libido eſt?
Ornat Romanas an quia pelle nurus?
Sarmaticum murem vocitant plerique Zibellum,
Et celebris ſuaui eſt vnguine muſcus Arabs.

COM-

COMMENTARII.

I. PINGITVR fœmina pellibus murinis, & ſumptuoſis veſtibus ornata; quam ego vellem dare, vt chirothecas, vel quid ſimile naribus tanquam odoratura, admoueret. Huic aſſiſtant mures illi albi, vel Zibellini.

II. *Mus malus in hominem laſciuũ.* QVONIAM breuiter in adagijs declaratur illud, *Mus albus*, omnia illa verba tranſcribam. Mus albus, apud Suidam μῦς κακὸς, id eſt, *mus malus*, apud Diogenianum: in hominem laſciuum & immodicæ libidinis dicebatur. Nam mures domeſtici ſalaciſſimi ſunt, præſertim albi. Aelianus miram eſſe murium ſalacitatẽ, authorum teſtimonijs docet, lib. 12. cap. 10. Atq; inter multa illud addit, Epicratẽ in fabula quapiam, cùm mulierem ſignificare vellet prodigioſæ libidinis, μυωνίαν appellaſſe, (ſic enim Meſſalinam vocat) quaſi dixeris *murinam*: citatq; prouerbiũ, Μῦς λευκὸς, ex Philemonis comœdia. Vnde receptum videtur, vt inter amatoria blandimenta, quemadmodum paſſerculi, columbæ, & id genus aliorum, itidem & muris cognomentum vſurpetur. Martialis:

Nam cũ me murẽ, cũ me tua lumina dicis.

Sed cur non ipſum audimus Aelianum, ſua verba ex lib. 12. cap. 10. hiſtor. animal. *Mures ſalaciſſimi.* Politiano, cap. 96. Miſcel. dictantem: Ferũt autem mures (inquit) ſalaciſſimos eſſe, teſteinq; adducunt Gratinum, ſcilicet in Fugitiuis: Age nunc tibi de ſereno aduerſus mollitiem muris fulgurabo Xenophontis. Sed enim fœminam quoq; murem narrãt ad Venerea eſſe prærabidam. Rurſumq; apud Epicratem in Choro, fabula enim hæc Epicratis eſt: Poſtremò ſubijt me deteſtabilis lena, deierans per puellam, per Dianã, per Perſephattam, eſſe vitulam, eſſe virginem, eſſe puellam indomitam. At illa cauus erat murinus. Superiectione eam ſalaciſſimam dicere voluit, cum cauum prorſus murinum vocitauit. Et Philemon: Mus albus, cum quis eam. Sed pudet fari. Clamauit adeo ſtatim deteſtanda lena, vt ſæpe latere non eſt. Hactenus Aelianus, auctoritatibus etiam magni nominis Comicorum ſuccenturiatus. Sanè de muris ſalacitate multa ſunt à pleriſq; ſcriptoribus tradita. Opici mures dicuntur Iuuenali ſalaces, libidinoſi, obſcœni, à ſpelunca, quam Græci ὀπὴν, id eſt, *foramen, cauernam*, vt D. Auguſtin. tradit quæſt. in Exod. lib. 2. Sic enim obſcœnitatis partes per cauernam interdum argui docet Auſonius in epigrãmatis:

Deglubit, fellat, molitur per vtramq; cauernam.

Muris quoq; ſalacitatem expreſſit Plautus Truculento, vbi Phroneſium Dinarcho ſuadere conatur, vt multiuolus ſit in re Venerea, ſic enim ait:

Cogitato, mus puſillus quã ſit ſapiens beſtia,
Ætatem qui vni cubili nunquam committit ſuam,
Quia ſi vnũ oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit.

Æluri ſymbolũ. Adhæc nõnulli fœminam ſalaciſſimam per æluri fœminæ ſimulacrum figurari dixerunt, propter animalis ingenium: cogunt enim mares ad coitum fœminæ, ipſæq; puniunt, niſi pateant.

III. *DELICIAS & mollitiem*] mollitudinẽ, luxum, libidinem, laſciuiam.

Mus albus. *Mus albus*] Adagium, *Mus albus*, de laſciuo & immodicæ libidinis homine. Murem album hodie vocant Armellinum, de quo Paſchalius in libro de Coronis, & Stephanus Pyghius in Hercule Prodicio.

Arguere] oſtendere, ſignificare.

Mures abſq; coitu concipere. *Natura ſalax*] De ſalacitate murium iam diximus; quibus addo, non deeſſe auctores, qui fœminas abſq; maſculi coitu, ſolo guſtatu vel linctu ſalis concipere affirment, eò quòd in nauibus maritimis immenſam murium copiam enaſci vidiſſent. *Armellinus ſymbolum caſtitatis.* Franciſcus Petrarcha contrà, murem albũ ſiue Armellinum ſuis verſibus pro caſtitatis hieroglyphico nobilitauit, vtpote qui delicatioris cuiuſdam munditiæ exemplar haudquaquam ignobile eſſet, cui ſcilicet ſpurcitia tantæ ſit abominationi, vt limo ante oſtium caui illito, capi potius à venatoribus, quàm eo fœdari patiatur: quod cũ ſanctioris ſit amoris proprium intemeratæ caſtitatis ſymbolum, quæ diuina tantùm flamma ſuccendatur, à peritiſſimis rerum ponitur.

Nurus. *Romanas nurus*] matronas. nomen ſpecialius pro communi, συνεκδοχὴ Poetis viſitatiſſima. Ouidius 2. Metamorph.

Excipit, & nuribus mittit geſtãda Latinis.

id eſt, fœminis Latinis. Dicam obiter, Ro-

manos

Vſus pelliũ apud Romanos.

manos olim in obſidione Veiorum pellibus tectos hyemare cœpiſſe, vt eſt apud Liuiũ lib. 5. ſed hæ pelles rudiores erant, vt ſæculum tunc fuit, quas nulli alij vſurparent in vrbe. Conſtat tamen pellium vſum poſtea in veſtitum irrepſiſſe: quod Seneca teſtatur in epiſtolis, quo loco mentionem facit pellicularum vulpium, muriumque, quas Zibellinos atq; Armelinos plerique nuncupant: tametſi Zibellini maiores ſint, quàm quibus murium nomen conueniat.

Zibellus.

Sarmaticum murem, &c.] Zibellus à quibuſdam mus Sarmaticus appellatur ad Alciati mentem, quòd è Sarmatia aduehatur: dicitur & Ailurus, de quo lege capit. 10 lib. 12. Aelian. De animalium hiſto. vide etiam quæ ſupra Emblem. 37. de his pellibus dicta ſint.

Muſcus à Moſcho diuerſus.

Muſcus Arabs] Murem illum peregrinum, quem Zibellum vel Zibellinum appellant, ab Hieronymo dici quandoq; Muſcum, qui in delicatiorum vſum habetur, aliqui opinantur. Nam *μῦσχον*, paruum murem ſignificat. Sed hoc odoris genus priſcis non innotuiſſe, arbitratur Hermolaus, nec Muſcum dici, ſed Moſchum. Haberi autem ex arboribus arentes pannos muſcoſo villo, præſtantes odore, quod genus Bryon dicunt Græci, nos Muſcum.

Moſchus.

Moſchus autem apud Aetium & Paulum capreæ ſanies creditur, quam Dorcada dicunt, ex vmbilico aut vomica. Nam circa vmbilicum ſolet Nouilunij tempore huic capreolo, ſeu capreæ Indicæ (quam Scaliger vult Gazelam eſſe Arabum, Exercitat. 211. contra Cardanum) abſceſſus quidam protuberare, qui maturus vel ſponte rumpitur, vel ob quendam pruritum terræ aut ſaxo affrictus, ſanioſum humorem emittit (hinc à quibuſdam pus aromaticum vocatur) euacuataq; hac vomica rurſum ſanguinem quaſi menſtruum colligit, & iterum ſuo tempore emittit. Exiſtimant autem peritiores, hunc tam precioſum ſuccum capreolam illam producere, & tanquam liberalitate vberiore compenſare quod accepit, propter paſcua odoratiſſima herbarum, quæ in ſanguinem vertantur, & hunc odorem illi concilient: vt eſt apud Ioachim. Camerar. Symbol. Cent. 2. Emblem. 45. Veniam facilè impetrauero, præſertim à delicatis naſis, ſi materiam de Moſcho, non vbiuis obuiam, paulò prolixiùs triuero, ſic enim ſuauior ad olfactum redibit. Sanè in India maximum Moſchi prouentum eſſe, inter omnes conuenit, cuius hiſtoria ita deſcribitur à Scaligero Exercitat. 21.

Moſchi colligẽdi ratio.

In regno Peru (inquit) Gazelæ ſimile animal album eſt, cuius ex inferiore mandibula æquè dentes vtrinq; ſinguli exeruntur. Sub cuius ventre fit ſanguinis collectio in tumorem, quod apoſtema Græci vocant. Capta fera, eam partem cum corio ſimul abſcindunt. Quæ ſanguinis guttæ inter ſecandum effluunt, caduntque, eæ pro Moſcho optimo atq; excellentiſſimo aut excipiuntur, aut colliguntur: eius minimæ particulæ beneficio ad cæteri cruoris condimentum vtuntur. Vbi ſecuerint, hirudines admouent, tamq; diu, quoad earum ſuctu vniuerſus cruor cum ipſa vita detrahatur. Eum ſanguinem exiccatum, atq; in puluerem redactum, prioris illius perpauxilla quantitate viribus verè efficaciſſimis perficiunt, quippe centeſimam ſatis eſſe produnt. Tum illud in folliculos hoſce, qui ad nos importantur, inditum ſeruant.

Eius probatio.

Adulterationes, aut ſinceritatem *ita* vel deprehendunt, vel probant. Sincerum naribus admotum illico ſanguinem elicere. &c.

Alia ratio Moſchi colligendi.

Porrò alia rurſus Moſchi prouẽtus ratio à regni Chinenſis traditur ſcriptoribus, quæ ſic habet. Beſtiolę ibi ſunt vulpeculæ, aut catellorum magnitudine atq; imagine. Hæ ad necem verberatæ, ac plagis mollitæ putreſcunt cum carne pariter & ſanguine. Tum ex pelle, carne, & ſanguine incolæ rotundas vncialesq; pilas ſiue crumenulas conficiunt, quæ filis vndiq; conſutæ venduntur. Cæterùm optimum ac præſtantiſſimum Moſchi genus ex teſticulis horum animalium colligitur. Alterum etſi Moſchi nomine & ipſum proſtet, eandem tamen virtutem non habet.

Chinẽſiũ i Moſcho vendẽdo fucus.

Vnde Chinenſes, omni in re vt feruntur elegantiſſimi, ita & crumenas has rotundas teſticulorum forma effingunt, quò facilius ementibus imponant. Animal ipſum naturali inſtinctu, cùm pretium teſticulorum ſuorũ intelligat, de fuga aliàs deſperans, eoſdem dentibus & morſu auellit, & in lytron veluti libertatis abijcit. Ita occupato collectione teſticulorum venatore, necem aliquando euadit. Quod ipſum & de fibro proditum accepimus, de quo infra Emblem. 153.

Modus adulterandi Moſchi.

Chinenſes multa ſanè verſutia id odoramenti genus vendunt, iecinora enim boum ſeu vaccarum ſiccata & contuſa

ſa admiſcent, quibus Moſcho imbutis cru menas impleant: & fraus quotidiano experimento agnoſcitur. Moſchus ſi tempore corruptus ſit, & odoris expers, crumenulis eximitur, ac in mortario tunditur in minutas partes: deinde puerili vrina aſperſus, ac plumbeæ ollæ incluſus, obturato probè ore, priſtinam odoris virtutem, ſi modò aliquis etiam vigor ſubſit, adipiſcitur. Iohan. Hugo à Linſchoten c. 23. & 70. ſuæ nauigat. Cœl. Rhodig. lib. 24. cap. 25. Commentator Pancirolli lib. 2. Rer. memor. tit. 1.

IV. *Ornatus matronarum nimius. Mus albus. Muſcus Arabicus.* PERSTRINGIT mollitiem & laſciuiem nobilium quarundam matronarũ, quæ ad corporis ornatum oſtentent raras pelliculas animalculorum, nempè muris aranei, æluri, zibellini (felis libidinoſiſſimi) & præterea vtantur ſuffitu muſci Arabici. Cęterum muſcum Arabicum circum ferunt, non modò matronæ principes, ſed & aliæ gradu longè inferiores: tantaq; in ijs eſt & cultuum, & ſuffituum varietas, vt fermè ignorent voluptatem, quæ inde capi poſſit, quòd in his aſſiduè verſentur, quibus nempè perſpectum non eſt, quod Satyricus ait, voluptates ex vſu rariore commendari. *Mulieres cur odoribus delectentur.* Cur autem mulieres ſuffitu & ſuauiſſimis odoribus vtantur, hanc eſſe cauſam aiunt, quòd totæ ſint Venereæ. Itaque Poetæ Græci Venerem nuſquam loco egredientem fingunt, niſi odore aliquo exquiſitiſſimo relicto ad ſuam pręſentiam declarandam: adijciunt præterea ſuffitus omnes eſſe ſalaces. Muliebres ornatus ridet taxatq; Lucianus in Amoribus, Iuuenalis Satyra 6. & vberrimè Plautus in Pęnulo: item Ælian. 1. De varia hiſtoria. Nec enim pauca reperiuntur apud auctores primæ notę ſpicula in nimium mulierum cultum. Ouid. in arte:

Morſus in nimium fœminarum cultum.

Fœmina caniciem germanis inficit herbis,
Et melior vero quæritur arte color.
Fœmina procedit denſiſſima crinibus emptis,
Proq; ſuis alios efficit ære ſuos.
Quid de veſte loquar? non iam ſegmenta requiro,
Nec quæ de Tyrio murice lana rubet.

Iuuenal. 6. Satyra:

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cũ virides gẽmas collo circumdedit, et cum
Auribus extenſis magnos premiſit elechos:
Intolerabilius nihil eſt quã fœmina diues.

Martialis de quadam Philæni, lib. 9.

Tinctis murice veſtibus quòd omni
Et nocte vtitur, & die Philænis,
Non eſt ambitioſa, nec ſuperba;
Delectatur odore, non colore.

Plutarc. apophtheg. philoſophorum: Cuidam vnguentis delibuto dixit Zeno, mulierem olet. id eſt, τίς ἐστι γυναικὸς ὄζων; D. Hieronym. ad Demetriadem, de ſeruanda virginitate: Polire faciem purpuriſſo, & ceruſſa ora depingere, ornare crinem, & alienis capillis turritum verticem ſtruere, vt taceam de murium pretijs, candore margaritarum rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum virore, ceramiorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent, & inſaniunt ſtudia matronarum. Idẽ Hieronymus epiſtola ad Gaudentium, de educatione infantulæ ſic: φιλόκοσμον genus fœminarum eſt, multaſq; etiam inſignis pudicitiæ vidi, tamen libenter ornari. *Mulieres circa cultum ſtudioſa.* Quapropter cum fęminas & imbecillitas mentis, & grauiorum operum negata affectatio, omne ſtudium ad curioſiorem ſui cultum hortatur conferre, vt Valer. Maximus ſcriptum reliquit lib. 9. cap. 1. ideò ruenti harum luxuriæ in ipſo mox introitu obſiſtendum, cæteroquin futurum, vt inſoliti ſiue inſolentis cętus ſtudium quotidie aliquid nouitatis ſumptuoſius ſit adiecturum. Quocirca ſolis maritis permiſſæ ſunt fœminæ ornari: ſic enim habet Canon: Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt, qua non dubito etiam ipſos maritos ſe nolle decipi, quibus ſolis permittendæ ſunt fęminæ ornari, ſecũdum veniam, non ſecundum imperium. Nam verus ornatus, maximè Chriſtianorum & Chriſtianarum, non tantum nullus fucus mẽdax, verùm ne auri quidem veſtiſq; ſed mores boni ſunt. *Qualis ornatus cõueniat.* Adhibenda igitur eſt mundicia, vt Cicero dicebat, non odioſa, neq; exquiſita nimis, vt non quærantur colores fictitij & fucati. Nam vt grauis eſt Innocentij exhortatio: abſit, vt alterius color comparabilis ſit natiuo: quinimò cum facies adulterino colore fucatur, os abominabili fœtore corrumpitur. Quid enim vanius, quam crines intorquere, planare cæſariem, tingere genas, vngere faciem, producere ſupercilia? quandoquidem fallax ſit gloria, & vana ſit pulchritudo. Omnis caro fœnum, & omnis

& omnis gloria eius quaſi flos agri. Sed ad hanc tamen luxuriam ardere & inſanire ſtudia matronarum conqueritur D. Hieronymus ad Demetriadem, vt diximus. Et in vita B. Marcellæ ita de Romanis matronis diſſerit: Illæ ſolent purpuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare ceruicibus, & auribus perforatis rubri maris preciosiſſima grana ſuſpendere, fragrare muſco mure, maritos ita plangere, vt tandem dominatu eorum ſe caruiſſe lætentur. De hiſce mauribus loquitur Seneca, cum cuiuſdam locupletis domus cenſum auribus geſtari ſcribit, in lib. de vita beata. Sed quid ſolas fœminas ornatuū ſtudio inceſſimus, cùm videre ſit quoſdam virili ſaltem forma mulierum nitores æmulari? de quibus aculeatè ſic idem Hieronymus ad Ruſticum monachum: Videas nonnullos accinctos veſtibus, pulla tunica, à mulieribus non poſſe diſſidere, ſub eodem manere tecto; ſimul eodem iure ancillas habere iuuenes in monaſterio, & præter vocabulum nuptiarum, omnia eſſe matrimonij. Martialis acutum ſcomma in quemdā lib. 12.

Viri muliebres.

Hic qui fœmineu noctesq;, diesque cathedris,
Incedit tota notus in Vrbe nimis,
Crine nitens, niger vnguento, pellucidus oſtro,
Ore tener, latus pectore, crure glaber.

In huiuſmodi cincinnatulos pueros, & calamiſtratos, & peregrini muris olentes pellicula, inuehitur etiam D. Hieronym. illud Martialis vſurpans:

Poſthume, non bene olet, q bene ſemper olet.

Cui accommodari poterit illud Tullij ad Atticum lib. 2. Quamquam illa tua horridula mihi atq; incompta viſa ſunt, ſed tamen erant ornata hoc ipſo, quod ornamenta neglexerant; & vt mulieres, ideo bene olere, quòd nil oleant, videbantur. Sed quantus hodie eſt abuſus veſtium & ſericiꝭ in quibus matronæ tranſlucent, & viri vſq; ad plebeios iam ijs ornantur, toties vetitis lege ſumptuaria, tam ſæpe, quàm fruſtra promulgata. Solinus certè hoc illud eſſe ſericum dicebat, cap. 63. in vſum publicum damno ſeueritatis admiſſum; & quo oſtentare potiùs corpora quàm veſtire, primò fœminis, nunc etiam viris perſuaſit luxuriæ libido. In huiuſmodi ſericarum veſtium ſubtilitatem tenerrimam grauiter ſtomachatur Seneca lib. 7. de Benefic. cap. 9. inquiens: Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil, quo defendi aut corpus, aut pudor deniq; poſſit; quibus ſumptis mulier parum liquidò nudam ſe non eſſe iurabit. Hæ ingenti ſumma ab ignotis etiam ad commercium accerſuntur, vt matronæ noſtræ ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico oſtendant. Intelligit nimirum ſericas illas veſtes, in Coo inſula è filo ſubtiliſſimo, tenuiſſimo, ac delicatiſſimo textas, vt inſtar vitri pellucerent, atque ita corporis partes ſub aſpectum facilè ſubijcerent. Hinc Horat. lib. 1. Satyra 2. *Cois*, ait, hoc eſt, tenuiſſimis illis in veſtibus,

Abuſus ſericarū veſtium.

Veſtis Coa.

—— tibi penè videre eſt
Vt nudam, ne crure malo, ne ſit pede turpis
Metiri poſſis oculo latus. An tibi mauis
Inſidias fieri, preciumq; auellier antè
Quàm mercem oſtendi?

Indeq; Varro veſtes illas, vitreas appellat togas, id eſt, oculatas vel ocellatas. Suidas tunicas interlucentes dicit, & viſu facilè penetrabiles. Petronius vocat ventum textilem; & alibi, nebulam lineam. Huiuſmodi ornamenta Eſaias cap. 3. mulierum impudicarum eſſe innuit. At Chriſtianarum mulierum verus ornatus graphicè à Tertulliano ita deſcribitur, lib. de cultu fœmin. Prodite vos iam medicamentis & ornamentis extructę, Apoſtolorum ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & ſpiritus taciturnitate, inſerentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti. Caput maritis ſubijcite, & ſatis ornatæ eritis. Manus lanis occupate, pedes domi figite, & pluſquam in auro placebunt. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatę Deum habebitis amatorem. Nunc ad ſtabulum Augiæ accedamus.

Verus mulierū ornatus.

Aduerſus

Aduerſus naturam peccantes.

EMBLEMA LXXX.



TVRPE quidem dictu, ſed & eſt res improba factu,
Excipiat ſiquis chœnice ventris onus.
Menſuram, legisque modum hoc excedere ſancta eſt,
Quale ſit inceſto pollui adulterio.

COMMENTARII.

I. *Occupatio.* HVIVS Emblematis picturam nullus hacteuus dedit, atq; ipſum etiam epigramma leui (quod aiunt) brachio perſtrinxerunt commentatores: ego verò nihil verebor rem turpiculam liberioribus impetere verbis, præſertim cum hæc zizania non perfunctoriam requirat runcationem. Quapropter ſic pictori praiui: Fiat lectus vndiq; peripetaſmatis velatus, iuxta hunc homo nudus ventrem in pateram auream exoneret, coram quo in mẽſa quadam ſtet fictile poculum, & cyathus vitreus; cuius rei rationem iam ſubiũgemus. Quid autem in lecto velato agatur, ſufficit illud me & pictorem ſcire, parco enim caſtis oculis, & cum his etiam mentibus. Ob id quoq; à Minoe hoc emblema ad calcem reiectum fuit, quod non videbatur committendum auribus terſis, tum quòd ipſi indignum viſum ſit explicatione prolixiore. At me nõ pudebit cũ Virgilio ex Ennij ſtercore margaritas legere. Ergo ad rẽ.

II. VIDEO alluſum ad ſymbolum Pythagoræ, quod ſic explicat Plutarchus de educatione puerorum: σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν. ἐπισημαίνει γὰρ ὅτι εἰς πονηρὰν ψυχὴν ἀστεῖον λόγον ἐμβάλλειν οὐ προσῆκεν. Ὁ μὲν γὰρ λόγος τροφὴ διανοίας ἐστὶ. τοῦτον δὲ ἀκάθαρτον ἡ πονηρία ποιεῖ τῶν ἀνθρώπων. id eſt: *Cibos in ſcaphio non ponendos. Significat autem in animum nequam vrbanos ſermones immitti non oportere: ſermo enim intelligentiæ cibus eſt, quem impurum reddit hominum nequitia.* Vide adagium, *Cibum in matellam ne immittas*. Cæterum id tractum videtur ex Artemidori 5. de inſomnijs, cuius hæc ſunt verba: ἔδοξέ τις εἰς χοίνικα χέζειν, ἑάλω ἀδελφῇ ἑαυτοῦ μιγνύμενος· μέτρον γὰρ ἡ χοίνιξ, τὸ δὲ μέτρον νόμῳ ἔοικε. τρόπον οὖν τινα παρενόμει, παρὰ τὰ νενομισμένα κοινῇ τοῖς Ἕλλησι πράττων. Hæc Latinè ita ſonant: *Quiſpiam ſibi viſus eſt in chœnicem aluũ exonerare, conuictus de eo, quòd cum ſorore cubitaſſet, damnatus eſt. Menſura enim eſt chœnix: at quidem menſura legi ſimilis eſt. Quodam itaq; modo legem transgreſſus erat, qui nimirum admiſiſſet aliquid præter leges toti Græciæ communes.* Ego verò pro pignore certare paratus ſum, Alciatũ, dum hoc emblema cuderet, reſpexiſſe ad illud Martialis de Baſſa:

Fons emblematis.

Alia opinio de fonte Emblematis.

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro,
Baſſa, bibis vitro: carius ergo cacas.

idq; torſiſſe in nefandum illud maſculæ Veneris flagitium, quod præter epigraphẽ ſatis quoq; indicat comparatio. Quid enim magis eſt ὕστερον πρότερον, & quis alius turpior abuſus, quàm auro excrementa excipere, aſt è vitro vel fictilibus bibere? Sic quoque eſt contra naturam (ſic enim plerumq; Iuriſconſulti hoc vocant flagitium) tam execranda vaſorum permutatio. Hæc mea eſt opinio de hoc Emblemate, cui etiam hanc picturam accommodaui. De reliquo Lectoris eſto iudicium.

III. *TVRPE quidem dictu, &c.*] Iſocrates ad Demonicum: ἃ ποιεῖν αἰσχρὸν, ταῦτα νόμιζε μηδὲ λέγειν εἶναι καλόν. *Quod turpe factu, ne puta dictu pulchrum.* Paulò diuerſius tamen M. Tullius ea epiſtola, cuius initium, Amo verecundiam: Quędam fiunt non turpiter, dicuntur non honeſtè. Et priori de Offic. Quarum partium corporis vſus ſunt neceſſarij, eas neq; partes, neq; earum vſus ſuis nominibus appellãt: quodq; facere turpe non eſt, modò occultè, id dicere obſcœnum eſt. Et ad finem eiuſdem libri: Ita terra quædam, ita obſcęna, vt dictu quoq; videantur turpia.

Excipiat ſiquis] Imitatio manifeſta Martialis:

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro.

Chœnice] Chęnix eſt demenſum & cibus diurnus, de quo dicemus paulò infra Embl. 82. *Chœnix.*

Menſuram, &c.] Comparatio legis, quę etiam quædam eſt menſura, ad chęnicem.

Legisq; modum hoc excedere ſancta eſt] Ea eſt, quæ vno verbo dicitur ἀνομία, legis tranſgreſſio: ſed hic non legis cuiuſcunq; ſed naturalis ac diuinæ, quam turpiter violant & nefariè, qui vel inceſtu, vel adulterio, ſeu pręposterа Venere ſeſe inquinant.

Inceſto pollui adulterio] Sic quoq; Cicero pro domo ſua, inceſto flagitio polluere, dixit. Dicitur autem inceſtum, quaſi minimè caſtum; vel à Veneris ceſto alienum. Cogita, num alluſum ſit ad meam opinionem.

IV. VIX ſaluo pudore aliquid de præſenti Emblemate dici poteſt, tamen aliquid ſobriè dicendum eſt. Quamuis epigrammate ſuo non obſcurè videatur taxare inceſtum Alciatus, tamen ego in concepta perſto opinione, ductus, vti dixi, inſcriptione & comparatione; Interim non nego eos, qui inceſtu ſeſe polluunt, in naturam peccare. Quis enim, verbi cauſſa, non exhorreat maculoſiſſimam illam Semiramidis cum Nino filio commiſtionem? Quis Neronis cum Agrippa matre, Artaxerxis cum ſorore, Baſſiani Caracallæ cum nouerca, & alia eius generis flagitiorum monſtra? quæ qui patrarunt, videntur haud dubiè vim quaſi armatam ipſi naturæ inieciſſe, cum ne in brutis quidem animantibus tale quid admiſſum reperire ſit. Nam Ioannes Lopez Hiſpanus, quem citat Nicolaus Boerius Deciſ. 318. num. 2. à fide digno homine audiuiſſe ſe refert, qui ſuis id viderit oculis, quod generoſiſſimus equus propter inceſtum cum matre ſua commiſſum, ad quem committendum arte & vnguentis pellectus fuerat, cognito crimine, morſu ſibi ipſi genitalia magna cum aſtantium admiratione abſciderit. Hæc quamuis ita ſint,

Inceſtus.

Equus ductus pœnitentia inceſtus.

ſint, neſcio qua ratione cætera enormia ſcelera immanitate præeat maſcula Venus: argumento eſſe poſſunt Sodomiticæ illæ ciuitates, igni & ſulphure à Deo ſubuerſę Geneſ. 19. Vnde & in eos, qui impiæ huius actionis cęno inquinati ſunt, pœnam mortis conſtitutam videmus. Auth. Vt non luxurientur contra naturam. Et Auth. De his qui luxur. contra natur. Quo pertinet lex Scantinia, quæ puerorum amplexus impios, & præpoſteram atque abominandam catamitorum ſuſtulit Venerem, concubitoribus graui ſupplicio impoſito, vt ait Lætus in Legibus Romanis. Atque in hos Conſtantius etiam & Conſtans Impp. gladium diſtringi iubent, cum in hæc verba reſcribunt: Cum vir nubit in fęminam viris porrecturam (ita enim legendum eſſe potiùs quàm, viros parituram, Godofredus rectè monet, ſiquidem porrigere proprium eſt fęminarum, vti arrigere maſculorum) quid cupiatur, vbi ſexus perdidit locum? vbi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? vbi Venus mutatur in alteram formam? vbi amor quæritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari iura gladio vltore, vt exquiſitis pęnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel futuri ſunt rei l. cum vir. 31. C. ad L. Iul. de adult. Nec minuitur hæc ſupplicij irrogatio, etiamſi ex vtriuſque tam concubitoris, quàm pathici, cinędi conſilio atq; animo delinquatur. Nam & Caius Feſcennius. Triumuir C. Cornelium, fortiſſimæ militiæ ſtipendia emeritũ, virtutiſq; nomine quater honore Primipili ab Imperatoribus donatum, quòd cum ingenuo adoleſcentulo ſtupri commerciũ habuiſſet, publicis vinculis onerauit. A quo appellati Tribuni, cum de ſtupro nihil negaret, ſed ſponſionem ſe facere paratum eſſe diceret: ſi non adoleſcens ille palam & apertè corpore quæſtum factitaſſet: interceſſionem ſuam interponere noluerunt. Itaq; Cornelius in carcere mori coactus eſt. Rectiſſimè enim placuit, nulla ex cauſa hoc maſculorum nefas excuſari poſſe; quia quod natura, legibus, & moribus ſit prohibitum, nedum in volentem committi oporteat. Sed & M. Lectorio Mergo Tribuno militari Cominius Tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd Cornicularium ſuum ſtupri cauſa appellaſſet: is iudicium non ſuſtinuit, & ſibi mortem attulit C. Marius quoq; Imperator † Cluſium ſororis ſuę filium Tribunum militũ, à † Plocio iure cęſum pronunciauit, quia eum de ſtupro compellare auſus erat, vt ex Val. Maximo lib. 6. cap. 1. Petrus Aerodius recenſet lib. 2. Decret. tit. 46. Planè qui muliebria paſſus fuit, eum à Prætore à ſubſellijs remoueri Vlpianus teſtatur, in l. 1. §. remouet. ff. de poſtulando. Auctor nobis Plato eſt, Laium Thebarum regem atrociter, id eſt, ignis ſupplicio in emaſculatores ac naturæ peruertentes placita animaduertendum cenſuiſſe. Vbi eſtis nunc leges? cur tam impunè peccatur? quid feles iſtæ pullariæ (vt Auſoniano vtar verbo) ſancti pudoris maieſtatem audaci pede conculcant? Grauiter Plato 8. de Legibus: Abſtinendum à maribus cenſeo; nam qui iſtis vtuntur, genus hominum dedita opera interficiunt, in lapidem ſeminantes, vbi radices agere quod ſeritur, nunquam poterit. Cognata ijs ſunt, quę ſcribit Maximus Tyrius: Cum maſculo, inquit, corpore iniqua fit permixtio, ſterilisq; congreſſus. Quid ſaxis mandas ſemina? ſabulum quid aras? Oblectationis hoc genus ad ipſam trãsfer naturam, ad agricolationem oculos conuerte, fructuoſis lætare voluptatibus, ne ſæcula mox futura ſemine pereant deſtituta. Sed quot hodie reperire eſt, qui ętatem imbecillam, & præſidio indigentem libidini ſuæ depopulandã fędandamq; ſubſternunt. Non poteſt res hæc pro magnitudine ſceleris enarrari. Hos tales non immeritò impios & parricidas appellaueris, quibus non ſufficit ſexus à Deo datus, niſi & ſuo profanè ac petulanter illudant. Hæc tamen inter illos leuia & quaſi honeſta ſũt. Quid inde mirum, ſi querelas ſexus fœminei audiamus? Vt nuper hiſce auribus audiui: cum enim meretricula ex triobolaribus ſeriò penſum traheret, & iuuenẽ quendam imberbem obuium haberet, qui quæreret, cur à quęſtu ſuo ad linum & lanam rediret? Illa nihil præmeditata ſubiungit: Hoc vobis catamitis acceptum ferimus, qui nobis lucrum noſtrum præripitis. Quod fuit magno circumſtãtium cachinno exceptum. Quid dicam de ijs, qui abominandam non libidinem, ſed inſaniam potius exercent? Piget dicere. Sed quid his fortè credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum eſt, quia fit. De iſtis loquor, quorum teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Qui-

Pœna in Sodomitas.

C. Cornelius.

M. Lectorius.

† alij Luſium.

† alij Trebonio.

Plato in Venerem maſculã.

Argutum meretriculæ reſponſum.

bu hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas proſequar? vincit officium linguæ ſceleris magnitudo. Videamus aliud monſtrum. Nero Imperator Sporum puerum exectis teſtibus in muliebrem naturam vertere conatus eſt: addita dos, additum flammeum, addita celeberrima nuptiarum ſolemnitas. Quid multis? palàm pro vxore habuit. Hinc non inſcitus cuiuſdam iocus: Bene agi potuiſſe cum rebus humanis, ſi Domitius Neronis pater talem habuiſſet vxorem. Inter Gallos olim id malum poſticæ Veneris adeo inſænijſſe memoriæ proditum eſt, vt inde nefaria ſanciretur lex, ne cui duxiſſe vxorem liceret, qui prius vxoriam non impleſſet functionem. Longè ſecus noſtra Germania, quæ licet bibula, ſordida, ſuſpicioſa, ſuperba (quod vltimum ipſi Alexander Magnus exprobrauit) apud alias gentes audiat, tamen ipſi nefariæ libidinis huius nota nunquam iure inuri potuit. Rectè; nam tanta huius rei turpitudo eſt, tantum dedecus, vt mortem potius eligendam, quàm tale quid patrandum, Paulus reſpondeat in l. iſti quidem 8. ff. de eo quod metus cauſa. Sed de hoc nefando crimine, propter quod ira Dei venit in filios diffidentiæ: & quo ipſa ſocietas, quæ cum Deo nobis eſſe debet, violatur: cum eadem natura, cuius ipſe auctor eſt, libidinis peruerſitate polluitur; nihil dicam amplius, cum vel ſolum ipſius nomen chartas quodammodo inquinet. Videri tamen poterit Iul. Clarus lib. 5. ſentent. §. Sodomia. Iacob. Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. cent. 3. caſu 286. & Cœl. Rhodig. lib. 15. cap. 9. & 10.

Neronis immanis libido.

Sodomiæ enormitas.

Deſidia.

EMBLEMA LXXXI.



DESIDET

DESIDET *in modio Eſſæus, ſpeculatur & aſtra,*
Subter & accenſam contegit igne facem.
Segnities ſpecie recti velata cucullo,
Non ſe, non alios vtilitate iuuat.

COMMENTARII.

I. SENEX habitu Iudaico inſidet inuerſo modio, & vultu ad cœlos eleuato ſidera contemplatur: ſub modio autem abſconditam habet facem, quæ tamen fumo euaporante proditur.

II. Ex vno ſymbolo Pythagorico duo emblemata finxit Alciatus, præſens nimirum, & immediatè ſubſequens, nam *deſidere in modio, & in chœnice figere ſedem*, idem ſonat, ſed variè tamen accommodatur. Docemur autem eo ſymbolo, non debere nos in vitæ noſtræ ſportulis ita ſpem collocare, vt ſedē in eis ſtatuta totum ætatis tempus ocioſè traducamus, ſed aliquam ineamus rationem, vt noſtra induſtria victum comparemus, neq; ſemper ab aliorum ope pendeamus. Hoc autem aſſequemur vita vel contemplatiua (vt vocant) vel actiua: quod his duobus emblematis oſtendere Alciatum voluiſſe mihi planè perſuaſum eſt. Ac proinde hic locus mihi viſus eſt inter alios permultos dignus eſſe, qui maiore cura ſtudioq; à nobis explicaretur. Sed mihi ea de re cogitanti tam multa è multis & varijs occurrunt, vt verear ne quis me putet intemperanter abuti ſtudio, aut etiam pleriſq; otioſus videri. Plutarchus 4. Decretorum de anima diſputans ex Democrito, ignitum quiddam eſſe ai: ex naturis concretis mente perceptis, globoſas ideas, quæ habeant igneam facultatem, idque corpus eſſe. Succurrit id Lactantij è 2. cap. 3 Quòd ſi anima ignis eſt, in cœlum debet eniti, ſicut ignis, ne extinguatur, hoc eſt, ad immortalitatem, quæ in cœlo eſt. Virgil in 6.

Emblematu finis.

Facem accenſam tegere quid, & quid per ignem intelligatur.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus. ——

Heſiodus, & eius interpretes ab ea opinione non recedunt, cùm aiunt, Prometheum ignem cœleſtem clepſiſſe, quem ſimulacro à ſe confecto appoſuit, vt animatum fieret, ea enim mens eſt, quæ molem agitat, & toto ſe corpore miſcet. Quod ſi obrepat ignauia, facilè hunc ignem deprimit, nec ſenſus ad alta ferri permittit: hæc enim in inſidijs latitat & abditis viarum, vt præuertat auxilia & annonam obſeſſis; commeatum enim intercipit cœleſtis alimenti, atq; aditus omnes claudit, ne ſalutarium ciborum, qui mentem paſcunt, quidquam trāſeat. Obſtruit, inquam, canales ſenſuum & conſtipat, aurium inprimis, quæ ſunt velut prætoriæ duæ portæ caſtrorum in humana hac acie, ne riuos deferant diuini fluminis ad interiora cordis, & laxēt ſitim. Ita fit, vt pigro lentore ſtertens ſubſidat paulatim in fęces natiuus humor & vitalis, donec expiret tandem & emoriatur, vt lychnus, ardens ſubtracto pingui. Grande malum hoc, & penè deſperandum, truncum enim facit, & hominem vertit in non hominem, vt ſimulachro ſimillimus fiat & inſenſibili ſtatuæ, qui hoc obſeſſus. Aures habet quidem, ſed ſurdas; os, ſed mutū; oculos, ſed cæcos; pedes, ſed claudos; manus rigidas & quæ nihil palpant, veſtigia inſūt & inania organa, qualia in cadauere. Clama, inſta, obiurga, increpa, imò compelle, verbera, cum mortuo agis; ſtipes eſt, lapis eſt, ſenſu caret, nec Deum, nec homines audit; nec minis, nec pęnis tangitur, nec tonantem nec fulminātem metuit, ſicut mortis, ita eorum quæ ſequūtur, ſecurus. Cur ita? quia fax & ignis, qui mentem vegetat, extinctus eſt, aut certè lentore ſuppreſſus. Quod ſi quis fortaſſe dubitat, cur Heſiodus & ipſe Maro dicant Iouem ab hominibus ignem remouiſſe, facilis eſt reſpōſio. Vis enim & ſolertia humani animi difficilis eſt inuentu, quòd hebetiore ingenio ſimus: adeò nihil tam excellēs & pręclarum ſine magno aliquo labore vita dedit mortalibus. Contegunt ergo cęnobitæ otioſi ac languidi facem accenſam ſub pallio, nullis artibus, aut ſtudijs honeſtis animum applicantes, nulla ſua induſtria ac diligentia notiones animi exerentes, vt non minus verè quàm rectè in eos id Plautinum conuerti poſſit;

Ignauiæ effectus.

Summa ingenia in occulto latent.

Ad ea, quæ de igni, vel ardenti facula iam

dicta ſunt, adijcerem lubens quæ Plutarch. diſputat Commentario, An rectè dictum λάθε βιώσας: eo etiam, qui eſt de cupiditate diuitiarum. Sed maximè iuuat locus ille Problematum, quo ait, veteres obſcuris vſos rationibus, potiſſimùm in rebus ſacris, lucernam corpori animam continenti ſimilem dixiſſe. Lux enim eſt, inquit, qui intus eſt animus, &c.

III. *Deſidere.* *DESIDET in modio*] vitã ignauam ducit. Cicero proinde in Verrinis dixit per Metaphoram ignauis conſentaneã: Quid ſedes Verres? quid ſpectas? Idem in Piſonem: An poteſt vlla excuſatio eſſe non dico malè ſentienti, ſed ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo Reip. motu conſuli? Eodem ſenſu Heſiod. ait, *ſpem non bonam, virum indigentem tenere, ſedentem in taberna, cui victus ſufficiens non ſit:*

ἐλπὶς δ' οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει,
ἥμενον ἐν λέσχῃ, τῷ μὴ βίος ἄρκιος εἴη.

Sed & Demoſthen. 1. Olymp. Athenienſibus ſuccenſet, eosq́; ſedere dicit, & Philippi potentiam non attendere. Sic enim: *ἀλλ' οἶμαι καθήμεθα, οὐδὲν ποιοῦντες. &c. Deſidere in modio*, pro ignaui ſigno ſuperius poſuit, in ſimulacrum Spei:

Cur in dolioli tegmine pigra ſedes?

Lege Pierium Hieroglyphic. lib. 56.

Eſſæi qui. *Eſſæus*] Eſſæi, Iudæi fuerunt, ab alijs vitæ ſeueritate, ieiunijs & inſtitutis quibuſdam differentes. De ijs Philo Iudæus, Euſebius de præparat. Euang. & Philaſtrius in catalogo hæreſ. Quid ſi Alciatus noſter per Eſſæum Phariſæos intelligat, ſectam à cæteris Iudæis ſeparatam; quæq; ob hypocriſin *paries dealbatus* dicitur in ſacris literis: Ego ſanè nihil ab hac opinione abhorreo.

Speculatur & aſtra] vt qui religionem profiteatur, θεωρητικὴν quandam præ ſe ferens. Sic ſupra de ſpe:

Quæ Dea tam lato ſuſpectans ſidera vultu?

Subtus & accenſam contegit igne facē] tegit faculam ardentem ſub modio: vires ingenij non exerit, ſed hebeſcere patitur. *Modius quid in ſacris.* In diuinis literis modius hieroglyphicum eſt doctrinæ Iudaicæ, veritatis lumen ſub eo recondentis, ſicut explicat Hilarius in Matthæum. Id verò petitum eſt è Socratis apophthegmate: *οὔτε πῦρ ἱματίῳ περιστέλλειν δυνατόν, οὔτε αἰσχρὸν ἁμάρτημα χρόνῳ. Neq; ignem veſte, nec turpe aliquod delictum tempore occultare poſſibile eſt.* Quò refero adagium, *Sub tunica & ſinu*. de ijs, quæ occultè fiunt, non palã & in propatulo: &. *Manum habere ſub pallio*. pro eo quod eſt, languere otio.

Segnities velata cucullo] Satis manifeſtè taxat hic cœnobitarum quorundam deſidiam.

Non ſe, non alios iuuat.] Proinde ex tertio illo genere hominum, quod Heſiodus aſſignat. Cicero 1. Offic. Quamobrem contemnuntur ij, qui nec ſibi, nec alijs proſunt, vt dicitur: in quibus nullus labor, nulla cura, nulla induſtria eſt. Lege prouerb. *Nec ſibi, nec alijs vtilis.*

NON me fugit, hoc ſchema non incõmodè torqueri poſſe in eos, qui concreditam ſibi eruditionis & ingenij dotem aliquam excellentem miſerè negligunt, idq́; non referunt ad vſum, cuius potiſſimùm gratiam norunt ſibi eſſe demandatum & commiſſum à ſummo & præpotenti bonorum omnium auctore Deo; tamen, niſi me fallit animus, videtur hoc reuera tortum eſſe in deſides quoſdam cœnobitas, qui θεοσεβείας imaginem aliquam profeſſi, ignauiæ ſitu ætatem terunt: literas aſpernantur, aut certè non magni faciunt, quanquam alioqui valeant ingenio, & non parua naturæ dexteritate: iners omninò genus, & fruges conſumere natum, & ex tertio illo hominum genere, quod aſſignat Heſiodus, meritò dixerim, cùm nec ſibi, nec alijs commodum aliquod referant. Quod ipſum tamen velim æquis auribus accipi, non enim is ſum, qui auſim, aut etiam velim carpere inſtituta illa vetera primùm quidem à ſapientiſſimis inducta patribus, noſtræ pietatis Chriſtianę anteſignanis & vindicibus, quorum tanta eſt apud nos auctoritas, vt inuerecundum eſſet, ne dicam impium, eorum vitam, pietatem, doctrinam, fidem nõ probare, non colere, non amplexari. Vt ergo apertè dicam quod ſentio ea de re: hic ab Alciato, à me, ab alijs etiam, quibus ſimplex, minimeq́; fucatus eſt animus, nullo modo reprehenditur monachorum inſtitutum & regula, ſed multorum ex ijs otium, ignauia, imperitia notatur; quippe qui eo nomine peſſimè de ſe, deque alijs mereantur. Iactent ij quantumuis ſui ordinis ſuarumq́; legum antiquam dignitatem & ſanctimoniam, niſi enim ſe ſimiles ijs præſtiterint, qui laboribus, vigilijs, ſtudijs IV. *Quorundam cœnobitarũ deſidia.*

dijs,ieiunijs, omnĩ deniq; patientiæ laude Chriſtianum nomen auxerunt & amplificarunt,non video qua ratione digni habeantur eo,quod fuit honorificũ apud priſcos, monachi nomine, quod illi ſua vecordia & inertia,ne quid dicam grauius, in contemptum adducunt. Vtinam verò vt cõtinuò ſolent inſoleſcere ob veterum illorum patrum admirabilem toti poſteritati religionem,ita eorundem vitæ inſtitutum æmularentur: non enim miſero & infelici otio ſe ita dederent, vt δὶς διὰ πασῶν abeſſent ab ijs,quos ad piæ vitæ religioſæq; inſtitutionem ſe imitari dictitant. Sed ne abeam longius, quid laborioſius excogitari,quid ſanctius, quid diuinius in terris fingi aut audiri potuit, quàm fuit illa verè ac meritò laudata priorum monachorum vitę ratio? quod purius aut vberius olim eccleſia ſeminarium clarorum virorum habuit,quã quod à cœnobijs, mandris illis & eremis ductum fuit? Nunc verò, Deus optime? quàm abſumus à prima illa cauaq; religione, cùm qui ſeuerioribus inſtitutis ſeſe obligent, non tam pietatem quàm otium, non tam ſolitudinem meditandique de rebus diuinis opportunitatem, quàm deſidioſam vitam ſibi proponant. Talis olim fuit Seruilius Vacia; vir prætorius ac prædiues, qui odio negotiorum abdiderat ſe in villam ſuam, quam habebat non procul à Cumis, nec alia re notus fuit, quam eius villæ ocio. Itaq; qui negocijs premebantur,exclamare ſolebant: O Vacia, ſolus ſcis viuere. Huius tam ignauum & ſine literis ocium damnans Seneca, epiſt. 51. negat illum ſcire viuere, ſed latere. Eoq; nonnunquam villam præteriens, ioco dicere ſolebat: Hic ſitus eſt Vacia. ſubindicans, nihil intereſſe inter mortuũ, & inerti ocio abditum. Ah quàm vereor, ne idem verè dici poſſit de multis,qui ſub religionis ſpecie præſtãtiſſimas ingenij dotes ſepeliũt. At id quidem certè pluribus exaggerare videtur eſſe non modò ſuperuacaneũ, ſed & intempeſtiuum; quãdoquidem notius ſit, quàm vt confirmare habeam, ne videar iniquius in eos debacchari, quos ad meliorem frugem reuocare laboris eſſet infiniti, & penè ἀδύνατον: admonere, intempeſtiuum & quidem importunum: reprehendere, prorſus odioſum, & perinde non omnibus gratum. Hac enim tempeſtate ſic omnia ſunt exulcerata, ſic lubrica & peruicacia, vt quoquò te vertas, vel etiam nolens, experiaris te per ignes incedere ſuppoſitos cineri doloſo; & quicquid in eiuſmodi quorundam hominum negotio velis attingere, vlcus & vomicam citiſſimè deprehendas, adeò ſub omni lapide dormit ſcorpius. Quamobrẽ ſatius eſſe duco malum bene conditum non mouere, & huius ordinis viros bonos (quos tametſi paucos & colendos, & exoſculandos eſſe puto) à malorum fęce ſemper abſtrahendos & eximendos vnicè volo, ne errore quodam populari pro vitio virtus crimina ſæpe ferat. Quòd ſi qui monachi (vt ſunt ex ijs quidam boni viri, ſed non ſatis eruditi) dicant id à paganis auctoribus malè detortum, ne videar verbo moleſtus, quippè qui fauſta omnia illis precari non deſino, euoluant quæſo diligenter magni ac ſancti viri Chryſoſtomi Chriſtianam ſententiam, ad illum ſacri Euangelij locum, *Luceat lux veſtra, &c.* Hunc enim Chryſoſtomum iudicem honorarium ſi admiſerint, nihil dico amplius, cauſſa dicta eſt.

Seruilius Vacia.

Deſidiam abijciendam:

EMBLEMA LXXXII.



QVISQVIS iners, abeat. Nam in chœnice figere ſedem
Nos prohibent Samij dogmata ſancta ſenis.
Surge igitur, duroq; manus aſſueſce labori,
Det tibi dimenſos craſtina vt hora cibos.

COMMENTARII.

I. SEDENT duo viri deſides & otioſi, habitu vili & pannoſo, alter manu in ſinum inſerta: ego alterutri malim ſupponere modium, vt huic inſideret, ſic enim videtur velle epigramma.

II. *Symbolũ Pythagoræ.* PYTHAGORAS Samius inter alia rectè viuendi præcepta hoc præcipuè cõmendabat: *μὴ ἐπὶ χοίνικα καθίσειν.* id eſt: *Ne chœnici inſideas.* Quod Plutarchus de educatione pueror. ita exponit: *φεύγειν ἀργίαν, καὶ προνοεῖν, ὅπως τὴν ἀναγκαίαν παρασκευάσωμεν τροφήν.* id eſt: *Fugere otium, & proſpicere quemadmodum neceſſarium paremus cibum.* Diogenes Laertius in vita Pythagoræ ait: *In chœnice non ſedendum*: id eſt, ex æquo futuri habendam curam: chœnix enim diurna eſca eſt. Huius ſymboli Pythagorici diuerſæ feruntur expoſitiones, ſed hanc Plutarchi ſequutus eſt hic Alciatus, & libro 1. Parerg. cap. 17. cuius explicationem malumus ab ipſo repetere (cùm ſit locus obuius) quam ab aliis quibusq; tametſi doctiſſimis emendicare, vt ſumus initio polliciti. Sic itaq; ibi ille: Sciendum eſt, inquit, apud Athenienſes fuiſſe menſuram tritici, quãtum quiſ- *Chœnix quid.*

que

que vno die comederet: ea erat & maior libra, vocabaturque chœnix, vel *μέτρον*, vt interpres Ariſtophanis ait. Pendebat autem earum drachmas CL. hoc eſt, ſeptem & viginti vncias Græcas, vt Iulius Pollux, & Nicandri interpres ſcribit: noſtra autem menſura ſeſquilibram: eius chœnicis dimidium drachmarum 75. libra ſeu libella dicebatur, vt Rhemnius Palæmon oſtendit eo carmine:

Atticæ non minor eſt, ter quinque hanc denique drachmis,
Et ter vicenis tradunt explerier vnam.

Igitur iubet cōſtitutio duas libellas, id eſt, chœnicem victualis ſubſtantiæ cuſtoditis præſtari: quod etiam olim fieri ſolitum oſtendit Pythagoræ ſymbolum, *Super chœnicem non eſſe ſedendum*: id eſt, non debere quenquam pręſenti cibo eſſe contētum, ſed potius aduerſùs legem Euangelicam de craſtino ſollicitari. Sic & Corinthii *χοινικομέτραι* dicti, quòd pluribus ſeruis abundarent, quibus demenſum, ſeu, vt in Euangelio Lucæ dicitur, *σιτομέτριον* quotidie præſtandum erat. Id ſingulis menſibus erat apud Romanos quaterni modii, vt ſcribit in Phormione Terentiana Donatus. Hactenus Alciatus. Vide plura in adagio, *Cibum in matellam ne immittas*. &, *Chœnici ne inſideas*. & apud Pierium Valer. Hieroglyph. lib. 56. præter ea, quæ in Prolegomenis de ſymbolis Pythagoricis dicta ſunt.

III. *Iners.* *QVISQVIS iners*] quicunq; ſine arte, otioſus, & ignauus eſt, nihil operis aut artis facit. Cic. 2. de Fin. Sed luſtremus animo non has maximas artes, quibus qui carebant, inertes à maioribus nominabantur.

In chœnice figere ſedem] feriari ob ſpē demenſi diurni.

Nos prohibent] prohibemur ex Pythagoræ ſymbolis.

Pythagoras. *Samij ſenis*] Pythagoram dicit, grauem illum & ſenem Philoſophum, à Samo patria Samium dictum, vt refert Iuſtinus lib. 20 hiſtor. & nos plura de eo diximus Embl. 17.

Pythagorea ſymbola. *Dogmata ſancta.*] Pythagoræ ſymbola oraculorum inſtar à priſcis celebrata ſūt. De his Plutarchus variis locis: quæ ſymbola certatim à viris doctis expoſita ſunt. Ex veteribus nominantur Anaximander Mileſius iunior, & Polyhiſtor Alexander, quorum libri temporis iniuria perierunt. Plutarchus, Athenæus & Laertius non perpetua diſputatione, ſed hinc inde multa explicuerunt. Ex recentioribus Philipp. Beroaldus, Eraſmus, Phorcinus. & Gregorius Gyraldus in ea re ſedulam operam nauarunt.

Manus aſſueſce labori] apta & compone te ad laborem. Verbum hoc, *aſſueſce*, (inquit Minos) frequentatiuum vel naturæ neutrius pro actiuo malè vſurpari, me non longè antè monuit Fornerius IC. doctiſſimus, vel aliud agens: cui ego, vt in cæteris, facilè aſſentior. Malim ergo dicere:

——*Duroq; manus compone labori.*

Craſtina vt hora] id eſt, craſtinus dies. Synecdoche. Hora autem pro die poni, alibi monuimus. Virg. 1. Georg. *Hora pro die.*

——*Nunquam te craſtina fallet Hora.*

IV. INCVLCATVR hoc ſymbolo Pythagoræ, non eſſe indulgendum otio & deſidiæ, nec in diem, vt aiunt, & citra futuri temporis præmeditationem viuendum; ſed ſtrenuè laborandum, & ſua quemque induſtria ſibi vitæ neceſſaria, ne in poſterū ea deſint, lucrari debere. Labores enim bonis viris, & ſenectuti optimum eſſe obſonium, ait Xenophon in Oeconom. Sed & Diogenes interrogatus, quid mortalibus in vita miſerrimum eſſe exiſtimaret? Reſpondit, ſenectutem inopem. Itaq; laborandum iuueni, vt ſeni commodior viuendi facultas ſuppetat; &, vt quidā rectè admonuit, viaticum ad ſenectutem ſemper recondendum: quæ timenda eò quod non veniat ſola, ſed quamlibet ſecum afferens querelam. Appoſitè nos Germani: *Labor ſenectutis obſoniū.*

Gedenck Iung anden alten man,
VVillſtu zu letzt nicht betteln gan.

Proinde meritò Reſpublica omnis liberaliter inſtituta ſegnes & laborum oſores expellit & execratur. Inſtitutum celebre laudatur Athenienſium (profectum illud quidem ab Iudis & Aegyptijs) quo inertia & otium iudicio publico damnabantur. Nam ſingulis annis ſtatoque tempore ciues in iudicio ſiſtebant, expoſituri, quo quæſtu, quaq; arte viuerent. Et Corinthi Periāder hunc morem inſtituit, vt ſi quem ſplendidius obſonari animaduerterent, exquirerent vndènam ſumptus ille ſuppeteret: ſi eſſet vnde illud vitę genus tueri poſſet, ſinebant vti: ſi facultatum modus non eſſet, iubebant hominem moderatius viue- *Inſtitut. Athenienſium.*

m 2

re:ni dicto eſſet audiens, mulcta damnabatur;at ſi nihil omninò haberet, nihilo minus ita ſplendidè viueret,curabant interfici,quia hunc furem eſſe,aut prædatorem, aut calumniatorem neceſſe eſſet. Ea fuere veterum inſtituta, hi mores:ſic enim cenſebāt ignauum & nullius frugis hominem indignum eſſe,qui vitæ commodis frueretur.

Dictum Tiberij.

Præclara ſe mihi offert oratio Tiberij in ſenatu,qua reſpondit M.Hortalo,nobili iuueni, cui inopi Auguſtus antè ſuccurrerat, vt ſuum ordinem ſeruaret: ſed poſtea cum ſe,ſuoſq; liberos,quos multos habebat,ſuſtentare non poſſet, Tiberium Cæſarem rogauit, vti noua liberalitate iuuaretur. Cui ſic Tiberius: Si quantum pauperum eſt, venire huc, & liberis ſuis petere pecunias cœperint, ſinguli numquam exſatiabuntur, Reſpub. deficiet. deinde, quod ſi ambitione exhauſerimus,per ſcelera ſupplendum erit. Dedit tibi, Hortale, Diuus Auguſtus pecuniam,ſed non compellatus, nec ea lege vt ſemper daretur, langueſcet alioqui induſtria, intendetur ſocordia, ſi nullus ex ſe metus,aut ſpes,aut ſecuri omnes aliena ſubſidia exſpectabunt, ſibi ignaui, nobis graues. Corn. Tacit. 2. Annal.

Inſtitutū Florentinum.

Refert Sabellicus,apud Florentiam patrio inſtituto in eos animaduerti, qui otioſè & ignauiter in ea ciuitate agunt. Expoſtulatus enim eorum quiſpiam, vnde victum ſibi comparet, niſi rationem poſſit explicare, qua vitæ probet integritatem, vt ſceleris conuictus plectitur, aut vt ciuitati perniciosus eijcitur. Tale profectò debet eſſe ignaui hominis malèque feriati prĕmium, *κοιμώμενος γὰρ ὐδενὸς ἄξιος*, ait Plato, *dormitans nulla re dignus eſt*: quo quidem innuit,eum numquam ad ſummam virtutis laudem peruenturum, qui duram & aſperam illius callem numquam fuerit ingreſſus. Siquidem *ὁ φεύγων μύλην, ἄλφιτα φεύγει. qui fugit molam, fugit farinam.* Vnde meritò vt ſtudiorum labores ſequitur gloria, ſic ignauiam contemptus & inopia comitantur.

Dictū Laconum.

Apud Lacones prouerbio celebratum eſt; Admota manu fortunam eſſe inuocandam, quo ſignificabant, ſic eſſe inuocandos Deos, vt ſimul & manum apponamus,& noſtram addamus operam, alioqui fruſtra inuocari. Verum eſt, numini acceptum ferri oportere,ſi quid in actionibus hominum proſperè cedit; Sed non fauet numen ocioſis & pigris. Vult ſua munera ad nos per noſtram venire induſtriam,ne ſtultum videatur, ſi faueat dona ipſius contemnentibus. Et quid poteſt eſſe nequius aut ſceleſtius,quàm tempus, rem ſcilicet precioſiſſimam, ſomno inertiaq; tranſigere. Qui enim deſides, ignaui, & oſcitantes viuunt, non hercule magis viuunt, quàm ſtolidæ pecudes, & meræ belluæ; neq; enim viuunt, ſed ſpiritum trahunt, ſicut pecudes ſolent. Vnde non immeritò Solon in ſuis *legibus inertiam* hanc, turpemque ignauiam ſeueriſſimè culpauit: Qui deſidiam, inquit, ſectatus eſt,is accuſantibus eſto obnoxius. Idem ſymbolum de chœnice Plutarchus ita exponit in Sympoſiacis, vt ex præſenti menſa ſemper aliquid in futurū relinquamus, & hodierno die craſtini meminerimus: re ſiquidem parata non erit vlterius conſultandum, vt ille bonus vir hoſpitem eluſit (ne rebus ſerijs ioci deſint)

Iocus.

cùm enim ſatur recederet,& ex reliquijs capum integrum coctum in manicam conieciſſet; interrogante hoſpite, quid eo facturus eſſet,in craſtinum ſe aſportare,dixit: cui cū ſubieciſſet hoſpes: Atqui lex nobis pręſcripta eſt,ne de craſtino cogitaremus. Suſcepit ille: Pareo igitur legi,qui hoc prandio mihi deſtinato, nihil quidquam ero ſuper craſtino ſollicitus.

In facile à virtute deſciſcentes.

EMBLEMA LXXXIII.



PARVA velut limax ſpreto Remora impete venti,
Remorumq́, ratem ſiſtere ſola poteſt:
Sic quoſdam ingenio & virtute ad ſidera vectos
Detinet in medio tramite cauſſa leuis.
Anxia lis veluti eſt, vel qui meretricius ardor
Egregijs iuuenes ſeuocat à ſtudijs.

COMMENTARII.

I. NAVIS omnibus ſuis armis inſtructa in medio mari fluctuet, velis expãſis & vento tumidis, cui in puppe adhæreat ore remora, piſciculus limacẽ magnitudine æquans, petris aſſuetus, aliàs Echeneis appellatus, vt dicemus.

II. *Echeneidis natura.* PVLCHRA ſimilitudine declarat, quàm ſint leues cauſæ, quæ à recta virtutis via nos auertant, cum ne grauiſſimis quidem cauſis nobis eſſet cedendum: idq; ſumptum à remoræ natura, quæ cum piſciculus ſit aſpectu niger, non maioris quàm pedalis magnitudinis, limacis magnæ ſimilis, tamen nauigia ſtare cogit nullo ſuo labore, non retinendo, neq; alio modo quàm adhærendo; infrà enim carinæ tabulamentis applicitus pinnis, quas etiam tenues ad modum habet, in tranſuerſum dilatatis,

tantis

tanti roboris eſt, vt ruant venti licet (ſic loquitur Plinius lib. 32. c. 1.) & ſæuiant procellæ, imperet furori, ac vires tantas compeſcat, quoſq; non vlla interdum vincula, non anchoræ pondere irreuocabili factæ præſtare queāt, quantumlibet magnos ipſe paruulus adeo infrænet impetus, & mundi rabiem domet. Idem habet etiā lib. 9. cap. 25. de echeneide. Vide porrò Iſidorum, Aelianum lib. 12. c. 45. Lucanum lib. 6. Volaterranum lib. 25. Philolog. Sic D Baſilius in Hexamer. Homil. 7. vnde cætera ſumpta ſunt: ἐχῖνος ὅταν προΐδῃ ταραχὴν ἐξ ἀνέμων, ψηφῖδα τινὰ ὑπελθὼν γενναίαν, ἐπ᾽ αὐτῆς ὥσπερ ἐπ᾽ ἀγκύρας βεβαίως σαλεύει κατεχόμενος τῷ βάρει, πρὸς τὸ μὴ ῥαδίως τοῖς κύμασιν ἀποσύρεσθαι, τοῦθ᾽ ὅταν ἴδωσιν οἱ ναυτικοὶ τὸ σημεῖον, ἴσασι τὴν προσδοκωμένην βιαίαν κίνησιν τῶν ἀνέμων. id eſt: *Echinus vbi præſentit ventorum tumultus, calculum quendam & lapillum magnum arripit, in eoq́; quaſi in anchora innititur, ne facilè impetu fluctuum dimoueatur: quod cùm nautæ obſeruant, prænoſcunt ventorum & fluctuum agitationem.* Caſſiodor. meminit epiſt. 35 lib. 1. Variar. formul. Cardanus De rer. variet. 7. cap. 37. ſatis conſtare, ait, hærentem Remoram naues retardare. Et Rondeletius contendit experimento vidiſſe triremem, in qua Cardinalis Turonenſis Romam vehebatur, à curſu inhibitam, eamq́; deprehenſam præbuiſſe cõnicium. Vide præterea adagium, *Feſtina lente*, & ea quæ ſupra Emblem. 20. de echeneide diximus. item Plutarchum 2. Sympoſ. quæſt. 7. & 2. Problem. quæſt. 3. non enim commodè poſſumus citra tædium omnia huc conferre.

Locus Baſilij Magni.

III. *PARVA velut limax, &c.*] Contextũ, quandoquidem multos fallit, ſic ordino: *Parua remora velut limax*, id eſt, quæ adeo parua eſt, vt limaci magnæ poſſit comparari *ſpreto impete venti remorumq; ſola poteſt ſiſtere ratem*. Itaq; illa verba, *velut limax*, per parentheſin reſpondeant ad verbum *parua*.

Echeneis vnde dicta.

Remora] Græcis ἐχενηΐς, παρὰ τὸ ἔχειν τὰς ναῦς, à tenendis nauibus, vnde etiam Epigrammatarij quidam veteres anchorã echeneida vocarunt; Latini Remoram dixerunt, ob eandem rationem. Huius impedimenti habita ratione Plautus ait:

——*Nam quid illa*

Tamdiu intus remoratur remeligines? eo enim nomine remoram appellat. Locum citat Feſtus ex Patina Comœdia. Cæterùm remoram impedimentum, & obiectam tarditatem ſignificari apud veteres aſſerit Pierius Hieroglyph. 30.

Remora quid.

Spreto impete] id eſt, impetu. Vide Gellium lib. 19. cap. 7. Statius Thebaid. 7.

——*aurigam impete vaſto.*

Sic quoq; Ouidius 3. Metamorph. & Lucretius varijs in locis.

Ratem ſiſtere ſola poteſt] Plinius lib. 9. cap. 25. & lib. 32. cap. 1. & alii citati.

Ad ſidera vectos] ſummum iam honorem conſecutos. ἀλληγορία.

In medio tramite] pro in media inſtituti benè cœpti via, re infecta. ἀλληγορικῶς.

Anxia lis veluti eſt &c.] duas ponit cauſas, ob quas iuuenes potiſſimùm cœptis rebus cum damno non leui abſtinent, easque penitus deſerunt; vna ſunt controuerſiæ, aut litis mouendæ tricæ & quaſi tendiculæ: altera eſt amor meretricius, & amaſiarum illecebræ.

IV. *Inconſtãtes.*

QVI ſunt ingenio lubrico & inconſtanti, mentem ſuam ab honeſto quodam inſtituto vitæ dimoueri facillimè ſinunt. Hos refert nauis, quæ remora, piſciculo minutiſſimo ſiſtitur: mirum ſanè & planè incredibile, niſi fidem auctores magni non minus facerent. Sic homines quoſdam, licet admodum ingenio virtuteq; præditos, retardat aliqua cauſa leuiſſima, vt in medio curſu pergere amplius nequeant, & ita turpiter deficiant. Veluti in quibuſdam eſt anxia lis & forenſis contentio, qua tanquam gyro inextricabili, nonnulli ſponte, plurimi autem inuiti, trahuntur & perpetuò inuoluuntur, adeo vt innumeros ad honorũ, bonorumq; omnium, imò etiam corporis perniciem vſq; redactos videamus. In aliis verò peruerſa ſocietas, & pernicioſa improborum conſuetudo: vel continuus chartarum, teſſerarum, & aleæ luſus, inſatiabilis comeſſatio, & libidinoſa crapula: vel etiam peſtifera illa lues, meretricius amor, abominanda ſcortatio, & id genus alia. quæ plerunq; iuuenes, licet generoſæ indolis, à virtutum tramite, pariterq; à ſeriis ſtudiis iam feliciter cœptis diſtrahunt, & planè auocant. Qua in re, vt in Glauci & Diomedis armorum permutatione, ſentiunt tandem ſuo magno malo quàm periculoſum ſit, & quidem alienum à recta mente,

Cauſa quæ multos retardant.

Philo-

Philoſophiæ ſeptis auocari, vt rei vel leuiculæ, vel etiam flagitioſæ ſe adiiciant. Hæc animi humani lubricitas reliquiæ ſunt de primo næuo, quem primo parenti aſperſit tentator, cicatrices adhuc apparent & ſtigmata, nec ſanies extracta ab radice, purulentia quædam ineſt prioris mali, & propenſio ad morbum (Repeto hic ea, quæ aliquando per occaſionem exaraui ad Excellentiſſimum Virum D. Ioannem Sozomenum IC. fautorem ſingularem, qui natiuæ Græcæ facundiæ Romani eloquij nitorem probè coniunxit) Sicut lapidem ſua grauitas ac moles, ita mentem propenſio hæc trahit in præceps, niſi ſuſpendat ac teneat, vt manus illum, ſic brachium diuinũ & gratia cœleſtis hanc.

Inconſtãs animus humanus

Hinc leuitas illa & gyrus conſiliorum, atq; in propoſito mutatio, quod vanitatis aura, vt plumam ventus, rotat inani vertigine. Non ſic Polypus mutat colorem, aut Protheus formam, vt animus vota. Somnia rerum lactant & ludunt, ceruſſa ducit & ſtibium, id eſt, vanus ſplendor ac mendax, vt ſubæratum aurum in nocte, aut corallij rubor in vitro. Profectò vitrea ſunt quæ admiramur, quibus trahimur in amorem. Video hominem Attalicis aut Phrygijs textis opertum, cuius collum gemmatus torques, armillæ brachia, digitos adamantes cingant & ſmaragdi, quem ſatellitum agmina ſtipent; gliſcit cupido, & volo veſtiri ſimili habitu. Fertur fama de alio, qui in arcem ſapientiæ & doctrinarum euaſit; delector, & eligo aliquid tale. Si Mydæ talenta & gazam Perſicam audio, inſiſto affectu & deſidero. Fortitudinem mihi aliquis commendat, & virtutes heroicas in Iulio Cęſare, aut Põpeio Magno; paſcunt laudes & trahunt. In Olympico ſtadio aut gladiatoria arena coronatus deſcribitur, lego triumphales currus Capitolio inuectos, & apparatum victoriæ, laurea placet, & incingi vellem. De vino Chio ſermones feruntur aut Falerno, ſaliuam trudit lingua, & ebullit voluntas, totus ſum in poculis, & vmbra deglutio cane Æſopico ſtolidior. Magna volubilitas & rapida conuerſio? Quod in indice horario rota facit, hoc in noſtra natura cupiditas, ſemper in motu eſt ac labore. Triſtia ſternunt, lætis erigimur: proſpera mulcent, aduerſa turbant: ſpes fulcit, deijcit metus: curæ mordent, gaudia laxant & ſerenant animos: contrahit ira, aperit & diffundit amor: rodunt acerba & conſtringunt, dulcia blandiuntur & exhilarant, ringimur præſenti malo, formidamus futurum, de præteritis aculeus adhuc inhæret & punctura, quæ deſunt optamus, quæ adſunt reijcimus: nauſea in copia, in defectu deſperatio, vicina moleſtãt, remota alliciunt & trahunt ad ſe: peregrina placent, diſplicent domeſtica & generãt faſtidium. Si in mari ſumus, ad litora reſpicimus; inhiamus tranſmarinis è terra, & ventis alas pandimus. In eligendo ſtatu vitæ par leuitas: ſolitarius turbas quęrit, qui in turbis receſſus & quietem: vxori deuinctus libertatem, cœlebs vinculum & ſociã lateris: qui ſtiuam exercent, qui raſtra & ligones, qui naſſam trahũt ac retia, aliorſum flectunt oculos, & ſupra vel infra ſuam ſortem tendunt vota. Miles ad arua, ad arma ruſticus: nauclerus ad campos, qui hic ad nauim & trãſtra: ruris opes tollit aulicus, qui in rure palatinas delicias & luxum.

Nemo cõtentus eſt ſua ſorte.

Nemo contentus, ſcindimur in partes vago diſcurſu, nec quiſquam quod habet diligit & amplectitur, alienis inuolat, & immittit manum aut mentem. Hinc ſeges vitiorum, ex ſenſu enim conſenſus, ex hoc opus naſcitur: vident oculi, appetit voluntas, rapit manus aut perficit: impellit animus, corpus exequitur, vt lictor aut carnifex edictum prętoris. Sicut remotis valuis Sol ingreditur, ita per fores ſenſuum corruptionis radij, niſi peſſulum reducat auerſa voluntas, quę cuſtos eſt ac ianitor; ſi negligentius excubat aut ſtertit, irrumpit hoſtis & occupat. Porrò ad illuſtrandum hoc Emblema commodiſſimum habes exemplum in Critia & Alcibiade apud Xenoph. 1. Cõmentar.

Exẽplũ.

hi enim adoleſcentes magnis naturæ & ingenij conformati dotibus, ad res ſummas nati, leuiculis occaſionibus non tã deterriti quàm auocati ab officio, ſibi ſuæque Reipub. exitium crearunt. Quis neſcit Neronis primùm in imperio quinquennium? quo ſe tam mitem, & præter modũ tractabilem præſtitit, ſed mox in prærabidam feritatem, & barbaram truculentiam erupit. Sed nunc Ignauos excitemus.

Ignaui.

EMBLEMA LXXXIV.



IGNAVI Ardeolam ſtellarem effingere ſerui
Et ſtudia, & mores, fabula priſca fuit:
Quæ famulum Aſteriam volucris ſumpſiſſe figuram
Eſt commenta; fides ſit penes hiſtoricos.
Degener hic veluti qui ceuet in aere Falco eſt,
Dictus ab antiquis vatibus Ardelio.

COMMENTARII.

I. IN aere apparet auis ardea, vncis vnguibus & roſtro, expanſis alis volanti ſimilis: ſub qua iuuenis pennis veſtitus diſcurrit, qui brachiorum loco alas ardeæ ſuſtinet.

II. *Fons Emblematis.* EMBLEMATIS fons peti poteſt ex loco Ariſtotelis, qui eſt lib. 9 cap. 18. de hiſtor. animal. cuius hæc ſunt verba: Sed ſtellaris ὄκνος, id eſt, *piger* cognominatus in fabula eſt, vt olim è ſeruo in auem tranſierit, atq; (vt cognomen ſonat) iners ocioſaque eſt: talis ardeolarum vita eſt. Hæc ille: Tetigit nonnihil Pauſanias in Phocicis: Augures, inquit, & auem ὄκνον appellant, quę inter ardeolas & maxima eſt, & pulcherrima. In vetere igitur fabula inductus erat ſeruus quidã fatuus, & nihil non ſatagens, qui aſteriæ vel ardeolæ ſtellatæ figuram repræſentaret, vt mores & conatus ardelionum exprimeret. Hi quotquot ſunt, ſatis

mouens

mouent ſeſe,nihil tamen promouent, nihilq́ue agunt,ſed tantùm ſatagunt, idque ad modum adulterini & degeneris falconis, qui cit tantùm ceuentis in aere motus. Talem deſcribit Attalum Martialis,lib. 1. & 2. & Afrum lib. 4. vt poſtea ſubiungemus. Talis eſt apud Terentium in Eunucho Thraſo,vt etiam Suffenus apud Catullum.Huc refer adagium,*Callipides*.

III. *IGNAVI ſerui*] nullam ad operam vtilis.Ordo eſt talis: *Fabula priſca fuit*,id eſt, antiqui fabulati ſunt.*ardeolam ſtellarem*, id eſt,auem illam aſteriam vocatam à fulgore aſtrorũ. *effingere ſerui ignaui & ſtudia & mores*.tarda enim eſt auis,Hiſpanis *GarZola* dicta.

Ardea.

Ardeolam ſtellarem] Ariſtoteles lib.9.c.1.de hiſtor.animal. Ardeolarum tria ſunt genera,Pella, Alba,Stellaris, piger cognominatus. Quę verba tranſtulit Plinius lib. 10.cap.60.inquiens: Ardeolarum tria genera ſunt, Leucon,ab albedine; Aſterias, ab aſtrorum fulgore per ſimilitudinem dicta; & Pellos,quia non ita in altum volat, πέλας enim *propè* ſonat.

Fabula priſca] Ariſtoteles ſupra citatus lib.9.cap.18.

Fides ſit penes hiſtoricos] Eiuſmodi eſt illud Salluſtij è Iugurthino: Cæterùm fides eius rei penes auctores erit.

Degener hic veluti falco] Hic, ſcilicet ſeruus,eſt veluti falco degener, qui ceuet in aere. Falconem degenerem vocat auem illam,quæ in turribus nidificat, quam ſæpe pueri alunt pro accipitre ad aucupandos paſſerculos,Tinnunculus, Latinè dicitur,Hiſpanè *Cernicalo*,German. *Vvannenvvaeher*.Hæc auis aliquando durat in aere pendens leuiter commotis alis,nec dextera,nec læua,antè,aut retrò,infra vel ſupra mouetur, quod hic Alciatus vocat ceuere.

Falco degener.

Ceuet] alas agitat,& volare contendit. Ceuere propriè eſt clunes mouere, obſcœnum verbum,pertinens ad mares obſcęnè ſe motantes. Perſius Satyra 1.

Ceuere.

——*An Romule, ceues?*

Iuuenalis 2.

An te ceuentem,Sexte,verebor?

& Sat.9.idem:

Computat & ceuet, ponatur calculus.

Ardelio] Ardelio eſt homo inquietus, huc atq; illuc ſemper volitans,ſaliens,manus iactans,togam modò deijciens,modò reponens, & omnibus negotijs ſeſe immiſcens. Vnde rectè à Germanis dicitur, *Hās in allen gaſſen*. Quid ſit ardelio nemo melius docet Martiale lib.2. his verbis:

Ardelio quid.

Declamas bellè,cauſas agis,Attale, bellè,
Hiſtorias bellas,carmina bella facis.
Componis bellè mimos,epigrammata bellè:
Bellus es Grammaticus, bellus es Aſtrologus.
Et bellè cantas,& ſaltas,Attale,bellè;
Bellus es arte lyræ,bellus es arte pilæ.
Nil benè cùm facias,facis attamen omnia bellè.
Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio.

De eodem Attalo idem lib. 1.

Semper agis cauſas,et res agis,Attale,ſemp.
Eſt,non eſt,quod agas,Attale,ſemper agis.
Si res,& cauſa deſunt,agis,Attale, mulas,
Attale,ne quod agas deſit,agas animam.

Idem Martialis lib.4.deridens ſenem Afrũ ſic ait:

Cãdida cum tibi ſit iam ſexageſima meſſis,
Et facies multo ſplendeat alba pilo;
Diſcurris tota vagus vrbe, nec vlla cathedra eſt,
Cui non manè feras irrequietus, Aue.
Et ſine te nulli fas eſt prodire Tribuno,
Non caret officio Conſul vterq; tuo.
Et ſacro decies repetis palatia cliuo,
† Saturioſq; modos,Parthenioſq; ſonas. *† Sigerioſque.*
Hæc faciant ſanè iuuenes; deformius,Afer,
Omnino nihil eſt ardelione ſene.

Phœdrus elegantiſſimus fabulator ſic:

Eſt ardelionum quædam Romæ natio,
Trepidè concurſans, occupata in ocio,
Gratis anhelans,multa agendo nihil agẽs,
Sibi moleſta,& alijs odioſiſſima.

IV. ANTEQVAM veniam ad intentionem huius carminis, lubet paulùm exſpatiari,non tamen vt omninò volitem præter caſam,quod aiunt,ſed vt à theſi ad hypotheſim,quod præcipiunt Rhetores, facilius me recipiam. Quia enim id omninò tortum eſt in ardeliones,eoſq; qui multis, varijſque ſtudiis eodem tempore animum applicant, quæramus an prouidi ſint, qui ſic ſe gerunt. Primùm quidem videmus eſſe natura comparatum, vt nemo ſit repertus hactenus ingenio adeò felici,naturæq́; bonitate præſtans, vt pluribus artibus addictus,multum promoueat: Rei enim vnius ſtudium,facultas vna,& negocium alioqui ſerium, totum hominem requirit: quodq́; de cibis Medici ſolent præſcribe-

An cõſultum varijs ſtudijs occupari.

re, itidem in ingeniis prudentes homines diligenter eſſe cauendum præcipiunt. adeò nullus eſt ita valenti ſtomacho, quin ſibi permultum noceat, ſi multiplici & confuſa, immoderataq; ciborum copia ventriculum ſaburrare malit, & corpus onuſtum reddere, quod ait Horatius, quàm mediocribus & neceſſariis epulis valetudini conſulere. Sic qui pluribus & variis ſtudiis vno eodemq; tempore ingenium onerat, ſeipſum quidem ad tempus videtur reficere varietate rerum: ſed interea tamen non modò nihil inde lucri capit, ſed memoriã obtundit, aciemq; ingenii debilitat. Aliquis fortè mihi Catonem Porcium obiecerit, quem ſummum hominem fuiſſe memorant hiſtoriç: nempe is ſummus Imperator, ſummus orator, ſummusq; Iuriſconſultus à quibuſdam elogio magnifico celebratus. Si tamen conferatur cum quibuſdam aliis vel Græcis, vel Romanis, qui ſuperiore aut inferiore ſeculo floruerunt, longè aliud ſentiendum erit: fuit. n. M. Cato Aquilio Gallo multò inferior, ſi illius in iure peritia cum huius doctriná veniat in certamen. In oratorio munere ac facultate dicendi neq; Lucium Craſſum, Marcumve Antonium, neq; Hortenſium, aut Ciceronem ſuperauit. Iam verò in diſciplina belli non eſt cum C. Cæſare comparandus, aut aliis certè multis, quos Reſp. Romana olim laudatiſſimos aluit. Idem iudicium de cæteris, nam & Plato relictis artibus leuioribus, ſe totum philoſophię conſecrauit: & Demoſthenes cum ſe gloriæ daret, relicta philoſophia, in qua non parum profecerat, eloquentiam eſt amplexatus. Et quidem viri illi magni in id videntur incubuiſſe, vt vnam diſciplinam ſibi ornandam & excolendam proponerent, ad eamque vnam ſuum omne ſtudium reuocarent. Ita qui excellere aliis & anteſtare, aut aliqua in laude eſſe volet, procul abeſſe debebit ab illo *πολυμαθίας* immoderato ſtudio, quæ *ἀμαθίαν* ſæpenumero inducit. Statuo itaq; cum Seneca: Certis ingeniis immorari & innutriri oportere: nuſquam eſſe qui vbiq; eſt. In peregrinatione agentibus hoc euenire, vt multa hoſpitia habeant, nullas amicitias: idem accidat eſt neceſſe ijs, qui nullius ingenio familiariter ſe applicant, ſed omnia curſim & properanter tranſmittunt. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non conualeſcit planta, quæ ſæpiùs transfertur, &c. Sed iam ſatis luſimus. Veniamus ad ipſum Emblema. Suſceptum eſt in ardeliones, vanoſq; oſtentatores, quo hominum genere nullum aliud impudentius aut inutilius; quandoquidem ſe omnia tenere, & ad vnguem noſſe profiteantur, cùm tamen reuera in ijs præter iactantiam & importunam loquacitatem inuenias nihil. Sed lubet paucis in eiuſmodi Thraſones inuehi, quòd omnia ſibi tam temerè vendicent, tam nulla fronte arrogent, vt ſi cum alijs (quod fit ſæpiuſculè) rixantur,

Ardelionum ſtudia taxãtur.

Excurſus in ardeliones.

Tot pariter pelues, tot tintinnabula credas
Pulſari. ——

Quam enim ex omnibus artem aut diſciplinam adduxeris in medium, cuius ſe imperitos non negent? Quid tam recõditum & obſcurum in rerum arcanis eſſe poteſt, quod illi ſua induſtria, miraq; ingenij ſolertia non ſint exactè complexi? Tanta eſt horum hominum tam malè feriatorum impudentia, tamque inſolens proteruia, vt cùm oculos, quod aiũt, cornicum auſi ſint configere, nemini debeat eſſe mirum, ſi de rebus, quas minimè compertas habent, contra omnium ſententias & iudicia pronuncient audacius, & plus quàm par eſt, iniquius. Tum enim videas eos ſuam opinionem elato ſupercilio tueri accuratiùs, ſic vt periculum ſit, ſi coneris eos de cauſſa deijcere, ne ſua efferata licentia in te impotentius ſæuiant quàm velles, acriùs inuehantur, ſuaq; Stentorea & vocaliſſima loquentia te tuasq; rationes inuidioſè traducãt apud imperitũ vulgus, tibi omnem reſpondendi libertatem eximant. Si verò ſit quæſtio de litteris, quæ ad humanitatem pertinent, quas vel primoribus tantùm labris deguſtarint, aut tibi tacendum, aut ſi penitus auſcultare nolis, colloquẽdum eſt rarius, eoq; pacto vt non vſpiam te quicquam refellere poſſe videare. Si quid de Iuriſprudentia fortè dicendum ſit, tum bellè ſuo more excurrent. Nunquam, inquient, veteres exactè diſciplinam legum ſunt interpretati, aut, Farragines ſunt gloſſematum intolerabiles, aut, Inter ſe mirabiliter pugnant, aut aliquid aliud eiuſmodi. Si de arte medica ſermo eſt, Numquam tã concinnè, tamq; opportunè (ſi modò fidẽ illis habeas) Galenus aut Hippocrates. Si de aſtrorum ſcientia, quid? Hoc lippis & tonſo-

Ardelionum arrogantia.

tonſoribus eſſe notiſſimum contendent, nempè vt diligenti hac & bene prouida cautione propriam inſcitiam tegant. At ſi ad Theologiæ reconditioris arcana deueniendum ſit, aperient ſtatim, quid iuris habeāt in ijs excutiendis: ſolertes ſe eſſe fingent, ſudabunt nitendo, neq; tamen hilum proficient, & abundè ſatagent, nihil agent tamen. Nec eſt quod Philoſophiam commemorem. Illi enim nihil neſciunt, qui tam ſeriò per omnem diſciplinarum circulum peruolitarunt, vt eorum iudicio vel ipſe Plato cæcutiat, Ariſtoteles ineptiat, Cicero garriat, Aquinas deliret, & Peripatetici omnes miſerabiliter errent. Adeò ſunt in omni diſciplinarum genere exercitatiſſimi, vt, contra Socratis inſtitutum & mentem, hoc tantum ſciant, quòd omnia ſciant: quin potius hoc tantùm neſciāt, quòd omnia ignorent. At ſi tam multa ſciant, mirum eſt maximè, quòd ſe neſciāt. Si enim vel quadam ex parte ſcirent, quid illud ſit, γνῶθι σεαυτὸν, iampridem perſpexiſſent ſapientię aditum cuiuis obuium & patentem eſſe non poſſe, niſi cùm aliquid ſe ignorare norit: aut ſi quid ſciat, non oportere eo faſtu intumeſcere, vt nullum alium ſcire meliùs poſſe & abſolutius audeat exiſtimare. Sed miſſos faciamus eiuſmodi πολυπράγματας, vereor enim ne vehementius in rei literariæ ardeliones inuehar, & ſpecialius id conferre videar in Sophiſtas quoſdam iactabundos, nihilq́; non tentantes: quod quidem tamen in genere video intelligi de ijs poſſe, qui ſuam operam & ſtudium collocant in varijs & multiplicibus vno eodemq́ue tempore tentatis negotijs, quæ certè aggredi poſſunt illi ſatis audacter & anxiè, perficere verò conſtanter minimè poſſunt.

Auaritia.

EMBLEMA LXXXV.



HEV miſer in medijs ſitiens ſtat Tantalus vndis,
Et poma eſuriens proxima habere nequit.
Nomine mutato de te id dicetur auare,
Qui, quaſi non habeas, non frueris quod habes.

COMMENTARII.

I. IN fumido fluuio Acheronte rex Tantalus humerorum tenus immerſus apparet, cuius capiti ſuperimpendet fructifera pomus; ipſe verò ore hiante fruſtra fructũ captat. Magis placet pictura Rouilliana, ibi enim Tantalus mentum aquæ effugienti immergit, & brachia ad fructus impendentes fruſtra extendit, adeo vt cibo, & potu ſimul fruſtretur.

II. *Emblematis typus ex Petronio Arbitro, & Horatio.* EST auari hominis εἰκὼν, ſumpta ex Petronio Arbitro & Horatio, verbis quibuſdam tantùm mutatis. Ille enim ita in Satyrico:

Nec bibit inter aquas, nec poma fugacia carpit
Tantalus infelix, quẽ ſua vota premunt.
Diuitis hæc magni facies erit, omnia latè
Qui tenet, & ſicco concoquit ore famem.

Hic verò 1. Sermon. Satyra 1.

Tantalus à labris ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur: congeſtis vndiq; ſaccis
Indormis inhians, & tanquã parcere ſacris
Cogeris, aut pictis tãquam gaudere tabellis.

Et Cornelius Gallus:

Quid mihi diuitiæ? quarum ſi dempſeris vſum,
Quamuis largus opũ ſemper egenus ero.
Imò etiã pœna eſt partis incumbere rebus,
Quas cum poſſideas, eſt violare nefas.
Non aliter ſitiens vicinas Tantalus vndas
Captat, & appoſitis abſtinet ora cibis.

Fauſtus Andrelinus in Diſtichis:

Semper eget, ſitiens medijs ceu Tantalus vndis,
Inter anhelatas pauper auarus opes.

Tantali fabula. Tantalus Iouis ex Plote nympha filius fuit (licet Lucianus in dialogo de Dipſadibus ipſum Æthonis filium faciat) qui cùm aliquando Deos conuiuio ſuſcepiſſet, vt eorum diuinitatem experiretur, Pelopem filium membratim diſcerptum, coctumque appoſuit comedendum: illi verò cum exhorruiſſent cibum, non ſolùm abſtinuere, ſed collectis in vnum membris puerum in priſtinam formam reduxere. Tantalum verò ad inferos detruſum perpetua fame ſitique torquendum cenſuere, vt etiam in medijs epulis & aquis famelicus & ſiti enectus cogatur langueſcere. Quod canit Homerus λ. Odyſſ. his verbis:

καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα,
ἑσταότ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ.
στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι,
ὁσσάκι γὰρ κύψει ὁ γέρων πιέειν μενεαίνων,
Τοσσάχ' ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχθὲν, ἀμφὶ δὲ ποσσὶ
γαῖα μέλαινα φάνεσκε, καταζήνασκε δὲ δαίμων.
δένδρεα δ' ὑψιπέτηλα κατακρῆθεν χέε καρπὸν,
ὄγχναι καὶ ῥοιαὶ, καὶ μηλέαι ἀγλαόκαρποι,
συκαῖ τε γλυκεραὶ, καὶ ἐλαῖαι τηλεθόωσαι.
τῶν ὁπότ' ἰθύσει ὁ γέρων ἐπὶ χερσὶ μάσασθαι
τὰς δ' ἄνεμος ῥίπτασκε ποτὶ νέφεα σκιόεντα.

Tantalon hic vidi duros perferre labores.
Namq; erat in ſtagno mentum tangente ſitiq;
Aſſiduè vrgebat, potandi at nulla facultas.
Nã quoties in aquã deflectit labra, refugit
Vnda leuis toties abſorpta, ac terra videtur
Sub pedibus, rurſumq; leuem Deus euocat vndam.
Hic ſunt arborei fœtus, præſtantia mala
Punica, ſunt oleæ, ſunt ficus, pomaq; forma
Inſigni, ſenis allectãt quæ cuncta palatum.
Sed quoties manibus tentat decerpere fructus,
Protinus hos venti celeres in nubila portat.

Sanctius ſic Latinitati reddidit:

Tantalus hic aderat duros ſine fine dolores
Corde ferens, mento & contingens vſq; paludem,
Et ſitiẽs nullas poterat cõprendere lymphas.
Nam quoties hauſtus liquidarum optabat aquarum,

Ha toties

Hæ toties fugiunt, & ſe tellure recondunt.
Nigraque ſub pedibus (Dij ſiccant) terra manebat.
Atq; caput ſupra pendebant Punica mala,
Pomaq; cũ pyris, ſplẽdentes arbore fructus,
Et dulces ficus, fœtuq; virentis oliua.
Quas miſer eſuriens ſi vellet carpere, vẽtus
In ſublime ferens nebulis condebat & umbris.

Aliorum opiniones de Tantalo. Alij ad inferos relegatum volunt, eiusque capiti ſaxum impendere, cuius caſum ſemper extimeſcat, eaq; pęna excruciari, quòd Deorum liberalitate vſus ſit intemperantiùs, cùm eorum intereſſet conuiuijs, & nectar & ambroſiam ſuis æqualibus impertiuiſſet; vt teſtatur Pindarus, Tzetzes, & Didymus. Alij quod linguam habuerit incontinentem, & Deorum ſecreta reuelauerit. Ouid 2. Amor. Eleg. 2.

Aſpicis indicibus nexas per colla catenas,
Squallidus orba fide pectora carcer hẽt.
Quærit aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, hoc illi garrula lingua dedit.

Idem 2. de Arte:

Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus;
At contrà grauis eſt culpa, tacẽda loqui.
Quam benè, quòd fruſtra captatis arbore pomis
Tantalus in media garrulus aret aqua.

Vide Pindarum 1. Olymp. & adagia, *Tantali pœna. Tantali lapis.* &, *Tantali talenta.* vbi alias cauſas ex Athenæo & alijs de pœna Tantali reperies. Clitophon apud A-*Achilles Statius.* chillem Statium ſcriptorem veterem, lib. 2. loquens de amore puerorum, quem Menelaus vehementiorem dixerat muliebri: Quo pacto, ait, vehementior? An quia ſimul atque apparuit, euaneſcit, nec amanti ſui perfruendi poteſtatem facit? ſed Tantali poculo ſimilis videtur: Sæpè enim etiam inter bibendum auolat, amansq́; nihil, quod hauriat, amplius inueniens, abire cogitur, atq; etiam id, quod iam hauſtum eſt, priùs eripitur, quàm qui bibit, exaturetur, &c. Apud eundem Achillem eleganter detorquet fabulam Tantali Mellite alloquens Clitophõtem, cuius Venerem prouocare non poterat: Quamdiu, ait, eorum, qui in aliquo ſacrario cubant, morem imitabimur? Largam tu quidem aquæ mihi copiam offers: verùm ne hauriam, vetas. Tantone tempore, vt propter fluuium ſedeam, ſitimq́ue explere non poſſim? Næ ego Tantali menſæ haud diſſimilem thorum ſortita ſum, &c. Lege Lucianum in Dialogis mortuorum. Horat. 1. Epiſt. ad Iulium Florum, Ciceronis vltimum Paradoxum, & Nat. Comit. Mytholog. lib. 6. cap. 18.

MISER Tantalus] verè quidem, at ſpõte miſer. Tantalus, quaſi *ταλάντατος*, id III. *Tantalus unde dictus.*
eſt, *infeliciſſimus*. Plato in Cratylo. Apul. libr. de Deo Socratis: ſolus Tantali vice in ſuis diuitijs inops, egens, pauper, non quidem fluentum vllum fugitiuum captat, & fallacis vndæ ſitim, &c.

In medijs undis] opibus & facultatibus, quæ ſunt fluxæ caducæq; Hinc ductum puto verbum *abundare, redundare*. &c.

Sitiens] Nunquam expletur cupiditatis ſitis, proinde rectè cum hydrope comparatur auarus. Horat. 2. Carm. 2. *Auarus comparatur hydropico.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops.
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

Lege eiuſdem Satyram 1. Ser. 1. Ouidius:

Qui plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Stat] nunquam ſedet, nec conquieſcit.

Poma proxima] res partas, nummos in arca.

Qui, quaſi non habeas, &c.] Citatur ex D. Hieronymo vulgatiſſimum illud, Tam deeſt auaro quod habet, quam quod non habet. *Marſupiorum miniſtrum*. i. *δουλεύοντα βαλαντίων*, auarum hominem vocat Eunapius Sardianus. talis deſcribitur in Aulularia Plauti Euclio, miſerrimus ſenex, amittendi metu ſeſe perpetuò excrucians. Contrà laudatur à Theocrito Ptolemæus Philadelphus, qui domi ſuę non occultaret opes inutiles, vt formicæ ſolent, quæ aurum penitus egeſtum in antris aſſeruare memorantur, vt Solinus & alij quidam tradũt. Huc Horatian. *Magnas inter opes inops*. 3. Carm. 16.

FABVLAM Tantali in medijs vndis IV. *Auarorũ conditio*
ſitientis torquet in auaros, qui habendi cupiditate excæcati etiam in hac vita ſuos patiuntur manes: vnde ijs quid mali optet, niſi vt viuant diu? Macrob. Saturn. 1. Illos, inquit, epulis ante ora poſitis excruciari fame, & inedia tabeſcere, ſignificat eos quos magis magisq́; acquirendi deſiderium cogit, præſentem copiam non videre, & in affluentia inopes, egeſtatis mala in vbertate pa-

patiuntur, neſcientes parta reſpicere, dum egent habendis. χρημάτων δ' ὄρεξις, ἣν μὴ ὁρίζεται κόρῳ, πενίας ἐσχάτης πολλῷ χαλεπωτέρα, μείζονες γὰρ ὀρέξεις μείζονα, ἐνδείας ποιοῦσι, aiebat Bion: id eſt: *Cupiditas habendarum opum, niſi aliqua ſatietate cohibeatur, extrema pauperie longè deterior eſt: maiores enim cupiditates egeſtatem quoq; maiorem arceſſunt.* Proinde ſi quem diuitem efficere voles, (dicebat Epicurus) μὴ χρήματα προσίθει, τῆς δ' ἐπιθυμίας ἀφαίρει. *non eſt quòd opes augeas, ſed tollas cupiditatem.* Referam huc Maximi Tyrij Platonici verba ex oratione 25. *Quid, obſecro, continua hominum cupiditate egentius? Vbi enim ſemel animus ſupra quàm neceſſarius exigit vſus, voluntatibus indulſerit, priorem continuò faſtidit, nouarum cupiditate detinetur. Et hoc eſt quod Tantali ſignificat ænigma, continuam videlicet voluptuarij ſitim, vt cum oblectationum interdum latices affluant, recedant interdum, propterea cupiditatum refluxus excitetur; quibus tamen cupiditatibus infeſtiſſimus dolor, metus ac perturbatio permixta ſint. Nã quidnã homines timere peius ſolent, quã ne præſens voluptas elabatur?* Græca ſi quis malit, hæc ſunt: τί γὰρ ἂν εἴη πενέστερον ἀνδρὸς ἐπιθυμοῦντος διηνεκῶς; ἐπειδὰν γὰρ ἅπαξ ψυχὴ γεύσηται ἡδονῶν ὑπὲρ τὴν αὐτῆς χρείαν, κόρος αὐτὴν προτέρων ἔχει, καὶ ἑτέρων ἐρᾷ· καὶ τὸ τοῦ Ταντάλου αἴνιγμα, τοῦτο ἦν ἄρα, δίψα διηνεκὴς ἀνδρὸς φιληδόνου, καὶ ἡδονῆς νάματα προσιόντα καὶ ἀπιόντα αὖθις, καὶ παλίῤῥοια ἐπιθυμιῶν, καὶ λῦπαι πικραὶ ταύταις ἀνακεκραμέναι, καὶ ταραχαί, καὶ φόβοι· φοβερὸν μὲν γὰρ παροῦσα ἡ ἡδονὴ μὴ ἀπέλθῃ. Id quoque quod ſupra diximus, eos nimirum, qui ſuis cupiditatibus obſecundant, ſuos in hac vita pati manes, cõfirmat Lucretius lib. 3.

Max. Tyrij locus.

Atq; ea nimirum quæcunq; Acheronte profundo
Prodita ſunt eſſe, in vita ſunt omnia nobis:
Nec miſer impendens magnum timet aere ſaxum
Tantalus, vt fama eſt, caſſa formidine torpens;
Sed magis in vita, Diuûm metus vrget inanis
Mortales, caſumq; timent, quem cuiq; ferat ſors:
Nec Tityum volucres ineunt Acheronte iacentem
Sed Tityus nobis hic eſt, in amore iacentem
Quem volucres lacerant, atq; exeſt anxius angor,
Aut alia quauis ſcindunt torpedine curæ.

Hæc iſte ad Epicuri ſenſum, ſicuti & Tullius 1. ſchola Tuſcul. ſub perſona cuiuſdã Epicurei. Nam & ſunt, qui huc putent pertinere deſcriptionem inferorum apud Platonem & Virgilium lib. 6. Æneid. Cupiditas ergo eſt illa auri ſacra fames: cupiditas eſt ille Tityj vultur: cupiditas habendi eſt, quæ bufones nutrit in medijs viſceribus pingues & ventroſos, nec ſaturat tamẽ & placat famelicos, in ventriculo enim ſcoriæ maſſa inhæret de fuſili argento, & grandeſcit continuò, nec cibos admittit alios: & quamquam radit, rapit, trahit, clepit, furatur, piſcatur, emungit, exhaurit, euacuat, ſpoliat, aſſidua tamen fame torquetur. Eſt enim auaro hoc proprium, vt ſemper ſit inops, & curis inanibus perpetuò vexetur, teſtante Horatio: *Semper auarus eget.* Cuius miſeriam, ingenium, & abſurdos mores pluribus deſcribit lib. 1. & 2. Serm. & nos Emblem. proximo depingemus: longè autem elegantiſſimè Lucianus in Timone. Deniq; vt vult Publius in mimis, & Seneca varijs in locis: Inopiæ parua deſunt, auaritię omnia. Luxuriæ deſunt multa, auaritiæ omnia. In nullum auarus bonus, in ſe autem peſſimus; ipſeq; miſeriæ eſt cauſæ ſuæ: tam enim illi deeſt quod habet, quàm quod non habet. Et quidquid omnibus abſtulit, ſibi ipſi negat. Inſanus medio flumine quærit aquas. Is niſi cum moritur, nihil rectè facit. Auaritiæ porrò immanem belluam, turpem effectum, & fallacem ſectam tam Latini quam Græci ſcriptores paſſim deteſtãtur & execrantur mirificè, vt multis etiam Iuuenalis Sat. 14. Auaritiæ currum pulchrè deſcribit D. Bernardus ſuper Cant. Serm. 38. Auaritia, inquit, rotis vehitur quatuor vitiorum, quæ ſunt Puſillanimitas, Inhumanitas, Contemptus Dei, Mortis obliuio. Porrò iumenta trahentia, Tenacitas & Rapacitas: & his vnus auriga ambobus præſidet, Ardor habendi. Sola quidem auaritia, quia conducere plures non patitur, vno contenta eſt ſeruitore. Rectè Apollodorus:

Cupiditatis habendi idea.

Auaritia deteſtatio.

Auaritiæ currus.

Ἀλλὰ σχεδόν τι τὸ κεφάλαιον τῶν κακῶν
Εἴρηκας· ἐν φιλαργυρίᾳ γὰρ πάντ' ἔνι.
Is nempe dicis, omnium quod eſt caput
Malorum, auaritiam mihi cum nominas.

Pertinet

Auaritia radix omnium malorum.

Pertinet huc illud Pauli Apoſtoli: ῥίζα γὰρ πάντων τῶν κακῶν ἐστιν ἡ φιλαργυρία. id eſt: *Radix enim omnium malorum eſt auaritia.* Sed & Bion hanc appellauit, κακίας μητρόπολιν. id eſt: *vitiorum metropolin.* Quibus & addendum Timonis dictum, duo malorum eſſe elementa, ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν. id eſt: *inexplebilem diuitiarum auiditatem, & gloriæ appetitionem.* Sed de hac in ſequenti latiùs.

In auaros.

EMBLEMA LXXXVI.



SEPTITIVS populos inter ditiſſimus omnes,
Arua ſenex nullus quo magis ampla tenet;
Defraudans geniumq́; ſuum, menſasq́; paratas,
Nil præter betas duraq́; rapa vorat.
Cui ſimilem dicam hunc, inopem quem copia reddit?
Anne aſino? ſic eſt: inſtar hic eius habet.
Namque aſinus dorſo pretioſa obſonia geſtat,
Seq; rubo, aut dura carice pauper alit.

COMMENTARII.

I. ASINVS, ignauum animal, oneribus ferendis natum & deſtinatum, pingitur obſoniis & cupediis lautiſſimis onuſtus, ipſe interim aſperis carduis veſcens, olere ſuis labris digno.

II. PLVTARCHVS libello περὶ εὐθυμίας, meminit negotiatoris cuiuſdã Chii, qui omnium maximè auarus, tametſi multum vini primæq́; bonitatis venderet, ipſe tamen ſibi acidum, vappamque conquirebat. Et fortaſſe is fuit, à quo cùm profugiſſet ſeruus, rogatus quamobrem ſe ab heri dominio fugitiuus extuliſſet: Quia, inquit, cùm præſto bona ſint, mala tamen quærere ſolet; quippe qui vinũ generoſum vendat, tantumq́; ſubacido & vitiato vtatur. Itaq; rectè genus id hominum comparatur aſino, qui tergo geſtet epulas opiparas, obſoniaq́; delicatiſſima, & tamen carduis victitet. Verba huc apponã Plutarchi: ὥσπερ αἱ σικύαι τὸ χείριστον ἐκ τῆς σαρκὸς ἕλκουσιν, οὕτω τὰ κάκιστα τῶν ἰδίων συνάγεις ἐπὶ σαυτὸν, οὐδέν τι τοῦ Χίου βελτίων γενόμενος, ὃς πολὺν καὶ χρηστὸν οἶνον ἑτέροις πιπράσκων, ἑαυτῷ πρὸς τὸν ἄριστον ὀξίνην ἐζήτει διαγευόμενος· οἰκέτης δέ τις ἐρωτηθεὶς ὑφ᾽ ἑτέρου τί ποιοῦντα τὸν δεσπότην καταλέλοιπεν; Ἀγαθῶν (ἔφη) παρόντων, κακὸν ζητοῦντα. καὶ γὰρ οἱ πολλοὶ τὰ χρηστὰ καὶ πότιμα τῶν ἡδέων ὑπερβαίνοντες, ἐπὶ τὰ δυσχερῆ καὶ μοχθηρὰ τρέχουσιν. Referam Latinè, vt potero: *Vt cucurbitulæ peſſimum è carne ſanguinem eliciunt: ſic tu quoq; peſſima in teipſum confers, nihilo melior illo mercatore Chio, qui cum magnam vini generoſi copiam venderet aliis, ſibi vappam & acidum vinum ſeruabat. Eius itaq; famulus rogatus, cur ab hero fugiſſet: Quia, inquit, cùm ei bona adſint, malum tamen conquirit. Ei longè multi ſimiles ſuauia pocculenta tranſmittunt, & ad moleſta prauaq́; quaſi accurrunt.* Idem περὶ φιλοπλουτίας· οὐδὲν εὖ πάσχων, ὥσπερ ὄνος βαλανέως, ξύλα καὶ φρύγανα κατακομίζων, ἀεὶ καπνοῦ καὶ τέφρας ἀναπιμπλάμενος, λουτροῦ δὲ μὴ μετέχων, μηδὲ ἀλέας, μηδὲ καθαριότητος. *Nihil capiens inde commodi, veluti balneatoru aſinus, qui ligna & ſarmenta defert, ſemper fumo plenus ac fauillis, nunquam autem balnei particeps, neq; teporis, neq; mundiciei.* Simile eſt illud ex ſecundo Epigrammatω̃n, tit. εἰς φειδωλοὺς.

Auari aſino comparati.

Locus Plutarchi.

Fons Emblematis.

Πολλὰς μυριάδας ψηφίζει Ἀρτεμίδωρος,
καὶ μηδὲν δαπανῶν ζῇ βίον ἡμιόνων.
πολλάκις αἳ χρυσοῦ τιμαλφέα φόρτον ἔχουσαι,
πολλὸν ὑπὲρ νώτου χόρτον ἔδουσι μόνον.

Multas myriadas computat Artemidorus,
Et nihil impendẽs viuit vitã mulorum.
Qui ſæpe auri pretioſum onus habentes
Multum ſuper dorſo, fœnũ edunt ſolũ.

Viuens vt muli, dum ſumptus præcauet omnes,
Supputat innumeras Artemidorus opes.
Auri ſæpe gerunt ingentia pondera dorſo
Muli, ſed ſiccum non niſi gramen edunt.

Ex M. Tullio citari hoc memini: Ferebat hanc quoq; iniquitatem Septius, & imbri frumenta in area corrũpi patiebatur. Talis Opimius apud Horatium 2. Satyrarũ 3.

Pauper Opimius argẽti poſiti intus et auri,
Qui Veientanum feſtis potare diebus
Cãpana ſolitus trulla, vappamq́; profeſtis,
Quondam lethargo grãdi eſt oppreſſus, &c.

III. *SEPTITIVS*] nomen fictum ab Alciato.

Populos inter ditiſſimus omnes] inter ſuos populares omnes locupletiſſimus, vt ille apud Perſium 4. Satyra:

Diues arans Curibus, quantum nõ miluus oberret.

Et Horat.

Diues agris, diues poſitis in fœnore nummis. *Aruum.*

Arua quo magis ampla] vno verbo, locuples. Aruum, quod aratum, necdum ſatum.

Senex] eò quod auaritia ſenes præcipuè inuadere ſolet, quia deſerit eos calor deficiente ſanguine. Senum auaritiam carpit Cicero in lib de Senect. inquiens: Auaritia ſenilis quid velit, non intelligo: quid enim abſurdius eſſe poteſt, quam quò minus reſtat viæ, plus viatici quærere? Senibus autem omnibus vitium auaritiæ ineſſe, oſtendit Comicus in Adelph. *Senes auari.*

Defraudans geniumq́; ſuum.] Defraudare genium, eſt naturæ denegare quod appetit, cui opponitur, *Indulgere genio*, animo obſequi. Plaut. in Aulul.

Perditiſſimus ego ſum omnium in terra,
Nã quid mihi opus vita eſt, qui tantũ auri
Perdidi, quod cuſtodiui ſedulo? egomet me fraudaui,

Ani-

Animumq; meum,geniumq; meum.&c.
Sic Terentius in Phormione:

——*Suum defraudans genium.*

Nil præter betas,duraq; rapa] συνεκδοχὴ, pro quibuslibet abiectis & vilibus edulijs: in quo notanda ſordities auarorum. Martialis:

Vt ſapiant fatua fabrorum prandia betæ.

Beta inſipida.

fatuas vocat,quia ſunt inſipidæ: hinc prouerb. *Beta inſipidior*. Perſius vocat plebeiã.

Inopem quem copia reddit] Antitheta. Ouidium imitatur 3. Metamorph.

Quod cupio mecũ eſt,inopẽ me copia fecit.

Obſoniũ.

Pretioſa obſonia] Obſonium eſt quidquid vltra panem & vinum in cibum adijcitur. Græci ἐκτραπεζώματα vocant obſonia menſis impoſita (inquit Bayfius) Itali dicunt,*Companatico*,quaſi id,quod cum pane edatur. Hinc verbum *obſonari*, quod eſt,ſumptus pro obſonijs facere.

Obſonari.

Seq; rubo,aut &c.] Alludit ad adagiũ, *Aſinus ſtramina mauult quàm aurum.* Id genus hominum à Græcis nominantur κρασοφάγοι. & *Cuminiſectores* ab Ariſtotele 4. Moral. Nicomach. κυμινοπρίσαι. vide adag. *Cumini ſector*. Hos Itali vocant, *Squartapiccioli*.

Cumini ſector.

IV.
In auaros.

DICITVR in auaros & ſordidos,qui aſinina quadam ſtoliditate obſeſſi adeò ſũt excordes, tamq́ue ſui parum memores, vt ſolo pane mucido, vappa, & larido ſubrancido ſe expleant, quamquam opimis poſſeſſionibus abundent. In quo ſanè vt geniũ inſigniter defraudant,ſic & partis ad vſum humanum conceſſis miſerabiliter abutuntur. Vnde rectè ſenſit Cicero 2. Tuſcul. Magno malo (inquit) eſt hominibus auaritia,idcirco quod homines magnis & multis incommodis conflictantur propter immenſam pecuniæ cupiditatem. Ab animis enim,in quos ſemel ingreſſa eſt,amicitiam honoriſq; deſiderium pellit: ac nunquam inde egreditur,quin potius cum annis creſcit,& quamuis ſenio ſubeunte corporibus vires decreſcant, habendi cupiditas tempore ipſo augetur. Et quo minus ad viuendum ſpacij ſupereſt, tanto plus ſtruendis intenta opibus timidiùs neceſſaria promit. Itaq; quicunq; auaritia captus laborat,cũ neminem amet,à nullo etiam amatur; & cùm omnia auro poſtponat, quanto plus auri poſſidet,tanto plus quærendo inhiat. Vt auri ſacra fames expleatur periculoſis nauigationibus vltra anni & ſolis vias ad quærendum aurum vitæ pretio commeatur,& in viſcera terræ ſæuitur,dum ad lucernarum lumina per inuios montes aguntur cuniculi: vt ſcitè mehercule Demetrius Phalereus dixerit, Auaritiam vel Plutonem ipſum ex intimis terræ penetralibus ſe tracturam ſperare. A qua tamen deterrere deberet funeſtum M. Craſſi exẽplum, qui dum Orodis Parthorum regis theſauris inhiat, auaritiam ſuam vndecim Legionibus,& proprio capite mulctatam ſenſit, poſtquam apud Carras circumfuſi vndiq; equitatus,in modum grandinis denſas ſagittas pariter fuderunt. Ita deleto miſerabili ſtrage exercitu, ipſe viuus in manus hoſtium incidit; cuius caput recisum regi ludibrio fuit, auro liquido in rictum oris infuſo,vt qui arſerat auri cupiditate,mortuus ſaltem ſatiaretur. Certè illud velut ex oraculo promptum videri poteſt,quod Aſtronomic.4.ſcribit Manilius:

Craſſus auaritię pœnas luit.

Victuros agimus ſemper, nec viuimus vnquam:
Pauperiorq; bonis quiſq; eſt, qui plura requirit;
Nec quos habet numerat,tantum quod non habet optat.

Sed nunc,quod ſupra promiſimus, auari mores & praxin vitæ depictum eamus, ò illaudabilem & impiam? Quæramus hunc in cubiculo primum, quid tractet, quid ſomniet, quæ curæ mordeant, quæ flagellet anxietas Plutonis mancipium. Nunquam ſolus dormit, quin lemures ſecum habeat ac virunculos terrigenas perpetuò, cuniculorũ ſcrutatores & auriphilos, totus in cauernis eſt mente & voto, & theſauris incubat, eruit, conflat, cudit, congerit; ſaccos, modios, ciſtas & arcas farcit, claudit, reſerat, extrahit, ſupputat, paſcit oculos colore, copia, varietate. Hic abacum videas pro altari, rationum tabulas pro libello deuotionis, calculos & cretam pro granulis precatorijs; crumena & loculus duo candelabra ſunt, in quibus aurum, non cera fulget; monetarum ſculpturæ & ſymbola ſacras imagines referunt: lancea hebræa, qua debitorum latera tranſuerberat, Crucis ſtipitem; in cornibus aræ Iudæ effigies poſita & Mercurij, duo penates quidam & tutelaria numina. Dum ſubducit, multiplicat, ſubtrahit, diuidit, orantis partes exequitur; ſyngrapha & chirographa peccatorum collectanea ſunt, compunctio ſub-

Auari hominis viua effigies.

naſcitur & intimus dolor, ſi in pactis & contractibus ſponſor excidat fide ac fallat. Vt primũ pedes effert domo, rapinę ſicut vultur inhians, forum pro templo quærit, licitationes audit & precium rerum: creſcente, animus ridet & in roſis cubat; turbatur, laxiore illo & æquabili. Si inſtructior cella & granarium, Iouis arma inuocat, grandines ac procellas accerſit, pruinas excipit oſculo & ſalutat. Vites aduri, & conteri ſegetes, in votis & delicijs habet, voluptas eſt videre ſtragem publicã, planctus audire & querelas communes egentium, dummodò marſupij vterus talentis ſibi turgeat quocunq; iure: ſpe ſolus deuorat omnia, & affectu inuadit; quà lucri odor ſpirat, ſagacior cane ſequitur, de laqueo cogitat, ſi fruſtratur. Quinimò teruncij vnius iactura magis affligitur, quã ſacrilegio millies iterato, quã deuincta continuis periuriis myriadi dęmonum infelici anima, quã plauſtris blaſphemiarum coniectis in magnũ illud cœli Numen ſuperante rabie. His.n. plerumq; dotibus exornat vitã ſuã tenax opum & ſordidus corraſor; nec mirum, in quo metus omnis pœnarũ extinctus, & ſpes pręmij; cui cœlum fabula eſt & infernus. Quid ni fabula? qui ſuperos cæcos, dæmonas mortuos iam pridẽ prorſus ſibi confingit. Ita pertinaciter malus eſt, nec vt bonus ſit venit vnquam in mentem, licet videri talis cupiat, & ſimulet deuotionẽ exteriori habitu; ſpectatur.n. & ipſe in anno ſemel in cætu fideliũ, & murmurat labijs neſcio quid, curuat genua, & ſuſpirat fixus in obtutu ſacræ imaginis. Suſpirat, inquam, ſi ſumptuoſa ſit & incruſtata nobiliori metallo, deplumare vellet ac detrahere corium. Igneus feruor orationis, quem mater hypocriſis parit. Sicut paralyſis neruos diſſoluit & ligat ſenſus, ita morbus hic vigorem animi, ne ſe exerat ſalutari conceptu: diſtrahitur incurſu vanitatis aſſuetæ, ne colligat ſpiritum & aſſurgat, in terrenis hæret immerſus, vt rana in luto; & quod rubetæ cõtingit, hoc auaro, vt copia nunquam ſaturet, & in ipſa rerum affluentia fame moriatur. Auaritiam porrò ipſam monſtrum horrendum deſcribit Crinitus lib 2. Poemat.

Auari deuotio.

Auaritia quale mõſtrum.

Ecce horrenda oculis heu facies meis
Raptim fumifico deſiliens ſpecu,
Immane monſtrum conſtitit,
Cui ſunt & manus, et pectus ahenea,
Et diris colubris implicitum caput.
Frons humana, tamen lurida buxeo
Pallore, & maculis ſquallida liuidis
Monſtrabat inſitam famem.
Tunc primum pauido dirigui metu,
Et mens attonitis torpida ſenſibus;
Vnde hac, obſtupui, tanta lues foret,
Quæ ſic tabificis noxia ſordibus
Vrbes & agros inficit.
Sed mox cum licuit cernere clarius,
Et dirum video prodigij ſcelus:
Agnoui cupidis implicitum viris
Monſtrum, qui miſera ſolliciti fame
Nil præter aurum cogitant.

Verò verius igitur eſt, quod à Criſpo Salluſtio refertur in hunc modum: Bellua, fera, immanis, intolerãda eſt auaritia. Quò intendit, oppida, agros, fana atq; domos vaſtat, diuina cum humanis permiſcet. Neq; exercitus, neq; mœnia obſtant, quò minus ſua vi penetret: Fama, pudicitia, liberis, patria atque parentibus cunctos mortales ſpoliat. Auari quoq; hominis inſectationem habet Phœdrus: *Vulpes cubile fodiens &c.* lector inde petat, quia nos properamus.

In aulicos.

EMBLEMA LXXXVII.



VANA Palatinos quos educat aula clientes,
Dicitur auratis nectere compedibus.

COMMENTARII.

I. IVVENIS cincinnatulus, veſte more aulicorum indutus, in cippo, vel pedicis aureis incluſus detinetur.

II. *Aureæ cõpedes aulicorum.* ALLVSIO eſt ad Diogenis apophthegma: dicebat enim Ariſtippum (Philoſophum aulicum) aureis teneri compedibus, ne poſſet exire; quòd ſplẽdidiore Principum vita captus, Philoſophicam vitam mentiretur. In quo ſenſu etiam Seneca dixit, ſtultum eſſe compedes ſuas, quãquam aureas, adamare. Id tamen quàm ſtudioſè faciant aulici, nemo eſt quin videat. Quantum autem pertinet ad noſtri diſtichi materiam, videtur reſpicere ad M. Catonis lepidam ſententiam: Dicebat enim fures priuatorum furtorum in neruo & compedibus ętatem agere, publicos in auro & purpura viſendos. Retulit Gellius lib. 11. cap. 18. Huc ſpectat adagium, *χρυσαῖ πέδαι. aureæ compedes*. Prouerbiali metaphora dicitur ſeruitus ſplendida & amabilis, qualis eſt ferè vita aulicorum. Horatius de vxore formoſa:

——Tenetq; grata
Compede vinctum.

Vide etiam adagium. *Leo chordula vinctus.* Apud Plutarch. Theophraſtus exprobrat Ariſtoteli, quòd relicta Academia mallet in Philippi aula verſari, quod & antè fuerat à Diogene reprehẽſum, Ariſtotelem cœnare quando Philippo, Diogenem cùm Diogeni placeret.

VANA

III. *VANA aula*] epitheton veriſſimum, quia aula inani ſæpe vento ſuos aſſeclas lactat.

Palatini. *Palatinos*] Palatinus mons dictus, ſuper quo Roma primò ædificata fuit, & in eo Reges primò, deinde Conſules, poſtea Imperatores maiore ex parte ſedem habuerunt. Vnde ego ductum puto, quod ij, qui in domibus principum habitant, vel officium curiale exercent, palatini dicantur (licet etiam à palatio id non malè traduxeris) qui etiam Comites & Curiales dicũtur noſtro ſæculo. Alciatus in l. ſcrinijs. de palat. ſacr. largit. lib. 12. Cod.

Aula. *Aula*] Aula propriè dicitur locus, qui perflatum habet. Nunc domos & regias principum aulas vocamus, quod ante ſe habeant plerunq; loca ſubdialia & ampla. Vide plura de hac voce apud Cęl. Rhodig. lib. 12. cap. 5.

Auratis compedibus] Prouerbium, *Aurea compedes*.

IV. *Aulicorũ conditio.* AVLICI appellantur, qui in regum principumvè aulis educuntur & nutriuntur: hi quidem viuunt ſplendidè, epulãtur lautiſſimè, veſtiuntur magnificè, incedũt ſuperbè, verbis vtuntur ſeſquipedalibus, præſumunt maxima quæuis; frausq; ſublimi regnat in aula, adeo vt eorum feliciſſima omnium videatur vita. Interim tamen ſui iuris non ſunt, nec ingenuè liberi, imò aureis vinculis alligati, impliciti & irretiti rectè dici poſſunt. Non enim animaduertunt quantum voluptatis & oblectamenti ſuppeditet viuere λιτῶς μὲν, ἀλλ' ἐν ἐλευθερίῃ, nec alijs gnathonum more, aut paraſitorum neſcio cuius rei gratia, manum deoſculari, ridenti arridere, & fœdè palpando quamlibet perſonã induere. In quibus factitandis quid (obſecro) fidei aut bonæ mentis, quæ honeſti ratio eſſe poteſt, cùm ſimulationis & perfidiæ ſentinam inexhauſtam in animo præſentem vbiq; circumferant? Elegans aulicorum deſcriptio habetur apud Senecã Tragicum Hercule Oetæo:

Pauci reges, non regna colunt,
Plures fulgor conuocat aula,
Cupit hic regi proximus eſſe,
Clarusq; latas ire per vrbes:
Vrit miſerum gloria pectus.

Sanè, vt id paucis, ſi qui ſint, qui vitam paraſiticam viuant, totam illam quidem ad alienum comparatam arbitrium, ſunt ſeuera aulici moriones, & ſtrobili, qui vento fumoq; ebrij mera ſibi ſomnia fingunt, nihil non ſperant, nihil non promittunt, ſeruitute voluntaria, eaq; grauiore preſſi, quod etiam cùm poſſint aſſerere ſeſe, effugia nulla quærunt. Minos ea de re, quo tempore curis vacuus ruſticaretur, carmen ſcripſit, quod tale eſt:

Minois carmē de aulicis.

Aulicus inſipiens, & fumus ebrius aula.
Se ſpe, aut pollicitis credit ad aſtra vehi.
Et dum captat iners, & ſe fore poſſe beatũ,
Vt qui ſperet edax, certa futura putat,
Compedibus ſtrictè & manicis adſtringitur excors,
Et patitur vana credulitate capi.
Ore, oculis, vultu mentitur, ſæpe retentus
Pluſquàm ſeruili conditione miſer.
Nam quæ ſeruities eſt turpior, imò pudẽda,
Quàm turpe & fœdũ ſponte ſubire iugũ?

Veriſſimum hoc, *Aulica vita, ſplendida miſeria*. Habent enim aulæ ſua myſteria non cuiuis obuia; habet hoc pelagus ſub vndis latentes ſcopulos, qui nauigantibus non apparent, antequam grauiter impegerint: Vnde rectè amicum monet Ouidius lib. 3. Triſt. eleg. 4.

Vſibus edocto ſi quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes præluſtria vita,
Sæuum præluſtri fulmen ab arce venit.

Nullum enim eſt vitæ genus, quod tot caſibus ac mutationibus ſit obnoxium, quã vita aulica. Exemplo nobis inter infinitos ſit vnus Petrus Vinea Campanus, obſcuro loco natus, ſed doctrina atq; eloquentia, quantum ætas illa tulit, inſignis, Friderici II. Imperatoris arcanorum omnium princeps ac moderator. Cæterùm per inuidiam, quæ in aula & oritur, & nutrimenta habet (licet Germani dicant Inuidiam in collegijs & monaſterijs naſci, in aulis nutriri & viuere, in xenodochijs mori) atq; virtutis perpetua eſt inſectatrix, in ſuſpicionem adductus, tanquam cum Pontifice Alexandro III. ſentiret (quo cum Fridericus bellum gerebat) luminibus eſt priuatus. Cuius rei impatiens, atq; ob id in furorem verſus, ad Sanctum Miniatum, quod Hetruriæ oppidum eſt, ſibi ipſi mortem conſciuit. Refert Fulgentius lib. 6. c. 11. Lucianus eo Commentario, quem ſcripſit de ijs, qui conducti mercede in diuitum familijs viuunt, ſcitè aulæ picturam explicuit, nempe veſtibulum ſublime & in- *Petrus Vinea Campanus.* *Aulæ deſcriptio.*

Aula igni comparatur. & inauratum, abruptum, lubricoq; aditu, ita vt plerunq; qui ſe ad ſummum perueniſſe putant, præcipites ceruice fracta deijciantur. Intus opulentiæ oſtentatio, ſpes fallax, ambitio, æmulatio, obtrectatio, fumi, adulationes, multæ manus, pauca corda, luxus, auaritia, quæ omnia ſpecioſis fucis teguntur. Nam qui in aulis ſunt arriſores, hos habes & arroſores, imò & deriſores, qui ſimulatè omnia gerunt. Interrogatus quidam iniuriarum palatinarum patientiſſimus, quomodo ſenectutem, rem in aulis rariſſimam, eſſet conſecutus? Iniurias, inquit, accipięndo, & gratias agendo. *Alphabetum aulicum.* Circumferuntur verſiculi nimium veri au thore incerto, de miniſtris in aulis principum ſeneſcentibus:

Regum ſollicita quicunq; ſeneſcit in aula,
Aut furit, aut vltrò concupit eſſe miſer.

Lucanus non ſecus ſenſiſſe videtur, dum 8. de bello ciuili inquit:

——Exeat Aulâ
Qui volet eſſe pius: virtus & sũma poteſtas
Non coeunt.

Nos quoq; Germani de aulicis ſeriò iocamur: *Lang zu hoff, lang zu hœll.* Scitè ſanè ille poeta, qui aulam igni comparauit, à quo non nimium diſtare, nec propius accedere iuuat. Sic ille:

Vicinum terret, longinquũ nõ iuuat ignis,
Sic neutro potu eſt aula iuuare modo.
Ni nimium ſemotus eris, nimiumq; propinquus,
Vtilis ignis erit, proderit aula ducum.

Nõ poſſum coronidis loco pręterire, quin huc apponam Alphabetum aulicũm, quod à Iacobo Reinero excellentiſſimo Muſico ſymphoniæ accommodatum me aliquãdo canere memini:

A *ula eadem eſt omnino fides, qua mobilis aura.*
B *landitur, ſed poſt mordet ceu ſcorpius Aulâ.*
C *onſilijs rarò melioribus vtitur Aulâ.*
D *iſſimulet, regnare diu qui poſcit in Aula.*
E *xulat integritas, pietas, & candor ab Aulâ.*
F *erre moram, atq; iram frænare docemur in Aulâ.*
G *rande ſophos ridere bonos cenſetur in Aulâ.*
H *orrent vera loqui, cupiunt qui creſcere in Aulâ.*
I *nuidiam qui ferre nequit, diſcedat ab Aulâ.*
K *yrię, qui ſenuère canont, eleyſon, in Aula.*
L *anguent virtutes, ſcelus omne at regnat in Aulâ.*
M *uneribus mentes hominum capiuntur in Aulâ.*
N *ugas Aula leues, & fumos vẽdit inanes.*
O *tia quiquis honeſta cupit, procul exeat Aulâ.*
P *orta Erebi in terris Aula, & tua, Tantale, pœna eſt.*
Q *uæſtus adulari & mentiri eſt primus in Aulâ.*
R *ara auis in toto verè pius aulicus orbe eſt.*
S *inceris & ſimplicibus væ ſemꝑ in Aula.*
T *urpe ſenex & inops quando incolit aulicus Aulam.*
V *ita difficilis method⁹ benè dicitur Aula.*
X *anthe retroibis, erit quando conſtantia in Aulâ.*
Y *dra Aula eſt capitum multorum horrenda venenis.*
Z *enones fatui ſunt, atque Thraſones in Aulâ.*

Plura de re aulica habes apud Auguſtin. Niphium lib. 2. De ſtatu etiam & miſeria curialium agit Æneas Siluius epiſt. 42. & 166. pulcherrimè Antonius de Gueuara in ſua ſchola aulica. Extat etiam libellus idiomate Germanico planè feſtiuus, in quo tota praxis aulica ſub perſonis animalium graphicè repræſentatur.

In ſordidos.

EMBLEMA LXXXIIX.



QVAE roſtro, clyſtere velut, ſibi proluit aluum
Ibis, Niliacis cognita littoribus,
Tranſijt opprobrij in nomen: quo Publius hoſtem
Naſo ſuum appellat, Battiadesq́ ſuum.

COMMENTARII.

I. IBIS auis Aegyptia, ſeſe hoc loco incuruat, & ſibi ipſi per poſteriora roſtro
Ibis. aluum proluit. Ibidis autem formam ſic deſcribit Herodotus in Euterpe: Nigra, inquit, tota vehemẽter eſt, cruribus gruinis, roſtro maxima ex parte adunco, eadem
Crex. qua crex (auis pugnax, & ad cibum comparandum ingenioſa) magnitudine. Et hæc quidem ſpecies eſt nigrarum, quæ cũ ſerpentibus pugnant. At earum, quę pedes humanis ſimiles habent (nam bifariæ ibides ſunt) gracile caput ac totum collum, pennæ candidæ, præter caput ceruicemq; & extrema alarum & natium, quæ omnia ſunt vehementer nigra, crura & facies alteri conſentanea. Colitur ab Aegyptijs, quia ſerpentes alatos ex Arabia in Aegyptum vere ineunte commigrantes interficit. Sic quoq; Cicero 1. de Natura Deor. Velut ibes maximam vim ſerpentum conficiunt, cum ſint aues excelſæ, cruribus rigidis, corneo proceroq; roſtro. Auertunt peſtem ab Aegypto, cum volucres angues ex vaſtitate Libyæ vento Africo inuectas

inter-

interficiunt, atq; conſumunt: ex quo fit, vt illæ viuæ nec morſu noceant, nec odore mortuæ.

II. *Ibidis natura.*

PLINIVS lib. 8. cap. 27. de Ibide ſic ait: Simile quiddam & volucris in eadem Ægypto monſtrauit, quæ vocatur Ibis, roſtri aduncitate per eam partem ſe abluens, qua reddi ciborum onera maximè ſalubre eſt. Hæc Plinius. Vide Ariſtot. lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 27. & lib. 3. de generat. anim. c. 6. Ammianum lib. 22. Hiſtor. Pompon. Melam lib 3. cap. 9. Solinum cap. 45. Plutarchum de induſtria anim. Pieriū; Hieroglyph. lib. 17. Quamobrem Ouidius & Callimachus ſuos æmulos & obtrectatores hoc nomine inſignes eſſe voluerunt, vt mox ſubiiciam.

III. *Clyſter.*

CLYSTERE velut] Clyſter Græcis *κλυςὴρ, κλυσμὸς, κλύσμα, ἔγκλυσμα*, & *κλυςήριον*, à verbo *κλύζειν*. quod eſt *abluere*, etſi in genere omne medicamenti genus ſignificet, quod liquidum in partem aliquā infunditur: tamen in ſpecie plerunq; accipitur ſolùm pro medicamento, quod per anum in inteſtina iniicitur: vnde etiam *ἔνημα* dicitur. Huius autem medicamenti vſum hominibus oſtendiſſe ibin, refert Plinius lib. 8. cap. 27.

Ibis] De Ibide lege quæ ſcribit Plutarchus Comment. Vtrum plus rationis inſit terreſtribus animantibus quàm aquatilibus; Strabo lib. 17. *ἡμερώτατον δὲ ἡ ἶβις, πελαργώδης μὲν κατὰ σχῆμα καὶ μέγεθος, διττὴ δὲ τὴν χροίαν. ἡ μὲν πελαργώδης, ἡ δὲ ὅλη μέλαινα, μεστὴ δ᾽ αὐτῶν ἅπασα τρίοδος ἐν Ἀλεξανδρείᾳ.*

Ibes peculiares Ægypto.

Niliacis cognita] in Ægypto nota. Ariſtot. 9. hiſtor. anim. Sunt verò ibes tam propriæ & peculiares Ægypto, vt extra eam regionem viuere non poſſint, aſportatæq; ocyſſimè moriantur. Hinc ibes hieroglyphicè Ægyptū ſignificare ſcribit Pierius 17. Hieroglyph. De Nilo porrò, qui mira

Nilus.

ferocitate vniuerſam Ægyptum beat alluuione fœcunda; habes multa apud Pōp. Melam lib. 1. cap. 9.

Tranſiit opprobrij in nomen] tranſlata eſt in probroſam appellationem ſordidorum & obſcœnorum. Videtur autem Alciatus velle facere nouum adagium, & meritò. Nam Ibides poſſumus vocare ſordidos, propter auis huius naturam, quandoquidem ſic vocauit Ouidius hoſtē ſuum, in quem ſcripſit Ibin: & Callimachus carmen maledicum ſcripſit in Apollonium, qui Argonautas celebrauit, quam tecto nomine appellat Ibin, vt ait Suidas.

Ouidius in Ibin.

Quo Publius hoſtem Naſo &c.] Ouidius Callimachum imitatus, aduerſarium quendam ſuum Ibim appellauit, quòd virum Romanum mentiretur: vel quòd exulantis Ouidii vxorem turpi amore tactus ſollicitarit: multaq; ad Auguſtum deferret, quo diutius in exilio Poeta detineretur. Itaque doctum emiſit Poemation in Ibim Naſo, in quo non expreſſit maledici nomē, ſiue quòd inultus maledicat, & prouocatus regerat in eum conuicia; ſiue quòd aliquem nominatim carpere, & ita verbis proſcindere lege prohibitum eſſet. Ouidius eodem opuſculo in Ibim:

Nūc quo Battiades inimicū deuouet Ibim:
Hoc ego deuoueo teq; tuosq; modo.

Callimachus.

Battiadesq;] Callimachum intelligit, Poetam elegiacum Cyrenæum, diſcipulū Hermocratis Iaſei Grammatici. Hic Apollonium Rhodium, qui ſe ingratum diſcipulum præbuerat, diris imprecationibus deuouit, eumq; per contemptum Ibim nominauit, quaſi auem Ægyptiam & Alexandrinam, ſiue quòd Alexandrinus eſſet, quamuis Rhodius diceretur; ſiue quòd ſpurciſſimus & impudentiſſimus. Dicitur

Cur Battiades dictus.

autem Battiades, aut quia originem traxit à Batto rege Cyrenenſium, qui alio nomine dicitur Ariſtæus: aut quia Cyrenæi omnes à Batto gaudebant denominari, ſicut Cecropidæ à Cecrope Nam Battus, vt ait Pindarus in Pythijs Ode 4. rex fuit inclitus & probus; quamq; charus fuerit Cyrenæis, aperit Ariſtophanes in Pluto. Vide prouerb. *Batti Silphion*. Suidas Callimachum Batti filium & Meſatmæ facit, qui etiam huius poematis meminit his verbis: *ἶβις*, inquit, *ἐςὶ ποίημα ἐπιτηδευόμενον εἰς ἀσάφειαν καὶ λοιδορίαν εἴς τινα ἶβιν γενόμενον ἐχθρὸν τοῦ Καλλιμάχου. ἦν δ᾽ οὗτος Ἀπολλώνιος ὁ γράψας τὰ ἀργοναυτικά.* Ac Apollonius non tam doctori ſuo, quam patriæ ingratus, meritò nomen id ſortitus eſt, præcipuè cùm per ignominiā vocabulum ſpurciſſimæ volucris, qua refertiſſima patria fuit, quam tum auerſabatur, ferre coactus eſſet. Ouidius lib. 4. Amor. eleg. 15. ſic laudat Callimachum:

IV. *Homines impuri et ſordidi.*

Battiades toto ſemper cantabitur orbe.

IBIS dicitur in putidos & ſorditie quadam

dam inſignes, vt qui turpia, & quę alioqui ſilentij fidem requirunt, eructantes aperiunt, & quę natura prouida voluit eſſe tecta, detegunt euulgantq; ſicq; interdum loquuntur, vt, quod vulgo dici ſolet, podicem ex ore faciant. Hos itaq; non ab re Ibides dixeris, id eſt, ſordidos & ineptulos; indignos, inquam, qui in hominum albo numerentur, perſpecto auis ingenio. Hæc enim (vt diximus) roſtri aduncitate ſe per eam purgat partem, id eſt, aluum, qua reddi ciborum onera maximè eſt ſalubre. De panthera ferunt, eam tam auidam eſſe excrementorum hominis, vt ſi in vaſe ſuſpendantur altius quàm poſſit attingere, enecet ſeſe defatigati porrectu corporis: Ita nonnullis, quod eſt fœdiſſimum, id dulciſſimum eſt. Vide prouerbium, *Oſcè loqui*.

In diuites publico malo.

EMBLEMA LXXXIX.



ANGVILLAS quisquis captat, ſi limpida verrat
Flumina, ſi illimes auſit adire lacus,
Caſſus erit, luderq; operam: multum excitet ergo
Si creta, & vitreas palmula turbet aquas,
Diues erit: Sic ijs res publica turbida lucro eſt,
Qui pace, arctati legibus, eſuriunt.

COM-

COMMENTARII.

I. DVo piſcatores in aqua ſtagnante piſces venantur: alter quidem pertica, aquam turbare videtur, alter ex aqua turbulenta captam anguillam extrahit.

II. *Fons Emblematis.* ID videtur ſumptum ex apologo quodam Aeſopico, de piſcatore aquam verberante, vt fugientes piſces incautè in retia prolaberentur. Quam aquarum turbationem cùm culparet aliquis, ſtatim huic piſcator: At niſi, ait, ſic moueatur vnda, me mori eſurientem eſt neceſſe. Proinde vulgato Adagio ij dicuntur anguillas captare, qui priuati quæſtus gratia tumultus concitant, cum videant publico Reipubl. ſtatu nihil ſe poſſe corradere. *Anguillas qui dicantur captare.* Itaque non mirum, ſi ſeditiones enatas eſſe gaudeant, vel etiam excitent, quò publicum ciuitatis malum in ſuum vertant commodum. Prouerbii vſum ex Ariſtophanis verbis in Equitibus colligere erit facile.

Ὅπερ γὰρ οἱ τὰς ἐγχέλεις θηρώμενοι πέπονθας,
Ὅταν μὲν ἡ λίμνη καταστῇ, λαμβάνουσιν οὐδέν·
Ἐὰν δ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω τὸν βόρβορον κυκῶσιν
Αἱροῦσι. καὶ σὺ λαμβάνεις, ἢν τὴν πόλιν ταράττῃς.

Feciſti, vt is qui captat anguillas, facit;
Quieta cùm ſunt ſtagna, venatur nihil:
Sed cœnum vbi omne illac & hac ſubuerterit,
Captura magna eſt: tu quoq; vbi perturbaueris
Hanc ciuitatem, & inde plurimum capis.

Vide adagium, *Anguillas captare.* & Pierium, Hieroglyph. 29.

III. *ANGVILLAS*] De anguilla diximus ſupra Embl. 21.

Si limpida verrat Flumina] ſi in aqua pura & lucente piſcetur. Virg. 6. Aeneid.

——Remis vada liuida verrunt.

Illimes lacus] ſine limo. Ouidius 3. Metamorph.

Fons erat illimis, nitidis argenteus vndis.

Caſſus erit, ludetq; operam] id eſt, ſpe excidet, nihil capiet, fruſtra ſe laboraſſe ſentiet. Prouerbiales metaphoræ.

Multum excitet ergo Si creta] Si multũ arenæ vel ſabuli, aut cœni limiue excitarit.

Palmula. *Palmula.*] Remi extrema pars, ſic dicta eò quòd protenſa eſt in modum palmæ. Virg. 5. Aeneid.

Litus ara, & læuas ſtringat ſine palmula cautes.

Vitreas aquas.] Per ſimilitudinẽ vitreę dicuntur aquæ, cùm ſunt quietæ, nec turbatæ Statius 5. Siluarum. *Aqua vitrea.*

——Vitreaſq; natatu
Plaudit aquas.

Turbet] Ariſtoteles lib. 8. de nat. animal. cap. 2. Anguillæ, inquit, paucæ quædam, certiſq; locis veſcuntur limo atq; edulijs, ſi quis apponat. Sed plurimæ dulci humore viuunt, idque qui viuariis anguillariis dant operam, obſeruant, vt quàm maximè pura ſinceraq; ſit aqua, fluens ſemper, & effluens per ripas, vbi viuaria extruũtur. Nam niſi aqua ſit clara, breui ſtrangulatæ intereunt, branchias enim habent exiguas. Hinc turbare aquas ſoliti ſunt, qui eas piſcantur. Hæc Ariſtot. *Anguillarum natura.*

Diues erit] ditabitur ex copioſa captura.

Sic ijs res publica &c.] Similitudo erat, cuius hic eſt *ἀπόδοσις*.

Turbida] tempore tumultus aut belli.

Pace] tempore pacis.

Arctati legibus] coacti, retentique iugo legum ciuilium. Elegans metaphora à vinculis aut compedibus, quibus illigati ſontes retinentur. Lex, teſte Cicerone, vinculum eſt ciuitatis, libertatis fundamentum, fons æquitatis, &c. Nec ſanè aliunde magis floret Reſpublicæ, quàm cùm legum viget auctoritas: quæ inſtitutæ ſunt præcipuè, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; ſit inter improbos innocentia, tradit Iſidorus auctor non omninò malus. *Lex cur primùm lata.* Huc pertinet quod alicubi dictum eſt à Demoſthene: οὐδὲν ὄφελος πόλεως, ἥτις μὴ νεῦρα ἐπὶ τοὺς ἀδικοῦντας ἔχει. *Nulla vtilitas ciuitatis, quæ nõ habet neruos in iniurioſos.* Legis virtus eſt imperare, vetare, permittere, punire, ait Modeſtinus. Seneca 95. epiſt. appellat leges minis mixta præcepta. conſtituuntur itaq; leges pœna. Ergo punit lex ea etiam interdicto, quæ non ſponte admittuntur flagitia, ſed culpa aliqua atq; ignorantia: vt lex Aquilia culpam in damno dato vel leuiſſimam, l. 31 Si putator, l. 44. ad l. Aquil. ff. Sed ad rem: leges conſtringunt improbos, alioſq; in officio continent Repub. quieta, nulloque

que

que tentata tumultu. Sic M. Tull. pro Sextio: Illum tot iam funeribus Reipub. exultantem ac tripudiantem, legum, ſi poſſet, laqueis conſtringeret. Rebus enim perturbatis ſcelerati homines ſibi pollicentur impunitatem, qua nulla maior ad peccādum illecebra. Proinde apud Suetonium, Iulius Cæſar dictitabat, iis, quos grauior criminũ vel inopiæ luxuriæve vis vrgeret, bello ciuili opus eſſe. Cum ſuperioribus iſthæc adiungo: arctatos legibus pro iis, qui legũ nexibus, & quaſi iugo continentur. Nam & iugum, legum ſymbolum fuiſſe interpretes quidam rerum ſacrarum docent. Rectè apud Virgil. in 1. Aeneid.

Iugũ pro legũ ſymbolo.

—— Legesq; viris & mœnia ponet.

Qui enim legibus parent, ſimilitudine quadam colla ſubdere iugo videntur: vt ſubire iugum inferiores, qui potentiorum parent imperiis.

IV. *Piſcari anguillas quid.*

Per piſcationem anguillarum manifeſtè deſignatur illud, quod dicitur: *ὅτι καὶ τῶν πόλεων δημαγωγοὶ τότε μάλιστα ἐργάζονται, ὅταν τὰς πατρίδας εἰς στάσιν περιάγωσιν: eos nempè qui Rerũpub. clauum tenent, tum vel maximè quaſtum facere, cum patria, ſua opera, laborat ſeditione.* Eſt certè quoddam hominum genus, quod non niſi malo publico ſaginatur, & cui rebus tranquillis malè eſt. Hi nihil magis affectant quàm vt res mortalium ſurſum deorſum miſceantur. M. Tull. pro Amerino: Is mihi propriè & ſolus honos videtur, quem ſis neq; maiorum commendatione, neq; per alterius calamitatem aſſecutus. Lucanus lib. 1. belli ciuilis:

Hinc vſura vorax, auidumque in fœnore tempus.
Et concuſſa fides, & multis vtile bellum.

Eo de genere præfecti fiſco, ærarii quæſtores, depeculatores, & qui annonam vexāt, æruſcatores, dardanarij, hirudines nunquam ſaturæ, qui ſpiritum ac ſanguinem populi auido ore ſitiunt, nedum fortunas expilant: & quibus licet eſſe beatis, quia eorum fraudibus quidam viri principes vix nunquam ferè deſinant. Querimur, eiulamur, lamentamur, ſed quis Calais vel Zethes harpyias famelicas abigit? quis magiſtratus intercedit? quis gratioſus noxas volitantes auerruncat? Imò ſi quis ſeſe fortè offerat, ſuſpectas habemus querentum lacrymas, vota inceſſimus ſpoliatorũ. Qui nec mala noſtra, nec etiam remedia pati poſſumus: prædari, depeculari, aliena diripere putamus eſſe licitum, quia ſolemne eſt fieri; & ad id vitę genus per omnes prouincias comparatæ ſunt hominum myriades, quibus nihil aliud penſi, quàm vt ſuos compilent populares, miſeros nonnunquam & egentes, & quibus pręter miſeram animam nihil eſt reliqui. Verùm

Hæc fierent, ſi virtutis vena vlla paternæ
Viueret in nobis? vnde iſtud dedecus.

Hanc artem (heu nimium) callēt quidam Principes *δημοβόροι*, qui tyrannico concilio in ciuitatibus diſſidia ſerunt, quò licentius mulctent miſeram plebeculam. Notiſſimum eſt quod iactitant magni illi latrones à laqueo immunes, nihil eſſe vtilius & opportunius, quàm in aqua turbida piſcari. Sic viuitur: ea eſt morum deprauatio atq; hominum peruerſitas, vt qui ipſi ſæpenumerò legum ſacra tractant, aut certè quibus vt cuſtodibus aſſeruanda & tuenda concreduntur, ipſimet legum ſolutis & perfractis repagulis victitent. Memini quę aliquando Marius apertè liberęque faſſus eſt: Bello enim contra Cimbros geſto, cùm mille Camertes ciuitate donaſſet, idq; quibuſdam reprehenderetur, vt à legibus patrijs alienum, ſtatim ait, ſe inter armorum ſtrepitus legum præſcriptum & quaſi vocem audire minimè potuiſſe.

Principũ quorundam rapina.

In auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur.

EMBLEMA XC.



DELPHINI inſidens vada cærula ſulcat Arion,
Hocq; aures mulcet, frænat & ora ſono.
Quàm ſit auari hominis, non tam mens dira ferarum eſt:
Quiq; viris rapimur, piſcibus eripimur.

COMMENTARII.

I. EX naui perfidi nautæ Arionem citharœdum deijciunt vnà cùm cithara; ſed hunc Delphinus exceptum ſuis præſtolatur. E longinquo verò illius tergo inſidens citharam pulſat Arion, & ad portum hoc vectore enatat. *Delphinus.* Delphini ſunt piſces hominum amatores; linguam habent contra naturam aquatilium, mobilem, breuem & latam, non differentem à ſuilla. Arte muſica mulcentur; pro voce gemitum edunt humano ſimilem. Dorſum habent repandum & roſtrum ſimum, vnde & Simonis nomine gaudent. Obuiam nauigijs veniunt, alludunt etiam, & quæſitis plena prætereunt vela: nullum eſt animal quod celeritate nõ excellant.

II. *Fons Emblematis.* ID extulit è Græco *Βιάνορος* hexaſticho, quod eſt 1. Epigr. ſic autem:
φῶρες ὅτ' εἰνάλιοι τυρσηνίδος † ἐγγύθι *† ἀγχόθι.*
δίνης

φορμικτὰν ἀκάτου θῆκαν ὑπερβύθιον.
Αὐτίκα μὲν κιθάρῃ λιγυηχεῖ δέξατο δελφὶν
Σύνθρονον. ἐκ δὲ βυθοῦ νήχεθ' ἱλισσόμενος,
Μέχρις ἐπ' ἰσθμὸν ἔκελσε κορίνθιον. ἠϊα θάλασσα
Ἰχθῦς ἀνθρώπων εἶχε δικαιοτέρους.

Ad verbum ſic ſonat:

Fures quando marini Tyrrhenum prope verticem
Citharœdum de naui poſuerunt gurgite mergendum,
Statim eum cum cithara arguta ſuſcepit delphin
Seſſorem: ex profundo autem enatauit emergens:
Vſq; ad Iſthmum appulit Corinthium Certè mare
Piſces hominibus habuit tum æquiores.

Sic autem reddidit Minos:

Præcipitem è naui citharœdum aliquando latrones
In vaſtum pelagi fortè dedere fretum;
Protinus in medijs delphin apparuit vndis,
Illicio grata dulciſonaq; chelys:
Seſſoremq; iſthmũ deuexit aduſq; Corinthi,
Fluctibus & medijs reddidit incolumẽ.
Hinc patet indomito meliores æquore naſci
Piſces, quã tellus gignat alumna viros.

Extat & aliud eiuſdem Bianori lib. 4. Epigram. *εἰς εἰκόνα Ἀρίονος τοῦ κιθαρῳδοῦ*, quod tale eſt:

ἔστησεν Περίανδρος Ἀρίονος εἰκόνα ταύτην,
καὶ τὸν ἀπολλυμένῳ σύνδρομα νηξάμενον
εἰνάλιον δελφῖνα. λέγει δ' ἐπ' Ἀρίονι μῦθος,
Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

Quod ſic ferè ad verbum vertit Sãctius:

Conſtituit Periander Arionis icona talem,
Expertum vt hominẽ piſce vehi videas,
Delphin piſcis erat. quid Arionis indicat icon?
Nos piſces ſeruant, interimũt homines.

Ferè idem cecinit Fauſtus Sabæus:

Erexit ſtatuam Periander Arionis, & qui
Æquora ſulcanti tergora curua dedit,
Delphini monſtrat placidi pia fabula, quantum
Exuperent homines impietate feras.

Hiſtoriam, ſeu (ſi mauis) fabulam copioſè tractauit Herodotus lib. 1. qui inſcribitur Clio, & poſt eum eleganter A. Gellius lib. 16. cap. 19. item C. Iulius Higinus in poetico aſtronomico, cum loquitur de Delphino, & Plinius lib. 9. cap. 8. Plutarchus in conuiuio ſeptem Sapientum. Ea autem ſic habet: Arion citharœdus excellentiſſimus, arte ſua pecunijs multis partis cùm patriam repeteret Corinthum, in piratas incidit, qui nummorum cauſſa conſilium ceperunt de eo interficiendo. Quod vbi animaduertiſſet, impetrata ab eis venia fidibus cecinit; tum ſtatim è prora ſeſe in profundum deiecit: quem ſubitò à delphino exceptum, & dorſo Corinthum vſq; vectum aiunt. Sed cur non apponimus huc Ouidij carmina ex 2. Faſtor. ipſa venuſtate venuſtiora? *Arionis citharœdi à Delphino ſeruati hiſtoria.*

Quod mare non nouit? quæ neſcit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe ſequẽs agnã lupus eſt à voce retentus:
Sæpe auidum fugiens reſtitit agna lupũ.
Sæpe canes leporeſq; una iacuere ſub umbra:
Et ſtetit in ſaxo proxima cerua leæ.
Et ſine lite loquax cũ Palladis alite cornix
Sedit, & accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia ſæpe tuis fertur vocalis Arion,
Tanquam fraternis obſtupuiſſe modis.
Nomen Arioniũ Siculas impleuerat vrbes,
Captaq; erat lyricis Auſonis ora ſonis.
Inde domum repetens puppim conſcendit Arion,
Atq; ita quæſitas arte ferebat opes.
Forſitan infelix ventos, vndaſq; timebas;
At tibi naue tua tutius æquor erat.
Namq; gubernator diſtricto conſtitit enſe,
Cæteraq; armata conſcia turba manu.
Quid tibi cum gladio? dubiam rege nauita puppim,
Non ſunt hæc digitis arma terenda tuis.
Ille metu pauidus, mortẽ non deprecor, inquit,
Sed liceat ſumpta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram: capit ille coronam,
Quæ poſſet crines, Phœbe, decere tuos.
Induit & Tyrio diſtinctam murice pallã;
Reddidit icta ſuos pollice chorda ſonos.
Flebilibus numeris veluti canentia dura
Traiectus penna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus deſilit vndas,
Spargitur impulſa cærula puppis aqua.
Inde (fide maius) tergo delphina recuruo
Se memorant oneri ſuppoſuiſſe nouo.

Ille

Ille ſedet, citharāq; tenet, pretiūq; vehendi
Cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas,
Dij pia facta vident: aſtris delphina recepit
Iupiter, & ſtellas iuſſit habere nouem.

Alluſit ad hanc hiſtoriam Propertius, elegia 2. ad Cynthiam, de ſomnio naufragij:

Sed tibi ſubſidio delphinum currere vidi,
Qui puto Arioniam vexerat antè ratem.

Habetur venuſtum & elegans octoſtichon Philippi lib. 1. Epigram. Græcorum, vbi philomela gloriatur ſe vectam eſſe delphino; quo facto colligit fabulam de Arione non fuiſſe vanam nec fictitiam. Quod ſi propter Græcæ compoſitionis leporem ap poſuero, nihil me peccaturum arbitror.

Epigramma de delphino philomela vectore.

μεμφομένη βορέην, ἐπεπωτάμην ὑπὲρ ἅλμης.
πνεῖ γὰρ ἐμοὶ Θρήκης ἤπιος οὐδ' ἄνεμος.
ἀλλά με τὴν μελίγηρυν ἀηδόνα, δέξατο νώτοις
δελφὶν, καὶ πτηνὴν πόντιος ἠνιόχει.
πιστοτάτῳ δ' ἐρέτῃ πορθμευομένη, τὸν ἄκαμπτον
ναύτην τῷ στόματος θέλγον ἐγὼ κιθάρῃ.
εἰρεσίην δελφῖνες ἀεὶ μούσῃσιν ἄμισθον
ἤνυσαν. οὐ ψεύστης μῦθος Ἀριόνιος.

Cuius epigrammatis ſenſum ſic vertere conabatur Sanctius:

Præpetibus pennis vento bacchante ferebar
Per mare Biſtonio, qui mihi ſæuus erat.
Sed me dulciſonam ſuſcepit aedona curuo
Pontinagus delphin corpore, piſcis auē.
Qua fido tranans ſpacioſum in remige pontum,
Mulcebam varijs corda marina ſonis.
Delphini Muſas (naulo ſine) ſæpe tulerūt:
Nam neq; Arionia fabula falſa fuit.

Porrò de delphini natura, & eius in hominem amore teſtatur Gellius lib. 7. cap. 8. & Plinius lib. 9. cap. 8. hic refert de delphino, qui è pauperis cuiuſdam pueri, ex Baiano Puteolos in ludum literarium itantis manu paſtus, dorſum præbebat aſcenſuro, pinnæ aculeos velut vagina condens: receptumq; Puteolos per magnum æquor in ludum ferebat, ſimili modo reuehens pluribus annis: donec morbo extincto puero, ſubinde ad conſuetum locum ventitans, triſtis & mœrenti ſimilis, ipſe quoq; (quod nemo dubitaret) expirauit. Leonicus quoque de var. hiſtor. lib. 1. cap. 53. ex Pauſania refert, ſe vidiſſe delphinum à puero vocatum, ſubitò aduentare ſolitum, illumq; dorſo acceptum, leniter per mare ferre conſuetum, collati in ſe beneficij memor: de quo ille. Quamobrem, inquit, vera eſſe illa, quæ de citharœdo Arione Herodotus, Plinius, & plerique alij referunt, haud magna cum re credi poteſt. Enalum etiam adoleſcentem in mari à Delphinis ſeruatum, eodem penè quo Ariona modo, retulit in Sympoſio ſeptem ſapientum Plutarch. Itidem narratur de Telemacho puerulo; qui cùm fortè in mare decidiſſet, excipientibus Delphinis, ab imoq; retrahentibus, euaſit. Ait idem Plutarch. ad finem diſputationis, qua inquirit, An ſit aliquid in brutis rationis. Sed hęc pluſquam ſatis. De Arione conſule etiam Mythólog. Nat. Comitis lib. 8. cap. 14.

Delphin puerū ad ludum ferens.

Delphinus à puero vocatus paruit.

III. **DELPHINI** *inſident*] Delphin piſcis marinus, celerrimus & φιλάνθρωπος. Delphinum muſicum ſignum ideo dici (vt & hoc addam) Arati interpres ſcribit, quod nouem ſtellis inſignitus ſit, vt teſtatur Ouid. Faſtor. 2. qui eſt Muſarum numerus.

Delphinus cur ſignum muſicū.

Vada cœrula] mare cœruleum. Vadum non rarò pro mari ponitur apud Poetas. Catull. Argonaut.

Auſi ſunt vada ſalſa cita decurrere puppi.

Et Virgil. 7 Aeneid.

Litus ad Auſoniū tot per vada cœrula vexit.

Vadū pro mari.

Sulcat] μεταφορὰ ab aratoribus, pro eo quod eſt, ſecat, proſcindit, tranſgreditur. Hac quoq; tranſlatione vſi ſunt Virgil. 5. Aeneid. Ouid. 1. de Ponto, & alij.

Hocq; ſono] lyræ ſuæ modulis. Hunc verſum aliqui ſic legunt:

Et cithara mulcet, frænat & ora ſono.

Aures mulcet] delphini. Virgil. 1. Aeneid. dixit:

Et mulcere dedit fluctus, & tollere vētos.

Paccuuius, *mulcere laudibus*, pro mollire ſeu lenire, vt vult Feſtus. Ouid. 4. Triſt.

Mulcere.

Paſtor arundineo carmine mulcet oues.

Frænat & ora] tranſlatio in verbo *frænat*, ab equis ſumpta, pro eo, quod eſt, retinet, ſiſtit, regit.

Viris rapimur, piſcibus eripimur.] Id paulò antè carmen Græcum expreſſit.

Ἦ ῥα θάλασσα
Ἰχθῦς ἀνθρώπων εἶχε δικαιοτέρους.

Item eiuſdem argumenti ex 4. Ἀνθολογ. Epigramma ſupra adductum, cuius concluſio eadem cum Alciati verſu vltimo:

Κτεινόμεθ' ἀνθρώποις, ἰχθύσι σωζόμεθα.

Cui cōuenit Ouid. illud ex 1. Triſt. eleg. 4.

Mare mitius hominibus. *Cumq; minor Ioue ſit, tumidis qui regnat in vndis,*
Illum Neptuni, me Iouis ira premit.

Non abſimile huic Corn. Tacitus 3. Hiſtor dixit: Valenti mare tutius quàm litora & vrbes. Rapimur autem, hoc eſt, opprimimur, lædimur, de medio tollimur: rapere enim ad vim pertinet. Eripimur, liberamur, ſeruamur. Virgil. 6. Æneid.

Eripe me his inuicte malis.

IV. *Auaritia quanta pernicies.* ARIONIS fabula non iniuria flectitur in crudelem & inſatiabilem hominum auaritiam, qui in vitam aliorum non verentur cōſpirare, quò bonis eorum & opibus potiri quoquo modo queant. Hincq; admonemur, mitiores eſſe feras in hominem, quàm ipſe homo in hominem ſit. Hinc nō immeritò Virgilius 3. Æneid. exclamat:

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Quid verò ſceleſtius aut deterius ea cupiditate habendi, quæ non modò ſui facit immemorem, ſed etiam ſibi & alijs exitialem? Eam itaque rectè Menander appellat *μέγιστον ἀνθρώποις κακόν. Maximum hominibus malum*. Euripides veriſſimè,

ὅςις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
ὐδὲν φρονεῖν δίκαιον, ὐδὲ βέλεται,
φίλοις τ' ἄμικτος ἐςὶ καὶ πάσῃ πόλει.

Quiſquis ambitioſum & auarum ingenium habet,
Nihil ſapit iuſtè, neq; vult,
Difficiliſq; amicis eſt, & toti ciuitati.

Ambire quē vides, auarum & viuere,
Is nec ſapit, nec ſapere vult prorſus ſibi;
Imò eſt amicis & moleſtus ciuibus.

& Bion Sophiſta optimè *τὴν φιλαργυρίαν μητρόπολιν πάσης κακίας εἶναι* cēſuit. *nempe auaritiam eſſe metropolin omnium vitiorum.* Cur autem ſummum malum à *Auaritia ſummum malum.* quibuſdam dicatur auaritia, in promptu ratio eſt, quòd ea vix vnquam ſola eſſe queat: quippè cùm perpetuas habeat ſibi comites rapinam, periurium, mendacium, proditionem, atq; etiam parricidium, quod exemplis longè multis perſpicuum eſſe poteſt: ſed vnum ad rem præſentem ſatis erit, quod ex Ariſtotele protulit Ariſtonymus: Socios octo latrones de ſpolijs inter ſe concertaſſe, ex quibus quatuor ſunt interfecti: deinde quatuor alios rurſum eo nomine dimicaſſe: vnde factum vt duo tantùm fuerint ſuperſtites, qui etiam cùm rixandi finem non facerent, vnus ex omnibus ad extremum incolumis euaſit. Sed quid reliqui tandem futurum, ſi etiam dextra in ſiniſtram armetur? Hæc ille. Cicero pro Quintio: Nullum eſt officium tam ſanctum atq; ſolemne, quod non auaritia comminuere atq; violare ſoleat. Et quidē ſtatim omnis iuſtitia negligitur, & aliena per iniuriam occupantur, cùm pectus auaritia, miſeraque cupidine feruet, ait Horatius. Perplacet illud Iuuenalis, deauaritia:

Inde fere ſcelerū cauſſæ, nec plura venena
Miſcuit, aut ferro graſſatur ſæpius vllum
Humanæ mentis vitium, quā ſæua cupido
Indomiti cenſus: nam diues qui fieri vult,
Et citò vult fieri: ſed quæ cuſtodia legum?

Id flecti verè poteſt ad exēpla miſeræ proſcriptionis, non certè Syllanæ, vel triumviralis, ſed Gallicanæ iam toties vſurpatæ, non in citharœdos (quibus facilè careremus) ſed in homines vitæ inculpatæ, ſobrios, non rebelles, non reprobos, quietos, qui minimè belligeri, imò ab omni dimicandi alieni inſania, & in eadem quaſi veſtinaue publico & nefario tumultu, inſontes pereunt, aut extorres facti patria carere coacti ſunt. Et quis non vidit viros bonos, certeque laudatos penè omnes extorres factos diu exulaſſe, aut in exteris regionibus mortuos, nec alio nomine à ſuis pulſos, quàm quòd inſigniter improbi nō eſſent, aut factionem nullam alerent? Et quidem certò ſcimus idem contigiſſe quibuſdam noſtris vrbibus, atq; Mileſiorum ciuitati, apud quos nemini eſſe bono licebat. Sed deſiſto iā, vt ſuccurrat illud Tibulli eleg. 3. lib. 2.

Præda feras acies auxit diſcordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorq; venit.
Præda vago iuſſit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubijs roſtra dedit ratibus.

Certè propter duo Pronomina, *meum & tuum*, ſubiude homini imminet periculum inde, vnde minimè oportet, ab homine ſcilicet: nam homo homini lupus. Nullum *Homo homini lupus.* malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Tempeſtas minatur antequam ſurgat, crepant ædificia antequam corruant, prænunciat fumus incendium: ex ſolo homine ſubita pernicies, & eò diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras, ſi iſtorum, qui occurrunt, vultibus credis; hominis multi effigiem habent, animos ferarum. Nihil illas ad nocendum, niſi ne-

ceſſitas incitat, fame aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem quouis tempore libet. Sic Iudæi apud Ioſeph. Antiq. lib. 17. cap. 17. conqueruntur de Herode, quod plura mala ab eo ſint paſſi, quàm ab vlla beſtia ipſis infligi potuiſſet. Sed ceſſo, & me ab Auaritia ad Gulam confero, à barathro ad voraginem.

Gula.

EMBLEMA XCI.



CVRCVLIONE gruis, tumida vir pingitur aluo,
Qui Laron, aut manibus geſtat Onocrotalum:
Talis forma fuit Dionyſi, & talis Apici,
Et gula quos celebres delicioſa facit.

COMMENTARII.

I. IVXTA menſam cibedijs & vinis inſtructam ſtatuatur homo collo gruino (vnde vellem huic iconi collum longius protrahi) ventre ſeſquipede prominente, qui vna manu larum, altera onocrotalum, aues voraciſſimas, geſtet. De his in progreſſu. Sed longè venuſtior meo iudicio appareret pictura Rouilliana, habet enim collum longiſſimum, & capaciorem ventrem, Bacchi ſepulchrum diceres.

ARISTOTELIS 3. Moral. cap. 10. ad Nicomachum ſic ait: Itaq; Philoxenus quidam Erixius, cum epularum voluptate duceretur, collum ſibi dari gruis lõgius II. *Philoxenus.*

 optabat,

optabat, quod ex tactu caperet voluptatē. Præſenti ergo eicone depinguntur lurcones & guloſi ſeu helluones, quorum illis tribuit gruis collum, vt ſibi dari poſtulabat Philoxenus: his, vel (etiam ſi mauis) vtriſq; ventrem maximè prominentem. Expreſſit autem veneris hæc gulæq; mancipia, duarum auium maximè furacium, & gulæ deditarum imagine. Larus enim edaciſſimus eſt, qui, quòd totam eſcam ore deuoret, locum fecit prouerbio. *Larus hians.* Auicula eſt è mari victum quæritans aut lacubus, quæ Gauia Latinis dicitur. Hunc Matron, quidam parodus, Chærephontem paraſitum comparauit famelico laro, eo quòd voraciſſimus eſſet helluo. Πεινῶντι λάρῳ ὄρνιθι ἐοικώς. Onocrotalus autem olorum ſimilitudinem habet: nec omninò differre viderentur Onocrotali & olores, niſi faucibus ipſis ineſſet alterius vteri genus. Huc enim inexplebile animal congerit, mira vt ſit rapacitas; mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita, in veram aluum ruminantis modo refert. Plin. c. 47. lib. 10. Et hæc belliſſima guloſorum inſignia. Melanthij Poetæ tragici ὀψοφάγου inſignis votum fuiſſe traditur, vt collum olorinum optaret, quo diutius dapum ſenſu frueretur: vt etiam eius, quem ſuperiùs attigi, qui ſibi à Dijs volebat impartiri τριῶν ἔχειν τὸν λάρυγγα πηχῶν. i. guttur tres longum cubitos, cuius eſt mentio apud Gellium 19 c. 2.

Guloſorū imago. *Larus.* *Onocrotalus.* *Melanthius.*

III. *Curculio.*

CVRCVLIONE grus] Gruis collo. Videtur ex proprio feciſſe appellatiuum: eſt enim curculio, vermis edaciſſimus, quaſi gurgulio ſic dictus, & frumenti ſortitus vocabulum; quo nomine ſunt etiam notati pleriq; paraſiti, vt ex 2. Miſcellan. Nannij diſces. Varro 2. de re ruſt. cap. 3. etiam pro gula poſuit: Collo breui, curculione longiore. vbi de hircis loquitur. De gruibus conſule Plinium lib. 10. cap. 23. & quæ diximus Embl. 17.

Tumida vir pingitur aluo.] Id eſt, φύσκων, quaſi dicas ventroſum: quo epitheto notatus eſt Ptolemæus Euergetes, propter abdominis ſtudium. Vt Alcæus Pittacum Mitylenæum φύσκωνα καὶ γάστρωνα, quòd pinguem haberet aqualiculum, appellauit, teſte Laertio. Citatur ab Athenæo ex Euripide, ſicuti & à Galeno oratione ἐπὶ τὰς τέχνας.

γνάθοι τε δοῦλος νηδύος θ' ἡσσημένος.

Abdominis miniſter & ſeruus gulæ.

Huic conuenit Perſianum hoc Satyra 1.

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extet.

Id hominum genus vocantur προγάστορες Græcè, nempe queis pingui abdomine venter prominet.

Qui Laron] Larus auis eſt auida & vorax. Larum ſignificauit Virgilius in illis carminibus, quæ ſunt 4. Aeneidos:

Hic primùm paribus nitens Cyllenius alis
Conſtitit; hinc toto præceps ſe corpore ad vndas
Miſit aui ſimilis, quæ circum littora, circū
Piſcoſos ſcopulos humilis volat æquora iuxta.

Quæ carmina, vt inquit Petrus Nannius, ab Homero ſumpta ſunt, quod primus ipſe animaduertit. Homerica ſic vertit ille:

Pieria inſceſa ſe miſit ab æthere in vndas
Deinde laro ſimilis volitat iuxta æquora ſumma,
Qui maris indomiti ſinuoſa ad littora ſæpe
Captando piſces aſpergine tingitur vnda.

Poſteà ſubdit: Valde miror, cur Virgilius nomen auis omiſerit, & in genere quàm in ſpecie verſari maluerit, cum non ſine cauſa Homerus larum ex omnibus piſcatricibus auibus exemerit, cui Mercurium in volando ſimilem vellet. Eſt enim larus Mercurio dicatus, qui à loquacitate nomē inuenit: λάρος enim quaſi λάλος dictus. Deniq; hanc cauſam reddit: Larus Latinè ab alijs dicitur Fulica, in quibus eſt D. Auguſtinus: ab alijs Gauia, in quibus eſt Gaza: ab alijs Herodios, Ciconia, Ibis. Quare Virgilius, ne litem faceret, nomen auis omiſit. Hæc ille. Aliam cauſam affert Seruius in illo loco, quæ non diſplicet. Incongruū enim erat Heroico carmini, ſi Mergum diceret. Sic alibi per periphraſin ciconiam dixit:

Larus Mercurio ſacer.

Candida venit auis longis inuiſa colubris.

Hæc ille. De laro extant quædam prouerbia in Chiliad. Vt, *Larus hians. Larus parturit. Larus in paludibus.* Sunt qui hanc auem eandem cum Ceppho eſſe putent, prouerbio decepti, quod circumfertur, λάρος κέπφος: Sed laro longè aliud eſt ingenium quam Ceppho ſit: Cepphus enim ad cibū tenuia quæq; ſectatur, vt etiam ſpuma marina ſit contentus: larus verò inter voraciſſimas numeratur, omniuorumque animal eſſe fertur, vnde ſit à veteribus Herculi dicatus

Lari & Cepphi differentia.

catus

earus, quem helluonem maximum fuiſſe prędicant. Neq; temerè Ariſtophanes Ranis, Cleonem rempublicam omnem deuorãtem, *Laron* vocarit. Prętereà Heſychius Hieroſolymitanus, larum ait eſſe auem, quę tam in mari, quàm in terra verſetur, & vtriuſq; partis cibo, quem plurimum, & vndecunq; perquiſitum deuoret, enutriatur. Vide plura apud Pierium Hieroglyph. 23.

Geſtet Onocrotalum] Antonius Nebriſſ. multæ doctrinæ vir, Hiſpaniæ laus, in ſuis Quinquagenis, teſtatur ſe vidiſſe duos Onocrotalos: alterum mortuum in foro Bononienſi: alterum volantem ad Anæ fluminis ripam, qui æquiparabat mole ſua agnũ anniculum. Aſſcribam aliqua illius verba: Ingluuies, inquit, in onocrotalo mirum in modum eſt ampla, quippe quæ amphoræ menſuram, aut non multò minus capiat. De qua Martialis lib. 11.

Ingluuies onocrotali.

Turpe Rauennatu guttur Onocrotali.

Nam turpe guttur, pro magna ingluuie poſuit. Eſt porrò ingluuies, vt definit Ariſtoteles, cutis in amplum ſinuata, qua primùm cibus ingeſtus continetur incoctus &c. Hanc onocrotalus aqua explet, atque ore aperto piſciculis ſe obiectat, quos cum ſenſit deprehenſos intra ingluuiem, aquam per oris ſpiramenta euomit, atq; ita prędâ veſcitur. Croton Bononienſes (vt & Veneti) vocant. Interpretatur *aſinus crepitans*: quoniam ὄνος eſt *aſinus*, κροτάω, *crepito*; nomen impoſitum eſt à voce, quam auis illa edit, quam mihi audire non licuit. Hæc ille. Hanc auem Gallia Septentrionalis Oceano proxima mittit, teſte Plinio lib. 10. cap. 47.

Dionyſius rex.

Talis forma fuit Dionyſi] Dionyſius Clearchi, qui primus Heracliæ regnauit, filius, & ipſe patriæ imperans, ob nimias delicias, nimiasq; crapulationes, adeo pinguis effectus eſt, vt præ pinguedine vix ſpiraret, & penè ſuffocaretur. Quare ſtatuerunt Medici; vt acus oblongæ ac tenuiſſimæ fierent, quæ tunc lateribus ac ventri adigerentur, cum profundiſſimo ſomno teneretur: tũc enim excitabatur cum viuam carnem acus attingebant. Ius dicebat corpore arca ita condito, vt præter caput penitus nihil extaret. Quinq; & quinquaginta annos vixit, cum tres & triginta imperaſſet. Hæc Stephanus Niger in lib. de nimio luxu. Athenæus lib. 1. Dipnoſoph cap. 3.

Et talis Apici] Apici, pro Apicij: ſic Dionisi, pro Dionyſij, per apocopen figuram Poetis vſitatiſſimam. M. Apicius (quem Plinius vocat nepotum omnium altiſſimum gurgitem; & alibi, ad omne luxus ingenium ſolertẽ) nobilis fuit Romanus, valde guloſus, qui ampliſſimum Capitolij vectigal, & Principum congiaria comeſſationibus hauſit. Hic cum ſubductis rationibus ex ſextertio millies, quod in culinã congeſſerat, tantùm centies ſibi ſupereſſe cognouiſſet, famem metuens veneno vitam finiuit. In quem ſic luſit Martialis lib. 5. Epigram.

M. Apicius.

Dederas, Apici, bis trecenties ventri,
Sed adhuc ſupererat centies tibi laxum:
Hoc tu grauatus, ne fame & ſitim ferres,
Summa venenum potione duxiſti.
Nil eſt, Apici, tibi guloſius factum.

Libros de gulæ irritamentis conſcripſit, vt author eſt Suidas. Vide, ſi plura cupis, Senecam, de conſolatione ad Albinam matrem. Lucianum in Nigrino, Athenæum loco citato, Plinium lib. 9. cap. 17.

Et gula quot celebres &c.] Multos huius generis præter duos iam nominatos, ſi cupis legere, conſule Stephanum Nigrum de nimio luxu, Cœl. Rhodig. lib. 7. cap. 11. Officinã Textoris lib. 5. cap. 51. Talis fuit Gnatho Siculus, Publius Gallonius, qui ob gulam in prouerbium abijt. Aeſopus, Abron, Aſtydamas, quorum luxum & delicias ex veterum monumentis hinc inde colliges. Sed ab exemplis gulæ Clodius Albinus, & Phago minimè excludendi ſunt, quorum hic adeo guloſus, vt adhibitus mẽſæ Aureliani, aprum integrum, centum panes, vernecem & porcellum vno die comederit, biberitque orcam vini, teſte Flauio Vopiſco: ille quingentas ficus, centum Campana perſica, melones Oſtenſes decẽ, vuarum Labicanarum pondo viginti, ficedulas centum, oſtrea quadraginta vna cœna deuorarit.

PROPOSITO gulæ ectypo notantur ganeones, gulones, lurcones, gurgites, & voragines, quibus vt porcis anima pro ſale data eſt, quorum vita ſagina eſt: hos autem ventri mancipatos homines immundorum dæmonum vaſa fieri ſcribit Porphyrius. Idem dixit corpus pingue factum animam quoq; in eſuritionem cogere à vitæ prolap'am felici, redditam etiamnum corpoream: ad idq; quod diuerſum eſt, deflexam IV.

Guloſi.

flexam, vti ne primoribus quidem, quod aiunt, labris ſapientiam prægustet, ſed nec ſummis contingat digitis, nuſquam ad bonam ſeſe recipiens frugem, aut vix. Democrates ait, viuere impudenter, intemperatè, impiè, non tam malè viuere eſt, quam mori. Bœotios non alia magis ratione fatuos, pingues ac rudes, & ἀναισθήτους, id eſt, brutos ab Athenienſibus dici, quã propter ἀδηφαγίαν, id eſt, edẽdi inexplebilem auiditatem, teſtatur Plutarchus. Idem affirmat Philoxenum & Gnathonem Siculum (quorum iam meminimus) gulę proceres, imò verò extremos ac perditos homunciones, cupediuorosque infamari literis, quod conuiuijs adhibiti emungere ſe in paropſides ſiue pultaria ſoliti eſſent, vt abſtinentibus cæteris, ſoli epulis ampliter fruerentur, vel ad diſtenſionem obſarcirentur verius. Smindyrides Sybarita luxu & felicitate diffluens, annis plus minus viginti nec orientem ſe vidiſſe ſolem dicebat, nec occidentem. Epicuri, vt puto, hic ſocius extitit, qui dum palato quid ſit optimum iudicat, cœli palatium (vt Ennius dicebat) non ſuſpexit. Aſt hoc ipſum ſincerius tota ferè vita ſibi contigiſſe prædicabat Ponticus Heſtieus, dum eruditioni incumberet auidius. Huius nimirum animus fuerat in paginis & codicibus: illius verò nebulonis (hem, epulonis dicere volebam) in patinis & calicibus. cuius doctores, coctores; culpa, pulpa; pœna, cœna; codex, lodex; fabula, pabula; ſupellex, pellex; fiſcus, diſcus fuerant. Id genus hominum dum cogito, in mentem mihi venit Herculis Strozæ, verè nobilis poetæ in heluonem conſcriptum epigramma, quod ſic habet:

Bœotij cur rudes habiti.

Smindyrides Sybarita.

Sæpe bibis, quò ſæpe vomas, & ſæpe voracem
Diſtendas miſeri corporis ingluuiem.
Quin ſi fortè tenax ſtomacho cibus hæſerit, hunc vel
Dextra, vel in fauces indita penna ciet.
Tanquam ſis genitus perdenda ad vina, nec vlli
Te natura alij finxerit officio.
O dignum laqueo facinus: quodcunq; voratur,
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

Hanc in rem vide, quæ Ioſ. Quercetanus literis prodidit in ſuo Diætetico Polyhiſtorico Sect. 2. cap. 8. vbi de varijs cùm ſobrietatis, tum gulæ ebrietatisq; effectis eruditè diſſerit. Et quis dubitet, ventres iſtos commodiſſimè æquiparari poſſe inexplebili illi Danaidum dolio, quod inani quamuis labore repleturæ, vt cum Ouidio dicã.

Aſſiduas repetũt quas perdant Belides vndas.

Quæ fabula etſi variam interpretationem capit à mythologicis ſcriptoribus, vt videre eſt apud Nat. Comitem lib. 9. cap. 17. Tamen & de heluonibus rectè eam vſurpari poſſe feſtiuus quidem Poeta indicat hoc epigrammate:

Heluones dolium ſunt Danaidum.

Belidas fingunt pertuſa in dolia vates
Mox effundendas fundere ſemper aquas.
Nomine mutato, narratur fabula de te,
Ebrie, qua meias qui ſine fine bibis.
Quin etiam hoc in te quadrat, turba ebria, quod ſint,
Corpora quæ fuerant, dolia facta tibi.

De talibus ſic pergręcantibus perquam verum eſt, quod Varro dixit, ijs vitæ modulum culinam eſſe, dum ſcilicet omnia epulis metiuntur. Sic prodigos & ebrioſos Lucretius dicebat natos eſſe vino in veſicã calando ſiccandoq; quippe qui cellas diuitum vinarias epotas effundunt in matulã: vel, vt eiuſdem Varronis vtar verbis, diuitum apothecas Chias ad communem reuocent matellam. Nam quidquid auium volitat, (inquit Seneca) quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus: quære nunc, cur ſubitò moriamur? quia mortibus viuimus. Retia, hamos, viſcum, laqueos meditamur, rapaces volucres imperio parere, & prædari nobis docemus, ad nil aliud, niſi vt gulæ ſatis fiat; quam non modò explendo, ſed onerando fatigamus, & anguſtum ventrem varia arte laxamus, cui aliquando vtilior fames eſſet, vtiliſſima verò ſobrietas, fœdo illi ſacculo ac miſero, ſimul & ſiluis, & nubibus, & fluctibus pacem linquens. Nos cęlum terræ, vt habet adagium, miſcemus: hoc eſt, quæ in terra creſcunt, vt olera, fructus arborum; quæ in aquis, piſcium omne genus; & quæ in aere volitant, vnum in ventrem coaceruamus: & quarti elemẽti, hoc eſt, ignis loco fortia vina, aromata, ſinapi, &c. adiungimus. Ita confuſis elementis tempeſtates varias, concuſſiones, & tanquam tonitrua cieri nihil mirum eſt; vt ex continuis vaporibus catarrhos, fluente & refluẽte tanquam in euripis materia. Quid itaq; mirum, ſi

Ingenioſa gula eſt.

Hypotypoſis gulæ.

Frigida cum calidis pugnant, humentia ſiccis,

Mollia

Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.

Baſilius: Ex vario & craſſo alimento, vinoque fuliginoſæ exhalationes, elatæ in morẽ denſæ nubis, Spiritus Sancti illuſtrationes in ipſam mentem ſuo interuentu impediunt. Sed nunc pro more Gulæ aſſeclam ſuis coloribus depingemus, ſed ſtrictim & currenti penicillo. Aqualiculum trahit, non fert, triamphoralem inſtar cadi vinarij, latum, inflatum, infarctum: ſuras tremulas habet, follicantes, cubitali craſſitie, breuiuſculas; pumilionum menſura: clunibus incedit ac podice pendulo, radente terram: capite oblongo, prominentibus auriculis, ſicut olla tricongia, auritum peponẽ diceres: naſo capreo, purulento, gibboſo, flaccidis maxillis, labris ſtillantibus & obtortis ſacculorum more, quibus Veneti piper ſuum & caryophylla vendunt. Digitos vide: lucanicas credes, brachia ſine internodijs & iuncturis, inculcata ſicut puluilli lanei. In ſumma, truncus carneus eſt ſpirans, damnatus ad ſaginam & macellum, cuius lardum & pernas deuorabunt in ſtygia popina inferorum vultures. Nũc Ocni fenis nos ad ſe trahit.

Imago guloſi.

Ocni effigies, de ijs qui meretricibus donãt, quod in bonos vſus verti debeat.

EMBLEMA XCII.



IMPIGER haud ceſſat funem contexere ſparto,
Humidaq́; artifici iungere fila manu.

S. d.

Sed quantum multis vix torquet ſtrenuus horis,
Protinus ignaui ventris aſella vorat.
Fœmina, iners animal, facili congeſta marito
Lucra rapit, mundum prodigit inq́; ſuum.

COMMENTARII.

I. PINGITVR ſtrenuus reſtio, conficiẽdis ex iunco funibus nunquam non occupatus, ſed quod ille miſer longo tempore, aſſiduoq; labore contorſit, tortum ignaua aſella aſtans deuorat.

II. *Character Emblematis.* ID ex Pauſaniæ Phocicis tractum, enumeratis enim aliquot ſtatuis Deorum & Heroum Polygnoti manu depictis, poſt has virum quendam ſedere ait, inſcriptionemq́ue indicare eum eſſe Ocnum, qui texat è iunco reſtim vel funem, ſed aſtantem aſellam totum quod ille laborioſè texuerit arrodentem. Gnauum & induſtrium hominem fuiſſe Ocnum aiunt, qui vxorem ſumptuoſam & prodigam habuerit, quæ profundere conſueuerat, quicquid ille opere faciundo per ſummum laborem quæritaſſet, idq́; per ambages voluiſſe Polygnotum deſignare. Compertum eſt etiam Ionum vulgò prouerbium eſſe, quoties hominem ſignificant ad laborem quidem vehementer propenſum, ſed nihil inde capiẽtem commodi, *Ocni funiculum torquet.* *Ocni funiculum torquere.* Ita fermè Pauſanias. Huius quidem effigiei Plutarchus meminit libello περὶ εὐθυμίας, & Plin. 35. cap. 11. inter opera, ni fallor, Socratis pictoris. Sic & Propertius 4. Elegiarum:

Dignior obliquo funem qui torqueat Ocno,
Aeternumq́ue tuam paſcat aſella famem:

Retulit & commodè 12. Hieroglyphicõn Pierius. Et Politianus Miſcellan. cap. 81. Id quoq; argumentum in marmore cælatum tradit Hermolaus Barbarus, Romæ duobus locis, in Capitolio nimirum & Vaticanis hortis videri. Idemq; de Ocno alia ſcitu digna tradit in caſtigat. Plinianis lib. 35. cap. 11. Præterea Cratinus fingit etiam quendam apud inferos funem torquẽtem, aſinum verò arrodentem ea, quæ ille iam torſiſſet. Hinc de inaniter laborantibus id prouerbij etiam vti ſolent: *Contorquet piger funiculum*, de quo vide adagia.

III. *IMPIGER*] Diligens, induſtrius. Virgil. 1. Aeneid.

——ille impiger hauſit
Spumantem pateram.

Et Ouid. 1. Metamorph.

——patrios adit impiger ortus.

Videtur tamen (quod obiter dixerim) adiectiuum hoc differre vel maximè à nomine Ocni, quod propriè ignauum, & qui faciat aliquid grauatè, ſignificat. *Nomen Ocni.* Dicitur enim ὄκνος ἢ ὀκνηρὸς, & ῥᾳθυμία dicitur ὄκνος ἢ ὀκνηρία: ſed & ὀκνεῖν, idem eſt quod *pigreſcere*. Hæc tamen dictio ad ſenſum potius attinet: ignauus enim eſt, nihilq́; agit, tametſi laboret, qui ſuas opes malè collocat, eaſq; in vſus minimè neceſſarios erogat.

Sparto] Geniſta. Sic enim quidam interpretantur. Spartum verò genus eſt herbæ apud Hiſpanos frequentiſſimæ: ex hac funes nauticos fieri ſolitos ſcribit Liuius 2. bell. Punic. *Spartum.*

Humidaq; artifici, &c.] περίῤῥαξις reſtis.

Protinus] porrò ac ſine intermiſſione, continuò. Nonius.

Ignaui ventris] πολυτελὴς γυνὴ. *ſumptuoſa mulier.* Sic D. Paulus Cretenſes vocat γαςέρας ἀργὰς. *ventres pigros.*

Fœmina iners animal] Heſiodus in Theogonia mulieres fucis aſſimilat, qui apum labores conſumunt, cuius hęc eſt ſententia: *Mulier fucis comparata.*

Quale fauis examen apum dulciq; liquore
Cernimus infames haud ràrò paſcere fucos;
Per thyma manè volant, & picta per arua tepenti
Sole vaga, ceraſq; legunt, & dulcia mella.
Prado latet, curuoque vorax ſub vimine viuit,
Inq; ſua abdit edax alienos exta labores.
Talis in humanis primùm ab Ioue fœmina rebus
Eſt data, flagitijs hominũ quæ lædat iniqs.

Vide prouerbium, *Mulieris podex.*

Mundum] Mundus eſt ornatus muliebris, Græcè dicitur κόσμος. *Mundus quid.* Vnde mũdus dictus eſt hic, quod alio nomine cęlum appellare

pellare libuit. Nam vt inquit Plinius lib. 2. cap. 4. quem *κόσμον* Græci nomine ornamenti appellauerunt, eum nos à perfecta abſolutaq; elegantia Mundum. Liuius in Oratione Catonis pro lege Oppia ſeruanda: Munditiæ, ornatus, & cultus, hæc fœminarum inſignia ſunt, his gaudent & gloriantur, hunc mundum muliebrem appellarunt maiores noſtri. Nonius ex Lucilio:

Legauit quidam vxori mundum omne, penumq́ue.

Mundus muliebris quid Iuriſconſultis. Vlpianus noſter ait mundo muliebri contineri ſpecula, vnguenta, vaſa vnguentaria, & ſi qua dici ſimilia poſſunt; diſtinguitq́ue muliebria ornamenta à mundo muliebri, ac ſi mulier poſſit eſſe munda, nec tamen ornata: vt ſolet in ijs contingere, quæ ſe mūdarint lotæ in balneo, neq; ſe ornarint: & contrà, eſt aliqua ſtatim à ſomno ornata, nec tamen mundata. Sed hoc nimiùm ſubtiliter à Iuriſconſultos nam apud oratores, poetas, alioſq; terſos auctores, mundo muliebri non ea modò continentur, quibus mulier ſit mundior, ſed etiam quibus ornatior. Val. Max. lib. 9. cap. De luxuria & libidine, memorabile refert exemplum de abrogata lege Oppia, quæ lata fuerat olim bello Punico ſecundo, ad coercendam mulierum luxuriam: ſed eas tamen ait excuſari mentis imbecillitate, & grauiorum operum negata affectatione, quamobrem omne ſtudium ad curioſiorem ſui cultum illis permitti. *Mulier prodiga.*

Prodigit.] Conſumit, diſſipat; verbum aptiſſimum ad prodigalitatem notandam.

IV. VETERES cùm virum in re cumulanda ſolicitum, neq; aſſiduos quantumlibet labores declinantem; vxorem verò prodigam, & ad omnia perdenda diſſipandaq; intentam hieroglyphicè ſignificare vellēt, hominem ſparti funiculum torquentem, illam verò aſellæ effigie aſſidentem à tergo, & opus quantumcumq; fieret abrodentem effingebant. Laborat enim miſer ille homuncio totis diebus, ſperatq́; diteſcere; ſed quicquid labore tam improbo partum euaſcitur, ad ornatum quēdam ſuum transfert prodiga & inſolens mulier. Vnde vero verius à Iuuenale ſcriptum Satyr. 6.

Prodiga non ſentit pereuntē fœmina cenſū,
Ac velut exhauſta rediuiuus pullulet arca
Numus, & à pleno ſemper tollatur aceruo:
Non vnquam reputat quanti ſua gaudia conſtent.

Quò pertinet adagium, *Mulieris podex*, in Chiliad. Adag. Rectè etiam Heſiodus: Qui fidit, inquit, mulieribus, is etiam furibus fidem habet. Et feſtiuè Lacon quidam quærentibus, quamobrem vxorem duxiſſet adeo puſillam & paruulam? reſpondit: E malis quod minimum eſſet eligendum. Nam vt verè Menander.

γυνὴ τὸ σύνολον ἐςὶ δαπανηρὸν φύσει.
Natura fecit ſumptuoſas fœminas.
γυνὴ πολυτελὴς ἐς' ὀχληρὸν, ὐδ' ἐᾷ
Ζῆν τὸν λαβόνθ' ὡς βὔλεται.
Eſt permoleſta ſumptuoſa fœmina,
Nec viuere arbitrio ſinit virum ſuo.

Cui autem contigit vxor in otio deſes, & in compto corporis ornatu prouentus, reditus, & quæſtus profundens, is certè rem faciet vt funarius ſolet, nimirum retrogrado ductu. Epigraphe emblematis videtur id totum torquere in rapacitatem & auaritiam meretricum, de quibus aliàs.

In Paraſitos.

EMBLEMA XCIII.



QVOS tibi donamus, fluuiales accipe cancros;
Munera conueniunt moribus iſta tuis.
His oculi vigiles, & forfice plurimus ordo
Chelarum armatus, maximaq́ alnus adeſt:
Sic tibi propenſius ſtat pingui abdomine venter,
Perniceſq́ pedes, ſpiculaq́ apta pedi:
Cùm vagus in triuijs, menſæq́ ſedilibus erras,
Inq́ alios mordax ſcommata ſalſa iacis.

COMMENTARII.

I. PINGITVR paraſitus habitu aulico, quia illud hominum genus plerunq; aulas ſectetur; ventre obeſo, & prominente, progredienti ſimilis: qui in patina cancros fluuiatiles ferat.

II. NON eſt mihi dubium, quin, cum auctor hic ſuum carmen cuderet, vel memoriæ adiutus theſauro, egregiam Taciti deſcriptionem ſibi tanquam archetypum fingeret: ſic enim ille lib. 15. Annal. vbi de Neronis laſciuijs ampliſſimè: Vatinius inter fœdiſſima eius aulæ oſtenta fuit, ſutrinæ tabernæ alumnus, corpore detorto, facetijs ſcurrilibus primo in contumelias aſſumptus, *Paraſiti deſcriptio,*

ptus,

ptus, deinde optimi cuiuſq; criminatione eouſq; valuit, vt gratia, pecunia, vi, nocendi etiam malis præmineret. Apparet hoc ſuſceptum eſſe in mordacem quendam ἐξ ἀχαλίνε ςόματος ſcurram, cui ſymbolicè cancros fluuiales dono dat, paraſiticis moribus apprimè reſpondentes. Decorum itaq; ſeruat in eo, quòd rationem habeat perſonæ, cui hæc tribuat. Nec malè illud traduxeris ex libello Plutarchi, de diſcrimine adulatoris & amici, cuius verba ſunt: Ego verò noui quendam, qui vxorē ſuam eiecerit, vt amicus item ſuam repudiaret. Deprehenſus eſt autem clanculum ad illam commeare, vel ad ſe accerſere, id quod etiam ab amici vxore animaduerſum eſt. Vſque adeo non nouerat adulatoris ingenium, qui credidit hos verſus Iambicos magis conuenire cancro, quàm aſſentatori:

Vnde petitū Emblema.

Eſt venter omne corpus, vndiq; obtuens
Oculus, ſuuq; beſtia reptat dentibus.

Nam huiuſmodi quidem eſt imago paraſiti & amicorum, qui patellam ſequuntur, & ad prandia prǽſto ſunt, quemadmodum inquit Eupolis. Hæc Plutarchus. De adulatoribus feſtiua inuenies epigrammata lib. 1. Florileg. tit. εἰς κόλακας. Vide etiam adagium, *Polypi*.

III. *IN Paraſitos*] Paraſitus, Græca eſt dictio, παράσιτος, qui aliorum menſas & cibaria ſectatur. Cōponitur ex παρὰ, quod ſignificat *iuxta*, & σιτὸς, quod *eſculentum* ſignificat: quare paraſiti vocantur, qui ad voluptatem eius, in cuius contubernio sūt loquuntur & faciunt, nihil repugnantes cibi & ventris gratia. Hi etſi olim ſerui nō erant, tamen maximè ſeruiles habebantur, quippe qui libertatem offa venalem habebant, eiusque gratia præter irriſum, dicteria, colaphos, etiam ollas ſibi in caput confringi permittebant; quod non obſcurè innuit Plautus in Captiuis. Inſuper hæ ollæ erant repletæ cinere, vt nimirum eo per totum corpus effuſo maiorem riſum præbitoribus ſuis exhiberent. Ad quod alludit idem Plautus Curcul. Homerus primus paraſitum induxiſſe videtur, quem appellauit φίλον εἰλαπιναςὴν, *amicum menſalem*. Sinopeus Diodorus facetè admodum reliquas artes non à dijs, ſed à ſapientibus excogitatas videri dicit; verùm paraſiticam eſſe Philij Iouis inuentum. Paraſiti etiam olim dicebantur, vt prodidit Crates, qui ſacro frumento colligendo pręficiebantur.

Paraſitus.

Paraſitica inuentor.

Cœl. Rhodig. lib. 12. cap. 1.

Fluuiales cancros] De canceris vide Plinium lib. 9. cap. 31. vbi leges aliquos cancros Hippos vocari tantæ velocitatis, vt conſequi non ſit. Vnde apertior erit comparatio, ad paraſitum, cui Alciatus pernices pedes tribuit. Cancros pręterea graphicè deſcribit Calentius:

Hippi genus cancrorum.

Illis dena pedum veſtigia, denaq; in arcus
Crura recuruantur, laterumq; à margine ludunt,
Ambiguumq; iter eſt, &c.

Munera conueniunt moribus] Cancer enim animal eſt aquatile, oculos ſemper habens apertos, forfices dentatos atq; acutos pro armis, ventrem magnum, & octo pedes: ſic etiam paraſitus, qui adulādo hinc inde victum quæritat, oculos habet admodum vigilantes, ob ventris repletionem omnia perluſtrans; nec deſunt ſpicula nociua, dum enim cibi gratia huic applaudit, alteri maledicit; ventri inſuper & gulæ totus deditus: vti denique cancer plures, ſic ille per omnia loca celeres pedes habet.

Canceri et paraſiti comparatio.

Hu oculi &c.] Sic ordino: *Hu*, ſcilicet cancris, *oculi vigiles* ſunt, *& ordo plurimus chelarum armatus forfice.*

Vigiles] aperti: quod refert paraſitorum vigilantiam in obſeruandis aliorum menſis. Euolue prouerb. ἀλλοτριοφάγοι in Chiliad. Sic vigiles oculos tribuit Famæ Virg. lib. 4. Aeneid.

Forfice plurimus ordo] ἀλληγορία ab exercitu. Pedes enim habent cancri fluuiales ad modum forficis: Sanctius mauult legere, *forcipe*, vti etiam in Plinio legit de cancris loco citato: Præterea bina brachia denticulatis forcipibus. Sed non magni refert quomodo legatur, vtrumq; enim inſtrumentum referunt cancrorum chelæ, nimirum forcipis & forficis; eſt aūt forceps inſtrumentum biſulcum, quo fabri clauos emoliuntur, quoue prunas aut candens ferrum prehēdunt: forfex verò eſt inſtrumentum ſartorum, quo pannum in commoda fruſta diſſecant, & vſui aptant.

Forceps.

Forfex.

Chelarum] Chelæ dicuntur cancrorum & ſcorpionū brachia, à Græco χηλὴ, quod etiam ſignificat vngulam. Eſt etiam ſignū cœleſte, anterior ſcilicet pars ſcorpij. Vnde Virgilius 1. Georg.

Chela.

Qua locus Erigonen inter, Chelaſq; ſequētes
Panditur:

Maximaq; aluus] id eſt, venter.

Propenſus

Propenſus venter] prominens, turgens. Perſius Sat. 1.

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

Abdomē. *Pingui abdomine*] Abdomen propriè ſignificat pinguedinem, quæ ſpinæ, vbi renes ſunt, adhæret; ſic dictum, vt quidam volunt, quod abditum ſit. Sed Celſo lib 4. cap. 1. Abdomen, ὑπογάστριον, eſt illa corporis humani pars, quæ à coxis & pube ſurſum verſus ad præcordia peruenit; ab exteriore parte euidente cute, ab interiore leui membrana incluſa, quæ omento iungitur, & περιτοναῖος dicitur. Hinc ab Anatomicis abdomen dicitur ea cauitas, quæ intus diaphragmate à thorace diſtinguitur, & circumſcribitur à cartilagine enſiformi, oſſibus pubis & coxendicis, lumborum vertebris, & vtrinq; coſtis. Translatè ponitur pro vitio ventris: vnde Cicero pro Seſtio dixit, inſaturabile abdomen. Inde etiam dicimus. Abdomini indulgere, Abdomini inſeruire, Abdomini operam dare, Natus abdomini. Iuuenalis:

——venter adeſt abdomine tardus.

Auſonius Eidyllio 9. cui Moſella nomen:

——Cui prodiga nutat
Aluus, opimatoq; fluens abdomine venter.

Et paraſitus Euſtathio dicitur γαστρόπληξ, quod abdomini inſeruiat.

Spiculaq; apta pedi] id eſt, dicteria & mordacia verba habes in promptu: nam ſpicula miſſa volant, etiam volat irreuocabile verbum.

Cum vagus.] Horat. 1. Epiſtolar. bellè ſcurram ita deſcripſit:

Scurra vagus, non qui certū præſepe teneret;
Scurra de ſcriptēo. *Impranſus, nō qui ciuem dignoſceret hoſte:*
Quælibet in quēuis opprobria fingere ſæuus:
Pernicies & tēpeſtas, barathrumq; macelli.

Paraſitum quoq; eleganter deſcribit Valla lib. 4. cap. 11. Item Iuuenalis Sat. 3. & 4.

Menſaq; ſedilibus erras.] Hinc epitheta, τραπεζολοιχὸς, quod menſas illingat, & nidorem è cibis ſurgentem rabido ore carpat. Hinc θυράπαξ, aut θυράρπαξ, quòd foribus alienis inſidietur, nempè qui ſueuerit aliena viuere quadra. Prou. *Sartaginum pernicies.*

Scomma. *Scommata ſalſa*] Epitheti metaphora, à mordacitate ſalis. Eſt autem σκῶμμα, cauillum, ſales, dicterium, à verbo σκώπτω, cauillor, dicteria iacio. De Scommatum autem generibus Macrobius Saturn. 7. c. 5.

IV. DONAT Paraſito] cancros, vt per horum figuram graphicè depingat hominis *Licentia nimia paraſiti.* importuni & obtrectantis effrænatam licentiam, qui ad quæſtum & ventrem omnia conferat ſua ſtudia, vt alijs, & plerumque etiam præſentibus obloquatur, in quos etiam iaculetur moleſta & acria quædam dicteria. Id autem genus hominum ſi quando iocandi fines tranſiliant, ita vt è ſalibus hilari fronte acceptis, & datis, ad ſcommata mordacia ſe conferant, iam tum faſtidio eſſe nō ab re incipiunt: nec enim ſapiūt, qui ijs omnia licere volunt, quandoquidem nihil magis lubricum ſit & importunum conuicio, quod quaſi melle litum animos ingreditur. Cauendum itaq; quàm fieri poteſt ab huiuſmodi ſcurra & adulatore, qui omnia laudat, omnia aſſentatur, etiam iniqua & impia, vt placeat, probat, nihil non facit & perpetrat ventris gratia, in quo ſummam felicitatem conſtituit. Interim etiam credentem decipit, abſentem rodit & mordet; deinde ſe odioſum reddit, ac deniq; perditionem ſibi ipſi acquirit. Lege paraſitum Luciani. Bellè apud Plautum Captiueis, initio ferè Actus 1. ſic paraſitus de ſe, ſuæq; *Paraſiti mores.* notæ hominibus:

Quaſi mures ſemper edimus alienū cibum,
Vbi res prolatæ ſunt, cùm rus homines eunt,
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.
Quaſi cū caletur, cochleæ in occulto latent,
Suo ſibi ſucco viuunt, ros ſi non cadit:
Item paraſiti rebus prolatis latent
In occulto miſeri, victitant ſucco ſuo.

Martialis in Philomuſum ſcurram, lib. 7.

Quòd te diripiunt potentiores,
Per conuiuia, porticus, theatra,
Et tecum quoties ita incidiſti,
Geſtari iuuat, & iuuat lauari.
Nolito nimiùm tibi placere,
Delectas, Philomuſe, non amaris.

Mordet ibi hominem fatuum, & vrbanum, in conuiuijs alienis oberrantem. Idem Martialis lib. 9. in quendam Cantharum:

Cœnes, Canthare, cùm foris libenter,
Clamas, & maledicis, & minaris.
Deponas animos truces monemus,
Liber non potes & gulosus eſſe.

Horatius 2. Epiſt. 1. notam impreſſit,

Quātus ſit Dorſenius edacibus in paraſitis.

Nam & Philum mordet feſtiuè Martialis, eò quod numquam domi cœnaret. Sed ad rem. D. Hieronymus ad Domnionem: Contra quemlibet paſſim in triuijs ſtrepere, &

Cancer ſymbolũ inconſtãtia.

re, & congerere maledicta, non crimina, ſcurrarum eſt & paraſitorum. Porro cancrum inconſtantiæ ſymbolum facit Ioannes cognomento Scholaſticus, dum hominem, qui modò riſui indulgeat, modò luctui, modò auſteritati atq; temperantiæ ſe reddat, modò delicijs diffluat & voluptatibus implicetur, cancro æquiparauit, nunc antè, nunc retrò, nunc in tranſuerſum gradienti, miraq; inconſtantia vitam ſuam traducenti: quod idem & de paraſitis non malè dixeris, qui dum leuitate mimica omnia imitantur, omnium mores induere nituntur. De quo Horatius:

Sic iterat voces, & verba cadentia tollit,
Vt puerum credas ſæuo dictata magiſtro
Reddere, vel partes mimũ tractare ſecũdas.

Paraſitos & adulatores multos habes in Officina Textoris lib. 5. cap. 40.

Paruam culinam duobus ganeonibus non ſufficere.

EMBLEMA XCIV.



IN modicis nihil eſt, quod quis lucretur: & vnum
Arbuſtum geminos non alit erithacos.

ALIVD.

IN tenui ſpes nulla lucri eſt: vnoq́ reſidunt
Arbuſto geminæ non bene ficedulæ.

COM-

COMMENTARII.

I. AVICVLAE duæ pro ſede in ramo arboris dimicant; harum vna ramo inſidet, altera vt inſidere poſſit illam mordicus impugnat.

II. *Fons Emblematis.* Dvo Epigrammata, eiuſdem penè ſententiæ, deſumpta videntur ex prouerbio Græco Zenodoti: *μία λόχμη ὐ τρέφει δύο ἐριθάκυς Vnicum arbuſtum haud alit duos erithacos.* Vide etiam adagium, *Vna domus non alit duos canes.* Ad hoc eleganter alluſit Ariſtophanes Veſpis:

—— ὐ γὰρ ἄν ποτε
τρέφειν δύναιτ' ἄν μία λόχμη κλέπτα δύω. id eſt:
Non enim fieri poteſt
Fures vt vnquam ſaltus alat vnus duos,

III. *Ganeo.* *DVOBVS ganeonibus*] Ganeo, cui vitæ modus eſt culina, vt Varro deſcribit, quanquam à M. Tullio ſumatur etiam pro ſcortatore, qui proſtibula & meretriculas aſſectatur. Eſt autem talis homo futilis, vorax, heluo, gulæ & luxui totus deditus, qui ingluuie illa ſua nihil non abſumit & exhaurit: tales itaq; plures non poterit nutrire vna vel tenuis culina.

I*n modicis*] rebus, vel negotijs.

Et vnum arbuſtum &c.] Prouerb. eſt Chiliad. *Arbuſtum vnum non alit duos erithacos.* Cedrenus, *πολυκοιρανίαν* deteſtãs, hanc ſimilitudinem vſurpauit: *δύο, φησὶν, ἐριθακοὺς μία λόχμη οὐ τρέφει, οὔτε μία χώρα εὐοδωθήσεται ὑπὸ δύο κυβερνωμένη ἀρχηγῶν. Vt vnum arbuſtum duos erithacos non alit: ſic vnum regnum feliciter à duobus principibus adminiſtrari non poteſt.*

Erithacus. *Erithacos*] Erithacus auis eſt quædam ſolitaria, vt eodem in ſaltu non temerè niſi vna reperiatur; quam Theodorus Gaza in Ariſtotele nunc Siluiam, nunc Rubeculam nominat: alteram quidem à ſiluarum deſertis, alteram à ruboris indicio, quod ex Græco nomine intelligitur. Sic quoq; Italis dicitur, *Petto roſſo.* Germanis, *Rotbruſtle, RotKræpflin.* Huius meminit Plin. 10. c. 20.

I*n tenuis ſpes, &c.*] Diſtichon alterum eiuſdem argumenti cum ſuperiori, mutatis tantùm verbis. Alludit autem ad prouerb. *Tenuis ſpes.* Vide Chiliad.

Vnoq; reſidunt Arbuſto.] Prouerbium aliud idem cum ſuperioribus. Arbuſtum locus eſt arboribus conſitus. *Arbuſtũ.*

Ficedula] Ficedula à ficubus edendis nomen habet, cum tamen vuis potius veſcatur. Martial. lib. 1. *Ficedula.*

Cùm me ficus alat, cũ paſcar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Formam & colorem mutant ficedulæ. Nomen hoc ſolùm autumno habent, poſtea Melanchoryphi vocantur. Italis, *Beccafico.* Germ. *Schnepff.* Lege Plinium, lib. 10. c. 29.

NON eſt multum lucri expectandum ex rebus minimis, in quibus quanquã multum laboris & operę collocetur, tamen fructus indè parum capitur. At in rerum maiorum adminiſtratione vtilitas multo conſurgit vberior. Quamobrem vulgò varijs efferuntur modis adagia, vt in tenui ſtatu conſorti non eſſe locum dicamus: qualia ſunt iſta, *Domus vna duos non alit canes, & nec arbuſtum duos erithacos: Vno ramo non bene ſedent duæ ficedulæ:* & quod noſtrates iocando efferunt. *Noſtra ianua non ſuſtinet duos mendicos.* Falluntur itaque, qui è rebus minutulis ampliſſimum expectant quæſtum, præſertim ſi ſit eodem ſtudio conſors, vbi plerumq; res abſq; inuidia tranſigi, niſi ægrè, poſſit. Veluti nec regnum, nec amor vllo modo ſocium patiuntur, teſte Seneca. Nõ regna, inquit, ſocium ferre, nec tædæ ſciunt. Et Ouidius: IV. *E rebus minimis parum lucri.* *Regna nõ patiũtur ſociũ, nec amor.*

Non bene cum ſocijs regna, Venuſq; manet.

Vnde quoq; vulgatum illud:

Dum canis os rodit, ſocium quê diligit odit.

Quod nos Germani ſic efferimus,

Zvven hund an einen bein
Bleiben ſelten vberein.

Sic etiam eſt in re regni, quod pulchrè expreſſit Lucanus lib. 1.

Nulla fides regni ſocijs, omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit.

Quò etiam reſpexit Alexander Magnus, cùm ad monarchiam aſpirans dixit, Mundum non capere duos Soles. Cicero 1. Offic. Quod enim eſt apud Ennium, Nulla ſancta ſocietas, neque fides regni eſt. id latius patet. Nam quidquid eiuſmodi eſt, in quo non poſſint plures excellere, in eo fit plerunq; tanta contentio, vt difficillimum ſit ſanctam ſeruare ſocietatem.

Captiuus ob gulam.

EMBLEMA XCV.



REGNATORq́ penus, menſæq́ arroſor herilis
Oſtrea mus ſummis vidit biulca labris.
Queis teneram apponens barbam, falſa oſſa momordit;
Aſt ea clauſerunt tacta repentè domum;
Deprenſum & tetro tenuerunt carcere furem,
Semet in obſcurum qui dederat tumulum.

COMMENTARII.

I. INTER oſtrea quædam hinc inde iacentia vnum cæteris maius, latiùs hiat, quod ſubiens muſculus cibum capturus capitur, & gulæ pœnas luit.

II. *Emblematis fōs.* EMBLEMA deſumptum eſt ex epigrammate Antiphili lib. 1. Epigram. Græcorum, tit. εἰς ζῷα, quod hic ferè ad verbum Latinè expreſſit Alciatus; ſic autem ſe habet:

παμφάγος ἑρπυστὴς κατὰ δώματα λιχνοβόρος μῦς,
ὄστρεον ἀθρήσας χείλεσι πεπταμένον,
πώγωνος δ' ἱεροῖο νόθην ἀδάξατο σάρκα.
αὐτίκα δ' ὀστρακόεις ἐπλατάγησε δόμος,
ἁρμόσθη δ' ὀδύναισιν. ὁ δ' ἐν κλείθροισιν ἀφύκτοις
ληφθείς, αὐτοφόνον † τύμβον ἐπεσπάσατο. † πότμον.

Omniuorus, repẽsq; per ædes helluo mus
Oſtreum conſpicatus labris patens,
Barba madida ſpurcam momordit carnem:
Statim verò teſtacea crepuit domus,
Aptata [id eſt, clauſa] cruciatibus. at mus in clauſtris ineuitabilibus.
Captus, ſui interfectorem tumulum contraxit.

Helluo, & omniuorus, repenſque per atria mus, vt
Conſpexit tumidis oſtrea aperta labris,
Appoſuit barbam madidam, ſpurcaſq; momordit
Carnes: tum crepuit teſtea læſa domus.
Clauſtra retentarunt captum firmiſſima murem,
Interfectorem qui reperit tumulum.

Apud Æſopum etiam mus penum inhabitans, vbi victus variorum domini ferculorum aſſeruabantur, ſingula corrodens, vtq; nihil intactum relinqueret, vidit inter alia oſtrea hiulca, fiſſa, teſtisq; apertis: accurrit gulæ ſectator, & auidè momordit. Oſtrea verò læſa repente domum ſeu concham occludunt, capto & ſtrangulato fure, qui ſemetipſum in illo obſcuro ſepeliuit tumulo.

III. *Penus.* *REGNATORq; penus*] Mus incolens penum. Penus eſt omne eſculentum aut poculentum, ſed frequẽter metonymicos pro eo loco, in quo aſſeruantur eſculenta quæuis, accipitur, quo de nomine controuerſiam repere non pœnitendam ex Gellio c. 1. lib. 4. Dicitur autem Penus, ſecundæ & quartæ declinationis; item Penu, penu. Penum, peni. Penus, penoris.

Menſaq; arroſor herilis] aſſuetus rodere menſas heri ſeu patrisfamilias.

Oſtrea. *Oſtrea hiulca*] hiantia, vel oſtreas hiantes. Oſtrea ſunt piſces concha operti, qui ſingularem in cibis gratiam habent. De his Plinium vide lib. 32. c. 6. Oſtreorum etiam myſticam explicationem habes apud Pierium Valer. Hieroglyphic. lib. 28.

Falſa oſſa] id eſt, teſtam oſtreæ, quam oſſa eſſe putabat.

Domum.] Pro cochlea, vel teſta, qua pro domo vtitur, idq; metonymicos & catacteſticos.

Deprenſum furem,] In iure eſt ἐπ' αὐτῷ φώρῳ.

Tetro tenuerunt carcere furem.] ἀλληγορία à furibus, qui deprehenſi conijciuntur in carcerem.

Tumulum] μεταφορικῶς tumulum dicit, vel à conſequenti, quòd perierit ſorex in Oſtreæ teſta.

IV. *Guloſi in ſpontaneã lapſi ſeruitutẽ.* ID videtur propriè in eos eſſe tortum, qui lautioris victus ergò ſe in domos opulentas ſeruiliter ingerunt, vnde nihil præter damnum, aut etiam interitum conſequuntur: gulam enim in ſeruitutem pertrahere docet Lucianus de mercede conductis. Itaque huc non incommodè retulero illud Horatij, quanquã fortè aliò recidat:

——qui pauperiẽ fugiens potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atque
Seruiet æternùm qui paruo neſciat vti.

Lyſimachum memoria prodit, cum fuiſſet in Thracia prælio victus à Dromachete, ac ſiti penè enectus, ſe exercitumque hoſti permiſiſſet, iam deſiderio explero: O Dij, inquit, quàm puſillæ voluptatis gratia in ſeruitutem me ex tanto rege conieci? Vel in eos quadrabit, qui luxu & gulæ intemperantia mortem præproperam ſibi arceſſunt; quique, vt vulgo dicitur Gallico, ſuũ in dentibus tumulum conficiunt. Hi ſunt ἀκρατεῖς ſeu impotentes, qui obiectam cupiditatem ſectantur: qui à delicatioribus bolis nunquam ſibi temperant: qui etiam totos dies in crapula, noctesq; in compotando exigunt. hi ſic deſcribuntur à Lucilio, vt citat Nonius Marcellus:

Qui ſex menſes vitam ducunt, Orco ſpondent ſeptimum.

Hi ſagiuæ mancipati ad faces & cereos viuunt, dum inter pocula tranſiguntur noctes, ſomno impenduntur dies, lucis ac tenebrarum ordine peruerſo. De his puto ego Virgilium ceciniſſe:

Noſq; vbi primus equis Oriens afflauit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina veſper.

Hos tu exiſtimas, inquit Seneca, ſcire quẽadmodum viuendum ſit, qui neſciũt quando? timẽt verò hi mortem, in quam ſe condiderunt? tam infauſti homines quam nocturnæ aues ſunt. Licet in vino vnguentisque tenebras ſuas exigant, non conuiuantur, ſed iuſta ſibi faciunt. Rectè etiam Cicero pro Cœlio: Vitium ventris & gutturis, inquit, non ſolum minuit ætatem hominibus, ſed etiam aufert. Plures enim videmus gula quàm gladio cadere. Porrò de meritò deprehenſis, pœnaſq; dignis il-

lu

lud prouerbio dicitur: *Decipula murem cepit.* Quaſi dicatur, Lupus in foueam incidit, aut aper in caſſes. Vide etiam adagiũ, *Mus picem guſtans*.

In garrulum & guloſum.

EMBLEMA XCVI.



VOCE boat torua, prælargo eſt gutture, roſtrum
Inſtar habet naſi, multiforiſq́; tubæ.
Deformem rabulam, addictum ventriq́; gulæq́;
Signabit, volucer cùm Truo pictus erit.

COMMENTARII.

I. PINGITVR truo, auis aquatica, quę aliàs etiã Onocrotalus dicitur, ab aſini no; crepitaculi ſono, quam ſupra Embl. 91. deſcripſimus. Fortè truo hic eſt, qui paſſim inuenitur apud Indos Mexicanos, diciturq; Alcatraz, anſeris magnitudine, piſcibus victitans, roſtro duarum ſpithamarum, cuius tantùm inferiorem partem mouet. Habet ingluuiem à roſtro ad pectus, in qua piſcium decem libras ingerit, & aquæ vrnam. Reddit facilè quæ ingurgitauit. Quidam aliquando præ grauedine cecidit, & captus eſt, deglutiuerat enim paruulum puerum Aethiopem.

Alcatraz.

II. VIDETVR id tractum ex Clementis Alexandrini 2. Pædagogi cap. 1. cuius hæc verba: τὸν νοῦν ἐγκατορύξας τῇ κοιλίᾳ, τῷ ἰχθύϊ τῷ καλουμένῳ ὄνῳ τὰ μάλιστα ἐοικώς.

ἐοικὼς *Qui animum in aluo defodit, piſci qui aſellus dicitur, maximè ſimilis.* Hunc ex piſcium genere ſolum habere cor in ventre, ἐν τῇ γαστρὶ, Athenæus ex Ariſtotele tradit: quamobrem vocatur ab Epicharmo ἐκτραπελόγαστρος, propter monſtrificam ventris naturam. Cæterùm Onocrotalus,

Truo. qui & Truo dicitur, gutturis eſt ampliſſimi, & vocis clamoſiſſimæ: ita vt ruditum aſini dicas, & naſum habere inſtar tubæ. A vaſta illa ingluuie Germanis dicitur *Kropf gans.* à latitudine verò roſtri *Loeffelgans.* Auſtriaci ob abſurdam & monſtroſam à reliquo genere auium ſpeciem vocant *Ohnuogel*, quaſi ſine pari.

III. *VOCE boat*] Tranſlatio à bobus, quo-

Boare. rum eſt boare. Priſci etiam dicebant Boire, vt eſt apud Pacuuium in Medea. Et Bouare; ſed Boare vſitatius, quod à Græco Βοάω, *clamo*, deriuatum videtur.

Torua] μεταφορὰ ab aſpectu ad vocem. Hanc autem vocem edere propriè eſt λα-

λαρυγγίζειν. ρυγγίζειν, vt eſt in prouerbio; hoc eſt, non naturali modo, ſed dilatato gutture effundere immanem vocem. Quod vitij Demoſthenes obiecit Aeſchini.

Inſtar habet naſi] Feſtus ad hunc modum: Truo, auis onocrotalus, Cæcilius irridens magnitudinem naſi: Pro dij immortales, vnde prorepſit truo? Germ. *Ein NaſenKœnig.*

Multiforuq; tuba] Hoc epitheton malim tibijs quàm tubæ adiungere, ratione obuia.

Rabula, *Rabulam*] Tametſi ſimpliciter pro cauſarum patrono exponat Nonius, Rabula tamen propriè eſt is, qui nimia verboſitate, & rabie quadam in agendis patrocinijs vtens, aures radit atq; percellit. Vnde ei nomen à radendis auribus, vel à rabie, vel à raui, id eſt, raucitate. Raua vox, rauca, inquit Feſtus, parumq; liquida, proximè canum latratum ſonans: vnde & cauſidicus pugnaciter loquens, rabula. Galli vernacula lingua, nunquam niſi contumelioſè Chicanos appellant rabulas, fortè à verbo Græco κιχάνειν, corripere, offendere, inuentum aliquod comparare ad decipiendum. Malim tamē à voce σικανοὶ. Siculorum enim gens querula, & controuerſa natura. Germani quoq; non ineptè vocant *Zungedreſcher.* & inter hos Briſgoi, *Plappartſtecher.*

Addictum ventriq; gulæq;] Is vnico verbo γλωττογάστηρ, vel γλωσσογάστωρ appellatur à Iulio Polluce Onomaſtic. 2.

IV. *Onocrotalus quid referat.* ACCOMMODATVR in quoſdam rabulas forenſes, & (vt Ariſtotelis verbo vtar) γαστριμάργους, qui incondito ſuo clamore, importunaq; garrulitate cœlo mare conturbare apud quoſdam videntur, cum tamen importuna ſua loquacitate dent ſine mente ſonum; quippe qui omnia referant ad ingluuiem: quibus deniq; vt (dicterio vulgato vocantur) omnia ſunt lingua & podex. Id genus hominum, quòd in dicendo nemini cedere videantur, ab imperita multitudine plurimi fiunt, quos tamen probi viri doctiq; faſtidiunt. Vnde Cicero de Oratore: Non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, ſed doctiſſimum & perfectiſſimum quærimus oratorem. Idem Cicero eodem libro 1. de Oratore: Quaſi rabulæ, qui ſibi diſerti non videntur, niſi omnia tumultu & vociferatione concuſſerint. Idem Cicero ibidem: Non enim cauſidicum neſcio quem, neq; proclamatorem, aut rabulam hoc ſermone noſtro conquirimus. Inter hos qui clamoſiſſimus eſt, putatur alios iudicio & doctrina anteſtare, dum cauſam, quam defendit, à iudice contendit extorquere. Hinc non immerito ſæuiſſima experiuntur verborum flagella. Rabulam enim Ammianus appellat *Rabularū agnomina.* litium conſarcinatorem, Cato vitilitigatorem, Salluſtius caninę facundię exercitum, Iuriſconſ. litium concinnatorem, l. 9. ff. de off. proconſ. Apuleio eſt hirudo forenſis, γλωττογάστωρ Ariſtophani, κόπις Euripidi, quod lingua eorum ceu mucro penetret. alijs, vt Comicis, δικολέκτης, φιλόδικος, φιλαίτιος, ῥωποπερπερήθρα, æruſcator, ſycophanta, & Demoſtheni περίτριμμα τῆς ἀγορᾶς, Iulio Polluci δικόρραφος, ſic enim ille genus hoc hominum deſcribit: δικόρραφος, δικόγραφος, λέγων ἐπὶ χρήματι. μηδὲν ῥῆμα προῖκα εἰπών. μισθοῦ φθεγγόμενος, πρὸς χάριν λέγων, πρὸς ἡδονὴν δημηγορῶν, id eſt, *Calumniator, litium conceptor, litium conſutor, pecunia cauſſa loquens, nullum verbum gratis proferens, pro mercede verba faciens, ad gratiam dicens, ad voluptatem conciones habens.* Seneca in ludo Claudij eos appellat Venale genus Et Apuleius lib. 10. Capita viliſſima dicit, forenſia pecora, & togatos vultures. Et de his Plautus Perſa:

Etiamſi nihil eſt litium, lites ſerunt.

Huc etiam facere videtur illud quod Di-

uūs

uus Hieronymus ait, eos lyncibus & leonibus crudeliores, qui otè rabido deuorẽt. Quin & caſtus ſcriptor, Columella, præfatione librorum de re ruſtica: Olim, ait, ſine rabulis beatas fuiſſe vrbes: ſed maximo quodam malo, contra maiorum morem repertum ac conceſſum in ipſo foro latrocinium. Plinius Secund. lib. 2. epiſt. 3. Nos qui in foro veris litib. ac iurgijs quotidie terimur, multum malitiæ, quãquam nolentes addiſcimus. Symmachus de Iuliano familiari ſuo lib. 1. epiſt. 37. Scis in illo forẽſi puluere quàm rara ſit copia, cognitio fandi oris, & boni pectoris, dum aut modeſtum ingenium verecundia contrahat, aut ſucceſſu eloquẽs inſoleſcat. Laertius Anacharſide, *ἀγορὰν ἔφη εἶναι ὡρισμένον τόπον εἰς τὸ ἀλλήλους ἀπατᾶν. forum aiebat deſtinatum locum ad inuicem fallendum*. Egregiè Conſtantinus magnus, qui litium circuitus amputauit, in Cod. de formul. & impetr. ſublat. cuius legis videtur meminiſſe Nazarius panegyrico: Nonne leges, ait, ingerendis virtutibus, & vitijs fugiendis conſtitutæ, veterum caliginoſæ ambages reſciſſę, cupiendę ſimplicitatis laqueos præciderunt? Sed ceſſo, ne in me ipſum rabulas concitem.

Doctorum agnomina.

EMBLEMA XCVII.



MORIS vetuſti eſt, aliqua profeſſoribus
Superadyci cognomina.
Faciles apertosq́; explicans tantùm locos,
Canon vocatur Curtius.

Reuoluitur qui eodem, & iterat qui nimis,
Mæander, vt Pariſius.
Obſcurus & confuſus, vt Picus fuit,
Labyrinthus appellabitur.
Nimis breuis, multa amputans, vt Claudius,
Mucronis agnomen feret.
Qui vel columnas voce rumpit, Parpalus,
Dictus Truo eſt ſcholaſticis.
Contrà eſt vocatus, tenuis eſſet Albius
Quòd voce, veſpertilio.
At vltimas mutilans colobotes ſyllabas,
Hirundo Craſſus dicitur.
Qui ſurdus aliјs, ſolus ipſe vult loqui,
Vt ſturnus in prouerbio eſt.
Hic blæſus, ille raucus, iſte garriens.
Hic ſibilat ceu vipera.
Tumultuatur ille rictu & naribus,
Huic lingua terebellam facit.
Singultit alius, atque tuſſit hæſitans.
At conſpuit alius, vt pſecas.
Quàm multa rebus vitia in humanis agunt,
Tam multa ſurgunt nomina.

COMMENTARII.

I. EX cathedra doctor habitu decenti ornatus profiteri videtur, cui frequentes aſſident & auſcultant auditores, ore manuque geſtum locuturi referentes.

II. *Occaſio Emblematis.* HOC Emblema non aliunde fuit deſumptum, ſed tantum Academiarum oſtendit morem, in quibus plerunq; profeſſoribus adduntur agnomina ex vitijs præcipuè deſumpta. Quod hoc loco planum fit in quibuſdam ſuperioris ſæculi Iuriſconſultis, vel etiam, quantum conijcio, in aliquot alijs, qui Alciati tempore minus aptè ius ciuile profiterentur (quorum tamen, vt par erat, nominibus parcit) vnde ſinguli ſingula in ſcholis cognomina ſunt ſortiti, quibus notaretur ingenij vel naturę proprium & peculiare vitium in legibus enucleandis.

III. *MORIS vetuſti*] Nihil hoc eſt noui, in Academijs præſertim.

Cognomina] aliquando ad laudem, ſed potiſſimùm ad vituperium.

Reuoluitur qui eodem] qui ſe implicat, eodemq; redit, vnde digreſſus eſt.

Maander] ſeu Mæandrus, fluuius Phrygiæ ſiue Mæoniæ, ita ſinuoſis flexibus, vt ſæpe credatur ad fontem reuerti, de quo vide Plin. lib. 5. cap. 29. Hinc cum res agitur non ſimpliciter, ſed vafris & obliquis conſilijs, Mæandros dicimus, metaphora ſumpta à fluuio Mæandro, qui ſinuoſus & flexuoſus labitur: vnde & nomen habere videtur, quaſi oberret, quærens hominum conſortia. Eſt etiam Mæander picturæ genus, in morem labyrinthorum flexuoſis ambagibus implexum. Vide adagium, *Labyrinthus*. *Mæāder.*

Labyrinthus] quod ſe bellè non explicet, nullaq; vtatur methodo. De labyrintho diximus ſupra Emblemate 12.

Nimis

Nimis breuis] Breuitas, qua neceſſaria prætermittuntur, eſt in vitio, vt fortè fuit Claudius Cantiuncula. De hac breuitate eſt illud: *Dum breuis eſſe volo, obſcurus fio.*

Mucronis agnomen] Forſan alludit ad agnomen κόπις, quod Euripides rabulis tribuit.

Qui vel columnas voce rumpit] Huc Prouerbium Chiliad. *Columnas rumpere.*

Trua] qui dicitur λαρυγγίζειν, hoc eſt, gutture dilatato immanem vocem effundere. de quo diximus ſuperiore Emblemate. Hoc vitium quoq; Aeſchini à Demoſthene fuit attributum.

Tenuis quod voce] vt Chærephon Socraticus, qui dictus eſt veſpertilio. De quo diximus Emblemate 61.

Colobotes] mācus, decurtatus: κολοβόω, comminuo & trunco.

Qui ſurdus alijs] Sanctius legit, *Qui ſurdus aiys.* Sed non placet, cum id nec metri ratio, nec ſenſus admittat.

Sturnus] De hac aue Plinius lib. 10. c. 24. & Volaterranus in Philologia.

Blaſus. *Blaſus*] Qui lingua impeditus eſt. Hoc cognomen fuit Semproniorum, à vitio linguæ impoſitum, vti etiam Balbus.

Sibilat ceu vipera] ſerpens, ſerpentum enim proprium eſt ſibilare.

Tumultuatur ille rictu &c.] Notat hic alia vitia ex ipſo oris habitu deſumpta.

Pſecas. *Pſecas*] Pſecas eſt ſtillicidium, vel gutta, aut ſtilla è tectis decidens Pſecas iam olim audiuit Antimachus lyricus, quod identidem loquens expueret: quod cognomen etiam datum fuit Olympico cuidam, cuius nomen non occurrit. Vocantur etiam Pſecades ancillæ, quę delicatarum matronarū capillos fuco medicato conſpergunt. Vide ſis prouerb. *Pſecas, antros.*

Quàm multa &c.] Quot vitia, tot vocabula & nomina conuicioſa fingi poſſunt.

IV. *Procline eſt conuiciari publicè docentes.*

QVAMVIS hic peculiarium quorundam vitia taxantur, poteſt id tamen generalius de omnibus accipi; eſt enim natura, vel potiùs conſuetudine deprauata comparatum, vt citius vitia quàm virtutes in ijs obſeruemus, qui publicè docent, ioculari quadam laſciuia, vt eſt quorundam in conuiciādo natura procax. Homines enim imperiti, vt etiam arguculi quidam auditores, qui naſum rhinocerotis habent, facilius quod ſtultè dixeris reprehendere, quàm quod ſapienter tacueris, probare poſſunt, vt ait 2. de Orat. M. Tullius. Magnum profectò onus eſt atq; munus, vt ipſemet aſſeuerat diſputatione 1. De natura Deorum, ſuſcipere atq; profiteri ſeſe, omnibus ſilentibus, vnum maximis de rebus magno in hominum conuentu audiendum. Adeſt enim ferè nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente quàm recta videat. Ita quicquid eſt, in quo offenditur, id etiam illa, quæ laudanda ſunt, obruit: & quoties dicimus, toties de nobis iudicatur. Nec quicquam eſt tam inſigne, nec tam ad diuturnitatem memoriæ ſtabile, quàm id, in quo deliqueris. At iſthæc licentia & deprauata conſuetudo reprimenda erat. Siquidem conuicia, quæ torqueri ſolent ob ea, quæ ſunt in corpore, vel in fortunis hominum vitioſa, proficiſcuntur ab animis parum ſanis. Proinde Vlyſſes apud Homerum Therſitæ non claudicationem, non gibbum aut caluitiem exprobrat, ſed omnino garriendi vitium. Sic Achilles non naturæ vitia inſectatur in Agamemnone, ſed ea, quæ animi maxima, quibus adhiberi modus, & quaſi frenum imponi rectę rationis poteſt. Sic Fabius Quintil lib. 10. c. 2. In magnis auctoribus incidūt aliqua vitioſa, & à doctis inter ipſos ēt mutuò reprehenſa: atq; vtinā tam bona imitantes dicerent melius, quàm mala peius dicūt. Hęc ille. Subiungit Minos. Sic ego cùm primùm ad Academiam Pariſinam veniſſem, ad capiēdum ingenij cultum, offendi longè multis ſimultatibus Doctores laborare, ſed eorum maximè, qui Ramiſtæ, & Carpentariſtæ, quaſi factionū nominibus inſigniebātur. Ramus, vir acris ingenij, & iudicij ſingularis, Theſſalus methodicus audiebat, ſed à quibus, niſi tumultuoſis & liuore percitis? Quernus, trium cantilenarum poeta, & hiſtrio Reginæ vocitabatur, quàm rectè, alij viderint: Certè nunquam vidi feſtiniorem, & qui ſuis prælectionibus plus operæ ſumeret in ſalibus iocisq́ue inſpergendis. Bellerinus, peregrinus in Philoſophia, alioqui Græcè, reique philoſophicæ peritus. Et Maſſicus, qui Hebræum alphabetum paucis auditoribus, hoc eſt, vni aut alteri, quāquam publicè doceret, Vox clamantis in deſerto, & venerabilis Beda, ſalsè nominabatur. Boſſulus, bos laſſus, & cymbalum Academię, vt olim Appion Grammaticus, mundi cymbalum inceſſebatur. De cæteris facilè ſileri patior. Hæc Minos. Quid

Vitia corporis nemini exprobranda.

Conuicia in profeſſores.

ego de me ipſo dicam? qui cum tantis viris minimè ſim comparandus, nihilominus linguarum aculeos dum in Academia Friburgenſi Humanitatem publicè profiterer, non potui effugere, etenim ſubinde Ruſticus Academicus audiebar; ſic .n. aliqui naſuti nebulones mihi humile genus exprobrabant, & quod ſpatio octennij ab aratro & agro ad cathedram euaſiſſem, primumq; Bucolica Virgilij explicanda ſuſcepiſſem. Sed hos tales ſcripta Ecloga pulcherrimè retudi, illisq; longũ ſilentiũ indixi. Poſſem hic nõ incõmodè inuehi in quorundã iuuenum petulantiam, ne dicam malitiam, qui profeſſores docentes clamoribus, ſtridoribus, ſibilis, & magniſtrepo tumultu interturbant & explodunt; ſed nolo paucorum verborum amarulentia multorum odia incurrere. Sed quia etiam pueri ſub præceptoribus & magiſtris militant, eosque non rarò dicaci ſcurrilitate impetunt, de puerili procacitate nihil verebor aliquid dicere, quæ infelici noſtro ſæculo ita inualuit, vt nihil minus puerile appareat modò, quàm puer; nihil ad virilem audaciam proiectius, quàm ipſa pueritia, malorum ac libidinum penè omnium capax, in qua prauitas ſupra annos, anni præoccupati malitia, nec ad frugem aliquando venturi numeros omnes & gradus maturioris æui ſupplent, non ſanè virtutum, ſed flagitiorum deteſtabili quadam ac execranda proluſione. Si aberret citharœdus & hæreat inter initia: ſi fabulæ ſummam præfatus actor trepidet fallente memoria, quid ſperandum de progreſſu? Sic à capite pendent, hoc eſt, à rudiori ætate totius vitę iudicia, & ſpecimen ibi elucet ac ſuſtinetur, aut cadit atq; labaſcit ſpes, quæ rarò meliori exitu à prauis exordijs ſe commendat. Quod in ſpinæ vel vrticæ ſpeciem prodire vult, pũgit ſtatim & vrit, ne vuam ab ijs aut roſam ſperes. An verò pullaſter corui roſtrum mutaſſe aliquando aut colorem legitur? Nec Maurus infans pellem transformauit vnquam vir factus: vt nigredo hic, ita vitium ibi altius infigitur. Ego inter ſæculi fatales næuos etiam hanc corruptelam morum in iuuentute, & infectionem ò nimis peſtilentem & contagioſam, numero. Siſte mihi huc puſionem aliquem quadrimulum, vix ouo excluſum, vt ſic dicam; notabo quæ in viro etiam offendãt, Catonis virgula: adeo ſupra decorem ſapiet verſuta quadam & intempeſtiua calliditate; tẽtabo ingenium propoſitis gryphis, expediet acutulus reſponſa ad ſtuporem; dicterijs impetam, opponet ſe, nec deerunt conuicia, quibus latret & mordeat; ſtomachum mouebo, iuramenta eructabit rabioſulus, blaſphemias & execrationes. In ſumma, ad omnem nequitiam inueniam aptũ, & talem prorſus ramum, ex quo impuritatis & incontinentiæ capaciſſimum tornari poſſit vaſculum; amatoria enim ſi miſceam & Venerea illa, nutum, rem & verba dabit. Non eſt grauior vindicta, meo quidem iudicio, indignantis Dei in ſtirpem noſtram, quam peruerſitas hæc in teneris nouellis, quę à radicibus corruptæ in connato malo grandeſcunt. Excuſetur, ſi rariores & hinc inde diſperſæ aliquot; vt lolium multiplicant ſe, ac ſerpunt vt ſcabies in morbido pecore. A flagris remedium, inquis; olim profuerunt certè, nunc vix aliquid fuſtes in calloſo & rigido corio. Parentes ſciunt & Magiſtri, quantus labor in educandis & formandis liberis, *quorum* manus, oculus, lingua curant & intendunt ſine fructu. Plangunt quidem percuſſi, clamant, vlulant, recalcitrant ſub flagro correctoris, tanquam cauterio ſubiecti, nihil interim ab aſſueta malitia remittunt aut emendant, reductis caligis & ſubſidente dolore repetunt ſolita, plagarum non amplius memores. In globum incidat aliquis aut coronam talium nebulonum, ſaturatus opprobrijs & cauillis, ſuſpenſo naſo, iactis digitis, diſtorta & caperata fronte, bifurcatis manibus inſigniter exceptus verbera vix effugiet & lapides. Erubeſcit vir bonus, & dolore, vt par eſt, tangitur intimis viſceribus; alloquitur admonet, reuocat ſalutari & paterno conſilio: ſubſannant illi, & poppyſmis eludunt. Si grandæuus aliquis, delirium & caluitium exprobrãt: matrona honeſta, veneficium audit vel proſtibulum, ſtrix, ſaga, meretrix. Vbi ergo illud: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*? Maledicta crepant & ſcommata ſale ſalſiora, quæ Deum & hominem tangunt; Diras, Erynnes, Furias, quibus deuouent animas, & aduocant te in fidem periurij, ò Veritas, & adorandum Numen. Quin & farcire ingluuiem profuſos nepotulos videas interdum, venire ad tumultus, deſcendere in aciem, cõſertare manus, gladiatoria ſpectacula & ludos aperire, gauni-

Pueritia noſtri ſæculi mores.

Agnomina à pueris profecta.

gannire, grunnire in plateis, nemini cedere, Et hi tales in delicijs ſunt, mellita oſcula, aurea corcula, Cæſarelli & Reguli parentum. O tempora, ô mores.

Natura.

EMBLEMA IIC.



PANA colunt gentes (Naturam hoc dicere rerum eſt)
Semicaprumq́ hominem, ſemiuirumq́ Deum.
Eſt vir pube tenus, quòd nobis inſita virtus
Corde oriens, celſa verticis arce ſedet.
Hinc caper eſt, quia nos natura in ſæcla propagat
Concubitu, vt volucres, ſquamea, bruta, feras.
Quod commune alijs animantibus, eſt caper index
Luxuriæ, Veneris ſignaq́ aperta gerit.
Cordi alij ſophiam, alij tribuere cerebro:
Inferiora modus, nec ratio vlla tenet.

CDM.

COMMENTARII.

I. PAN (de quo nonnihil diximus ſupra Emblem.72.) pingitur cornutus, rubra facie, inferiore parte hiſpidus, pedibus caprinis, manu fiſtulam ſeptemplicem tenens. Quorum omnium ſignificata iãiam ſubſcribemus. Editio Stockhameri epigraphen habet, *Vis Naturæ*. Sed parum aut nihil à noſtra differt.

II. PVLCHRVM epigramma, & eruditionis atq; varietatis plenum, in quo rerũ natura depingitur in figura Panos, quem colebat antiquitas quaſi Naturæ Deum, quod & ipſum indicat nomen. Sed hic non erit alienum paucis digredi, vt huius pegmatis, & plurium aliorum fiat notio explicatior. Nemo eſt ex litteratis, qui neſciat, quæ & quot portenta olim Aegyptus tulerit quæ ſui cauſſa, proque ſuo arbitratu deos finxerit. Sic enim Saturnum colunt, qui ſororem ſuam Cybelem in vxorem duxit, ex qua ſuſcepit Oſiriṁ & Iſidem, quos alij Ianum & Dianam nominant; & liberos ex ijs genitos Typhoea, Apollinem, Venerem: ſed maior aucta inſania hominum, cùm quidam animalia pro dijs habere cœpiſſent, nempe boues, quibus carere non poſſent ad vſus agrorum colendorum: & oues, à quibus viderent materiam præberi veſtium, itemq; lac & caſeum ad nutricationem: imò & canes, vt hominum cuſtodes, & venationum ſocios. Quare & apud eos Anubis, canino capite fictus: Ibisque auis, pro dea habita, quia locuſtas & ſerpentes, Aegypto infeſtas abſumeret. At verò Hircus ea ratione deus putabatur, vt Priapus apud Græcos, & Romanos, quia per membrum genitale continua ſpecies animalium propagaretur. Inde Pana deũ, cornutosq; Satyros, perpetua tentigine ad res Veneris idoneos. Hanc deorum ſimulatorum multiplicitatem meritò vellicarunt Arnobius, Lactantius, Iuſtinus Martyr, idemq; Philoſophus, Athenagoras, Tatianus, D. Auguſtinus, D. Ambroſius, Firmicus Maternus, & alij veræ pietatis aſſertores ac vindices. Mythologi ad rationes phyſicas Deorum naturam retulerunt. M. Tullius 2. de natura Deor. ad multiplices Dei effectus multò prudentius pro ſuo captu reuocauit, nam & naturæ nomen ſæpè pro deo, aut mente diuina vſurpauit. Imò veteres penè omnes immerſi tenebris inſcitiæ, nihil aliud eſſe Deum cenſuerunt, quàm prodeſſe hominibus, & variis ſanè modis vitam beare communem. At quia in rebus naturæ nihil præſtantius, aut perfectius, quàm Dei ipſius opificium, id eſt, homo, animal prouidum, memor, ſagax, plenum rationis & conſilij, præclara quadam ratione conditum, in deſcribenda corporis humani fabrica, & compoſitione admirabili, ſuam ſollertiam nobis probare conati ſunt. Cuius rei ſpecimẽ ingenioſum nobis hoc lepido carmine profert Alciatus, qui hominẽ, certè *μικρόκοσμον*, vel quaſi totius Vniuerſi epitomen exhibet. Sed audiamus quid de Pane ſentiat antiquitas. Phornutus ſiue Cornutus in lib. de Natura Deorum, cap. de Pane. Talem, inquit, & Pana eſſe nõ dubito. Siquidem & ipſe cum hoc vniuerſo idem eſt. Inferior pars huius Dei hiſpida eſt, & hircum refert, ad deſignandam aſperitatem terræ. Superior autẽ pars ſimilis eſt homini, propterea quòd æther teneat totius mundi principatum. Hoc autem rationabilem deſignat partem. Laſciuum & libidinoſum eum fingunt, propter multas ſeminum cauſas & commiſtiones, quæ ex ipſis fiunt. In locis deſertis eum morari tradunt, vt eius vnitatem oſtendant; mundus enim eſt vnus & vnigenitus. Nymphas perſequitur, ſiquidem gaudet exhalationibus, quæ ex humido prodeunt, ſine quibus fieri non poteſt, vt mundus appareat. Indutus eſſe dicitur nebride, aut pelle pardi, tum propter pulchram rerum omnium varietatem, tum etiam propter colores, qui in mundo cernuntur. *Συρτὸν* eum appellant, ſiue quod à ventis omnibus perfletur, *ἀπὸ τοῦ συρίττειν*. id eſt, à flando: ſiue quod ad ſaltandi ritum ſit minus aptus, & more ruſticorũ, qui muſam politiorem non deguſtarunt, ſubſultet, *ἀπὸ τοῦ σκιρτᾶν*. id eſt, à ſaltando. Quod autem plerunq; in montibus & ſpeluncis verſetur, factum eſt, vt coronam è pinu arbore ſortiretur: hæc enim arbor montani quippiam & magnificum habet. Fingitur cornutus, & bifidos habere pedes. Fuerit fortaſſe hic & Priapus, cuius vi omnia in lucem prorumpunt. Hæc & alia plura Phornutus. Homerus autẽ in hymno Panos eum Mercurij filium facit, vocatumq; Pana dicit à Baccho, quod oblecta-

Cur tot Deos Ægyptus effinxerit.

Pan hoc vniuerſum deſignat.

rit omnium Deorum animos. Orpheus in hymnis latius Pana Deum celebrat. Hymni principium tale eſt:

πᾶνα καλῶ κρατερόν, γε θεὸν, κόσμοιο
τὸ σύμπαν,
ὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμ-
βασίλειαν,
ϗ πῦρ ἀθάνατον. τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ
πανός. id eſt:

Pana inuoco fortē, deū mundi vniuerſum,
Cœlum, mare, terram, omnium regem,
Et ignē immortalem. Pani enim hæc curæ ſunt.

Pana voco magnum, qui totū cōtinet orbē,
Qui mare, qui cœlum, qui terras frugiferentes,
Æternumq; ignem. Hæc Panos ſunt omnia membra.

Panos deſcriptio. Silius Italicus Pana ſic deſcribit libro 3.

Pan Ioue miſſus erat ſeruari tecta volente,
Troia pendenti ſimilis Pan ſemper, & vno
Vix illa inſcribens terra veſtigia cornu:
Dextera laſciuit caſa Tegeatide capra,
Verbera lata mouēs feſta per cōpita cauda,
Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus,
Ac parua erūpunt rubicunda cornua frōte.
Stant aures, ſummoq; cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale Deo baculum, pelluq; ſiniſtrum
Velat grata latus tenera de corpore damæ.

Claudius Minos, non vt certet cum nobili & erudito artifice Alciato (diſpar enim congreſſus Achilli) ſed animi cauſa carmē iā olim de Pane Deo effudit, quod tale eſt:

Pana Deū facie humana, pedibusq́; ferinis,
Semivirumq́; deū, ſemiferumq́; virum,
Effinxere olim plaſtæ, doctiq́; poetæ.
Ars obſcura quidē, non malè grata fuit.
Si bene conſpicias, totum ſonat, eſtq́; homo totum:
Namq; animo refert & ratione Deum.
Eſt mēbris cōpactus homo vel ſenſibus ipſis,
Eſt animal parte hac, inferiore ferum:
Inſtar habet plantæ, qua parte augeſcit, vt orbis.
Paruulus à priſcis inde vocatus auis.

Herodotus in Euterpe loquens de Aegyptiorum moribus, Panos, inquit, ſimulachrum & pictores pingunt, & ſtatuarij ſcalpunt quemadmodum Græci, caprina facie, hircinisque cruribus, haudquaquam exiſtimantes eum eſſe talem, ſed ſimilem cæteris Dijs. Qua tamen cauſa eum talem deſcribant, non eſt mihi relatu iucundum. Sed quæcunq; hactenus de Pane dicta ſūt, explanatius ſcripſit Seruius in Bucol. Virgilij: Pan, inquit, Deus eſt ruſticus, in Naturę ſimilitudinem formatus; vnde dicitur *πᾶν*, id eſt, *omne*. Habet etiam cornua ad ſimilitudinem radiorum Solis, & Lunę cornuum. Rubet eius facies ad ætheris imitationem. In pectore nebridem habet ſtellatam, vt ſtellas imitetur. Pars inferior hiſpida, propter arbores & feras. Caprinos habet pedes, vt oſtendat terrę ſoliditatem. Fiſtulam habet ſeptem calamorum, propter harmoniam ex ſeptem ſonis. Pedum habet, propter annum, quem in ſe recurrere fingunt Poetæ. Cum Amore Deo luctatum eſſe, & ab eo victum, quia omnia vincit amor. Ex his Seruij verbis admoneor elegantiſſimi epigrammatis Strozæ patris, de Amoris & Panis lucta, quod huc apponendum duxi, quandoquidem nec abhorret multum à materia, nec eſt iniucundum auditu. Seruij de Pane teſtimoniū.

De lucta Panos & Amoris.

Pan & Amor quondam lucta certare volentes,
Deponunt calamos ille vel ille ſacros.
Hic onus alarum, villoſa nebrides ille:
Proijcit hic arcum, proijcit ille pedum.
Tunc liquido exutos artus perfundit oliuo,
Cecropiaq; modum ſeruat vterq; Pales.
Conſeruere manus totis conatibus ambo,
Robore Pan fidens, dexteritate puer:
Aſpera pugna fuit, primuq; aſſultibus anceps:
Nunc Pana aiebāt vincere, nunc puerū.
At demum elato prenſauit cornua ſaltu
Panaq; qui vincit omnia, vicit Amor.

Sed iam addamus aliquid de Pane, quod peritioris literaturæ auidos nonnihil delectare poſſit. Porphyrius in libro de Reſponſis, Panem famulum Dionyſij facit, & in numerum bonorum Deorum collocat; nihilominus narrat agricolis quibuſdam apparuiſſe, quos repente mortuos confirmat, interrogatumq; Apollinem de nece nouem agricolarum in quodam Branchidarum agro, ſic reſpondiſſe: Alia de Pane.

Tornus Dionyſij famulus Pan, auriquo cornis,
Per nemora obſcurus gradiens, monteſque per altos,
Pinum vna, atq; alia reſonans ſyringa tenebat,
Geſtabatq; manu: multos it corpore vaſta

Pro-

Proſtrauit, mortique viros dedit horridus ille.

Sed magna dignum eſt admiratione, quod Plutarchus refert in eo libro, quem compoſuit de tacentibus oraculis, cuius verba, ne Græcis centonibus obſtrepat, ſic exprimere conatus eſt Sanctius: De morte autem huiuſmodi dæmonum hæc ab homine nec imprudente, nec futili nobis ſunt tradita. Epitherſes præceptor Grammaticæ fuit Aemiliani Rhetoris (quem & vos aliquando differentem audiuiſtis) pater. Nauigaturus hic in Italiam nauim conſcendit, mercimoniis, mercatoribusque multis plenam, qui ſe audiiſſe dicebat (cum ſub noctem circa Echinadas inſulas ventus poſuiſſet, nauisque prope Paxas conſtitiſſet) vigilantibus plurimis, multis etiam à cœna bibentibus, repente cuiuſdam vocem auditam è Paxis, Thamum nomine inclamantem, ita vt omnes teneret admiratio. Erat autem Thamus vir Aegyptius, eiuſdemq; nauis gubernator, non tamen omnibus, qui aderant, nomine cognitus. Bis itaq; vocatũ ſiluiſſe, tertiò reſpondiſſe. Aſt illum, quisquis erat, altiore voce clamaſſe: Cum perueneris ad Palodes, hæc verba nunciabis: πᾶν ὁ μέγας τέθνηκε. hoc eſt: *Pan magnus interijt.* His auditis, Epitherſes dicebat, obſtupuiſſe cunctos, conſultaſſeq; inter ſe, peragendane, an negligenda eſſent, quæ audiuiſſent: cenſuiſſe Thamum, ſi aſpirarent venti, ſilentio prænauigandum; ſin autem deficerent, vbi eò locorum veniſſent, manifeſtanda quæ audierant. Cùm tandem ad Palodes venerunt, & nauis neque ventis, neque vndis poſſet propelli, è prora obuerſum in terram Thamum pronunciaſſe iuſſa, hoc eſt, πᾶν ὁ μέγας τέθνηκε. *Pan magnus obijt.* Hæc vixdum perfecta verba vlulatu magno, nec vnius modi, ſed quaſi multorum gementium excepta ſunt. Quæ res, quoniam multis præſentibus acciderat, celeriter Romam eſt allata. Thamus ipſe à Tiberio Cæſare accerſitus. Conſuluit deinde Tiberius Philoſophos, quemnam Panem illum arbitrarentur. Qui reſponderunt, ex Mercurio & Penelope natum eſſe credi oportere. Hactenus ſunt verba Plutarchi. Euſebius verò refert, hæc & ſimilia accidiſſe, quo tempore ſub Tiberio Cæſare Chriſtus Deus ac Dominus noſter paſſus eſt, qui omne dæmonum genus è vita expulit. Quanquam quid vetat, hanc vocem intelligi poſſe de Chriſto Seruatore noſtro, qui verus eſt Pã, id eſt, Omne, ac totius Naturæ dominus & conſeruator? Sunt qui aſſerant, illam vocem auditam è Paxis illa nocte, quæ poſt paſſionem Dominicam ſequuta eſt, anno Imperii Tiberii decimo octauo. Sed hæc hactenus.

Hiſtoria notanda de Pane.

Euſebij de hac hiſtoria teſtimoniũ.

III. *PANA colunt gentes*] Gentiles, ſeu Pagani vulgo dicti. De Pane conſule Lactantium, & D. Auguſtinum de ciuitate Dei lib. 18. cap. 17. Phornutum de Nat. Deor. & poſt eum Gyraldum de hiſtoria Deorum. Syntagm. 15. nonnihil etiam tibi ſuppeditabit Euſebius 3. præparat. Euangelicæ. Vide preterea Plutarchum lib. 4. de placitis Philoſoph. Alex. Aphrodiſ. in 7. μετὰ τὰ φυσικά. Lucretium lib. 3. Natal. Comit. Mythol. lib. 5. c. 6. Pierium Hieroglyph. lib. 10. & 44.

Eſt vir pube tenus] Alii legunt,

Vir tenus vmblico eſt, hominum quia propria virtus, &c.

ſequitor lectionem, quam voles.

Quod nobis inſita virtus &c.] Cicero 1. Tuſc. Platonem in Timæo ſecutus, & Ariſtotelem in 2. De Anima, principatum animi ait eſſe in capite, ſicut in arce ſumma: ira verò & cupiditas locis diſcluſæ: illa. n. in pectore, hæc ſubter præcordia ſedẽ habere dicitur. Galenus in lib. De placitis Hippocratis & Platonis, in cerebro poſuit ſpiritus animales, id eſt, imaginationem, memoriam, ſenſum, motum, & intelligentiam: facultatem vitalẽ in corde, naturalẽ in iecore, de quo exiſtit nutritio & generatio, quæ tria ſunt non partes, ſed facultates & vires de vnico animo exiſtentes, qui vt ſeipſum moueat ratiocinando, iraſcendo & concupiſcendo, vtitur cerebro, corde & hepate, quæ tria ſunt inſtrumenta ſede & loco diſtincta. Quod itaq; Alciatus ait nos habere virtutem corde orientem, & celſa verticis arce ſedentem, animum, ſiue eam animi facultatem, quæ rationis eſt, intelligit, quæ vitæ principium à corde, mentis verò & intelligentiæ à cerebro habeat: vel fortaſſe ad veterum quorundam ſententiam, qui animi principatum in corde ſtatuebant, vt Empedocles: alij in cerebro, vt Plato & Democritus. Plutarchus De placitis 4. c. 5.

Animus an in cerebro, an in corde.

Celſa verticis arce ſedet.] περίφρασις & ἀλληγορία à ſummo & præſtanti Principe in arce ſumma, vt loco tutiori, ſedẽte.

Hinc aſper eſt, &c.] In ſuperioribus dictum eſt, hircum libidinis eſſe ſymbolum, & concubitu fit generatio. Vide Macrob. cap. 8. Saturn. 1. lib.

Animalium genera.

Vt volucres, ſquamea, brutaq; feras.] Animalium eſt diuiſio: ſunt enim aut aerea, vt volucres; aut aquatilia, vt piſces; terrena, vt homines & bruta omnia. Huc confer principium 1. Metamorph. Ouidianæ.

Cordi alij ſophiam &c.] Id eſt, rationem & mentem, cuius ſedem in capite bona Philoſophorum pars, & quidem eorum, qui melioris notæ putantur, eſſe voluere. Cicero 1. Tuſc. Quæſt. Alij, inquit, in corde, alii in cerebro dixerunt animi ſedem eſſe & locum. Homerus & Heſiodus in corde videntur poſuiſſe intelligentiam: idq; ſignificari volunt ſapientiores per illa verba paſſim apud hos poetas repetita: *οὐ δὲ ἐνὶ φρέσι βάλλεο σῇσιν.* hoc eſt, vt dixit Maro: *Tu condita mente teneto.* Sunt enim

Phrenes quid.

phrenes ſeptum tranſuerſum ſiue præcordia; vnde pro animo aut mente ſumuntur: & Phrenetici dicuntur, quibus mens laborat. Plutarchus tamen lib. 1. de placitis Philoſoph. teſtimonio Platonis in capite mentem collocat. Plutarchi verba ſunt: Propterea, inquit Plato, mens quæ in homine auguſtiſſima pars eſt, in capite conſtituta eſt. Lege Opificium Dei apud Lactantium.

Inferiora modus, nec ratio.] Inferiora belluina planè ſunt, vt ira & appetitus, quę tamen ſuperiori animi parti, id eſt, ipſi menti ſubijci debent, niſi enim in motus imperium obtineat ratio, quid inter hominem & belluam putabis intereſſe?

IV. Pan pingebatur, vt multarum diuerſarumque naturarum particeps. Id enim nominis Pan totum vel vniuerſum ſonat. Itaq; Macrobius Saturnal. 1. cap. 17. Pan ipſe ſub hoc habitu quo cernitur, ſolem ſe eſſe prudentioribus permittit intelligi.

Pã, Deus.

Hunc Deum Arcades colunt, appellantes *τὸν τῆς ὕλης κύριον*, non ſyluarum dominum, ſed vniuerſæ ſubſtantię materialis dominatorem, ſignificare volentes; cuius materiæ vis, vniuerſorum corporum, ſeu illa diuina, ſiue terrena ſint, componit eſſentiã, &c. Alciatus Panos naturam & habitum ad hominem tranſtulit.

Pan, homo.

Homo enim conſtat animo diuino, cęleſti, immortali, Angelis & Deo ſimili; corpore verò mortali, ex quatuor elementis compoſito; hac quidem parte belluinam naturam proximè refert. In animo duæ partes ſunt: illa quæ intelligit, meminit, ſapit, ratione, iudicio, ingenio vtitur ac valet, quæ pars ſuperior nominatur, & proprio nomine Mens, qua verè homines ſumus, qua Deo ſimiles, qua cæteris animalibus excellentiores, & longè ſuperiores. Altera eſt ex coniunctione corporis, rationis expers, bruta, fera, atrox, & beſtiæ quàm homini ſimilior: in qua ſunt motus illi, qui Gręcis *πάθη* dicuntur, pars longè inferior & abiectior, qua nimirum à belluis nihil differimus. Homo itaq; medium eſt quiddam inter diuinas intelligentias, & bruta animantia, eãque ob cauſſam finxerunt veteres Pana eſſe Deum, qui ſuperiore parte hominem, inferiore verò caprum referret: vt natura humana hoc inuolucro, & quaſi propoſito agalmate ſignificaretur. Homo enim pro ſuperiore ſui parte rationem habet diuinam, & cœleſtem; inferiore appetitum & libidinem, quibus conuenit cum belluis.

Hominis natura triplex.

Cæterùm ſunt qui hominis naturam triplicem hic notari velint, diuinam, humanam, & diabolicam: diuinam quidem, qua cum Angelis participat; humanam, qua cũ belluis; diabolicam autem, qua quippiam ſceleſtè & deprauatè cogitat & molitur. Quod planum etiam facit Auguſt. ſub finem c. 3. lib. 14. de ciuitate. Diſquirerem hic de vocis etymo, *τοῦ ἀνθρώπου*, in quo ingenioſa Grammaticorum, & philologorũ coniectanea pridem celebrantur; ſed id aliorum eſto penſum. Non pedem refero, niſi priùs moneam ſtudioſum, legiſſe me non ita pridem homiliam D. Gregorii, hũc locum ſacri Euangelii explicantis: *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, qua eruditè præclarus & eruditus ille pater verbum illud, *omni creaturæ*, ad ſolum hominem, ſeu hominum ſpeciem ingenioſè confert. Eſt enim homo creatura omnis, hoc eſt, particeps eſſentiæ rerum omnium à Deo conditarum: imò homo eſt Dei opificium planè ſingulare ac diuinum, quo res naturæ vniuerſæ quaſi ſub compendio habeantur. Lege, ſi placet, Anatomicos quid de Microcoſmo ſentiant, & inter hos omnino Andreã Laurentium lib. 1. ſuæ Anatomiæ.

Ars

Ars naturam adiuuans.

EMBLEMA IC.



VT ſphæræ Fortuna, cubo ſic inſidet Hermes:
Artibus hic, varijs caſibus illa præeſt:
Aduerſus vim fortunæ eſt ars facta: ſed artis
Cùm fortuna mala eſt, ſæpe requirit opem.
Diſce bonas artes igitur ſtudioſa iuuentus,
Quæ certæ ſecum commoda ſortis habent.

COMMENTARII.

I. MERCVRIVS pileo alato, manu caduceum ſuum ſerpentibus implicitum tenens, & in cubo ſedens exprimitur, cui affingitur Fortuna cæca, globo inſidens, dextera gubernaculum, ſiniſtra copiæ cornu tenens. Accuratiorem vtriusq; habitum iamiam Galenus docebit.

II. *Fons Emblematis.* EMBLEMATIS, vti & carminis huius materiam video ſumptam ex Galeni oratione parænetica ad bonas artes, in qua fusè & oratorio more Fortunę & Mercurii ſymbola diuerſiſſima explanat. Declaratur id vberrimè è Plutarchi cōmentario De exilio. Locū Galeni, vel Menodoti (ut aliis placet) ex oratione ἐπὶ τὰς τέχνας huc cōgeſſimus in gratiā Philologorū: τὴν τὸν τύχης μοχθηρίαν ἐμφανίσαι βουληθέντες οἱ παλαιοὶ, γράφοντες ἢ πλάττοντες

τοντες αὐτὴν οὐ μόνον ἐν εἴδει γυναικὸς ἠρκέσθησαν· καίτοι τοῦθ' ἱκανὸν ἦν ἀνοίας σύμβολον· ἀλλὰ καὶ πηδάλιον ἔδοσαν ἐν χεροῖν ἔχειν αὐτῇ καὶ τοῖν ποδοῖν ὑπέθεσαν βάσιν σφαιρικήν. ἐστέρησαν δὲ καὶ τοῖν ὀφθαλμοῖν, ἐνδεικνύμενοι διὰ τούτων ἁπάντων τὸ τῆς τύχης ἄστατον. ὥσπερ οὖν ἐν νηῒ χειμαζομένῃ σφοδρῶς, ὡς ἐπικλύζεσθαί τε τοῖς κύμασι κινδυνεύειν καὶ βυθισθῆναι, μοχθηρῶς ἄν τις πράξειεν ἐπιτρέψας τὰ πηδάλια κυβερνήτῃ τυφλῷ· κατὰ τὸν αὐτὸν οἶμαι τρόπον κἀν τῷ βίῳ μειζόνων ναυαγίων περὶ πολλοὺς οἴκους γιγνομένων, ἢ περὶ τὰ σκάφη κατὰ θάλατταν, οὐκ ὀρθῶς γινώσκοντός ἐστιν, ἐπιτρέπειν ἑαυτὸν ἐν τοιαύταις περιστάσεσι πραγμάτων τυφλῇ δαίμονι μηδ' αὐτῇ βεβαίως ἐστηριγμένῃ· ἐμπληκτός τε γάρ ἐστι καὶ ἄνους εἰς τοσοῦτον, ὡς πολλάκις τοὺς ἀξιολόγους ἄνδρας παρερχομένη, πλουτίζειν τοὺς ἀναξίους· οὐδὲ τούτους βεβαίως, ἀλλ' ὅταν μάλιστ' ἔτος ἀφαιρεῖσθαι τὰ δοθέντα. ταύτῃ τῇ δαίμονι πλῆθος ἀνδρῶν ἀμαθῶν οὐκ ὀλίγον ἕπεται, μηδέποτ' ἐν τῷ αὐτῷ μενούσῃ διὰ τὸ τῆς βάσεως εὐμετακύλιστον, ἥτις αὐτὴν ἄγει καὶ φέρει, καὶ κατὰ κρημνῶν ἐνίοτε καὶ θαλάττης. ἔνθα συναπόλλυνται μὲν ἀλλήλοις, ἑπόμενοι πάντες αὐτῇ. μόνη δ' ἀβλαβὴς ἐκείνη διεξέρχεται καταγελῶσα τῶν ὀλοφυρομένων τε καὶ καλούντων αὐτὴν, ὅτ' οὐδὲν ὄφελος. τὰ μὲν δὴ τύχης ἔργα τοιαῦτα. τὸν δ' ἑρμῆν, ἅτε λόγου μὲν ὄντα δεσπότην, ἐργάτην τῆς τέχνης ἁπάσης θέασαι πάλιν ὅπως ἐξ ὑπεναντίου τῆς τύχης κεκοσμήκασιν οἱ γράφοντές τε καὶ πλάττοντες. νεανίσκος ἐστὶν ὡραῖος, οὐκ ἐπίκτητον οὐδὲ κομμωτικὸν ἔχων κάλλος, ἀλλ' εὐθὺς ὥστε συνεμφαίνεσθαι τὴν τῆς ψυχῆς ἀρετὴν δι' αὐτοῦ. ἐστὶ δὲ φαιδρὸς μὲν τὰς ὄψεις, δέδορκε δὲ δριμύ, καὶ ἡ βάσις τὸ πάντων σχημάτων ἑδραιότατόν τε καὶ ἀμεταπτωτότατον ἔχει, τὸν κύβον. ἔσθ' ὅτε δὲ καὶ αὐτὸν τὸν θεὸν τούτῳ τῷ σχήματι κοσμοῦσιν, ἴδοις δ' ἂν τοὺς διασώτας αὐτοῦ, φαιδροὺς μὲν ὁμοίως τῷ καθηγουμένῳ θεῷ, μεμφομένους δὲ οὐδέποτε αὐτὸν, ὥσπερ οἱ τὴν τύχην, οὐδ' ἀπολειπομένους πότ', οὐδὲ χωριζομένους, ἀλλ' ἑπομένους τε καὶ διαπαντὸς ἀπολαύοντας τῆς προνοίας αὐτοῦ.

Fortuna imago. id eſt: *Cum veteres declarare vellent fortunæ improbitatem, nõ ſatis habuerunt eam pingendo fingendoq́; ſpecie muliebri repræſentare (quod tamen erat magnum amentiæ ſignum) ſed & fecerunt, vt manibus clauum prehenſum teneret, pedibus autem ſedem globoſam ſuppoſuerunt: adhæc eam priuarunt oculis: iisq́; omnibus fortunæ inſtabilitatem deſignarunt. At verò quemadmodum, cum nauis admodum fluctuat, ita vt procellis vndique agitata parum abeſt, quin periclitetur, improbè certè ille praueq́; omninò fecerit, ſi cæco gubernatori clauum commiſerit: ita cum longè plura naufragia, eaq́; grauiora multis in familijs quàm in mari accidant, profectò amens ille fuerit, qui in eiuſmodi caſibus ſeipſum Fortunæ, cæcæ Deæ commiſerit, ea enim nullam habet firmitatem & conſtantiam, ſtolida nimirum & expers mentis eſt, quæ ſæpenumerò viros honore dignos, & quorum magna eſt habenda ratio, prætermittat: locupletet autem indignos: neque hoc quidem conſtanti aliquo modo: nam & quæ dederit, poſtea interdum adimit. Hanc autem Deam imperitorum hominum multitudo conſectatur, numquam in eodem manentem loco, eò quòd baſis, cui inſidet, ſit maximè volubilis. Quam ob cauſſam fertur in loca quadã abrupta & præcipitia, interdum etiam in mare detruditur, in quo vnà omnes obruuntur, qui fuerint eam ſecuti: ipſa verò damni expers elabitur, intereaq́; ſecurè ridet eos, qui conqueruntur, & à quibus inuocatur: cum tamen ea tamquam ſurda nihil auxilij eis præſtet Et quidem fortunæ facta eiuſmodi ſunt. Nunc verò contemplare, quæſo, Mercurium ſermonis dominum, omniſque diſciplinæ opificem, quem contrario prorſus modo exornarunt pictores & fictores. Iuuenis eſt & formoſus, formam habens non arceſſitam, neque fuco illitam: ſed ſtatim vbi apparet ea quidem forma, virtus animi elucescit: hilaritatem oculis præ ſe fert, acutè intuetur: eius autem ſedes, cubus eſt, omnium figurarum maximè ſtabilis, permultumq́ue à caſu aliena. Hac etiam figura Deum hunc interdum ornant, vt poſſis intueri eos, à quibus colitur, hilari eſſe vultu, ſicuti & dux ipſe Deus: cui nunquam ſuccenſeant, vt ſunt qui fortunam accuſant, cùm ſe relictos à tergo contemptoſque ſentiunt. Qui enim eum conſequuntur, per omne vitæ tempus eius prouidentia ſingulari perfruuntur.*

Mercurius qualiter effictus.

VT ſphæra Fortunæ] Alij legunt, *Vt Fortunæ pila*. ſed cum manifeſto vitio metri. III.

Fortuna cur ſphæra inſiſtat.

Fortunam rotæ ſeu rotundo lapidi inſidentem pinxerunt veteres, quo eius inſtabilitatem deſignarent, vt pluribus verbis docet in Circulo Pierius. Et Galenus loco ſupra citato, ſic vertente Sanctio: Cuius indicare nequitiam cum veteres conſtituiſſent, in fœmineam ſpeciem exprimere non contenti (quanquam hoc ſatis aptum erat amentię ſignum) gubernaculum etiam manibus habendum dederunt, baſin pedibus globoſam ſubiecerunt, eam denique orbatam oculis effinxerunt: vt ſcilicet per has figurandi rationes fortunæ inconſtantiam expreſſam oſtenderent. Porrò de Fortuna pleni ſunt vndiq; Philoſophorum & Poetarum libri: addam tamen Pacuuij carmina, quæ citantur in 2. Rhetor. ad Herennium:

Fortunam inſanam eſſe & cæcam,
Et brutam perhibent Philoſophi,
Saxoq; inſtare globoſo prædicant volubili.
Ideo quò ſaxum impulerit, eò cadere fortunam autumant.
Cæcam ob eam rem iterāt: quia nil cernat quò ſeſe applicet.
Inſanam autem aiunt: quia atrox, incerta, inſtabiliſq; ſit.
Brutam: quia dignum atq; indignum nequeat internoſcere.

Lege lib. 3. diuinar. inſtit. Lactantij, & Auguſtinum de ciuit. Dei libris potiſſimùm 1. 4. & 7. Huc etiam facit elegia quædam Philippi Beroaldi, de Fortuna, vbi eius mutationem & nomina graphicè depingit. Vide etiam Cœl. Rhodig lib. 21. c. 29. Natalem Comit. Mytholog. lib. 4. cap. 9. Et quidem quæ primum Vortuna dicebatur, à vortendo, digammi mox mutatione in F literam affinem, Fortuna vocitata eſt: cuius nimirum præcipua vis eſt ſumma imis commiſcere, rerumq́ue inducere mutationem. Hic porrò ſphæram pro quacunque re volubili & rotunda vſurpauit, ad ſignificandam volubilitatem & inconſtantiam, qualis eſt in artibus ſordidis & mechanicis.

Fortuna unde dicta.

Cubo ſic inſidet] lapidi quadrato, firmæ ſedi, ad deſignandam artium liberalium ſtabilitatem: vel vitam ipſam ſedentariam hominum ſtudioſorum. Galenus in Oratione, quam proximè citaui, ad artes (ſi modò eius eſt) ait Mercurium vt orationis parentem, & artium omnium authorē in aliam effigiem quàm fortunæ, effictum eſſe à veteribus tum pictoribus, tum ſtatuarijs: ſic enim ille ibi Sanctio interprete: Mercurium verò tanquam rationis dominum, & artium omnium authorem aſpice rurſus, vt alia quàm Fortunam effigie decorarunt. Nam iuuenis eſt formoſus, nec eiuſmodi, vt fucatum quidquam in eo aut comptum deprehendas; ſed in cuius forma animi virtutes protinus eluceāt. Eſt enim hilari vultu, acribus oculis, baſi innititur ſic vndiq; figuratæ, vt quadrantal ſeu teſſeram referat, qua maximè figura res ipſa ſtabilis ac immobilis redditur. &c. Idem ferè Pierius Hieroglyph. lib. 39.

Mercurij imago.

Hermes] ἑρμῆς, Mercurius dicitur, eò quod ſit Deorum interpres, *ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν*, quod eſt *interpretari*. Herma à Græcis ponitur pro firmamento, ait Feſtus: Vnde Mercurij nomen inuentoris, vt putabant, firmæ orationis ductum. Hic autem apud Feſtum (obiter admoneo) firma oratio eſt pactum ſeu ſtipulatio, firmiſſimum iuris vinculum: vt didiciſſe ſe meminit Minos ex Guilielmo Fornerio, Anteceſſore Aurelio doctiſſimo.

Hermes.

Artibus hic] Mercurius bonarum diſciplinarum præſes, & inuentor.

Varijs caſibus illa] rebus fortuitis, quæque ſunt in perpetuo inconſtantiæ motu.

Aduerſus vim Fortunæ eſt ars facta] Vide Ariſtot. 6. Ethic. ad Nicomachum, c. 4. vbi citat Agathonis verſiculum:

Τέχνη τύχην ἔστερξε, καὶ τύχη τέχνην. id eſt: *Fortuna chara eſt arti, ars quoq; fortunæ.* Et quamuis ſententia Alciati hic videatur diſſentire ab illa Agathonis, non tamen ita eſt: quod vt intelligatur, ſimilitudine quadam demonſtratur. Arboribus fructu & pomis luxuriantibus ſolent ſubſtitui quædam furcę, ne rami ingenti onere preſſi ruinam faciant. Sic aduerſus vim fortunæ eſt ars facta, ſed fortuna, cùm mala eſt, ſæpe requirit artis opem. Nam *τύχη τέχνην εὗρε, οὐ τέχνη τύχην. Fortuna artē inuenit, non ars fortunam.* Vide Plutarchum in libello de Fortuna. Cœl. Rhodig. lib. 22. c. 9. in fine & lib. 28. cap. 12. Didymum ſuper Odyſſ. 23.

Diſce bonas artes, &c.] Mutuatus id videtur ex Ouidio 1. De arte:

Diſce bonas artes, moneo, Romana iuuētus.

IV.

Liberales, quā illiberales.

SOLEBANT veteres Fortunam ipſam ita effingere, vt mulier eſſet, quæ pilæ inſiſteret. At Mercurium ſtudioſorum numen cū deſignabant, baſim quadratā, ſeu vndiq;

ſtatuer

les artes ſequi ſatius.

quatuor angulis nitentem teſſeram efficiebant: hoc enim modo firmum ſtudiorum & artium liberalium fundamentum ſtatumq́; effingebant, vt quæ nullo Fortunæ impetu poſſent concuti. Sic Bias ille Prienæus omnia ſecum ſe portare prædicabat. Sic Ariſtippus Cyrenæus ciuibus ſuis mandauit, vt eas ſibi pararent poſſeſſiones, quæ naui fracta ſimul cum poſſeſſore poſſent enatare. Igitur hi mihi ſapientes videntur, qui periculoſis artibus relictis, togę ſtudia ſequuntur. Hæc ipſemet Alciatus oratione quadam Ferrariæ habita. His itaq; agalmatis propoſitis, admonet bonas diſciplinas opera diligenti amplectendas eſſe, quibus nimirum fortuitos caſus non temerè vel ſuſtinere, vel etiam retundere poſſimus. Quò ſpectat illud vice Prouerbij celebratum, λιμὴν ἀτυχίας ἐστὶν ἀνθρώποις τέχνη. *Ars hominibus eſt infelicitatis portus.* nēpe ſua cuiq; ars pro viatico eſt. Vnde qui ſapiunt, etiamſi ſuppetat abundè res familiaris, tamen liberos ſuos artificium aliquod diſcere cogunt, quo, ſi contingat, vt fortuna auferat opes, aut in exilium ire iubeantur, ſit quo ſibi victum parēt. Nam vt rectè ait Menander:

ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.
Sapiens ſuas vbiq; circumfert opes.

Idem alibi:

Ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς.
Doctrina domino haud eripi ſuo poteſt.

Huc quoq; collimat Amphidis comici ſententia:

Οὐκ ἐστὶν οὐδὲν ἀτυχίας ἀνθρωπίνης
Παραμύθιον γλυκύτερον ἀνθρώπῳ τέχνης.
ἐπὶ τοῦ μαθήματος γὰρ ἑστηκὼς ὁ νοῦς
Αὑτοῦ λέληθε παραπλέων τὰς συμφοράς.

Solamen arte dulcius mortalibus
Non eſſe poſſit omnis infortunij.
Mens nāq; ſtudio haud ſentit artis dedita.
Mœroris oram ſe ſui præteruehi.

Sed huc ad rem, meminimus ex Tullio pro Archia poeta, naturā ſine doctrina cōmendari, qui & ipſe ait malle naturā ſine doctrina, quā ſine natura doctrinā. Sed bonus ille artifex cauſſæ ſuæ ſeruit. Tamē certius eſt quod arte perficitur, quàm quod natura. Sic non idem iudicium artis & fortunæ: nam fortuna inconſtans, ars certa. Fortunam ſectantur & caſum ingenia temeraria; artem, doctrinamq́ue non niſi cordati ac prouidi homines. Itaq; videri feliciores ac tutiore in ſtatu qui à liberalibus artibus præſidium quærunt, quàm qui à mechanicis & ſordidis, ſed maximè quę corporis laboribus exercentur, & à caſu pendēt, nec niſi quibuſdam momentis temporum ſolantur hominem Eo de genere coqui, fiſtulicines, aulœdi, mimi, ioculatores, milites, balatrones, lixæ, tonſores, & alij ſexcenti, qui ad xenodochia etiam non ſponte commeant, aut ſtipem quæritando vitam miſeram fallunt. Sed (quæ ſæculi noſtri eſt infelicitas) non rarò etiam videas hodie literatos, & ſolidè doctos egere. Hinc non immeritò mirabatur molitor ille, cū quidam ſtudioſus ſtipem ab eo peteret, & ſe magiſtrum ſeptem artium liberalium profiteretur: Te miſerum, inquit, qui cùm ſeptem artes liberales calleas, oſtiatim victū quæritas: mihi vnica mea, illaq; ex infimis mechanicis, tam abundè ſuppeditat, vt familiam totam lautiſſimè alam At nūc cui ſenectus oneri, nobiſcum reiuueneſcat.

In iuuentam.

EMBLEMA C.



NATVS vterq́; Iouis, tener atq́; imberbis vterque,
Quem Latona tulit, quem tulit & Semele,
Saluete, æterna ſimul & florete iuuenta,
Numine ſit veſtro quæ diuturna mihi.
Tu vino curas, tu victu dilue morbos,
Vt lento accedat curua ſenecta pede.

COMMENTARII.

I. IN eadem ara ſtatuuntur Bacchus & Apollo: ille quidem nudus, hedera redimitus, altera manu pateram, altera racemum gerens, cuius ſtatuam aliàs deſcripſimus. Hic vero capite radiato, altera manu citharam, altera bacillum, quo Medici pharmaca miſcent, tenens.

II. PRECATVR longam iuuentutis viriditatem ab ijs Dijs, qui nunquam ſeneſcunt, Apolline ſcilicet & Baccho, qui ſemper pinguntur florente iuuenta. Deſumptum eſt autem ex Callimacho, vt refert interpres Lycophronis. Colebatur enim Delphis Dionyſius cum Apolline. Fuiſſe autem veteribus morem diuerſos Deos eadem ara ſtatuendi, ſatis, vt puto, manifeſtauimus ſupra Emblem. 23.

NATVS vterq; Ionis] Poetæ quos impensè laudant, à Dijs genitos dicunt. Nempe & principes viros ac illuſtres pro Dijs habuit III.

habuit

habuit paganica ſecta, quę quidquid admiraretur, aut magnum prædicaret, Deum dicebat. Multus eſt in ea materia exaggeranda Lactantius, eloquens vir, ſaneq; Chriſtianus, acutior Arnobius, pergrauis Auguſtinus libris prioribus de ciuitate Dei, exactus Iuſtinus Martyr, aliiq; plures. Ex Florido poeta vetere hi celebrantur numeri:

Comparatio Bacchi et Apollinis.

Sic Apollo, deinde Liber, ſic uidetur ignifer,
Ambo ſunt flammis creati, proſatique ex ignibus;
Ambo de comis calorem, & ambo radios conferunt,
Noctu hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.

Tener atq; imberbis vterq;] Sic Tibullus eleg. 4. lib. 1.

Solis aeterna eſt Phœbo Bacchoq; iuuentus,
Nam decet intõſus crinis vtrumq; Deũ.

De Baccho & Apolline plura habes apud Gyraldum in Hiſtor. Deor. Syntag. 7. & 8.

Quem Latona tulit] Apollo Iouis filius, ex Latona in Delo inſula vno partu editus cum Diana, medicinæ vſum primus tradidit. Ouid. 1. Metamorph.

Quem tulit & Semele] Bacchus ex Semele Iouis filius, vt abundè ſupra in ſtatuam Bacchi explicuimus, Emblem. 25.

Saluete &c.] vt illud Homeri Iliade α. χαίρετε κήρυκες Διὸς ἄγγελοι, ἠδὲ καὶ ἀνδρῶν

Hæc verborum formula ſolemnis fuit in hymnorum epilogis.

Numine ſit veſtro] veſtro beneficio.

Tu vino curas] Diluere vino curas, id eſt, auferre, tollere, μεταφορά. Ouid. 1. Art.

Cura fugit multo diluiturq; mero.

Horatius: *Curas edaces diſſipat Euhius.* & Tibullus 1. Eleg.

Bacchus & agricolæ magno cõfecta labore
Pectora, triſtitiæ diſſoluenda dedit.

Tu victu dilue morbos] aufer corporis ægritudines certa victus ratione.

Vt lento accedat &c.] ἀλληγορία περιφραστική.

IV. *Duo ad valetudinem conducentia.*

Dvo ſunt, quę vt corpus bene conſtitutum, ſanum, & incolume conſeruant, ſic & animum ipſum curis expediunt, nimirum certa victus ratio, vinumq; moderatè ſumptum; vt contra crapula & vinolentia, vt etiam curæ edaces naturam hominis labefactant & corrumpunt, ipſamq; ſenectutem accelerant. Hic itaq; deſcriptos videas Apollinem & Bacchum: illum quidẽ medicinæ principem, qui ſalubri diæta præcipiat quid quantumq; ſit in victu ſequendum vel fugiendum: hunc verò, qui vino ſollicitudines adimat. Marſil. Ficinus lib. De vita cœlitus comparanda, duos hoſce Deos ſic copulat: Fratres certè ſunt indiuiduiq; comites Phœbus atq; Bacchus: ille quidem nobis duo potiſſimum adfert, lumen videlicet atque lyram: hic item præcipuè duo, vinum odoremque vini ad ſpiritum recreandum, quorum vſu quotidiano ſpiritus ipſe tandem Phœbæus euadit & liber. Philoſophorum eſt etiam ea ſententia, ſed tria tamen eſſe ad vitam longam, adeoque valetudinem tutandam neceſſaria conſtituunt. Prima eſt frugalitas, temperantia, ſobrietas (quam modò δίαιταν appellabamus) eam enim eſſe matrem ſanitatis aſſeuerant artis medicæ profeſſores: eam virtutum omnium domicilium prædicant philoſophi omnes; victus enim tenuis hoc efficit, vt in primis valeas bene, ait Flaccus 2. Satyr. Prudenter itaq; hortabatur Plutarchus iuuenes vt hæc tria curarent habere, in animo temperantiam, in lingua ſilentiũ, in ore pudorem. Secundò labor & exercitatio corporis moderata, ocium enim vires eneruat, vt rubigine ferrum exeditur. Bene Ouidius:

Apollo & Bacchus iuncti, quid.

Cernis vt ignauum corrũpant ocia corpus,
Et vitium capiunt, ni moueantur, aquæ.

Vtendum exercitationibus modicis, inquit Cato apud M. Tull. tantumque cibi & potionis vtendum, vt reficiantur vires, non opprimantur. Hac ſuper re conſule omnino Gymnaſticen Hieronymi Mercurialis. Tertiò voluptas animi honeſta & oblectatio: cor enim, in quo eſt calor vitalis, facilè moleſtijs atteritur, vt contra exhilaratur lætitia, viresq; ſumit. Qua ratione Ariſt. 4. de morib. ad Nicomach. riſum & iocũ ait ad vitam degendam eſſe neceſſarium. Democritus vitam beatam in vitæ tranquillitate poſuit, & riſui lætitiæque operam dabat. Legimus & ſapientiſſimum latorem legum Lycurgum, τῷ γέλωτι id eſt, riſui ſtatuam erexiſſe, eoque Lacedæmonios ad riſum & lętitiam inuitaſſe, Plutarch. in Lycurgo. Quare

Interpone tuis interdum gaudia curis.

In quatuor anni tempora.

EMBLEMA CI.



ADVENISSE hyemem frigilla renunciat ales.
Ad nos vere nouo garrula hirundo redit.
Indicat æſtatem ſeſe expectare cucullus.
Autumno eſt tantùm cernere ficedulas.

COMMENTARII.

I. QVATVOR depingantur aues, frigilla, hirundo, cuculus, & ficedula, arboribus inſidentes. Pictor hic de ſuo nimis liberalis quintam & ſextam addidit, nobis inuitis, veluti quintam rotam curtui iungens. Cæterum de frigilla agit Ariſtoteles lib. 8. Hiſtor. animal. cap. 3. De hirundine nos egimus Emblem. 70. De cuculo Emblem. 60. De ficedula verò Emblem. 94.

II. *Quatuor anni temporũ ſymbola.* Ex vulgari obſeruatione ſumptum Emblema: ſolemus enim per quatuor auicularum genera quatuor anni tempora deſignare. Frigilla hyemem ſignificat, hirũdo ver, cuculus æſtatem, ficedula autumnum. Sed & alia eſſe quatuor anni temporum ſymbola nemo eſt qui neſcit: vt veris, ciſta florũ, quia vere cuncta floreſcunt. Ciſta verò ſpicis referta æſtatem refert, vt eſt apud Euſebium. Et copiæ cornu vuis & pomis plenum autumni eſt index: ſicuti menſa apud ignem parata hyemem ſignificat. Nec ſolùm anni tempora huiuſmodi ſignis denotabant, ſed & integros Faſtos hoc modo ſibi conſtituebant. Reuoco in memoriam,

quod

quod olim puer in patria apud ruſticum ſeptuagenarium vidi, tabellas nẽpe buxeas duodecim, læues, ſubtiles, in modum libelli colligatas, in quibus ſingulis multiplices erant exaratæ figuræ, à paſtore, vt aiebat ille. Sed certè ſi iam maturius illa rumino, quæ memoria adhuc viuida ſuggerit, videntur mihi aliquid ſupra rus ſapere. Lubens etiam referrem ad Faſtos pictu ram illam mirabilem in auguſtiſſimo Prætorio Patauino, quę tot curioſa ingenia torquet, ſi frequentiores inuenirem aſtipulatores. Aſt hæc *παρέργως*.

III. *Hyems unde dicta.*

ADVENISSE hyemem] Hyems, pars anni frigidiſſima, ſic dicta *ἀπὸ τοῦ ὕω*, *pluo*. Vnde per y. ſcribendum cenſeo. Nec me mouet Varro, qui hyemem ab hiando deriuat, quod anima, quæ à nobis efflatur, tũ appareat: ſpiritus enim noſter hyeme quaſi in nebulam concretus cernitur.

Frigilla.

Frigilla] Auis à frigore dicta, quod eo canter & vigeat, vt quibuſdam placet; Grę cè, *σπίζα*. Germ. *FincK*. Hiſpã. *Aguzanieue*. De qua Ariſt. lib. 8. c. 3. de hiſtor. anim. Alij legunt Fringilla, & Fringuilla, indeq; verbum Fringultire deflecti putat Feſtus,

Fringultio.

quo vſus eſt Apuleius, pro præpeditè & obſcurius verba enunciare: Audiſti priuignum meum vix ſingulas ſyllabas fringultientem. Et iterum: Sæpe in rebus nequaquam difficilibus fringultit, vel omnino obmuteſcit. Sed apud Heſiodum non frigilla, ſed cornix habetur pro hyemis hieroglyphico:

μύτοι ὀρεζομένη κρώζη λακέρυζα κορώνη.

Quod Maro ita tranſtulit:

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce.
Et ſola in ſicca ſecum ſpaciatur arena.

Hirundo veris nunciа.

Garrula hirundo] De hirundine, & cur garrula dicatur, diximus Emblem. 70. Hirundines plures à mari conuolantes verni temporis indicium eſſe docent auctores. Ouidius 2. Faſtor.

Fallimur? an veris prænũcia venit hirũdo?

Notum eſt adagium: *Vna hirundo non facit ver*. Cui ſimile adagium aliud, *Audi Chelidonem*, eò quod hæc auis prænũciet veris aduentum. Lege Pierium lib. 22. Hieroglyph. Dicitur etiam à Sappho *ἦρος ἄγγελος ἱμερόφωνος ἀηδών*. *Veris nuncia blãdiloqua luſcinia*. Sed ciconiam reperio e-

Item ciconia.

tiam veris eſſe notam. Ea enim adueniente hyeme migrat in regiones calidiores, vere nos inuiſit. Sed & nonnulli addidere in æſtatis pictura, quia conſtat eſſe ex erraticis æſtatis. Adhæc Miluius eiuſdem temporis verni ponitur indicium, quia verno primùm tempore incipit apparere, certumq; ſit eius nuncium. Ei aui nomen *ἰκτῖνος* ab aduentu, quod magno ruſticorum & pauperum deſiderio exſpectatus accedat.

Cuculus] Vide quæ de cuculo diximus Emblem. 60. Tribuitur hoc idem hirundini à Philemone Comico:

ἡ μὲν χελιδὼν τὸ θέρος, ὦ γύναι, λάλει.
Hirundo æſtatem nuncias, ò mulieres.

Sed Ariſtophanis interpres Equitibus hoc citat: *νέα χελιδὼν ἐστὶν ἔαρος ἀρχή*. *Noua hirundo veris eſt initium.*

Ficedulas] Ficedulæ ab edendis ficis dictæ, autumno non ſolùm crebræ ſunt, ſed etiam moleſtæ. De his Emblem. 94. *Ficedula.*

HOC referendum videtur ad quaſque temporum & annorum viciſſitudines, vel ad ea, quæ ſuo, non alio tempore ſolent eſſe tempeſtiua, quorumq; magna vis eſt, ſi ſuo tempori vſum accommodemus. Rectè Ouidius: IV. *Tempori viciſſitudo.*

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt:
Et data non apto tempore vina nocent.

In hanc temporis quaſi cyclicam *μεταβολὴν* varij varia luſerunt, quæ huc non piguerit aſcribere, eaque potiſſimum, quæ maiorem cum hoc Alciati tetraſticho affinitatem habere mihi videntur. Lubẽs enim prætermitto Horatianam Odam 7. lib. 1. & 7. lib. 4. Ouid. ad Piſonem:

Ceſſat hyems, madidos & ſiccat vere capillos:
Ver fugit æſtates, æſtatum terga laceſſit
Pomifer autũnus, nebulis ceſſurus et vndis.

Idem primo de remedio amoris:

Poma dat autumnus, formoſa eſt meſſibus æſtas:
Ver præbet flores, igne leuatur hyems.

Et Triſtium quarto:

Vere prius flores, æſtu numerabis ariſtas,
Poma per autumnũ, frigoribusq; niues.

Claudian. de ſene Veronenſi, qui nunquam pedem limine ſui tugurioli extulerat:

Frugibus alternis, non Conſule computat annum:
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager ſoles, idemq; reducit:
Metiturq; ſuo ruſticus orbe diem.

Ætates hominis têporibus anni comparata.

Barthol. Anulus in Poeſi picta, ad hominũ magniq́ue mundi perpetuũm & æternum curſum ingenioſè traduxit:

Ver, æſtas, autũnus, hyems, hæ quatuor anni
Sunt tempeſtates orbe volubilibus.
Quatuor ætates homo ſic habet integer æui,
Qui puer, hinc iuuenis, mox vir, & inde ſenex:
Æterno vt ſimilis mundo reuolutio vitæ
Nos itidem æternos arguit eſſe homines.

Iſtud nimirum eſt, quod Eratoſthenes non inſcitè ætatis partem vigentem ver eſſe dixit; eam autem partem, quæ vigori & flori ſuccedit, æſtatem & autumnum; & hyemẽ rigentem & frigentem ſenectutem. Eandem ſententiam complexus eſt Naſo 15. Metamorph. hac verborum ſerie:

Quid? non in ſpecies ſuccedere quatuor annũ
Aſpicis, ætatis peragentẽ imitamina noſtræ?
Nã tener & lactens, puerique ſimillimus æuo
Vere nouo eſt, tunc herba recens, & roboris expers
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.
Omnia tunc florẽt, florũq; coloribus almus
Ludit ager, neq; adhuc virtus in frondibus vlla eſt.
Tranſit in æſtatem poſt ver robuſtior annus,
Fitq; valens iuuenis; neque enim robuſtior ætas
Vlla, nec vberior, nec quæ magis ardeat, vlla eſt.
Excipit autumnus, poſito feruore iuuentæ,
Maturus, mitisq; inter iuuenemq; ſenemq;
Tẽperie medius, ſparſus quoq; tẽpora canis.
Inde ſenilis hyems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet, alba capillos.
Noſtra quoq; ipſorum ſemper, requieq; ſine vlla
Corpora vertuntur: nec quod fuimusve, ſumusve
Cras erimus.

Tempor vices à Deo.

Facere hic non poſſum, quin immenſum hoc Dei beneficium, ſi non pro dignitate extollere (quis enim iſtud queat?) at delibare inſtituam, quòd gratiſſimas has vices temporum, æſtatis & hyemis, ſementis ac meſſis, dierum & noctium fecit, vt terra ac animantia conſeruarentur. Abſq; his vicibus res humanæ durare non poſſent. Perpetua enim æſtas omnia exureret, perpetua hyeme omnia rigerent & corrumperentur. Hinc ſcitum illud principis poetarum, ex intima Philoſophia depromptum, vt alia vatis illius permulta, quod vehementer mihi ſemper arriſit:

Non res hunc teneræ poſſent perferre laborẽ,
Si non tanta quies iret, frigusq; caloremq;
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

Ad has autem temporum vices conſeruandas, & rerum naſcentium fœcunditatem augendam, admirabili ſapientia Deus motum Solis & Lunæ & conuenientes ſtellarum ortus & occaſus accommodauit. O magnum diuinæ bonitatis argumentum? De anno & eius partibus extat ænigma tale:

Ænigma de anno.

Eſt genitor, natos qui bis ſex procreat, vni
Cuiq; horum natæ triginta, diſpare forma:
Quædam ſunt nigræ, quædam ſunt vultibus albæ:
Sunt immortales omnes, moriuntur & oẽs.

Huc refer prouerbium, *Ver hyemem ſequitur*, & varios locos Hieroglyph. Pierij. Idipſum ait Seneca. Epiſtola quadam ad Lucilium diſcipulum: Nullius rei finis eſt, ſed in orbem nexa ſunt omnia, fugiunt atq; ſequuntur. Diem nox premit, dies noctem: æſtas in autumnum deſinit: autumno hyems inſtat, quæ vere compeſcitur: omnia tranſeunt vt reuertãtur. Nos quoq; alio tranſimus.

Scyphus

Scyphus Neſtoris.

EMBLEMA CII.



NESTOREVM geminis cratera hunc accipe fundis,
Quod grauis argenti maſſa profudit opus.
Claniculi ex auro, ſtant circum quatuor anſæ:
Vnamquamque ſuper fulua columba ſedet.
Solus eum potuit longæuus tollere Neſtor.
Mæonidæ doceas quid ſibi Muſa velit?
Eſt cælum, ſcyphus ipſe: colorq; argenteus illi,
Aurea ſunt cæli ſidera clauiculi.
Pleiadas eſſe putant, quas dixerit ille columbas:
Vmblici gemini magna minorq; fera eſt.
Hæc Neſtor longo ſapiens intelligit vſu:
Bella gerunt fortes, callidus aſtra tenet.

COMMENTARII.

HVIVS Emblematis pictura ſatis ex ſubſequentibus conſtabit. Nempe Neſtor vir ſenex & grauis, ſcyphum tenẽs argenteum, duobus fundis, aureis clauiculis, & quatuor anſis præditum, ſuper quas ſingulas aurea ſedet columba. Cæterarum editionum ſcyphus, me iudice, accommodatior eſt, anſæ enim & duplex fundus hic vix ac ne vix quidem apparent.

II. *Neſtoris crater.* POCVLI Neſtorei deſcriptio ex Homero ſumpta eſt. Quid verò ea compoſitio ſignificet, ex Athenæo. Homeri interpres memorat, Neſtorem, quamquam ſenex admodum eſſet, poculum ſuſtuliſſe, cũ cæteri iuniores vix à menſa tollerent. Sic habet Homeri locus:

Πὰρ δὲ δέπας περικαλλὲς ὃ οἴκοθεν ἦγ' ὁ γεραιὸς
χρυσείοις ἥλοισι πεπαρμένον· οὔατα δ' αὐτοῦ
Τέσσαρ' ἔσαν, δοιαὶ δὲ πελειάδες ἀμφὶς ἕκαστον
χρύσειαι νεμέθοντο, δύω δ' ὑποπυθμένες ἦσαν.
Ἄλλος μὲν μογέων ἀποκινήσασκε τραπέζης
πλεῖον ἐόν. Νέστωρ δ' ὁ γέρων ἀμογητὶ ἄειρεν.

Quem ſic vertebat Franciſcus Sanctius:

Et pulchram iuxta phialam, quam duxerat aureis
Transfixam clauis longæuus: quatuor anſæ
Huic inerant; geminæ circum vnamquamque columbæ
Ex auro ardebant: geminis erat abdita fundis.
Hanc, ſi plena foret, magno conamine quiſquam
A menſa, Neſtor verò facilè ipſe leuabat.

Athenæus de poculo Neſtoris. Verba porrò Athenæi ad hunc ferè modum ſe habẽt: Neſtoris poculum quatuor aures, vt Homerus teſtatur, habebat; quod ita Poeta deſcripſit, vt cœli faciem repræſentaret. Argentum enim, quo tantum poculum conflatum erat, cœli colorem indicat; claui aurei, ſtellas; Peliades, quæ circũ aures erant, Pleiades referebant (Peliadas ſiquidem ſæpe pro Pleiadas poſuerunt Poetæ) vt Simonides & Pindarus teſtãtur, per tranſmutationem literæ. Et quando Homerus πελειάδας, id eſt, columbas inducit Ioui ferentes ambroſiam, de Pleiadibus, non de columbis eſt intelligendum. Hæc breuiter ex longiſſima Athenæi diſputatione, quem vide Dipnoſophiſt. 10. c. 12. ſed maximè 13. libri 12. Quædam non pœnitendæ lectionis adnotauit de illo cratere Neſtoreo Cornelius Vitellius Annotationibus in Georgium Merulam.

GEMINIS fundis] Meminit huius poculi, vti & columbarum, Martialis lib. 8. Epigram. in Euctum: III.

Hi duo longæuo cenſentur Neſtore fundi,
Pollice de Pylio trita columba nitet.

Quod grauis argenti] crater factus è maſſa argentea. Circumlocutio, qua nimirum Neſtoris ſcyphum commendat à materia.

Stant circum quatuor &c.] Quatuor, inquit Alciatus, anſas ſeu aures habebat poculum, & totidẽ columbas: ſed Athenæus ſex ponit columbas, *Quæ*, vt inquit Ouid. in Faſtis, *ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent.* Vide igitur num Alciatus fuerit memoria lapſus. *Alciati lapſus.*

Fulua columba] Fuluam, auream interpretor, ne quis ad colorem ſimpliciter referat.

Potuit longæuus tollere Neſtor] Sic enim Homerus:

Vix alij plenum poterant ſuſtollere menſa
Poculum, at ipſe ſenex Neſtor facilè abſtulit illud.

De Neſtore, eiusq; ætate diximus ſatis Emblem. 25.

Mæonida] Homeri. Cur autem Homerus dicatur Mæonides, dictum eſt Emblemate 4.

Eſt cælum &c.] Tribus diſtichis ſequẽtibus continetur ἐπιμύθιον, vel vt melius dicam, poculi ἐξήγησις.

Scyphus ipſe] σκύφος maſculinum eſt & neutrum, flexu item variante, vt eſt auctor Athenæus. Diciturq; vt ipſe putat, Scyphos quaſi Scythos, à Scythis, quibus ebrietas nimio plus frequens eſt: proinde Scythiſſare, inebriari eſt. Vide de hoc nonnihil in adagio, *Epiſcythiſſare*. Eſt porrò ſcyphus vas ligneum rotundum, lac ſerũque capiens, Herculi dicatum, vt cãtharus Baccho. De ſcyphis & varijs poculorum generibus vide quæ memoriæ prodidit Iohan. Bruuerinus de re cibaria lib. 3. c. 9. Cœlius Rhodig. lib. 27. cap. 27. Guido Pancirollius *Scyphus.* *Scythiſſare.*

rollius de rebus memorab. lib. 1. tit. 2. de Porcellanis.

Pleiades. *Pleiadas eſſe putant*] Columbæ repræſentant Pleiades, numero tamen non obſeruato. Pherecydes tradit ſeptem ſorores fuiſſe, Lycurgi filias ex Naxo inſula. Et quia Liberum educauerunt, eas à Ioue inter ſidera fuiſſe relatas. Harum nomina putantur, Celæno, Sterope, Merope, Alcyone, Maia, Taygeta, Electra. quarum ſeptima (vt ait Aratus) vix cerni poteſt, propterea quidam exiſtimant vocatam Electram. Sunt qui pudore occultaſſe ſe dixerint, quòd cum aliæ Dijs nupſiſſent, ſola Electra nupſit mortali. Alij, quod illa non tulerit ſpectare ruinas Troiæ, manumq; ante oculos oppoſuerit. Lege Ouid. 4. Faſtor. Proclus verò Diadochus in Heſiodum, ſeptem tradit Atlantis filias, ex Pleione Nympha genitas, vnde ſint Pleiades appellatæ; cæterùm non eſſe has aliud intelligit, quàm δυνάμεις ἀγγελικὰς τῶν ἑπτὰ σφαιρῶν, id eſt, *Angelicas ſeptem ſphærarum vires.* *Quid ſignificent.* & Celæno quidem ſphæræ Saturniæ, Steropen Iouis, Meropen Martis, Alcyonen Veneris, Maiam Mercurij, Taygetam Lunæ, Electram (quam à ſparſis crinibus etiam Cometen nuncupant, etiāſi Maiæ hoc tribuit Arati interpres) Solis. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 16. c. 16. Seruius: Pleiades, inquit, ſignum eſt ſeptem ſtellarū ante genua Tauri; quod ortu ſuo primū nauigationis tempus oſtendit. Vnde Græcè πλειάδες dicuntur, ἀπὸ τοῦ πλέειν. *nauigare.* *Vergiliæ.* Latinè dicuntur Vergiliæ, à verni temporis ſignificatione, quo oriuntur. Plin. lib. 2. cap. 41. Gellius lib. 13. cap. 9. Fit hæc dictio aliquando tetraſyllaba. Propertius:

Nō hæc Pleiades faciunt, nec aquoſus Oriō.

Interdum e. litera abijcitur, & dicitur Pliades. Stat. 1. Silu.

Nec per & Ægæas Hyadas, Pliadumque niuoſum
Sidus.

Vmblici gemini] ſic ego lego per ſyncopen, vt ſtet metrum.

Magna minorq; fera eſt.] Hemiſtichiō Ouidianum ex lib. 4. Triſt. Eleg. 3.

Magna minorq; feræ: quarum regit altera Graias,
Altera Sydonias, vtraq; ſicca rates.

Vrſa duplex. Vrſam maiorem ſiue Elicen, & minorem ſiue Cynoſuram intelligit, quæ Græcis arcti dicuntur, ſuntq; Septentrionali polo velut axe quodā nixæ, & arctico circulo clauſæ, ſicq; diſpoſitæ, vt reſupinata vtraq; caput alterius contegat: cuius autem caput quæ ſuperior eſt, ad inferioris caudam contendat. De his Ouid. Faſtorum 4. Vrſarum fabulam verò Metamorph. 2. Habet ergo ſidus illud figuram ſimilem plauſtri, vnde antiqui Græcorum ἅμαξαν, hoc eſt, *plauſtrum* dixerunt. Noſtri quoq; à bobus iunctis Septentriones appellauerunt, hoc eſt, à ſeptem ſtellis, ex quibus quaſi iūcti triones figurantur. Gellius lib. 2. cap. 21.

Longo vſu] longa exercitatio & experiētia doctrinam parat certiſſimam, potiſſimū quę ad diſciplinam aſtronomicam longa obſeruatione opus eſt. Vide prouerbium. *Aſſidua ſtilla ſaxum excauat.* vbi auctor hoc ad aſſiduitatem refert, quod hic Alciatus ad Aſtrologiam retulit. Vter melius ſenſerit, ego pedaneus iudex non decido. Vtramq; ſententiam elicies ex Athenæo.

Bella gerunt fortes &c.] Collatio eſt diſſimilium: qui corpore ſunt firmo & valenti committunt prælia, atque inter ſe dimicant: ſapiens verò rapitur & ducitur ad rerum cœleſtium cognitionem. Ars enim eſt longi vſus & obſeruationis, quæque plus poteſt in rebus arduis, quàm robuſti corporis vires.

Callidus aſtra tenet] iuxta illud: *Sapiēs dominabitur aſtris.* Dicitur autem callidus, qui callum longo artis vſu ſibi induxit, auctore Donato. Callidus rerum iudex, apud Horatium 2. Serm. pro prudenti & intelligenti rerum æſtimatore. *Callidus.*

IV. *Neſtoris crater.*

HOMERVS in Neſtore, ſene eloquētiſſimo & conſultiſſimo, typum ſapientiæ repræſentat: cuius patera geminis fundis, argentea, clauiculis aureis, quatuor anſis, & ſub harum quaq; ſedens columba, cœlum & pulcherrimum aſtrorum ornatum ſignificabat. Nam crater, cui ſit color argēteus, clauiculis aureis, cœlum refert puriſſimum, & ſtellas aurei coloris: colūbæ ſunt Pleiades: duo vmbilici, vtraq; Vrſa. Hoc igitur ſchemate Aſtronomiam tacitè commendabat, quam quidem ſolus ſapiens & apprimè exercitatus ingenio poteſt aſſequi, vt ſolus Neſtor ſuum poculum manu ferre poterat. De huius pulcherrimæ artis excellentia plura repetere licet ex Plinio varijs locis, ſed potiſſimùm lib. 7. cap. 37. quem vide; nos properamus.

Quæ ſupra nos, nihil ad nos.

EMBLEMA CIII.



CAVCASIA æternùm pendens in rupe Prometheus
Diripitur ſacri præpetis vngue iecur.
Et nollet feciſſe hominem: figuloſq́; peroſus
Accenſam rapto damnat ab igne facem.
Roduntur varijs prudentum pectora curis,
Qui cæli affectant ſcire, Deumq́; vices.

COMMENTARII.

I. PROMETHEVS gigas nudus rupi cathenis ferreis alligatus cernitur, cuius præcordijs inſidens aquila, roſtro renaſcentia arrodit viſcera. Emblematis inſcriptio ſumpta eſt ex dictis Socratis: τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς, οὐ πρὸς ἡμᾶς. quod adagij vice ponitur à doctis. *Epigraphe.* Sanctius ex vltimo epigrammatis diſticho, in quo totius emblematis cardinem eſſe dicit, aliam elicit inſcriptionem, ſic enim reponit: *Qui addit ſciētiam, addit dolorem.* vt legimus in ſacris literis.

II. FABVLAM Promethei præter alios plurimos narrat Heſiodus latè in Theogonia, tangit in Georgicis. Sed nos ex varijs concinnatam adducemus, maximè ſequentes Iulij Higinij in poetico aſtronomico, cap. de Sagitt. *Promethei fabula.* Prometheus Iapeti filius, qui propter excellentiam ingenij miram, hominem

minem finxiſſe exiſtimatur, dicitur à Ioue impetraſſe, vt partem hoſtiæ in ignem conijcerent, partem in ſuo conſumerēt victu: idq; poſtea cōſuetudo confirmauit. Quod cùm facile à Deo, non vt ab auaro homine impetraſſet, ipſe Prometheus immolat tauros duos, quorum primùm iecinora cùm in aram poſuiſſet, reliquam carnem ex vtroq; tauro ab oſſibus diuiſam, & in vnum compoſitam corio bubulo texit; oſſa autem, quæ circa reliqua fuerunt, pelle cō tecta in medio collocauit, & Ioui dedit optionem, vt quam vellet eorum ſumeret partem. Iupiter autem, etſi non pro diuina fecit cogitatione, neque vt Deum licebat omnia, quæ debuit ante præuidere, ſed (quoniam credere inſtituimus hiſtorijs) *Iupiter à Prometheo deceptus.* deceptus à Prometheo, vtrumque putans eſſe taurum, delegit oſſa pro ſua dimidia parte. Itaq; poſtea in ſolennibus & religioſis ſacrificijs, carne hoſtiarum conſumpta, reliquias, quæ pars fuit eorum, eodem igne comburunt. Sed vt ad propoſitum reuertamur, Iupiter cum factum reſciſſet, animo percitus mortalibus eripuit ignem. Prometheus verò conſuetus inſidiari, ſua opera ereptum mortalibus ignem reſtituere cogitabat, itaq; cæteris remotis auxilio Mineruæ in cœlum aſcendit, ibiq; ad Iouis ignem venit (alij dicunt, ferulam ad ſolis currum admouiſſe) quo diminuto & in ferulam coniecto, lætus, vt volare videretur, non currere, ferulam iactans, ne ſpiritus interclusus vaporis extingueret in anguſtia lumen. Itaq; homines adhuc plerunque qui lætitiæ nuncij fiunt, celerrimè currunt. Præterea in certamine ludorum curſoribus inſtituerunt ex Promethei conſuetudine, vt currerent lampadem iactantes. De quo vide adagium, *Curſu lampada trado*. Pro quo facto Iupiter Vulcano imperauit, vt fœminam è luto componeret, quæ cum aſtutiſſima eſſet, & omnibus artibus *Pãdora.* à Dijs donata, vocata fuit Pandora. Hæc miſſa fuit ad Prometheum cum malis omnibus in vaſculo incluſis, quod munus cū ſpreuiſſet Prometheus, illa ad Epimetheū, Promethei fratrem, contendit, qui dempto vaſculi operculo omnia mala euolare ſentiens, vix vltimam, & in imo reſidentem ſpem occluſit, cum qua vas illud ſeruauit. Cùm verò Prometheus Iouis munus reiecisset, quod inſidias formidaret, dicitur à Mercurio Iouis iuſſu ad Caucaſum, Scythiæ montem aſperum & inhabitabilem, ferreis vinculis alligatus, eiq; aquila, vel vt alijs placet, vultur additus, qui perpetuò cor exederet, exeſumq; renouaretur. Martialis lib. 1.

Qualiter in Scythica religatus rupe Prometheus
Aſſiduam nimio pectore pauit auem.

Hæc ideò ficta eſſe aſſerit Ariſtides lib. 2. contra Platonem, quia Prometheus Rhetoricen communicauit mortalibus. *Mythologia.* Qua de re vide plura in adagio, *Communis Mercurius*. Plato in Protagora, ſapientiam à Prometheo ſurreptam ait, hominibusq; communicatam, cuius hæc ferè verba ſunt: Cōmunem Vulcani & Mineruæ officinam, in qua artes excolebantur, clam ingreſſus, furatus eſt Vulcani artem igneam, aliamque Mineruæ, qua viuendi facultas obuenit. Idem Plato in dialogo de Regno, à Prometheo ignem, à Vulcano artes datas hominibus eſſe tradit. Nec ſolùm ignem, ſed plurimas alias artes generi humano vtiles inueniſſe, de ſe ipſo teſtatur Prometheus apud Aeſchylum, quem vide. Plutarchus in libello de Fortuna: Prometheus, inquit, furtim è cœlo nobis afferens ignem, id eſt, rationem, omnia iſta ſuppeditat. Et paulò inferiùs: Fabella de Promethei igne alio atque alio viritim omnibus diuiſo, ſub inuólucro indicat partes prudentiæ in orbem particulis exiguis eſſe diſperſas, deinde ſe recepiſſe in ordinem. Plinius lib. 7. cap. 56. ait Prometheum aſſeruare ignem in ferula, primum docuiſſe. Cicero in Tuſcul. Prometheum ait virum quēdam perſpicacem fuiſſe, & in rebus arcanis apprimè verſatum, quas hominibus communicauerit: huic Iouem iratum, quòd veritas in profundo demerſa videatur. Iecur autem ab aquila exeſum ſignificat ſollicitudines & curarum ardores, quibus vel prudentiores irretiantur, quarum vinculis cùm ſe conantur expedire, in alias moleſtiores recidunt. Fulgentius in Mythologico, non ab aquila Promethei cor, ſed à vulture corrodi tradit, idque perbellè interpretatus eſt. Quędam ſunt apud Aphrodiſæum in problematis perdocta ſanè, & ad mythologiā pertinentia. Menander ſuauiſſimus Poeta, meritò torqueri Prometheum, inquit, quia fœminam, ſcilicet omnium humanarum calamitatum autorem, & ſceleſtum omnino animalis genus inuenerit, vt eſt in his: *Prometheus fœminas inuenit.*

εἶτ' ὁ

εἶτ' οὐ δικαίως προσπεπατταλευμένον,
Γράφουσι τὸν προμηθέα πρὸς ταῖς πέτραις;
καὶ γίνετ' αὐτῷ λαμπὰς ἄλλο δ' οὐδὲ ἓν
Α'γαθὸν ὃ μισεῖν οἴμ' ἅπαντας τοὺς θεοὺς,
Γυναῖκας ἔπλασσεν· ὦ πολυτίμητοι θεοὶ,
Γένος μιαρὸν. hoc eſt:

Ergo immerentem dictitant Prometheum
Pendere fixum Caucaſi de rupibus?
Repertus ignis huic, aliud nihil boni,
Sed quod Deos odiſſe cunctos credidi,
Inuenit idem fœminas. ò Dij boni,
Genus neſandum.

Duris autem Samius ſcriptum reliquit, Prometheum fuiſſe coniectum in vincula quia Palladem amauerit. Scholiaſtes Apollonii Rhodii id figmentum retulit ad hiſtoriæ fidem. Ait enim ex Agreta neſcio quo ſcriptore rerum Scythicarum, Promethei cor ideò abſumi ab aquila, iuxta poetarum commenta, quòd ſuam regionem fluuius (cui nomen Aquila) frequenti eluuione corrumperet. Cum verò Hercules quibuſdam foſſis fluuium auertiſſet, ex eo factum, vt diceretur aquilam abegiſſe, ac Prometheum liberaſſe. Alij ſecus tradunt, Prometheum nempe cum præſtare non poſſet incolis Scythicis, quibus præerat, ea quæ neceſſaria eſſent, ob inundationem fluuii Aquilæ, in vincula coniectum, neq; ſolutum inde, donec Hercules fluuium in mare deduxiſſet.

Hiſtorica de Prometheo.

Seruius Grammaticus in Sileno Virgil. aliam allegoriam huius fabulæ affert, & quæ magis fortaſſe quadrat huic noſtro Emblemati. Prometheum Aſſyrijs Aſtrologiam indicaſſe, quam in monte Caucaſo diutina obſeruatione deprehenderat. Aquilam eſſe ſolicitudinem, quæ illius cor vexaret & corroderet. Per Mercurium debere intelligi prudentiam: deprehendiſſe rationem fulminum Prometheũ, hominibusq; indicaſſe Sed ne longior ſim, vide ipſum Seruium in illo verſu:

Seruij de Prometheo allegoria.

Caucaſeasq; refert volucres, furtumq; Promethei.

De Prometheo argutè ſatis Antonius Thyleſius:

Illuſit ſuperos quõdam vafer omnibus vnus
Mortalis, tacitas ſurripuitq; faces.
Iupiter vlciſcens; mortales imperat omnes
Ludat vt occultis ignibus vnus Amor.

Sed nunc tandem audiamus queſtus ipſius Promethei ad Caucaſum alligati, apud Aeſchylum, vt Cicero vertit 2. Tuſcul.

Querela Promethei ad Caucaſi alligati.

Titanum ſoboles, ſocia noſtri ſanguinis
Generata cœlo, aſpicite religatum aſperis
Vinctumq; ſaxis, nauem vt horriſono freto
Noctem pauentes timidi adnectunt nauitæ.
Saturnius me ſic infixit Iupiter,
Iouis numen Mulcibri aſciuit manus.
Hos ille cuneos fabrica crudeli inſerens
Perrupit artus: qua miſer ſolertia
Tranſuerberatus caſtrũ hoc furiarũ incolo.
Iam tertio me quoq; funeſto die
Triſti aduolatu aduncis lacerãs vnguibus
Iouis ſatelles paſtu dilaniat fero.
Tum iecore opimo farta & ſatiata affatim
Clangorẽ fundit vaſtũ, & ſublime aduolãs
Pinnata cauda noſtrum adulat ſanguinẽ.
Cum verò adeſum inflatu renouatum eſt iecur,
Tum rurſus tetros auida ſe ad paſtus refert.
Sic hunc cuſtodem mœſti cruciatus alo,
Qui me perenni viuum fœdat miſeria.
Namq; vt videtis, vinclis conſtrictus Iouis,
Arcere nequeo diram volucrem à pectore.
Sic me ipſe viduus peſtes excipio anxias,
Amore mortis terminum inquirens mali:
Sed longè à letho numine aſpellor Iouis.
Atq; hæc vetuſta ſæclis glomerata horridis,
Luctifica clades noſtro infixa eſt corpori:
Ex quo liquatæ Solis ardore excidunt
Guttæ, quæ ſaxa aſſiduè inſtillant Caucaſi.

De Prometheo præter citatos agunt Phornutus in libro de Nat. Deor. cap. de Prometheo. Lucianus in Prometheo ſeu Caucaſo; & in Deorum dialog. ſub perſonis Iouis & Promethei; & in opuſculo de ſacrificijs, & in Amoribus. Philoſtratus lib. 2. Plato lib. de nat. hominis. Horatius lib. 1. Carm Od. 3. Diogenes Laertius lib. 1. de vita Philoſoph. Cœl. Rhodigin. lib. 7. c. 19. 20. & 21. Natalis Comes Mytholog. lib. 4. cap. 6. & alij multi, quorum aliquos etiã infra citabimus. Extant etiam duo Epigrãmata Græca Iuliani in lib. 4. Epigram. Græcor. tit. εἰς εἰκόνας ἡρώων.

CAVCASIA rupe] Sic Politianus in Nutritia: III.

Nondum Caucaſia pendens in rupe Prometheus.

Æternùm] aduerbium, pro perpetuò. Sed hic dignum videtur inquiſitione, quãobrem dixerit, *æternùm*. quandoquidem poſtea ſolutus ſit Prometheus, vt ex Luciano & Higino locis citatis conſtat. Duplicem aſſigno reſponſionem: Vel enim *æternùm* capitur pro longiſſimo temporis ſpatio,

ſpatio, ſiquidem, vt ait Aeſchylus, ad triginta millia annorum iacuit religatus. Aut reuera nunquam fuit ſolutus: nam ne Iouis iuſiurandum irritum caderet, ex duabus rebus, hoc eſt, ferro & lapide, quibus Prometheus fuerat alligatus, digitū illius Iupiter vinciri iuſſit, & ita eum ſoluit, quoniam illi vaticinatus eſſet, quod ſi rem cū Nerine nympha (alij vocant Themida) haberet, futurum erat, vt filius naſceretur, à quo eadem Iupiter pateretur, quæ ab ipſo paſſus fuerat Saturnus. Qua conſuetudine homines vſi, quo ſatisfacere Prometheo viderentur, annulos lapide & ferro concluſos habere cœperunt. Qua de re meminit Plinius in procemio libri 36. his verbis: Quæ fuerit origo gemmarum, & quibus initijs in tantum hęc admiratio exarſerit, diximus quadamtenus in mentione auri annulorumque. Fabulæ primordium à rupe Caucaſea tradunt, Promethei vinculorum interpretatione fatali; primùmq; fragmentum ſaxi incluſum ferro, ac digito circūdatum hoc fuiſſe annulum, & hoc gemmam. Vnde quoq; eſt, vt ſolus ferreus annulus, quo diu Romani ſunt vſi, id poſſit ſignificare. Sed de annulorum origine, eorumq; vario geſtandi ritu, conſule doctiſſimum Scholiaſten Pancirollij lib. 1. de rebus memorab. tit. De Legatis.

Origo annulorū.

Prometheus vnde dictus.

Prometheus] Ex etymo nominis oſtenditur Prometheum vatem fuiſſe; nam *προμήθεια* prudentiam, prouidentiamq; ſignificat; & *προμηθεύομαι*, proſpicio, prouideo. Vnde adagium, *προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα*. id eſt: *Prometheus poſt res confectas*.

Diripitur iecur] pro iecore, Græca locutio frequentiſſima Poetis, in qua deeſt præpoſitio *κατὰ*, id eſt, *ſecundum*. vt, nuda pedem, fractus membra. Ouidius:

——Partes quaſcunq; ſedendo
Flectitur.

Sacri prapetis] id eſt, auis diuinæ. Periphraſis aquilæ, quæ, vt alibi diximus, Ioui ſacra eſt. In qua ſignificatione vſurpatur à Virgilio 3. Aeneid.

Et volucrum linguis, & præpetis omina pennæ.

Præpes.

Præpes autem, vt docet Gell. lib. 6. cap. 6. auis dicitur, quæ opportunè in auguriis præuolat. Blondus præpetes dici ait, quæ ſe antè auſpicantem ferunt, nam præpetere dicebant anteire. Ouidius Faſt. 6.

Tunc oritur magni præpes adunca Iouis.

Hanc autem Promethei aquilam (inquit Higinus) nonnulli ex Typhone & Echidna natam: alij ex Terra & Tartaro: complures Vulcani factam manibus demonſtrant, animamq; ei ab Ioue traditam dicunt.

Prometheus hominē finxit.

Et nollet feciſſe hominem] Prometheus enim hominem finxiſſe, & igne clam è cœlo ſublato eundem animaſſe creditur. Ouidius lib. 1. Metamorph.

Natus homo eſt: ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, ſeductaq; nuper ab alto
Æthere cognati retinebat ſemina cœli.
Quam ſatus Iapeto miſtā fluuialibus vndis
Finxit in effigiē moderātum cuncta Deorū.

Qua ratione.

Fama eſt, Prometheum cùm hominem fingeret, portiones acceptas è ſingulis elementis ſuo operi admiſcuiſſe, atq; pro ipſorum elementorum temperamentis non ſolum vires ſingulis corporibus addidiſſe, ſed etiam motus aniorum & mores. Qui verò magis etiam fabuloſè rem aggreſſi ſūt explicare, dixerunt, timorem leporis, aſtutiam vulpis, ambitionem pauonis, feritatē tigridis, iracundiam leonis, & magnitudinem animi fuiſſe hominibus ab ipſo Prometheo adiunctas: quod ita ſignificauit Horatius in primo Carm.

Fertur Prometheus, addere principi
Limo coactus particulam vndiq;
Delectam, & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Memoriæ prodidit in Phocaicis Pauſanias, non procul à Panopenſibus apud torrentem quędam ſaxa fuiſſe ingentia, reliquias creditas eius luti, è quo Prometheus vniuerſum genus hominum finxit. Hunc poetica quadam cum ſuauitate reprehendit Propertius lib. 3. quia cum plurimum operæ in corpore hominum rectè formando conſumpſiſſet, mentem neglexerit, in qua ſcitè & optimè formanda totum ſtudium erat adhibendum, ſic enim inquit:

O prima infelix fingenti terra Prometheo,
Ille parum cauti pectoris egit opus:
Corpora diſponens, mentē non vidit in arte;
Recta animi primùm debuit eſſe via.

Figuloſq; peroſus] quia ex luto hominē finxerat, materia ſcilicet figulina.

Ab igne] Solis intellige, vt plerịq; fabulantur; quamuis ſupra etiam diximus ignē

illum

illum fuiſſe Iouis.

Redduntur varijs] Hæc duo carmina videntur alludere ad dogma illud Pythagoricum, *Cor ne edito*. hoc eſt, animum doloribus angoribusq; non excruciandum, vt explanat Diogenes Laertius in vita Pythagoræ.

Prudentum] nimium altè ſapientum. Bene dixit, *prudentum*: nam reliquos non ſimilis macerat cura; & Prometheus prudentes refert. Hinc Alex. Aphrodiſ. in problem. ſententia: Similiter, inquit, Prometheus cum ſapiens eſſet, ſidereæque aquilæ cauſam perueſtigaret, naturamq; eius ac ſitum, cumq; diſcēdi cupiditate veluti exederetur, tum demum quieuit, cùm ei Hercules dubitationem omnem ſua ſapientia ſoluit.

Qui cœli affectant.] Iophon Bacchis, vt refert in Eclogis Stobæus:

Ε'πίσαμαι ϗ τάδε, οὕτω περγυνὴ
Ω'ς μᾶλλον ὅςις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
Ζητεῖ, τοσοῦτο μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

IV. *Quid per Prometheū Caucaſo alligatum.*

VARIA hoc Emblema nobis ſuppeditat documenta, ſed quædam libaſſe ſufficiat. Macrob. lib. 1. in Somnium Scipionis, huius fabulæ myſterium exponit. Per vulturem, ſiue aquilam, iecur immortale tundentem, nihil aliud intelligunt priſci illi Theologi, inquit, quàm tormenta malæ conſcientię obnoxia flagitio viſcera interiora rimantis, & ipſa vitalia indefeſſa admiſſi ſceleris admonitione laniantis, ſemperque curas, ſi forte requieſcere tentarint, excitantis, tamquam fibris renaſcentibus inhærendo, nec vlla ſibi miſeratione parcentis, lege hac, qua ſe iudice nemo nocens abſoluitur, nec de ſe ſuam poteſt vitare ſententiā. Cui videtur aſſentiri Petronius his hendecaſyllabis:

Cur vultur iecur vltimum pererrat,
Et pectus trahit, intimaſq; fibras,
Non eſt quem lepidi vocant poetæ:
Sed cordis mala, liuor atq; luxus.

Hic autem conuertitur fabula vel in eos, qui diuina Philoſophiæ myſteria neſcio qua mente ſubtilius conantur indagare: vel in eos, qui naturali iudicio, fidei Chriſtianæ oracula complecti, vel etiam ipſa arcana diuina (quæ ſcrutari periculoſiſſimū eſt, vt quid planè *ἀδύνατον*) diſcutere, deque ijs humano ſenſu aliquid ſtatuere ſe poſſe putant: ad quæ certè humani oculi caligant, vt noctuæ ad lumen Solis diurnum. Proinde Sapiens Prou. 25. *Qui ſcrutatur maieſtatem, opprimetur à gloria.* Quò etiam ſpectat illud Euripidis: *φρονεῖν δὲ θνητὸν οὐ χρὴ μέγα*. id eſt. *Mortalem non decet altum ſapere.* Scitu digna ſunt illa Arnobij lib. 2. contra Gent.

Præclarus Arnobij locus, in futurorū coniectores.

Quæ nequeunt ſciri, neſcire nos confitemur, neque ea conquirere aut inueſtigare curamus, quæ comprehēdi liquidiſſimum eſt non poſſe, quamuis mille per corda ſuſpicio ſe porrigat atq; intendat humana. Et ideò Chriſtus, cum mortalium sciret cæcam eſſe naturam, neq; vllam poſſe cōprehendere veritatem poſitarum ante oculos rerum, pro comperto habere, & cognito, quicquid ſibi eſſe ſuaſiſſet, & prorſus ſuſpicionibus hæſitare, litigioſas ſerere atque intēdere quæſtiones; omnia illa nos linquere & poſthabere præcipit, neque in res eas, quæ ſint à noſtra procul cognitione dimotæ, infructuoſas immittere cogitationes. Et deinceps: Quid eſt, inquit, vobis veſtigare, conquirere, quiſnam hominem fecerit? animarum origo quæ ſit? quis malorum excogitauerit cauſſas? orbe ſit Sol amplior, an pedis vnius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an proprijs luceat fulgoribus Luna? quę neq; ſcire compendium, neque ignorare detrimentum eſt? Remittite hæc Deo, atq; ipſum ſcire concedite, quid, qua re, aut vnde ſit. Veſtris non eſt rationibus liberum implicare vos talibus, & tam remotas inutiliter curare res. Hæc Arnob.

Minutij Felicis locus.

Addam & aliud oraculum Minutij Felicis, Romani olim cauſſidici, qui in Octauio ita ſcribit: Quo magis mirum eſt, non nullos tædio inueſtigandæ penitus veritatis, cuilibet opinioni temerè ſuccumbere, quàm in explorando pertinaci diligentia perſeuerare. Itaq; indignandum omnibus, & indoleſcendum eſt, audire quoſdam, & hos ſtudiorum rudes, literarum profanos, expertes artium etiam ſordidarum, certū aliquid de ſumma rerum ac maieſtate decernere, de qua tot omnibus ſæculis ſectarum plurimarum vſque adhuc ipſa Philoſophia deliberat. Nec immeritò: cùm tantum abſit ab exploratione diuina, humana mediocritas, vt neq; quæ ſupra nos cęlo ſuſpenſa ſublata ſunt, neq; quæ infra terram profunda demerſa ſunt, aut ſcire ſit datū, aut ſcitari permiſſum, aut ſcrutari religioſum: beati ſatis, ſatiſq; prudētes iure videamur, ſi ſecundū illud vetus Sapiētis oracu-

lum

lũ, noſmetipſos familiarius nouerimus. Idē & Minutius paulò poſt hac de re ita doctè & prudenter: Proinde, ait, ſi quid ſapientiæ vobis aut verecundiæ eſt, deſinite cœli plagas, & mundi fata & ſecreta rimari: ſatis eſt pro pedibus aſpicere, maximè indoctis, impolitis, rudibus, agreſtibus, quibus non eſt datum intelligere ciuilia, multò magis denegatum eſt diſſerere diuina. Quamquam ſi philoſophandi libido eſt, Socratem ſapiētiæ principem, quiſquis veſtrum tantus eſt, ſi potuerit, imitetur. Eius viri, quoties de cœleſtibus rogabatur, nota reſponſio eſt: *Quod ſupra nos, nihil ad nos.* Quod oraculum idem ipſe præſenſit, iccircò vniuerſis ſe præpoſitum, non quòd omnia comperiſſet, ſed quòd nihil ſe ſcire didiciſſet. Ita confeſſio imperitiæ ſumma prudentia eſt. Hoc fonte defluxit Arceſilæ, & multò poſt Carneadis & Academicorum plurimorum in ſummis quæſtionibus tuta dubitatio: quo genere philoſophari & cautè indocti poſſunt, & docti glorioſè. Quid? Simonidis Melici nonne admiranda omnibus & ſectanda cunctatio? qui Simonides cùm de eo, quid, & quales arbitraretur Deos, ab Hierone tyranno quæreretur, primò deliberationi diem petijt: poſtridie biduum prorogauit, mox alterum tantum admonitus adiunxit: poſtremò cùm cauſſas tantæ moræ tyrannus inquireret, reſpōdit ille: Quòd ſibi quanto inquiſitio tardior pergeret, tanto veritas fieret obſcurior. Mea quoq; opinione, quæ ſunt dubia, vt ſunt, relinquenda ſunt: nec tot ac tantis viris deliberantibus temerè & audacter in alteram partem ferenda ſententia eſt, ne aut anilis inducatur ſuperſtitio, aut omnis religio deſtruatur. Sic Minutius. Poterit etiam non incommodè torqueri in eos, qui Aſtrologi iudiciarij vulgò nuncupantur, quorum animus quantis vagetur erroribus, alij viderint. Vel in quoſdam Philoſophos, qui quę abſtruſa prorſus, atque abdita Deus eſſe voluit, ſcrutati ſunt: ac naturam rerum cœleſtium inueſtigarunt, quæ à nobis longè remotæ neq; oculis conſpici, neq; tangi manu, neque comprehendi ſenſibus poſſunt, & tamen de illarum omnium ratione ſic diſputarunt, vt ea, quæ aſſeruerunt probata & cognita videri voluerint, ait Lactantius in opificio Dei. Vſa eſt etiam hac epigraphe commodè anus quædam in Thaletem Philoſophum, quem cum ſidera noctu contemplantem fortè in foueam incidere vidiſſet, illudens ei facetè dixit: Quæ ſupra nos, ò Thales, nihil ad nos: quomodo, obſecro, cœleſtia comprehendere poteris, qui ea, quæ ſunt ante pedes, non vides? Ariſton dicebat, eorum, quæ Philoſophi ſcrutantur, alia ad nos pertinere, alia nihil, quædam ſupra nos eſſe. Senſit autem diſciplinam morum ſpectare ad nos; ſophiſticam nihil ad nos pertinere, eo quod ad vitæ emendationem non tantùm non proſit, ſed rixas etiā & contentiones progeneret; Aſtronomiam verò, Aſtrologiam, & huiuſmodi artes ſupra nos eſſe omnino. Fabulam hanc Promethei ab Heſiodo in operibus pertractatam, ad rei veritatem explicat in proęmio libri vltimi naturalis Hiſtoriæ Plinius, & in libro Problem. Alexander Aphrodiſ. Lege præter citatos ſupra, Diodorum Siculum in 6. Lactantium lib. 2. cap. 11. Huc referenda diſputatio nobilis Socratica ex Xenophon. 1. Comment ferè initio, & quę Lactantius in 2. cap. 9. Diuin. Inſtitut. colligit.

Simonidis corda tum reſponſum.

In Aſtro-

In Aſtrologos.

EMBLEMA CIV.



ICARE, per ſuperos qui raptus & aera, donec
In mare præcipitem cera liquata daret.
Nunc te cera eadem, ferueníq; reſuſcitat ignis,
Exemplo vt doceas dogmata certa tuo.
Aſtrologus caueat quicquam prædicere: præceps
Nam cadet impoſtor dum ſuper aſtra volat.

COMMENTARII.

I. IVVENIS alatus in conſpectu radiati Solis ab alto in mare ſubiectum decidit, alis vndiq; diffluentibus.

II. *Typus Emblematis.* IMITATVS eſt Alciatus Epigramma Ιουλιανοῦ, ex 4 Antholog. quod tale eſt:

εἰς Ἴκαρον χαλκοῦν ἐν λουτρῷ
ἱστάμενον.

Ἴκαρε, κηρὸς μέν σε διώλεσε· νῦν δέ σε κηρῷ
ἤγαγεν εἰς μορφὴν αὖθις ὁ χαλκοτύπος.
Ἀλλ' ἄγε, μὴ πτερὰ πάλλε κατ' ἠέρα, μὴ τὸ λοετρὸν,
ὑψόθεν πίπτων, ἰκάριον τελέσῃς.

In Icarum æneum extantem
in lauacro.

Icare, cera quidem te perdidit, nunc verò te cera

Reuocat

Reuocat in formam rurſum ſtatuarius.

Sed agedum, ne pennas tolle per aera, ne lauacrum,
Ex aere cadens, Icarium facias.

Icare, cera olim te perdidit, at modò cera
Ad formã reuocat te benè fictor adhuc.
At verò pennas ne tolle per aera, lapſu
Balnea ne fiant nominis Icarij.

Aliter:

Cera tibi vitã prius abſtulit, Icare, ſed nũc
Te cera finxit denuò docta manus.
Immotas liquidũ ſeruato per aera pennas,
Balnea ne fiant nomine clara tuo.

Sanctius verò ita Latinitati donauit:

Icare, cera quidem te perdidit, ipſa ſed igne
Artificis redijt priſtina forma tibi.
Nunc age ne moueas pennas, ne fortè lauacrum,
Æthere ab vſq; cadens, Icarium facias.

κηρὸς. In hac verſione verba illa κηρὸς. & κηρῷ, interpretibus, vt & ipſi Alciato, negotium præbuiſſe videntur. Nam in primo loco κηρὸς, ceram ſignificat: in ſecundo videtur accipi pro igne. Quod verbum Alciatus volens exprimere, dixit:

Nunc te cera eadem feruensque exuſcitat ignis.

vt intelligas, *que*, pro, *id eſt*, poſitum eſſe per ἐπεξήγησιν; quod in Poetis ſæpe notarunt Commentatores: ſic vt ſit ſenſus: Nunc eadem cera, hoc eſt, ignis artificis te iterum ſuſcitat. Nam Icarus hic, de quo loquitur poeta, ænea erat imago Icari. Icari autem fabula ſic ſe habet: Icarus Dædali filius fuit, quos Minos Cretæ rex in labyrintho à Dædalo fabrefacto concluſit. Sed Dædalus corruptis cuſtodibus ſub faciendi muneris ſpecie, quo ſimulabat regem poſſe placari, cera & pennis alas ſibi & filio fabricauit, quibus ex imperio Minois, qui latè terra mariq; imperabat eò tempore, euolarent. Sed cum Dædalus & ſibi & Icaro alas humeris aptaret, multis verbis filium monuit, ne vel ſublimiora loca, vel mari nimis propinqua expeteret, ſed mediam quandam regionis viam ſeruaret, ſeque volantem ſequeretur: ſic enim loquitur apud Ouidium:

Fabula Icari.

Me pennis ſectare datis: ego prænius ibo.
Sit tibi cura ſequi. me duce tutus eris.
Nam ſiue æthereas vicino Sole per auras
Ibimus, impatiens cera caloris erit.
Siue humiles propiore freto iactabimus alas,
Mobilis æquoreis penna madeſcet aquis.
Inter vtrumq; vola: ventos quoq; nate caueto,
Quaq; vocant auræ vela ſecunda dato.

Verùm Icarus, quæ ſunt adoleſcentum ingenia, parum ea referre ratus, neglectisque paternis admonitionibus, captus ſuauitate volandi, altiora loca expetiuit: quarè alis nimio Solis calore liquefactis, in mare præceps decidit, quod ab eo fuit Icariũ nominatum, vt ait idem Ouid. 3. de Arte amandi:

Icare, clamabat; pennas aſpexit in vndis:
Oſſa tegit tellus. æquora nomen habent.

Idem de Triſtibus:

Dum petit infirmis nimiũ ſublimia pennis
Icarus, Icarijs nomina fecit aquis.

Quæ ob id videntur ficta, quod vela Icarus, malum & antennas Dædalus inuenerit, teſte Plinio lib. 7. cap. 57. Palæphatus autem ait, in ſcapha fugiſſe Dædalum, perijſſeq; Icarum in mari, cui nomen dederit. Icari porrò fabulam prolixè ſatis perſecutus eſt Ouidius 8. Metamorph. nõ longè à principio; ſed pulchrius atq; iiſdem penè verbis in 2. de Arte amandi, ſtatim in principio: meminit & pluribus alijs in locis; totamq; narrationem, ſi vacat, repete ex Diodoro Siculo lib. 4. rerum antiq. cap. 13. vide quoq; Virgiliũ 6. Æneid. in principio. & ibidem Seruium, Silium lib. 14. Natal. Comit. Mytholog. lib. 7. cap. 16. & alios:

Fabula Icari quid ſignificet.

PER ſuperos & aera] id eſt, per ſuperum aera. III.

Donec In mare] Donec in mare lapſus, pennis nimio Solis æſtu liquefactis.

Nunc te cera eadem, &c] Rurſum fingeris à pictore ex cerea quadam materia. Intelligit autem picturam encauſticam, de qua Plinius, & alij. Sed vt aliquid amplius de re minus obuia diſſeram; ex purpura atramenti genus conficiebatur, quod encauſtum nominabatur, quo ſoli Imperatores priuilegijs & literis ſubſcribendis vtebantur, alijs omnibus ſub pœna rebellionis id erat prohibitum, vt ex Niceta colligere eſt. Huiuſmodi autem encauſti conficiendi rationem docuit Leo Imperator in l. ſacri affatus 6. C. de diuerſ. reſcript. Terebatur in puluerem conchylium purpuræ, & adijciebatur nonnihil de cocto ex ipſa colore, ac ſimul liquabatur, reductaque inde materia liquida, & denſitate ſua ſcriptioni apta, dicebatur encauſtum. Vnde, vt

Encauſtum.

Encauſti confectio.

puto, apud Italos *Inchioſtro*, hoc eſt, atramentum ſcriptorium, corruptum vocabulum poſtea deriuatum eſt: Cur verò encauſtum dicatur librarium atramentum, indicat Cœl. Rhodig. lib. 7 cap. 31. Idem lib. 29. cap. 24. quod vulgo ſmaltum vocatur, encauſtum poſſe dici arbitratur. Ab hoc ergo encauſto nomen traxit encauſtica pictura, quæ in cera, tabulis, eboreq; fieri ſolebat, ceſtro primùm, id eſt, viriculo (Turnebus legit vericulo, apud Plinium lib. 35. cap. 11. Perotus vriculo, quod ab vrēdo ſic dictum ſit) cauata materia; procedente verò tempore ſetis inducta ſupra tabulas, iterumque admotis gallæ carbonibus aduſta ad ſudorem vſq; Deinde linteis puris, ita vt quaſi marmora niteſcerent; quę pictura in nauibus nec Sole, nec ſalo, ventiſque corrumpitur. Hinc encauſtes dicitur, qui encauſticè pictus eſt, coloribus ſcilicet inuſtis, & reſolutis igne ceris, quem Inuſtū rectè dixeris. Vnde Martialis lib. 4. Epigram.

Encauſtica pictura.

Encauſtes Phaethon tabula tibi pictus in hac eſt:
Quid tibi vis ? dipyron qui Phaethonta facis ?

quaſi dicat, iniquè facere pictorem, qui cū ſemel fuerit combuſtus Phaethon, iterum eum comburat. De hoc picturę genere accipiendum eſt illud hemiſtichion Ouidij:

——tabulaſq; coloribus vris.

Sed hoc loco illam artem iconicam innui, quæ ex cera variè colorata effingit imagines ad viuum, & illas quidem ectypas, ſuſpicatur etiam doctiſſimus Pignorius; additque huiuſmodi artificio non ſemel inclaruiſſe Vrbem Mediolanenſem. De encauſto habes plura apud Pancirollum lib. 1. rerum memorab. tit. proprio.

Exemplo vt doceas] ὡ διδάξαι τὰ δόγματα, commonefacias vnumquemq; doceaſq; certo tuo exemplo. Debemus enim aliorum periculis fieri cautiores, & maximè iſtud eſt ſapere, dum alieno damno ſapimus: Nam

Felix quem faciunt aliena pericula cautū.

Publius Mimis: Ex vitio alterius ſapiens emendat ſuum.

Aſtrologus caueat &c.] Hoc diſticho non damnat auctor Aſtrologiam, vt quidam putant ignari: ſed meritò damnat pręcipites Aſtrologos, qui cum nihil ſciant, omnia tamen ſe ſcire obteſtantur, præſtigijsq; omnia complent, quales multos paſſim inuenias. Vide in lib. 2. Epigram. Græcor. In Aſtrologos.

IV. *Aſtrologorum vanitas.*

ICARI fabulam hic Alciatus noſter torquet in Aſtrologos quoſdam falſarios & impoſtores, qui ſupra humanum captū conantur aliquid, quæque longiſſimè abſunt ab ingenio humano, vi mentis, & artis experientia ſe hariolari poſſe putant. Rectè ſanè Iſocrates dixit in orat. κατὰ τῶν σοφισ. τὰ μέλλοντα προγινώσκειν ἐκ ἡμετέρας φύσεως ἐςὶ. *Futuros euentus prædicere non eſt noſtra natura.* Diogenes cùm mente agitaret Philoſophorum, virorum politicorum, medicorum, & eius generis aliorum, in hominum ſocietate functiones, dicebat, homine nullum aliud ſibi videri ſapientius aut abſolutius. Cùm verò contemplaretur aſtrorum inſpectores, diuinatores & coniectores, clarè pronunciabat, nihil eſſe quod ſibi videretur homine ſtultius & ſtolidius. Attamen quotus quiſque eſt, qui non hodie plus propè fidei hariolis iſtis & coniectoribus, quàm ſacris oraculis habet? quis non ex ſua hora ſuorum euentorum ſeriem trahi putat, & rectè facta ac vitia ſideribus potius & ſtellarum curſibus, vt vocant, quam ſibi aſcribit? At hæc figmenta, vel potius deliria, vir ſapiens facillimè declinarit, ipſaq; popularis multitudo portenta hęc reſpuere occeperit, ſi tandem fucum agnouerit ſibi factum. Hanc coniectorum doctrinam omnem damnat apud Gellium 14. cap. 1. Phauorinus: Nam aut aduerſa fore dicunt (ait ille) aut proſpera: ſi improſpera dicāt, & fallant, miſer homo fruſtra timendo fiet: ſi vera reſpondeant, eaq; proſpera nō ſint, iam inde aliquis miſer ex animo erit, antequam è fato fiat: Si felicia promittant, eaq; ſint euentura, tum planè duo erunt incommoda: nam & exſpectatio ſpei ſuſpenſum fatigabit, & futurum gaudij fructum ſpes iam deflorauerit. Eleganter Actius poeta ſe nihil credere auguribus dicit, qui aures verbis diuitant alienas, ſuas vt auro locupletent domos, nulloque pacto huiuſmodi hominibus res futuras præſagientibus eſſe vtendum. Cicero ad finem 1. de diuinat. Nunc illa teſtabor, me non ſortilegos, neq; eos, qui quæſtus cauſa hariolentur, ne pſychomantia quidem agnoſcere.

Non habeo deniq; nauci Marcum augurẽ.

Neq;

Non vicanos haruſpices, non de circo aſtrologos,
Non Iſiacos coniectores, non interpretes ſomnium.
Non enim ſunt ij aut ſcientia, aut arte diuini,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudenteſq; arioli:
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam:
Quibus diuitias pollicentur, ab ijs drachmam ipſi petunt.
De his diuitijs ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Atq; hæc quidem ex Ennio. Aſtrologos & fatidicos eiuſmodi, qui ſe deo plenos ſimulant, vti Paulus 5. ſententiarum loquitur, ſed maximè qui alienam mortem prænunciant, non ſecus quàm parricidas execrata eſt antiquitas omnis: itaq; & malefici dicti ob facinorum magnitudinem. Vitellius, vt eſt apud Xiphilinum, cum diem prædixiſſet Aſtrologis, quo excederent Italia: hi contrà, noctu præſcripſerunt ei diem, quo ei moriendum eſſet: & intra illum diem mortuus eſt, Dione teſte; fortè non fato, ſed propter vaticinium. Ergo cùm ſæpe aliàs, imperantibus Auguſto, Tiberio, Vitellio, interdictum vatibus & mathematicis fuiſſet, ne vllo modo de cuiuſquā morte prædicerent (quòd id ſemper habitum ſit exempli peſſimi: & mortis metus ſæpe ipſa morte deterior, aut etiam nonnunquā mortem acceleret) tandem etiam à Domitiano Cæſare Aſcletario aſtrologus viuus comburi iuſſus, & Largius Proclus capite damnatus eſt, quia publicè prædixiſſent quo die Imperator ſupremum vitæ diem clauſurus eſſet. Præclarus ſeſe mihi pridem obtulit Pici Mirandulani locus ex 2. lib. cap. 9. in Aſtrologos, quem videtur vſurpaſſe hic noſter: Qui Homerum, inquit Picus, allegoricè exponunt, per illam Icari fabulam, qui factitijs pennis cœlo temuiore ſe committens, in mare præceps datus eſt, Aſtrologos aiunt deſignari, qui pennis temerariæ profeſſionis in cęlum ſe ſubtollentes, cùm de ſuis cęleſtibus dogmatibus; quibus ſublimari videntur, quid ſunt prædicturi, in pelagus ruunt mendaciorū. Occurrit etiam diuinatoris cuiuſdam Angli ſomnium. Is ex aſtris prædixerat Henricum ſeptimum Anglorum Regem (qui tum regno præerat) eo anno extinctum iri. Rumor ſtatim ad ipſum delatus eſt. Iubet itaq; hominem ad ſe vocari: à quo ſciſcitatus fertur, an ex aſtris certum aliquid poſſet præcognoſci. Innuit. Sed tunc, inquit Rex, eius artis peritus es? ſic eſſe reſpondit. Tum Rex: An certò coniectas me hoc ipſo anno moriturum? ſic eſſe ait. Dic ergo mihi, Rex infert, vbi tu futurus es his feſtis Natalitijs (inſtabat enim Natalis Domini dies) nam & hoc fortè te nō fugit. Ego, ait, cum meis familiaribus & domeſticis lautè me victurum ſpero. At certè, ait Rex, artis tuę ſum peritior quàm ſis ipſe: nam ſcio te futurum in carcere, ſimulq; hominem in vincula conijci iubet. Illic vbi iam ſatis diuinandi calor refrixiſſet, cùm riſu dimiſſus eſt. Eiuſmodi hominum fatuitatem acerrimè perſtringunt Baſilius oratione 6. εἰς τὴν ἑξαήμερον. Euſeb. De præparatione Euangelica libro 6. & Picus Mirandula in opere ex profeſſo in nugones eiuſmodi edito. Ad finem penè 4. Comment. Xenophon id ſub perſona Socratis eleganter & coploſè diſputat. Quò etiam ſpectant Lactantiana ex c. 3. lib. 3. & Cœlius Rhodig. lib. 14. cap. 9. Quadrat & hoc Horatij 1. Carm.

Locus ex Pico Mirandula in Aſtrologos.

Angli diuinatoris vana prædictio.

Quid ſit futurum cras, fuge quærere, &
Quem ſors dierum cumq; dabit, lucro
Appone.

Sed quod ſequitur apud eundē, ſpecialius:

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus,
Ridetq; ſi mortalis vltra
Fas trepidat.

Meminit Eunapius Sardianus lib. de Philoſophorum & ſophiſtarum vitis, in Priſco: Quos, ait, glorioſos ob dogmatum inſolentiam animaduertebat, & pennas extendere maiores, fragilioreſq; quàm Icari fuerint, eos ſenſim ex alto deducebat, non ad mare, ſed ad humum, & humanitatis modulum. Epigramma extat cuiuſdam anonymi, eruditum ſanè, & nimis veridicum, quin vereor, ne in noſtros quoſdam Principes quadrarit. Ita ſe habet carmen:

Vana prædictio.

Cùm coniectorē princeps audaculus, amens
Conſulit, & quæ ſint fata futura rogat.
Sceptra manent, inquit te regia, & ecce parente
Maior eris: Clario veritus ore loquor.
Credulitate iſta fallaci captus, ad arma
Currit, in exitium cæcus at ille ſuum;

Et cum vate ſuo cecidit, ſed diſpare caſu,
Alter vt is Phaethon, Icarus iſte fuit.

Sed de falſis & ſalſis huiuſmodi prædictionibus plena ſunt vndiq; hiſtoriarum & ſanctorum patrum monumenta: aliud me torquet, & huic materiæ pertinacius inhærere cogit; nempe eò improbitatis humanũ genus abreptum iudicij errore, vt plures reperiantur, quorum animos turpior aliqua peccati fœditas occupat, qui ex aſtris aduocãt patronos, & prætendant occultam aliquam illorum impreſſionem, ſeu violentum potius impulſum ad flagitia: rapi, inquam, peccantem impetu ſtellæ, quæ noxia quadam naturæ ſuæ propria virtute non inclinet modò, ſed impellat tactum, ligato arbitrio; vt in furto deprehenſus aut ſacrilegio, vt fornicator aut inceſtu pollutus, facti ſui rationem cœleſtibus cauſis aſcribat, & dicat feciſſe coactum, nec potuiſſe aliter, innatum hoc ſibi & impreſſum ab altiore vi, deſperare medelam in neceſſario malo. Ita non tam delectat, ſpontanea malitia, quàm cœli ductu & imperio malos eſſe. Dij Deæq; vos perdant infauſta ſidera, execrandi ignes, monſtra, portenta, peſtes mundi, ſi à vobis hoc virus; ſi damno potiùs quàm vſui noſtro & communi gentium ac terrarum bono producta. Impiũ credere, blaſphemum eloqui. Recludãtur Aſtrologorum arcana, hoc non ſuggerent, muta enim ſunt, caſſa conſilio & mente, inferiora homine creationis gradu, electionis iure, quibus aſſiſtit mouens virtus, non inhæret vt pars; quorum actio ad certam legem ac finem attemperata, ſub nutu magni Dictatoris, à quo nunquam deflectunt, nec poſſunt. Quo ex fonte igitur poteſtas illa? cuius edicto vel iuſſu? dominari & cogere? Iniuria ſit & extrema ſeruitus in nobiliſſimam ſtirpem, Satori proximam ſimilitudine & imagine. Ab eo ſicut conditi ſumus laxo voluntatis & libero vſu, ita præcellimus quicqd hoc priuilegio caret, ſiue ætherei ſit illud, ſeu terreſtris ſeminis. A digniori directio hæc & frænum, quod in manu ſolius Dei. Age verò, ſi neceſſitas ab aſtris, & ius ſuum in hominem, quomodo id fiat conſideremus. An immiſſo fluxu, deferente aere & inſinuante? quo tandem fluxu, quæſo? quis impreſſit ſtellæ, quis etiam expreſſit, vt decideret in certum aliquod corpus natiuitatis hora ſeminarium ſceleris? Deteſtabile commentum in iniuriã diuinitatis, diſponente ea & cooperante nos perdi, miniſterio malè propicij luminis. An verò ab aſpectu forſan aut poſitura hæc violentia? Ingenioſa ſtultitia. Vidit prognoſticator aliquis ſcilicet in geneſi Lutheri Apoſtatæ diros poſitus planetarum & horrendas configurationes, quæ crudelitatem hominis ſignificarent, audaciam, præpoſteros mores, inceſtam libidinem, inquieta & infauſta conſilia. Hæc non potuiſſe certò prædicere, inquis, monachum illum, ſeu monſtrum verius, in publica pace Principum Germaniæ moturum eſſe ſeditionem, imperante Carolo: at animaduerſis ſiniſtris illis conſtellationibus præuidere potuit, futurum hominem phanaticum, turbulentum, & natum in exitium patriæ. Res docet, proh dolor, & iacentis Europæ lamenta, fuiſſe talem: ſed ò alium longè, ſi faſtu repreſſo, qui in pectore inani gloria tumido cœpit ebullire, intra ſepta monaſterij, memor religionis & voti, continuiſſet ſe, nec tam peſtilentes dæmonis afflatus, quàm ſalutares diuini Spiritus ſuggeſtiones (quibus certè non caruit, *quidquid* virtute ſtellarum diuinantium ſuperſtitioſo calculo ſuxerit) auido gutture imbibiſſet. Magna vis eſt cœleſtium ſignorum, non eo inficias, & effectus pariunt in elementis & mixtis corporibus alterando, inclinando, contemperando, mirabiles ſanè & euidentes, quibus mores interdum, ſtudia, conſilia, caſus, dubio iudicio tamen, nec cauſis illis ligantibus, reſpondent. Vidimus concurſum planetarum in humido ſigno annis ſuperioribus, intumuerunt flumina frequẽtibus cataractis & eruptionibus nubium; vidimus inſalubres tempeſtatum variationes, Ioue in piſcibus, Marte in tauro exiſtente. Quin & ipſæ leges motuum oſtenduñt, temperari lumen Solis & Lunæ, cæterarum planetarum mitiori congreſſu. Oritur præterea à cœleſtibus illis cauſis diſſimilitudo non ſolùm regionum, ſed ingeniorum etiam ac morum, ad ſitum cœli & plagas diuerſas, & ingenerantur corporibus mixturæ humorum in exceſſu nec iuſto temperamento, in hoc, melancholico, in altero, cholerico affluxu, Martis aut Saturni intuitu, ſuperante. Sed quid hæc ad matrẽ illam rationis & fontem, immortalem hominis animam? quæ proportio inconcreti ad corporeum? qualis actionis modus patiente ſubiecto non diſpoſito nec capace? Quid

Opinio eorum, qui aſſerunt, aſtra cogere homines malos eſſe, refutatur.

Vis aſtrorum quãta.

Quid ſtellæ, craſſiori cęli parti, nec ſua luce, ſed aliena ſpectabili, cum puriſſimo & ſimpliciſſimo vitæ habitu, cui lucerna mentis nunquam non lucida & ardens perpetuus comes? Adimit fidem religioni execranda hæc diuinatio, miracula extenuat, prouidentiam tollit, dum omnia conſtellationum vi prouenire, & à ſideribus fatali neceſſitate pendere docet. Autorem peccati & cauſam ſcimus præuaricationem hominis ſuaſore diabolo; radix illa omnis mali in hodiernum diem: ſtrenuè enim fungitur partibus ſuis alter, nos aſſenſum damus & ſequimur: ille tentat & aggreditur certis machinis, nos claues offerimus patentibus portis, iugo ipſius ſeruiles humeros ſponte ſubmittentes. Cur ergo in cœlo ponimus aduerſariorum caſtra, vbi ſalus & ſpes noſtra? Ab inferorum lacunis ebullit ſcaturigo hæc flagitiorum, imò in corpore nutrimus venam ipſam & fontem. Claude reducto peſſulo, nemo turbabit: in tua poteſtate eſt admittere, repellereq; aperire, operire: abſolutum ius habes & plenum, quid in alium traducis culpam? Ecce dicam clarius. Dominus & Imperator corporis & animæ ſuæ eſt homo, nemo pedem infert citra conſenſum in hoc palatiũ, & arcem mentis, vallatam ſuis præſidijs.

Homo ſua voluntatis dominus.

Tormentis quidem ſuis quatit continuò & verberat hoſtis, non expugnat tamẽ aut euertit, niſi prodat ipſa volens ac deſerat. Victoriæ maxima ſpes eſt velle reſiſtere, parare arma & congredi: nec plaga terreat quantumuis funeſta & penetrans, ſanabilis eſt. Sed inſurgendum collectis viribus, & nouum certamen inchoandum maiori impetu. Plures vidimus ad extrema ſaucios reſpiraſſe, ornatos deniq; palma & triumpho. Pulchrum, ſpectare militem prouolutum humi, madentem ſanguine, vulneribus obſitum, reuocato ſpiritu reſilire in victorem & vincere. Iacens ſemper ictui expoſitus eſt, nec ad luctam habilis, erigi oportet & inſtare. Multos conijcit in fugam prima plaga paulò durior, & frangit robur, quoniam ſe percuſſoris viribus, non proprijs metiuntur, & deſpondent animũ. Ad curationem properandũ maturè & fomẽta vulneris, quę volũtas applicet edocta prępteritis periculis, & futurorum cautior. Porrò cur Aſtrologia iudiciaria cũ ſuis partibus explodenda, cauſas reddunt Epiphanius, diſputans aduerſus Phariſæos & Manichæos, Baſilius Hexameri Homil 1. & 6. Chryſoſtom. in Geneſin Hom. 5. & 6. In Matthæum Hom. 6. Certè Auguſtinus, qui & ipſe Aſtrologiæ operam nauauit, Confeſſion. lib. 4. cap. 3. lib. 5 cap. 3. & 7. itẽ lib. 7. cap. 6. De doctrina Chriſtiana lib. 2. cap. 21. 22. 23. & 24. De ciuitate Dei lib 5. initio, vſq; ad cap. 8. Contra Academ. lib. 1. cap. 7. modò quidem grauiter queritur ſe deceptum, qui arti illi aliquid tribuiſſet: modò verò in eam, eiuſq; profeſſores acerrimè inuehitur. Vnde non immeritò dicitur. Quantum Aſtronomi metiuntur, tantum Aſtrologi mentiuntur. Cæterùm Dio Chryſoſtomus Oratione 4. de regno, Icarium lapſum ad iactantiam principum iuuenilem, & populares, quas de ſe concitant opiniones, tranſtulit. Et Lucianus in Aſtrologia, iuuentutis calorem & iuſtitiam per hęc demonſtrari aſſerit, cum non illa diſquirantur ab ea ætate, quæ conueniunt, ſed ad cœlum animo tollatur ab arte aberrans, & à iudicio recto præceps in mare decidit. Neq; alia de cauſa hæc celebrata ſunt à poetis, niſi vt demonſtrarent, diuitiarum & rerum omnium excellentiam nemini eſſe tutam, optimamq; eſſe mediocritatem, quæ neq; inuidiam ſecum trahat plurimorum, neq; tamen contemnatur, quod patitur infima hominum conditio. Huiuſmodi etiam caſum Bellerophontis fuiſſe fingũt, qui & ipſe nimis audaculus, altiora quam par erat aggredi conatus, Pegaſum equum alatum, dum in fontem Pyrenem caput inclinaret aſturè conſcendit, in cęlũ volare volens alienis alis, tandem miſerè & ridiculè præcipitatus eſt, & temeritatis meritas luit pęnas. De quo Emblemate 14. At nunc & nos alas contrahimus.

Lapſus Icari quid ſignificet.

Qui alta contemplantur, cadere.

EMBLEMA CV.



DVM turdos viſco, pedica dum fallit alaudas,
Et iacta altiuolam figit arundo gruem,
Dipſada non prudens auceps pede perculit: vltrix
Illa mali, emiſſum virus ab ore iacit.
Sic obit, extento qui ſidera reſpicit arcu,
Securus fati, quod iacet ante pedes.

COMMENTARII.

I. AVCEPS arcu tenſo impoſitaq; ſagitta ad gruem in aere volantem collimat, quem interim vipera conculcata in pede mordet.

II. *Æſopi apologus.* ID ex apologo quodam Aeſopi de aucupe & vipera. Hic accepto viſco & arundinibus exijt aucupatum. Viſo turdo in alta ſedente arbore, compoſitis arundinibus ſurſum ſpectabat eum comprehenſurus. Verum ignarus in viperam dormientem incidit, à qua morſus, iamque præ dolore vitam agens, dixit: Ah, alium capturus ab alio miſerè capior. Huic ſimile eſt Epigramma Antipatri Sidonij 3. Antholog. de Alcimene aucupe, qui cum arcu & funda peteret aues, in altum ſpeculatus, ictus à dipſade interijt. Totum autem carmen eſt proſopopœia:

ὁ πρὶν ἐγὼ καὶ θῆρα, καὶ ἀρπάκτειραν ἐρύκων *Prototypus Emblematis.*

σπίρ-

σπέρματος ὑψιπετῆ Βιστονίαν γέρανον,
ῥινοῦ χερμαστῆρος ἐΰστροφα κῶλα τιταίνων
Ἀλκιμένης πτανῶν εἶργον ἄπωθε νέφος·
καί με τὶς οὐτήτειρα παρὰ σφυρὰ διψὰς ἔχιδνα
σαρκὶ τὸν ἐκ γενύων πικρὸν ἐνεῖσα χόλον,
ἠελίου χήρωσεν· ἴδ' ὡς τὰ καθ' αἰθέρα λεύσσων,
† κῦμα. τοὐν ποσὶν οὐκ ἐσιδὼν † πῆμα κυλινδόμενον.

Hoc ſic vtcumq; Latio reddidit Minos:
Qui priùs ego & ſturnum, & rapacem arcens
A ſemine altiuolātem & Biſtoniā gruē,
E corio fundæ tortilia brachia intendens
Alcimenes [ego] volucrum arcebam procul multitudinem.
Et me quædam vulneratrix iuxta talos dipſas vipera,
Carni [meæ] è maudibulis amaram immittens bilem,
Sole [me] priuauit [id eſt, me interfecit:] ecce vt ad æthera ſpectans
Pedibus non videbam malum obuolutum [id eſt, proximum.]

Qui ſturnum iactu ſementibus antè rapacē
Arcebam altiuolam Biſtoniamq; gruē,
Extēſis manibus, bubulaq; in verbere funda
Alcimenes abigens ipſe procul volucres;
Inſligit pedibus ſerpens tū vulnera dipſas,
Lethiferoq; nigrum virus ab ore vomit.
Meq; dat ipſe neci, attētus dū ſidera ſpecto,
Neſcius exitij, quod foret ante pedes.

Fernandus Sanctius Franciſci frater ſic vertebat:

Qui prius & ſturnum matura è meſſe fugabam,
Paſcentemq; auidè ſemina noſtra gruē,
Excutiens torto ſaxum de verbere funda
Arcebā innumeras Alcimenes volucres.
Cum me lethalis talos prope dipſas, amarā
Inſpirans bilem faucibus interimit.
En ego qui ſummum ſpeculatus ſum aera, cladem
Non animaduerti, quæ fuit ante pedes.

III. *DVM turdos*] Turdus auis nota, inter
Turdus. primas ſaporis bonitate inſignis. Vnde Horatius in Epiſt.

Nil melius turdo, vulua nil dulcius ampla.

Et Martialis lib. 13. Epigram.

Inter aues turdus, ſi quis me iudice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

De turdis agit Plinius lib. 10 cap. 42. & 53. Huic aui, licet ſit loquaciſſima, tamen peculiaris aſcribitur ſurditas. Vide adagium, *Surdior turdo*. Hæc auis Hiſpanis dicitur *Zorzal*, Germanis, *Krametsuogel*. Eſt etiā piſcis dictus turdus, de quo Plin. lib. 32. cap. 11. Colum. lib. 8. cap. 16. Turdus piſcis.

Viſco] Viſcum, vel Viſcus, viſci, glutinū capiendis auibus accommodatum, quod non prouenit, ait Plinius, niſi maturatum in ventre ac redditum per auium aluum, maximè palumbium & turdorum. Hinc prouerbium, *Turdus ipſe ſibi malum cacat*. Vide ibi. Viſcum.

Pedica] Pedicę dicuntur laquei, quibus pedes illigantur. Virgilius 1. Georg. Pedica.

Tūc gruibus pedicas, & retia ponere ceruis.

Dum fallit alaudas] Alauda & Galerita, idem eſt: ſic dicta, quod criſtatum apicē habet ſupra caput, ad ſimilitudinem galeri vel galeæ; vnde illi impoſitum etiam caſſitæ nomen, à caſſide. Hinc etiam dicterium in milites galeatos, qui ab hac aue alaudæ dicti ſunt. Et Cæſar legionem alaudam vocauit. Cicero ad Atticum: Antonius cum legione alaudarum ad vrbem pergere. De alauda Plinius lib. 11. cap. 37. Alauda.

Et iacta arundo] Pro telo ſeu ſagitta hic ſumitur arundo: ob vſum enim, quem ſagittis conficiendis præbent arundines, has pro illis à Poetis accipi palam eſt. Virgil. 7. Aeneid. Arundo pro ſagitta.

Perq; vterū ſonitu, perq; ilia venit arundo.

Idem 5. Aeneidos:

Namq; volans liquidis in nubibus arſit arundo.

Gruē] De gruibus ſatis dictum eſt Emblemate 17. Hic tamen adnotanda Synecdoche, qua ſpeciales quaſdam aues poſuit pro alijs quibuſuis.

Dipſada] Dipſas, ſerpentum genus vipera magnitudine minus, ad perniciem inferendam multò celerius: ſic dicta à verbo διψάω, ſitio. Quos enim mordicus apprehenderit, ſiti inardeſcunt & inareſcunt vehementius, ad potumq; efferueſcunt, ac inde inceſſanter haurientes mox diſſiliunt. Cauda (vti ferunt) lineis diſtinguitur duabus, nigriſq; corpore reliquo albicante, vt ſcribit Soſtratus. Naſcuntur in Libya quidem, ſed præcipuè in Arabia. Cœl. Rhodiginus lib. 25. cap. vlt. Dioſcorides lib. 8. c. Dipſas.

139. ex Hermolai verſione: Dipſadis morſus comites ſunt tumor quidam ſolutus, ſitis contenta vehementer, nunquam explebilis, nunquam interquieſcens. Ob id ipſa Dipſas ab alijs πρηστὴρ, ab alijs καύσων vocata eſt. A quibuſdam etiam dici melanurum, & centridam vel centrinam, à figura, animaduerti. Huius meminit Plinius lib. 22. cap. 5. & lib. 23. cap. 8. Solinus Polyhiſtor. cap. 3. Lucanus lib. 9. Lege Lucianum præfatione de dipſadibus, & Pierium Hieroglyph. 16. vbi habetur eiuſdem epigramma in Framarianum ſcurram faceti ſſimũ, quod ob venuſtatem non piguit aſcribere.

Epigramma in ſcurram.

Narrabat quidam vim dipſados exitialẽ,
Perpetuam infundat quæ pede fixa ſitim.
Nempe ſitim, tria quam nequeant extinguere Nili
Oſtia, vel magnis ſtagna phauſta cadis.
Interiore loco Libyæ Garamantas ad ipſos,
Quæ fouet arenti ſtruthius oua ſolo.
Quippe vbi quis miſera ſpatiatus fortè per arua,
In pede fulminei vulnera dentis habet.
Ritè duæ dextra famulæ, totidemq; ſiniſtra
Hæc gerit, hæc pleno vaſe propinat aquas.
Illa propinatis alias ſuperingerit, illa
Nec mora, nec reges, pocula mille parat.
Framarianus ad hæc: Hanc ò mihi quærite amici,
Figat vt illa meos officioſa pedes.

Ouidius quoq; lenam quandam temulentam, quę puellam ſuam arte meretricia inſtrueret, Dipſadem vocat. Sic enim ſcribit:
Eſt quadã (quicunq; volet cognoſcere lenã,
Audiat) eſt quadam nomine Dipſas anus. &c.

Non prudens] Incautus.

Auceps.

Auceps] Auceps eſt qui aues captat, ab *auis* & *capio* dictus, quaſi auiceps. Erat autem hic, vt dictum eſt, Alcimenes.

Extento qui ſidera reſpicit arcu] Fortè alluſit ad verbum Græcum εὐστοχίας: is enim eſt εὔστοχος, hoc eſt οὐρανόσκοπος. Quã quam me non fugit, id tribui nomen piſci cuidam, qui ſic à corporis habitu nuncupatur.

Securus fati.] Id eſt, ignarus & inſcius infortunij, quod ſibi mortem attulit: malum, quod pedibus obuolutum fuit: ſic enim loquitur epigramma:
τὸν ποσὶν ἐκ δ' αὐτῶν πῆμα κυλινδόμενον.
Sic Lactant. lib. 2. cap. 3. in philoſophos: Dum aliorum præcipitium vident, nõ proſpexerunt quid ante ſuos pedes eſſet. M. Tullius in 2. De Diuinat. ridens haruſpicinam:
Democritus nõ inſcitè nugatur, vt phyſicus, quo genere nihil arrogantius: citatq; illud ex neſcio quo Poeta:
Quod eſt ante pedes, nemo ſpectat: cæli ſcrutantur plagas.
Tali quoq; ſimilitudine vſus eſt Horatius in Arte poetica:
Si veluti merulis intentus decidit auceps
In puteum, foueamve.

IV. *Aſtrologorum reprehenſio.*

TAXANTVR Aſtrologi, qui cùm cœleſtia, id eſt, corporum ſuperiorum inſpectionem ſe conſectari putant, ea tamen ignorant, quæ propiùs ſunt admota: cumque præſentia ferè ignorent, futurorum ſcientiam habere ſe gloriãtur. Atqui, quod Pindarus habet Olymp. 12. τῶν μελλόντων γὰρ τετύφλωνται φραδαί: id eſt, *obſcura ſunt admodum & cæca futurorum cognitiones.* Huc quoq; quadrat, quod paulò ſupra de Thalete ingeſſimus, qui domum exiens, cum ſideribus inſpiciendis totus intenderet, in ſcrobem ſubiectam procidit, ac poſt caſum mox probrum domeſticæ anus ſecutum eſt: Mirum videri, qua ratione Thales cœleſtia contemplari ac complecti animo aggrederetur, qui ea, quæ eſſent ante oculos, conſiderare non poſſet. Sic enim illa: δίκαια παθεῖν ἔφη, ὡς τὰ παρὰ ποσὶν ἀγνοῶν, τὰ ἐν οὐρανῷ ἐσκόπει. Id alij tribuunt Anaximeni. Gabrias in tetraſtichis idem ſcribit, cuius hæc verba:

Thales ab anicula irriſus.

Ἄστροις περισκοπῶν τις ἀστροσκόπος
Πίπτει λαθὼν εἰς πρὸς φρέαρ. τυχὼν δέ τις
Ὁδοιπόρος, σενέντι, ταῦτ' ἔφη λέγων,
Νοῦν θεὶς ἄνω, βέλτιστε, τὴν γῆν οὐ βλέπεις.

Huc quoque pertinet quod epigrammate Græco παλλαδᾶ docetur; id habetur lib. 2. Anthologiæ.
εἰπὲ πόθεν σὺ μετρεῖς κόσμον, καὶ πείρατα γαίης
ἐξ ὀλίγης γαίης σῶμα φέρων ὀλίγον;
σαυτὸν ἀρίθμησον πρότερον, καὶ γνῶθι σεαυτόν,
καὶ τότ' ἀριθμήσεις γαῖαν ἀπειρεσίην.
εἰδ' ὀλίγον πηλὸν τοῦ σώματος οὐ καταριθμεῖς,
πῶς δύνασαι γνῶναι τῶν ἀμέτρων τὰ μέτρα;
Vnde age tu cælũ metiris, & vltima terræ?
Cùm tenue è tenui ſit tibi corpus humo?

Te

Te metire prius, moneo, & te noſſe labora,
Atq; ſati hinc orbis diſcere perge modũ.
At menſura luti tenuis cum te fugiat, qui-
Noſſe rei innumera tu poteris numerum?

Eſt enim perſpicuum, quàm ſit ἀδύνατον, vt cœleſtia, quę à ſenſu ſunt remotiſſima, deprehendere queas, qui te ipſum planè ignoras. Vnde Plato in Phædro ridiculum planè putat, cum qui ſua ipſe ignorat, aliena perſcrutari velit. Iocatur proinde oppidò quàm eleganter in Aſtrologum quendam Thomas Morus ætatis ſuæ magnum decus, qui alijs videri voluerit vates veridicus, & tamen vxoris adulteria, cum hoc potiſſimùm tangeret rem ſuam, ex aſtrorum inſpectione non potuerit deprehendere. Carmen tale eſt:

Saturnus procul eſt, iamq; olim cæcus, vt aiunt,
Nec propè diſcernens à puero lapidem.
Luna verecundus formoſa incedit ocellis,
Nec niſi virgineum, virgo videre poteſt.
Iupiter Europam, Martem Venus, & Venerem Mars,
Daphnen Sol, Herſen Mercurius recolit.
Hinc factum, Aſtrologe, eſt, tua cùm capit vxor amantes,
Sidera ſignificent vt nihil inde tibi.

Eiuſdem aliud extat in eundem epigramma, non minus lepidum & feſtiuum, ſed ſtrictius:

Aſtra tibi ethereo pãdunt ſeſe omnia vati,
Omnes & quæ ſint fata futura monẽt.
Omnibus aſt vxor qđ ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla monent.

Nunc cum Amore aliquandiu nobis res erit.

Potentiſsimus affectus amor.

EMBLEMA CVI.



ASPICE vt inuictus vires auriga leonis,
Expreſſus gemma puſio vincat Amor?
Vtq; manu hac ſcuticam tenet, hac vt flectit habenas?
Vtq; eſt in pueri plurimus ore decor.
Dira lues procul eſto: feram qui vincere talem
Eſt potis, à nobis temperet anne manus?

COMMENTARII.

I. CVPIDO puer nudus alatus, currui inſidet triumphali, quem trahũt duo lupati & capiſtrati leones; ipſe verò dextera ſcuticam vibrat, ſiniſtra habenas regit.

II. *Fons Emblematis.* ILLVD extulit ex Græco Αιgẽtarij, quod habetur lib. 1. Epigram. Græc. tit. εἰς ἔρωτα.

Ἀυγάζω τὸν ἄφυκτον ἐπὶ σφραγῖδος ἔρωτα,
χερσὶ λεοντείαν ἀνιοχεῦντα βίαν.
Ὃς τᾷ μὲν μάστιγα κατ' αὐχένος, ᾇ δὲ χαλινὰς
Εὐθύνει· πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρις.
Φρίσσω τὸν βροτολοιγόν· ὁ γὰρ καὶ θῆρα δαμάσδων
Ἄγριον, ὧδ' ὀλίγων φείσεται ἁμερίων.

Quid video in gemma hac? amor eſt, auriga leoni
Inſidet, & frænis ora ſuperba regit.
Vna manus flagro cædit, moderatur habenas
Altera: nulla magis ſigna placere queũt.
Sed metuo immitẽ puerũ, mortalibus ægris
Quid faciet, qui ſic corda ferina domat?

Contemplor ineuitabilem in ſigillo cælato Amorem,
Manibus leoninum qui moderatur robur:
Qui hac quidem manu flagellum ad ceruicem, illa vero frenos
Dirigit: multa aũt circumfloret gratia.
Horreſco homicidam: Nam qui feram etiam domat
Atrocem, neque imbecillibus ignoſcet hominibus.

Indomitum ſpecto cælatum in gemmula Amorem,
Qui manibus ſæui colla leonis agat.
Vna manus flagrum capiti, tenet altera frænos:
Et circum pueri gratia multa genas.
Hinc procul, hinc homicida: feras qui perdomat iſtas,
Vel magis infirmos perdomet ille homines.

Sanctius feſtinanter, & vt tantùm intelligi poſſit, vertit, hoc modo:

Conſpicor inuictum pulchra in teſtudine Amorem
Frænantem manibus terga ſuperba leæ?
Hacq; manu ſcuticam, per colla hac grandia fræna
Dirigit, & pueri ſplendet in ore lepos?
Horreo carnificẽ: nam qui fera colla leonũ
Sic domat, à nobis temperet ipſe manus?

Hæc reſpexit Lucianus in Deorum Dialogis: conquerentem enim Venerem apud Cupidinem filium facit, & ſibi nonnihil reformidantem, ne propter ſcelera quamplurima leonibus tandem obijciatur; cui puer Cupido: θάῤῥει μῆτερ, ἐπεὶ καὶ τοῖς λέουσιν ἀυτοῖς ἤδη ξυνήθης εἰμὶ, καὶ πολλάκις ἐπαναβὰς ἐπὶ τὰ νῶτα, καὶ τῆς κόμης λαβόμενος ἡνιοχῶ ἀυτούς. οἱ δὲ σαίνουσι, καὶ τὴν χεῖρα δεχόμενοι ἐς τὸ στόμα περιλιχμησάμενοι ἀποδιδόασί μοι. *Confide mater: leonibus enim ipſis iam familiaris ſum factus, & ſæpenumero conſcendi eorum terga, & apprehendi iubas, equitis more inſidens illos agito: illi verò interim mihi caudis adblandiuntur, ac manum inſertam ori receptant, lambuntque: deinde mihi reddunt innocuam.* *Luciani locus.*

AVRIGA] Ductor, propriè de eo, qui currum regit. III.

Expreſſus gemma] ſculptus & effictus in annulo. Geſtabatur enim in annulo, vt moris eſt in annulorum gemmis ſimilia emblemata geſtari. Græcum epigramma habet σφραγὶς, quod baltheum, ſigillum, & teſtudinem ſignificat.

Puſio.] Paruus puer, παιδίον καὶ παιδάριον. Veteres enim puſus & puſa, pro puero & puella dicebant. Cic. 1. Tuſcul. in lib. Platonis, qui inſcribitur Menon, Puſionem quendam Socrates interrogat, &c. Idẽ pro Cœlio: Propter nocturnos quoſdam *Puſio.*

inanes

inanes metus tecum ſemper puſio cum ma iore ſororo cubitauit. Iuuenal. Satyra 6.

Nonne putas melius qđ tecū puſio dormit?
Puſio qui noctu non litigat:

Vtq; manu hac &c.] Alij hūc verſum aliter legunt, ſic:

Vtq; manu hac ſcuticam teneat, hac flectat habenas.

Quem alij vitioſum iudicant, quod ſyllabam breuem poſt tertium pedem producat: Quod tamen facili negotio poſſumus excuſare, non enim vitium eſt carminis, ſi t, littera producatur in cæſura, vt hic fit: id multis teſtimonijs defendere poſſem, è quibus pauca accipe. Martianus communē *T. littera* eſſe affirmat litteram t, finalem: quod ego *finalis pro* non in vniuerſum præcipi velim, ſed tan- *duct.* tùm, vt dixi, in cæſura. Virgil. 10. Aeneid.

Nam tibi Thymbre caput Euandrius abſtulit enſis.

Idem libro 10.

Per medium qua ſpina dedit, haſtamq; receptat.

Iuuenalis:

Magnus ciuis obit, & formidatus Othoni.

Ouidius 3. Metamorph.

Nubibus eſſe ſolet, aut purpureæ auroræ.

Horatius 1. Serm.

Qui non defendit alio culpante ſolutos.

Idem eodem loco:

Quum grauius dorſo ſubijt onus, incipit ille.

Scutica. *Scuticam tenet*] Scutica eſt paruum flagellum è loris factum, à Græco σκύτος, quod eſt corium, quia fiat à corio ſiue pelle. Hinc etiam dicuntur ſcuta, quia ſint pellibus operta. Horatius Serm. 1. Sat. 3.

Ne ſcutica dignum horribili ſectere flagello.

Iuuenalis Sat. 6.

——*Hic frangit ferulas, rubet ille flagellis,*
Hic ſcutica.

Claudius Minos ait, ſe penes eſſe libellum membrana deſcriptum, in quo præter alia quędam, commentarius eſt nunquam editus, in Satyras Perſij. Scuticam ergo ſic definit Innominatus ille: Scutica erat quædā corrigia, habens in ſummitate nodos quoſdam in modum fabæ; de qua Terentius: *Hac faba cudetur in me.* Hæc ille. Huc referendum prouerbium, *Vnica ſcutica impellit omnes.* Ad glorioſulorum quoque tumorem reprimendum, & inſtruendam leuitatem nimio plus ſe efferentem, Ariſtophanium antipharmacum affert Cœlius Rhodig. lib. 29. cap. 5. quod eſt, τὰ σκύτη βλέπειν, *ſcuticam aſpicere.* *Scuticam aſpicere.*

Plurimus ore decor] formoſiſſimus: in Græco habetur, πολλὰ δ' ἀμφιτέθηλε χάρισ. *Multa autem circumfloret gratia.* Et talem effinxit Lucianus in Amore fugitiuo.

Dira lues] Epiphonema, O dirum exitium: vel ſine epiphonemate, vt eſt in Græco, φρίσσω τὸν βροτολοιγόν. *Horreſco homicidam.* Dirum, Dei ira natum, Verrius *Dirum.* ait. Nonius, Deorū ira miſſum: quidquid enim aduerſum, credidit antiquitas eſſe ab irato numine: ſed infelices, qui vt cultum verum ignorabant, ſic cauſas irarum falſas credidere. Ideo rident miſeram ſuperſtitionem, qui inter eos ſapientes habiti, ad omnia momenta trepidantium, conſciorum neglecti numinis. Ouidius 7. Metamorph.

Dira lues populis ira Iunonis iniqua
Incidit.

At lues, à Græco λύειν, ſoluendo, ſeu diſ- *Lues.* ſoluendo. Dicitur autem hic lues amor, quod nihil adeo ſoluat hominum vel generoſorum mentes, quā fœdi & ignaui amoris conſuetudo. Medeam quoq; vocat luem Seneca in Medea.

Feram talem] leonem. Argumentum à maiori ad minus.

Eſt potu] poteſt. Catullus:

Cur non diuitijs Crœſum ſuperare potis ſit.

ELEGANTISSIMO iſto ſchemate ſatis oſtenditur, quanta ſit amoris vis, IV. qui de fortiſſimis etiam & ferociſſimis triūphum agat. Leonum enim nomine ſignifi- *Leones* cantur viri graues, & alioqui ſanctimonia *qui.* probitateq; aliqua inſignes. Leones autem amore furere notat Plin. 8. hiſtoriæ mūdi, cap. 16. & Ariſtotel. hiſtor. animalium lib. 6. Sed non poſsū conniuentibus oculis tranſilire, quod ſcribit Plutarch. in Amatorio: ὁρῶν ὑμῶν ἄρτι τοὺς μὲν εἰς τὴν ἀνδρωνῖτιν ἕλκοντας τὸν ἔρωτα, τοὺς δ' εἰς τὴν γυναικωνῖτιν, ὑπερφυὲς, καὶ θεῖον ἀγαθὸν, οὐκ ἐθαύμαζον. ἐπεὶ τηλικαύτην δύναμιν ἔσχε καὶ τιμὴν τὸ πάθος, οἷς ἦν προσῆκον ἐξελαύνειν αὐτὸ πανταχόθεν καὶ κολούειν, ὑπὸ τούτων αὐξανόμενον καὶ σεμνυνόμενον. id eſt: *Non ſum ductus admiratione à quibuſdam veſtrum in concla uia virorum, ab alijs in gynæceum trahi amorem, ingens ac diuinum bonum: quandoquidem tanta ſit vis, & tantus honor amori exhibitus, vt à quibus omninò expelli*

debuerat

debuerat & opprimi, ab iiſdem augeatur & prædicetur. Eſt enim huius affectus tantus effectus, vt ſapientiſſimos quoſq; nec non fortiſſimos duces, nullis bellorum æſtibus aut machinis territos, inuadat & concutere ſoleat, imò expugnet & proſternat; acutiſſimos reddat ſtupidiſſimos, & qui iudicio pollent, dementet; prudentiſſimos ad inſaniam redigat, moderatos effrænet, deinq; in brutum hominem commutet: cuius porrò tanta vis eſt, vt quos aggreditur, in deſperationem præcipitet, ac manus ſibi inferri miſerando aſpectu cogat; homines belluis immaniores efficiat, quas ad mortem ruere voluntariã nuſquam animaduertimus, aut alias ſui generis vnguibus aut dentibus dilacerare. Solent præterea ij, quos rapit inſana cupido, de ſtatu mentis deturbari, à ſtudio & cognitione virtutis auocari, nam omnem illorum fortitudinem infringit, corporis robur eneruat, functiones animæ interturbat, & ad omne vitium & turpitudinem præcipites agit. Superbè enim imperat amor, atq; etiam inuitis, vt inquit Seneca:

Amoris vis.

Sæpè obſtinatis induit frænos amor.

Et Ouidius hoc teſtatur:

——Res immoderata cupido eſt.

Idem pulchrè alibi cecinit, nimirum lib. 3. Amor.

Centum fronte oculos, centũ ceruice gerebat
Argus, & hos vnus ſæpe feſellit amor.

Potentiam amoris ſic depingit Virgilius in Ceiri:

Seu malus ille puer, quem nec ſua flectere mater
Iratũ potuit, quem nec pater, atq; auus idẽ
Iupiter: ille etiam Pœnos domitare leones,
Et validas docuit vires manſueſcere tigres.

Videndus eſt hac de re omninò Crinitus lib. 16. de honeſta diſcip. cap. 4. Quem, obſecro, non vicit amor improbus? vel etiã diuinos viros. Quis Dauide ſanctior? Quis Salomone ſapientior? Quis Sampſone fortior, qui & ipſe leones dilacerauit? amore tamen omnes ſunt ſuperati. Sed omiſſis ſacris hiſtorijs, exemplis prophanis rem illuſtrabimus. Prodeat ergo primus Marcus ille Antonius, vir ſingulari prudentia præditus, qui Cleopatræ nimio amore incenſus, inſana etiam eiuſdem ſuſcepit ſtudia ac conſilia, nihil non imprudenter, leuiter ac negligenter tractauit. Plutarchus in eius vita. Quid Herculem in medium producam, communem orbis humani ἀλεξίκακον, monſtrorum domitorem, totiusq; fortitudinis ſpeculum? Ille amatorio Omphales veneficio infelix ſuccubuit, & robur in fœmineam mollitiem, laborem in luxum, Martemq; in delicias muliebres, appẽſa lateri colo, commutauit. Vnde de illo Ouid.

M. Antonij ĩ Cleopatram amor.

Exẽplum Herculis.

Quem non mille feræ, quem non Sthenelęius hoſtis,
Non potuit Iuno vincere, vicit amor.

Iulius Cæſar victor in Gallijs, in Germania, in Britannia, in Hiſpanijs, in Italia, in Theſſalia, in Aegypto, idemq; mox in Armenia, in Ponto, in Africa, & rurſus in Hiſpania ſupremo Marte victurus: in medio tantarum victoriarum ab amore regio interim apud Alexandriam victus eſt. Hannibal apud Thraſymenum, apud Cannas victor, at demùm in patria ſua vincendus, prius apud Salapiam Apuliæ oppidum meretricio amore ſuccubuit. Quanta igitur cenſenda vis amoris, quæ tam duros animos, tam rigida pectora leui *frangat incurſu*, tam rapidos pedes, tam *fortia brachia* fragilibus vinclis *liget*. Signatur Vitellius, Vitellij Imperatoris pater (vt ſcribit Suetonius) ſtrenuus, ingenioſus ac prudens, qui turpis & infamis libertinæ amore vſq; adeo fuit irretitus, vt nihil non homine indignum patraret: quippe qui inter cætera ſcorti viliſſimi ſaliuam cum melle in illitum commiſceret; quo tanquã ſummo balſamo inſtaurandæ vitæ opportuno, arterias & guttur crebro, idq; publicè abiecto omni pudore, ad eius gratiam aucupandam perfunderet. Quare Aeſopus qualis ſit amor, docere volens, in quadã ſuarum fabularum dicit, omnes animi affectiones ac perturbationes ad efformandũ amorem concurrere: Iram, metum, triſtitiam, gaudium, manſuetudinem, acerbitatem, æmulationem, diffidẽtiam, & demum reliquas omnes, inter quas vnus pudor & verecundia deſiderantur. Nec ſolùm molles & effœminatos reddit amor, ſed etiam nonnunquam eò dementiæ perducit homines, vt ſeſe non rarò præcipites agant, ac crudelem vitæ ſuę lanienam exerceant. Huius generis monſtra fuerunt Phillis, Iphis, Hæmon, Sappho, Biblis, Calluce, Phædra, Dido, Pyramus & Thyſbe, Gidica, Byſſaltia, Timagoras, & vtriuſq; tum ſexus, tum ſtatus plures alij, quibus mors à ſeipſis illata, quod inſultus tantæ perturba-

Iulius Cæſar.

Lucius Vitellius.

Galeazius Mantuæ Dux.

Nobilis Gallus amore perijt.

Inſignis amor Euryali & Lucretiæ.

Amoris affectus.

turbationis ferre non poſſent. Hiſce nonnulla, quæ noſtris temporibus euenerunt, exempla apponemus. Galeazius Mantuæ Dux Patauij degens, iuſſus à puella, quam deperibat, ſeſe in fluuium profundũ conijcere, admiſſis ſtatim generoſo equo calcaribus, vt illi morem gereret, ſe in flumen præcipitem dedit. Alijs porro huiuſmodi amore captis vel ſola amaſiarum iactura, vel abſentia mortem prę deſiderio intulit. Simile exemplum nobis ſuppeditat nobilis quidam Gallus iuuenis, non minus ſtrenuus quàm omnibus gratus, ex familia Alegriorum oriundus, qui cum ingenti amore Mantuani Ducis filiam proſequeretur, ab eademq; viciſſim coleretur; cumq; ei fortè veneno infectum pomum ac deleterium, quod in ſui perniciem inſcius ab alio acceperat, obtuliſſet, & ex eius vſu extremos illam ſpiritus agere animaduertiſſet, deprecatus primò culpam, extremo animi dolore percuſſus, in ſinu eius non ſine ſuſpirijs & lacrymis animam prior exhalauit, quem ſtatim illa ſecuta eſt comes. Hinc liquet, quàm potens ſit amoris affectus, qui omnem napellum, arſenicale venenum, & quoduis aliud deleterium, quo potuit pomum intoxicari, noxæ promptitudine, & exitij celeritate ſuperet. Aliam hiſtoriam amoris impetum mirificè referentem petere licet ex Aenea Siluio, de Euryalo quodam equeſtri ordinis, & comite Sigiſmundi Imperatoris, Auguſtano; & Lucretia Senenſi puella ab eodem adamata: quorum ardor pauco temporis curriculo adeo increuit, vt cum Euryalo, diſcedente Imperatore, eſſet abeundum, diſceſſumque ſui Euryali & longum vale ferre non poſſet Lucretia, ex deſiderij vehementia, repentina morte paucas poſt horas concidit. Cuius mortem cum audiſſet Euryalus, eundem vitæ exitum ſubijſſet, niſi recreatione amicorum & ſalutaribus cohortationibus fuiſſet reſtitutus: nec tamen per totam vitam deinceps mœrorem illum excutere, vel vlla animi hilaritate, at ne riſu quidam oblectari potuit. Cæterùm amore correpti imaginem graphicè deſcriptam exhibet Plautus Ciſtellaria, quàm de lectoris patientia confiſus non grauabor adferre, cum egregiè hunc locum illuſtret.

Credo ego amorem primum apud homines
carnificinam commentum.
Hanc ego de me coniecturam domi facio,
ne foris quæram.
Qui omnes homines ſupero atq; antideo cruciabilitatibus animi:
Iactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rota miſer.
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior: ita nullam mentem
Animi habeo: vbi ſum, ibi non ſum: vbi nõ ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt; quod lubet, non lubet iam id continuò.
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, iactat, largitur: quod dat, non dat: deludit;
Modò quod ſuaſit, diſſuaſit: quod diſſuaſit, oſtentat.
Maritimis moribus mecum experitur, ita meum frangit amantem
Animum: neq; niſi quin miſer non eo poſſum, mihi vlla abeſt
Perdito pernicies.

Dioxippus.

Pulchritudinis appellationes.

Occurrit, quod Aelian. 12. Var. hiſt. narrat de Dioxippo Olympijs victore, cùm pugilũ more Athenas eques introiret magno populi concurſu, & alij rerum aliarũ quæ in eo eſſent apparatu, pulchritudine caperentur: ipſe medio triumpho coniectis oculis in mulierẽ quandam formoſiſſimam, ab eius aſpectu non potuit abduci; quin etiam vultum ſæpe mutabat, vt facilè appareret, eum telis Cupidinis ſaucium, iam nõ ſui fuiſſe compotem. Quamobrem Diogenes Synopenſis ad populum: En, inquit, pugilem veſtrum magnum, vt à puella configitur? Quaſi dixiſſet, turpe eſſe qui viros viciſſet, à muliercula ſuperari. At iocularis iſte reprehenſor ignorare ſe fingebat, quanta ſit amoris vis, quamq; efficax pulchritudo formaque decens corporis, quam non temerè Socrates exigui temporis tyrannidem appellauit: Carneades, regnum quod nullis ſatellitibus egeat: Plato, naturæ priuilegium: Publius Syrus, mutam commendationem: Laertius, quauis epiſtola ad commendandum efficaciorem: Theophraſtus, tacitam ſeu ſilentem fraudem, quia ſine verbis perſuadeat: Theocritus, elephantinum ſiue eburneum detrimentum, quòd grata ſit aſpectui, ſed multorum incommodorum cauſa. Confero huc Propertianum iſtud:

Eripitur nobis iampridè chara puella, &c.

quo loco de viribus amoris in generoſos animos

animos, exemplis hinc inde ductis, nimirũ raptæ Helenæ: Centaurorum impetus in Pirithoum: Romuli qui Sabinas rapere docuit: Achillis de ſibi erepta Hippodamia Briſeide: ſic enim poeta elegans:

Inferior multò cũ ſim vel Marte vel armis,
Mirum ſi de me iure triumphat amor?
Magni ſæpe duces magni cecidere tyranni,
Et Thebæ ſteterunt, altaq; Troia fuit.

Phryne. Plutarch. in Hyperide retulit exemplum perquam venuſtũ & memorabile de Phryne, pulcherrima fœmina, quæ impietatis accuſata, defenſa eſt ab Hyperide, oratore certè nobili, qui quòd videret eam iã damnationi proximam, commiſeratione vſus, vti quoquo modo iudices flecteret, mulierem produxit in medium, & diſciſſa veſte, nuda pectora iudicibus oſtendit. Qui mulieris admirati pulchritudinem, eam dimittendam cenſuerunt; ex quo & oratoris aſtum, & iudicum inexpectatam miſericordiam, ipſiusq; reæ venuſtatem (id eſt, τὸ εἶδος ἄξιον τυραννίδος, vt loquitur in Phœniſſis Euripides) ſpectanda proponuntur. Ariſtotelis memoratur dictum, pulchritudinem omni epiſtola commendatiorem, id eſt, formam corporis habere maiorem perſuadendi vim quàm quæuis oratio vel epiſtola. Ex eo itaque cum aliquis quæreret, cur quæ pulchra eſſent, tam impensè amarentur? dixit, eam eſſe cæci hominis interrogationem. Mirari enim poſſit aliquis fuiſſe cæcum, qui nunquam antea quicquam vidiſſet, &

Qui nunquam viſæ flagraret amore puellæ,

de quo Iuuenalis. Quid plura? etiam in cæcorum animis ſubtilis & peruicax regnat amor. Proclus omne pulchrum dicit honeſtum eſſe, idemq; amabile, eò quod naturæ diuinæ aliquam imaginem habeat, ex quo τὸ καλὸν, à καλεῖν quidam deducant, quod eſt vocare: quia ad ſe vocet & alliciat hominum animos: quam etiam ob rem credibile eſt à veteribus, reges eos in primis creatos, qui pulchritudine alijs antecellerent. Sic enim Homerus ſuos heroas à dignitate vultus ipſaq; pulchritudine commẽdat. Achillem omnium pulcherrimum facit: quamuis enim Nireum nominet ex ijs, qui ad Ilium veniſſent formoſiſſimum, tamen ei Achillem præfert. Ita Virgilius de ſuo Ænea: *Pulchritudinis commendatio.*

—— Ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Æneas, atq; agmina iũgit.

De Lauſo verò, deque Turno ſic:

Filius huic iuxta Lauſus, quo pulchrior alter
Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

His conſentanea maximè ſunt quæ diſputantur ab Iſocrate in Helenæ laudatione: vbi ſic pulchritudinem commẽdat, vt eam eſſe rem diuinam ſtatuat: ea enim ferè contemnuntur, in quibus nulla pulchritudo: contrà quæ pulchra ſunt, ſuſpiciuntur ab omnibus. Imò virtutem non alia de cauſa cenſet in precio haberi, ſummisque honoribus affici, quàm quòd pulcherrima quędam res ſit: deniq; alia omnia bona inuidiæ ſunt expoſita: nullus tamen eſt, *qui pulchris hominibus inuideat, quos potius admirantur omnes, dignosq; honore putant:* cùmq; omnia fortitudo ſua dignitate antecedat, à pulchritudine tamen ſuperatur. Sed quorſum hæc pulchritudinis cõmendatio? Ad noſtrum ſcilicet Amorem, quem rectè ſentientes pulchritudinis deſiderium dicunt. Plotinus triplicem ſtatuit pulchritudinem, cum nihil aliud ſit, quàm ex plurium concinnitate cooriens gratia. Hanc ſi in animo perpendas, ea nimirum ex virtutum ſplendore venuſtas eſt. Si in corporibus requiras, coloribus lineisq; mira congruitate coaleſcentibus decus conflabitur gratiſſimum. Sed nec ſonorum modulata iucunditas pulchritudinem reſpuit. Triplex hæc pulchritudo tres habet ſenſus ſubſeruientes, triplicem verò imperitantem amorem. Radios ex animi claritate vibrantes interior mẽtis percipit oculus. Corporea autem gratia corporeus perfruitur viſus. Muſica verò conſonantia aures permulcet. Nos, niſi ceſſamus, obtundimus.

Pulchritudo triplex.

Triplex amor.

Potentia Amoris.

EMBLEMA CVII.



NVDVS Amor viden' vt ridet, placidumq́ tuetur?
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet:
Altera ſed manuum flores gerit, altera piſcem,
Scilicet vt terræ iura det atque mari.

COMMENTARII.

I. AMOR nudus alatus ſedet, ſubridens, perquam amabili & blando vultu, inermis penitus, ſed altera manu flores gerit, altera verò piſcem oſtendit.

II. *Fons Emblematis.* SVMPTVM eſt Emblema ex lib. 4. Epigram. Græc. *εἰς ἔρωτα γυμνὸν.* id eſt: *In Amorem nudum.* Epigrāma eſt Palladę:

Γυμνὸς ἔρως διὰ τοῦτο γελᾷ, καὶ μείλιχος ἐστίν,
Οὐ γὰρ ἔχει τόξον καὶ πυρόεντα βέλη.
Οὐδὲ μάτην παλάμαις κατέχει δελφῖνα καὶ ἄνθος.
Τῇ μὲν γὰρ γαῖαν, τῇ δὲ θάλατταν ἔχει.

Nudus Amor blandus iccirco arridet ocellis
Non arcus, aut nunc ignea tela gerit:
Nec temerè manibus florem delphinaq́ue tractat:
Illa etenim terris, hoc valet ipſe mari.

Nudus Amor ob id ridet, & placidus eſt.

Quia

Quia non habet arcum, neq; ignita tela.
Haud ſanè fruſtra manibus tenet Delphinum & florem;
Hac enim terræ, illa vero mari imperat.

Nudus Amor mitis placidis arridet ocellis:
Nempe arcu & faculis, vt ſolet ille, caret.
Nec temerè is florem manibus, delphinaq; geſtat:
Illa etenim terris imperat, hacq; mari.

Sanctius vt verba Græca melius intelligantur, ſic vertit:

Nudus Amor ridet blandè: quæ cauſa, requiris?
Non arcus retinet, ſæuaq; tela manu.
Nec fruſtra palmis florē delphinaq; geſtat:
Continet hæc terram, continet illa mare.

Huiuſmodi imaginem ſibi quoq; propoſuerat Fauſtus Sabæus, dum canit:

Improbe inermis Amor, quid riſu fallis amantes?
Sepoſitis armis, non tamen inſidijs.
Nā ſub flore dolos, ſub piſce picula claudis:
Allicis & perdis improbe naufragio.

Roſa cum Cupidine collatio. Legi alicubi Philoſtratum Cupidini roſam conferre. Nam ſicut illa recens mollis eſt, ita Cupido, cui aurei, non aliter ac roſę, capilli tribuuntur: hic quoq; ſpinas pro iaculis geſtat, pro facibus fulgorem, ſolia pro alis data ſunt: deniq; vtriq; tempus, color & mores conueniunt. *Delphinus quid.* Delphinus autem hominum amaſius, maris quietum ſtatum & tranquillitatem oſtendit, itamq; & commotionem fluctuum ibi emollitam ſignat; vt docet Pierius in Delphino ſuo Hieroglyph 27. Id videtur expreſſiſſe apertius in Hippolyto Euripides:

Amor omnia domat. Ὁ ποικιλόπτερος ἀμφιβαλὼν ὠκυτάτῳ πτερῷ, Πωτᾶται δ' ἐπὶ γαῖαν, εὐήχητον Θ' ἁλμυρὸν ἐπὶ πόντον. hoc eſt:

Ille pennis ornatus varys vndiq; volitans
Alis velociſſimis;
Volat namq; ſuper terram, ſonorumq;
Et ſalſum ſuper mare.

111. * *PLACIDVMq; tuetur*] Græcū habet, μείλιχος ἐστίν. *placidus eſt.*

Nec faculas] faces ardentes. Proper. lib. 2 eleg. 20.

Fax Cupidinis. *Quorum alij faculas, alij retinere ſagittas.*

Tribuuntur autem fax Cupidini, quod corda mortalium adurat, & animos conficiat.

Nec quæ cornua flectat] Arcum, qui cornutus apparet, cùm potiſſimum tenſus eſt. Vel ponitur συνεκδοχικῶς, pars pro toto, ſolebant enim ex cornu fieri arcus. Virg. 11. Aeneid.

Spicula torquebat Lycio Cortynia cornu.

Flores gerit] roſam. Τὸ ἄνθος, καὶ τὸ ῥόδον promiſcuè poni apud Poetas ſolenne eſt. Sed hic non eſt prætermittendum lepidum Auſonij epigramma (quod iam diu tribui Virgilio cęptum, inter eius appendices etiam nunc legitur) de Roſa:

Roſa Veneri dicata.

Vidi Paſtano gaudere roſaria cultu,
Exoriente nouo roſcida Lucifero,
Rara pruinoſis canebat gemma frutetis,
Ad primos radios interitura die.
Ambigeres, raperetne roſis tunc aura ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.
Ros vnus, color vnus, & vnum mane, duorū
Sideris & floris eſt domina vna Venus.
Forſan & vnus odor, ſed celſior ille per auras
Difflatur, ſpirat proximus iſte magis.
Communis Paphia Dea ſideris, et dea floris
Præcipit vnius muricis eſſe habitum.

Certè Philoſophi quidam odorem roſæ & colorem à Veneris ſtella proficiſci exiſtimarunt, quare poeta Venerem ſemper ore loqui roſeo dicit. Virgil. 4. Ecloga:

—— tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallētes violas, & ſumma papauera carpēs,
Narciſſum & florem iungit benè olentis anethi.

Politianus Eleg. de violis:

Formoſæ ò violæ, Veneris munuſcula noſtræ,
Dulce quibus tanti pignus amoris ineſt.

Hortos tutelæ Veneris aſſignat Plautus. Plinius item lib. 19 c. 4. Rurſus quod roſa & rubet, & pungit, affectus amatorij ſignū eſſe affirmat Placiades, vtpote qui ſine verecundiæ rubore, & facinoroſi criminis exulceratione eſſe non poſſit. *Roſa cur rubet & pungit.* Vnde fortè Claudius Minos anſam ſumpſit ſui carminis, quod ocioſè fuſum eruditorum venia fretus huic emblemati affixit. Id ſic habet:

Symbola adulantum cernis, roſa, piſcis, amorum,
Non ſanè vnius ſymbola certa mali.
Nā roſa verna ſuis non eſt ſine ſentibus, idē
Piſcis habet ſpinas intus & ipſe ſuas.
Pulchra roſa eſt, verùm illa breui fit marcida: piſcis
Eſt ferus, eſſe aliqua nec cicur arte poteſt.

Vide Pierium Valerianum Hieroglyph. libro 55.

Piſcem

Piſcem] Delphinum, vt in Græco, *δελφῖνα ϗ ἄνθος*. De delphino alibi.

Scilicet vt terra iura det, atq; mari] Emblematis *ἐξήγησις*. Notiſſimum ex 10. Ecloga eſt illud Virgilij:

Omnia uincit amor, et nos cedamus amori.

Idem alibi:

Omnia vincit amor, quid enim non vinceret ipſe?

Idem in Georgicis:

Omne adeo genus in terris hominumq; ferarumq; &c.

notum eſt carmen. Propertius:

Hic Deus & terras, & maria alta domat.

IV. *Amoris potentia.* Agalma præſens ſignificat omnia ſubijci imperio Amoris, qui nudus eſt, propterea quòd hic affectus debet eſſe ſimplex & apertus: ridet, quòd oblectationem præ ſe ferat: blandè aſpicit, vt perſuadeat: nullis armis inſtructus eſt, vt cum eo congredi non reformides. Amoris item tanta eſt potentia, vt nouam naturæ faciem, mores prioribus ex toto diuerſos inducere valeat. Quamobrem & Plato *ἀυτὸν παντὸς ἐπιχειρητὴν* nuncupauit, quod nihil non experiatur, vt qui omnia affectet, & audeat. Nam qui ſilentio prius ad reprehenſionem vſq; ſtudebat, iam efficitur garrulus. Socordem nimisq; deſidioſum videas ſatagere, ac ſtudioſius labori ſe ſubijcere. Et quod ſine fine miremur, parcum quoq; & *μικρόλογον*, id eſt, qui minima quæq; plurimi facit, videas, ſi in amorem inciderit, perinde ac igne ferrum molliri ac remitti, vt fiat tractabilior & iucundior. Sedquid mirum? Inſpicienti altius paulò, & in intima naturæ ſe inſinuanti innoteſcit apertiſſimè, quicquid diſcimus, quicquid excogitamus, quicquid omnino pertractamus in vita, ex amoris fontibus profluere, quibus latius manantibus vberrimè rigati artes percipimus aut inuenimus: Quod, niſi inueſtigationis oblectamentum inhæreret affixum, fieri nunquam poſſet. Inueniendi quippe deſiderium fomes eſt ac incitabulum ingeniorum. Proinde qui artium magiſtrum dixere amorem, nihil omnino à veritatis ratione videntur aberraſſe. *Artium magiſter amor.* Plura de Amoris poteſtate lege apud Athenæum 13. cap. 5. & Platon. in Conuiuio. Apud Euripidem Hippolyto nutrix Phædram heram alloquitur, eique amorem ſuadet, in quo ſi quid ſit vitij, culpam omnem in Venerem confert,

φοιτᾷ δ' ἀν' αἰθέρ'. ἐςὶ δ' ἐν θαλασσίῳ
κλύδωνι Κύπρις· πάντα δὲ ἐκ ταύτης
ἔφυ.

Viuit per æthera: eſtque in marino æſtu
Venus: omnia verò ex ea nata ſunt.

Lucretius initio libri 1.

Alma Venus, hominum, Diuumque æterna voluptas,

Idem eodem:

Quæ mare nauigerum, quæ terras frugiferenteis
Concelebras.

Et deinde:

——— tibi ſuauis dædala tellus
Submittit flores: tibi rident æquora ponti.

Ouidius:

Tu ſuperos, ipſumq; Iouem, tu numina ponti.
Victa domas, ipſumque regit qui numina terræ,
Tartara quid ceſſant?

Qua ratione tradidit Pauſauias in Corinthiacis, apud Sicyonios extare nobilem Veneris ſtatuam ex ebore, quę capite geſtet cęli orbes; altera manu teneat papauerum capita; altera verò malum: quo ſignificaretur quanta Veneris in animantia omnia, inque ipſos Deos vis eſſet. *Veneris ſtatua.* Egregiè etiã poſt ſexcentos poetas de poteſtate amoris canit Petrus Crinitus lib. 1. poemat. Vide etiam Cœl. Rhodig. lib. 29. cap. 16. nobis enim omnia aggerere non vacat.

Vis amoris.

EMBLEMA CVIII.



ALIGERVM fulmen fregit Deus aliger, igne
Dum demonſtrat uti eſt fortior ignis Amor.

COMMENTARII.

I. FVLMEN Iouis (quod hic elegantiſſimè triſulcum vtrinq; & alatum exprimi curauit Pignorius) manibus appreheníum Cupido nudus, at pharetratus & alatus frangit ac diſſipat.

II. PENE ad verbum expreſſit Alciatus diſtichon, quod habetur lib. 4 Antholog. εἰς ἔρωτα.

ὁ πτανὸς τὸν πτανὸν ἰδὼν, ἄθραυσε κεραυνὸν.
Δεικνὺς ὡς κρεῖσσον πῦρ πυρὸς ἐστὶν ἔρως.

Alatus alatum intuitus perfringit fulmẽ;
Oſtendens, quòd fortior ignis fulmine ſit Amor.

Aliger alatum fulmen perfregit, & hoc eſt
Fulmine quod rapido eſt fortior ignis Amor.

Lilius Gyrald. Hiſt. Deorum Syntagmate 11 repetit ex Plinio, fuiſſe in curia Octauiæ Cupidinem fulmen tenẽtem, cuius auctor neſciebatur. Id affirmabatur Alcibiadem fuiſſe Principem forma in ætate, in cuius clypeo ita erat pictus. Quod idem dicit Satyrus Hiſtoricus inter ea, quæ de Alcibiade commemorat: Clypeo, inquit, vtebatur auro atq; ebore confecto, in quo erat inſignis Cupido, κεραυνὸν ἀγκυλωμένος, id eſt: *fulmen incuruans* ſeu flectens.

ALIGERVM fulmẽ] Epitheti metaphora. Fulmen cum telo Amoris comparat: III. *Fulmen aligerũ-*

ſed.

ſed & fulmen telum vocatur Græcis, vt apud Sophoclem: ἐγκατάσκηψον βέλος πάτερ κεραυνοῦ: & Herodotum, βέλος ἐνέσκηψε Θεός. Fulmen aligerum dicitur propter celeritatem. ideoque pictores fulmini tribuunt alas, quod à Ioue immitti crederetur. Vnde Virgilius:

Ocyor & ventis, & fulminis ocyor alis.

Amor aliger. *Deus aliger*] ὁ πτανός, alas gerẽs Cupido, Græcis etiam ἔρως πτερόεις. Virgil. 1. Aeneid.

Atq; hic aligerum dictis affatur Amorem.

Cur? Tribuuntur autem Cupidini alæ, quod nihil amantibus leuius aut mutabilius ſit, vt vult Seruius in Virgil. Sic & Ouidius alloquens Amorem:

Tu leuis es, multoq; tuis ventoſior alis.

Amor ignis. *Ignis Amor*] Meritò amor ignis dicitur, quod non ſecus atq; ignis amantes vrat. Itaq; Virgilius paſſim amorem ignis nomine nuncupant. Sic 3. Georg.

Omne adeò genus in terris hominumq́; ferarumque,
In furias ignemq́; ruunt.

Idem Aeneid.

—— & cæco carpitur igni.

In Eclog. porrò:

At mihi ſeſe offert vltrò meus ignis Amyntas.

Ouid. epiſtola Paridis Helenæ:

—— quis enim celauerit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo?

Et vulgatum illud:

Neſcio quid ſit amor, nec amo, nec amor, nec amaui.
Hoc ſcio, quiſquis amat, vritur igne graui.

Scripſit & perelegans ſanè tetraſtichon Ioan. Secundus in Cupidinem, camino inſculptum, eadem ferme cauſſa:

Flammiuomo Veneris quiſquis fuit ille camino
Qui ſculpſit puerum, credite, doctus erat,
Scilicet æterna penes hunc cuſtodia flãma:
Per quem ſopitus non queat eſſe focus.

Et quoniam in epigrammata incidimus, placet aliud quoque ſubiungere, quod ab hoc loco neutiquam eſt alienum:

Me niue candenti petijt modo Iulia. Rebar
Igne carere niue, nix tamen ignis erat.
Quid niue frigidius? noſtrum tamen vrere pectus
Nix potuit manibus, Iulia, miſſa tuis.
Quis locus inſidijs dabitur mihi tutus amoris,
Frigore concreta ſi latet ignis aqua?
Iulia, ſola potes noſtras extinguere flãmas,
Non niue, non glacie, ſed potes igne pari.

TANTA vis eſt amoris, vt ipſo fulmine concitatior ſit, & violentior: quippè qui nec ipſi Ioui cedat, quem multoties arcu petijſſe Poetæ referunt: quo ſignificatur, amore ſtrenuo nihil vehementius eſſe neq; inſuperabilius. Itaq; Græcis ἔρως πανδαμάτωρ dicitur. De quo illud eſt diſtichon per proſopopœiam: IV *Amor fulmine ſuperior.*

Perfringunt, penetrant, vrunt mea ſpicula fulmen:
Scilicet hinc nomen eſt mihi πανδαμάτωρ.

Hanc quoq; ſententiam expreſſit ipſa Venus apud Virgilium, dum ait:

Nate patris ſummi, qui tela Typhoea tẽnis.

Quidam exſtant Euripidis verſus apud Stobæum, quibus Amorem Deum omniũ potentiſſimum facit: hi ſunt:

ἔρωτα ὅστις μὴ θεὸν κρίνει μέγαν,
καὶ τῶν ἁπάντων δαιμόνων ὑπέρτατον,
ἢ σκαιός ἐστιν, ἢ καλῶν ἄπειρος ὤν,
οὐκ οἶδε τὸν μέγιστον ἀνθρώποις θεόν.

Anacreon:

ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάστης
ὁ δὲ καὶ βροτὸς δαμάζει.

Menander: *Amor omnium domitor.*

Δέσποιν' ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον
Οὐδ' αὐτὸς ὁ κρατῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν
Ζεὺς, ἀλλ' ἐκείνῳ πάντ' ἀναγκασθεὶς ποιεῖ.

Nil eſt amore, nil, hera, eſt potentius,
Non vel Deorum rector ipſe Iupiter:
Sed is quoq; illi gerere morem cogitur.

In Troadibus Euripidis Helena factum ſuum excuſans apud Menelaum maritum, confert omnem culpam in Venerẽ, à qua coacta ſit, his verbis:

τὴν θεὸν κόλαζε, καὶ Διὸς κρείσσων γενοῦ,
ὃς τῶν μὲν ἄλλων δαιμόνων ἔχει κράτος,
κείνης δὲ δοῦλός ἐστι. id eſt:

Deam obiurga, & fias Ioue potentior.
Qui alijs Dijs imperat,
Huius quidem (Veneris nempe) *ſeruus eſt.*

Seneca in Hippolyto:

Hic volucer omni regnat in terra potens.
Ipſumq; flammis torret indomitis Iouem.
Gradiuus iſtas belliger ſenſit faces;
Opifex triſulci fulminis ſenſit Deus,
Et qui furentes ſemper Æthnæis iugis
Verſat caminos, igne tam paruo calet:
Ipſumq; Phœbum, tela qui neruo regit,

Figit, ſagitta certior miſſa puer:
Volatq; cœlo pariter & terris grauis.
Et in Octauia:
Quem ſubmouere fulminis dominus neq;,
Cœli tyrannum, ſæua qui penetrat freta,
Ditisq; regna, detrahit ſuperos polo.
In eandem quoque ſententiam de ſe ipſo Cupido:
Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in vndis,
Penſa dedi Alcidæ, Bacchum ſeruire coegi,
Quamuis liber erat.
Ouidius in Epiſtola Phædræ:
Quidquid amor iuſſit, non eſt contemnere tutum:
Regnat, & in dominos ius hēt ille Deos.
Huc facit illud Clementis è 6 ϛρωμάτ. ἔρωτα γὰρ τὸν ἀβρὸν μέλπομαι βρύοντα μίτραις πολυανθέμοις ἀείδειν. ὁ δὲ καὶ θεῶν δυνάϛης, ὁ δὲ καὶ βροτοὺς δαμάζει: *Amorem celebro delicatum florentibus plenum coronis: quippe qui in Deos imperium obtineat, atq; homines domet.* Huc ſpectat illud Ouidij 5. Metamorph.
——videt hunc Ericyna vagantem,
(Ditem intelligit)
Monte ſuo reſidens, natumq; amplexa volucrem:
Arma, manusq; mea, mea (nate) potentia, dixit,
Illa quibus ſuperas omnes, cape tela Cupido,
Inq; Dei pectus celeres molire ſagittas:
Cui triplicis ceſſit fortuna nouiſſima regni.
Tu ſuperos, ipſumq; Iouem, tu numina ponti
Victa domas, ipſumq; regis q; numina terræ:
Tartara quid ceſſant?
Huc quoque quadrat Augeriani octoſtichon, ſanè lepidum:
Augeriani lepidū carmen.
Omne olim cœlum (vt fertur) cœlum omne ruebat,
Inter ſe ſuperi dum fera bella gerunt.
Fortis erat Bromius thyrſo, Mars enſe, tridente
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.
At cum viſus Amor fuit in fulgentibus armis,
Necnon accenſa lāpade pulchra Venus:
Priuatur thyrſo Bromius, Mars enſe, tridēte
Neptunus, fortis fulmine dextra Iouis.
Talem quoq; poteſtatem ipſi attribuit Philippus quidam Poeta Græcus, vt ſcilicet omnes reliquos Deos ſuis armis & inſignibus ſpoliarit vnus Amor. Sed mirum fuit Ouidij ingenium in eo affectu exprimendo, eiusq; vi amplificanda: ſic enim 1. Amorum, eleg. 1.
In manibusq; Iouem, & cum Ioue fulmen habebam,
Quod bene pro cœlo mitteret ipſe ſuo.
Clauſit amica fores: ego cum Ioue fulmen omiſi,
Excidit ingenio Iupiter ipſe meo.
Iupiter ignoſcas: nil me tua tela iuuabunt:
Clauſa tuo maius ianua fulmen habet.
Et in ſecundo eiuſdem operis, eleg. 5. vbi conqueritur de amaſia, quæ ſe alteri communicarat, quamq; ideò verberibus cædere conſtituerat:
Vt faciem vidi, fortes cecidere lacerti:
Defenſa eſt armis noſtra puella ſuis.
Qui modò ſæuus erā, ſupplex vltroq; rogaui,
Oſcula ne nobis deteriora daret.
Riſit: & ex animo dedit oſcula, qualia poſſent
Excutere irato tela triſulca Ioui.
Quod verò ignis fortiſſimus ſit amor teſtatur Xenophon, qui ait amorem ipſo igni torrentiorem, & feruidiorem: nam ignis tangētem ſolùm vrit, & vicina depaſcitur: amoris ignis etiam in procul intuentes & longo terrarum tractu diſſitos ardentes ſuos radios vibrat. Eodem ſpectat & illud Ouidianum ex epiſtola Phædræ ad Hippolytum: Cur ignis amor.
Venit amor grauius, quò ſerius: vrimur intus,
Vrimur, & cæcū pectora vulnus habent.
Deinde:
At bene ſucceſſit diro quod adurimur igne.
Et poſt:
——Me tacitum conſcius vrit amor.
Eodem reſpexit Baptiſta Mantuanus, elegans poeta, dum cecinit:
Ignipotens ideo, quia vult ardere medullas.
Et Campan.
Flammeus accenſis ignibus ardet amor.
Hæc de igne & ardore, quem ad amoris affectum traducere poetis ſolemne eſt. Nos argumenti ſententiam poſſumus non inconcinnè traducere ad fœdera illa, quę percuti ſolent inter principes viros, & familias nobiles inter ſe diſſidentes, ſed tādem quæ pactis conuentis, connubiorum illecebra, dataque fide coeunt, ac deponunt hoſtiles animos. In eo vis amoris elucēſcit, vt quæ Martis imperium omnem contundat optata aduentu Cupidinis. Argumentum lepidi huius diſtichi audiui aliquando trahi ad illud
Amor aliter conſideratur.

ſud Eſdræ, quo loco veritatem rege, vino, fœmina potentiorem arguit: de quo id legimus ἄδηλον:

Rex, mulier, vinũ, præ cũctis fortiter vrgẽt,
Sed inter omnes Veritas victrix manet.

Item ad eum modum:

Magna meri vis eſt, fortis rex, fœmina fortis:
Fortia quæ cùm ſint, Verum tamen omnia vincit.

Poteſt idipſum non inconcinnè intelligi de amore virtutis, de quo paulò poſt. Sic etiam allegoricè de ſancto Chriſtianorum in Deum flagrante amore, qui quoſcunq; alios turpes & deprauatos amores, puta mundi oblectamenta & carnis illecebras egregiè diſſipat. Poterit deniq; fulmen hoc à Cupidine concuſſum traduci ad id, quod dici ſolet, *Amore plus quàm vi effici*, quod in quadam Epiſt. expreſſit D. Hierõymus: Ingenia quidem, inquit, liberaliter educata facilius verecundia quàm metus ſuperat. Sed hæc indicaſſe ſufficiat.

Amor diuinus.

Amor plus poteſt quàm vis.

In ſtudioſum captum amore.

EMBLEMA CIX.



IMMERSVS ſtudijs, dicundo & iure peritus,
Et maximus libellio.
Helianiram amat, quantum nec Thracius vmquam
Princeps ſororis pellicem.
Pallada cur alio ſuperaſti iudice Cypri?
Num ſat ſub Ida eſt vincere?

COMMENTARII.

I. SEDET vir grauis, habitu doctorali, cui aſtant hinc Pallas armata, illinc Venus nuda cum ſuo Cupidine; ille verò à Pallade auerſus, ſe ad Venerem tanquam amplexurus vertit. Primus quiſq; verſus eſt Heroicus: ſecundus quiſq; eſt Iambicus Archilochius dimeter, quatuor Iambis conſtans, receptis tamen ſpondæis in locis imparibus.

Metrũ.

II. EMBLEMA hoc in Hieronymum Paduanum ſcriptum, videtur ſumpſiſſe Alciatus ex Græco Pauli Silentiarij, quod ſic habet:

Prototypus Emblematis.

ὁ πρὶν ἀμαλθάκτοισιν ἐνὶ φρεσὶ ἦδον ἐν ἥβη

οἰστροφόρε παφίης θεσμὸν ἀπειπάμενος·

γυιοβόροις βελέεσσιν ἀνέμβατος ὁ πρὶν ἐρώτων

αὐχένα σοι κλίνω κύπρι μεσαιπόλιος,

δέξο με κὰγ χαλέουσα, σοφὴν ὅτι παλλάδα νικᾷς

νῦν πλέον, ἢ το πάρος μήλῳ ἐφ' ἑσπερίδων.

Senex eſt, qui conqueritur ſe, cùm iuuenis eſſet, telo amoris inuiolabilem fuiſſe: ætate autem pronectum amoris Iugo cogi. Epigramma ferè ita Latinè ſonat:

Acer erã, vt primus inuicta mẽte ſub annis
Oeſtrifera ſpreui dulcia iura Deæ:
Miſſilibus nec eram diris uiolandus amorũ,
Qui tua nunc canus ſub iuga vado Venus.
Suſcipe ouans, tetrica victa tibi Pallade ceſſit
Quàm prius Heſperidum munere maior honos.

Qui prius duris in præcordijs iucundam in pubertate
Oeſtriferæ Paphiæ legem recuſaui;
Membriuóris telis imperuius qui priùs eram, amoribus
Collum tibi inclino, ò Venus [ego] ſemicanus.
Suſcipe me lætabunda, ſapientem quia Pallada vincis
Nunc magis, quàm olim pomo ex Heſperidum.

Quũ prius in duris florenti ætate medullis,
Nulla mihi œſtrifera cura foret Paphiæ:
Nullus amor potuit noſtros abducere sẽſus:
At Venus, heu, canæ nunc tibi ſubdo comas.
Me iam admitte: magis doctam tu Pallada vinces,
Quã quondam pomo viceris Heſperidũ.

Vide num huc referre poſſis initium Odes vndecimæ Epodi Horatiani:

Pecti, nihil me, ſicut antea, iuuat
Scribere verſiculos amore percuſſum graui, &c.

Alio ſenſu ab Ouidio dictum memini elegia tertij Amorum, qua Tibulli mortem deflet:

Ecce puer Veneris fert euerſamq; pharetrã.
Et fractos arcus & ſine luce facem.

Amorem etiam ſuis deſtitutum armis deſcripſit initio eiuſdem operis amatorij his verbis:

Quis tibi, ſæue puer, dedit hoc in carmine iuris?
Pieridum vates, non tua turba ſumus.
Quid, ſi præripiat flaua Venus arma Mineruæ?
Ventilet accenſas flaua Minerua faces?

Ad hunc locum placet adgregare leues ac ſuaues Tibulli numeros, eleg. 1.

Interea dũ fata ſinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris nox adoperta caput.
Iam ſubrepet iners ætas, nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capite.

IMMERSVS ſtudijs] totus in ſtudijs occupatus. Translatio ab aquis. III.

Dicundo & iure peritus] Iuriſperitus, peritus iuridicundo.

Et maximus libellio] Libellio dicebatur veteribus, quem nos tabellionem vocamus. Græcè γραμματεὺς dicitur. Sed hoc loco quendam inſigniter litteratum, & eũ, qui libris penè immortuus fuerit, intelligi rectè iudicat Pignorius.

Libellio.

Helianiram amat] Alij legunt *Heliodoram adamat*, quod non diſplicet, cum id nomen puellæ ſæpius in Græcis epigrammatis repetitum inueniatur, nulla tamen hiſtoria vel fabula prætia.

Quantam nec Thracius vnquam.] Hac parium collatione turpem amorem ſignificat, qualis fuit in Tereo Thraciæ Rege, qui Philomelæ iuuenculæ, Prognes vxoris ſorori, ſtuprum intulit. Fabulam repete ex Ouid. 6. Metamorph. & ſupra ex Emblem. 70. Stockhamerus arbitratur hic per Thracium principem intelligi Iouem, qui natus fuit, & regnauit in inſula Creta, quæ in Thracia

Tereus.

Thracia eſt, vt Cicero lib. 3. de nat. Deor. Pellicem autem facit Semelem, de qua alibi. Sed certè mihi hæc opinio non ita arridet, ſicut prior.

Sororis pellicem) intelligit Philomelam Procnes ſororem, quæ ſic apud eundem Ouidium:

——*Pellex ego facta ſororis.*

Pellex. Dicitur autem pellex à pellendo, quia concubina pellit è lecto propriam vxorem. Sed de hoc vocabulo plura diximus Emblem. 49.

Pallada cur alio &c.] ò Venus, cur iterum ſuperaſti Palladem? num ſat erat ſemel in monte Ida te victricem fuiſſe? Hæc apoſtrophe gratiam addit, eaq́; tacitè ſignificat, quàm ſint ad libidinem propenſi, qui ab ea in primis deberēt eſſe alieniſſimi.

Cyprus. *Cypri.*] Cypris, vel Cypria, Veneris cognomē, à Cypro inſula, luxui dediti ſſima. Iuſtin. lib. 18. D. Auguſtin. Ciuit. lib. 4. c. 10. aliique plures, & nos ſupra Emblem. 77. Dicitur autem Cypris, ἀπὸ τοῦ κύειν, quod eſt parere ſeu producere, quia Dea ſit fœcunditatis. Horat. lib. 1. Carm.

Sic te diua potens Cypri.

Ida. *Num ſat ſub Ida &c.*] Alludit ad iudicium Paridis ſub monte Ida circa Troiam editiſſimo, vbi Paris inter Iunonem, Palladem & Venerem de pulchritudine contendentes, pro Venere ſententiam tulit, eiq; aureum pomum adiudicauit, in quo ſcriptū erat, *Pulchrum pomum, pulchrum donum, pulchrior accipiat.* Vnde Paris in epiſtola ad Helenam:

Cum Venus, et Iuno, Pallaſq; in montibus Idæ
Corpora iudicio ſuppoſuere meo.

Sed quia fabula lippis & tonſoribus nota eſt, huc non apponam. Si tamen pleniſſimè & feſtiuè deſcriptam illam cupis, conſule Daretem Phrygium de bello Troiano per totum ſecundum: & Lucianum in Iudicio Paridis, &c. Huc refero feſtiuum epigramma, quod habetur lib. 4. Antholog. εἰς ἀφροδίτη, τῆ ἀδεσπότῃ.

Παλλὰς τὰν Κυθέρειαν ἔνοπλον εἶπεν ἰδοῦσα,
Κύπρι, θέλεις οὕτως ἐς κρίσιν ἐρχόμεθα;
ἡ δ᾽ ἁπαλὸν γελάσασα. τί μοι σάκος ἀντίον αἴρειν;
ἢ γυμνὴ νικῶ, πῶς ὅταν ὅπλα λάβω;

Id ego in gratiam philologorum ſic Romanæ ciuitati donaui:

Pulchram cum Pallas Venerem vidiſſet in armis:
Nunc in iudicium vis veniamus? ait.
Molliter hæc ridens: ſcutū cur arripis in me?
Nuda en te vici, quid faciā arma ferēs?

Ad verbum ſic ſonat:

Pallas Cythereiam armatam videns dixit:
Cypri, vis vt in iudicium veniamus?
Illa verò molliter riſit: Quid clypeum aduerſum me ſumis?
Si nuda vinco, quomodo cum arma capio?

Ex Guicciardino Italo, ſcriptore hiſtoriæ diligenti ac erudito, didici, Epigramma hoc Alciati ſpeciatim ſcriptum fuiſſe in Hieronymum Paduanum, doctum quidē hominem, ſed qui amatoria etiam tractaret. *IV. Origo Emblematis.* Quod & generatim traduci poteſt in quoſdam doctrinæ gloria celebres, qui amore turpi excæcati videre non poſſunt, quantum vitæ ſuæ & famæ detrahant. Pudet ſanè referre miram amantium amentiam, quæ nō modò occupat rude vulgus, vbi conſuetudine in naturam verſa furor omnis excuſabilis; ſed etiam doctos homines quamplurimos, ſui nominis oblitos, qui hac perculſi non leuiter inſania, diſciplinarum liberalium (quibus ingenium perficitur, boniq́; mores inſeruntur) cultum natiuum turpiſſima Veneris labe infamarunt. Tales fuerunt apud Græcos Callimachus, Sophocles, Philetas, quos ſecuti proximè Catullus, qui Leſbiam: Tibullus, qui Deliam: Propertius, qui Cynthiam: Naſo, qui Corinnam, verſuum mira luxuria celebrarunt: atq; vnde morum infamiam merebantur, eloquentiæ gloriam ſunt conſecuti. *Qui inter doctos amori operam dederunt.* Tolerabilior inter hos Sappho, nam ætas, ſexus, animi leuitas puellam excuſant. Sed quid Anacreonti facias? Quid Alcæo? quorum vterq; non modo poeta inſignis, ſed vir fortis, & rebus geſtis in ſua repub. clarus fuit. Quanquam quid Poetas, quibus neſcio vnde eſt maior licentia data, & non potius vitæ duces arguā Philoſophos? Plato Philoſophorum princeps, imò Deus, (vt aiunt) de amoribus ſuis etiam turpibus (quanquam vero Philoſopho nulla libido non turpis & inconcella ſit) multa licentius ſcripſit, quàm quibus Platonicum nomen præfigendum eſſet. Scripſit tamen, & ſcripta extant, neque tam celebris famæ notam, neq; iudicium poſteritatis erubuit, curam hanc metumq; omnem vincentem im-

petu paſſionis animum vrgentis, ſtyliq; dulcedine calamum excitantis: quæ vel in turpi pudendaq; materia tanta illi eſt, vt (pace tanti viri dixerim) Epicureis in rebus magis quam in Platonicis Platonici ingenij cernas radios. Certamen eiuſmodi inter Palladem & Venerem etiam nunc durat, quodq; crebrò accidat, pleriſq; etiam viris bonis (qui eo fortaſſe non tam inuiti hærent) videtur eſſe ludus. Quo loco referre placet quæ Paulus Iouius, ætatis noſtræ hiſtoricus excellentiſſimus, de Auguſtino Nypho Philoſophiæ profeſſore retulit. Suſceptis enim liberis & vxore ſeneſcente ſeptuagenarius ſenex, puellæ citra libidinem impotenti amore correptus eſt vſque ad inſaniam, ita vt pleriq; Philoſophum ſenē atq; podagricum ad tibiæ modulos ſaltantem miſerabili pudore conſpexerint: vnde illi maturatum vitæ exitum conſtat. Melius quidem Panætius, qui adoleſcentulo quærenti, an ſapiens amaturus eſſet? De ſapiente, inquit, videbimus: mihi & tibi, qui à ſapiente longè abſumus, non eſt committendum vt aliquando incidamus in rem tā commotam & impotentem, alteri emancipatam, & vilem ſibi. Marcus etiam Tullius mortua coniuge, ab amicis vocatus ad ſecundas nuptias: Vix poſſem ego, inquit, eodem modo vxori & ſapientiæ ſtudio dare operam. Quo referam illud Chryſippi: Cum enim dixiſſet quidam ſapiētem amore non capi, teſtimonio eſſe Menedemum, Epicurum, & Alexinum: Hac ego, inquit, ratiocinatione vtar: Si Alexinus ille diſſolutus, & Epicurus inſenſatus, & Menedemus canis ac delirus (ſic enim ab Eretrienſibus dicebatur) amore capti non ſunt: nec ſapiens quidem eo capietur. Sed quia de turpis amoris quibuſdam affectis nonnihil attigi, iiſq; maximè quibus eruditi pleriq; & qui ſapientiam profitētur, argui nonnunquam ſolent, neſcio an huc rectè audeam conijcere τῆς ἀφροδίτης, id eſt, *Veneris*, ἔτυμον, quam παρὰ τὸ ἀφραίνειν à deſipiendo non ineptè quidā deflectunt. quod confirmat Euripides in Troadibus his verſibus:

Auguſtinus Nyphus Philoſophus.

ἀφροδίτη Venus vnde dicta.

τά μωρὰ γὰρ πάντ᾽ ἐϛὶν ἀφροδίτη βροτοῖς,
καὶ τοὔνομ᾽ ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.
Vbiq; ſtulta eſt Venus mortalibus,
Rectèq; nomen cœpit à dementia.

Et Cythercam, Veneris nomen, Grammatici deflectunt παρὰ κεύθειν τὸν ἔρωτα, τουτέστι κρύπτειν αἰσχρὰν μῖξιν: quia, vt inquit Cicero 1. de Officijs, qui ad voluptatem corporis paulò ſunt propenſiores, quā uis ea capiantur, occultant & diſſimulant tamen appetitum propter verecundiam. Sed redeo ad carceres; Pallas ſcientiarum præſes tunc ſuperatur à Venere, quando literarum ſtudioſi omiſſis libris liberis operam dant, & fœminas ſectari inſtituunt, vnde integra exhauriuntur patrimonia, æs dilapidatur in lupanaribus & popinis, nihilque ab egregijs Academijs reportatur, quàm ignorantia & contaminatiſſimi mores. Et hi tales merito faciunt, quod aliquādo quidam iuuenis, qui in celebri Gymnaſio ſine fructu tempus terens, cum à parentibus rudis diſciplinarum, ac penitus expers reuocaretur; equo inſidens, & iamiam abiturus, tabellionem adhibitis aliquot teſtibus ad ſe vocauit, ac verbis conceptis ſanctè iurauit, ſe nihil prorſus litterarum ab illa Academia ablaturum. Itaq; ſi quid eruditionis poſthac quacunq; incuria decideret ſcholaſticis, aut periret, diligenter ſe iam conteſtari, ne ſua culpa id accidiſſe ſuſpicarentur, neve penes ſe huiuſmodi rem vnquam quærerent.

Cytherea;

De ſtudioſo ignauo.

Ἀντέρως,

Ἀντέρως, id eſt, Amor virtutis.

EMBLEMA CX.



DIC vbi ſunt incurui arcus? vbi tela Cupido?
Mollia queis iuuenum figere corda ſoles.
Fax vbi triſtis? vbi pennæ? tres vnde corollas
Fert manus? vnde aliam tempora cincta gerunt?
Haud mihi vulgari eſt hoſpes cum Cypride quicquam,
Vlla voluptatis nos neque forma tulit.
Sed puris hominum ſuccendo mentibus ignes
Diſciplinæ, animos aſtraq́; ad alta traho.
Quatuor eq́; ipſa texo virtute corollas:
Quarum, quæ Sophiæ eſt, tempora prima tegit.

COMMENTARII.

I AMOR nudus ſine alis, ſine armis aſſidet, redimitus corona florida, & tria alia ſerta brachio dextro inſerta habẽs.

II HOC decaſtichon tralatum reperio ex Græco Mariani Scholaſtici *εἰς ἔρωτα ἐστεφανωμένον, in amorem coronatum*, quod ſic eſt 4. Epigram. *Fons Emblematiſ*

Πῦ σοι τόξα ἐκεῖνο παλίντονον, οἵ τ' ἀπὸ σεῖο

πηγνύ-

πηγνύμενοι, μεσάτην ἐς κραδίην δόνακες;
ποῦ πτερά; ποῦ λαμπὰς πολυώδυνος; ἐς τί δὲ τρισσὰ
στέμματα χερσὶν ἔχεις, κρατὶ δ' ἐπ' ἄλλο φέρεις;
οὐκ ἀπὸ πανδήμου, ξεῖνε, κύπριδος, οὐκ ἀπὸ γαίης
εἰμὶ, καὶ ὑλαίης ἔκγονος εὐφροσύνης·
ἀλλ' ἐγὼ ἐς καθαρὴν μερόπων φρένα πυρσὸν ἀνάπτω
εὐμαθίης, ψυχὴν δ' οὐρανὸν εἰσανάγω.
ἐκ δ' ἀρετῶν στεφάνους πισύρων πλέκω· ὧν ἀφ' ἑκάστης
τόνδε φέρων πρώτῳ τῷ σοφίης στέφομαι.
id eſt:

Vbi tibi arcus ille reflexus, vbi à te
Transfixæ medium in cor ſagittæ?
Vbi pennæ? vbi fax triſtis? ad quid tres
Coronas manibus tenes, in capite aliam fers?
Non [ego ſum natus] à vulgari, hoſpes, Cypride, neq; à terra
Sum maternali genitus voluptate;
Sed ego in puris hominum mentibus ignẽ accendo
Honeſtæ doctrinæ, mentem verò in cœlum induco.
Ex virtutibus autem coronas quatuor necto; quarum ab vnaquaque
Eaſque ferens, prima quæ eſt ſapientiæ coronor.

Arcus vbi reflexus, Amor, diraq; ſagittæ.
Queis teneros animos ſæpe ferire ſoles?
Pennaí vbi ſunt vbi fax triſtis? cur ergo coronas
Fers manibus? capiti cur agedum vna ſubeſt?
Non ego vulgari natus ſum Cypride; nec me
Materna è terrà fœda libido tulit.
Aſt hominum puris accendo in mentibus ignes
Doctrinæ, atque animos purus in aſtra traho.
Quatuor eq; omni necto virtute coronas,
Quas fero ego, & Sophia eſt prima corona mihi.

PLATO in Sympoſio (vt obiter tangam, quæ fuſius in Claſſe IV. ſunt dicenda) duas Veneres, duoſque Cupidines eſſe ſcribit, diuinum & cœleſtem alterum: alterum vulgarem & plebeium. Hos duos Cupidines videtur innuere Ouidius 4. Faſt. cum inquit:

Alma faue, dixi, geminorũ mater Amorũ.
quamuis non me fugit, aliter explanari ab interprete: Cupido Græcis dicitur ἔρως, huic contrarius, quiq; illum diſſoluit, ἀντέρως, de quo hic ſermo. Atq; de hoc ſenſiſſe Virgiliũ autumat Seruius 4. Aeneid. in his carminibus: ἔρως.

Teſtatur moritura Deos, & conſcia fati
Sidera, tũ ſi quod non æquo fœdere amãtes
Cura numẽ hẽt, iuſtũq; memorq; precatur.

Ἀντέρως, vt inquit Cicero 3. de nat. Deor. ex Venere natus eſt atq; Marte. Tertia, inquit, Venus, Iouis nata ex Dione, quæ nupſit Vulcano: ſed ex ea & Marte natus ἀντέρως dicitur. Amoris huius honeſti exemplum habes apud Plinium Secundum, auctorem caſtiſſimum. lib. 3. Epiſt. 3. vbi de Iulio Genitore Rhetore. Et neſcio an auſim differentiam inter Cupidinem & Amorem, de qua Nonius: nam Cupidinem ait eſſe inconſideratæ neceſſitatis, Amorem iudicij. Videtur id innuere Phocyllides: *Σεμνὸς ἔρως ἀρετῆς, ὁ δὲ Κύπριδος αἶσχος ὀφέλλει. Virtutis amor honeſtus, at Veneris dedecus adfert.* Hac de re fusè Lucianus in dialogo, cui nomen ἔρωτες, vel ἔρως καὶ ἀντέρως. De quo etiam ſcripſere ſingulares commentarios quidam recentiorum, vt Cœlius Calcagninus, Auguſtinus Nyphus cap. 19. 60 98. de amore. Geofredus Linocerius in Mythologia Muſarum, de Erato. Et ſi quem lingua delectat Gallica, videat horum duorum amorum differentiam apud Ioſephum Quercetanum lib. 1. magni ſpeculi mund. & etiam in Doricis ſuis cãtionibus; alioſq; quam plures. Ἀντέρως.

DIC vbi ſunt incurui &c.] arcus enim, pharetra, telaq; Amori tribuuntur, qua de re dicetur paulò poſt in ſtatuam Amoris. III.

Fax vbi triſtis?] Triſtis, à conſequenti, noxia, exitialis: Fax autem Cupidini tribuitur, quod indicarunt Aegyptij ſacerdotes, qui per ignem amorem exprimi voluerũt. Ouidius 2. Amor. eleg. 9. Fax amoris.

Cur tua fax vrit, figit tuus arcus amicos?
Iſidorus non poſtremi ordinis auctor rationem reddit, quia nonnunquam amor cupiditatẽ impatientius excitat, nonnunquam verò præ ſatietate abuolet. Itaq; apud Gellium Porcius Licinius dixit, hominem ob amorem non eſſe ignitum, ſed ipſum ignẽ. Notum eſt illud Virgilij:
Cæco carpitur igne &. Eſt mollis flamma medullas,

Item

Item:

Vritur infelix Dido.

vti iã diximus paulò ante, Emblem. 108.

Corolla. *Tres vnde corollas Fert manus?*] cur triplicem coronã manibus contrectas? Quid ſignificet corona, notum eſt: inde corolla, diminutiuum, parua corona, de quibus vide Plinium lib. 21. cap. 2. Inde corollariũ

Corollarium. (vt inquit M. Varro de lingua Latina lib. 4.) quod eſt additum, ſeu additio, præter id quod debetur, Italis, *Giunta*, Germ. *Zuegab*, Hiſpanis, *Annadidura*. Hoc in ludis, cum placuiſſent actores, ſolebat dari præter promiſſas coronas. Suetonius in Auguſto: Corollaria & præmia in alienis quoque muneribus ac ludis, & crebra, & grandia de ſuo offerebat.

Virtutes morales. *Vnde aliã tempora cincta gerunt?*] cur alia corona caput redimitũ eſt? Quatuor ſunt virtutes Cardinales (de quibus latè Cicero in Officijs, Seneca in libro de quatuor virtutibus Cardinalibus; & Macrobius in lib. de Somnio Scipionis, refert Plotini Philoſophi elegantem harum virtutũ diſtributionem) Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia. Harum tres vltimæ in operatione conſiſtunt: fruſtra enim (vt ſæpe repetit Ariſtoteles) quid ſit virtus, quæ eius partes, didiceris, niſi eas fueris operatus. Prudentia ſiue Sapientia (nam hic pro eodem ſumuntur, quamuis alibi differant) omnis in meditatione conſiſtit, intellectione que vtitur. Hæc igitur eſt cauſa, quare amor virtutis Sapientiæ corollam in capite habeat, reliquas in manibus, quæ in exercitatione conſiſtunt.

Venus vulgaris. *Vulgari cum Cypride*] Non ſum natus Venere vulgari: nihil mihi rei eſt cum volgiuaga voluptate. Vulgaris illa Venus circa turpes amores verſatur; honeſta verò ad virtutem & honeſtatem amplexandam inflammat, & ad rerum cęleſtium contemplationem animos pertrahit. Quod dum meditor, non poſſum mihi temperare, quin aliquid vltra adijciam. Apuleius apologia 1. pro ſe ipſo dicit item ex Platone geminam eſſe Venerem, quarum altera vulgaris, quæ ſit percita populi amore, non modò humanis animis, ſed & pecuinis & ferinis ad libidinem imperitare: Alteram verò cœlitem Venerem, quæ prædita ſit optimati amore: ſolis hominibus, & eorum paucis curare: nullis ad turpitudinem ſtimulis, vel illecebris ſectatores ſuos percellentem, eius enim amore non amœnum & laſciuum ſed contra incorruptum & ſeriũ pulchritudine honeſtatis, virtutis amatoribus ſuis conciliare: & ſi quando decora corpora commendet, à contumelia eorum procul abſterrere Neq; enim quicquam aliud in corporum forma diligendum, quàm quod admoneat diuinos animos eius pulchritudinis, quam prius veram & ſincerã inter deos videre. Quapropter, vt ſemper, eleganter Afranius hoc ſcriptum reliquit:

Amabit ſapiens, cupient cæteri.

Venerem qui primi coluerũt. Porrò Veneris οὐρανίης id eſt, cœleſtis & inculpatæ, ab omniq; corporis ſeiunctæ deſiderio, templum Athenis fuiſſe ſcribit Pauſanias. Primos hominum Aſſyrios eam coluiſſe; deinde Paphios, poſtea Aſcalonitas, Phœnices, inde Cytheræos, vltimos Athenienſes, Axgeo rege ſacra illius conſtituente. Veneris autem πανδήμου, id eſt, vulgaris ſeu publicæ fanum Athenis extruxit Solon ex pecunijs, quas lupæ in proſtibulo merentes contulerant. Athenæus lib. 13. Plato in conuiuio quod nos obiter. Adiungo non inuenuſtum Baptiſtæ Cynthij epigramma, de Solone & Venere:

De Solone & Venere epigrãma.

Palladis afflatu patria dum conderet olim
Iura Solon, illi candida Cypris ait:
Quid ſequeris demens plena hæc monimenta laborum?
Cur placidũ numen non colis ipſe meum?
Fortè piget coluiſſe Cyprin; Tritonia nobis
Eſt longè inferior, iudice vel Paride.
Hinc ſenior: Phrygio ſi mens non læua fuiſſet,
Non eſſet flammis Troia cremata tuis.
Tu verò ne quaſo iterum me indice certes,
Nam tibi non cedet aurea poma Venus:
Me iuuat iſte labor, vera hic paris otia ſudor:
Ocia ſed flammas, quæ facis ipſa, ferunt.

Sed puris hominum.] Effecta pudici amoris: vbi notabis diligenti præparatione opus eſſe, priuſquàm aditum habere poſſis ad rerum diuinarum & pulcherrimarum ſpeculationem.

Animos aſtraq;] Hic raptus quomodo fiat, ſuperius docuimus ad Emblema 4. cuius inſcriptio eſt, *In Deo lætandum*.

Quatuor eq; ipſa &c.] ex omni natura virtutis tres corollas conficio, è quibus prima, quæ prudentiam ſeu ſapientiam repræſentat, caput circumdat. Virtus in genere ſub ſe continet virtutes morales & intellectiuas:

ctiuas: duodecim enumerat Ariſtoteles practicas, & quinq; quæ ad intellectum pertinēt; è quibus omnibus quatuor deſumpſit ſibi Anteros, tres ex practicis, Iuſtitiam, Fortitudinem, Temperantiam; vnam ex intellectiuis, Sapientiam.

IV. EFFINGIT Cupidinē ἄτοξον καὶ ἄσοχον, ſine arcu & ſine telis, erudito ſanè figmento dialogiſtico, quo quidem virtutis omnis diſtributionem aſſignat. Sed primū aduertendum eſt ex Platone in Sympoſio, duas eſſe Veneres, & totidem Cupidines:

Duo Cupidines & totidem Veneres.

hæc antiquior & ſine matre, cęlo nata, quā cœleſtem Venerem vocamus: altera iunior, è Ioue & Dione progenita, vulgaris & communis appellata. Eadem ratio eſt Cupidinis vtriuſque. Horum enim alter honeſtas cupiditates animis ingerit: alter verò affectus voluptuoſos & terreſtres inculcat. Prior ille ἀντέρως eſt, quaſi dicas, priori contrarius; qui hominem attollit ad ſuperiora & cœleſtia contemplanda, omnem ǭue virtutem & honeſtatem præſtat.

ἀντέρως.

Hic itaq; tres coronas manibus contrectat, vnāǭue circumfert in capite: quibus quatuor illæ virtutes (ex quibus omnis honeſti fons petitur) deſignantur.

Quatuor coronæ ad totidem virtutes relatæ.

Prior illa corona caput ambiens (partem quidem Platoni in Timæo omnium corporis partium diuiniſſimam, & certè principem) Prudentiam repræſentat: prouidere enim & aliquid prudenter meditari, contemplationis eſt: tres aliæ, quas manibus continet, Iuſtitiam, Fortitudinem, & Temperantiam notant, quæ potiſſimùm in actione poſitæ ſunt; manus enim actionis ſunt organa. Quod perſpicuum eſt ex primo Officiorum Ciceronis:

Locus Ciceronis.

Qui maximè perſpicit, inquit, quid in re quaq; veriſſimum ſit, quiǭ; acutiſſimè & celerrimè poteſt videre & explicare rationem, is prudentiſſimus & ſapientiſſimus ritè haberi ſolet. Quocirca huic quaſi materia, quam tractet, & in qua verſetur, ſubiecta eſt veritas: reliquis autem tribus virtutibus neceſſitates propoſitæ ſunt ad eas parandas tuendasǭ; quibus actio vitę continetur: quo ſanè loco differentem facit virtutem Prudentiam à reliquis tribus, ea enim poſita eſt in veri inueſtigatione & contemplatione, reliquę ſunt actionis. De vtroque Amore Plato in Conuiuio. Ficinus Oratione 2. c. 7. & orat. 7. cap. 8. in idem Conuiuium Platonis. Cæterùm ἀντέρωτα Proclus interpretatur Amorem diuinum animas à corporibus abſtrahentem: qua in ſignificatione hic vſurpatur. Alij duplicem Amorem ideò effictum eſſe narrant, quòd nullius frugis aut commodi poſſit eſſe amor, niſi mutuus ſit:

Duplex amor qd aliis ſignificet.

qua de re Porphyrius Philoſophus hunc adfert Apologum: Cum, inquit, Cupido infans parum coaleſceret, Venus Themin Deam conſuluit: quæ Veneri reſpondit, Anterota neceſſariū eſſe, qui rependat vices, vt ſeſe mutuò iuuent. Cui Venus acquieſcens, Anterota, quaſi Contracupidinem dicas, genuit: quo vix dum nato, Cupido cœpit adoleſcere, & procerior euadere. Sed hæc fortaſſe παρέργως. Scio quidem apud Plutarchum in ἐρωτικῷ, duos Amores eſſe iuxta Aegyptiorum ſententiam & Platonicorum, ἔρωτα πάνδημον, καὶ τὸν οὐράνιον, id eſt, *vulgarē, & cœleſtem amorem*: ſed quia deflectit aliquantum ab ea quam retuli ſententia Mariani, facilè prætereo. Apuleius tres amores facit libello, quem De philoſophia ſcripſit (vbi Platonem auctorem appellat) vnum diuinum, cum incorrupta mente & virtutis ratione conuenientem: alterum de generis animi, & corruptiſſimæ voluptatis: tertium ex vtroq; permixtum, mediocris ingenij & cupidinis modicæ.

Triplex amor apud Apuleium.

Animas autem ſuſciores, ait, impelli corporum cupidine: vinum quod illis propoſitum eſt, vt eorum vſura potiantur, atq; eiuſmodi voluptate & delectatione ardorem ſuum mulceant. Illas verò facetas & vrbanas eſſe: animas bonorum deamare, & factum velle vti qui potiantur plurimum bonis artibus, & meliores præſtantioresque reddantur. Medias ex vtroq; conſtare: nec delectationibus corporis prorſus carere, & lepidis animarum ingenijs capi poſſe. Vt igitur illum amorem deterrimum, inhumaniſſimum, atq; turpem facit, non ex rerum natura, ſed ægritudine corporis, morboq; natum: ſic illum diuinum, deorum munere, beneficioq; conceſſum, aſpirante cęleſti cupidine in animos hominum venire credi. Tertiam ſpeciem amoris, quam mediam dicit, diuini atq; terreni proximitate collectum, nexuq; & conſortio parili copulatū: vtq; rationi propinquus eſt diuinus ille, ita & terrenum turpitudine iunctum eſſe voluptatis. Hactenus Apul. Bene Tullius 4. Tuſcul. virtus eſt animi affectio conſtans, conueniensq; & laudabiles efficiens eos, in quibus eſt, & ipſa per ſe ſua ſponte, ſepara-

Virtus qualis.

m

ta etiam vtilitate, laudabilis. Ex ea proficiſcuntur honeſtæ voluptates, ſententiæ, actiones, omniſque recta ratio dici poteſt. Huius igitur virtutis contraria eſt vitioſitas, ex qua perturbationes, quæ ſunt turbidi animorum, concitatiq; motus, auerſi à ratione, & inimiciſſimi mentis vitæque tranquillæ. Sed ad vim argumenti facit illud Valerij Max. lib. 3. cap. 3. Eſt & illa vehemens & conſtans animi militia, litteris pollens, venerabilium doctrinarum antiſtes philoſophia, quæ vbi pectore recepta eſt hominum, inhoneſto atque inutili affectu diſpulſo, totos in ſolido virtutis munimento confirmat, potentiores metu ac dolore faciens. Ad id ſpectat hoc Flacci:

——Quod ſi
Frigida curarũ fomenta relinquere poſſes,
Quò te cœleſtis ſapientia duceret, ires.

Ἀντέρως, Amor virtutis, alium Cupidinem ſuperans.

EMBLEMA CXI.



ALIGERVM, aligeroq́ inimicum pinxit Amori,
Arcu arcum, atque ignes igne domans Nemeſis.
Vt quæ aliȷs fecit, patiatur: at hic puer olim
Intrepidus geſtans tela, miſer lacrymat.

Ter

Ter ſpuit inq́; ſinus imos: res mira, crematur
Igne ignis, furias odit Amoris amor.

COMMENTARII.

I. ANTEΡΩΣ, Amor virtutis alatus & pharetratus, Cupidinem itidem alatum, exutum armis, nudum ad arborē vinculis conſtringit, arcus verò & ſagittæ in igne iuxta poſito comburuntur.

II. *Archetypus Emblematis.* TRANSLATVM eſt ferè ad verbū ex lib. 4. Epigram. Græcor. incerti auctoris, quod ſic habet:

πτανὼ πτανὸν ἔρωτα τὸν ἀντίον ἔπλασ' ἔρωτι
ἁ νέμεσις, τόξῳ τόξον ἀμυνομένα.
ὥς κε πάθῃ τά κ' ἔρεξεν· ὁ δὲ θρασὺς, ὁ πρὶν ἀταρβὴς
δακρύει, πικρῶν γευσάμενος βελέων,
ἐς βαθὺν τρὶς κόλπον ἀπέπτυσεν. ἆ μέγα θαῦμα,
φλέξει τίς πυρὶ πῦρ; ἥψατ' ἔρωτος ἔρως.

Pennatū volucri puero atq; vltricia pennis
Tela Cupidineis oppoſuit Nemeſis:
Vt quæ commiſit, ferret, qui fortis & audax
Antè, modò expertus ſpicula amara gemit:
Terq́; ſinum ſpuit in medium, proh mira: quis ignem
Igne vret? flammas ſenſit Amoris amor.

Pennato pennatum Amorem contrarium finxit Amori
Nemeſis, arcu arcum vlciſcens:
Vt quæ mala fecit, patiatur. Audax verò qui prius [&] intrepidus,
Lachrymat, amara vbi ſenſit tela:
In imum ter ſinum conſpuit. Quàm valde mirum?
Accendet quis igni ignem? attigit Amorem Amor.

Pennato Nemeſis pennatum finxit Amori
Oppoſitum, arcu arcum vt qui domet alter Amor:
Quò mala quæ fecit patiatur. Qui priùs ergo
Audax, intrepidus, ſentit amaritiem:
Conſpuit in mediumq; ſinum. Igni accenditur ignis,
(Mirum) & Amorem iſthoc verbere ſenſit Amor.

Non eſt alienum quod Ouidius cecinit 1. Amorum, eleg. 1.

Quid ſi præripiat flaua Venus arma Mineruæ?
Ventilet accenſas flaua Minerua faces?

Et eleg 8 lib. 3. qua Tibulli mortē deflet:

Ecce puer Veneris fert euerſamq́; pharetrā,
Et fractos arcus, & ſine luce facem.

Pauſanias in Eliacis memorat Cupidinem depictum fuiſſe, qui alteri Cupidini palmā è manibus extorquere niteretur: quo volebant intelligi honeſtum amorem de amore Venereo victoriam quærere. Ἀντέρωτα certè, id eſt, ἀντίθεον, oppoſuerunt veteres ἔρωτι, vt interpretes nonnulli exemplū ita apponant: In Phædra ἔρως, in Hippolyto ἀντέρως erat: vt apud Naſonem in Apolline perſequente, & Daphne fugiente, cuius poetæ verſus hi noti: *ἔρως καὶ ἀντέρως ſibi contrarij.*

Deq; ſagittifera prompſit tela duo pharetra. &c.

Hoc eſt quod ſuperiore Emblemate ex conuiuio Platonis adduximus, qui duas finxit Veneres, cœleſtem & terreſtrem, duos pariter Cupidines, honeſtum ſcilicet & turpem; quorum prior ex Venere & Marte, alter ex Erebo & Nocte nati dicuntur, vt colligit Perotus ex Cicerone de Nat. Deorum. Et ille veros & honeſtos immittit amores, ſinceros, ſtabiles, atq; æternos: hic verò turpes, falſos, inconſtantes, ac diſſimiles amores incutit. Idcirco apud poetas nonnunquam hunc aurea cuſpide figit, illum plumbea: illum vt amet, hunc vt abhorreat; vulgi nimirum inconſtantiam & vitæ diſſimilitudinem ſignificantes.

ALIGERVM aligero &c.] Nemeſis Dea indignationis, & ſcelerum vindex (de qua abundè dictū Embl. 27. 44. & 46.) affinxit aligerum amorē aligero amori oppoſitum, certèq; contrarium arcui arcum, igni ignem: id eſt, Cupidini vulgari oppoſuit alium Cupidinem ei aduerſantem. III. *Nemeſis.* Hoc loco videtur Nemeſis capi pro ipſa indignatione, atq; adeo pro artifice, qui ægrè ferebat amorem omnia ſub ditione tenere, atq; omnia vaſtare. Quapropter pinxit amorem virtutis, qui Cupidinem vinctum teneret ac ſuperaret: ſiquidem potentior eſt Cupidine virtutis amor.

Vt quæ alijs fecit, patiatur.] vt ferat eos cruciatus, quibus miſeros affecit homines. Adducitur idem à Suida :

ἄικε παθοιτά κ' ἔρεξε, δίκη δ' εἰ θεῖα γένοιτο. id eſt :

Si quis patiatur quæ alijs fecerit, iuſta pœna fuerit.

Et apud Pindari ſcholiaſten 4. Pyth.

οἷάτ' ἀνὴρ ἔρξοι, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Alicubi & apud Pauſaniam : *Iiſdem artibus capietur ille, quibus vſus eſt. ταῖς δ' αὐταῖς τέχναισιν ἁλώσεται, αἷσπερ ὑπῆρξεν.* Sed de hoc latius in Claſſe IV.

Puer olim intrepidus] imò *πανδαμάτωρ*, inuictus, qui vim ſuam etiam in Deos exercet.

Lacrymor et Lacrymo. *Lacrymat*] Dicimus & lacrymat, & lacrymatur; ſed hoc frequentius. Terent. in Adelph. *Ob, lacrymo gaudio.* Cicero 7. Verr. Ecquis fuit, quin lacrymaretur?

Ter ſpuit inq; ſinus imos] Hic verſus pro varia interpunctione varias recipit explicationes. *Spuere in ſinum, quid.* Quidam interpongunt poſt *ſinus imos*: & dicũt alludere poetam ad morem puerorum, qui plorãtes totum pectus conſpurcant ſaliuis & craſſiore ſputo. Ter ſpuit (addunt illi) id eſt, ſæpius conſpergit pectus ſaliua: nam *ter*, vim ſuperlatiui obtinet. Alij interſtinguũt poſt, *Ter ſpuit*: & illud ad expreſſum ſignum irati & abominantis trahunt. Tibullus Elegiar. 2. de ſene amatore loquens :

Hunc puer, hunc iuuenis turba circumſtetit arcta :

Deſpuit in molles & ſibi quiſq; ſinus.

Iuuenal. Satyr. 7.

Conſpuiturq; ſinus verũ deprehẽdere meſsẽ Si libet.

Et apud Theocritum puella ruſticum quendam, à quo amabatur, ridens, dum illi deformitatem, graueolẽtiam, & alia corporis vitia exprobrat, ter in ſuum ſinum deſpuit: ait enim :

Τρὶς εἰς ἑὸν ἔπτυσε κόλπον.

Pignorij de hac re ſententia. Pignorius legit, *Ter ſputo inq; ſinus imos.* ad arcendum videlicet faſcinum. Plinius lib. 28. c. 4. Scaliger ad Petronium, & Lindenbruchius in Ceirin : lacrymæ enim amoris non reſtinguunt, ſed excitant incendium. Aliter tamen videtur ſenſiſſe Georgius Anſelmus, dum ait :

Funde diu vinctus gemitum, Deus improbe & exlex,

Funde diu tepidas ex oculis lacrymas.

Prædo pudicitiæ & rationis, mentis abactor,

Cæcũ vulnus, edax cura, æternus Amor.

Abſoluunt homines grauidis tua vincula curis,

Tu modò da rapidis irrita verba Notis.

Nam quem accendiſti miſeris in mentibus ignem,

Extinctũ lacrymis nunc quoq; cerne tuis.

Sed vt & ego meum afferam ſymbolũ, arbitror alluſum eſſe ad prouerbium, *In tuum ipſius ſinum inſpue.* quo vtimur admonentes aliquem, vt domeſticorum malorum recordatione deſinat arrogantius inſectari alios: ſiquidem qui vexat alios, ſpe quadam improba peccat, quaſi ſperet ſibi nihil ſimile à quoquam contingere poſſe. Quod hic petulanti illi amori contingit, qui arrogantius alijs inſultans, nunc quæ fecit alijs, ipſe patitur, inq; ſuiipſius ſinũ ſpuere cogitur. Vel, *in ſinum ſpuere*, hic poſuit pro ſigno humilitatis & ſubiectionis, cum ex Caſaubono in Theophraſtum notem, *procul ſpuere*, eſſe ſignum eminentiæ; vnde etiam apud Plautum in Perſa, ad exprimendum geſtum glorioſum ait quidam: *magnificè conſcreabor* Hæc ego muſteus criticus ſanioribus & ſenioribus iudicijs ſubijcio. *Thuilij coniectura.*

Odit amoris amor] Eadem Polyptoſis apud Ouidium 3. Amor. eleg. 10. inuenitur: *Cauſa fuit multis noſter amoris amor.*

TRIVMPHVS eſt Amoris pudici, qui de Cupidine Veneteo ſpolia ampla referat. Nemeſis igitur vltionis Dea ſuperbientem Veneris filium voluit ab alio aduerſario Cupidine, ſeu oppoſito amore vinciri & conſtringi: quo ſignificatur, turpem amorem, aut noxiam aliquam cupiditatẽ poſſe ab honeſto quodam affectu & labore non modò imminui, ſed & ſopiri. Vnde verè Ouidius 2. de Remedio : IV. *Amor quomodo ab Amore ſuperatur.*

Alterius vires ſubtrahit alter amor.

Manifeſta eſt itaq; alluſio ad prouerbium, *Clauum clauo pellere.* Quò pertinet illud Hieronymi ad Ruſticum Monachum: Philoſophi ſeculi ſolent amorem veterẽ amore nouo, quaſi clauum clauo pellere. Cicero 4. Tuſc. Loci denique, inquit, mutatione, tanquam ægroti non conualeſcentes, ſæpè curandus eſt. Etiam nouo quodam amore veterem amorem tamquam clauũ clauo eijciendum putant. Id mihi in memoriam reuocat C. Valerium Flaccum, qui primùm luxu perditus adoleſcens tem- *Valerius Flaccus.*

poribus.

porious belli Punici ſecundi, cùm captus flamen eſſet à Licinio Pontifice Maximo, quo facilius à vita flagitioſa recederet, ad curam ſacrorum & cæremoniarum conuerſo animo, quantum priùs luxuriæ fuerat exemplum, tantum poſtea modeſtiæ & ſanctitatis ſpecimen euaſit, vt ait Valer. Max. lib. 9. cap. De mutatione morum. Fortaſſe huc non malè quadrat iſtud anonymi cuiuſdam:

Dum ſedet, & vano defeſſus mēbra labore,
Pan, & ſe tortum cæculo amore pudet:
Cœpit agens vnà calamos inflare ſonoros
Cantibus; & ſic quo tædia fallat, habet.
Sic opus ad Muſas animū reflectere dulces;
Tale amuletum turpis amoris erit.

Exempla vitæ ſtatū mutantiū in melius. Teſtis eſt Plato, qui audito primùm Socrate, poeticam abiecit, totumque ſe Philoſophiæ dedidit ſtudio: teſte Polemone, adoleſcente profligato, luxu & ganea perdito, qui cum fortè in ſcholam Xenocratis veniſſet, & philoſophum exquiſitè diſputantem aduerſus luxum & terram voluptatem, ſtatim ſe recepit ad meliorem frugē, & ſic excolendum ſe dedit præceptis ſapiētiæ, vt inter noti nominis philoſophos numeretur: de eo Laertius, Horatius 2. Ser. Val. Maxim. lib. 6. c. 1. Id reuocat in mentem Socratis de ſe iudicium, qui cùm à phyſiognomo quodam Zopiro, ex inſpectione vultus argueretur vt bardus & mulieroſus: Verè, ait; nam talis eram natura, niſi me philoſophiæ dediſſem excolēdum. Sed in primis valdè nos afficit Hieronymi pia vox in ea, quæ eſt ad Ruſticum epiſtola: Gratias ago Deo meo, ait, quod de amaro ſemine litterarum dulces fructus capio. Significat beatus ille, ſe ex profanis litteris meliores ſuccos expreſſiſſe, & quicquid in iis ſpurcum aut amarulentum foret, feciſſe melius meditatione diuini verbi, & veridicę pietatis. Vide plura apud Cęlium Chalcagnin. in libello ἀντέρως, Crinitum lib. 1. poematum, in epigram. exhortationis ad virtutem, Cœl. Rhod. g. lib. 16. c. 24. & 25. lib. 23. c. 4.

2. Traditur legis talionis ratio: nā diuinæ ac humanæ litterę probant, quantopere cū ęquitate conueniat, vt quiſque ea patiatur, quę in alios fecit. *Æquū eſt eū ea pati, quæ in alios fecit.* Lactan. lib. 1. c. 16. Diuin. inſtit. de Ioue loquens: An tandē, ait, ille venit in mentem, ab alio expectes alteri quod feceris? & timet ne quis ſibi faciat, quod ipſe Saturno? Boethius (quid enim vetear adducere auctorem tam bonum?) De conſolat. 2. Quid autem eſt, inquit, quod in alium quiſquam poſſit facere, quod ſuſtinere ab alio ipſe non poſſit? Buſiridem accepimus necare hoſpites ſolitum ab hoſpite Hercule fuiſſe mactatum. Regulus plures Pœnorum bello captos in vincula coniecerat, ſed mox ipſe victorum catenis manus præbuit. Vllamne igitur eius hominis potentiā putas, qui quod ipſe in alio poteſt, ne id in ſe alter valeat, efficere non poſſit? Hæc ille. Seneca longè antè vſurparat idem verbum, ſed alio tamen ſenſu, epiſt. 39. Quarum voluptatum impotentiæ atq; inſanæ libidini ob hoc vnum poſſis ignoſcere, quod quæ fecere patiuntur. Accommodatius ad hunc locum Cicero 2. de Oratore, alio tamen orationis filo: Vt ſementem feceris, ita & metes. Iuſtitia enim videtur poſtulare, vt qui fecerit aliis iniuriam, ab aliis itidem accipiat iniuriam. Hæc enim lex eſt talionis, vt par pœna reddatur. Virgil. in decimo de Turno, qui Pallantem Euandri filium interfecerat: *Turnus.*

Neſcia mens hominū fati, ſortisq́ue futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis:
Turno tempus erit magno cum optauerit emptum
Intactum Pallāta, & cum ſpolia iſta, diemq́ue
Oderit.

Etenim cùm Æneas Turnum proſtrauiſſet, illique parcere decreuiſſet, viſo Pallantis balteo, quo ſe Turnus cinxerat,

——Furiis accenſus & ira,
Terribilis: Tune hinc ſpoliis indute meorū
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat, & pœnam ſcelerato ex ſanguine poſcit.

Et Orodes prædixerat in 10. eod. lib. fore, vt eadem pœna breui afficeretur Mezentius, quam in ipſum intulerat. *Mezentius.*

——non me quicunque es inulto
Victor, nec longum lætabere: te quoque fata
Proſpectant paria: atque eadem mox arua tenebis.

Glyca Annalibus ſcribit, Adonibezecum viuum captum, extremisq; pedum ac manuum partibus mutilatis: Septuaginta, inquit ille rex, reges extremis pedum manuumq; partibus truncati, mea ſub menſa micas collegerunt. Quemadmodum in illos ego me geſſi, ita mihi diuinitus eſt repenſum *Adonibezecus.*

penſum. Diomedem Thracem quoque Diodorus & poetæ tradunt equos habuiſſe, quos carnibus humanis paſcere ſolebat. Hos Hercules Argos perduxit, occiſo Diomede, quem ſuo ipſius exemplo equis mandendum appoſuit. Non ſecùs atq; Phalaris Siculus tyrannus Perillum tauro ſuo æneo incluſit. Perillus enim, vt Phalaridis crudelitatem aleret, æneum fecerat taurum, in quo pariter ſontibus atq; inſontibus impoſitis, ignemque ſuppoſito, ex clamore & ſonitu vocis; mugitus tauri, non hominis gemitus eſſe appareret. Itaque vel ab iniquiſſimo tyranno extorſit hic Perilli non hominis, ſed feræ ſæuior animus, iuſtiorem ſæuitiam. Etenim Phalaris ipſum inuentorem & artificem cruciatum experiri iuſſit, vt eſt apud Pliniũ lib. 34. cap. 8.

Diomedes.

Perilli taurus.

___Nec enim lex iuſtior vlla eſt;
Quàm necis artifices fraude perire ſua.

Ælius Lampridius in Alexandro Seuero, Vetronium Turinum, ait, fumo venditorem accuſari Alexander iuſſit: probatisque per teſtes omnibus, & quibus præſentibus quid accepiſſet, & quibus audientibus quid promiſiſſet, in foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari præcepit: & fumo appoſito, quem ex ſtipulis atque humidis lignis fieri iuſſerat, necauit, præcone dicente: Fumo punitur qui vendidit fumum. Trebellius Pollio in Gallieno: Cùm quidam gemmas vitreas pro veris vendidiſſet eius vxori (Gallienum intelligit) atq; illa re prodita vindicari vellet, ſurripi quaſi ad leonem venditorem iuſſit. Deinde cauea caponem emittit: mirãtibusq́; cunctis rem tam ridiculam, per Curionem dici iuſſit: Impoſturam fecit, & paſſus eſt. Deinde negotiatorem dimiſit. Lampridius in vita Seueri: Clamabatq́; ſæpius quod à quibuſdam ſiue Iudæis, ſiue Chriſtianis audierat & tenebat: idq́; per præconem, cum aliquẽ emendaret, dici iubebat: Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris. Nec verò prætermittendum quod narrant Socrates hiſt. Eccleſ. libro 6. cap. 5. & Sozomen. lib. 8 c. 7. Eutropius primus Imperatoris cubicularius, ac primus eunuchus, cùm de nonnullis, qui ad Eccleſiam confugerant, vindictã ſumere vellet, ſtudioſè in hoc incubuerat, vt lex ab Imperatoribus ferretur, qua vetaretur ne quiſquam ad Eccleſias confugeret; quin etiam vt inde abſtraherentur, qui ad eas iam confugiſſent. Confeſtim pœna ſubſecuta eſt. Propoſita autem hac lege, haud diu poſtea Eutropius ipſe, quòd coniugi Imperatoris contumeliam intuliſſet, primus eam legem tranſgreditur, & ex palatio profugus ad Eccleſiam ſupplex accurrit. Verùm Imperator Eutropium abſtrahi iuſſit: pœnasq́; capite truncatus dedit, & lex quæ lata fuerat, prorſus è publicis commentarijs expuncta eſt. Hæc illi. Vide Prouerb. *Neoptolemi vindicta.* & illi ſimile aliud, *Termeria mala.* Rectè Caſſiodorus lib. 9. Variar. epiſt. 2. Pœna iſta peccati eſt, vt vnuſquiſque in ſe recipere poſſit, quod in alterum proteruus exercuit. Et huc quidem videtur pertinere titulus 2. Pandectarum, *Quod quiſq; iuris in alium ſtatuerit, eodem iure vtatur.* Quamuis hæc iam ſatis videri poſſimus illuſtraſſe, hæc tamen obuia refundimus in ſtudioſorum gratiam: mores quos quis in ſe adprobauit, in alio reprobare non poteſt, l. 1. C. de inoffic. teſtam. & quod gloſſographus, *Patere legem quam ipſe tuleris.* ad l. 1. ff. quod quiſq; iur. in al. ſtat. Citant Accurſiani monoſtichon, ſi nõ planè bonum, ſaltem probatum vulgò, *Frangenti fidem fides frãgatur eidem*; ad l. cũ proponas, C. de pact. c. peruenit, 2. de iureiur. aud. c. infidelis, 8. q. 2. Sed & illud: *Iuſtum eſt vt qui alium decidere voluit, ſuam ſentiat iacturam.* Authent. de emphyteut. contract. §. ſi quis. Et, *qui mortem miſcet, mortem pati debet*, l. 1. §. propterea. ff ad l. Cornel. de ſicar.

Vetronius Turinus.

Quod tibi fieri nolles, alteri ne feceris.

Dulcia quandoque amara fieri.

EMBLEMA CXII.



MATRE procul licta, paullùm ſeceſſerat infans
Lyaius: hunc diræ ſed rapuiſtis apes.
Venerat hic ad vos placidas ratus eſſe volucres,
Cùm nec ita immitis vipera ſæua foret.
Quæ datis, ah, dulci ſtimulos pro munere mellis;
Proh dolor, heu ſine te gratia nulla datur.

COMMENTARII.

I. PVERVLVS ab arbore caua, in qua apes mellificant, plorans diſcedit, & ad matrem accurrit, digitos apum aculeis vulneratos oſtentans, quem mater videtur increpare. Figura hæc in omnibus editionibus eſt tranſpoſita, & in loco infantis Lydij poſitus eſt Cupido: quod etſi Pignorius admonuerat, nihilominus hic error etiam in illius editione irrepſit.

APPARET id eſſe tractum ex Bianoris & Antipatri Epigrammatis, eiuſdem penè argumenti, lib. 1. Antholog. titulo εἰς θάνατον καὶ εἰς θανόντας. Sed Bianoris eiuſmodi eſt: II. *Emblematis fõs.*

κῦρον ἀποπλανίην ἐπιμάζιον ἑρμάνακτα,
φεῦ βρέφος ὡς ἀδίκως εἵλετε ξυγενέες.
ἠγνοίησεν ὁ δείλαιος ἐς ὑμέας οἷα μελίσσαις.

Ἐλθὼν

Ἐλθὼν, αἶδ' ἴχεαν ὅτε χερειότεραι.
ἀντὶ δὲ οἱ θοίνης ἐσεμάξατε φοίνια κέν-
τρα,
ὦ πικραὶ, γλυκερῆς ἀντίπαλοι χάριτος.
Minos vtcunq; ita interpretatus eſt:
Puerum aberrantem [&] adhuc lactentem
Hermonactem,
Ah, infantem, vt iniuſtæ, percuſſiſtis, ò
bouigenæ [apes?]
Ignorabat miſer ad vos, ſicuti ad apes,
Cùm veniſſet: vos autem viperis eratis
peiores.;
Proq; comeſtione [mellis] impreſſiſtis ru
bros aculeos.
O [vos] diræ, dulci aduerſariæ eſtis gra
tiæ. [id eſt,] non minus amarę quàm
mel dulce eſt.
Errantem in triuio, mollem Hermonacta
puellum
Iniuſtè nimium corripuiſtis apes.
Vipera quàm ſit atrox peiores, venit vbi ad
vos
Neſcius, infelix eſſe putabat apes.
At pro melle graues ſtimulum pungendo
cruentum
Liquiſtis: ſic ſic gratia mellis abit.
Antipatri verò tale eſt:
ὁ β ρέφος ἑρμώνακτα διεχρήσασθε μέ-
λισσαι,
(φεῦ κύνες) ἑρπυστὴν, κηρία μαιόμε-
νον.
πολλάκι δ' ἐξ ὑμέων ἐστιγμένον ὤλέσατ', αἶ, αἶ,
κέντροις· οἱ δ' ὀφίων φωλεὰ μεμφόμεθα.
πείθεο λυσιδίκη, καὶ ἀμύντορι, μηδὲ με-
μίσσας
αἰνεῖν, κἀκείναις πικρὸν ἔνεστι μέλι.
id eſt:
Recens natũ Hermonactẽ occidiſtis, apes,
(Ah canes?) reptilẽ, fauos inquirẽtem;
Sæpe ex veſtris punctum perimitis, ah ah,
Aculeis, quę ſerpentũ latibula ſpernitis.
Dic Lyſidicę & Amyntori [parẽtibus tuis]
neque apes
Laudare debes: etenim illis amarum in-
eſt mel.
Repentem per humum tenerum Hermona-
cta, legentem
Dulcia mella (nefas heu) pupugiſtis apes.
Reddidit erectum ſic veſter aculeus, ah ah,
Serpentes nequeant vt nocuiſſe magis.
I, age, Lyſidicæ matri, & Amyntori dicito
patri:
Improbæ apes, melli cùm ſit amarities.

Cæterum Epigramma eſt Meleagri lib. 7. Græcorum Epigrammatum, in quo ex apicula quærit, cur Heliodoræ corpus tangat: Num ideò vt ei nunciet, quòd ipſa amoris dulcem & amarũ ſtimulum habeat?

MATRE procul lißa] Sanctius hoc participium non probat, auribus enim (vt ille ait) Latinis eſt inauditum, quamuis in vſu ſit, derelictus, derelicta, derelictum. III.

Infans Lydius] Periphraſis Cupidinis, vt placet Minoi. Sed ſeries imaginum trãs poſitarum fecit, vt ille infantem Lydium, Cupidinem interpretaretur, quod ſanè à vero longè abeſt. Bianorus hunc puerum Hermonactem vocat. Sed concedamus ipſi hoc. Lydi populi ſunt in regione minoris Aſiæ, omni mollitie & voluptate deprauati, qui primi caupones & inſtitores fuerũt, refert Leonicus ex Clearcho lib. 3. c. 95. de var. hiſtor. Herod. libro 1. Lege Plin. 3. cap. 5, & 5. c. 29. itemque Athenæum Dipnoſoph. cap. 4. lib. 12. & Prouerbia, *Lydio more: Lydorum carica: Lydus cauponatur: Lydus oſtium clauſit:* &, *Lydus in meridie:* & putant nonnulli verbum, ludere, à Lydis ductum. *Lydi mollitie inſignes.*

Paulùm ſeceſſerat.] Huic figmento indulgetur. Nam Poetæ omnes ſemper Cupidinem Veneri adeſſe faciunt. Rationem adfert Seruius: Quia, inquit, Venerea voluptas ſine amore non poteſt exerceri. Horat. 1. Carminum? *Cur Cupido Veneri adiungatur.*

Liberum & Muſas Veneremque, & illi
Semper hærentem puerum canebat.

Plato in Sympoſ. rationem longiùs repetitam narrat. Vide 3. præpar. Euangel. Euſebij, & Gyrald. Syntagm. 13.

Dira ſed rapuiſtis apes] Enallage perſonæ, per apoſtrophen expreſſit vim verbi *εἷλετε*, id eſt, *ſuſtuliſtis de medio.*

Venerat hic ad vos &c.] putabat eſſe volucres mites, ſed re ipſa expertus eſt, ſerpentis morſum non eſſe nocentiorem.

Stimulos] aculeos, vel quicquid pungit & vexat.

Proh dolor, heu ſine te.] Alludit ad illud 7. Metamorph.

——nulla eſt ſincera voluptas,
Sollicitumq; aliquid lætis interuenit.——

Plautus in Amphit. *Eſt in ætate hominum (ita Dijs placitum) voluptati vt mæror comes conſequatur.* & Horat. Odar. 2. *Voluptatis comes eſt mæror.*

——nil eſt ex omni parte beatum.

Huc prouerbia: *Dulce & amarum:* &. *Ne*

 quare

quare mollia, ne tibi dura contingant: &, *Fæcem bibat qui vinum bibit.* itemque illud, *In apes irruiſti.* &, *Neq; mel, neq. apes.* Cęterū in eo tandem velim ſtudioſum admonitū: pro eo quod in Græco eſt, *ὦ πικραί γλυκερῆς ἀντίπαλοι χάριτος*, dicit Alciatus, *Proh dolor, heu ſine te gratia nulla datur:* nimiū obſcurè id quidē, vt oēs vnà mecū ſentiunt. Ego verò fateor his verbis (*ſic ſic gratia mellis abit*) me nō aſſecutum eſſe Græcæ concluſionis leporem. Senſus is eſt; O apes, quæ non minus amaræ eſtis quàm mel ipſum dulce. Nam vox *ἀντίπαλοι*, ſignificat virium ęqualium contrarietatem, aut æqualitatem virium, quæ ſunt inter ſe aduerſæ: quaſi apertè diceret, apum acerbitatem æquare mellis dulcedinem, ſummumque bonum ſummo compenſari malo.

ἀντίπαλοι.

IV. *Amoris mel & fel.*

SVB hoc eleganti figmento, amoris naturam intelligere licet, qui, vt rectiſſimè Plautus ait, *& melle & felle eſt fœcundiſſimus: nam guſtu dat dulce, amarum ad ſatietatem vſq; aggerit.* Quid enim voluptate blandius? ſed eadem quid triſtius? *Ita enim Dijs placitum, voluptati vt mæror comes conſequatur*, ait in Amphitruo Plautus. Hinc extat in Platonis Phædone Socratica fabula: Quo tempore Saturno exacto, & regnis cęleſtibus pulſo, Iupiter imperiū conſtituere cœperat, ferunt coram eo adfuiſſe Voluptatem & Dolorem, cum grauiſſimis expoſtulationibus & criminibus, quibus ſe mutuò inceſſebant. Iupiter ratus ex vſu maximè eſſe & ſuo, & Reipub. inimicitias & odia deleri, operam dedit, vt in gratiam litigantes redigeret: ſed fruſtra expertus omnia; tandem reluctantes adamantina quadam catena inter ſe copulauit atq; deuinxit, vt quamuis inter ſe diſſiderent, nihilominus neceſſariò ſimul eſſent, manerentq; perpetuò. Vnde ſemper ferè *extrema gaudij luctus occupat.* Quod eleganti carmine expreſſit Iacobus Bilius in Sacra Anthologia:

Fabula de voluptate & Dolore.

Quem ſcabies vrget, tenet hunc nonnulla voluptas
In frictu, ſequitur maior at inde dolor.
Quærendis opibus gaudēs inſudat auarus;
Quæſitas ſequitur cura grauiſq; metus.
Sic quoq; qui molles riſus & gaudia carnis
Perſequitur, Liber queīq; Venuſq; iuuāt:
Huius erit tandem riſus Sardonius, huius
Lætitia in luctum deſinet, inq; crucem.

Ab hac ſententia non alienū arbitror, quod priſci Romani duas Diuas coluerunt, Angeroniam & Volupiam; alteram ab angoribus dictam, alteram à voluptate. Et Angeroniæ quidem ſacerdotes in ſacello Volupiæ ſacra faciebant: ſignificantes, dolores ac voluptates in vita hominum inuicem eſſe mixtas. Addunt, Angeroniæ ſimulacrum in ara Volupiæ fuiſſe collocatum, quod dolor comes ſit voluptati, & voluptas dolori; hac figura, vt os habeat ſignatū & clauſum. Quo indicare voluerunt, eos, qui dolores & anxietates animi diſſimulant, patientiæ beneficio ad maximam peruenire voluptatem. Macrob. lib. 1. in Somn. Scipionis. Cauendum eſt itaq; dum oblectamenta magno labore conquirimus, ne ſub dulci melle venena lateant. Exemplum præſto eſt in apibus, quæ mel dulciſſimum conficiunt: eædem aculeum habent præſentaneū, ſi quis ſeſe propius admouerit. Quod non neſciuit Boetius, qui ſic:

Angeronia et Volupia.

Habet omnis hoc voluptas,
Stimulis agit furentes,
Apiumq; par volantum,
Vbi grata mella fudit,
Fugit, & nimis tenaci
Ferit icta corda morſu.

Hinc à Græcis *γλυκύπικρος* Amor dicitur, *dulc-amarus*: quod ſignificat Euripid. in Hippolyto his verbis:

Amor γλυκύπικρος.

τί τοῦθ᾽ ὃ δὴ λέγουσιν ἀνθρώπους ἐρᾶν;
ἥδιστον, ὦ παῖ, ταὐτὸν, ἀλγεινὸν θ᾽ ἅμα.

id eſt:

Quid hoc eſt quod dicunt homines amare?

Reſpondet nutrix:

Iucundiſſimum, ô filia, ſed idem calamitoſiſſimum.

Verba ſunt Phædræ ad nutricem, cui ſuos in Hippolytum amores credit. Huc reſpexit Catull. ad Mallium:

Multa ſatis luſi, non eſt Dea neſcia noſtri,
Quæ dulcem curis miſcet amaritiem.

In formoſam puellam *γλυκύπικρον* id aliquando torſit Claudius Minos:

Virgo tenella, decens, quæ forma allectat amantes,
Adpetitur vernans ceu roſa odora nimis.
Necdum lecta placet, ſed ſpinis obſita duris
Ingratam gratis miſcet amaritiem.
Grata, decens forma placet, & bene compta puella;
Aſt irarum æſtus, iurgia nulla placent.
His certè vitijs ſi qua vacat vxor, in omnes

Diuarum

Dinarā illa choros adnumeranda venit. Putabam pridem id de Amore ab apibus puncto ſigmentum non incommodè reuocari poſſe ad id, quod Plutarch. ſcribit (ſi tamen verè dicendum id eſſe Plutarchi problema) ab apibus eos pungi citius, qui ſtupro ſeſe commacularint: quòd id animal ſit munditiei & elegantiæ perſtudioſum, quippè quæ facilè odorentur, nec immunditiam libidinoſorum ſuſtineant, citaturq; ibidem Theocriti locus, quo continentur Veneris ad Anchiſen verba.

Ab apibus citius pungi nefanda pollutos libidine.

Ferè ſimile ex Theocrito.

EMBLEMA CXIII.



ALVEOLIS dum mella legit, percuſsit Amorem
Furacem mala apes, & ſummis ſpicula liquit
In digitis: tumido gemit at puer anxius vngue,
Et quatit errabundus humum, Veneriq; dolorem
Indicat, & grauiter queritur, quòd apicula paruum
Ipſa inferre animal tam noxia vulnera poſsit.
Cui ridens Venus: Hanc imitaris tu quoque, dixit,
Nate, feram, qui das tot noxia vulnera paruus.

COMMENTARII.

I. INTER apum aluearia, circumuolitantibus apibus, Cupido ad matrem ſedentem aduolat, eiq; ſaucium ab animalculis digitum gemebundus indicat.

II. *Eidyllion Theocriti.* Hoc ferè idem cum ſuperiori, niſi quòd concinnius & lepidius claudit Theocritus, quem ſua lingua loquentem audire non pigeat:

τὸν κλέπταν ποτ' ἔρωτα κακὰ κέντασε μέλισσα
κηρίον ἐκ σίμβλων συλεύμενον, ἄκρα δὲ χειρῶν
δάκτυλα πάνθ' ὑπένυξεν. ὁ δ' ἄλγεε, καὶ χέρ' ἐφύση,
καὶ τὰν γᾶν ἐπάταξε, καὶ ἅλατο. τᾷ δ' Ἀφροδίτᾳ
δεῖξεν τὰν ὀδύναν καὶ μέμφετο, ὅττι γε τυτθὸν
θηρίον ἐντὶ μέλισσα καὶ ἁλίκα τραύματα ποιεῖ.
χ' ἁ μάτηρ γελάσασα, τί δ' οὐκ ἴσον ἐσσὶ μελίσσαις,
χ' ὁ τυτθὸς μὲν ἔης, τὰ δὲ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς.

Carmen Theocriti certatim, ni fallor, à doctis quam plurimis conuerſum eſt: Minos ſic tranſtulit:

Furem olim Cupidinem noxia pũxit apis,
Fauos ex aluearibus prædantem, extremos autem manuum
Digitos omnes confixit: at ille dolebat, manibusq; tumebat.
Et terram percutiens exilijt, atq; Veneri
Oſtendit dolorem, & queſtus eſt, quòd tã exilis
Beſtiola [cùm] eſſet apis, tanta vulnera infligeret.
Mater verò ridens: Quid, inquit, an non tu ſimilis es apibus,
Et cùm tam paruus ſis, tamen vulnera tanta facis?

Noxia apis furacem olim malè punxit Amorem
Prædãtē mella ex aluearibus, isq; tumebat
Extremis manuum digitis, ideoq; dolebat,
Et terrã quatiens pedibus, Veneriq; dolorē
Oſtendens, multos queſtus ex ore ciebat,
Quod tam exile animal tam ſæua infligere poſſet
Vulnera. Cui ridens mater: Quin, nate, apibus tu
Es ſimilis, cũ inferas adeò tot vulnera paruus

Sed carmen hoc Theocritus ex Anacreonte tranſcripſit, cuius Ode ſic habet. *Oda Anacreontis.*

ἔρως ποτ' ἐν ῥόδοισι
κοιμωμένην μέλιτταν
οὐκ εἶδεν, ἀλλ' ἐτρώθη.
τὸν δάκτυλον δὲ δαχθεὶς
τᾶς χειρὸς ὠλόλυξε.
δραμὼν δὲ καὶ πετασθεὶς
πρὸς τὴν καλὴν Κυθήρην,
ὄλωλα, μᾶτερ, εἶπεν,
ὄλωλα, κ' ἀποθνήσκω.
ὄφις μ' ἔτυψε μικρὸς
πτερωτὸς, ὃν καλοῦσι
μέλιτταν οἱ γεωργοί.
ἁ δ' εἶπεν, εἰ τὸ κέντρον
πονεῖ τὸ τᾶς μελίττας,
πόσον δοκεῖς πονοῦσιν
ἔρως ὅσους σὺ βάλλεις; id eſt:

Amor aliquando in roſis
Iacentem apem
Non vidit, & vulneratus eſt:
Inq; digitis morſus
Manus, eiulauit.
Currens, itaq; & volitans
Ad pulcram Venerem:
Perij, mater, inquit,
Perij, & morior:
Serpens me percuſſit
Alatus, quem vocant
Apem ruſtici.
Illa autem dixit: Si aculeus
[Tam] lædit apiculæ,
Quantum putas dolent,
Amor, quos tu feris?

Inter roſas Cupido
Apiculam iacentem
Non vidit, eſtq; punctus:
Manumq; ſauciatus
Mox eiulare cœpit.
Et curſitans volansq;
Ad candidam Cytheren,
Heu occidi, occidi, inquit,
Vitamq; mater efflo.
En me minuta ſerpens
Pennata vulnerauit:
Apem vocant coloni.
Tunc illa: Apis ſi acumen
Tantum facit dolorem,
Quantum putas dolere
Quos tu feris, Cupido?

Tabella picta huius argumenti extat apud Aloyſium Corradinum Iuris Conſultum, &

& quidem manu periti artificis depicta, in qua leguntur hi verſus:

Dum puer alueolo furatur mella Cupido,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.
Sic etiã nobis breuis, & peritura voluptas,
Quã petimus, triſti mixta dolore nocet.

Videntur autem decerpti ex illis Herculis Strozzæ:

Dũ Veneris puer alueolos furatur Hymetti,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.
Indoluit grauiter, puerilitaq; ora rigauit
Fletibus, & matri ſpicula queſtus, ait:
Vnde hæ tantillis vires animantibus? vnde
Exili poſſunt lædere aculeolo?
Cui Dea ſubridens inquit: Non tu quoque nate,
Corpore non magno, vulnera magna facis?

III. *ALVEOLIS*] aluearijs apum.

Dum mella legit] Cupido mellilegus; talis enim eſt titulus in Theocriti Eidyllion.

Mala apes] noxia.

Terram pedibus quatere. *Quatit humum.*] Doloris ſignum, pedibus terram percutere. Eſt & indignantis, & grauiter ferentis. Homerus de Iro:

—— σὺν δ' ἤλασ' ὀδόντας
λακτίζων ποδὶ γαῖαν. id eſt:
Simul autem excuſſit dentes,
Calcitrans pede terram.

Horatius etiam multis in locis pro ſigno lætitiæ poſuit. Hanc tamen calcitrationem non eſſe indignantis, ſed moribundi, putat amicus Minois Io. Frater Lauallenſis. Nam Irus ab Vlyſſe grauiſſimo ictu ad terram afflictus, eorum more, qui animam efflant, apud Homerum terram pulſat pedibus, vt 10. Æneid. Virgilianæ:

Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum expirans. ——

Ouidius 1. Artis:

Lydius æquatam ter pede pulſat humum.

Apicula] Diminutiuum ab ape. Sed reclamat ſecunda ſyllaba, quo minus intret carmen heroicum. Nam quantum ſentio, illud i. breue eſt, quamuis non occurrat aliquod Poetarum teſtimonium.

Venus amica riſus. *Ridens Venus.*] Poetæ Græci Venerem appellant φιλομειδῆν, id eſt, riſus amicam. Horat. 1. Carminum:

Siue tu mauis Erycina ridens.

Triplex riſus. Tria genera riſus ponit Clemens Alexandrinus: μειδίαμα, riſum decorum: κιγλισμὸν, meretricium, καγχασμὸν, procacem & notas referentem libidinis. Alii primum faciunt Naturæ, quæ potius eſt dicenda hilaritas: hunc in Sara Abrahami vxore fuiſſe memorant. Secundum ſtultitiæ, ſicuti eſt omnium ſtultorum cachinnus. Tertium malitiæ, qualis fuit in Chamo, cum paternã derideret turpitudinem.

Feram] beſtiolam. Apes hic feræ dicuntur, vt apud Iuriſconſultos l. naturalem, ff. de acquir. domin. Plinius tamen lib. 11. cap. 5. tradit eas nec manſueti, nec feri generis eſſe. De apum autem natura & proprietatibus, varias & mirabiles conſiderationes, præter cæteros ad ſatietatem vſq; ſcripſerunt Ariſtoteles & Plinius.

Qui das tot noxia vulnera.] Huc ſpectat illud è 3 Eidyllio Theocriti:

νῦν ἔγνων τὸν ἔρωτα, βαρὺς θεός. ἦ ῥα λεαίνας
μαζὸν ἐθήλαζε, δρυμῷ τέ μιν ἔτρεφε μάτηρ. id eſt:
Nunc amorem noui: dirus vtiq; Deus eſt, & quidem leana
Mammam ſuxit, inq; ſaltibus ipſum mater enutriuit.

Sed propiùs accedit quod citatur ex Næuio:

Ædepol Cupido, cum puſillus ſis, nimis multum vales.

AMOREM cum apibus comparat. IV.

Amor apibus collatus. Apes ceram & mel conficiunt, eædem aculeum habent violentiſſimum: ſic amor voluptatis ſuppeditat illecebras, idem dolorem mœroremque fundit in animos. Diogenes dicebat, quemadmodum venenũ mulſo commixtum ob dulcedinem bibentibus primum gratum eſt, ſed paulo poſt inde mortis agonem ſentiunt: Sic quoque amoribus turpibus operam dantes, initio voluptatem ſentiunt, quam tamen perpetuus dolor conſequitur. Vnde verè dicitur, *Amor eſt amaror.* **Amor amaror.** Quod idem eleganter, vt omnia, expreſſit luſor amorum Naſo 2. Artis:

Quod iuuat exiguum eſt, plus eſt quod lædit amantes:
Proponant animo multa ferenda ſuo.
Quot lepores in Atho, quot apes paſcuntur in Hybla,
Cærula quot baccas Palladis arbor habet:
Littore quot conchæ, tot ſunt in amore dolores;
Quæ patimur, multo ſpicula felle madent.

Hinc

Hinc puto eſſe, quod Amori arcus dedicatus ſit, quia eius vulnere ſaucii, ſemper eminus feriuntur, veluti ſagitta quadam ab amatis oculis emiſſa, & in amantium oculos recepta. Sunt verò illi, vt Plato philoſophatur, radii quidam tenuiſſimi, qui ex intimo cordis expirant, vbi vitalis ſanguis dulciſſimus calidiſſimusque ſedem habet. viaq; ſibi, vt Muſæus ait, per oculos patefacta, per amantis identidem oculos illapſi ad intimum eius cor penetrant, accenſoque interim magis ac magis ſanguine, bilis etiam inflammatur, vnde ille ſequitur dolor, quem affixum eſſe cordi amantes omnes profitentur, quicunque illos euentus, aut durus, aut facilis ſequatur. Pierius Valerian. Hieroglyph. lib. 42. Vel id intelligetur generalius de iis rebus, ex quibus petitur aliqua oblectatio, quæ tamen non contingit abſq; aliquo dolore & moleſtia. Quod ſanè in nulla alia re certius & euidentius cernitur quàm in amore. Vnde veteres prudenter ſuadent, nimium amorem maturè eſſe expellendum, tanquã feram, priuſquam vngues & dentes producat. Sũt autem amoris dentes & vngues, ſuſpicio & zelotypia: quæ aliquando ita rodunt & radunt, ita moleſtè mordent corda amantiũ, vt hanc ob cauſam paſſim legantur hiſtoriæ planè tragicæ. Atq; vt nihil dicam de Leuconoa à Theſſalo, de Procri à Cephalo in venatione occiſis (ſiquidem fęminas huic vitio admodum deditas eſſe, præſertim prægnantes, teſtatur Galenus, quamuis & viri ſæpenumero, præſertim Itali & Hiſpani, hoc vitio ad inſaniam vſq; laborarint) audiamus quod accidit patrum noſtrorum memoria. Iuſtina nobiliſſima virgo Romana, ætatis ſuæ puellas omnes forma ſupergreſſa, cum locupleti quidem, ſed ſtolido & furenti viro in matrimonium eſſet tradita, de excellenti illa ſpecie in ſuſpicionem marito venit, qui candidiſſimam vxoris ceruicem conſpicatus, inclinantis ſe ad exuendum calceum, furore ex zelotypia correptus, teneram puellam & nouam coniugem obtruncauit. De quo facinore tales lugubres querelæ leguntur:

Amoris vulnera.

Dentes amoris qui.

Historia de marito zelotypo.

Immitis ferro ſecuit mea colla maritus,
Dum propero niuei ſoluere vincla pedis:
Durus & ante thorum, quo nuper nupta coiui,
Quo cecidit noſtra virginitatis honos.
Nec culpà meruiſſe necem, bona numina teſtor,
Sed iaceo fati ſorte perempta mei.
Diſcite ab exemplo Iuſtinæ, diſcite patres,
Ne nubat fatuo filia veſtra viro:

Sic nullibi amor ſuum mel ſine felle aſpergit. Extat liber Italicus, cuius inſcriptio: Antidoto della Gelosia, per Leuantio da Quidicciolo Mantouano. in quo, ſi quis alia exempla deſiderat, multa memorabilia reperiet. Quibus rectè adiici poteſt libellus epiſtolarum Cœliæ nobilis fœminæ Romanæ ad amatorem ſuum, in quo præter elegantiam, varias, immò innumeras ſpecies zelotypiæ inueniuntur. Porrò amor etſi paruus videatur, ingentia tamen haud rarò excitat mala. Hinc poeta:

Amor multorũ malorum cauſa.

Bellum ſæpe petit ferus exitiale Cupido.

Et omnes poetę huius rei pleni ſunt. Quid enim noſtris temporibus eſt, quod non per ſcorta & lenones, & meritorios pueros perpetretur? Multæ ſunt ciuitates, multa regna, multę prouinciæ per hunc inſanorum & furioſorum Deum deuaſtatæ. Nã quot ciuitates arma ceperunt ob raptas mulieres? Quot fœminæ patriam & parentes hoſtibus prodiderunt propter hunc furorem? Quot mariti vxoribus, aut contrà illæ maritis ob hunc ipſum præclarum Deum inſidias ſtruxerunt? Quot filij à matribus fuerunt trucidati? Atq; vt vno verbo dicam, nihil eſt propè nefarium, impium, temerariũ, cuius Cupido non ſit auctor. Athenæus lib. 13. c. 4. Dipnoſophiſt. enumerat bella propter mulieres excitata, qui liber quia eſt in manibus, facilè mihi tempero à longiore commentatione.

In ſtatuam

In ſtatuam Amoris.

E M B L E M A   C X I V.



QVIS ſit Amor, plures olim cecinere Poetæ,
Eius qui vario nomine geſta ferunt.
Conuenit hoc, quòd veſte caret, quòd corpore paruus:
Tela alaſq́; ferens lumina nulla tenet.
Hæc ora, hic habituſq́; Dei eſt. Sed dicere tantos
Si licet in vates, falſa ſubeſſe reor.
Eccur nudus agat? Diuo quaſi pallia deſint,
Qui cunctas domiti poßidet orbis opes.
Aut qui quæſo niues, Boreamq́; euadere nudus
Alpinum potuit, ſtrictaq́; prata gelu?
Si puer eſt, puerumne vocas, qui Neſtora vincit?
An noſti Aſcræi carmina docta ſenis?
Inconſtans puer hic obdurans pectora, quæ iam
Trans adijt, numquam linquere ſponte poteſt.

An

At pharetras & tela gerit, quid inutile pondus?
An curuare infans cornua dira valet?
Alas curve tenet, quas neſcit in æthera ferre?
Inſcius in volucrum flectere tela iecur.
Serpit humi, ſemperq́ virûm mortalia corda
Lædit, & haud alas ſaxeus inde mouet.
Si cæcus, vittamq́ gerit, quid tænia cæco
Vtilis eſt? ideò num minùs ille videt?
Quisve ſagittiferum credat qui lumine captus?
† monêt. *Hic certa, ac cæci ſpicula vana † mouet.*
Igneus eſt, aiunt, verſatq́ in pectore flammas.
Cur age viuit adhuc? omnia flamma vorat.
Quinetiam tumidis cur non extinguitur vndis
Naiadum, quoties mollia corda ſubit?
At tu ne tantis capiare erroribus, audi:
Verus quid ſit Amor, carmina noſtra ferent.
Iucundus labor eſt, laſciua per otia: ſignum
Illius eſt nigro punica glans clypeo.

COMMENTARII.

I. EFFINGITVR ab Alciato ſtatua Amoris ſecus quàm ab alijs tradi ſolet: nempe puer nudus, ſine alis, ſine armis, qui clypeum gerat, in cuius planicie nigra expreſſum ſit malum Punicum. Quare clypeus fuiſſet niger exprimendus, vt in Rouiliana editione.

II. *Argumẽtum Emblematis.* FIGMENTVM de Amore, vt ſibi repugnans & ἀδύνατον particulatim reprehendit, oſtenditq; quàm ſit abſurda Cupidinis deſcriptio, qualis circumfertur ex opinione veterum poetarum: Nam nuditas & veſtium priuatio repugnat Dei naturæ rerum omnium copia beatæ. Puer non eſt, qui ſit annoſior Neſtore: inconſtans nõ eſt, qui ſic obſtinatè obfirmet animos: pharetratus non eſt, quia puer bene iaculari neſcit; neque alatus, qui volandi ſit impotens, ſeq; humo tollere non poſſit: non eſt ſagittifer, vt qui captus lumine: igneus non eſt, quia ignis omnia depaſcitur. Tandem apponit veram Amoris deſcriptionem, eãque naturalem, vnà cum eius ſchemate. Sub quibus omnibus inuolucris graphicè exprimitur amatorum vita miſerrima; quę ſigillatim omnia explicabimus, ſi prius poetarum quorundam elegantem Amoris deſcriptionem præmiſerimus. Et quidem in primis Marulli:

Deſcriptio Amoris ex Marullo.

Quis puer hic? Veneris. Plena, quæ cauſa pharetra eſt?
Nõ bene prouiſus certa q̃ arma mouet.
Cur ſine veſte Deus? Simplex puer odit apertum.
Vnde puer. Pueros quod facit ille ſenes.
Quis pennas humeris dedit? Inconſtantia. Quare
Nulla Deo frõs eſt? Signa inimica fugit.
Quæ ſors eripuit lucẽ? Immoderata libido.
Cur macies? Vigilis cura, dolorq; facit.
Quis cæcum præit? Ebrietas, Sopor, Otia, Luxus.
Qui comites? rixa, bella, odia, opprobriũ.
Qui cœlo dignati? Homines. Quæ cauſſa coegit?
Mitior auctore eſt credita culpa Deo.
Heu curuum genus, & veri corda inſcia! quo ius
Fasq; ſcelus miſeri ſi ſcelere abluimus?

Addam & Augeriani poetæ certè non illepidi eadem de re carmen:

Augeriani epigrã ma de Amore.

Angelus inuicta qui cuſpide ſemꝑ oberras,
Dic

Dic mihi, te nudum cur tua mater alit?
Nudo homines, qui noſtra petunt delubra. Rubenti
Cur ſtant in dextra ſpicula? Trado necē.
Cur puer es? Pueros facio quoſcūq; ſagittis
Saucio, ſiue volans ignibus vro meis.
Ventoſas humeris cur fixit Iupiter alas?
Eſt quouis leuior flamine quuquis amat.
Cur tecum facula? Quia viuida corda, freturmq;
Et iuga montoſa, et ſcrupea ſaxa cremo.
Cæcus es tam claro, dic, lumine? Cæcus amator,
Non ego: luce poli lux mea clara magis.
Paſceris ambroſia, ſeu nectare? Paſcor amœnis
Blanditijs, riſu, ſedulitate, iocis.
Cur tibi pulchra parens? Quia denſos forma calores
Ingenerat; forma munere naſcor ego.
Cur maris è fluctu prognata eſt mater? Amator
Vt mota in ſalſis fluctuat vnda vadis:
Dic, tua non vilis domus? an cultiſſima? Nulla.
Tecta colo; hiberno ſub Ioue dego miſer.
Dic vbi ſtas, dum laſſa tuo ſunt membra volatu?
Crede mihi, nūquam me leuis ala vehit.

Sed quem non delectaret Amor fugitiuus Politiani, quem è Græco Moſchi, ſermone Latino loquentem fecit, hoc modo?

Amor fugitiuus Politiani.

Cū Venus intento natum clamore vocaret,
Si quuquam in triuijs errantem vidit Amorem,
Hic fugitiuus, ait, meus eſt, precium feret index]
Baſiolū Veneris: quod ſi ad me duxeris illū,
Non tantum dabo baſiolum, plus hoſpes habebis.
Inſignis puer eſt: en omnia percipe ſigna.
Non eſt candidulus, verùm ignem imitantur, ocelli
Acres flammeoli, mala mens, ſuauiſſima verba.
Quod loquitur, non ſentit idem, vox mellea: ſed cùm
Ira inflāmatur, tū mens eſt aſpera, fallax,
Fraudator mendax, ludit crudele puellus.
Criſpulus eſt olli vertex, facieſq; proterua,
Exiguaq; manus, procul autem ſpicula torquet
Torquet in vmbriferumq; Acheronta, & regna ſilentum.
Membra quidem nudus, mentem velatus, auiſq;
More quatit pinnas, & nunc hos, nunc petit illos.
Sæpe viri preſſans præcordia, ſæpe puellæ.
Arcum habet exiguum, ſed & arcu impoſita ſagitta eſt.
Parua ſagitta quidem, ſed cœlum fertur ad vſq;
Parua pharetra olli dependet, & aurea tergo.
Sunt & amari intus calami, quibus ille proteruus
Me quoq; ſæpe ferit matrem: ſunt omnia ſæua:
Omnia, ſeq; ipsū multo quoq; ſæuius angit.
Paruula fax olli, Solē tamen vrit & ipſum.
Verbere ſi prendes, age, ne miſerare puellū.
Si flentem aſpicias, mox ne fallare caueto.
Sin arridebit, magis attrahe: baſia ſi fors
Ferre uolet, fuge tu, ſunt noxia baſia, in ipſis
Multa venena labris: ſi fors ita dixerit: Heus tu
Accipe, nempe tibi cuncta hæc mea largior arma.
Ne continge, caue; fallacia munera amoris;
Omnia quippe igni ſunt infecta illius arma.

Elegantiſſimè quoq; Amorem deſcripſit Propertius lib. 2. Elegia de Amore:

Quicunq; ille fuit puerū qui pinxit Amorē,
Nōne putas miras hunc habuiſſe manus?
Hic primum vidit, ſine ſenſu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non fruſtra ventoſas addidit alas,
Fecit & humano corde volare Deum:
Scilicet alterna quoniā iactamur in vnda,
Noſtraq; non vllis permanet aura locis.
Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis,
Et pharetra ex humero Gnoſia vtroque iacet.
Ante ferit quoniam tuti quàm cernimus hoſtem,
Nec quiquā ex illo vulnere ſanus abit.

Phornutus de Cupidine.

Phornutus in libro de Nat. Deor. ſic loquitur de Cupidine: Puer eſſe fingitur, quod planè mente careant, deceptioniq; obnoxij ſint, qui amant. Alatus eſt, quoniam plerunq; cædis eſt autor: vel quod tanquam auis in hominum mentes impetuosè inuolet. Sagittas tenere fingitur, quia qui eius ſagittis vulnerantur, non ſecus ac reuera percuſſi dolent: neq; appropinquare, aut attin-

attingere, quos amant, audent, verùm longè eos intuentur, ſtupentes. Fax ei traditur, quia videtur inflammare animos. ἔρωτα, id eſt, Cupidinem dici exiſtimant ab inquiſitione eorum, quos amantes inquirũt: ἐρᾶν enim ſignificat inquirere. Hæc & alia Phornutus. Vnde licet intueri, bene expreſſiſſe veteres amorem, non quod eum ita crederent, aut eſſe, aut viuere, ſed vt commodius eius effectus nobis oſtendere poſſent. Quapropter nonnulli è veteribus commentitiam iſtam Cupidinis diuinitatem doctè vereque perſtrinxerunt: vt Archias poeta:

οὐκ ὁ ἔρως ἀδικεῖ μερόπων γένος, ἀλλ' ἀκόλαστοι,
ψυχαῖς ἀνθρώπων ἐσθ' ὁ ἔρως πρόφασις. id eſt:

Non amor eſt qui afficiat iniuria humanum genus, ſed intemperantes:
Animis enim hominum hanc occaſionem præſtat amor.

Nullum amor offendit, prauus occaſio ſed ſit
Mentibus ille hominum, quos mala multa iuuant.

Quaſi diceret ſine vllo verborum circuitu, non amor, qualis à poetis celebratur, fictitius ille puſio, lædit homines, ſed intemperantia. Refer huc Eidyllion Theocriti 12. Alciatus autem iocoſis argumentis confutat ea, quæ ab antiquis dicta sũt, non quo veterem picturam improbaret, ſed vt commodius quid ſit amor, ipſe poſſet declarare. Quod neq; ſine autore fecit, ſiquidem Seneca in Hippolyto ſic ait:

Alciati conſilium in hoc Emblemate.

Deum eſſe Amorem, turpiter vitio fauens
Finxit libido: quoq; liberior foret,
Titulum furori numinis falſi addidit:
Natum per omnes ſcilicet terras vagum
Ericyna mittit, ille per cœlum volans
Proterua tenera tela molitur manu,
Regnumque tantum minimus in ſuperos habet;
Vana iſta demens animus aſciuit ſibi,
Veneriſq; numen finxit, atq; arcus Dei
Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitq; luxu, ſemper inſolita appetens:
Hunc illa magnæ dira fortunæ comes
Subit libido. &c.

Idem in Octauia:

Volucrem eſſe Amorem fingit, immitẽ Deũ
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſq; ſacros inſtruit ſæua face:
Genitumq; credit Venere, Vulcano ſatum.
Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor eſt. iuuenta gignitur, luxu, otio:
Nutritur inter læta fortunæ bona.
Quem ſi fouere atq; alere deſiſtas, cadit,
Breuiq; vires perdit extinctus ſuas.

De amore, deq; eius cauſis & pictura latè & pulchrè Alex. Aphrodiſ. problem. 87.

III *QVIS ſit Amor &c.*] Multi tam Græci quàm Latini poetæ cecinerunt, quid ſit Amor, quod eſſet ſuperuacaneum adducere. Sed præter iam adductos eleganter hanc materiam tractarunt Virgilius de Venere & Baccho, Ouidius 1 Metamorph. Apuleius de Aſino aureo, & quàm plurimi alij inferius nominandi.

Vario nomine] Propter diuerſa vel adiuncta, vel effecta, quæ ſtudioſè in Syntag. hiſtoriæ Deor. explanat Gyraldus.

Conuenit hoc] Nonne hoc eſt abſurdũ, quod nudus, quod puer, quod arcitenens, quod alatus, quod oculis captus? Præparatio ad refutationem fabulæ.

Hæc ora, hic habitus] talis Amor deſcribitur à poetis, quæ fictio quam ſit abſurda, mox ibo oſtenſum.

Eccur nudus agat.] Maxima, inquit, eſt impudentia eum nudum pingere, cùm Dij nulla premantur egeſtate. Eſt ergo hæc prima abſurditas. Ea tamen nuditas importunam & perpetuò vigilantem amantium pertinaciam arguit: vel manifeſtam eorum inſaniam prodit. Sic aliquis ex recentibus:

Amor cur nudus.

Cur te cum nullo corpus uelamine mõſtrat?
Stultitia inſani manifeſta pateſcit amãtis.

Nudus porrò pingitur Amor, quia hic affectus tegi & diſſimulari non poteſt. Ouidius in epiſtolis:

Sed male diſſimulo: quis enim celauerit ignem,
Lumine qui ſemper proditur ipſe ſuo? &
Qua licet & poſſum, luctor celare furorem:
Sed tamen apparet diſſimulatus amor.

Quo ſenſu dixit Antiphanes Comicus, duo eſſe, quæ tegi occultariue non poſſunt, amorem nempe & vinolentiam; quod ſi quis temerè neget, ſtatim arguitur mendacij. Et ea imprimis cauſa factum puto, vt obiter dicam, qua Bacchus in ſtatuis omnibus pingatur nudus, ſicuti ſupra docuimus. Vel demum Amor nudus fingitur, ad exprimendam eius mollitiem, irritat enim corporis nuditas laſciuiæ appetitus.

Qui cunctas domitis] Hinc dictus eſt παιδα-

πανδαμάτωρ, vt ſuperius annotauimus.

Aut quis quæſo niues.] Si nudus, non pe-terit frigora perpeti. Alterum repugnans. Nil eſt quod timeant amantes, dum frui rebus amatis ſe poſſe ſperant? Sic Plautus ſub amatoris perſona:

Neq; vlla mihi obſtabit amnis, neq; mons,
neq; adeò mare:
Nec calorem, nec frigus metuo, neq; ventum,
neq; grandinem:
Imbrē perpetiar, laborem ſufferā, ſolē, ſitim;
Non concedam, neq; conquieſcam vſquam,
neq; noctu, neq; diu,
Prius profectò quàm aut amicam, aut mor-
tem inueſtigauero.

Tibul. item eleg. 1.

Quiſquis amore tenetur, eat tutuſq; ſacerq;
Qua libet: inſidias non timuiſſe decet.
Non mihi pigra nocent hiberna frigora
noctis,
Nō mihi cū multa decidit imber aqua.

Propert. lib. 3. eleg. 15.

Non tamen eſt quiſquam ſacros qui lædat
amantes,
Scironis media ſic licet ire via.
Quiſquis amator erit, Scythicis licet am-
bulet oris,
Nemo adeò, vt noceat, barbarus eſſe volet.
Luna miniſtrat iter, demonſtrant aſtra ſa-
lebras;
Ipſe amor accenſas percutit ante faces.
Sæua canum rabies morſus auertit hiantes.
Huic generi quouis tempore tuta via eſt.

Et Seneca in Hippolyto:

Non me per altas ire ſi iubeas niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non ſi per ignes, & infeſta agmina,
Cunctor paratis enſibus pectus dare.

Boreamq; Alpinum] id eſt, ab Alpibus ſpirantem, quod epitheton etiam Virgilius illi iungit.

Amor cur puer.

Puerumne vocas] Puer eſt ob amatorū varietatem & inconſtantiam, qualis ineſt puero: vel quod amantes puëriles habeant ſenſus, & careant iudicio. Ouidius 1. Amorum, eleg. 10.

Et puer eſt, & nudus, Amor, ſine ſordibus
annos,
Et nullas veſtes, vt ſit apertus, habet.

Moſchus de Amore fugitiuo: ἐςὶ δ' ὁ παῖς περίσαμος. *Eſt autem puer inſignis.*

Qui Neſtora vincit?] Senem quemque ſapientiſſimum. De Neſtoris ætate diximus ſupra Emblem. 25. Heſiodus & Orpheus Poetæ Græci vetuſtiſſimi, mortalium & immortalium mentes amore capi & domari tradunt. Ficin. in Platon. Conuiuium. Sed id non eſt ſatis, niſi aliquid aliud quæ ramus. Amor puer pingitur, cùm Neſtore ſit antiquior, Heſiodo teſte, qui in Theogonia canit, Chaos, Tellurem, Tartara, Amorem Deorum primos extitiſſe. Verba hæc Heſiodi ſunt:

Amor qua ratione vincat Neſtorem ætate.

ἤτοι μὲν πρώτισα χάος γένετ', αὐτὰρ ἔ-
πειτα
γαῖ εὐρύςερνος, πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεὶ
ἀθανάτων, οἳ ἔχουσι κάρη νιφόεντος ὀ-
λύμπου,
τάρταρά τ' ἠερόεντα μυχῷ χθονὸς εὐρυο-
δείης,
ἠδ' ἔρος, ὃς κάλλισος ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.
λυσιμελὴς, πάντων τε θεῶν, πάντων τ' ἀν-
θρώπων
δάμναται ἐν σήθεσι νόον, καὶ ἐπίφρονα
βουλήν.

Principio confuſa chaos, ſine imagine moles
Extitit: hinc vacuis tellus apparuit aruis:
Nam prius ipſorum pauimentum facta Deo-
rum eſt,
Quōdam qui cœlo ſedes habuere ſupremo.
Tartara dehinc vna sūt viſa dehiſcere terra
Et mox pulcher Amor ſurgit, mediuſque
Deorum
Cernitur; hic illos forma ſupereminet oēs.
Membra Deus latè ſoluit Diuumq; virūq;
Conſilium, atq; ipſam domitat ſub pectore
mentem.

Vel aliter:

Ante chaos natum, ſuperū firmiſſima ſedes;
Inde ſolum terra lata: tum Tartara nigra
Intra adytum terræ, & feralia clauſtra
barathri.
Inde ortus ſupos inter pulcherrimus omnes
Dulce Deum, pariterq; virum gratumque
Cupido
Solamen, qui corda domat, mētesq; feroces.

Et Orpheus Argonauticis:

πρεσβύτατόν τε καὶ αὐτοτελῆ πολύμητιν
ἔρωτα.

Ergo, qui Neſtora vincit, ſic interpretor: qui Neſtora vincit ætate, qui ſit Neſtore annoſior, denique qui ſenior Iapeto, vt ex Luciano meminimus iam ſupra. ὁ ἔρως ἀρχαιότερος Ἰαπέτου. Vide adagium, *Iapeto antiquior*.

Heſiodus.

Aſcræi ſenis] Heſiodi, qui ab Aſcra Bœotiæ pago prope Heliconem oriundus fuit, terra miſera & peſſima, vt ipſe ait in Geor.

ἄσκρη

ἄσκρῃ χεῖμα, κακῇ θέρει δ' ἀργαλέῃ οὐδέ-
ποτ' ἐσθλῇ.

Heſiodi vitam & mortem elegantiſſimo carmine perſtringit Politianus in Nutricia, ex illo verſu, *At tibi Dædaleos &c.*

Inconſtans puer] an inconſtans habendus, qui ſic pertinaces & obduratos reddat animos? Ad id reſpexit Ouidius de Arte:

Error & inconſtantia amoris.

Errat, & in nulla ſede moratur amor.

Hoc de ſe faſſus eſt Horatius lib. 4. Carm. Od. 1.

Intermiſſa Venus diu
Rurſũ bella moues? parce, precor, precor.
Non ſum qualis eram bonæ
Sub regno Cynaræ. Deſine mollium
Mater ſæua Cupidinum,
Circa luſtra decem flectere mollibus
Iam durum imperijs &c.

Ad idem videtur reſpexiſſe 1. epiſt. ad Mecœnatem:

Non eadem eſt ætas, non mens.——
Solue ſeneſcentem maturè ſanus equum.

Sobriè ille quidem poſt emenſum pelagus mollium voluptatum: ſed ſunt tamen pleriq; ſenes penè capulares, quorum in medullis regnat amor vuidus, turpis tamen, & riſu, quàm miſericordia dignior: at eũ ludum, ſeu laſciuiam, ſeu morbum facilius eſt reprehendere, quàm ſiſtere, aut lenire; & bonorum virorum aliquando hic morbus eſt. Inconſtantiam porrò amoris bellè expreſſit Plautus Trinummo:

Nihil ſic celere eſt, nec volat vt amor,
Atq; is mores hominum moros & moroſos
efficit:
Minus placet, magis quod ſuadetur; quod
diſſuadetur, placet.
Cum inopia eſt, cupias: quãdo eius copia eſt,
tantum non velis.
Ille qui expellit, is compellit: ille qui nõ ſua-
det, vetat.
Inſanum eſt & malum in hoſpitium diuer-
ti Cupidinis.

Hic obdurans pectora.] Idem fermè in Hippolyto Seneca:

Qui blandiendo dulce nutriuit malum,
Serò recuſat ferre quod ſubijt iugum.

Theophraſtus: *ἔρως δέ ἐστιν ἀλογίστου τινὸς ἐπιθυμίας ὑπερβολὴ, ταχεῖαν μὲν ἔχουσα τὴν πρόσοδον, βραδεῖαν δὲ τὴν ἀπόλυσιν: Amor eſt irrationalis cuiuſdam cupidinis exceſſus, qui velocem habet acceſſum, tardum autem diſceſſum.* Vnde tritum illud, Amor animi arbitrio ſumitur, non deponitur. Id non poſſum docere commodiùs, quàm ex eius arte, qui ſe egregiũ doctorem præſtitit naturæ amoris explicandæ: ſic enim eleg. 10. lib. Amor. 3.

Luctãtur, pectusq; leue in contraria ducũt:
Hac amor, hac odium: ſed puto vincet
amor.
Odero, ſi potero: ſi non, inuitus amabo;
Nec iuga taurus amat, quæ tamen odit,
habet.
Sic ego nec ſine te, nec tecũ viuere poſſum;
Et videor voti neſcius eſſe mei.
Quicquid eris, mea ſemper eris: tu ſelige
tantùm,
Me quoq; velle velis, anne coactus amẽ?
Lintea dem potius, ventisq́; ferentibus utar,
Vt quamuis nolim, cogar amare tamen.

Idem eleg. 2. primi:

——hæſerunt tenues in corde ſagittæ:
Et poſſeſſa ferus pectora verſat Amor.

& eleg. 18.

——tener auſuros grandia frangis amor.
Sæpe mea dixi, tandem diſcede, puella:
In gremio ſedit protinus illa meo.
Sæpè pudet, dixi; lachrymis vix illa retẽtis,
Me miſeram, cur te, dixit, amare pudet?
Implicuitq́; ſuos circum mea colla lacertos,
Et quæ me perdũt oſcula mille dedit.
Vincor: & ingenium ſumptis reuocatur ab
armis,
Resq; domi geſtas, & mea bella cano.

Sic Propertius:

In me tela manent, manet & puerilis i-
mago;
Sed certè pennas perdidit ille ſuas:
Euolat è noſtro quoniam de pectore nuſquã,
Aſſiduusq; meo ſanguine bella gerit.

Idem libro 2.

Errat, qui finem veſani quærit amoris,
Verus amor nullum nouit habere modũ.

Eundem affectum expreſſit Catullus in Lesbiam:

Odi et amo: quare id faciã fortaſſe requiris?
Neſcio, ſed fieri ſentio, & excrucior.

Quod idem apud Marullum reperio, ſed fuſiore Muſa:

Odi te, mihi crede, quantacunque es:
Odi confiteor, Camilla; ſed quam
Et odi, & magis in dies magiſque
Velim odiſſe: ſequi, atq; amare cogor:
Sic me amor retrahit tuus, trahitq;
Sic quem ſæuitia fugas proterua,
Tam rara reuocas decore forma;

Ex ſenarijs veterum:

Amor extorqueri non poteſt, elabi poteſt.

Cur pharetratus Amor. *At pharetras & tela geris*] arcitenẽs ſeu pharettatus amor, idemq; puer. Aliud abſurdum, neque enim puer arcum curuare poteſt. Xenophon idcirco Cupidines ſagittarios fingi ait, quod formoſi & formoſæ etiam è longinquo loco vulnerent, nimirũ oculis ipſis tamquam ſagittis eminus in rẽ amatam emiſſis: *ἴσως δὲ καὶ οἱ ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πόῤῥωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσι.* Propertius:

Et meritò hamatis manus eſt armata ſagittis:
Et pharetra ex humero Gnoſſia vtroque iacet.

Horat. Carm. 2.

Semper ardentes acuens ſagittas
Cote cruenta.

Moſchus in amore fugitiuo:

καὶ χρύσεον περὶ νῶτα φαρέτριον, ἔνδοθι δ᾽ ἐντὶ
τοὶ πικροὶ κάλαμοι, τοῖς πολλάκι κ᾽ ἀμὲ τιτρώσκει. id eſt:

Et auream ex humeris [fert] pharetram. intus autem
Amari calami, quibus ſæpe me ſauciat.

Parua pharetra olli depẽdet & aurea tergo,
Sunt & amari intusq; calami, quibus ille proteruus
Me quoq; ſæpe ferit matrem.

Allegoria armorũ Amoris. Theocritus in Eidyllio *ἔρως δραπέτης*, ait, Amori pharetram tribui plenam telis, quia vulneret hominum animos multis certè modis. Origenes hoc figmentum allegoricῶs exponit: ait enim pharetra ſignificari cor, telis cogitationes, arcu os & labella, quę habent aliquam cum arcu ſimilitudinem, adeoq; ipſa verba & orationem, quibus omnibus dominatur amor. Huc facit illud Pindari ex Olymp. 2.

—— πολλά μοι ὑπ᾽ ἀγκῶνος ὠκέα βέλη
ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
φωνᾶντα συνετοῖσιν· ἐς
δὲ τὸ πᾶν ἑρμηνέων
χατίζει. id eſt;

Multa mihi [ſunt] *ſub cubito*
Celeres ſagittæ
Intra pharetram
Sonantes prudentibus; apud
Vulgus verò interpretibus
Indigent.

Intelligit Pindarus pulchra animi ſenſa, quibus ſe fatetur ornatum & excultum, & oratione diſerta ad victorum laudes celebrandas. Sed de his ſatis.

Cur alatus Amor. *Alas curuo tenet.*] Cicero De nat. Deorum, pennatum Cupidinem vocat, vt Orpheus & Plato in Phædro *πτερόεντα*, idq; propter frequentiſſimas in eo viciſſitudines rerum, ait Pierius in Accipitre. Alexan. Aphrodiſæus problem. 87. rationem reddit, propter inſtabilitatem nempe, & leuitatem. Ouidius initio 2. De arte:

Magna paro, quas poſſit amor remanere per artes
Dicere, tam vaſta peruagus orbe puer.
Et leuis eſt, & habet geminas, quibus euolet, alas:
Difficile eſt illis impoſuiſſe modum.

Secundo Amorum 9. eleg. ſic:

Tu leuis es multoq; tuis ventoſior alis:
Gaudiaq; ambigua dasq; negasq; fide.

alloquitur Cupidinem. Eubulus apud Athenæum lib. 13. figmentum hoc ridet: cuius ſenarios propter elegantiam huc conferre non piget:

τίς ἦν ὁ γράψας πρῶτος ἀνθρώπων ἄρα,
ἢ κηροπλαστήσας ἔρωθ᾽ ὑπόπτερον;
ὡς οὐδὲν ᾔδει πλὴν χελιδόνας γράφειν,
ἀλλ᾽ ἦν ἄπειρος τῶν τρόπων τῶν τοῦ θεοῦ.
ἐστὶν γὰρ οὔτε κοῦφος, οὔτε ῥᾴδιος
ἀπαλλαγῆναι τῷ φέροντι τὴν νόσον,
βαρὺς δὲ κομιδῇ. πῶς ἂν οὖν ἔχει πτερά;
τοιοῦτο πρᾶγμα λῆρος ἦν, ἄν φήσειέ τις. id eſt:

Quis omnium primus virorum pinxit, aut
Alatum Amorem finxit in cera prior?
Hirundines ſolùm ſciebat pingere:
Mores nec ille norat, aut mentem Dei.
Nec eſt enim leuis, nec eſt is qui celer
Morbum ferentis auolet præcordijs:
Grauisq; valdè. qui fit alæ vt ſint ei?
Nugæ meræ ſunt hæc: quis ergo perferat?

Inſcius in volucrum &c.] Non poteſt auceps eſſe, aut aues telo ferire, quorſum ergo tela, vel ſagittæ?

Iecur ſedes libidinis. *Flectere tela iecur.*] Philoſophi libidinis vim & ſedem præcipuam in iecore putant contineri, quod Lactantius in Opificio Dei tradidit. Sic etiam Mathematum profeſſores cenſent à Venere iecur ipſum regi: qua ratione ſedem amoris, poetæ iecur agnoſcunt, Cupidinemq; iecur ſagittis appetentem vlcerantemq; ſuis queruntur carminibus. Horatius 1. Epiſtolarum:

Nõ ancilla tuũ iecur vlceret vlla, puerue.

Serpit

Serpit humi] humi graditur, ſemperque hominum genus lædit; neq; ſe poteſt humo tollere, cum ſit ſaxeus. Repugnantia ſunt, quibus ſuperuacaneam Amoris εἰκόνα docet.

Si cæcus, vittamq; gerit] Si ſit oculis captus, cur oculos habet opertos vitta, vel tænia? id enim nihil ad rem facit. Qui re ipſa cæcus eſt, non poteſt magis oculorum

Cæcũ qd. priuari vſu, ſi vitta obtendatur. Cæcum, nõ ſolùm oculis captum, ſed & inſidioſũ, & occultè malum; vel latens & tacitum quid veteres dicendum exiſtimarunt. Virgil. 6. Aeneid.

——Cæca regens filo veſtigia.

Siſenna 4. hiſtoriar. Subitò mare ſubhorreſcere, cæcosq; fluctus in ſe prouoluere leuiter occępit. Idem alio loco: Cæcum veteres pro improuido dixerunt. Varro 4 de vita populi Romani: Neq; id cæci Conſules feciſſent. Sed Amoris cæcitas impeditã

Amor cur cæcus. hominis rationem oſtendit; nec enim modò τυφλὸς, ſed & τυφλοποιὸς ἔρως. Theocritus Eidyll. 10. Τυφλὸς δ' οὐκ αὐτὸς ὁ πλοῦτος, ἀλλὰ καὶ ἀφρόντιστος ἔρως. hoc eſt: *Cæcus non ſolùm Plutus, verùm etiam delirus Amor.* Propertius 2. Elegiar.

Ante pedes cæcis lucebat ſemita nobis.

Scilicet inſano nemo in amore videt.

Ouidius in Epiſtolis:

——Quid deceat non videt vllus amans.

Non enim aduertunt quò tendant, ſed ſola

Tænia. paſſione ducuntur.

Tænia] Tæniam, ait Verrius Flaccus, eſſe ornamentũ laneum capitis honorati. Seruius verò ea Virgilij verba declarans,

Puniceis ibant euincti tempora tænis.

ait, vittis roſeis: & ſignificat lemniſcatas coronas, quæ ſunt ex frondibus, & diſcoloribus faſcijs, & ſicut Varro dicit, magni honoris ſunt. Sed ponitur ibi per ſynecdochen, quia extremitas pro tota vitta ponitur. Hoc loco pro panniculo, quo oculi Cupidinis velantur, accipiendum. Citatur illud Ennianum:

Volans de cælo cum corona & tænijs.

Quisve ſagittiferum credat] ſagittifer aut iaculator minimè eſſe poteſt, qui ſit lumine captus. Abſurdum aliud per collationem diſſimilium.

Hic certa, ac cæci &c.] Verſum hunc ſic legito:

Hic certa, aſt cæci ſpicula vana mouent.

vt rectiſſimè admonet Pignorius, & ante ipſum editio Stockhameri habet. Iaculator viſu ſcopum aliquem ſibi certum proponit, cæcus verò id non poteſt.

Igneus eſt] Qui igneus ſeu flammeus Amor, cum omnia ignis depaſcatur? Dicitur verò igneus Amor ab effectis, vt iam dictum eſt. *Flamma ſine Vulcano.* Iunius Cent. 7. Prouerb. 87. De amore igneo, aut potius amoris igni, è multis, quæ mihi ad *Amor igneus.*
alia properanti occurrunt, pauca ſeligam. Antipater Sidonius:

μὴ κλαίων τὸν ἔρωτα δόκει, τηλέμβροτε, πείσειν,
μηδ' ὀλίγῳ παύσειν ὕδατι πῦρ ἀπνεές,
χρυσὸς ἔρωτος ἀεὶ παιώνιος. ἐσβέσθη δὲ
οὐδὲ τότε ἐν πολλῷ τικτόμενον πελάγει.

Circumferuntur hæc incerti cuiuſdam:

αὐτὸ τὸ πῦρ καύσειν διζήμενος οὗτος, ὁ νύκτωρ
τὸν καλὸν ἱμείρων λύχνον ἀναφλογίσας.
δεῦρ' ἀπ' ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας, ἔνδοθι γάρ μου
καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.

Quò ſpectant quæ Aul. Gell. retulit 19. cap. 9. ex Aedituo:

Quid faculam præfers phileros, quæ nil opus nobis?

Ibimus, hic lucet pectore flãma ſatis. &c.

At cur Amor igneus dicatur, ardere autẽ qui amore corripiuntur, Paulus Silentiarius ita:

——ἀντιτύπου γὰρ
εὐθὺς ἀποθρώσκει κοῦφος ἔρως κραδίης.
οἶστρος ὀλισθήεσσαν ἔχει φύσιν. ἤν τις ὀϊστοῦ
ἄκρον ἕλῃ, φλογέη δύεται ἐντὸς ὅλος.
ἐλπίδι μὴ θέλξῃς φρένα μαχλάδι· γυιοβόρον γὰρ
πῦρ ὑποριπίζει θυμὸν ἐφελκομένη.

Tumidis Naiadum.] Naiades aquarum *Naiades quæ.*
Deæ, ἀπὸ τοῦ νάω *fluo*, dictæ: per quas hic caſtas & pudicas puellas matronasq; poſſis intelligere. Quò referendum videtur illud Meleagri:

δεινὸς ἔρως; δεινός. τί δὲ τὸ πλέον; ἢν πάλιν εἴπω,
καὶ πάλιν οἰμώζων, πολλάκι δεινὸς ἔρως;
ἦ γὰρ ὁ παῖς τούτοισι γελᾷ καὶ πυκνὰ κακισθεὶς
ἥδεται, ἢν δ' εἴπω λοίδορα καὶ τρέφεται θαῦμα

Θαῦμα δέ μοι, πῶς ἄρα διὰ γλαυκοῖο φανεῖσα
κύματος, ἐξ ὑγροῦ Κύπρι σὺ, πῦρ τέτοκας.

Sæuus Amor? ſæuus. Quid tũ, ſi talia mœrẽs
Conquerar? atq; iterum talia: ſæuus Amor?
Nimirum puer hæc conuicia ridet, & ipſis
Gaudet, & inſultat iurgia ſi qua loquor.
Aſt ego demiror, glauco Venus edita ponto,
Qui flãmam ex unda progeneraſſe potes?

Sæuus Amor, ſæuus. Quid verò amplius? ſi rurſus dixero,
Et rurſum, plorans ſæpe, ſæuus Amor.
At enim puellus ridet, & ſæpe vituperatus
Gaudet; ſi autem dixero contumelias, inde inſultat.
Mirum autem mihi, quomodo vtique, è glauco vbi apparuiſti
Fluctu, ex humido, Cypri, tu ignem peperiſti?

Sæuus Amor, ſæuus. Quid tandem? vt dixero rurſum,
Et rurſum plorans, ſæpeq; ſæuus Amor?
Nã puer his ridet, nihili & cõuitia curat,
Inſultãs iactem ſi qua ego probra loquar.
Interea miror, cur è glauco edita fluctu,
Ex humore ignes, tu Venus alma, feras.

Ouidianum hoc conuénit 3. Amor. eleg. 5.

Flumina deberent omnes in amore iuuare:
Flumina ſenſerunt ipſa quid eſſet amor.

At tu ne &c.] Hactenus refutatio fuit veterum de Amore commentationum, tandemq; veram amoris deſcriptionem vltimo diſticho perſtringit.

Ne capiare erroribus] ne vanis figmentis poetarum tamdiu hæreas.

Amoris deſcriptio. *Iucundus labor eſt*] Amoris deſcriptio *κατ' ἐναντίωσιν*, vt apud neſcio quem:

Cura placens, prædulce malum, triſtisque voluptas.

Et apud Petrarcham: latens ignis, gratum vulnus, ſapidum venenum, dulcis amaritudo, delectabilis morbus, iucundum ſupplicium, blanda mors. Amoris itaque finitio eſt, vt ſit labor iucundus in ocio laſciuo. Id eſt, amantium vita omnis verſatur in labore, qui tamen labor voluntate ſuſcipitur, conſeruaturq; atque augeſcit luxu & ocio, vt ex Seneca adduximus. Theophraſtus rogatus, quid ſit amor? animæ otioſæ affectus, reſpondit. Quare duo oppoſita, labor ſcilicet & otium, ſimul eodemq; tempore, & eodem modo poſſunt in eodem hęrere ſubiecto, vt loquuntur philoſophi. Vnde illa ſunt de amore vulgò etiam nota, ex ocio amorem naſci, ipſumq; ocioſum eſſe: ſed amatores ipſos laborioſam & ærumnarum plenam vitam trahere. Vnde illa Ouidiana: *Ex otio amor.*

Ocia ſi tollas periere Cupidinis arcus.

&. *Tam Venus ocia amat.* quia facile ſolet amor irrepere in malè feriatos & deſides animos, quiq; ferè nulli honeſto labori dãt operam: eſt enim ocium parens libidinis. Itaq; rectè Ouidius:

Quæritur Ægiſthus, quare ſit factus adulter?
In promptu cauſa eſt; deſidioſus erat.

At vbi ſunt amoris correpti & irretiti laqueis, tum demum ſentiunt ſeſe laborioſam vitam agere. Ex quo hæc eiuſdem poetæ:

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido. *Amor militia.*

Idem: *Amor odit inertes.* &

Militiæ ſpecies amor eſt, diſcedite ſegnes. &
Qui non vult fieri deſidioſus, amet.

Symbolũ Amoris. *Signum illius eſt &c.*] Amoris ſymbolum eſt, Punica glans in nigra ſcuti planitie. Quod libidinis & obſcœnæ voluptatis actum ſignificat; cuius ſchema eſt malum Punicum in nigra ſcuti planitie, quæ repræſentant ſimilitudine quadam ſexus vtriuſq; *γεννητικὰ μόρια*. Punicum quidem dulci ſapore, ſed amaro cortice, nihi referre poteſt *ἡδονὴν γλυκύπικρον*. Nigra planities cæcitatem & caliginem, quibus implicãtur, qui turpiter amant. Cæterum vir doctus quiſpiam ait, hic glande ſignificari partem obſcœnam genitalium, quam Cornel. Celſus, Ariſt. & Galenus Balanon appellant, quod glandem ſignificat: eſtq; quo virilis penis prior pars, quę Latinis eſt mentula. Scutum verò ſiue clypeus, *τὰ τῆς γυναικὸς αἰδοῖα* ſignificat. Nam clypei nomen, latens & arcanum habet ſignificatũ. Clypeum quidem à *κλύειν* dici volunt, quod cluere, id eſt, morem gerere ſignificat: vel eo quòd clepat & celet totum corpus, vt notat Soſipater Chariſius: vel *γλύπτειν*, eo quod imago & facies cuiuſque redderetur: quas tamen originationes aliqui trahunt ad obſcœnum ſenſum, de quo hic aliquid apertè dicere me pudor vetat. Vide Godeſcal. Stevvech ad Veget. Glandem verò accipi pro mentula. obſcœno nempe ſignificato, confirmo Arcadum epi- *Clypeus quid.* *Glãs quid hoc loco.*

theto, qui βαλανοφάγοι dicti, ob luxus nimios, & obſcœnam Venerem legibus vetitam: & id quidem ſymbolum glandis in nigra clypei planicie mihi ſuggerit eiuſdē ſenſus Hieroglyphicum. Veteres pingebant Venerem myrto coronatam. Myrtus pudendi muliebris ſignificatum habet. Iulius Pollux onomaſtico, caruunculam eſſe dicit intra muliebre pudendum laſciuo quodam motu nonnunquam ſubſultantē. Hinc iocus apud Ariſtophanem, vbi chorus ſenum ait, enſem poſthac ſe in myrti ramo geſtaturum. Qua de re fabula hæc à Græcis circumfertur. Faunus Hecatem filiam ſolicitauit ad ſtuprum: quem cùm auerſaretur petulantem, ille virga myrtea fertur eam primùm verberaſſe, deinde vini tormentum adhibuiſſe, mox in anguē conuerſum ſpiris totam implicuiſſe, atque ita pudicitiam virginis rapuiſſe. Quæ fabula virga myrtea, nequitiæ eſt imaginatio, vinum mentis hilaritas; at angues multiplices modos voluptatis repræſentant. Innuit hæc poeta:

——*Quos durus amor crudeli tabe peredit,*
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silua tegit. ——

Hæc interpretatio licet ſit genuina & naturalis, Sanctius tamen tanquam prauam illam & impudicam reſpuit: & picturam talis laboris cum iucunditate miſti clypeū eſſe dicit nigrum, qui color eſt laboris iudicium; & in medio clypei glans Punica, cuius ſuccus ex dulci & amaritudine conſtat. Quod infra Emblem. 207. clariùs expreſſit Alciatus, de malo medica loquens:

Color niger laboris index.

Aurea ſunt Veneris poma hæc: iucundus amaror
Indicat: eſt Græcis ſic γλυκύπικρος Amor.

Plautus Ciſtellaria, Act. 1. Scen. 1. quod etiam ſupra citauimus:

Nam ecaſtor, Amor & melle, & felle eſt fœcundiſſimus:
Guſtu qui dat dulce, amarum ad ſatietatem vſq; oggerit.

Porrò quemadmodum in tepido (inquit Muretus var. lect. 16. 1.) remiſſi caloris ac frigoris quidam quaſi chmus eſt: ita multę ſunt voluptatis & doloris permiſtiones, vt cum alibi, tum in amatoria leuitate.

IV. FINGANT & refingant alij ἔρωτας καὶ ἀντέρωτας, & egregiè ingenia exerceāt; ego alium depingam Cupidinem, aliam mihi ſtatuam ſtatuam, alium amorem producam; non nudum, ſed ſartum tectum; non alatum, ſed conſtantem; cuius ſymbolum in fulgido fidei vexillo eſt ter ſancta Crux, roſeo irrorata ſanguine. Naturæ ductum ſequimur pleriq; ac ſemina ab ea inſita, diuerſo fine, differentibus ſtudijs; imò non ſequimur, ſed potiùs trahimur, ita imperioſa eſt nonnunquam & importuna nouerca illa, niſi moderamen adſit & clauus, qui dirigat. Ad praua certè vehementior ſtimulus, & mens noſtra veſtigijs illis, quæ ad ruinam & præcipitium ducunt, multò quàm ad virtutis ſemitam conſectandam procliuior. Sciſcitari lubeat hominem potationibus continuis impensè deditum, quid integros dies noctesq; traxiſſe bibendo delectet adeo, vel iuuet? Ab radice deriuabit vitiū, & in naturam trāsferet, atq; indolis ſub ea magiſtra corruptelam. Ecce tibi tuū ἔρωτα. Cauſſas libidinis ſuæ ſcortator rogatus, & qui ſignatis folijs & teſſeris perdit horas aleator, congenito pruritu illo ac laſciuiæ flammis, quas è ſeminis ſanguinisque traduce intenſiores imbiberit, ille, hic, naturali quodam ad ludicras animi relaxationes impreſſo affectu ſe ſuamq; culpam defendet. Sed riui iſti malitiæ ac prauitatis ex alio fonte ſunt & vena, quæ ſi non generat & educit, affluit tamen & producit, datq; incrementa. Hęc aſſuetudo eſt, & conceptæ voluptatis imaginaria apprehenſio, quæ calcar addunt animo, vt frui deſideret; & contumaciam, ne à libatis ſemel facilè diuellatur, cum diſpendio etiam famæ & ſalutis. Exemplū ſit, qui telo Cupidinis traiectus, amoris iugū humeris ſuis vel ſemel ſuſtinuit, quid aliud niſi hortos Veneris & deliciarū omnium præſens ſibi fingit & imaginatur theatrum? In eo roſas colligit, lilia delibat, decerpit violas, in areolis iniquitatis & impudentiæ: totus eſt ibi dormiens, vigilans: tranſeunt horæ, tranſeunt dies in ijs excubijs. In ſumma, amat, amari vult, amatam quærit, quæſita fruitur; hæc eſca, hoc viſcum, hic hamus, qui implicat & capit. Sic quieſcit tamen, & in pace eſt, aut videri vult: ita beatum ſe cenſet, hic terminus voti. Ebrioſus ad eundem finem, eodem intento, ad malum, peſſimo vterq; O longè aliter, Cupidinis mancipia. Somnia ſunt & illuſiones, imò proluſiones ad interitum animæ. Cauebunt ab his naſſis qui ſapiunt.

Amoris diuini ſymbolū S. Crux.

Trahit ſua quemq; voluptas.

Oſtendo

Amor diuinus vnde quærendus.

Oſtendo medelam, quæ vel prænertit, vel auertit morbum. Viridaria deuotionis & piorum roſeta ingredere, floſculos inuenies, ſuccum exprime & applica. Progignit illos Caluariæ vertex & Oliueti, Betlileomiticus & Nazarenus ager: ſpinæ ambiũt, ſed egrediuntur ſuprà & promiuent: aculei minantur & vallant, cordis verò digitus, armatus non laſciuo illoac procaci, ſed diuino amore ac cœleſti, penetrat, carpit, & in ſinum colligit. Foue, foue, quiſquis es, cui tanti theſauri capax gremium. Tale debet eſſe prorſus, aut obnoxium præ fatis malis: inuadunt iſta & irrumpunt, niſi prophylacticon hoc & præmurale, Chriſtus naſcens, laborans, moriens In ipſo ſolo ſecuritas, & flammis, quas ingerit & infundit menti, quibus tacta liqueſcit, vt nix ad Solem. Admirabilis eſt ſplendor & vis huius ignis, adurans, penetrans, conſumens: exugit fæces terrenas in quo gliſcit, reſoluit glaciem torporis, curarum frigus diſſipat, vertit in altam naturam. Ex quo ſilice eliciendus? inquis. Lignum pro ſilice percute, ſuſcitabis; lignum vitæ, in quo mors domita. Inſere cordi ſurculum de hac arbore, ſi non ipſam radicem, ſi nec ſtirpem vel ramum. Ad nucleum ſeu medullam rade, dulcedo tanget aliqua, ſed ſua amaritudine diluta, & felle attemperata. Naturam lauro ac hederæ ineſſe, vt ex attritu ignis ſcintillet, conſtans ſcriptorum quorundam eſt opinio. Nouum ego tibi hic genus ligni oſtendo, totum igneum, totum ex flamma. Si pectus friget, & abdita mentis, guttulam inſtilla de hoc ſucco arboris, carbones concipies deuotionis viuos & ſpirantes. Si niuem ſentis laſſitudinis ad illa ſuperna, trahe in amplexus, & affrica ramuſculum de hoc germine, incaleſces & afflaberis, velut ex furno, amoris incendio: nihil enim in hoc, niſi merus ignis, niſi intenſiſſima pruna, quam creſcenti ſubſtrauit diuina Charis. Tange, explora, imò deuora, innoxium eſt, ſalutis & vitæ nutrimentum.

Amor diuinus quomodo γλυκύπικρος.

Amor diuinus ignis.

Virtus S. Crucis.

Videmus pericula & caſus in fluxa hac & inſtabili peregrinatione: videmus ludibria fortunæ, mortis, dæmonis: hoc ſcutum ſit aduerſus ea, hæc glans ænea & catapulta. Torrens iſte mortalitatis traijciendus vorticibus præceps, baculus hic ſit, qui greſſum vacillantem fulciat. In clibano coquimur æſtuantium libidinum: refrigerium hic quæramus & vmbram. Spiritus malignus turbat & mordet: arripiamus hanc citharam, quæ tumultuantem compeſcat. Serpentes mortiferi deſertum hoc infeſtãt: erigatur ſtipes hic ſacer in medio, conſpectus ſanabit. Sitis vrget, nec ſapiunt aquæ in Marah inſuaues & impotabiles: immittamus hoc lignum, nectar fient. Guſta, mi homo, guſta: ſolatur, nõ cruciat iſte Amor: depellit ærumnas animi, non inſerit: diſtrahit curas, non ſeminat: laxat dolores, non intendit: eleuat ſpiritum, non deijcit: parẽs læticiæ eſt, baſis fidei, anchora ſpei, fomes amoris, patientiæ ſpeculum, clauis cęli, polaris ſtella vitæ, ac lucida Cynoſura, quæ ſola genus humanum peccatorum diluuio obrutum, ad æternæ vitæ portum, & ex carceribus his per ſtadium immortalitatis, ad metam deniq; & coronam dirigit, quę nec annis marceſcit, nec frigore.

Amoris diuini vis.

Cæterùm de amore copioſè ſcripſerunt (vt hoc corollarij loco ſubiungam) Aelianus in var. hiſt. Plato Dialogo de Philoſoph. & Conuiuio, Xenophon in Sympoſio, Andreas Capellanus Regius in Eroticis, Volaterranus lib. 32. Marſilius Ficinus lib. 1. cap. 56. Ludou. Viues 3. de Anima. Bruſon lib. 1 c. 2. & alij quàm plurimi, quorum copioſum catalogum habes in principio Eroticorum Andreæ Capellani Regij, nuper à Detmaro Mulhero editorum.

Scriptores de amore.

In obliuionem patriæ.

EMBLEMA CXV.



IAMDVDVM miſſa patria, oblitusq́ tuorum,
Quos tibi ſeu ſanguis, ſiue parauit amor:
Romam habitas, nec cura domum ſubit vlla reuerti,
AEternæ tantùm te capit Vrbis honos.
Sic Ithacum præmiſſa manus dulcedine loti
Liquerat & patriam, liquerat atque ducem.

COMMENTARII.

1. SVB arbore loto, fructibus ſuis onuſta, ocioſi & quaſi ſomnolenti iacent Vlyſſis ſocij, quorum ille tergora valido fuſte non perfunctoriè dedolat, & ad diſceſſum compellit. Sed vt picturam iuuemus, de loti arboris forma aliquid dicendum. Polybius, hiſtoriæ ſcriptor ἀξιόπιστος, ait in 12. Loton arborem aſperam, pumilam, ſpinoſam, frondibus viridantem rhamno ſimilibus, cuius fructus initio candidis myrtis non ſit diſſimilis, mox increſcens palmeo colore, magnitudine rotundæ oliuæ, nucleo perpuſillo, è quo delicatus exprimitur latex, quo ſitis leuatur, ſine admixta aquæ, ſed vltra diem decimum non durabilis. Theophraſt. 4. lib. de Plantis, ſcribit

[illegible]

Loton

Loton parem habere cum pyro magnitudinem, eiusque pomum fabæ ſimile; quod dum matureſcit variat colores vuæ inſtar: quo ex fructu memorant integrum quendam olim exercitum in Africa commeatus inopia laborantem fuiſſe ad dies aliquot refectum. Plura de loto habet præter cæteros Botanicos Rembertus Dodonæus lib. 29. c. 24. & nos in progreſſu ex Plinio & Strabone.

II. *Typus & fons Emblematis.* MINIME mihi dubium eſt, Alciatum, cum id Emblema ſcriberet, habuiſſe in manibus Ammianum Marcellinum, & tunc ad eum reſpexiſſe locum, qui eſt lib. 14. quem integrum apponam, & deinde ſententiam explanabo. Verba itaq; Ammiani ſunt hæc: Illud autem non dubitatur, quòd cùm eſſet aliquando virtutum omnium domicilium Roma, ingenuos aduenas pleriq; nobilium, vt Homerici baccarum ſuauitate lotophagi, humanitatis multiformibus officijs retentabant. Et hęc quidem ille. Extat prouerbium, quod ab Homero initium ſumpſit: *Lotum guſtauit.* Dicebaturq; de ijs, qui diutius in peregrinis regionibus hærerent, veluti obliti reditus. Sumptum à fabula Lotophagorum, de quibus meminit Homerus Odyſſ. 9. narrans, quemadmodum Vlyſſis ſocij guſtata apud Lotophagos populos loto, redire ad nauim noluerint, niſi verberibus adacti.

Lotum guſtauit.

Lotos. Eſt autem lotos, quam eandem Celtim dici docet Dioſcorid. lib. 1. arbor, de qua Plinius lib. 13. cap. 17. tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræque dederit, nimis hoſpitali aduenarum obliuione patriæ. Eſt & herba eiuſdem nominis, gratiſſima & ipſa palato, de qua permulta Theophraſtus lib. 4 de plantis, c. 9. Hæc ferè auctor Chiliadum. Mitto hic quæ Ouidius 9. Metamorph. de loto ait. Herodotus in Melpomene loti fructum ſic deſcribit: Fructus eſt inſtar fructus lentiſci, ſuauitate aſſimilis fructui palmarum. Ex hoc fructu Lotophagi vinum conficiunt. Hæc ille. Sed obiter notabis, Herodotum hoc loco, Strabonem vltimo Geographiæ, & alios Geographos, poſuiſſe Lotophagos in minore Syrti, contra Pomponium Melam, & Plinium loco citato, qui in maiori ponũt: aut ſubeſt in codicibus mendum. Multa quoq; de loto arbore Crinitus lib. 20. cap. 4 & 6.

III. *Iam dudũ.* *IAM dudum*] *Iam dudum* rarò ad longum temporis ſpatium refertur, vt ex Terentio & alijs poteris elicere. Sanctius *Iam pridem* dixiſſet.

Miſſa patria] relicto natali ſolo.

Duo amicorum genera. *Quos tibi &c.*] Duo hic amicorum genera notat: vnum eorum, qui ſanguinis coniunctione; alterum, qui vel vicinitate, vel ſtudijs quibuſdam paribus, vel commercio aliquo, aut vſu vitæq; conſuetudine amicitia nobiſcum ſunt iuncti.

Seu ſanguis] Primum amicorum genus; qui tibi ſunt cognatione vel affinitate iuncti.

Siue parauit amor.] Alterum genus, quibuscum tibi amicitia intercedit.

Romam habitas] Poteſt hoc intelligi ſynecdochicῶs, pro quauis vrbe celebri.

Roma. Vrbs ꝑ excellentiã. *Æterna Vrbs*] Vrbs κατ' ἐξοχὴν Roma, vt olim Athenæ ἄστυ, & Alexandria πόλις. quod cæteris excellerent: id quod vidit Magius Miſcellan. lib. 4. cap. 6. Alluſit autem ad priſcorum Romanorum opinionem, qui Romam & Romanum Imperiũ ſemper duraturum credebant. Hinc illud eſt Iouis apud Virgilium, Veneri perpetuum imperium pollicentis:

His ego nec metas rerum, nec tẽpora pono;
Imperium ſine fine dedi.

Et Auſonius:

Ignota æterna ne ſint tibi tempora Roma.

Idemque:

Vrbis ab æterna deductam rege Quirino.

Ouidius 3. Faſtor.

——*Æterna cum pater Vrbis ait.*

Romana Vrbis elogia. Sed præter hæc, placet etiam quę ſequuntur addere, philologorum gratiâ. Ammianus Marcellinus lib. 15. Tamen auctoritate qua potiores æternę Vrbis Epiſcopi, firmari deſiderio nitebatur ardenti. Idem lib. 16. Et vrbis templorum, forumq; Pacis, & Pompeij theatrum, & Odæum, & ſtadium, aliaq; inter hæc decora Vrbis æternæ. Idem lib. 19. Difficultatem aduentantis inopiæ frumentorum Vrbs verebatur æterna. Idem Ammianus lib. 16. Romani ingreſſus imperij virtutumq; omnium larem: & lib. 17. Si ablatum vno templo miraculum Romæ ſacraret, id eſt, in templo mundi totius, &c. Notum eſt illud Virgilij 1. Æneid.

Romanos rerum dominos, gentẽq; togatam.

Et iterum:

——*Illa inclita Roma*
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Et Auſonius:

Martia Roma triplex, equitatu, plebe, ſenatu.

Nec mirum quàm plures in ea, tanquam lotum guſtaſſent, detineri, cum communis ſit patria, vt inquit Modeſtus in L. Roma. ff ad mancip. Eadem etiam caput orbis terrarum à Iuſtiniano Imperatore appellatur, in l. 1. §. ſed & ſi. C. de vet. iur. enucl. Nec diſſimile eſt quod ait Caſſiodorus lib. 1. Variar. epiſt. 32. Roma mater omniũ dignitatum. & epiſt. 39. Roma eloquentiæ ſecunda mater, virtutum omnium latiſſimum templum, &c. Præclara hæc certè Romanæ vrbis elogia: & meritò quidem, ea enim tot populorum diſcordes feraſq; linguas Latini ſermonis commercio ad colloquia contraxit, ait Plinius. Mitto quæ notat Alciatus ipſe Commentario de verbor. ſignificat. ad l. 87. Porrò Epitheton id Vrbis æternæ, mirum quàm ſæpe vſurpatur in Hiſtorijs Marcellini: nam præter locos à me in ſuperioribus adductos commentarijs, placet & alios quoſdam ſublegere. Sic enim idem Ammian. lib. 21 In locum Tertulli Maximum Vrbi præfecit æternæ. Et 23. Iiſdem diebus legatos ad ſe miſſos Vrbe æterna. Item 25. Tyberis interſecans Vrbem æternam. At 26. Apronianus regens Vrbem æternam. Initio 28. Sæuiens per Vrbem æternam vrebat cuncta Bellona. Eodem: Per hæc & alia, quæ decolorabant ſpeciem Vrbis æternæ. Deinde poſt: Funera deplorauit Vrbs æterna. Quod elogium certè magnificum ne cui videatur omnino ridiculum, huc confero nummum veterem, in quo Romæ ſimulachrũ eſt in ſede cum ancili, & inſcriptione, ROMAE AETERNITAS. Et quidem ipſum Romæ nomen, nationes nonnullæ ex patriæ linguæ ſignificatione æternitatem interpretantur. Plutarch. libro de fortuna Romanorum. Fortunam, ait, Tyberi traiecto, alis poſitis, exutis talaribus, abiecta inſtabili pila, ita Romam ingreſſã: quod indicium eſſet, eam ibi conſtanter permanſuram, neq; in poſterum aliò abuolaturam. Teneo tamen memoria, quid de iſta Vrbis æternitate iam olim ſenſerit Octauius Auguſtus, qui, vt Plutarchus retulit Apophthegmatis, cũ obſeruaret Piſonem ita magnificè ędes excitantem, vt propter materiam, quam adhibebat, videretur eum æternitate paciſci, aut ædificium nunquam interiturum cogitare, ſic dixit: Piſonem ita ædificare quaſi Roma foret æterna. Non repetam miſeram Romæ deflagrationem ſub Genſerico barbaro principe, quamq; fędè attritum fuerit id imperium ſub Athalarico & Odoacre, id enim commodiùs ex Paulo Diacono & Oroſio mutuari poteſt.

Roma Vrbs æterna.

Ithacum premiſſa manus] Id eſt, multitudo Vlyſſis ſociorum, quos exploratum miſerat in Lotophagorum patriam. Manus, pro multitudine ſeu numero hominũ poni, alio loco monuimus. Ithacum, eſt hic genitiuus, pro Ithacorum, vel Ithacẽſium, Vlyſſis ſociorum ab Ithaca, Vlyſſis patria, ſic dictorum. Sic Vlyſſem ſæpe vocat Ithacum Alciatus. Supra Emblemate 28.

Vlyſſes Ithacus.

Quod Græcorũ Ithaco concio iniqua dedit.

Ita Emblemate 76.

Atq; Ithaci poſtquam vina bibere ſues.

Et infra Emblemate 172.

Audijt hac Ithacus ——

Et Emblemate 182.

Mercurium hoc Ithaco fama dediſſe ſuit.

Dulcedine loti] Lotos Nympha fuit, quæ Priapum fugiens in arborem ſui nominis mutata fuit; de cuius arbore cum Dryope Euryti filia flores aut baccas decerperet, in loton quoq; transformata fuit, quod ſacras frondes violare auſa eſſet. Loti fructum dulcem eſſe tradit Plinius, Strabo, Theophraſtus, & alij ſupra relati. Arborem Itali vocant *Perlaro*, Tridentini *Bagolaro*, à baccis quas profert, Germanis eſt peregrina, teſte Matthiolo.

Lotos Nympha.

Liquerat & patriam] Ithacam.

Liquerat atq; ducem] Vlyſſem.

DIVERSIS modis hoc Emblema applicari poteſt, quos breuiter attingemus. IV.

1. Alciatus torquet in eos, qui patriam obliuione delent, in alio quodam ſolo retenti, & fortuna quadam benigniore lactati. Notiſſima eſt illa Teucri vox apud Ciceronem Tuſc. 5. Patria eſt vbicumque eſt bene. tum enim vel maximè patriam ipſumq; natale ſolum tradere ſolemus obliuioni, cùm aliena regio meliorem nobis & lautiorem conditionem proponit.

Patria eſt vbicunque bene eſt.

2. Potiſſimùm torquetur in eos, qui cùm ad amplum aliquem dignitatis gradum peruenerint, ſui ſuorumq; immemores facti, tumidas attollunt vertice criſtas, vt ijs nihil intolerabilius eſſe poſſit, neque aſperius: quippè qui nec de parentibus, nec de amicis amplius cogitent: ex quo perſpi-

Sui & ſuorũ obliti.

cuum

cuum ſit, quàm deſipiant, quamq; vecordes ſint, cùm non intelligant leuiſſimo caſu ſe poſſe deturbari; quamque temerarij & inſtabiles fortunæ fluxus & refluxus. At Oratorem audiamus licet: Si quam virtutis præſtantiam, aut ingenij, aut fortunę ſplendorem ſumus conſecuti, eam noſtris impertire eſt opus, & cum proximis communicemus: vt ſi parentibus nati ſimus humili & obſcuro loco, ſi propinquos habeamus imbecilliores, vel animo, vel fortuna, eorum augeamus opes, eisq; honori ſimus & dignitati: vt in fabulis, qui aliquãdo propter ignorantiam ſtirpis & generis in famulatum fuerint, cùm cogniti ſunt, & aut Deorum, aut Regum filij inuenti, retinent tamen charitatem in paſtores, quos patres permultos annos eſſe duxerunt. Apud Euripidem Iphigenia, verba Menelai Agamemnoni mores mutatos obijcientis, & imperium & honorem ei delatum:

——Ἄνδρα ὐ χρεὼν
τὸν ἀγαθὸν. πράσσοντα μεγάλα
τὺς τρόπυς μεθιςάναι·
ἀλλὰ ϗ̀ βέβαιον εἶναι τότε μάλιςα τοῖς φίλοις,
ἡνίκ᾽ ὠφελεῖν μάλιςα δυνατός ἐςιν εὐτυχῶν.

Virum non decet
Bonum, auctum rebus proſperis
Mores commutare:
Sed ſtabilem eſſe tunc maximè amicis,
Cum iuuare maximè poteſt fœlix exiſtens.


Voluptati dediti lotophagi.

3. Hanc fabulam plerique conuertunt in voluptuoſos, & libidine prurienteis, qui guſtato ſemel dulci blandoque turpium voluptatum veneno, ab eo ferè non abſtineant. Lucianus de mercede conductis. Meminit & Dio Chryſoſt Orat. 35. Ponticus Heraclitus ait, ab Homero voluptatem deſignari per Lotophagorum regionem, quæ voluptas poſita eſſet in ea re perfruenda, quæ dulciſſima putaretur: *ἡδονὴν μὲν τὸ λωτοφάγων χωρίον ξένης γεωργὸν ἀπολαύσεως, ἣν ὀδυσσεὺς ἐγκρατῶς παρέπλευσε.* Symmachus in epiſtolis alluſit: Vt mihi, ait, quaſi apud ſcopulos hæſiſſe videaris.

4. A. Gellius flexit in eos, qui nimium immorantur in Dialecticę gyris & mæandris. De loti præterea hieroglyphicis vide Pierium lib. 52. in fine. Nunc audiamus harmonicam Sirenum concordiam.

Sirenes.

EMBLEMA CXVI.



ABSQVE aliis volucres, & cruribus abſque puellas,
Roſtro abſque & piſces, qui tamen ore canant,
Quis putat eſſe vllos? iungi hæc Natura negauit:
Sirenes fieri ſed potuiſſe docent.
Illicium eſt mulier, quæ in piſcem deſinit atrum,
Plurima quòd ſecum monſtra libido vehit.
Aſpectu, verbis, animi candore trahuntur,
Parthenope, Ligia, Leucoſiaq́; viri.
Has Muſæ explumant, has atque illudit Vlyſſes:
Scilicet eſt doctis cum meretrice nihil.

COMMENTARII.

I. PINGATVR nauigium velis & remis impulſum, ad cuius malum vir militari habitu alligatus conſpiciatur: in litore verò adſint tres Sirenes, monſtra ſcilicet ſuperiore ſui parte virginea forma, inferiore volucrum auium; harum vna voce, altera tibijs, tertia cithara canens fingatur. Vnde in hac noſtra pictura deſidero tertiam Sirenem cithara canentem: neq; vellem capita ad formam puerilem potiùs quàm puellarem accedere. Alas etſi Alciatus hic illis adimat, veteres tamen ſæpiſſimè addiderunt. Satis elegantem earum picturam habes in Mythologia Natalis Comitis, Patauij apud Petrum Paulum Tozzium impreſſa, typis Paſquati, 1616.

II. *Sirenes quæ.* ELEGANS eſt Sirenum mythologia: hæ fuerunt Acheloi fluminis, & Calliopes Muſæ filię (alij Terpſichoren, alii Melpomenem, alij Steropen Sirenum matrem faciunt) tres nimirum, Parthenope, Ligia, Leucoſia. Harum vna voce, altera tibijs, alia lyra canebat. Virginea finguntur facie, & in piſcem deſinunt: alij volucres eas faciunt. Cùm littus Siculum incolerent, nautas prætereuntes cantus & vocis amœnitate pelliciebant, pellectos ſopiebant, ſopitos demergebant, & poſtea deuorabant. Vlyſſes cùm illac ſibi prætereũdum eſſet,

Illeuit cera ſociorum callidus aures,
Atq; ſuas vinclis præbuit ipſe manus.
Tranſiluit ſcopulos & inhoſpita littora claſſis:
Illa præcipites deſiluere freto.
Sic blandas vocuḿ; notas, & carmina vicit,
Sic tãdem exitio monſtra canora dedit.

Martialis huc alluſit lib. 3. ad Caſſianum:

Sirenas hilarem nauigantium pœnam,
Blandaſq́; mortes, gaudiumq́; crudele,
Quas nemo quondam deſerebat auditas,
Fallax Vlyſſes dicitur reliquiſſe.

Homerus Odyſſ. μ. id pertractat. Meminit & Plato in Phædro. Virgil. Aeneid. 5. De Sirenibus Ouid. 5. Metamorph. ſic canit:

——Vobis Acheloides vnde
Pluma pedeſq; auium, cùm virginis ora geratis?
An quia cũ legeret flores Proſerpina vernos,
In comitum numero miſtæ Sirenes eratis?
Quã poſtquã toto fruſtra quæſiſtis in orbe,
Protinus in veſtrã ſentirent æquora curam,
Poſſe ſuper fluctus alarum inſiſtere remis
Optaſtis, facileſq; Deos habuiſtis, & artus
Vidiſtis veſtros ſubitis flaueſcere pennis.
Ne tamen ille canor mulcendas natus ad aures,
Tantaq; dos oris linguæ deperderet vſum;
Virginei vultus, & vox humana remãſit.

Neſcio quo caſu ferè præterieram Sirenũ deſcriptionẽ toties mihi lectam apud Claudianum:

Dulce malũ pelago Siren, volucreſq́; puellæ,
Scyllæos inter fremitus, auidamque Charybdim,
Muſica ſaxa fretis habitabant dulcia mõſtra.
Blanda pericla maris, terror quoq; gratus in vndis,
Delatis licet huc incumberet aura carinis,
Impleſſentq́; ſinus venti de puppe ferentes,
Figebat vox vna ratem, nec tendere certũ
Delectabat iter reditus, odiumq́; iuuabat.
Nec dolor vllus erat, mortem dabat ipſa voluptas.

Sed

Emblema unde ſumptũ.

Sed id totum petitum videtur ex Fulgentio lib. 2. Mytholog. de Vlyſſe & Sirenibus: Tribus, inquit, modis illecebra amoris trahitur, cantu, aut viſu, aut conſuetudine &c.

III. *ABSQVE alis volucres*] Sic conſtruo: Quis putet eſſe vllos piſces abſq; roſtro, qui ſint volucres abſq; alis, & ſint puellæ abſq; cruribus, & tamen ore canant? Sirenes enim putantur eſſe aues ſine plumis, puellæ ſine pedibus, piſces ſine roſtro, cantatrices; quod tamen à communi natura videtur alienum. Deſcribit autem monſtrum ad imitationem ferè illius Horat. in Arte poetica. Talem quoq; deſcriptionem habuimus ſupra Embl. 5. de homine angui pede, idq; ænigmaticõs. Sirenas appellat ſemiuolucres Lycophron in Caſſandra, alij ſemiferas vertũt. Quo loco Iſacius meminit victoriæ Muſarum, quæ ſe alis Sirenarum coronarunt. Putat tamen fuiſſe portentoſas, earumq; fabulam trahit ad allegoriam: dicit enim nomine Sirenum τὰς ἡδονὰς intelligi; & ſcorta eas fuiſſe, quæ lepore ſuo nauigantes retinerẽt, tradit idem ex Plinio iuniore.

Sirenes quid.

Quis putet eſſe vllos?] Vt Chimæras, vt Hippocentauros, & alia eius generis portenta fabuloſa: vel vt Tragelaphum, quod Ariſtoteles finxit in Analyticis: aut denique vt illud informe monſtrum, quod Horatius exhibet initio epiſtolæ ad Piſones,

Et miranda canunt, ſed non credẽda Poeta.

Certè Lucretius lib. 5. aliquot rationibus arguit Hippocentauros non eſſe, quales à poetis deſcribuntur. Et Xenophon 4. de inſtitutione Cyri, ait Chryſantl.um dubitare an ſint Hippocentauri. addit enim hoc verbum, εἰ ἐγένοντο. Valdè ſtomachatur Galenus in Pindarum, quia fingere nõ dubitauerit ex hominibus & equis Magneſijs natos Hippocentauros. Et M. Tullius 2. de natura Deorum: Quis, inquit, Hippocentaurum, aut Chimæram credat eſſe? Quod & idem confidentius negat 1. Tuſcul. Eiuſmodi tamen populos fuiſſe in Pelio Theſſaliæ monte à Nymphis educatos, tradit Diodorus Siculus lib. 5. facilè à ſcriptoribus ſuis perſuaſus, id eſt, poetis, qui rerum omnium memoriam figmentis cõpleuerant. Alioqui conſtat primos Theſſalos equitandi artem vſurpaſſe: quos cùm rudes homines, quales ea tempora ferebãt, eminus in montibus equis ſedere primùm eſſent intuiti, putarunt quaſi animalia noua, & ſupernè homines, infernè verò equos: & quem vulgi errorem poetæ amplexati, adeoq; pictores noua hæc monſtra repræſentarunt. Bene quidem Palæphatus lib. 1. ἀπίστων, ex Hippocentauri etymo veritatem elicit. Nulli enim alij fuere Hippocentauri, quàm equorum ſubactores, vel ſtimulatores, ἀπὸ τοῦ ἵππου, καὶ κεντάω. Nihilò tamen minus ſcribit Plinius lib. 7. cap. 3. ſe vidiſſe Hippocentaurum in melle conditum, & Aegypto allatum, oblatumque Claudio Cæſari, eodem die expiraſſe. Scimus adhæc multa de Satyris & Siluanis iactata: & quod D. Antonius vidit in ſolitudine, forma Satyri monſtrum, teſte B. Hieronymo, id plerique putant fuiſſe dæmonem incubum, aut ſuccubum. Et Satyros fuiſſe in ſubſolanis Indiæ montibus ſcribit Plinius, quin & eiuſmodi animal fuiſſe aliquando ad Cornel. Syllam deductum Plutarchus auctor eſt. Sirenes quoque aues fabuloſas eſſe putat Plinius lib. 10. cap. 49. cui ſanè aduerſantur Theodorus Gaza & Trapezuntius, qui Sirenes in mari ſe vidiſſe affirmant. Sed de his plus ſatis.

An monſtra dentur, qualia poeta fingunt.

Hippocentaurus.

Satyri.

Sirenes.

Sirenes fieri] Siren; σειρὴν, à verbo σείω, quod eſt iacto, turbo, decipio. Vel ἀπὸ τῆς σειρᾶς, id eſt, à catena ſeu vinculo, eo quod libidinis vinculum Sirenes fuerint. Non autem ducitur à verbo σύρω, id eſt, traho, vt aliqui putant: hinc non ſcribi debet per y, ſed per i, Siren.

Sirenes unde dicta.

Illicium eſt mulier] Græca locutio, ἡ γυνὴ θέλγητρον, τὸ θελκτήριον id eſt, *illex*, ab illiciendo, quod blanditijs illiciat.

Mulier illicium.

Quæ in piſcem deſinit atrum.] Abſurdum eſt: quo alludit ad illud Horatij ad Piſones:

——Vt turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa ſupernè.

Per piſcem mollities & voluptas plerumque intelligitur. Vide Lucianum de Syria Dea, vbi mulierem ſupernè in caudam piſcis deſinentem viſam fuiſſe ait.

Piſcis qd allegoricõs.

Plurima quòd ſecum.] Quam plurimas certè calamitates ex libidine proficiſci nemo neſcit: tamen eius tres ſunt præcipuæ illecebræ, ſiquidem aut viſu, aut cantu, aut commercio capiuntur, & in turpis amoris pedicas illaqueantur humani animi, vt mox dicemus.

Tres ad voluptatẽ illecebræ.

Aſpectu.] Viſu naſcitur amor. Hinc illud

Viſus, amoris initium.

Iud Propertij vulgatiſſimum:

Si neſcis, oculi ſunt in amore duces.

Pindarus formam amoris præconem 8. Nemeor. facit:

ὥρα πότνια κάρυξ ἀφροδίτας·

O Veneranda pulchritudo, Veneris præco, &c.

Theocritus, ὡς ἴδον, ὡς ἐμάνην:

Quod Maro Ecloga 8. ſic eſt æmulatus:

Vt vidi, vt perij, vt me malus abſtulit error.

Ouidius item in Epiſtolis:

Tunc ego te vidi, tunc cœpi ſcire quis eſſes:
Illa fuit mentis prima ruina meæ.
Et vidi, & perij: nec notis ignibus arſi.

Idem 3. Amorum, eleg. 10. (alloquitur amaſiam)

Perq; tuos oculos, magni mihi numinis inſtar;
Perq; tuos oculos, qui rapuere meos.

Amoris vulnera ex oculis.

Ap. lib. 10. Cauſſa omnis & origo præſentis doloris, & medela ipſa, & ſalus vnica, mihi tute ipſe es. Ipſi enim tui oculi per meos oculos ad intima delapſi præcordia, meis medullis acerrimum commouent incendium. Plato amoris vulnera radios eſſe quoſdam ait tenuiſſimos, qui ex intimo cordis expirant, vbi vitalis ſanguis dulciſſimus & calidiſſimus ſedem habet, viaq; ſibi per oculos patefacta, ſubinde per amantis oculos illapſi ad intimum eius cor penetrant. Lucian. dial. ἔρωτες: ἔρως πρῶτον ἔχει βαθμὸν ὄψεως, ἵνα ἴδῃ, κἂν θεάσηται, ποθεῖ προσάγων ἐφάψασθαι: qua ratione Philoſtratus δᾳδούχους amoris oculos fecit: ὦ κακοὶ δᾳδοῦχοι ἔρωτος, πρῶτοι μεθ' ἡμῖν τὸ κάλλος ἐπυρσεύσατε. *O mali faciferi, primi in nobis pulchritudinem accendiſtis.* Itaque probatur ſententia Plotini ἔρωτα deducentis, ἀπὸ τῆς ὁράσεως. lib. 3. De amore. Ex quo illud Propertij:

Cynthia prima ſuis me incautum cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Aſſiduè creſcit ſpectando cura puellæ,
Ipſe alimenta ſibi maxima præbet amor.

Seneca De remedijs fortuitorum: Non intelligis partem innocentiæ eſſe cæcitatem. Hinc oculi adulterium monſtrant, hinc inceſtum, hinc domum, quam concupiſcat, hinc vrbem, & mala omnia. Certè oculi ſũt irritamenta vitiorum, ducesque ſcelerum. Ex Plutarcho refertur illud è Stobæo ἐν λόγῳ κατὰ κάλλους. *Formoſos intueri iucundiſſimum: tangere autem & tractare ſine periculo non licet. Imò, vt Xenophon docet, qui ignem tangunt, vruntur dumtaxat: formoſi verò, quamquam procul diſtēt, incēdunt tamen. Eſt enim viſus, incitandi amoris occaſio.* Græca ita ſonant: τοὺς καλοὺς ὁρᾶν μὲν ἐπιτερπέστατον, ἅψασθαι δὲ καὶ λαβεῖν οὐκ ἀκίνδυνον. μᾶλλον δ' ὥς φησιν ὁ ξενοφῶν, τὸ μὲν πῦρ τοὺς ἁψαμένους καίει μόνον. οἱ δὲ καλοὶ, καὶ τοὺς μακρὰν ἑστῶτας ὑφάπτουσιν. ἡ γὰρ ὄψις λαβὴ τοῦ πάθους ἐστί. Huc pertinent illa Hecubæ ad Menelaum verba ex Euripide Troadibus, quo loco ei ſuadet vt Helenam de medio tollat:

ὁρᾶν δὲ τήνδε, φεῦγε, μή σ' ἕλῃ πόθῳ·
αἱρεῖ γὰρ ὄμματ' ἀνδρῶν, ἐξαιρεῖ πόλεις,
πίμπρησι δ' οἴκους. ὧδ' ἔχει κηλήματα.

Cernere hanc, fuge, ne te trahat ſui deſiderio:
Capit enim oculos virorum, delet ciuitates,
Accendit ædes; ſic enim habet mulcimēta.

Apud Gratianum impudicus oculus eſt impudici cordis indicium, C. nec ſolo. 32. q. 5. Sed huc lubentius integram D. Auguſtini ſententiam ex lib. de fide Chriſtiana confero: Nec ſolo, inquit, affectu & tactu, ſed aſpectu quoque appetitur, & appetit concupiſcentia fœminarum. Nec dicite vos habere animas pudicas, ſi habetis oculos impudicos: impudici cordis eſt nuncius oculus impudicus. Nam & tacente lingua, conſpectu mutuo corda ſe macerant impudica, & ſecundum concupiſcentiam carnis ardore alternatiuo delectantur, etiam intuitus ab inualida voluntate corporis fugit ipſa caſtitas. Eodem ſenſu, ſed breuius, Hieronymus epiſt. ad Furiam, vbi de ſeruanda viduitate: Speculum mentis eſt facies, & taciti oculi fatentur cordis arcana. Hinc etiam eſt illud celebre Polemonis dictum; Oculos eſſe tanquam fores animi. *Oculi fores animi.* Per illos enim animum emicare, indidemque animum introſpici. Quo nonnulli oculum verum cordis nuncium dictitarũt. Sic apud Eccleſiaſt. cap. vlt. hominis facies vocatur platea animæ. Oculos quoq; Cupidini Veneris filio, in quibus excubet, ceu in ſpecula quadam, tribuit Philoſtratus. Et rectè: ſunt enim oculi Veneris illices, & potentiſſimum amoris incitamentum, quorum fulgor & amabilis intuitus quodam quaſi morſu vitalia populatur & morſicatim medullas depaſcitur. Vnde Apuleius

Fatidis

Fatidis ſuæ oculos morſicantes ſcitè appellat lib. 2. quemadmodum Horatius oculos in Damalum putres dixit, hoc eſt, in Damalis amorem ſolutos. Accedit deniq; ad oculorum gratiam, quod vel ſolus illorum in homine quidem beneuolo intuitus, non mediocrem generare videatur ſuauitatem. Sic enim Euripides:

Oculorũ gratia.

Suaue eſt viri beneuoli oculos intueri.

Quos cum oſculamur, ait Plinius lib. 11. cap. 33. animum ipſum videmur attingere. Hinc *oculiſſimum* pro eo, quod eſt chariſſimum, apud Plautum & alios frequenter inuenias.

Verba inflammãt ad amorem.

Verbis.] Et verba certè non minorem vim habent ad pelliciendos animos quàm oculi: imò verò maiorem plerumque.

Candore.] Eloquentia compta ornataq; qua vel pertinaciſſimi, vel etiam maximè refractarij molliri, & in aliam penè formã mutari queunt. Vel candor hic pro pulchritudine vſurpatur, vt apud Propertium in 1.

Candor quid.

Nec Phrygium falſo traxit cãdore maritũ
Auecta externis Hippodamia rotis.

Niſi candorem referre mauis ad illam Sirenem flexanimam, quam noſtri gratiam, animumque purum ac ſimplicem & verè amabilem dicunt, qualis fuit mulieris cuiuſdam Theſſalę gratia, cuius amore ita exarſiſſe Philippum Macedonem aiunt, vt pleriq; ſuſpicarentur eum amatorio quodam philtro eo adactum. Quam ob rem Olympias Philippi vxor tantum operæ po ſuit, vt tandem Theſſalam illam prehenderit: quam cùm diligenter intuita eſſet, eius formam certè bonam, verba omnia naturã ingenuam ſpirantia, præclaram educationem: faceſſant ergo calumniæ, ait Olympias: tu enim in te philtrum habes: non alio faſcino capitur Philippus.

Trahuntur] impelluntur, alliciuntur. Ordo eſt: Viri trahuntur aſpectu, id eſt, Parthenope: verbis, id eſt, Ligia: candore, id eſt, Leucoſia; nã id hæc nomina ſignificant.

Parthenope] Hæc ſunt trium Sirenum nomina, quas Homeri Scholiaſtes natas ait ex Acheloo & Sterope vel Terpſichore. Eas autem ille ſic nominat, Aglaope, Thelxiopeia, Piſinoe. Commentator Apollonij ſic vocat, Thelxiope, Molpe, & Aglaophonos. Alciatus noſter Clearchum imitatus lib. 3. Amator. vnam vocat Parthenopen, alteram Ligiam, tertiam Leucoſiam. Quæ nomina non temerè Sirenibus ſunt impoſita. Parthenope enim dicitur διὰ τὸ ἔχειν ὄπα παρθενικὸν, & reſpondet aſpectui. Ab hac Neapolim, nobiliſſimam Italiæ ciuitatem, Parthenopem dictam putat Strabo lib. 1. Geograph. quod in ijs locis mortua ſit.

Sirenum nomina.

Parthenope vnde dicta.

Ligia] Ligia non à ligando, vt putant nonnulli, neque ab illiciendo; ſed à Græco λιγεῖον, quod canorum ſignificat: aut à λιγέως, acutè, dulciter; quod ad ſermonis & colloquij refertur illicium.

Ligia vnde dicta.

Leucoſia] Leucoſia à λευκὸν, album, ab albedine, quæ in ſui admirationem rapit, mentisq; oculos quaſi faſcino aliquo decipit: ea autem ſignificatur verborum ornatus.

Leucoſia cur ſic dicta.

Has &c.] Duo proponit antidota aduerſus blandarum Sirenum cantum, id eſt, aduerſus voluptatum illecebras, nempe ſtudium literarum & peregrinationem.

Muſæ explumant] Per Muſas intellige literatos, qui cum voluptatibus corporis nihil habent commercij: præcipuum autẽ libidinis antidotum eſt literarum ſtudium & contentio in diſciplinis. Huc placet adijcere fabulam Græcorum ſcholiaſtum poeticam ſatis vulgatam, quam inter cæteros narrant Pauſanias in Bœoticis, Stephanus, & Gregorius Gyraldus. Suaſit aliquãdo Iuno Sirenibus, voce & cantus ſuauitate plus æquo tumeſcentibus, vt Muſas ad canendum prouocarent, & eas vincere niterentur. Muſæ conditionem, vbi aliquãtum concertaſſent, non recuſantes, facili negotio de ijs victoriam retulerunt. Nec verò mirum cuiquam videri debet, ſi tam facilè vicerint. Quis enim ſuauem & natiuum Muſarum modulum cum eo blando quidem, ſed & fallaci captioſo Sirenum cantu comparet? Muſæ igitur plumas Sirenibus auulſerunt, quibus ſibi coronas confecerũt in victoriæ ſignum. Atq; idcirco à re locus Aptera in Creta vocitatus eſt. Vnde Antonius Thyleſius, qui de coronis libellum compoſuit: Sed vbi, inquit, tandem canendi ſuauitas & doctrina Muſis adiudicata eſt, victrices Iouis filiæ Sirenum alas ſtipitus diuellentes, ſe nouo ſerti genere nunquam antea viſo decorauerunt, ne ſolus Maia natus temporibus eſſet aligeris. Spectantur Romæ nouẽ Muſarum ſigna marmorea, affabrè & antiquo artificio facta: ſingulæ pennam habent capillo ſuffixam.

A Muſis Sirenes explumari quid.

Hæc

Hæc ille. Fabula hæc ſub allegoria intelligi poteſt de malis & ineptis poetis, qui bonis infeſti ſunt, & fuere ſemper; ſed demùm à bonis & doctis vincuntur inepti. Mythologi Sirenum vocabulo, ſophiſticen: Muſarũ nomine, ſolidam & expreſſam ſapientiam volunt intelligi: plumæ, ſcripta ſunt ridicula eorum, qui adumbrata, non vera ſapientia ſeſe oſtentant: de quibus docti ſapiẽteſque viri facillimè triumphant. Hoc veterum figmentum Theodoretus De curandis Græcis affectionibus, ſtatim initio lib. 8. attigit, cùm ait ex Pythagoræ ſententia, aut eorum certè, qui eius vitam ſcriptis tradiderunt, eſſe Muſas Sirenibus præferendas.

Peregrinatio confert ad amorem declinãdũ.

Has atq; illudit.] Antidotum eſt alterũ in Amorem, nimirum peregrinatio. Ouid. 10 Metamorph.

Ire libet procul hinc, patriaque relinquere fines,
Dum ſcelus effugiam: retinet malus ardor amantem.

Id verò ſuadet apertius 1. De remedio:

Tu tantũ, quãuis firmis retinebere vinclis,
I procul, & longas carpere perge vias.
Tempora nec numera, nec crebrò reſpice Romam:
Sed fuge, tutus adhuc Parthus ab hoſte fuga eſt.

Idem libro 2.

Manat amor tectus, ſi non ab amante recedas,
Turbaq; in hoc omnes ingenioſa ſumus.
Proximus à tectis ignis defenditur ægrè:
Vtile finitimis abſtinuiſſe locis.
Non facilè eſuriens poſita retinebere mẽſa,
Et multam ſaliens incitat vnda ſitim.

Notum eſt, quemadmodum Vlyſſes ſociorum aures cera illeuerit, ne Sirénum cantus audirent, ſeq; nauis malo iuſſerit alligari, ne, quanquam cuperet, ad Sirenas iret. Erat autem illa Sirenum aſtutia, vt quibus rebus audiendis quiſq; maximè delectaretur, eas præcipuè canerent: vtpote ad captandos ambitioſos & gloriæ cupidos, res eorum geſtas; ad demulcendos libidinoſos, res amatorias canebant: erantq; mirificè omnium præteritorum negotiorũ memores. Sic itaq; canunt apud Homerum Odyſſ. 12.

Sirenum cãtilena.

Δεῦρ' ἄγ' ἰὼν πολύαιν' Ὀδυσεῦ μέγα κῦδος ἀχαιῶν,
νῆα κατάστησον ἵνα νωϊτέρην ὄπ' ἀκούσῃς.
οὐ γάρ πω τίς τῇ δὲ παρήλασε νηῒ μελαίνῃ,
πρίν γ' ἡμέων μελίγηρυν ἀπὸ στομάτων ὄπ' ἀκοῦσαι.
ἀλλ' ὅγε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.
ἴδμεν γάρ τοι πάνθ' ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείῃ
Ἀργεῖοι Τρῶές τε θεῶν ἰότητι μόγησαν.
ἴδμεν δ' ὅσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ.

Huc age flecte ratem Graiorũ gloria Vlyſſes.
Flecte ratẽ celerẽ, noſtras & percipe voces.
Nullus .n. nigram trãſegit nauita puppim,
Quin noſtras voces audiuerit: inde receſſit
Doctior, & cantu mox delectatus eodem.
Scimus enim Graij fuerint quæ Pergama circum
Conſilio ſuperũ, & quæ Troes funera paſſi.
Deniq; cuncta patet nobis mortalia facta.

Cicero 5. de Finib. illud ita vertit:

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlyſſes,
Auribus vt noſtros poſſis cognoſcere cãtus.
Nam nemo hac vnquam eſt tranſuectus cærula curſu,
Quin prius aſtiterit vocũ dulcedine captus,
Poſt varijs auido ſatiatus pectore muſis,
Doctior ad patrias lapſus peruenerit oras.
Nos graue certamẽ belli, cladẽq; tenemus,
Græcia quam Troiæ diuino numine vexit;
Omniaq; è latis rerum veſtigia terris.

Sirenes in mare præcipitatæ.

Cum verò has illarum fallacias feſelliſſet Vlyſſes, fama eſt ipſas Sirenes ſe in mare præcipitaſſe, neq; ámplius poſtea auditas; vt ſignificant illa carmina:

Sanguine Siſyphio generatus magnus Vlyſſes
Hac tutos ſola præſtitit arte ſuos.
Illeuit cera ſociorum callidus aures;
Atq; ſuas vinclis præbuit ipſe manus.
Trãſilijt ſcopulos, et inhoſpita litora claſſis.
Illa præcipites deſiliere freto.

Nec ſolùm Vlyſſes Sirenes deluſit, ſed etiam Orpheus, vti de ſe ipſe teſtatur in Argonauticis, & Apollonius declarat lib. 4. Argonaut. vbi inquit Orpheum cantare aggreſſum, Sirenum omnem vocẽ ſuperaſſe.

Amore nõ capi Muſas.

Scilicet eſt doctis &c.] Epimythion eſt: quò referẽdum videtur lepidiſſimum Platonis tetraſtichon, vt habet Laertius:

Ἁ κύπρις μούσαισι, κοράσια, τὰν ἀφροδίταν
τιμᾶτ', ἢ τὸν ἔρον ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
χαὶ μοῦσαι ποτὶ κύπριν, ἄρει τὰ στωμύλα ταῦτα,

ἡμῖν

ἡμῖν δ' οὐ πέτεται τοῦτο τὸ παιδάριον.
Hæc Venus ad Muſas: Venerem exhorreſcite Nymphæ:
In vos armatus aut Amor inſiliet.
Cui contra Muſa: Verba hæc age dicito Marti:
Aliger huc ad nos non volat ille puer.
Venus Muſis [hæc ait] ò puellulæ, Venerem
Honorate, aut Amorem in vos armabo.
At Muſæ ad Cyprim: Marti ſtulta hęc blateramenta [id eſt, iaciãtur hęc in Martē, qui ſæpe ab Amore correptus eſt]
In nos autē non volat iſte hic puerulus.
Sic Venus ad Muſas: Venerē colitote, puellæ,
Durior aut in vos arma Cupido feret.
At Muſa ad Cyprim: Apta iſthæc ludicra Marti:
Puſio namq; in nos non volat iſte leuis.
Carmen Theocriti eſt ex Eidyllio 9.
οὔτ' ἔαρ ἐξαπίνας γλυκερώτερον, οὔτε μελίσσαις
ἄνθεα, ὅσσον ἐμὶν μῶσαι φίλαι. οὓς γὰρ ὁρῶσαι
γαθεῦσιν, τὼς δ' οὔτι ποτῷ δαλήσατο κίρκα. id eſt:
Neq; ver ſubitum lenius eſt, neq; apibus
Flores [tam dulces] quàm mihi muſa chara [ſunt.] quos enim aſpiciendo
Exhilarant, eos ſua potione non poterit faſcinare Circe.

Idem argumentum tractat Lucianus in Dialogis Deorum: quod eò ſpectat, vt ſignificetur, doctos, & laborioſa ſtudiorum mole preſſos, ſtulto amore non capi; quod accidere ſolet ijs, qui otio ſeſe turpi dedunt, laboremq; honeſtum refugiunt; quod Cicero pro Cœlio pluribus verbis extulit: Sci- *Ciceronis locus.* tote iudices, inquit, eas cupiditates, quę ob ijciuntur Cœlio, atq; hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facilè in eodem homine eſſe poſſe. Fieri enim non poteſt, vt animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid eſt, quod nos facimus in dicendo, non modò agēdo, verùm etiam cogitando poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſam eſſe vllam putatis, cur in tantis præmijs eloquentiæ, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam pauci ſint, ſemperq; fuerint, qui in hoc labore verſentur? Omittendæ ſunt omnes voluptates, relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus; quæ res in hoc genere homines à labore ſtudioq; dicendi deterret, non quò aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis.

IV. *Sirenes quid ſignificent.*

NON me fugit variè à varijs trahi hanc Sirenum fabulam: vt cum Pauſanias in Atticis ait Sophoclem dictum fuiſſe nouam Sirenem. Siren etiam nominatus eſto Bacchylides: εἰώθασι καὶ νῦν ἔτι ποιημάτων καὶ λόγων τὸ ἐπαγωγὸν σειρῆνι εἰκάζειν. Solitus etiam nunc poematum & ſermonū illecebras Sireni conferre. Vnde etiam dictum illud de Catone Grammatico: Cato Grammaticus Latina Siren. Et Apollonius Tyaneus apud Philoſtratum, in Apollinis templo ſuſpenſas etiam aureas Sirenum illecebras memorat, in huiuſmodi ſignificatum. Pleriſq; dicuntur Σειρῆνες, ſed altiore ſenſu, αἱ τῆς ψυχῆς ἐναρμόνιοι καὶ μυστικαὶ δυνάμεις, vt Suidas: & in ſua Repub. Plato, cùm de ſphærarum cœleſtium volubilitate tractaret, ſingulas Sirenas dicit ſingulis orbibus inſidere, ſignificat motu ſphęrarum cantum numinibus exhiberi, nam Siren dea canens Græco intellectu valet. Macrob. 2. Commen. in ſomn. Scipionis Dorio *Sirenes meretrices.* in libro de piſcibus ſcribit (quod etiam Seruius, Palęphatus, & Iſacius in Caſſandram Lycophronis ſentiunt) formoſas quaſdam meretriculas fuiſſe Sirenes in litore habitantes, quæ ſuauitate harmoniæ ad ſe nauigantes allicerent, & illectos tamdiu retinerent, donec ad ſummam inopiam neglecta rerum vtiliū cura redigerentur. Quare dicti ſunt omnes naufragium pati, qui ad Sirenes acceſſiſſent. Alij ſaxa, alij aues eſſe Sirenes dicunt. Nos pro more ad mores trahemus.

1. Itaq; Sirenum cantus nil aliud eſſe quã *Sirenum cantus adulatores.* adulatorum voces mihi perſuadeo, qua peſte nulla neq; ſuauior, neq; ſceleratior principes aut ambitioſos homines inuadit. Illæ in profundiſſimum ſomnum principes inducunt, quia tanquam dormientes eorum pleriq; quid differat amicus ab adulatore non vident, & quoniam ſuauior eſt auribus adulatoris quàm amici oratio, quæ iucundiora ſunt libentius admittunt. At contrà adulatores cognito ingenio magnatum, illos qui iucundiores futuri ſint ſermones excogitant, & num rerum geſtarum gloria, vel congerendis opibus, vel ſcortis, vel alijs huiuſmodi rebus delectentur, earumque ſtudium mirificis laudibus extollunt.

Quæ oratio cum grata ſit auribus, auditorem in perniciem trahit; vbi enim adulationi locus eſt, nullus amicitiæ, nullus ſinceritati, nullus iuſtitiæ patet: quippe cum is, qui plus alijs quàm ſibi ipſi de ſe credat, ad ſuauitatem loquentibus, ad omnem vel ſuam, vel ſuorum ſalutem conniueat, minimèq; diligens in rebus agendis efficiatur oportet.

Sirenes turpes voluptates. 2. Hic ab Alciato Sirenes trahuntur ad turpes voluptates & eorum titillationes: monſtro enim prope ſimilis eſt is, qui non rationi & conſilio, ſed cupiditati paret, cũ altera pars illius homo ſit, altera bellua: Qui ergo huc illuc fertur pro animi impetu, quocunq; libido & cupiditas tulerit, quo pacto is non intra ſe Sirenem habet, vel ipſe potiùs monſtrũ teterrimum efficitur? Syneſius epiſtola quadam ad Herculianũ: *ἐγὼ μὲν οὐ δι' ἄλλο τι τὰς σειρῆνας ὑπὸ τῶν ποιητῶν ἡγοῦμαι βλασφημεῖσθαι, ἢ ὅτι τῷ μελιχρῷ τῆς φωνῆς ἀπώλλυον προσαγόμεναι τὸν πιστεύσαντα. ἤκουσα δὲ τοῦ τῶν σοφῶν καὶ ἀλληγοροῦντος τὸν μῦθον· Σειρῆνας γὰρ αὐτὰς αἰνίττεσθαι τὰς ἀπολαυστικὰς ἡδονάς, αἳ τοὺς εἴξαντας καὶ καταγοητευθέντας αὐτῶν τῷ προσηνεῖ, μετὰ μικρὸν ἀπολλύουσι. τί οὖν ἀποδέουσιν εἶναι Σειρῆνες αἱ τῶν σῶν ἐπιστολῶν ἡδοναί.* *Ego ſanè non aliam ob cauſam exiſtimo Sirenas malè à poetis acceptas, quàm quòd vocis dulcedine adductos perderent. Audiui à quodam ex ſapiẽtibus, qui allegoricè fabulam explicaret, Sirenas obſcurè ſignificare voluptates ſenſum oblectantes, quæ eos perdant, qui ipſarum cantui & blanditijs aurem præbuerunt. Quid igitur impedit quominus tuarum epiſtolarum voluptates ſint Sirenes?* Ad hanc fabulam alludens D. Hieronymus, ait in Epiſtola quadam: Et nos ad patriam feſtinantes, mortiferos Sirenum cantus ſurda debemus aure tranſire. Quò ſpectat illud Socraticum: *δεῖ ὥσπερ σειρῆνας τὰς ἡδονὰς παρελθεῖν τὸν σπεύδοντα τὴν ἀρετὴν ἰδεῖν ὥσπερ πατρίδα.* *Voluptates oportet præterire tamquam Sirenes eum, qui virtutem vt patriam intueri percupit.* Cæterum in Vlyſſe typum ſapientiæ obſerua-

Vlyſſes ſapientis imago. mus, qui & ſuos auocat à turpi voluptatum commercio, & ipſe ſibi eandem legem imponit. Cicero 5. De finibus, paulò aliter enarrat. Sic enim: Mihi quidem Homerus huiuſmodi quiddam vidiſſe videtur in ijs, quæ de Sirenum cantibus finxerit. Neque enim vocum ſuauitate videntur, aut nouitate quadam, & varietate cantandi reuocare eos ſolitæ, qui prætervehebantur: ſed quia multa ſe ſcire profitebantur, vt homines ad earum ſaxa diſcendi cupiditate adhæreſcerent. Mirum ſanè, cur hic Cicero per Sirenum cantus nil ab Homero ſignificari dicat, quàm diſcendi ſtudium, & ſciendi voluptatem: cùm Vlyſſes ne Sirenum cantibus caperetur, ligari ſe uoluerit; quod non feciſſet, niſi inſignem quandã calamitatem & turpitudinem ab eis ſibi ſuis importatum iri cognouiſſet. Horatius quoque Epiſt. 2. de turpi voluptate intellexit:

Sirenum cãtus, & Circes pocula noſti. &c.

Nec mirum eſt (quod obiter dictum volo) figmentum hoc Sirenum adeo Poetis placuiſſe, in quo ipſorum ſtylus non tam laſciuijt, quàm acumen enituit ingenioſæ ſedulitatis, qua hominum mores reuocare conati ſunt à voluptatum aut ineptiarum illecebris, quæ paſſim obuerſantur in hoc vitæ Oceano. Quin etiam ſapiunt, qui monentur eo commento frigida curarum fomenta, nugas laſciuas, ſcurriles ineptias effugere, quin & vitare ſtudiorum omnem fœditatem, in quibus occupantur quidam ſcripturientes vanitatum, qui ſuos amores, ſuas laſciuias, ſuas inſanias cum apparatu nobis oſtentant, quas ſi magni æſtimẽt, id ex priuilegio furentium Poetarum faciunt, ex quibus nemo eſt quin ſe optimũ putet, ait Tullius. Sed id cui non moueat bilem, quod pleriq; viri docti ab ijs nugis non abhorreant, quin iſtas aliquando poſtponunt ſeria ludis? Nos quidem non à poetica vmquam abhorruimus, ſed lenocinia carminum deteſtamur, furta & proditiones amatorias, ſtupra, adulteria, & quicquid omninò mores inficit, tanquam peſtem vitari oportere iudicamus. Iſtud eſt melle litum virus, *Poeta turpiloqui notãtur.*

—— dum carmina lumbum
Intrant, & tremulo ſcalpuntur vbi intima verſu.

Et quid aliud iſta blanda Siren nobis obijcit, quàm perniciem pudoris ac verecundiæ, cùm fictor verſuum nihil aliud penſi habeat, quàm vt cogitet inſidias, atq; aſpera bella pudori? Quare vnus ex Eccleſiæ ſanctis patribus, conſultor bonus, ait: Bonum eſſe homini mulierem non audire, me-

lius non videre, optimum non tangere: auditu illa mouet, viſu accendit, tactu adurit, & corporis animiq; vires depaſcitur.

Siren deſidia. 3. Horatius 2. Sermon. hæc ad deſidiam, & turpiſſimam propè omnium ignauiam torſit, cum ait:

——Vitanda eſt improba Siren
Deſidia.

De Sirenum fabula poſt Platonem quid ſentiat Plutarchus, repete ex Sympoſ. 9. quæſtione 14. Aliò torſit & Xenophon 2. ἀπομνημ. Lege Lucianum Commentario de ſaltatione: & prouerb. *Ceram auribus obdu.* Vide etiam Natal. Comitem Mytholog. lib. 7. cap. 13. Nos Sirenes prætervecti ad ſenem amatorem diuertimus.

Senex puellam amans.

EMBLEMA CXVII.



DVM Sophocles (quamuis affecta ætate) puellam
A queſtu Archippen ad ſua vota trahit,
Allicit & pretio, tulit ægrè inſana iuuentus
Ob Zelum, & tali carmine vtrumque notat:
Noctua vt in tumulis, ſuper vtq; cadauera bubo;
Talis apud Sophoclem noſtra puella ſedet.

COM-

COMMENTARII.

I. SENEX decrepitus venuſtam iuuenculam amplectitur, cuius nudatas papillas laſciuiens contrectat: iuxtà bubo, feralis auis, cadaueri inſidet.

II. *Sophocles amator ſenex.* QVANTVM ex hiſtorijs deprehendi poteſt, Sophocles Venereis rebus multum fuit addictus, & iam grandæuus Theorida meretricem deperijt. Idem iam ſenex admodum Archippen, nobile ſcortum, adamauit, quam etiam hæredem reliquit. Cuius prior amaſius, Smicrines nomine, à quo dam rogatus, quid ageret Archippe? venuſtè reſpondit: *ὥσπερ αἱ γλαῦκες ἐπὶ τάφων κάθηται.* id eſt: *Tanquam noctua in tumulis ſedet.* *Noctua in tumulo.* Refert Athenæus Dipnoſophiſt. lib. 13. cap. 22. Lilius Gregorius in hiſtoria Poetarum, & Stephanus Niger de nimio vitæ luxu. *Sophocles quis.* Fuit autem Sophocles Athenienſis poeta tragicus, de quo Cicero in Catone Maiore: Obijt ex inſperato gaudio, vt refert Valer. Maximus, ob victoriam ex Tragœdia quadam. Hunc idem Cicero 1. Diuinat. diuinum poetam vocat. Idem Sophocles iam ſenio confectus à multis inſaniæ accuſabatur, vt Plutarchus ſcribit in libro, An ſeni adminiſtranda reſpub. Copioſè etiam M. Tullius: Sophocles, inquit, ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit, ſed cum propter ſtudium in re familiari negligentior foret, poſtulatus à filijs eſt, vt ſicuti more Romano patribus malè rem gerentibus interdici bonis ſolet, ſic illum velut deſipientem à re familiari remouerent iudices. Tum ſenex dicitur, eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Oedipodem Coloneum recitaſſe iudicibus, quæſiſſeq; num illud carmen deſipientis videretur? *θαυμαστῶ δὲ τοῦ μέλους φανέντος, προπέμφθη μετὰ κρότου καὶ βοῆς τῶν παρόντων,* vt inquit Plutarchus, id eſt: *Cum id admirandum apparuiſſet, plauſu & clamore aſtantium reductus eſt.* velut cygneum neſcio quid, & ſolito dulcius vicina morte cecinisset. Satyrus verò, vt eſt apud Ariſtophanis interpretem, Sophoclis apologiam huiuſmodi fuiſſe prodit: *εἰ μὲν εἰμὶ Σοφοκλῆς, οὐ παραφρονῶ. εἰ δὲ παραφρονῶ, Σοφοκλῆς οὐκ εἰμί.* *Si Sophocles ſum, non deſipio: Si deſipio, Sophocles non ſum.* Vide Cœlium Rhodig. lib. 21. cap. 20.

III. *QVAMVIS affecta ætate*] Id eſt, decrepita; etſi iam ſenex eſſet, & grauis ſenio, quanquam luxuria, vt Cicer. 1. Offic. tradit, omni ętati eſt turpiſſima, conſtat tamen ſenectuti hanc eſſe fœdiſſimam. *Amor ſenilis turpis.* Proinde Ouidius:

Militat in teneris annis Amor hoſpes amœnus:
Eſt in canicie ridiculoſa Venus.

Nam quoniam ex eiuſdem poetæ ſententia, militiæ ſpecies amor eſt, atq; (vt alibi ludit)

Militat omnis amans, & habet ſua caſtra Cupido.

non immeritò ſenibus, vt emeritis, cauſariã à Cypridos caſtris miſſionem concedit, vel tanquam ſegnes & inertes iubet inde diſcedere: quandoquidem

Turpe Senex miles: turpe ſenilis amor.

Huc pertinet illud Menandri:

γέρων ἐραστὴς, ἐσχάτη κακὴ τύχη.
Senex amator ſummum eſt fortuna malũ.

Puellam] meretricem iuuenculam.

A quæſtu] ab arte meretricia, quia meretrices corpore quæſtum faciunt.

Ad ſua vota trahit,] ad ſe allicit, vocat, vt ſuæ libidini ſatisfiat.

Allicit & precio] Alluſio eſt ad meretricis nomen, quod ductum à merendo, nemo neſcit. Differt ergo meretrix à proſtibulo: eſt enim meretricis verbum paulò honeſtius apud veteres, vt eſt concubina, ſeu *ἑταίρα* Græcè. *Meretrix quæ dicatur.* Iuriſconſulti meretrices eas intelligunt, quæ quæſtus cauſa, vel etiam ſine quæſtu, paſſim, hoc eſt, ſine delectu ſe proſtituunt. l. palam. 43. de ritu nuptiar. Vel, vt Canon loquitur, quarum turpitudo publicè venalis eſt. Can. meretrices. 32. q. 4. & quæ multorum libidini patent. Can. vidua. 34. diſtinct. quod Gloſſa ibi ridiculè interpretatur, quę plures quã 23000. hominum; vel quæ. 40. abſq; tamẽ mercede admiſerit. Abbas in c. cum decorem. Ext. de vit. & honeſt. cleric. etiam quę vel duos tantum, nec plures quæſtus tamẽ cauſa admittit, meretricem eſſe exiſtimat. Cuius tamen ſententia Vlpiani auctoritate, qua ille nititur, diſertè refutatur. d. l. palam. 43. Item ait Vlpianus, quæ cum vno & altero ſe pecunia accepta cõmiſcuit, non videtur palam corpore quæſtum facere. Nos non fugit apud Romanos, quibus & fœminæ vſuariæ permiſſæ, concubinarum vſum fuiſſe, quod liquet ex tit. Digeſtor. *Concubina Romanis admiſſa.*

ſtor de concubinis, & multis antiquitatum monumentis: ſed inſtituto diuinæ legis meretricum turpis omnis vſus.

Tulit ægrè inſana iuuentus] amore ſanæ. Idq; aut quod iuuenes à commercio Archippes auocarentur: aut id referas ad pæderaſtiam, qua notatus eſt Sophocles. Meminit Athenæus lib. 13. cap. 27. & Hieronym. Rhodius in hiſtoricis commentarijs.

Senes zelotypi.

Ob zelum] Zelotypiam, qua laborabat. Habent enim in more poſitum zelotypi ſenes, vt ſeris obdant fores & peſſulis, cathenisq; cuncta diligenter occludant, cum tamen impudica ſeruari non poſſit, pudica non debeat. Cogitent miſeri illi, Iouem per impluuium aureum deſcendiſſe ad Danaen, quam pater incluſerat intra turrim æneam, vallaueratque ſepimento inexpugnabili.

Tali carmine] libello famoſo, vel ſcommate.

Senes cur incurui.

Super vtq; cadauera] Senes morti proximi tumulum expectant, itidem mox cadauer futuri. Vnde illud eſt facetum reſponſum cuiuſdam, qui rogatus, cur ſenes incurui incedant? Quia ſepulchrum ſibi quærunt, reſpondit.

Bubo] Bubo adoleſcens fuit apud inferos, vt fabulantur poetæ, ante dicebatur Aſcalaphus, cuius formam graphicè depingit Ouid. 5. Metamorph.

Bis pueri ſenes.

Senes procul à voluptatibus corporis.

IV. VVLGO apud noſtrates iactatur, vitia quædam eſſe, quæ Deo & Naturæ repugnant, hominibusq; valdè diſplicent: nimirum adoleſcentis ignauiam, inopis ſuperbiam, & ſenis iam capularis libidinem intempeſtiuam. Tum.n. vel maximè δὶς παῖδες οἱ γέροντες, cùm vitijs pluſquam iuuenilibus intempeſtiuè delectantur. Quanto enim quis ætate prouectior eſt, tanto à voluptatũ corporis titillationibus remotior eſſe debet. Cicero in Catone maiore: At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus, credo, ſed ne deſideratio quidem. Bene Sophocles, cùm ex eo quidam iam confecta ætate quæreret, vtereturne rebus Venereis: Dij meliora, inquit: libenter verò iſtinc tamquam à domino agreſti & furioſo profugi. Cupidis enim rerum talium odioſum eſt & moleſtum fortaſſe carere, ſatiatis verò & expletis iucundius eſt carere, quàm frui. Idem retulit Plutarch. Commentario περὶ φιλοπλουτίας, & Valer. Max. lib. 4. Ad id facit lib. 7. Epigrammat. Græcorum inſtitutum Philodemi poetæ iam ſenectute laſſi, qui fatetur ſe quõdam amori dediſſe operam, ſicuti & alios, luſiſſeque cùm per tempus liceret: ſed tandem canicie admonitum, grauioribus curis & ſtudijs incubuiſſe. Modò, inquit, reijciatur amor: canus enim adeſt pro nigro capillus, ætatis iam maturæ nuncius: vbi ludendi tẽpus eſſet, luſimus: cum autem nõ amplius datur, ad meliores curas properemus licet. Hactenus ille. Memineram mimi cuiuſdã veteris: Anus cum ſaltat, morti delicias facit: Nihil enim ridiculum magis, & maiore dignum cachinno, quam ſi ſenex amaſius nugis & laſciuijs ſit obnoxius. Et certè, dum intempeſtiuos ſenum quorundam amores, & affectum libidinis huic ætati planè repugnantem aduertimus, facilè eſt colligere, veriſſimum eſſe, quod ait Plautus Mercatore:

Senum amor vehemens.

——labãt iuuenes, itidẽ rapiuntur ſenes.
Illi ſe amant: quod amant, amatum volunt atq; cognitum.
Illi verò ſi amare ea ætate occeperint, multò inſaniunt acrius.

Tibullus Eleg. 2. lib. 1.

Vidi ego qui iuuenum miſeros luſiſſet amores,
Poſt Veneris vinclu ſubdere colla ſenem;
Et ſibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, charave puellæ
Ancillam medio detinuiſſe foro.
Hunc puer, hunc iuuenis turba circumſteterit arcta,
Deſpuit in molles & ſibi quiſq; ſinus.

Locus eſt elegans apud Plutarch. lib. contra Coloten, vbi docet ſenibus Venerem exercendam non eſſe: Minimè feſellit Epicurum, voluptates corporis, tanquam Eteſias ventos, vbi peruenerint ad ſuum incrementum, expirare: quod in cauſſa eſt vt inquirat, vtrum ſapiens ætate decrepita, qui res Venereas nequeat exercere, contactu formoſarum, & contrectatione adhuc gaudeat: longè aliter ſentiens quam Sophocles, qui libenter iſtinc, vt à domino agreſti & furioſo, ſe profugiſſe dicebat. Sed cum pleraſq; voluptatum iſtarum ſenectute exareſcere videant, cumq;

Cytheræ canos ſit peroſa milites,

multò potiùs debebant homines voluptuarij animi voluptates conquirere, ac velut

cibaria, quæ non putreſcunt, & incorrupta durant. Et ibidem: Obſoleto, intempeſtiuo, turpi remedio fatentur ſe vti, cùm recordatione priſtinarum voluptatum ſe ipſi recreant: & quia non ſuppetunt recentes, quibus vti queant, veteribus illis, id eſt, mortuis & pollinctis, aliàs iam moribundas aut euectas in carne, vt in frigido cinere, mouent aduerſante natura, ventilantq; paulíſper fouendo: quippè qui in animo nullam habeant domeſticam voluptatem, dignam libero, conditam hilaritate. Hæc ille. Vnde callidè & calidè ſatagunt meretrices inueteratæ, & à ſua militia emeritæ, vt quibusuis rationibus ſuum tegant dedecus, ne omnium ludibrio pateant, factę Venereis rebus inutiles. Hinc feſtiuè quandã taxat feſtiuus Poeta Italus, hoc modo:

Sin che la Nicoloſa,
Durò giouane e freſca,
A la fame amoroſa
Fù ſempre publica eſca.
Hor, che per troppa etade
Perduto hà la beltade
Per raſſembrar honeſta,
S'orna di bigia veſta.
Credeui Ouidio hauere
Ciaſcuna metamorfoſi trattata?
Ecco vna vacca in aſina mutata.

Adoleſcẽtiari. Id adiungo, quod ad emblema facit, apud Nonium verbum, *adoleſcentiari*, pro luxuriari, ex Varrone: Tum quidem vt faciat, cenſeo, quoniam tu quoq; adhuc adoleſcẽtiaris. Finitimum illud Horatii:

——ne potum largiùs æquo
Rideat, & pulſet laſciua decentius ætas.

Ait M. Tullius in Cęliana, oratorio more, non ad mentem ſapiẽtum, iuuenibus quaſdam voluptates permittendas. Et Plin. Secundus adoleſcentes putat non dedecere perturbata quædam & nonnunquam confuſa. In ſene turpem omnem luxuriam, & laſciuias: quod & Cato maior dixit apud eum, quem citaui proximè Tullium. A ætatum omnium ſua tempeſtiuitas, ſuiq; mores: adeò nihil ſtultius aut contemptius, quàm ſenem capularem & ſilicernium de amoribus cogitare. Id exemplo vidimus in duobus æui noſtri doctiſſimis viris, Ioanne Aurato, Regio Græcæ linguæ profeſſore; & Iacobo Cuiacio, præclaro Romani iuris interprete, qui iam penè octogenarij, iuuẽculas vxores ſortiti, ea moliti ſunt quæ iuuenes. Sanè Iuuenalis in deſcriptione Senectutis oſtendit ſatis, quàm ſit aliena Venus à ſenibus. Optima ſanè ratione, cum ſeniores infirmæ ætatis dicantur, in l. ciuitatibus. 122. ff. de legat. 1. & canicie graues læſis corpore ęquiparentur, in Authent. de Quæſtore coll. 6. Imò minus viuere præſumuntur quàm ægri. Ioan. Neuizan. in Silu. Nuptiali, lib. 2. n. 4. Vnde non immeritò Plautina illa Bacchis Senecioni cuidã delicias factura, odioſum eſſe dixerit, mortem amplexarier. *Cur ſenes à Venere alieni.* Plautus, illud linguæ Latinæ decus (ſic enim à Gellio lib. 19. cap. 8. vt & homo linguæ atq; elegantiæ in verbis Latinæ princeps appellatur, lib. 7. cap. 17.) non minùs feſtiuiter quàm acriter ab amoris inſania dehortatur ſenes tales Acherunticos, decrepitos, & capulares, qui tametſi capulo ſiue feretro, quo efferri debebant mortui, iam vicini ſint, mulierum tamen, & quidem iuuenculatum conſortium etiamnum affectant. Sic enim ille in Mercatore:

Iam plenus ætatu, animaq; fœtida,
Senex hircoſus: tu oſculere mulierem?
Vtine adueniens vomitũ excutias mulieri?

Inde audiuntur iuſtæ vxorum querelæ, qualis habetur apud Apuleium lib. 5. At ego miſera primùm patre meo ſeniorem maritum ſortita ſum, dein cucurbita caluiorem, & quouis puero pumiliorem. Proinde quæ eiuſmodi ſeni vel impotenti copulata fuerit adoleſcẽtula, & nupta ſimul, & vidua optimo iure dici queat. *Vxor ſimul nupta & vidua.* Id enim idem Plautus innuptas nuptias vocat in Milite glorioſo. Ab eodem quoq; iſtiuſmodi amator ſenex feſtiuè pictæ imagini comparatur in Mercatore:

Si vnquam vidiſti pictum amatorem, hem illic eſt.
Nam meo quidem animo vetulus decrepitus ſenex
Tantidẽ eſt, quaſi ſit ſignũ pictũ in pariete.

Satis nunc ſenes amatores depinximus, agedum colores miſceamus.

In eo-

In colores.

EMBLEMA CXVIII.



INDEX mœſtitiæ eſt pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis cùm damus inferias.
At ſinceri animi, & mentis ſtola candida pura:
Hinc ſindon ſacris linea grata viris.
Nos ſperare docet viridis. Spes dicitur eſſe
In viridi, quoties irrita retrò cadit.
Eſt cupidis flauus color, eſt & amantibus aptus,
Et ſcortis, & queis ſpes ſua certa fuit.
At ruber armatos equites exornet amictus;
Indicet & pueros erubuiſſe pudor.
Cæruleus nautas, & qui cæleſtia vates
Attoniti nimia relligione petunt.
Vilia ſunt giluis natiuaq; vellera burrhis:
Qualia lignipedes ſtragula habere ſolent.

Quem curæ ingentes cruciant, vel Zelus amoris,
Creditur hic fulua non malè veſte tegi.
Quiſquis ſorte ſua contentus, ianthina geſtet;
Fortunæ æquanimis tædia quiq; ferat.
Vt varia eſt natura coloribus in gignendis,
Sic alijs aliud: ſed ſua cuique placent.

COMMENTARII.

I. PINGE aut finge tibi officinam tinctoris, in qua ipſe pannos ſuos ex aheno bulliente extrahat, ſubigat, ſiccet, & quæ ad omnigenam tincturam ſpectant, peragat.

II. *Coloribus exprimũtur affectus animi.* COLORES & eorum differentię nõ minimùm ſolent animos noſtros afficere, ob eamq; rem docti & indocti παθήματα ea, quæ ſunt in animis, paſſim coloribus exprimunt. Horum tamen colorum tot ſignificationes eſſe poſſunt, quot ſunt hominum affectus & opiniones. Quæ quò ad rationem aliquam propiùs accedunt, vel naturam rerum expreſſius declarant, eò pulchriores habentur: vt cùm nigrore vtimur in mortuorum inferijs, albore ad puritatem animi ſignificandam. *Colorum ſignificationes.* At viror, ſpei nota, vt dictum eſt in ſuperioribus: auaris, amãtibus, & id genus alijs, qui ſpem pretio non emunt, flauus haud malè conuenit. Ruber tum militum, tum puerorũ, quos verecũdia maximè decet, ſymbolum eſſe poterit: vt cœruleus nautarum: giluus & burrhus, vilium, & eorum, qui ſunt tenuis fortunæ. Meticuloſis deniq; & zelotypis, quòd animo ſint perturbato, non malè fuluus color tribuitur: iãthinus ijs, qui ſua ſorte contenti viuunt. De quibus in ſequentibus ſingulatim. Plato in Timæo dicit, colorem, ſplendorem eſſe quendam defluentem ſigillatim de corporibus, & talibus quibuſdam partibus, quę ſunt aptę ad oculorum ſenſum. Colorum autem ſunt penè innumerabiles differentiæ, ſed de notioribus, iiſque maximè, quos Alciatus hic attingit, quorum octo differentias explicat 2. Parerg. cap. 1. nobis ſermo erit.

III. *Color niger. Fuſcus.* *INDEX mœſtitia eſt pullus color*] Nigro vel pullo colore in parentalibus vtuntur. Niger color (inquit Alciatus loco citato) in Aethiopibus cernitur; cùm cãdore temperatur, fuſcus eſt; cùm aliquid ruboris illi admiſcetur, pullus dicitur. *Pullus.* Plautus moreum vocat, nos moreũ obſcurum. Hunc obſeruamus eſſe terræ colorem, quæ magna ſui parte pulla eſt: quodque mortuis iniciatur, inſtituto maiorum. Qui iuſta perſoluunt mortuis, induuntur pullis pallijs, terrę nimirum colore: indeq; nominantur pleriſq; atrati, pullati. *Cur pullæ veſtes in funeribus.* Nam pullum ſępenumero cum atro confunditur: ſic enim mors atra dicitur, eò quod cadauer extincto calore vitali, & exhauſtis ſpiritibus atrum relinquitur. *Mors atra cur.* At differt ater à nigro, quoniam omnis ater niger eſt: at non omnis niger ater eſt; ater enim horroris aliquid habet, eſtq; viſu triſtis & iniucundus, proindeque lugentibus peculiaris, at niger non item: eſt enim nonnũquam lepidus & venuſtus. *Ater à nigro differre.* Colorem verò pullum ſignum fuiſſe luctus, vel ex hiſtoria Theſei proditum nobis eſt. *Nigroris ſymbolũ.* Ille enim interfecto Minotauro cùm rediret in patriam, nigroq; velo per imprudentiam vteretur, pater Aegeus hoc ſigno tamquam lugubri & funeſto conſternatus, quippè qui filium extinctum eſſe crederet, ſe in mare præcipitem dedit. Quem colorem mœſtitiæ & doloris notam fuiſſe ſignificat etiã Ouidius exul, ſuæ calamitatis memor, librum ab omni ornatu cultuq; ſemouens:

Infelix habitum temporis huius habe.
Nec te purpureo velent vaccinia ſucco:
Non eſt conueniens luctibus ille color.
Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.
Fortunæ memorem te decet eſſe meæ.

Tumulo cùm damnus inferias.] Cùm mortuos ſepulchro mandamus. *Inferiæ.* Inferiæ ſacrificia fuere, quæ dijs inferis ſolui dicebantur; & Inferias facere, eſt mortuorum animas ſacrificijs placare, vel iuſta defunctis perſoluere. Virg. in 9.

Abſenti ferat inferias, decoretq; ſepulchro.

Idem

Idem 4. Georg.

Inferias Orphei mittit, lucumq; reviſit.

Catullus:

Multas per gentes & multa per æquora vectus,

Aduenio miſeras, frater, ad inferias.

& deinde:

Nunc tamen interea priſco quæ more parentum

Tradita ſunt triſtes munera ad inferias.

Gladiatorū prima inſtitutio. Tradit Seruius, morem fuiſſe in ſepulchris virorum fortium captiuos necari. Quod poſtquam crudele nimium viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui à buſtis buſtuarij dicti ſunt. Eorum ſi fortè copia non fuiſſet, laniantes fœminæ genas ſuas effundebant ſanguinem. De hoc Inferiarum nomine nonnihil Gellius 19. c. 8. Contrà tamen, quod prætermiſſum nolim, Plutarchus libro Quæſtionum Romanarum, quærit, quam ob cauſſam mulieres in luctu veſtibus albis vterentur? *In luctu quo habitu Romana mulieres vſa.* quod factum ab ijs putat exemplo Magorum, qui aduerſus tenebras ipſumq; Plutonem lucida & illuſtri veſte ſeſe obtegunt: vtque defuncti cadauer albo amictu tegitur, ſic putant, æquum eſſe amicos ac familiares veſtiri. At in luctu vilia maximè conuenire putant: quę autem colore aliquo tincta sūt & ſuffuſa, luxum arguunt, & ſuperfluarū rerum apparatum. Cùm itaq; ſolum albū ſincerum ſit, minimè mixtum, purum, & tinctura non imitabili, optimè putant ijs conuenire, qui ſepulturæ committuntur. Proinde & Socrates ſcribit, Argis veſtes albas in vſu eſſe dum lugent, quę eædem ſint aqua elutæ. Sed tamen obſoleniſſe morem idem Plutarchus ſcribit: nimirum deprauata conſuetudine, viros albas veſtes in luctu vſurpaſſe; quod ferè colligimus ex ijs, quæ Paulus Iirlius ait, in tit. de Sepulchris & lugendis: Qui luget, abſtinere debet à conuiuijs, ornamentis, & alba veſte. Conſtat enim ex Varrone, de vita Patrum, vti citatur à Nonio, mulieres in luctu nigrū colorem ſolemnem habuiſſe: Amiculo nigello (inquit ille) capillo demiſſo ſequerentur luctum. alio loco: Funere ipſo pullis pallis amictæ. Idem fuiſſe vſus traditur apud Græcos ex vltimo Iliados Homericę, vbi Tethys futuram filij Achillis necem deflens velo nigro tecta Iouem adit. Apud Euripidem, Iphigenia matrem Clytemneſtram mouet, ne comam laniet ſuam ob mortem: ſuiſq; vt renunciet ſororibus, ne veſtibus nigris corpus eam ob rem contegant. Hieronym. ad Iulianum: Lugubrem veſtē mutaueris: & dedicatio oſſium Martyris candida tibi veſtimenta reddent, vt non ſentires dolores orbitatis tuæ, quàm ciuitas vniuerſa ſentiret. Hæc ille. Quo ex loco facile eſt intelligere, morem etiam fuiſſe apud veteres ſumendæ pullæ veſtis temporibus orbitatis, & ſepulcralium: at cùm feſti dies Martyrum celebrarentur, in gaudii ſignum ſumpſiſſe veſtes candidas & hilares.

At ſinceri animi &c.] Albus in pallorem deſinit: candidus purior eſt, & niuibus ſimilis: ſunt qui quàm maximè candenti igni æqualem ferunt. *Color albus.* Græci φλογόλευκον videntur dixiſſe album colorem, cui neſcio quid flammei admixtum ſit. Alciatus. Albedo, puritatis, fidei, caſtimoniæ, integritatis, & aliarum generis eiuſdem virtutum nota, ideoq; religioni accommoda. *Alboris ſignificationes.* Et color albus, cùm ſit puriſſimus, ideo pro ſincero capitur, cùm transfertur ad animū, cum eo confundunt candidum: inde Candor animi pro ſimplicitate puritateq; non rarò accipitur. *Candor.* Itaq; apud omnes ferè nationes mos inoleuit, vt ad Dei cultum indumentis albis vt plurimùm vtātur. Quo refero illud è Satyr. 2. Perſii:

——— *Negato*

Iupiter hæc illi quamuis te albata rogarit.

Et flamen Ioui ſacra faciens albatus erat, alboq; pileo vtebatur. *Flamē Iouis albatus.* Magi etiam Perſæ putabant Deum non delectari niſi in albis veſtibus. Fuit & Veſtalium ſuffibulum veſtimentum album, prætextum, quadrangulum, oblongum. *Veſtales albatæ.* Cicero 2. de Leg. Color albus præcipuè decorus Deo eſt, cùm in cæteris, tum maximè in textili: tincta verò abſint, niſi à bellicis inſignibus. Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, quærit cauſam, cur Sacerdotes linteis tantum veſtibus vterentur. Id quidem factum ait, quòd immortalibus Diis omnia pura, mundaq; conueniant. Non enim fas eſt (ait Plato) pura Deorum numina contaminatis & impuris rebus coli. Itaq; cùm linum maximè purum fiat, ſitque ad eluendum expeditiſſimum, ſacrificiis, & Deum cultoribus præ cæteris conuenire cenſuerunt. Pierius 40. Hieroglyph. meminit, & alii nonnulli. Reperio & veſtem candidam ſignum fuiſſe lætitiæ, apud Val. Max. lib. 1. cap 1. quo loco *Veſtis alba ſignū lætitiæ.*

ſcribit, poſt Cannenſem cladem, qua maior virorum Romanorum pars abſorpta fuit, decretum fuiſſe ne matronæ vltra trigeſimum diem luctus extenderent, vt ab iis ſacra Cereris peragerentur. Hæ itaq; abſterſis lacrymis, depoſitiſq; doloris inſignibus, candidam veſtem induerunt. Nec prætermittendus Romanorum mos in honorum petitionibus: qui enim magiſtratus ambibant, toga candida induti ſeſe commendabant populo: hoc cultu integritatem, probitatemq; ex colore omnium puriſſimo & ſimpliciſſimo ſignificantes, ſeque pecunia minimè vſos, qua populum corrumperēt: ideo Candidati, à candore veſtis nominati, vel à ſimplicitate, puritateq; animi potius. Itemq; ſerui accepta libertate albis veſtibus vſi memorantur, vti liquet ex Septimio Florente. Deniq; fuit iſte color modeſtiæ ſignum, vt purpura ambitionis, ſublimiſq; animi & elati. Hinc illud Alexandri de Antipatro, quem quidem ob modeſtiam commendabat: Foris albo pallio vtitur, inquit rex, intus autem totus purpureus: notabat ſimulatam hominis ambitioſi, & ſumma appetentis parſimoniam. Candido colori proximus eſt, quem canum nominăt: qui color eſt albi nigriq; particeps, Græcis λευκόφαιος, qualis eſt capillorum & barbæ in ſenibus: vnde canities appellata eſt. Is natiuus color eſt, vt qui non inficitur, ſed ex ipſa ouis lana ita capitur.

Serui manumiſſi albati. Album et purpureũ quid.

Canus color, atque natiuus.

Stola candida] Nomine ſtolę quamcunque veſtem oblongam intelligo. Aliàs ſtola erat muliebris, & demiſſa ad talos vſque. Pura autem Seruius in ſchedis interpretatur, non polluta. Eſtq; pura veſtis, ait, qua feſtis diebus vti conſueuerant ſacrificaturi, vt neq; fauſta ſit, neq; fulgurita, neq; obſita, neq; maculam habeat, vt ait Feſtus Pōpeius. Fragmenta quædam Tulliana ſuperſunt orationis, *In toga candida*. Liuius album veſtimentum dicit.

Stola.

Pura veſtis.

Hinc ſindon ſacris linea grata viris] Poeta lib. 12. Aeneid. teſtis eſt locuples:

——puraq; in veſte ſacerdos
Setigeræ in frōtem ſuis, intonſamq; bidentē
Attulit.

Ouidius 15. Metamorph.

——Cererisq; ſacerdos
Amphycus albenti velatus tempora vitta.

Vopiſcus in Floriano: Senatores omnes ea lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequenter aperirent, albati ſederent, quia antiquitatē ſibi redditam crederent. Acerrimè Vatinius inceſſitur à Tullio, quòd toga pulla accubuiſſet, contra decorum feſti conuiuii. Illud ex te, ait, ſcire cupio, quo conſilio, aut qua mente feceris, vt in epulo Q. Arii, familiaris mei, cum toga pulla accumberes? quem vmquam videris? quem audiueris? quo exemplo, quo more feceris? Dices: ſupplicationes te illas non probaſſe. optimè. Nullus faciebat ſupplicationes. Videſne me nihil de anni illius caſu, nihil de eo, quod tibi cum ſummis viris commune eſſe videatur, ſed de tuis propriis ſceleribus ex te quærere? Nulla ſupplicatio fuerat: cedo, quis vmquam cęnat atratus? ita enim illud epulum eſt funebre, vt munus ſit funeris, epulæ quidem ipſæ dignitatis. Sed omitto epulum, populi Romani feſtum diem, argento, veſte niuea, omni apparatu, ornatuq; viſendo, quis vmquam in luctu domeſtico, quis in funere familiari cęnauit cum toga pulla? cui de balneis exeunti præter te toga pulla vmquam data eſt? cū tot hominum millia accumberent? cùm ipſe epuli dominus Q. Arius albatus eſſet: tu in templum Caſtoris te cum C. Fidulo atrato, cæteriſq; tuis furijs funeſtum intuliſti. Quis tum non ingemuit? quis non doluit Reipub. caſum? quis ſermo alius in illo epulo fuit, niſi hanc tantam, & tam grauem ciuitatem ſubiectam eſſe non modò furori, verum etiam irriſioni tuæ? Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? numquam puer aut adoleſcens inter coquos fueras? Fauſti adoleſcentis nobiliſſimi ex epulo magnificentiſſimo famem illam veterem tuam non expuleras? quàm acerbè atratum videras, dominum cum toga pulla, & eius amicos ante conuiuium? quæ te tanta tenuit amentia, vt tu, niſi id feciſſes, quod fas non fuit, niſi violaſſes templum Caſtoris, nomen epuli, oculos ciuiū, morem veterem, eius qui te inuitarat auctoritatem, parum putares teſtificatum eſſe, ſupplicationes te illas nō putare? Huc uſque orator morem patrium violatum queſtus in Vatinio, non fruſtrà quidem, cùm qui ſapiat, non abhorreat à more patrio. Memini ad hæc Aurelium Victorem in Marco Antonino Philoſopho, dicere: Nuncio accepto de morte principis, confuſam luctu publico Vrbem, ſenatores in curia veſte tetra amictos lacrymas effudiſſe.

Tullij inuectio in Vatiniũ.

Sindon. ſe. Eſt autem ſindon veſtis alba, ſeu amictus è lino Aegyptiaco. Eſt illa purpurea & linea: purpura enim maris vicem præbet: linum verò fluminis, quia cùm vere primùm in oriente flumen inundaſſet, linum natum ait Plinius.

Viridis color. *Nos ſperare docet viridis*] Viridis color, qui ex chryſocolla vel ærugine fit, ad ſatietatem viret. Hic color herbarum eſt, & alis pſittaci, & lapilli, quem ſmaragdum nominant. Huic colori ſimilis eſt praſinus, *Praſina factio.* qui nomen dedit Praſinæ factioni. Spei color eſt viridis (vt diximus Emblemate 44) *Viror ſpei nota.* quod omnia ſpe duce vernet. Etenim cum vireſcunt ſegetes & arbores, ab eis fructū expectamus. Fit tamen ea ſpes interdum irrita, fallax, & nullius omnino frugis. Ouidius:

Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo,

Et Plautus:

Ego ſcio q̃ ſperauerint, ſpē decepiſſe multos.

Irritus. *Quoties irrita retrò cadit*] Ouidius 3. de Ponto, eleg. 4.

Irrita uotorum non ſunt præſagia vatum.

Eodem libro eleg. 7.

Spem iuuat amplecti, quæ non iuuat, irrita ſemper.

Et 4. eiuſdem operis, eleg. 7.

——Fides non irrita.

In 2. Faſtor.

——venit irritus illuc
Romulus. hoc eſt, re infecta.

Idem in 3. eiuſdem:

Si mea nota fides, irrita nulla putes.

Et de Narciſſo eodem libro:

Irrita fallaci quoties dedit oſcula fonti!

Curtius lib. 4. Tam diſcedere irritum, quā morari pudebat.

Flauus color quorū ſit. *Eſt cupidis flauus*] Auaris, amantibus, & iis, qui meretriceas artes ſectantur, nōn malè quadrabit color flauus, qui ex albo, rufo & viridi concretus eſt, qualis eſt color mellis, auri, & ariſtarum maturarum. Colorem flauum alij Venetum, vulgò blauū appellitant, colorem illū quidem à factione Circenſi nobilitatum. *Factio Veneta.* Quidam eundem eſſe ac cœruleum volunt, quem Græci κυάνεον, nonnulli Lazurion vocant: ſed inter hos magnum eſt diſcrimen. Tribuitur autem iſte color auaris, qui ſpem precio non emunt, cum ſint coloris flaui ob inſatiabilem habendi cupiditatem. Hinc reor eſſe, quod in multis Germaniæ locis Hebræi cogantur circulum flauum veſti aſſutum geſtare. Amantibus verò, ob flauedinem & pallorem contractum ex amoris affectu, licet interdum propter conceptam in animo ſpem vireant. Ouidius:

Palleat omnis amans, hic eſt color aptus amanti.

Vel vt Alciatus ait, quod hic color amantium comis tribuatur. Lucanus 10. belli Pharſalici:

——Tam flauos gerit altera crines
Vt nullas Cæſar Rheni ſe dicat in aruis
Tam rutilas vidiſſe comas.

Loquitur de Cleopatræ pediſſequis. Sic Iuuenal. 13. Satyr.

Cærula quis ſtupuit Germani lumina, flauā
Cæſariē, & madido torquentē cornua cirro.

Legi alicubi flauam Achillis comam, caloris & iracundiæ fuiſſe argumentum, quoniam ij ferè ſint ξανθοχόλοι, id eſt, flaua bile laborantes, & ad iram propenſiores, qui crines flauos habent. *Achilles flaua coma, et Menelaus.* Sed tamē flauum fuiſſe Menelaum memorant, virum quidem mitem, proindeq; mollem bellatorem. Familiæ quoq; Flauiæ nomen dedit flauā cæſaries. *Flauia familia.* Scortis deniq; tribuitur, & turpium voluptatum ſectatoribus, qui præſentis opinione boni ducuntur. Meretrices tamen toga pulla à matronis adulterij conuictis, quæ albatæ erant, diſtinguebantur. Cur autem meretrix ſcortum dicatur, diximus alibi.

Color ruber. *At ruber armatos*] Ruber ſeu rufus color multis diſtinguitur notis. Aliquis ex ſandaracha fit, qui ad ſatietatem flammeus eſt, & à ſimilitudine ignis πυῤῥὸς dicitur: Burrhum veteres Latini dixerunt. Alius ex cinnabari concipitur, aliquanto coloratior, Græcè appellatur ἐρυθρὸς. Eſt & oſtrinus color, qui & purpureus, de quo vide Miſcell. Politiani cap. 12. & quę nos ſupra de purpura congeſſimus. Eſt etiam rubens ex animantium ſanguine: eſt & quo lana inficitur coccus: vnde veſtes coccineæ, id eſt, purpureæ. Ruber itaq; color eſt militiæ: *Ruboris nota.* ardorem enim bellicum, cædem & ferocitatem tacitè arguit. Apud Pœnos in caſtris Annibalis rubeam veſtem Ducis tabernaculo protentam, vt alijs purpuram, indicium fuiſſe certaminis proditum eſt, quo viſo miles ad pugnam ſe accingeret. Plutarchus in apophthegm. Laconum: Lacones, inquit, in bellis vtebantur Puniceis tunicis, ſiue, quòd hic color videbatur illis aliquid habere virile: ſiue, quod ſanguinei co-

loris rubor plus terroris incuteret bellorũ imperitis: ſiue, ne protinus conſpicuum eſſet hoſtibus, ſi quis vulnus accepiſſet, ſed vtiliter lateret ob veſtem ſanguini concolorem. Sed Val Maximus ſcribit, Lacedæmonios non vt vulnerum ſuorum in bello cruorem diſſimularent & occultarent, Phęniceis in prælio tunicis vſos, aut ne ipſis terrorem incuteret, ſed ne hoſtibus fiduciæ aliquid afferret. Et Plutarchus auctor eſt, Demadem oratorem olim dixiſſe, Athenienſes de bello nunquam decreuiſſe, niſi pullis veſtibus indutos: eo verbo ſignificabat, eos bellandi cupidiores, nec niſi de clade ſuorum admonitos, pacem cogitare.

Purpureus color, ſymbolum verecundiæ. *Indicet & pueros*] Purpureus color pudoris indicium. Hinc prætexta Romanos pueros admonebat, verecũdiam in dictis factisq; ſeruandam. Notum eſt Catonis illud, cum diceret ſibi magis placere adoleſcentes qui rubeſcerent, quàm qui palleſcerent. Et Diogenes apud Laertium, cùm vidiſſet puerum rubore ſuffuſum: Confide fili, inquit; hic enim virtutis eſt color. Vide Ariſtotelem in lib. de Morib. Claudian. 2. de raptu Proſerpinæ, vbi iuuenculam viro iam maturam deſcribit ab adiuncto pudore:

——niueos infecit purpura vultus
Per liquidas ſuccenſa genas.

Ad hunc modum Virgil. in 12. de Latini vxore, belli dubij euentum reformidante:

Accepit vocem lacrymis Lauinia matris,
Flagrãtes perfuſa genas, cui plurimus ignẽ
Subiecit rubor, & calefacta p ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violauerit oſtro
Si qs ebur, vel miſta rubẽt vbi lilia multa
Alba roſa; tales virgo dabat ore colores.

Cœruleus color. *Cœruleus nautis*] Cœruleus color vel à cœlo, vel à cœrulo auicula, quæ & κυανὸς dicitur. Hic aeris color eſt, itemque maris tranquilli; vnde etiam nautis appropriatus. In oculis color iſte dicitur à Græcis *Glaucus.* glaucus, vnde Pallas γλαυκῶπις, à veteribus, Latinis cæſia, quaſi cœlia, à colore cœli, ait Nigidius. Noſtri colorem cęleſtem dicunt, *Himmelblauw.* non quod cœlum particeps ſit coloris alicuius, ſed quia ita nobis appareat. Proinde ſacerdotes Aegyptij Deum veſte indutum cœrulea, quia præcipua eius in cœlo ſedes, effingebant. *Iſis & Tiphon cœrulei.* Non referam quæ notantur à Plutarcho de colore Iſidis & Tiphonis cœruleo, hæc enim ἀπρεπῆ ἀνόσια. Hunc colorem cœruleum ἁλιπυργὸν, à colore maris, ἀπὸ τῆς ἁλὸς, dici volunt: vt enim cœlum cęruleũ, ſic mare cœruleum dicunt poetæ. Seruius in 8. Aeneid. Cœruleus color maris eſt, à cuius Deo ęquum conſtat eſſe inuentum. Hunc cœruleum colorem, vt mundi colorem laudat obiter polyhiſtor Plutarch. 1. de philoſophorum decretis, cap. 6. Sed vt eſt varia hominum mens, aliuſq; aliorum ſenſus in colorum vſurpandis ſymbolis, reperio Agrigentinos tyrãnide Phalaridis liberatos, publicè conſtituiſſe, vt nulli cęruleo colore veſtitũ geſtare permitteretur, quòd tyranni ſatellites & corporis eius ſtipatores eo colore ſubligaculis fuiſſent vti ſoliti. Cęrulei coloris veſtis nominatur etiam cymatilis, quia nomen ab vndis trahit. *Cymatilis.* Ouidius.

Hic vndas imitatur, habet quoq; nomen ab vndis.

κῦμα enim fluctum ſonat. Apud Plautũ veſtis cymatilis eſt vndulata. Nos camelotum vocamus, corruptè Zambelotum. *Zambelotum.*

Attoniti nimia relligione.] Lucretius lib. 3.

——multoq; in rebus acerbis
Acriùs aduertunt animos ad relligionem.
Quo magis in dubijs homines ſpectare periclis
Scilicet aduerſiſq; in rebus noſcere qui ſint:
Nã veræ voces tum demum pectore ab imo
Eliciuntur, & eripitur perſona, manet res.

At puto hic alludi ad vocabulum δέος, timor, vnde putant Dei Latinum nomen trahi; ex quo illud Petronij:

Primus in orbe Deos fecit timor.

Birrus. *Vilia ſunt giluus*] Tenuis fortunæ homines decent vilia, vt byrrhum ſiue ruſum, giluum ſiue melinum, de quo Gellius lib. 13. cap. vlt. Birrus hic (vt ait Sanctius) non pro colore capitur, ſed pro veſtimento, quo aquas arcemus, cum iter facimus, qui ex colore natiuo fit. Natiuus *Color natiuus qs.* autem color, vt ait Perottus, modò in albedinem, modò in nigredinem tendit. De hoc colore Antonius Thyleſius lib. de coloribus cap. 4. Eſt & color albi nigriq; particeps, à Græcis inde λευκόφαιος, leucophæus, voce iam à noſtris vſurpata, vocatus: genus eſt id coloris natiui, non enim inficitur, ſed ouis ipſa ſic natura quaſi pingitur. Hunc ſibi ſecta ſacerdotum ſumpſit ſanctiſſima, qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingulo veſte ſe vinciunt nodoſa, ac

ſa, ac ligneis tantùm calceamentis vſi, precario victum quæritant. Colorem iſtum Alciatus hic giluum vocat. (Idem etiam in Parerg. birrum vocat, quo interdiu omnes pro tegmine capitis vtuntur) cuius verba ſunt: Subſequitur cineritius, quo Franciſcani paſſim in præſentia induuntur, & nos vulgo bitretinum dicimus, quod viatorij militaresq; birri propter vilitatem hoc colore eſſent. Melinus ex pigmento à Mele inſula ſic dictus, quem Latini & giluum appellant, Seruio autore. Et infra: Eſt igitur giluus color, ſcilicet quadamtenus in rubrũ vergens. Idem quoq; dicitur heluus, ſic nominatus à vini genere, quod colorem habet inter rufum albumque: ruſſum barbari appellant, aut ruſſeum: alij ſaginatum, quaſi ſanguinatum, qui ſit cruentato ſimilis. Eſt ille, qui dicitur impluuiatus, pullo ſimilis, ſic nominatus, quaſi fumato ſtillicidio implutus. Sunt qui volunt ſuaſum eſſe: à ſtillicidio factum fumoſo in albo panno, & is color eſt peculiaris monachis, quos Minimos appellitant, Pariſini *Bones hommes*. Eo fortaſſe ſenſu homines ſæculi aurei deſignati, ob morum vitæq; ſimplicitatẽ, quam ipſi profitentur: veſtis enim natiui coloris minimeque infecti, vitæ innocẽtis, & ab omni alienæ luxu index eſt. Tum autem primum cœpit hominum exudare luxuries, cùm natiuas lanas cœperunt ad cultum tingere.

Cineritius. *Melinus.* *Giluus.* *Heluus.* *Impluuiatus.*

Qualia lignipedes] Hi ſunt reſtigeri quidam monachi, qui ex inſtituto ſeueriore ligneis calceis vtuntur, aut potiùs ſoleis quibuſdam è ſubere vel ligno, Itali vocãt Capuzzinos. Pro veſte pallia cinericia gerunt, eo colore, quo vilia ruſticorum ſaga, qui caminos emundant. Lignipedum meminit Politianus lib. 7. Epiſt. in Prologo Menœch. Plauti:

Lignipedes qui.

Cucullati, lignipedes, cincti funibus, &c.

Sanctius tamen cenſet hic potiùs intelligi claudos, & qui haberent pedes ligneos, vtpote qui precioſa ſtragula non poſſideant.

Stragula] ἡ στρωμνή, τὸ στρῶμα, Gallicè, *couuerture du lit, ou, lodier, houſſe.* Italicè, *coperta.* Et rectè hic quidem ſtragula, nam quidam horridiore cultu fratres, vt Capucini, non tam pallia, quam formam quandam ſtragulorum induunt; at Franciſcani noſtrates, qui initio cultu ſeueriore, nunc tandem cęperunt eſſe nitidiores.

Stragulũ.

Quem cura ingentes] Meticuloſis, zelotypis, & ijs, qui omnino ſunt perturbati, fuluus amictus ex viridi & ruſo permixtus poteſt eſſe peculiaris. Fuluus, eſt color cęli & ſtellarum: qua ratione ſidera fulua dixit Tibullus. Sed hic exiſtimo intelligi maximè rauum colorem, qui obtuſus eſt quodammodo atq; obſcuratus. Gellius cap. 20. lib. 2. ex Frontone docet, fuluum videri de ruſo atque viridi mixtum, & in alijs plus habere ruſi. Vide apud eundem reliqua. Fuluum colorem Virgilius tribuit leoni: haſtæ fraxineæ Ouidius; vt ſatis appareat eſſe, quem à caſtanea tanetum vocamus, niſi quod fuluus clarior, caſtaneus paulò obſcurior eſt. Alciatus.

Fului coloris nota. *Fuluus color.* *Tanetũ.*

Quiuque ſorte ſua] Eſt & oſtrinus color, qui & purpureus, alibi ex conchyliorum ſanie rubens ardensque, alibi violaceus ſeu ianthinus, artificum ingenijs nunc intenſior, nunc preſſior. Ita Alciatus. De huius coloris veſte Martialis in 2. Epigr.

Color violaceus.

Coccina famoſa donas, & ianthina mœchæ.

Significat veſtimenti genus infecti purpura violacea. Quo de colore perdocti Bayfius cap. 3. de re veſtiaria. Iſte itaque color ad eos pertinet, qui ſua contenti ſorte viuunt, vel etiam fortunæ ludibria pro nihilo ducunt: eos enim affectus violæ & roſæ ſignificare poſſunt, ἴα καὶ ἄνθη.

Vt varia eſt natura] Vt varia eſt natura in coloribus, eorumque differentijs multiplicibus efficiendis; ſic varia variorum ex ijs ducuntur ſymbola, vt variæ ſunt hominum opiniones. Verba ſunt ipſius Alciati ex 2. Parerg. cap. 1. Colorum omnes appellationes Latinè expreſſim oſtendere vix quiſquam poſſit; tam enim hac in re varia natura eſt, vt quod in alijs pleriſq; accidit, rerum multitudo vocabula ſuperet.

Sed ſua cuiq; placent] Homerus, ἄλλα παρ' ἄλλοις καλά. Suum enim cuiq; pulchrum, ait Cic. & ſic ſe res habet, te tua delectant, me mea. Virgil.

Suũ cuiq; pulchrũ

Trahit ſua quemq; voluptas.

Elegans illud Eueni Parij:

πολλοῖς ἀντιλέγειν μὲν ἔθος περὶ παντὸς ὁμοίως,
ὀρθῶς δ' ἀντιλέγειν οὐκέτι τοῦτο ἐν ἔθει.
καὶ πρὸς μὲν τούτους ἀρκεῖ λόγος εἷς ὁ παλαιός,
σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστιν, ἐμοὶ δὲ τάδε.

Significat, multis eſſe ſolemne reprehendere, rectè autem id non facere; quin aduerſus

ſus illos poſſe verbum vetus retorqueri: Hæc tibi videntur talia, mihi verò contra. Plinius Secund. ſcitè admodum epiſt. 20. lib. 1. Adieceram quod me docuit vſus magiſter egregius. Frequenter ego iudicaui, frequenter in conſilio fui: aliud alios mouet, ac plerumque paruæ res maximas trahunt: varia ſunt hominum iudicia, variæ voluntates. Inde qui eandem cauſſam ſimul audiuerint, ſæpe diuerſum, interdum idem, ſed & diuerſis animi motibus ſentiunt. Video huc trahi ore populi celebratum adagium: *Quot capita, tot ſenſus.* Cuius etiam meminere noſtri Iuris ſcholiaſtæ, lib. 4. ad ff. SC. Trebellian. Alia enim alijs nationibus honeſta, quæ alijs turpia, & ſic varij quot in orbe colores, tot etiam notiones animi fluxæ ac vagæ peruolitant.

IV. *Varia colorum nomina.*

VT varia eſt natura in coloribus gignẽdis, vt ſunt colores in infinita penè varietate, ſic eorum nomina varia diuerſaq; ſicut ab herbis ſeu floribus, hiacynthinus, violaceus, roſeus, papaueratus, malachinus: à plantis phœniceus, buxeus; praſinus, à virentis porri folio: à locis, Tyrius, Puniceus, Indicus: ab animantibus, vt ceruinus, muſtelinus, olorinus, coracinus: ab aqua, aquilus, neq; albus, neq; niger, ait Feſtus. Cæterum quia nihil abſq; luce poſſumus intueri, varieq; ipſa mutetur lux, non eſt mirũ ſi cum luce varient ipſi colores. Ea de re nonnulla Cœl. Rhodig. antiq lect. lib. 17. c. 7. Poſſem huc exempli gratia conferre ſectarum varias ſpecies, nedum colores varios, hominum ac regionum faciem diſſimilem; ſed id fortaſſe bilem moueret quibuſdam delicatulis, qui domeſticis vitijs, vt naturalibus morbis delectantur, & veluti Balbinum polypus Agnæ, quod ille dixit. Malim ad colores ludorum Circenſium, circa quos imprudens antiquitas inſanijt: erant enim quatuor certantium claſſes, ſuis diſtinctæ coloribus Nam praſinus ſeu virens herbidam verni temporis indicabat læticiam; roſeus æſtiuam flagrantiam; albus palleſcentem autumnum; fuſcus hyemis nubiloſam triſtitiam. Vel ad colores varios cœnobitarum, qui patrum inſtituto non ad alium finem inducti videntur, quàm vt familiarum diſtinctio fieret, confuſio vitaretur. Nihil hic de coloribus caſtrorum, aut militantium, qui neceſſariò varij ſunt, vt hæc varietas ſingulas copias in officio contineat. Has colorum ſignificationes pulcherrimè norunt, & ad ſua vota trahunt iuuenculæ, quæ iuuenibus, datis floſculis aut arte, aut natura factis, callidè animum ſuum erga illos in colore munuſculi oſtendunt: hiſce enim vel fauent, vel ſubſannant, vel queruntur, vel ablegant, vel inuitant, mirum quàm eruditæ in Veneris tyrocinio. Et harum argutiarum ignaram eſſe, piaculum eſt Oceani vndis vix eluendum. Ad id noſtrum de coloribus emblema pertinere video Tertulliani id de ſpectaculis, vbi de coloribus paganicis: Meritò & coloribus idololatriã veſtierunt, & ab initio Deo Soli fecerunt albas & ruſſeas: albas hyemi, ob niues candidas: ruſſeas æſtati, ad Solis ruborem voti erant, ſed poſtea tam voluptate quàm ſuperſtitione prouecta, ruſſeum alij Marti, alii album Zephyris conſecrarunt: praſinum verò Terræ matri, vel verno, venetum colorem mari vel autumno. Cùm autem omnis ſpecies idololatriæ dãnata ſit à Deo, vtiq; etiam illa damnatur, quæ elemẽtis mundialibus profanatur. De coloribus ſcripſit Bayphius, ſcripſit & Antonius Thyleſius, & Gellius lib. 2. cap. 26. & alij.

Puellarũ argutia.

Colores paganici.

Virtuti fortuna comes.

EMBLEMA CXIX.



ANGVIBVS implicitis, geminis caduceus alis
Inter Amaltheæ cornua rectus adeſt.
Pollentes ſic mente viros, fandiq; peritos
Indicat, vt rerum copia multa beat.

COMMENTARII.

I. STAT caduceus Mercurialis ſiue ſceptrum erectum, ſupernè pileo alato tectum, in quo duo ſerpentes, maſculus & fœmina ſunt, qui medio corporum complexu nodum efficiunt Herculanum: ab eo ſupernæ partes ſic ad oſculum, vt flexu circulum efficiant: infernæ ſimili flexu ad caducei capulum reuocantur, qua parte item caudæ coeunt vtriuſq; Vtrinq; copiæ cornu, diuerſis pomis ac herbis onuſtum, erigitur. Aliæ editiones caduceo etiam inferius alas addunt, quod minimè neceſſarium puto, licet non me fugiat id multis placere, inter quos etiam Pierius.

Hoc ipſiſſimum fuiſſe Alciati ſymbolum, refert Paulus Iouius, lepido eo libro, quem ſcripſit lingua ſua vernacula, De notis armorum & amoris. Quod ſchema quàm bellè Alciato conuenerit, facilè poſſunt intelligere, qui eius prudentiam iuris, & eloquentiam, qua cæteris excelluit, vnà ſecum reputant. Id enim ſtudium, eaque facultas effecit, vt magnos honores & honeſtas opes ad vitæ præſidium ſibi comparit. II. *Symbolū Alciati.*

pararit. Idem Iouius me docet, ſymbolum *Mayni.* hoc fuiſſe vſurpatum ante à Iaſone Mayno nobili Iuriſconſulto, quo ſua ſe virtute ac ſtudio, lautam fortunam eſſe conſecutum oſtendebat. Sic enim Iouius in Elogijs: Iaſoni Mayno Mediolanenſi, vti ipſe in gentilitijs inſignibus præſcribere ſolebat, VIRTVTI FORTVNA COMES non defuit. Huiuſmodi quoq; Emblemate vſus eſt & Deſiderius Ligna- *Lignaminei.* mineus Patauinus, ordinis Prædicatorum, cuius meminit Bernardinus Scardeon. lib. 2. claſſ. 6. Hanc præterea imaginem caducei adhuc videre eſt in numiſmatibus antiquis: è quibus, opinor, ſymbolum ſuum *Frobeniorum.* mutuati ſunt Frobenij, typographi Baſileenſes diligentiſſimi, niſi quod addiderunt columbam ſceptro inſidentem, dempto pileo & cornibus. Hunc nodum Mercurio conſecrarunt Ægyptij, innuentes fœdera non oportere vnquam diſſolui, verùm plurimùm valere debere: vnde & Herculano cognomen additum. Quanquam Galli, & haud ſcio an etiam Ægyptij non alium putãt Herculem quàm Mercurium. Hæc ferè in prouerbio, *Caſſioticus nodus*. Iulius Higinus in poetico aſtronomico, cap. de Lyra: Mercurius, inquit, cùm in Arcadiam (vbi olim maximè colebatur) proficiſceretur, & vidiſſet duos dracones inter ſe coniuncto corpore alium alium appetere, vt qui acerrimè inter ſe dimicare viderẽtur, virgulam (quam ab Apolline dono acceperat) inter vtrumq; proiecit. Quo facto, repente prælium diremptum fuit; hinc illam virgam pacis gratia dixit eſſe conſtitutam. Nonnulli etiam cum faciunt caduceos, duos dracones implicatos virgula faciunt, quod initium Mercurio fuerat pacis. Hæc ferè ille. Vide Perottum, & Macrobiũ lib. 1. Saturnal.

III. *VIRTVTI FORTVNA COMES*] Gnome pulchra, non ſemper vera, vt res humanæ fluunt. Ad eam facit locus Plinianus ex panegyrico ad Traianum: Poſſum ire per omnes appellationes tuas, quas olim virtus dedit, quas proximè fortuna cõceſſit, quas adhæc indulgentia diuina meditatur. Hęc *Virtus qd hoc loco.* ille. Sed nomen virtutis non hic accipitur pro eo habitu, quem rectæ rationi conſentaneum philoſophi dicunt, ſed ſpeciatim ſonat τὴν ἀνδρείαν, quæ Italica dialecto dicitur, *il valore*, Gallicè, *la valeur, proueſſe, grandeur de courage*. Alioqui virtutis nomine præclaræ quæq; dotes animi continentur. Vnde Gallis appellatur *homme de valeur & merite*. pietate grauem & meritis, poeta dicit: & hinc ἀνδρεία καὶ μεγαλοψυχία, *la vaillance, la ſuffiſance*. Fortè huc referas Horatianum iſtud è 3. Carmin. 2.

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.

& deinde:

Virtus, recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via.

Et illud Plauti Amphitruone:

Virtute ambire oportet, non fautoribus:
Sat ille habet fautorum, qui virtute habet.

Item Senecæ de ira, cap. 7. lib. 2. Non eſt fortior nequitia virtute. Et Virgil.

Tũ pudor incendit vires & viuida virtus.

Fortunæ ſignificatio. At fortunæ vocabulum aliquando pro incerto rerum euentu: nonnunquam etiam pro felici ſucceſſu & affluentia opum accipi nemo neſcit. Ad primum illud ſignificatum refero varios de fortunæ varietate queſtus; vt ille Horatij:

Fortuna ſæuo læta negotio,
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alijs benigna.

Et Plautinum illud Pſeudolo:

—— profecto hocce erit,
Centum doctum hominum conſilia ſola hæc deuincit dea
Fortuna. atq; hoc verum eſt, perinde vt quiſque fortuna vtitur,
Ita præcellit; atq; exinde ſapere eum omnes dicimus;
Bene vbi quod conſilium diſcimus accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illũ, cui vertit malè.

Illud itẽ Terentij:

O fortuna, o fors fortuna.

Ouid. vlt. Triſt. eleg. 15.

Rara quidem eſt virtus, quam non fortuna gubernet;
Quæ maneat ſtabili, cũ fugit illa, gradu.

Secundo modo fortunæ verbum ſumitur pro felici opum ſucceſſu, vnde dicti viri fortunati, ὄλβιοι εὐδαίμονες: quare & nos fortunas numero plurali dicimus opes, vt apud Horatium:

Quò mihi fortunas, ſi non conceditur vti?

Virgil. 1. ecloga:

Fortunate ſenex, ergo tua rura manebunt.

Et alia eius generis multa paſſim.

Anguibus

Serpentes caduceo implicitι. *Anguibus implicitu*] De ſerpentibus caduceo implicatis hæc eſt Mythographorum narratio. Mercurius in Arcadiam iter faciens, duos inter ſe Dracones acerrimè concertantes offendit, quos interpoſito baculo ſtatim pacauit: qua de cauſa ne poſteri miraculũ ignorarent, Aegyptii virgam duobus interpoſitam draconibus Mercurio conſecrarunt, & Caduceũ nominarunt.

Caduceus Mercurij. *Caduceus*] Virga Mercurii, qua dicitur vſus ad lites & iurgia tollenda, ad ſomnum inducendum, ad euocandas ex inferis animas, vel etiam immittendas. Homerus Odyſſ. ε.

εἵλετο δὲ ῥάβδον, τῇ τ' ἀνδρῶν ὄμματα
θέλγει.
ὧν ἐθέλει, τοὺς δ' αὖτε ϗ ὑπνώοντας ἐ-
γείρει.

Corripuit uirgã, qua mulcet lumina ſõno,
Quorumcunq; velit, ſoluit quoq; lumina
ſomno.

De hac virga etiam Horatius:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaq; leuem coerces
Aurea turbam, ſuperis Deorum
Gratus & imis.

Virgilius 4. Aeneidos imitatus Homerũ:

Tum virgam capit, hac animas ille euocat
Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit,
Dat ſomnos adimitq; & lumina morte reſignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila.

Et Statius in primo Thebaidos:

Summa pedum propere plantaribus illigat
alis,
Obnubitq; comas, et temperat aſtra galero.
Tum dextra virgam inſeruit, qua pellere
dulces
Aut ſuadere iterũ ſomnos; qua nigra ſubire
Tartara, & exangues animare aſſueuerat
vmbras.

Vide adagium, *Munerum corruptela*. Hanc

Caduceatores. Mercurialem virgam Græci *κηρύκειον* appellant, qua legati fecialesq; vtebãtur, proindeq; caduceatores nominati; cuius verbi meminit Martianus, l. 8. de rerum diuiſ. ff. & notat Vlpianus interpres Demoſthenis, ad orationem cõtra Timocratem; quo loci ſtatuit duplices Ceryces, qui ius idem haberent cum fecialibus, eandemque penè poteſtatem, vt belli denunciandi, pacis ineundæ: quos *εἰρηνοδίκας, pacis ſequeſtres* Dionyſ. Halicarnaſſ. interpretatur. Vide Cœl. Rhodig. lib. 21. cap. 16. Sed quæ ſuperſtitioſè de caduceo interpretentur magi, vide apud Pierium lib. 15. Hieroglyphic. & auctorem theſauri linguę Latinę, in verbo, *Caduceus*.

Geminis alis] Ex his verbis fortè alii alas caduceo in parte infima addiderũt; ego alas in Mercurii galero interpretor.

Amalthea hiſtoria. *Amalthea cornua*] Amalthea capræ nomen fuit, cuius lacte Iupiter eſt enutritus, Adraſtes & Idæ Nympharum miniſterio & opera. Cùm verò aliquando capra cornu, quod habebat ampliſſimum, in obiecta fregiſſet arbore, Nympha id ſuſtulit diuerſis pomis ac herbis onuſtum, & ad os ipſius Iouis detulit: cuius beneficii memoriam grandior factus, cornu ſeruatum Nymphæ, cuius erat capra, dono dedit ea virtute imbutum, vt quicquid appeterent, ex eo cornu protinus exiliret. Ouidius de Amalthea ſic canit 5. Faſtorum:

Nais Amalthea, Cretæa nobilis Ida
Dicitur in ſiluis occuluiſſe Iouem.
Huic fuit hœdorum mater formoſa duorũ,
Inter Dictæos conſpicienda greges,
Cornibus aerijs, atq; in ſua terga recuruis,
Vbere quod nutrix poſſet habere Iouis.
Lac dabat illa Deo, ſed fregit in arbore
cornu,
Truncaq; dimidia parte decoris erat.
Suſtulit hoc Nymphe, cinxitq; recentibus
herbis,
Et plenum pomis ad Iouis ora tulit.
Ille, vbi res cœli tenuit, ſolioq; paterno
Sedit, & inuicto nil Ioue maius erat:
Sidera nutricem, nutricis fertile cornu
Fecit, quod dominæ nunc quoq; nomen
habet.

Acheloi cornu. Alii hoc cornu referunt ab Hercule ereptum fuiſſe Acheloo ſeſe in varias figuras commutanti. De hoc cornu lege omnino adagium, *Copia cornu.* & quæ habet Ouidius 9. Metamorph. Strabo 10. libro. Lactant. lib. 1. c. 21. Natal Comes Mytholog. lib. 6. cap. 11.

Caduceus rectus qui. *Rectus*] erectus, ad orationis rectitudinem ſignificandam.

Pollentes ſic mente] Exprimit Græcam locutionem, *νοῦν ἔχοντας*, id eſt, *φρονίμους*. Ordo autem talis eſt: *Sic indicat*, ſcilicet caduceus ſeu virga, *vt copia multa*, id eſt, quemadmodum affluẽtia & fortuna *beet*, id eſt, diuites reddat, *viros pollentes mente*,

idest,

id eſt, ſapientes, *& peritos fandi*, id eſt, eloquentes.

Fandiq; peritos] Ariſtoteles 1. artis dicendi, appellat eos οἱ τῶν δυναμένων. Virgilius 10. Æneid. Nympham Cymodoceam vocat *fandi doctiſſimam*.

Copia multa beet] Beare, eſt prodeſſe, inquit Vlpian. l. 49. ff. de verb. ſignif. naturaliter enim bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc eſt, beatos faciunt.

Hoc Emblemate licet Alciatus & alij nominati pro ſymbolo vſi ſunt, id tamen placet ad quoscunque doctos & ſapientes homines transferre. His ſcilicet ſymbolis, virga Mercuriali, caduceo, duobus inter ſe connexis ſerpentibus, & duplici copiæ cornu ſignificatur, homines ſapientia & eloquentia præditos rerum omnium copiam facilè conſequi. Sed ſignificat eos, qui præditi τῷ λόγῳ ἐνδιαθέτῳ καὶ προφορικῷ. nam multi quidem ſunt docti, at elingues, & quorum domi doctrina ſilet, foras prodire neſcia. At alij verboſi ac locululeij, qui nullum garriendi modum faciunt, & quibus nihil aut parum mentis. Sed quibus vtrumq; datum, felices. Sic laudatur apud Flaccum Iulius Florus lib. 1. epiſt. 3.

——Non tibi paruum
Ingenium, non incultum eſt, nec turpiter hirtum:
Seu linguam cauſis acuis, ſeu ciuica iura
Reſpondere paras, ſeu condis amabile carmen.
Prima feres edera victricis præmia.

Apud Tullium commendatur neſcio quis, cui promptum, paratumq; ingenium, & qui præclaras animi notiones pari linguæ volubilitate ſciret exprimere. Sic apud Plinium 1. epiſt. 22. Ariſto, iuris peritiſſimus compensè ornatur. Nec abs re Socrates exſecrabatur Sophiſtas, qui primi ſapiẽtiam ab eloquentia ſeiunxiſſent, res natura indiuiſas. Qua de re Tullius præfat. 2. libri De inuentione. Memini ab Homero tribui Vlyſſi ciuilem prudentiam, τὴν σύνεσιν πολιτικὴν, & promptam eloquendi facultatem, τὴν ἑρμηνευτικὴν, his omnino verbis:

οἱ δ' ἐνὶ μὲν μορφὴν ἔνεσαν, ἐν δὲ φρένες ἐσθλοί.

Mente valens, iuncta eſt facundis gratia dictis;

Huc ſpectat Ariſtotelicum illud; diuitem, ſi velit, eſſe poſſe, qui ſapientiâ fuerit exculptus. Et hoc ſymbola hæc tacitè indicant. Nam caduceus diſciplinæ, eloquentiæ, ſapientiæ, ſed & felicitatis notam habet, teſte Pierio lib. 15. de ſacris Ægyptiorum literis. Serpentes impliciti ſapientiæ quoque gerunt ſymbolum. Iulianus Imperator epiſtola quadam ad Iamblichum, Mercurij virgam ad eloquentiæ vim doctè retulit: οἷον ἑρμοῦ ῥάβδῳ κινεῖς καὶ διεγείρεις καθεύδοντας. *quaſi virga Mercurij moues atque dormientes expergefacis*. Idem poſt: πρέπει δ' ἑρμοῦ λογίου μαθητὴν, εἰ δὲ βούλει τρόφιμον ὄντα σὲ, ῥάβδον οὐκ ἐν τῷ καθεύδειν ποιεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ κινεῖν καὶ διεγείρειν μᾶλλον ἐθέλειν μιμεῖσθαι. *Æquum eſt te, ſi quis Mercurij eloquentia præſidis diſcipulus, aut ſi mauis alumnus, virgam non ſomni prouocandi gratia tractare, ſed illam imitari ad mouendum & excitandum.* Et quia virga inter duos ſerpentes interiecta eos pacauit, hinc alij caduceum ad pacem referunt. Plinius lib. 29. Natur. hiſt. cap. 3. ſic: Hic tamen complexus anguium & efferatorum concordia, cauſa videtur eſſe, qua re exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdata effigie anguium fecerint. Etenim plerunq; ad pacem componendam legati caduceatores mittuntur. Huc reſpexit Iſidorus: Mercurius inquit, virgã tenet, quæ ſerpentes diuidit: nam bellantes & diſſidentes interpretum oratione ſedantur. Concordiæ etiam ſymbolum eſſe caduceum ſerpentibus implicitum ex antiquis apparet numiſmatibus, ac inter cætera in M. Antonij Triumviri numiſmate quodã, in cuius vna parte, mulieris laurea corona ſub capitis velamine redimitæ caput eſt, cũ his literis, III. VIR. R. P. C. in altera duæ manus iunctæ caduceum hunc tenentes, cum hac inſcriptione, M. ANTON. C. CAESAR. quod proculdubio pro concordiæ, quæ tunc inter Cæſarem, Antoniũ, & Lepidum erat, ſymbolo poſitum fuit. Iamblichus in epiſtola ad Dexippũ: Reuera Deus quiſpiam fuit, qui hominibus Dialecticam oſtendit, & è cœlo demiſit. Vel, vt quidã dicunt, eloquens Mercurius, qui in manibus Dialecticæ ſymbolum geſtat, ſerpentes ſcilicet ſe inuicem reſpicientes. Cornu verò Amaltheæ quamuis Mythologici referant ad regionem antea ſterilem & infœcundam, quam labore & induſtria Hercules feraciſſimam reddiderit: nos tamen hic facultatum & bonorum copiam, & omnium rerum abundantiam interpre-

Caducei ſymbolũ.

Caduceus ſignũ eloquentiæ.

Et pacis.

M. Antonij Triumuiri nummus.

Serpentes Dialecticæ ſymbolum.

Amalthea cornu.

terpretamur, quæ virtutem & liberalem omnem eruditionem conſequi iure debeat. Quod ſignificat huius Emblematis inſcriptio. Apud Stobæum Hippodamus Thurius ciuitatem bonis legibus conſtitutam, cornu Amaltheæ appellat: quandoquidem bona ingenia eius beneficio profectum capiant, tum mores ſtudia, legesq; fiant optimæ, item rationes rectæ & æquę, pietas, ſanctimonia, reuerentia. Enimuero

Quisquis Palladias totis gnauiter ibus artes
Emit, & Aonij pocula ſacra iugi,
Huic nil deeſſe poteſt, hũc pleno copia cornu
Imperat Attalica conditione frui.

Ab hac ſententia non multũ abſceſſit Socrates, qui ſic: Τὸ γὰρ Ἀμαλθείας κέρας ἐξηγύμενος ἔτως. εἶναι γὰρ σύμβολον. ἂν μήτις ᾖ μάλθων, ἀλλ᾽ ἐργάτης, πάνθ᾽ ἔξειν τ᾽ ἀγαθά. κατὰ μὲν τὴν ἀμαλθείαν, τοῦ μὴ μάλθωνος ταττομένε· κατὰ δὲ τὸ κέρας τῦ βοὸς ἐργατικωτάτε ὄντος τὸν ἐργάτην ἐνσημαίνεσθαι. βότρυς δὲ ἐν τῷ κέρατι εἶναι ϗ τὰ ὅμοια, ὅτι ἐν τῇ γεωργία πάντα ἔνεστιν ὧν χρείαν ἔχομεν. διὸ καὶ ἔχοντες αὐτὸ εἰσάγονται, ὅ, τε ἀγαθὸς δαίμων, καὶ ἡ ἀγαθὴ τύχη. Id eſt: *Amalthea cornu ſic interpretabatur, eum quidem ſignificare, qui minimè ſit diſſolutus, ſed operi intentus, genus omne boni conſecuturum: Per cornu vero bouis, quod animal eſt laborioſiſſimum, virum operarium intelligi: Vuas autem & ſimilia in cornu haberi, quia ex agricultura conſequimur quæcumq; neceſſaria ſunt. Itaq; ipſum geſtantes inducuntur bonus genius & bona fortuna.* Hanc Socratis ſententiam dę cornu Amaltheæ obiter volo ita reſtitui: τὸ γὰρ τὸν ἀμαλθείας κέρας ἐξηγύμενος τοις αὐτης τινὸς ἀναφορᾶς ἠξίωσεν. Amaltheæ cornu explicans eo referri volebat, vt eſſet ſymbolum, quo deſignaretur is, qui minime diſſolutus eſſet, ſed intentus operi, genus omne boni conſecuturum. Vocabulum enim Amaltheę, loco *μὴ μάλθωνος*, hoc eſt, *non diſſoluti*, poni; per cornu verò bouis, &c. In Collectaneis ex Philemone de pecunia idem intelligitur:

Quid per Amalthea cornu, ex Stobæo.

Bos animal ad laborem natum.

Τὰ τῆς Ἀμαλθείας δοκεῖς εἶναι κέρας,
οἷον γράφουσιν οἱ γραφεῖν κέρας βοός;
ἀργύριόν ἐστι τῦτ᾽, ἐὰν ἔχῃς, λέγε
πρὸς τῦθ᾽ ἂν βύλῃ, πάντα σοι γενήσεται,
φίλοι, βοηθοὶ, μάρτυρες, συνοικίαι.

Putasne Amalthea cornu huiuſmodi eſſe,
Quales pictores cornu bouinum depingunt?
Argentum eſt: quod ſi habueris, petas
Ab ipſo quicquid voles, omnia tibi addentur.
Amici, auxiliatores, teſtes, domuum multitudo.

Amaltheæ iſtud cornu, præter cæteros, ad felicitatem & fortunæ bona retulit Dio Chryſoſtom. Orat. 1. De fortuna. Huius prętereà epigraphę meminit Cicero in Catone Maiore his verbis: Te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna coniuncta eſt: quæ petita videntur ex Oeconomico Xenophontis. Quò etiam referri poteſt adagium ex Ciceronis epiſtolis familiaribus: Virtute duce, comite fortuna. Vno verbo, viris eloquentibus, litteris & ingenio pollentibus, præcipuè autem virtutem amplexantibus, copię cornu, id eſt, felix & proſpera fortuna, & rerum abundantia facilè adiungitur. Plautus in Amphitr. *Virtus*, inquit, *omnia in ſe habet: omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.* Sed quid ſi illa à fortuna vincatur? audiamus.

Virtute duce, comite fortuna.

Fortuna

Fortuna virtutem ſuperans.

EMBLEMA CXX.



CAESAREO poſtquàm ſuperatus milite, vidit
Ciuili vndantem ſanguine Pharſaliam;
Iam iam ſtricturus moribunda in pectora ferrum,
Audaci hos Brutus protulit ore ſonos:
Infelix virtus, & ſolis prouida verbis,
Fortunam in rebus cur ſequeris dominam?

COMMENTARII.

I. VIR ſtrenuus & militaris ſibi ipſi gladio pectus tranſuerberat, vnde pronus in caſum apparet.

II. INTERFECTO Iulio Cęſare à Bruto & Caſſio, vt libertatem ciuibus ereptam reſtituerent, res tamen non ceſſit vt ſperabant. Siquidem extincto Caſſio in bello ciuili, cùm Brutus vidiſſet ſe ſuperatum iri, quibuſdam de fuga ſuadentibus: Non certè pedibus, inquit, eſt fugiendum, ſed manibus: tandemque arrepto gladio prorſus deſperans ſe ipſum confodit, iuuante Stratone Rhetore. Dion in Auguſto refert, tum verſus hos pronunciaſſe, qui in *Mors Marci Bruti.*

tragœdia

tragędia Herculi tribuuntur: ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως. ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρα ἐδούλευες τύχῃ. hoc eſt: *O miſera virtus, quam tu res eras nugatoria: equidem ſerio in te exercebar, at tu fortuna inſeruiebas*. Vel ſic: *O miſera virtus, ergo nomen inane eras; ego verò te vt rem ſolidam exercui, quamuis interim fortunæ ſeruires*. Significabat tunc quidem temporis plus momēti & virium fortunæ quàm virtuti fuiſſe, viroſq; bonos improborum machinis fractos & extinctos. Alciatus Parergō libro 2. cap. 7. retulit hanc Bruti ſententiam, vſurpauitque in Epitaphio à ſe conſcripto de Pyrrhi Anglebermæi Aurelianenſis Academiæ Iureconſulti (Sanctius Senatorem Mediolanenſem hunc Pyrrhum dicit) morte, his omninò verbis:

Fons Emblematis.

Quis non malignas mortis accuſat vices,
Virtute claros quæ viros præceps rapit,
Viuaciores improbos contis ſinens?
En Pyrrhus ille, tot animi illuſtris bonis,
Latoq; clauo, eſt ante prareptus diem:
Fruſtra putanit eſſe te virtus Deam,
Quæ fortuitis ſeruiebas caſibus.

Longa eſſet hiſtoria, longæ ambages, ſi omnia, quæ ad Brutum pertinent, huc referenda eſſent. Bellum enim Bruti & Caſſii cū Cæſare ſcripſerunt T. Liuius, Plutarchus in vita M. Antonii, & M. Bruti, circa finē, & in vita C. Cæſaris, etiam ad finem, Antonius Sabellicus in 6. Ennead. lib. 8. Appianus lib. 4. de bellis ciuilib. Val. Maximus multis in locis, Suetonius in Auguſto, Lucanus 2. Pharſaliæ. Referam tamen paucula ex Epitome Iulii Flori in Liuium: Cæſar, inquit, & Antonius apud Philippos vario euentu contra Brutum & Caſſium pugnauerunt, ita vt vtriuſq; dextera cornua vicerint, & caſtra quoque vtrinque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inæqualem fortunam partium mors quidem Caſſii fecit: qui cùm in eo cornu fuiſſet, quod pulſum erat, totum exercitum fuſum ratus, mortem ſibi conſciuit. Altero deinde prælio victus M. Brutus, & ipſe finiuit vitam, exorato Stratone fugæ comite, vt ſibi gladium adiiceret. Annorum erat circiter quadraginta. Verba etiam Bruti refert idē Florus lib. 4. hiſt. Roman. cap. 7. in hæc verba: Capta ſunt hinc Cæſaris caſtra, inde Caſſij. Sed quanto efficacior eſt fortuna quam virtus? & quàm verum eſt quod moriens efflauit, Non in re, ſed in verbo tantùm eſſe virtutem. Victoriam illi prælio error dedit. Verba autem ipſius Dionis lib. 47. circa finem hæc ſunt: Ἀπογνοὺς μὲν τὴν σωτηρίαν ἀπαξιώσας δὲ τὴν ἅλωσιν, ἐς τὸν θάνατον καὶ αὐτὸς κατέφυγε. καὶ ἀναβοήσας τοῦτο δὴ τὸ ἡράκλειον. ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρ' ἦσθα ἄλλως. ἐγὼ δέ σε ὡς ἔργον ἤσκουν, σὺ δ' ἄρα ἐδούλευες τύχῃ. Cum igitur Brutus ſibi mortem conſciuiſſet, & fama ad vxorem eius Porciam perlata eſſet, illa poſt maritum ſuperſtes eſſe noluit, ſed hauſtis ardentibus carbonibus mortem accelerauit. De qua Val. Maximus cap. de Amore coniugali, ſic: Tuos caſtiſſimos ignes, Portia, M. Catonis filia, cuncta ſæcula debita admiratione proſequentur: quæ cùm apud Philippos victum & interemptum virum tuum cognoſceres, quia ferrum non dabatur, ardentes ore carbones haurire non dubitaſti, muliebri ſpiritu virilem patris exitum imitata: ſed neſcio an hoc fortius, quod ille vſitato, tu nouo genere mortis abſumpta es. Sic Martialis lib. 1. Epigram. 43.

Florus de bello Bruti et Caſſij.

Mors Bruti.

Portia vxoris Bruti mors.

Coniugis audiſſet fatum cùm Portia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quæreret arma dolor;
Nondū ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe patrē.
Dixit, & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega.

Simile amoris coniugalis exemplum extat apud Plin. Secundum 3. epiſt. 16. de Arria Pæti Thraſeæ vxore. De hac idem Martialis eod. lib. Epigr. 14.

Arria Pæti mors.

Caſta ſuo gladiū cùm traderet Arria Pæto,
Quem dē viſceribus traxerat ipſa ſuis:
Si qua fides, vulnus, quod feci, non dolet, inquit;
Sed quod tu facies, hoc mihi, Pæte, dolet.

At vereor, ne quis nos hic putet nimis diligentes, quare ad alia properandum.

III. *FORTVNA VIRTVTEM SVPERANS*] Mirum quantum pagani veteres fortunæ tanquam numini tribuerint. Ex multis nos paucula. Ouidius ſic Triſt. 5. Eleg. 15.

Fortunæ potentia.

Rara quidem eſt virtus, quam non fortuna gubernet,
Quæ maneat ſtabili, cùm fugit illa, pede.

& Horatius:

Fortuna ſæuo læta negotio
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alijs benigna.

 Plautus

Plautus Pſeudolo:

——profectò hocce erit,
Centum doctum hominum cõſilia ſola hæc deuincit dea
Fortuna. atq; hoc verum eſt, perinde vt quiſque fortuna vtitur,
Ita præcellit, atq; ſapere eũ omnes dictitãt:
Bene vbi quid conſilium dicimus accidiſſe, hominem catum
Eum eſſe declaramus: ſtultum autem illũ, cui vertit malè.

Sed & Salluſt. in Catilina: Fortuna in omni re dominatur; ait. Fortunam deniq; dominam eſſe rerum, dicit Cicero lib. 5. Tuſcul. quæſt. & in Orat. pro M. Marcello. De fortuna eleganter Plinius lib. 2. c. 7. nec minus venuſtè Virgilius in epigram. De Fortuna.

Cæſareo milite] Cæſaris Octauij & M. Antonij copijs.

Ciuili vndantem ſanguine Pharſaliã] cruore ciuium redundantem Pharſaliam. Minos verſiculum hunc leui aliqua mutatione corrigit:

Ciuili vndantem ſanguine fractus humũ.

niſi quis ita malit:

Ciuilis plenam ſanguinis Æmathiam.

Nam vox, *Pharſaliam*, non bene quadrat ad hunc numerum, vt cuius antepenultimam ſemper productam reperias, apud Lucanum maximè. Sic enim ille lib. 1. de bello ciuili:

——Hac mercede tuos Pharſalia campos Impleat.

& libro 6.

Quæ bigą deuexus Pharſalia porrigit Æmus.

Item in 7.

Spectari è toto potuit Pharſalia mundo.

& paſſim in ſequentibus. Catullus tamen in eodem verſu variauit:

Pharſaliam coeunt, Pharſalia tecta frequentant.

Pharſalia. Eſt autem Pharſalia campus Theſſaliæ, in quo bellorum ciuilium procellæ detonuerunt. Lucanus Pharſaliam, Theſſaliam, Aæmathiam, Aemoniam, Macedoniam, Philippos, pro eodem numerat.

Iamiam ſtricturus] morti proximus, ſibi violentas manus proximè allaturus.

Audaci ore] voce hominis deſperantis.

Mortem ſibi afferre, timidi eſſe animi. Mortem ſibi conſciſcere glorioſum & magni animi factum multi putauerunt, præcipuè ex Romanis, quod non probat Ariſtoteles in Ethicis lib. 3. his verbis: τὸ ἀποθνήσκειν φεύγοντα πενίαν, ἢ ἔρωτα, ἤ τι λυπηρὸν, ὐκ ἀνδρείυ, ἀλλὰ μᾶλλον δειλῦ. μαλακία γὰρ τὸ φεύγειν τὰ ἐπίπονα, καὶ ὐχ ὅτι καλὸν ὑπομένῃ, ἀλλὰ φεύγων κακόν. id eſt: *Mortem ſibi conſciſcere fugientem vel inopiam, vel amorem, vel aliquam moleſtiam, fortis animi magniq; non eſt, ſed anguſti potius & timidi. Mollities enim eſt fugere ardua, & non quod expectet bonum, ſed quod fugiat malum.* D. Auguſtinus quoq; Catonis factũ tribuit potius ignauiæ, quam fortitudini. Et Chryſoſtomus deſperationis radicem, ignauiam dicit.

Infelix virtus. &c.] ὦ τλῆμον ἀρετή. verba ſunt Bruti, apud Plutarchum, Dionem, Zonaram. Manilius:

Quinetiam infelix virtus, & noxia felix.

Quo ſenſu dicitur à Septimio Florente libro aduerſus Valentinianos, deſultrix virtus; id eſt, inſtabilis & motoria: Tantùm quod deſultricem & defectricem illam virtutem non vult. Ita Seneca Hercule Oeteo: *Virtus deſultrix.*

Sine hoſte vincor, quodq; me torquet magis
(O miſera virtus) ſummus Alcidæ dies.

Solis prouida verbis.] In hoc ſequebatur quorundam dogma, qui aſſerebant, Virtutem nihil aliud eſſe quàm verba & voces. cuius meminit etiam Plutarchus Commẽ. De ſuperſtitione, vbi hoc, quod antè aſſcripſi ferè, citat ex Poeta quopiam: ὦ τλῆμον ἀρετὴ, λόγος ἄρα ἦσθα, ἐγὼ δ' ὥς ἔργον σε ἤσκουν, ἀφεὶς τὴν πλυτοποιὸν ἀδικίαν καὶ τὴν γόνιμον ἁπάσης ἡδονῆς ἀκολασίαν. Idem ſcriptum reperitur (cur enim non repetatur, quod ſeſe vltrò offert?) in Epitome hiſtoriæ Romanæ quæ L. Flori nomine circumfertur: Quanto eſt, inquit, efficacior fortuna quàm virtus? quàm verum eſt, quod moriens efflauit, Non in re, ſed in verbo tantùm eſſe virtutem? Hæc lib. 4. Cæterùm ad eorum opinionem, qui putarunt virtutem nihil aliud eſſe quam verba, Horatius videtur alluſiſſe in epiſtolis, cùm ait: *Virtutem in verbis ſolùm eſſe quidam putarunt.*

——Virtutem verba putas, vt
Lucum ligna.

IV. Fortunæ vis.

MIRA eſt fortunę vis & potentia, quę vel ipſam virtutem vincit & proſternit ſæpius, quod Seneca his verbis oſtendit: Iniqua raró maximis virtutibus fortuna parcit. Idem ſentit Q. Curtius lib. 8. cum ait: Quis neget eximiam quoque gloriam ſæpius.

pius fortunę quam virtutis eſſe beneficiũ? Fortuna rebus famam pretiumq; conſtituit, & militiæ probrum plerunq; venit in gloriam. Cumq; ea in omnibus rebus, tũ verò maximè in re militari plurimum poteſt. De fortunæ ſæuitia, perfidia & inconſtantia pulchrè Virgilius in epigrammate De Fortuna. Vaga, (ait Plinius) incõſtans, incerta, varia, indignorumq; fautrix: Huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola vtrãque paginam facit. Huc non malè quadrant Menandri ſenarij:

παύσασθε νοῦν ἔχοντες. οὐδὲν γὰρ πλέον
ἀνθρώπινος νοῦς ἐστιν, ἀλλ᾽ ὁ τῆς τύχης. &c.
—— ἡ πρόνοια δ᾽ ἡ θνητὴ, καπνὸς.
καὶ φλήναφος. πείσθητε, κ᾽ οὐ μέμψεσθέ με.
ἅπανθ᾽ ὅσα νοοῦμεν, λέγομεν, ἢ πράττομεν,
τύχη ἐστὶν, ἡμεῖς δ᾽ ἐσμὲν ἐπιγεγραμμένοι.

Deſinite mẽtem habere: nam nil amplius
Humana mens eſt, tota fortuna manet.
Mortalis autem fumus eſt prudentia
Nugaq; non vos pœnitebit, credite.
Quacunq; ſentimus, agimus, vel dicimus,
Fortuna cũ det, nos quidẽ inſcripti ſumus.

Veterũ delirium. Hinc perſuaſum veteribus paganis fuit, virtutem cogi ſeruire fortunæ; quo mero delirio plures Romani, ijq; viri graues laborarunt, ac ne id contingeret, ſibi ipſis potiùs violentas attulerunt manus, vt ex Seneca, Plinio Secundo, Plutarcho, & alijs videre eſt. At fuit hæc Bruti, id eſt, hominis pagani, nec verè Philoſophi, imò verò deſperantis, & priſcorum tenebrionum opinio, qui quantum in eo errarint, colligere eſt facillimum ex ſcriptis Platonicorum & aliorum, quorum fuit iudicium acrius, & auctoritas maior. Certè non multum ei poteſt obeſſe fortuna, qui ſibi firmius in virtute quàm in fortuna præſidium collocauit. *Virtutis vis.* Virtus enim omnia, quæ in hominem cadere poſſunt, ſubtus ſe habet, eaq; deſpiciens caſus contemnit humanos, culpaque omni carens, præter ſeipſam nihil cenſet ad ſe pertinere, vt rectè docet Cicero Tuſcul. 5. & Lactant. lib. 3. De falſa ſapientia, cap. 28. *Fortis nõ eſt, qui ſe necat.* Neq; verò cenſendus eſt fortis, & magno præditus animo, qui vt aliquod damnum, aut alioqui aſperam vitæ calamitatẽ effugiat, vitæ ſibi vſuram adimit: quod in Cleomene Plutarchus exaggerat. Cùm enim poſt miſeram acceptam cladem in bello contra Antigonum, Cleomenes rebus omnibus deſperatis admoneretur à Thery clone, vt ſe interficeret: *Cleomenis verba grauiſſima.* Generoſum verò putas eſſe, inquit, magniq; animi facinus, ſibi vitam adimere: quo vno nihil facilius aut promptum magis eſſe poteſt? Id verò ignaui hominis & inconſulti maximum argumentum eſt. Quis enim eum, qui ſimile quidpiam in ſe receperit, non à ſua ipſius ignauia victum eſſe confitebitur? Minimè eſt oppetenda mors, vt honeſtas actiones detrectemus, imò diligenter prouidendum, vt ipſa mors in ſe generoſi quidpiam & honeſti habeat: quia cum probro non minimo coniunctum ſit, aut viuere aut mori ſui cauſſa velle. Quod ſi aliquando cogitandum eſſe videatur (quod nunquam tamen permiſſum fuit inſtituto Chriſtiano) id fortaſſe permittitur, cùm nulla ſpes ſuperſit amplius defendendæ patriæ. Rectè ille quidem, ſed verius Poeta:

Rebus in incertis facile eſt contẽnere vitã:
Fortiùs ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Huc Martialis in primo ad Decianum quendam:

Nolo virum facili redimit qui ſanguine famam:
Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Idem ſic lepidè perſtrinxit Fannium:

Hoſtes cùm fugeret, ſe Fannius ipſe peremit;
Dic mihi, non furor eſt, ne moriare, mori?

Locus apud Gratianum eſt elegans 25. q. 5. ex ſcriptis Auguſtini in Ionam: *Nemini licet ſibi vitam eripere.* Non eſt noſtrum, ait, mortem arripere, ſed illam ab alijs libenter accipere; vnde in perſecutionibus mihi non licet propria perire manu, abſq; eo vbi caſtitas percellatur, ſed percutienti colla ſubmittere. Idem Auguſtinus contra Petilianum: Non veneramur nomine Martyrum eos, qui collum ligauerunt. Huc videntur attinere hi mimi veteres:

Heu, quàm eſt timendus, qui mori tutum putat.
Crimen relinquit vita, qui mortẽ appetit.
Mori eſt neceſſe, ſed non quoties volueris.

Alterum lædere ius prohibet, ſic neq; ſeipſum permittitur. Ita D. Auguſtin. Innocentia vera eſt, quæ nec ſibi, nec alteri nocet, quoniam qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: & nemo non prius in ſe, quàm in alterum peccat. Bene D. Paulus ad Epheſ. 6. *Carnem ſuam nemo vnquam odio habuit.* Referre poſſis huc quod Sene-

ca conſolatione ad Polybium, cap. 3. Et quamuis video mortis ſpontaneæ conſiliũ probari apud Plinium Secundum lib. 1. epiſt. 2. tamen ab eo viri ſapientes ſemper abhorruerunt à ſeoq; Romani iuris auctores. Scilicet alteri non parceret, qui ſibi ipſi non pepercit. l. 3. §. ſic autem, in fin. ff. de bon. eor. qui ante ſentent. Sic enim Marcian. Qui ſibi non pepercit, multò minus alij parceret. l. omne delictum; §. qui vulnerauit, ff. de re milit. l. cum autem, §. cũ excipitur, ff. de ædilit. edict. Malus ſeruus creditus eſt, qui aliquid faciat, quò magis ſe rebus humanis extrahat, puta ſi laqueũ torſit. ſi pro medicamento venenum bibit, præcipitévè ſe ex alto miſit, aliudvè quid fecit, quo facto ſperauit mortem præuenturum, tanquam nihil non in alium auſurus qui hæc aduerſus ſe auſus eſſet. Quinimò apud Athenienſes moris fuit, ſi quis mortem ſibi admouiſſet, manum, quæ hoc peregiſſet, abſcindere, ac ſeiunctim à corpore humo contegere. Veſania vetus de ſe ipſis tam prauè ac nequiter iudicãtium nuſquam plus habere debuit, quàm ſapientum iudicium. Ex multis profero vnum inculpatum. Solon cùm Athenas Piſiſtratus occupaſſet, videretque conatum ſuum omnem fruſtrà eſſe pro libertate, arma & ſcutum ante fores curiæ ponens: ò patria, inquit, tibi & dictis & factis opitulatus ſum, atque ita domum abijt, in poſterum quieturus. Mihi meritò videtur graue illud Velleij Paterculi lib. 1. vbi de Cæſare: Ineluctabilis fortunæ vis, cuius fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit. Itẽ que: Quippe ita res habet, vt plerumque qui fortunam mutaturus eſt Deus, conſilia corrumpat, efficiatq; quod eſt miſerrimum, vt quod accidit, etiam meritò accidiſſe videatur. Hæc Paterculus. Idem iudicium M. Tullij in Ligariana defenſione: Mihi quidem, ait, ſi proprium & verum nomen noſtri mali quæritur, fatalis quędam calamitas incidiſſe videtur, & improuidas hominum mentes occupaſſe, vt nemo mirari debeat humana conſilia diuina neceſſitate eſſe ſuperata. Loquitur de victis Pompeianis, victore Cæſare. Cæſar in 7. de bello Gallico: Animi eſt iſta mollities, inquit, nõ virtus, inopiam paulisper ferre non poſſe: qui ſe morti vltrò offerant, faciliùs repeniuntur, quàm qui dolorem patienter ferant. Idem penè Curtius lib. 5. de Alexandri geſtis: Fortium virorum magis eſt mortem contemnere, quàm odiſſe vitam: ſæpe tædio laboris ad vilitatem ſui compelluntur ignaui. At in primis audiẽda vox Herodiani 6 χρὴ δ' ἄνδρας γενναίους τε καὶ σώφρονας εὔχεσθαι μὲν ὑπάρχειν τὰ βέλτιστα. φέρειν τε τὰ προσπίπτοντα: *Viros generoſos atq; ſapientes decet optima quidem optare, ſed ferre quæcunque incidant.* Laudata non temerè ſapientibus & cõſultis hominibus M. Tullij ſententia, qui cùm videret fractas omninò & extra ſpem poſitas eſſe Pompeianorum copias, cum Cæſare & Craſſo ſentire maluit, quàm iis, quos vincere ſe minimè poſſe ſperabat, obſiſtere, aut etiam verbis moleſtus eſſe. Nam neq; pugnandum ſibi arbitrabatur eſſe tutum aut facile contra tantas opes, neque permanendum in eadem ſententia, conuerſis rebus, ac bonorum voluntatibus immutatis, ſed temporibus aſſentiendum. Nunquam enim, vt ait ille, præſtantibus in gubernanda Repub. viris laudata eſt in vna ſententia perpetua permanſio: ſed vt in nauigando tempeſtati obſequi, artis eſt, etiã ſi portum tenere nequeas: cùm verò id poſſis, mutata velificatione aſſequi, ſtultum eſt eum tenere cum periculo curſum, quẽ cœperis, potiùs quàm eo commutato, quo velis tandem peruenire: ſic in adminiſtranda Republ. prudentibus viris propoſitum debet eſſe OTIVM CVM DIGNITATE: & non idem ſemper dicere: ſed idem ſemper ſpectare. Quæ laus Catonis fuit, qui cùm eſſet eo ingenio, iiſque moribus, vt ſeipſum mutare, & (vt Salluſtij verbo vtar) naturam verſare minimè poſſet, non modò ſuæ Reipub. nihil profuit, ſed etiam valdè obfuit? Eum quidem hominem cordatum, & fortem, & temperatum facilè patior fuiſſe, at non tam prouidum, neque tam circumſpectum video in iis, quibus erat in primis ea ætate, eoque tempore prouidendum. Vtq; Solis curſus non recto per cœlum meatu fertur, ſed obliquo, leni, atq; moderato, tamen orbis vniuerſi machinam æquabili temperie calefacit: Ita Principes & magiſtratus ſeſe populi nonnunquam ſtudiis, vt ita dicam, obliquis accommodare debent, vt meliùs ſit iis conſultum, quos regi par eſt non ſummo iure, ſed æquitatis vario eoq; mutabili præſcripto. In quo Cicero, quanquam in cæteris vitæ partibus oculatus, infoeliciter

Iuriſconſulti mortem ſpontaneã prohibent.

Solonis ſapiens factum.

Ciceronis diſſimulatio poſt ciuile bellũ Põpeianũ laudatur.

Catonis pertinax animus improbatur.

lapſus

Infelix contentio M. Tullij in Antonium.

lapſus eſt ea, quam in M. Antonium inſtituit miſera contentione. Nam quamquam non inuitus fatear, illius cauſæ, quam pro libertate ſuſcipiebat, optimam conditionem fuiſſe, non poſſum tamen quin vna cũ Poeta dicam;

Heu nihil inuitis fas quemquam credere Diuis!

Putabat enim ſe Antonium tam facilè, & eo iure, poſſe de medio tollere, aut certè in ordinem cogere, vt quondam Catilinam, Verrem, & alios facinoroſos. Non videbat, inquam, ſe verſari in Romulidum fæce, & cùm alia vrbs eſſet, aliam eſſe vitam debere, vt non mirum videri debeat, ſi ei fato iniquiſſimo pereundum fuerit. Sed iam ſatis: ad alia nobis properãdum. In eam Bruti mortem ſpontaneam diſputat Seneca De beneficijs 2.c.20. & vndecimo Epiſtolarum ad Lucilium, 83. epiſt. Porrò in eos, qui ſibi ipſis violentas manus afferunt, longè plura peti poſſunt ex refertiſſimo tum ſapientum, tum Hiſtoriæ ſcriptorum penu. Sed prætermiſſis alijs ferè omnibus ſuccurrit nobilis apud Hegeſippum diſputatio, quo loco Iudæi obſidione preſſi à Tito Veſpaſiano, extra omnem ſpem coniecti mucrones iamiam in ſe parant, aliosq́; ad ſimile adhortantur facinus. A qua ſententia eos conatur reuocare Ioſephus, multis ijſq; validis rationibus. Quis enim, ait, animam ſuam nolit ex ipſo mortis corpore, ſi liceat, exſolui? At ſoluere non licet, niſi ei, qui ligauerit. Iuncta eſt anima corpori, naturæ quodam quaſi vinculo. Quis naturæ auctor, niſi præpotẽs Deus? Ecquis hoc animæ & corporis contuberniũ à Deo informatũ intercidere aut diſſociare audeat? Si quis ſeruus manibus ſuis impoſita vincula, ita volente & iubente domino, non exſpectato eius arbitrio detraxerit, is damnabitur, vt qui dominum iniuria certè graui affecerit. Nos verò Dei poſſeſſio ſumus, ipſiq́; ſeruitium debemus: itaq; vt ſerui, exſpectemus imperia: vt vincti, nos in vinculis contineamus: vt fideles, depoſitum fide omni & religione aſſeruemus. Non eſt recuſandum vitæ iſtius munus, quod à Deo nobis eſt permiſſum ac conceſſum, nec refugiendum iſtud profectò cœleſte ac diuinum naturæ donum. Species eſt contumeliæ, ſi quis aſpernetur ac reijciat, quod ab homine vel offertur, vel dono datur: quanta cura ſeruare debemus, quod à Deo gratis accipimus? Eius enim munere ac dono viuimus & ſpiramus: ipſius ergo debet eſſe vt ſimus, quamdiu volet: ſiquidem vtrumque ad ingratum hominem pertinet, & citius vita cedere quam volet, & diutius velle vitam producere, quàm volet, qui vitæ auctor eſt. Optarunt permulti viri pij ex hoc corpore quaſi è quodam carcere & vinculis excedere: nullus tamen ex ijs vmquam fuit, qui ſibi necem inferret. Quod ſi quid eſt in morte lucri, furti eſt inſtar præripere, quod exſpectatur. Si viuere bonum eſt, ſacrilegium eſt vitam amittere antequã repoſcatur. Si glorioſum eſt in bello, multò glorioſius eſt pro patria mortem oppetere. Malo hoſtium latrocinio perire, quàm meo: latrocinium meum eſt, ſi mihi manus intulero violentas; ſi hoſtes, beneficium erit: vtq; hanc mihi necem facilius perſuadeatis, miniſtras veſtras manus pollicemini. Sed neq; meo ipſius, neq; veſtro ſcelere perire volo. Nonnulli ex vobis aſſerunt, ſuaue eſſe pro libertate viuere. Timidus eſt, & qui mori detrectat cùm oportet, & qui mori cupit, cùm non oporteat. Nam quis neſcit eſſe muliebre, ne moriare mori velle? Conſtat enim aliquando vſuueniſſe, vt perculſæ metu mulieres, cùm ſibi aliquod imminere periculum præſentiſcerẽt, ſeſe de edito loco dediſſe præcipites. Reuera qui ſunt animi anguſti & puſilli, quidquid timendum putant, horrent, ipſumq; mortis metum perferre non poſſunt. At vir fortis, qui non metuit ea, quæ inſtant, quæq; futura ſunt cogitat, non trepidat. Quid cauſæ eſt cur damnetur, qui ſeipſum interfecerit? quia nihil eſt adeò alienum à naturæ legibus. Nullum eſt ex animalibus brutis, quod non conſentiat inter ſeſe mutua quadam concordia. Naturæ lex omnibus inſita, vitam tutari, à ſui abhorrere interitu. Informem leti laqueum homines inuenerunt: feræ, quãquam immites, neſciunt. Quod ſi quis dicat, ferarum morſus pro armis eſſe, denteſque vt gladios & ſicas videri: quis, inquam, aliquando vidit belluam vel adeo ferocem, quæ membrum ſibi ſecuerit, ſeq; vel muneribus priuarit? Nobis quid amicius vita, quid tam inimicum quàm mors? Deniq; qui vitam alterius ope conſiliove tutatus erit, defenſor eſt: qui vitam alteri tollere conatur, inſidiator eſt. Si ergo necem tam miſeram, tamq; ab omni, non dicam humanitate, ſed vni-

Locus Hegeſippi, lib.3.c.17.

Ioſeph nobilis adhortatio ad Iudæos, ne ſibi ipſis manus inferant.

uerſi natura alienam, cenſemus execrabilem, quid cauſæ eſt, cur ipſi nobis inferre volumus? Iure inſectaremur eum gubernatorem, qui commiſſam ſibi nauem ſaxis illideret, vel eam quoquomodo ad naufragium faciendum perforaret: nos à Deo nobis commiſſam noſtri corporis gubernationem ferro exſcindemus, & voluntario naufragio addicemus? Sed obijcitur mihi cita mors cùm peruenero in hoſtium manus; hoc ſi ita eſt futurum, quid faciam lucri, ſi quod ab hoſte metuo, hoc mihi ipſe inferam? fieri enim poteſt, vt deſæuiat hoſtilis ira. Id non aliter ſe habet ac ſi quis gubernator metu tempeſtatis, quam præuiderit, nauem fluctibus obruendam curet. An verò quod ſupplicia grauiora ſit exacturus hoſtis, ideò putatis anteuertẽdum? an quia fortis & intrepidi animi cenſetis argumentum, mortem ſibi conſciſcere? Sed ita ſe gerere imbecillitatis potius habendum eſt ſuffugium, non trophæum virtutis. Sit igitur apud nos conſtitutum, id neq; eſſe fortitudinis, nec habere aliquod momentum vtilitatis. Quid enim adiungam violati depoſiti religionem? Deus theſaurum dedit optimum, incluſum illud quidem in hoc fictili vaſe, idq; cuſtodiendum dedit, pro arbitrio, tempeſtiuè repetiturus. Nunquid in vtroq; crimen, vel abijcere depoſitum non repoſcenti, qui dederit; vel negare repoſcenti? Pœna infamiæ eſt, ſiquis homini depoſitum non reddiderit: quanto magis violare Dei depoſitum? Anima in corpore depoſitum eſt, quam vt inutilem nobis remittimus, atq; domo pellimus, corpusq; ipſum ſui gratia ſpoliamus atq; in terram reſoluimus. Cur hinc exeundi præceptum non exſpectamus? Miles non diſcedit à caſtris, niſi accepta teſſera: ſeruus imperio domini retinetur: ſin aliter fecerint, alter deſertor, alter fugitiuus eſt. Qui ſeruus herum fugerit, pęnæ eſt obnoxius, quãquam improbum fugerit. Nos cum optimum omnium fugiemus, poſſumus non aſtringi impietatis flagitio? Hæc ille longè præclarè & eruditè, vt nihil apud Platonem vel ſapientes alios eruditius. Vide Lactãt. lib. 3. c. 18. & 23 initio. Plato in Phædone animam in duas partes diuidit, vnam eleganti comparatione, feroci, effræni, & indomito equo aſſimilat: alteram equi manſueti, docilis, ac fræno aſſueti, ſeſſoris moderamen facilè ferentis, nec non ad arbitrium eius compoſiti, imaginem præferre docet: Vt hæc ratione ſe duci ac regi patiatur, cui facile obtemperat; atq; idcirco fortiter & conſtanter calamitates omnes ac fluctus aduerſos deſpiciat. Ex hoc fonte, vt opinor, Ethnici Philoſophi vanam illam opinionem deduxerunt, & vmbratilem illam conſtantiam hauſerunt, qua ad ſtudium imaginariæ cuiuſdam virtutis ſeſe impellebãt, falsò opinati, ſibi ſuæq; poſteritati hoc modo famã ac gloriam ſempiternã partum iri. Sed qui Chriſtiana Philoſophia imbuti sũt, nullo negotio deprehendunt, quicquid de ſua conſtantia ſapientes illi garriunt, ne latum quidem vnguem à vitijs diſcrepare. Siquidem conſtantia aut fortitudo illorum mera pertinacia eſt, ſtuporque ſcepticus, magnanimitas ſuperbia, ſapientia ſtultitia. Verum vt ad metam properemus, ſapiunt, qui fortunæ voces ferre conſtanti poſſunt animo, non qui rebus deſperatis conſilia quærunt animam euocandi, & vitæ nobis vſuram permiſſam anteuertendi. Neq; enim tam arduus & aſper eſt cliuus; qui ad virtutis arcem ducit, vt ab aſcenſu deterreat difficultatis opinione.

Vana Ethnicorũ Philoſophia.

Fingitur anguſtus & præceps, perplexis ambagibus, & ſpinis obſitus, vbi nuſquam tutum figere pedem & moliri ſurſum. Herculeus labor fabulę huic initium fecit, quẽ maximo ſudore primùm aperuiſſe ſemitam hanc conſenſu affirmant. Ego verò ignauiæ potius aſcribo, quæ nihil niſi cũ faſtidio aggreditur, & inter ipſa principia languido ſpiritu, & deſperato ſucceſſu laſſa deficit: non intendit robur, nec manus admouet operi, ſuccumbit priuſquam exploret pondus, & ſubeat dorſo; aſpicit & metatur molem oculis, non viribus: grauiora præſumit, quàm in re ſunt, cogitatione & differt tentata, nec vult tangere aut experiri, quæ ſupra conatus ſuos ac neruos iudicat. In arduis conſiſtit virtus, non eo inficias: ſed facilis acceſſus volenti, planum iter ſi animus ſit ac votum aggredi ac ſuperare, recta tranſitur & ſecurè comitante affectu, quo flaccido, pedes & manus ad opus marcent. Amor dux præeat & voluntas, occupabimus verticem panſo vexillo, & oſtendemus victoriæ palmam, ſublimes aquilas. Dum ſtamus ad radicem infrà, ſuſpicimus fruſtra, & optamus potiri faſtigio, aſſurgamus oportet: non deſcendunt nobis in occurſum illa, quæ natura vetuit

Virtutis via nõ eſt adeo aſpera, vt putatur.

Amor & voluntas omnes difficultates ſuperant.

trans-

tranſferri & mutare locum; ſi apprehendere volumus, admoueamur eſt neceſſe, traiecto ſpacio quod diſiungit: ſpe ſola non arripimus aut iactu voti, ſtertente corpore. Nec conatu duntaxat opus, ſed impetu, qui ex ardore gliſcat, & conantem velut propellat, ne ſubrepat tædium. Non metienda ſunt curioſis oculis, quæ à tergo relicta, aut obiecta adhuc à fronte interualla, nec anxiè ſupputandum, quid reſtet laboris & quantum exhauſtum. Auguſti pectoris eſt & effœminati ruminare toties moleſtias iã ſemel deuoratas, & regredi in memoriam eorum cum morſu doloris, quæ iam concocta penè. Cogitemus in ipſa crepidine montis iam ſtare nos, & aſſultu occupare poſſe caput ſacri huius & auguſti iugi, vbi Virtuti ſua regia & thronus. Quis igitur mihi hic pertinaci clamore obtrudat, de laborioſa neſcio qua peregrinatione ac difficili? de Fortunæ viribus & rota? Sapiens certè non lentè accingit ſe & euadit, laboris tolerans, imò ne ſentiens quidem, quem conſtantiæ arma contra Fortunæ tela muniunt. Stultorum querelæ audiuntur paſſim, quibus mentis errore iudicium omne deprauatum; addit vulgus ſuum calculũ, non minus indiſcretus cenſor, nec magis perſpicax; vtrinque in ſpeciem æſtimatio, neglecta rei veritate, quam non penetrant ingenij hebetudine & caligante intellectu. Rationem hic ſequamur oportet, aurea præcepta dictantem: Nec arduum, nec aſperum, inquit, eſt ad virtutem iter, plano aditur, ipſaq; natura nos in rectum genitos, ſi accedere volumus, iuuat: appetitum enim impreſſit illius ambiendæ, & commotiunculas ad amplexandum, etiam in barbara ac ſilueſtri mortalium ſtirpe; ab hac eſt conſpiratio & copula animorum inter bonos, amoris enim conciliatrix eſt, & conglutinat fœdera gentium & ſocietates. Cur igitur

Virtutũ ſemina nobis à natura indita.

in auijs, tanquam Phœnicem aliquem ſolitarium aut pelicanum, illam quæramus? Non habitat quidem in humili nympha hæc, ſcimus, nec ſordido aut deſpecto aliquo loco; attamen nec in tali vbi inueniri nequeat aut nolit altius remota, niſi viribus exhauſtis, & longa atq; periculoſa profectione conſumptis, aut denique ipſa vita crudeli manu expulſa. Nefas ſit hoc ſomniare, nedum facere: proſpectum habet & inuitat ab omni latere, in decliui & patente colle, roſis & lilijs veſtito. Spinoſus ſolùm aditus & pes infimus montis, ſed paucis ſaltibus penetrabilis, vbi floribus cætera rident, & ad placitum curſoris omnia compoſita. Ingrediamur bonis auſpicijs, & ſiquid obſtat inter initia, proteramus audaci calcaneo. Si metus vulnerum, armari poteſt ferrata ſolea, ab incude & malleo patientiæ. Quid? tam pauida nobis eſſe pectora vt hæc terreãt? vel vitæ etiam faſtidium inducant? Vana vanis formidini ſunt nimirum, & contemptiſſima timentur, quæ tamen nihil in ſe habent firmum aut forte; interim mouent: quomodo? vt vmbra infantes, feras rubens pinna, porcina vox elephãtes, curriculi ſtridor aut rotarum verſa facies leones. Imbelles & imbecilles ſimus, ſi ad hæc vel pilus ſe erigat: vir non cedit, in quo ſanguis & virilis animus, & ridet hanc laruam perſonati morionis: imò ſi quippiam tale adhæret, pertinacia omnem difficultatem & impedimentum tranſcendit. Mens ſibi imperet, quæ quodcunq; iubet obtinet. Non eſt quod patrocinium nobis quæramus, excuſantes infirmitatem virium & fractos neruos, qui nequeant pertingere ad virtutis illum apicem. Animo vitium ineſt, non corpori, cui nunquam defuit Aduocatus, qui impotentiæ prætextu defenderet.

Virtutis aditus qualis.

Labor & conſtãtia omnia vincunt.

Paupertatem ſummis ingenijs obeſſe, ne prouehantur.

EMBLEMA CXXI.



Dextra tenet lapidem, manus altera ſuſtinet alas:
Vt me pluma leuat, ſic graue mergit onus.
Ingenio poteram ſuperas volitare per arces,
Me niſi paupertas inuida deprimeret.

COMMENTARII.

I. Adoleſcentulus proponitur (licet hic barbatulum expreſſerit pictor) cui manu dextra ponderoſus dependet lapis, ſiniſtræ verò eius alæ affixæ ſunt leuiſſimæ: vtq; hæ alteram corporis partem eleuant, ſic onus alterã deprimit.

II. Adoleſcentis ingenioſi eſt proſopopœia, qui de paupertate conqueritur, qua vrgente nequit prouehi, licet ingenij bonitas omnia ſumma ſibi polliceatur. Lapis paupertatis eſt ſymbolum, propter grauitatem & difficultatem ponderis. Citatur à multis hic ſenarius: Lapis qd.

οὐδὲν πενίας βαρύτερον ἐστὶ φορτίον.
Nullum pauperie moleſtius eſt onus.

Conqueritur, inquam, dextra ſe geſtare lapidem

pidem, quæ totius corporis habet regimẽ; nam hoc in ſiniſtra aliquo pacto eſſet ferendum. Hinc notiſſimum illud Iuuenalis Satyr. 3.

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Idemque:

——*Cantare ſub antro*
Pierio, thyrſumve poteſt contingere ſana
Paupertas, atq; æris inops, quo nocte dieq;
Corpus eget: ſatur eſt cū dicit Horatius ohe.

Ala quid hoc loco. Per alas ſiue pennas, vigorem ingenij & acumen intellige. Et hæc querela multis alijs eſt communis, quibus ſiquid ſuppeteret ad ſtudiorum progreſſum, non ſanè ita hærerent in puluere, ſed ad ſummos doctrinę gradus eueherentur.

III. *DEXTRA tenet lapidem*] manus dextra duro ſaxo retinetur & deprimitur, paupertate ſcilicet, quâ nihil grauius.

Manus altera] læua alata eſt: ingenij dexteritas me ſubuehit.

Pluma leuat] leuem facit agilemq; vigor ingenij me facit promptum ad eruditionis cultum percipiendum.

Ingenio poteram &c.] ſummum honorem ex doctrinæ fructu conſequi.

Paupertas] Hoc verbo puto intelligi egeſtatem duris in rebus vrgentem, vt Poeta loquitur. *Pauperis & egentis differentia.* Pauper enim dictus eſt à paruo vel pauco ære: at egens, cui nulla gens, vel qui nullius familiæ, quaſi exgens, vt eſt apud Grammaticos veteres: nam, vt eſt in prouerbio, *pauperi ne parentes quidem amici*. Seneca ait epiſt. 17. Non eſt quod paupertas nos à Philoſophia reuocet, ſed ne egeſtas quidem. Idem epiſt. 59. Quanta nobis verborum paupertas, imò egeſtas ſit, nunquam magis, quàm hodie intellexi. Plinius Secundus lib. 4. epiſt. 18. Exprimere tentaui Latinè epigrammata tua, in deterius tamen accidit hoc, primùm imbecillitate ingenij mei, deinde inopia, ac potiùs, vt Lucretius ait, hac egeſtate patrij ſermonis. M. Tullius 2. in Antonium: Modò egens, repentè diues. Sed de verborum differentia ſatis.

Inuida] noxia.

IV. Eſt hæc (vt diximus) iuuenis ingenioſi proſopopœia, qua oſtenditur plurimos ob ingenij felicitatem celebres & claros futuros, niſi inuida paupertas depreſſos retardaret: *Paupertas onus graue.* eſt enim illa moleſtum pondus, vt pleriq; noſſe nollent, plurium namque iſte quotidianus cibus eſt. Qui ſumma laborant inopia, non poſſunt prouehi, neq; enim parentes habent aut cognatos, aut alios etiam beneficos ſtudiorum liberalium nutritios, qui ſumptus neceſſarios ſuggerant. Hinc bene dixit Archytas Philoſophus, ſapientem vnicum habere incommodum, paupertatem. Exclamat etiam Comicus in Adelphis paupertatem eſſe onus miſerum, & valde graue, vſq; adeo vt etiam nobilem ignobilem faciat. *Excurſus in miſerã adoleſcentum feliciſſimi ingenij conditionẽ.* Sed ne tranſiliam tam oſcitanter eam vulgatam & ſolemnem ſtudioſorum penè innumerabiliũ querelam, qui miſeram ſuam fortunam vitæq; genus incuſant: quot quæſo iā olim, & hoc noſtro tempore adoleſcentum myriades eſſe conſtat, in quibus ea ſit ingenij dexteritas, vt ad liberalem omnem diſciplinam non imbuti, ſed ficti à natura eſſe videantur? At in puluere cœnoq; miſero hęrere coguntur, & cum meliores fruges nō poſſint, ſiliquas affectātur; imò verò cùm grauibus & moleſtis admodum colluctantur difficultatibus: quia quamquam ingenij mentiſq; penè diuinæ pennas expeditas & alacres habeant, nullum tamen aut amicum, aut locupletem hominem, vel certè Mæcenatem beneficum nanciſci poſſunt, qui nodum, qui ſaxum illud egeſtatis adeò vrgentis, qui validum fortunæ impedimentum tollat. *Cleãthis induſtria.* Quis laborioſum & induſtriũ Cleanthem in hiſtorijs laude dignum non cenſeat, qui noctibus aduerſus paupertatem, diebus aduerſus ignorantiam depugnabat? nam inopia cogente, noctis magnā partem in aqua haurienda impendebat, quò ſibi victum compararet, interdiu verò Chryſippi doctrinæ operam daret. Ea demum, quæ à præceptore mente conceperat, boum oſſibus & teſtis fictilibus perſcribere ſolebat, cùm pecunia ad emendam papyrum non ſuppeteret. Nam ne longius abeam, nullus noſtrum eſt, cui compertũ non ſit, vbiuis gentium permultos eſſe ſtudio addictos adoleſcentes, qui incredibili amore flagrent eas capeſſendi artes, quibus humanitas & eruditio comparatur. Qui tamen arctiore, nimiſq; violenta paupertatis remora ſic interdum prohibẽtur, vt cùm ijs facultatibus omninò careant, quæ ad hoc iter conficiendum neceſſariæ ſunt, ad artes quaſdam ſordidas, tanquam in piſtrinum, fortunæ, vt ita dicam, tyran-

nide compelluntur: vel ſi quid ſpei reliquum ſit, non tamen poſſunt emergere, niſi deuorent infinitas in ſtudio perſequendo moleſtias. Nam aut pædagogiæ onera ſuſtinent (qua conditione, ſi cum alijs conferatur, nulla alia miſerior) aut deterius aliquod ſubire munus, & viliores quaſdam partes, imò verò labores indignos literatis hominibus perferre ac pati coguntur. Quę ingenia certè acuta per ſe & viuida, ſed inopiæ tamen nimijs moleſtijs ſopita nimium ac languida ſi quis liberali animo iacentia excitaret, non dubium eſt quin longè plures haberemus in rebus Theologicis exercitatos, graues profectò & eruditos Iuris vtriuſq; conſultos, fidos & perſpicaces Medicos, Doctores longè plures in omni literarum genere, Mathematicos, Phyſicos, Logicos, Oratores, Poetas, Grammaticos, ad Reipub. non minimum & ornamētum, & adiumentum. Quod cùm ita queror neſcio (ait Minos) profectò, an dicere auſim quæ mihi nunc in mentem veniunt: nempe huic inopiæ diligenter, magnaq; liberalitate fuiſſe iam olim occurſum a noſtris maioribus, ſapientibus certè ac pijs hominibus, qui tot ſcholas hac in noſtra Pariſiēſi Academia (vt de cæteris taceam) à fundamentis excitarunt, legibus & inſtitutis informarunt, reditibus etiam ac cenſibus annuis locupletarunt: quas opes rebus primū ijs, quæ ad Religionem pertinent, & pauperibus alendis, ijsq; quibus nimis eſſet arcta ſupellex, aſſignari voluerunt. Quæ pia certè & Chriſtianis hominibus digna beneficentia, inſtitutioq; liberalis, mirum quàm hodie immutata ſit. Hunc enim adoleſcentum ſtudioſorum & pauperum cenſum neſcio qui ſcholarchæ malis artibus interdū occupant: ex quo fit, vt quæ inſtè conferri debebant in vſus publicos, miſerè ab ijſdē & iniquè rapiantur: nec iam inopes ij admittantur, quos ſolos participes eſſe par erat huius munificentiæ, ſed ignaui quidā ventres impunè ſanctos illos reditus depeculentur. Sed de his aliàs fortaſſe commodiùs. Iure Canonum rectè conſtitutum eſt, vt omnis ſordes ab Eccleſia remoueretur, ſed in primis exactio pretij pro docendi facultate, quamquam id iam olim ex aliqua conſuetudine, vel vtentium more receptum eſſet: id enim ſapere Simoniam Canoniſtæ aſſeuerant, vt Abbas c. 2. ext. de magiſtr. Non minus conſultò prouiſum Concilio primùm Laterano, deinde panceltiсis comitijs Aurelianenſib. vt præceptori Grāmatico, & Doctori Theologo præbendæ fructus adſignarentur, vt iuuentus in literis humanioribus informaretur, & Chriſtianus populus fidei ſanctæ rationem addiſceret. Me nō fugit, quod quamquam pauper, non egens tamen, *αὐτάρκης* alioqui facilius aliquātò ad Philoſophiam perueniat. At contigit Platoni & Ariſtoteli, in magna rerum copia beatis, vt Philoſophię cultum aſſumerēt: ſed hæc verborum philoſophia, non morum fuit. Diogenes ſanè, treſſis homo, ac diobolaris, pallio tenus philoſophus, nec tam propoſito animi, quàm neceſſitate. Ariſtippus, ſcurra nitidus, beneq; pexus in aula regia. Hinc Cleanthis iuuenis induſtria, & laudabile ſtudium meritò laudari debet, cuius *ἡ πενία τὴν σοφίαν ἔλαχε*. Quid multis? Laudat paupertatem Seneca ſplendidè & magnificè, ipſe tamen in ſumma rerum affluentia diues: quibus non reſignauit, niſi cùm morti proximus eo ſibi nomine inuideri ſenſiſſet. Nec enim abiecit, vt qui facto naufragio ad pallium ſeſe contulerunt. Cæterùm dextræ lapis adhærens referri non incommodè poteſt ad impedimentum ſcribendi. Nam pro inopia nihil eloqui poteſt, vel ſcriptis mandare adoleſcens, fortunæ bonis omninò deſtitutus. Et certè talis futurus erat Virgilius, taliſq; Horatius, niſi liberalitatem Mecœnatis fuiſſent experti. Sed nunc Occaſio ne elabatur, apprehendenda.

Pedagogi miſeri.

Multa in Pariſienſi Academia ſchola.

Præceptoribus ſtipendia aſſignata.

Lapis in dextra quid.

In Occaſionem.

EMBLEMA CXXII.



ΔΙΑΛΟΓΙΣΤΙΚΩΣ.

LYSIPPI hoc opus eſt, Sicyon cui patria. Tu quis?
Cuncta domans capti temporis articulus.
Cur pinnis ſtas? Vſque rotor. Talaria plantis
Cur retines? Paßim me leuis aura rapit.
In dextra eſt tenuis, dic, vnde nouacula? Acutum
Omni acie hoc ſignum me magis eſſe docet.
Cur in fronte coma? Occurrens vt prendar. At heus tu,
Dic, cur pars calua eſt poſterior capitis?
Me ſemel alipedem ſi quis permittat abire,
Ne poſſim apprenſo poſtmodò crine capi.
Tali opifex nos arte tui cauſſa edidit, hoſpes:
Vtq; omnes moneam, pergula aperta tenet.

COMMENTARII.

I. Globo inſiſtit mulieris ſtatua, ferè nuda, pedibus alatis, fronte capillis longiſſimis luxuriante, parte poſtica calua; manu gerens acutiſſimam nouaculam; & talem Lyſippus effinxit Occaſionem:

II. Id ſumptum ex Græco Poſidippi Epigrammate, quod ſic habetur 4. lib. Antholog. tit. εἰς καιρὸν.

Fons Emblematis.

τίς πόθεν ὁ πλάστης; σικυώνιος· οὔνομα
δὴ τίς;
λύσιππος. σὺ δὲ, τίς; καιρὸς ὁ παν-
δαμάτωρ.
τίπτε δ' ἐπ' ἄκρα βέβηκας; ἀεὶ τροχάω.
τί δὲ ταρσοὺς
ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέ-
μιος.
χειρὶ δὲ δεξιτέρῃ τί φέρεις ξυρόν; ἀνδρά-
σι δεῖγμα,
ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος τελέθω.
ἡ δὲ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι
λαβέσθαι.
νὴ Δία τ' ἐξόπιθεν πρὸς τί φαλακρὰ
πέλει;
τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι παραθρέξαντά
με ποσσὶν,
οὔτις ἔθ' ἱμείρων δράξεται ἐξόπιθεν.
τοῖον ὁ τεχνίτης με διέπλασεν εἵνεκεν
ὑμέων
ξεῖνε, καὶ ἐν προθύροις θῆκε διδασκα-
λίην.

Multi hoc epigramma Latino carmine donarunt, ſuo quiſq; modo. Sanctius vt intelligi duntaxat Grecum poſſit, fere verbum verbo, & verſum verſui vt reſpondeat curauit:

Verſio Sanctij.

Quis figulus? Sicyonius. Huius nomina
profer.
Lyſippus. Quis tu? Occaſio cuncta domãs.
Cur pinnis ſtas? Vſq; rotor. Cur accipis alas
Sub pedibus geminas? Vt leuis aura volo.
At dextra unde nouacula ſit? Mortalibus
omni
Sic acie oſtendo ſim quod acuta magis.
At coma cur velat vultus? Sic obuia pren-
dor.
Cur villis capitis poſteriora carent?
Si ſemel alatis homines effugero plantis,
Ne poſſim parte hac poſteriore capi.
Tali opifex veſtra me finxit imagine cau-
ſa,
Hoſpes, & ante fores, vt moneam, poſuit.

Verſio Minois.

Minos ſic eleganter, vt omnia reddidit:

Quis vnde plaſtes? Sicyonius. Nomẽ verò
quod?
Lyſippus. Tu verò quis? Occaſio omnia
domans.
Cur vero ſummis pedum vnguibus ince-
dis? Semper rotor. Quid verò alas
Pedibus habes biformes? Volito leuis.
Manu dextra quid fers nouaculam? Homi
nibus documentum,
Quòd acie omni acutior ſum.
Coma verò quid verſus faciem? Vt à præ-
ueniente capiar.
Per Iouem, poſteriores partes [capitis]
ad quid caluæ ſunt?
Nam ſemel pennis currentem me pedibus
Nullus deinceps expetens prehendet à
tergo.
Talem me artifex effinxit veſtri gratia,
O hoſpes, & in veſtibulis poſuit adhor-
tamentum.

Quis finxit plaſtes? Sicyonius. Dic age no-
men.
Lyſippus. Tu quis? Sũ Dea cuncta domãs.
Cur ſummis pedibus graderis? Semper rotor.
Alas
Cur talis habeas? Nempe leuis volito.
Cur dextra tibi acuta nouacula? Acutior
omni
Ipſa acie, proſtant hæc documenta viris.
Quid crines in fronte? Capi à venientibus
vltrò
Poſſum. Quid caluum eſt occiput? ipſa
refer.
Nã ſic pennatis volitantẽ prendere plantis
A tergo nullus vel citò me potis eſt.
Talem me artificis finxit manus, hoſpes, in
omni
Veſtibulo, cunctos ſcilicet vt doceam.

Eoſdem verſus Auctor Chiliadum, in prouerbio, *Noſce tempus*, paraphraſticῶs reddidit, id eſt, muſa paulò fuſiore, hoc modo:

Auctoris Chiliadum.

Quæ patria artifici? Sicyon. Quo nomine?
Nomen
Lyſippo dictum eſt. Ipſe quis es? loquere.
Illa ego cuncta domans Occaſio. Cur, age,
pinnis
Inſiſtis? Voluorq; ac rotor aſſiduè.
Cur gemina in pedibus geſtas talaria? Di-
cam:
Huc illuc volucrem me leuis aura rapit.
Quid dextra ſibi vult inſerta nouacula?
Signum hoc,

Quod

Quod quamuis acie ſim mage acuta, docet.
Teſta capillitio facies quidnam admonet? Illud,
Quiſq; vti me, quoties offerer, arripiat.
Cur autem capitis pars poſticaria caluet?
Quem ſemel alatis præterij pedibus,
Is quanquam volet, inde citò me prendere curſu
Haud liceat, ſimul ac vertero terga viro.
Hac itaque, idq; tua me finxit imagine cauſa,
Hoſpes, ſcalptoris ingenioſa manus:
Spectandamq; domus hic prima in fronte locauit,
Scilicet vt cunctos & moneā, & doceā.

Auſonius Gallus in Epigrammatis eodem fermè argumento deſcripſit Occaſionem, ſed huic comitem fecit Metanœam, id eſt, Pœnitentiam, mutato etiam artificis nomine. Sic ille:

Auſonius de Occaſione.

Cuius opus? Phidiæ, qui ſignū Pallados, eius
Quiq; Ioue͂ fecit, tertia palma ego ſum.
Sum Dea, quæ rara & paucis Occaſio nota.
Quid rotulæ inſiſtis? Stare loco nequeo.
Quid talaria habes? Volucris ſum, Mercurius quæ
Fortunare ſolet, trado ego cùm volui.
Crine tegis faciem? Cognoſci nolo. Sed heus tu,
Occipiti caluo es? Ne tenear fugiens.
Quæ tibi iuncta comes? Dicat tibi. Dic, rogo, quæ ſis.
Sū Dea, cui nomen nec Cicero ipſe dedit.
Sum Dea, quæ facti, nō factiq; exigo pœnas.
Nempe vt pœniteat, ſic Metanœa vocor.
Tu modò dic quid agat tecum? Si quando volaui,
Hæc manet; hanc retinent quos ego præterij.
Tu quoq; dum rogitas, dum percunctando moraris,
Elapſam dices me tibi de manibus.

De Occaſione hac vide quæ habet Politianus Miſcel. cap. 49. Retulit & Gyraldus Syntagm. 1. ſed Græcos imitatus Cærum vocat occaſionem, genere maſculino. Apud Latinos enim Occaſio fingitur fœmina, apud Græcos puer, dictus *καιρὸς*. Huic Ion Chius hymnum concinnauit, fingitq; natu minimum filiorum Iouis. Et Sāctius affirmat, in Salmanticenſi Bibliotheca hodie videri ſtatuas lapideas ita affabrè expolitas, vt cum antiquitate poſſint certare, quæ omnes typum Occaſionis oſtendunt. Eſt enim illic (ait ille) puer globo inſidens, capillitio ſuper oculos effuſo, in manu habens nouaculam, cum inſcriptione *καιρὸς*, quæ vox occaſionem ſignificat. Hunc circumſtant Mercurius & Fortuna cum cornu copiæ; per quæ innuitur poſſe Occaſionem tribuere, quidquid Mercurius & Fortuna poſſunt. Sequitur hos vetula vultu plorabundo, quæ Metanœam, id eſt, Pœnitentiam refert. Sed nunc ſingula quid ſignificent, indicandum.

Statua τῦ καιρῦ Salmantica.

LYSIPPI hoc opus eſt] Lyſippus ſtatuarius ex Sicyone vrbe Peloponneſi, multis varijſque ſuæ artis monimentis nobilitatus, vt Alexander vetuerit, ne à quoquam pingeretur, aut ſculperetur, præterquàm ab Apelle & Lyſippo. Horat. Epiſt. 2.

III. Lyſippus.

Edicto vetuit, ne quis ſe, præter Apellem,
Pingeret, aut alius Lyſippo duceret æra
Fortis Alexādri vultū ſimulantia.

Idem Plutarch. lib. De Alexandri fortuna. Lege Plin. cap. 7. & 8. lib. 34. Lyſippi quoque mentionem facit Martialis. Auſonius huius ſtatuæ auctorem facit Phidiam.

Cuncta domans] Deſcriptio Occaſionis. Voluit autem exprimere Græcum epitheton, *καιρὸς ὁ πανδαμάτωρ. Occaſio rerum omnium victrix*. Nam rebus permultis cauſam & initium dat Occaſio, vt etiā quę potentem è paupere faciat, ait Menander:

Occaſionis dominium.

πολλῶν ὁ καιρὸς γίγνεται παραίτιος.
Multarum rerum occaſio eſt cauſa. &
καιρῦ τυχὼν γὰρ πτωχὸς ἰσχύει μέγα.
Reddit potentem occaſio vel pauperē. Imò
πολλὺς ὁ καιρὸς ἄνδρας ὐκ ὄντας ποιεῖ.
Occaſio facit ſtrenuos qui non erant.

Capti temporis articulus] Momentum breue temporis, ſiue punctum. Pronelbiū, *Temporis punctum*. Eſt enim occaſio breuis quædam opportunitas, quæ multum valet ad res conficiendas & omittendas. Occaſionem innuit Terentius in ſene ſeipſum excruciante: *In tempore, inquit, ad eam veni, quod rerum omnium eſt primum*. Et in Adelphis: *Vt in ipſo articulo oppreſſit*. Capti temporis articulum (vt hic vocat Alciatus) Calliſtratus in Ephraſibus egregiè deſcripſit. Vide Phædrum lib. 5. Fabular.

Occaſio quid.

Cur pinnis ſtas?] cur talaria in pedibus habes? Hoc ſignificatur, volaticam eſſe & fluxam occaſionem, idcirco & talaria pedibus, vt Mercurio, ei tribuuntur. Sāctius hoc loco: Pinna & plumam ſignificat, & alas

Occaſio volatica.

Pinnæ.

alas, quibus innatant piſces. Hic autem videtur ſignificare ſummitates pedum: quaſi dicat, cur ſummis inſtas digitis? Hæc ille. Ponit autem pinnis, pro pennis: vt, *Fides alma, apta pinnis*.

Vſque rotor.] Sum volubilis, facillimè fluens, verſatilis vt rota.

Talaria. *Talaria plantis*] Talaria ſunt calceamẽta alata Mercurij. Hinc prouerbialis allegoria, *Talaria induere*, pro eo, quod eſt, fugam adornare, & quaſi velle aliquo auolare.

Nouacula occaſionis. *In dextra eſt tenuis, dic, vnde nouacula?*] Cur nouaculam dextra oſtentas? Cultor raſorius etiam acutiſſimum temporis momentum exprimit. *Fortunæ ſimulacrum.* Fuit etiam Fortunæ ſimulacrum pilæ inſiſtens, cum nouacula, nauali clauo, & copiæ cornu. Nouacula ſignificat fœlicitatis amputationem, pila eius volubilitatem, clauus vitæ noſtræ curſum ſub eius ditione, cornucopiæ bonorum largitionem.

Acutum Omni acie &c.] nempe hoc ſigno docetur, quàm repente mutationem afferat rebus occaſio: quod monoſticho indicat Menander:

τάχισθαι ὁ καιρὸς μεταφέρει τὰ πράγματα.

Celerrimè occaſio permutat res.

Cur in fronte coma?] Hoc vno verſiculo ſignificauit quisquis ille fuit, qui Catonis libellum compoſuit:

Occaſio calua à tergo. *Fronte capillata eſt, poſt hæc occaſio calua.*

Vbi Sanctius legendum cenſet, *poſtica occaſio calua*. Nam in quacunque re pars anterior dicitur antica, poſterior poſtica nominatur. *καιρὸς.* καιρὸς recaluaſter occipitio à coma libero, capillis in ſupercilia diffluentibus olim pingebatur; talemq; priùs finxit Sicyonius ille plaſtes Lyſippus. Quo ſignificatur, poſt neglectam occaſionem ea frui non amplius licere. *Occaſio arripienda.* Hinc Ouidius 1. de remedio:

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non eſt hodie, cras minus aptus erit.

Martialis item:

Non bene diſtuleris, videas quę poſſe negari.

Vide prouerbia: *Premenda occaſio*, &, *Capere crines*. Comatam autem in fronte occaſionem hic dicit, ita vt facies eius nuſquã appareat; quare Græcis ἀφορμὴ dicta.

Occaſio preceps. *Me ſemel alipedem*] Celerem & velocẽ, quaſi alas pedibus habentem. Auſonius de ætat. animal. ceruam alipedem dixit. Intellige hic de motu præcipiti occaſionis: alioqui, quod in iure dicitur, mora modici temporis non nocet, l. ſi debitori, 21. ff. iudic. Vel quod Ouidius:

Differ; habẽt parua cõmoda magna mora.

Sunt tamen res quædam, in quibus rapienda potiùs conſilia ſunt, quam quærenda, quod dixit veterum vnus. Exempla in tumultu, naufragio, incendio, in quibus mora omnis, vel minima periculoſa. Et quis vnquam vidit occaſionem, niſi ferè eodem momento abeuntem? Quare noſter Dictator Hippocrates eam præcipitem vocat. 1. Aphoriſ. 1. Hinc verbum Occare, & nomen Occa: *Occare.* quamquam occaſio deflectitur ex ob & caſus. Liuius: Rebus in aſperis & tenuibus fortiſſima quæq; conſilia tutiſſima ſunt: quia ſi in occaſionis momento, cuius præteruolat opportunitas, cunctatus paulùm fugris, nequicquã mox omiſſam quereris.

Tale opifex nos arte] Lyſippus eo artificio expreſſam reddidit occaſionem.

Hoſpes] tu quicunq; hanc effigiem aſpicies.

Vtq; omnes moneã] Admonet ſpectatorem imago, docetque, cuius rei gratia, & propter quàm cauſſam locata ſit in loco vndiq; patenti, ſcilicet, vt omnes & quoſcumq; obuios ſui negotij admoneat & doceat.

Pergula aperta] Pergula à pergendo, locus eſt à multis lateribus aerem excipiens. *Pergula.* Apelles in pergula poſt tabulas à ſe depictas latitare conſueuerat, vt inde multorũ iudicium de pictura exciperet. Plinius 35. de eo ſic: Perfecta opera proponebat in pergula tranſeuntibus, atq; poſt ipſam tabulã latens, vitia, quæ notarentur, auſcultabat, vulgum diligentiorem iudicem quam ſe præferens. Lactantius 1. cap. 22. ex Lucilio:

Pergula pictorum veri nihil, omnia ficta.

Budęus dicit pergulam eſſe partem domus exporrectam & propendentem. Vnde Plinius lib. 21. cap. 3. Cum roſacea corona interdiu è pergula ſua in forum proſpexiſſe dictus. Iuriſconſultis pergula eſt locus exponendis rebus venalibus aptus. Vlpian. in l. hæres de iudiciis. Interim non neſcimus, quid pergula in naui, & vineis ſignificet.

ADMONEMVR hac icone, occaſionem cùm ſeſe offerat, ſtatim eſſe arripiendam: eius enim tanta eſt opportunitas, vt ple- IV. *Vis occaſionis.*

plerumq; ex voluptate triſtitiam, ex damno lucrum, ex honeſto inhoneſtum parturiat, & contrà: breuiterq́; rerum naturam permutet. In aggrediendo itaq; & conficiẽdo negotio præcipuum habet momẽtum, vt non ab re veteres eam donaſſe diuinitate videantur. Occaſionem Cicero definit libris De inuentione, partem temporis, in ſe habentem alicuius rei idoneam faciẽdi aut non faciendi opportunitatem. Eam qui oblatam arripiunt, quiq́; cùm maximè tempus poſtulat, aut dicunt aliquid aut faciũt, rectè illi ſapere dicuntur. Quædam enim ſunt eius generis, vt quanquam honeſta per ſe & vtilia videri poſſunt, niſi tamen tempeſtiuè fiant, planè vileſcũt. M. Cicero 3. Antoniana Cæſaris Octauij virtutem verbis auget, quòd opportuno tempore periclitantem Remp. iuuerit. Sic enim: C. Cæſar adoleſcens, incredibili ac diuina quadam mente, atq; virtute, cùm maximè furor arderet Antonij, cumq; eius à Brundiſio crudelis & peſtifer reditus timeretur, nec poſtulantibus, nec cogitantibus, nec opinantibus quidem nobis (quia fieri poſſe non videbatur) firmiſſimum exercitum inuicto genere veteranorum militum comparauit. Idem oratione pro Pompeio, laudat eũ Imperatorem, quod præter omnium ſpem breui tempore bellum contra piratas ſuſceptum confecerit: Proh dij immortales? tantane vnius hominis incredibilis ac diuina virtus tam breui tempore lucem Reip. afferre potuit? &c. Et Aeneas Virgilianus Didonem laudat, quòd ſola miſeris Troianis opem tulerit, quo tempore maximè opis indigerent:

O ſola infandos Troiæ miſerata labores,
Quæ nos relliquias Danaũ, terræq; mariſq;
Omnibus exhauſtos iam caſibus, omnium egenos
Vrbe, domo ſocias. ——

Quantum etiam poſſit obſeruari temporis ratio teſtatur Ouidius, cum ait:

Temporibus medicina valet, data tempore proſunt,
Et data non apto tempore vina nocent.

Exempla arrepta occaſionis. Nec deſunt veterum exempla. Gyges, occaſione data, vſurpauit regnum Candaulis, & regem interfecit, qui vxorem nudam exhibuiſſet. Occaſionem ſtuprandæ Lucretiæ arripuit Sextus Tarquinius, quia cùm Romanis principibus Ardeã obſidentibus audiſſet à Collatino marito ſuam vxorem pudicam impensè laudari. Ad Capreæ paludem diſcerptus Romulus arrepta occaſione. Et occaſione Lucretiæ violatæ pulſi Tarquinij, & mutata Reip. forma. Plebis ſeceſſio in ſacrum montem extorſit à patribus tribunos, & ſic ſeſe vindicauit à contemptu patritiorum. Decemviri ſublati occaſione corruptæ Virginiæ. De exſcindenda Carthagine Cato conſilium dedit, occaſione ficuum, quas Patribus oſtendit. Cęſar Gallias ſubegit occaſione factionum inter Heduos & Sequanos. Occaſione mortis Cęſaris ſenatus auctoritatem ſuam amiſit, & populus quaſi furens ad libertatem proclamauit. Rixę implacabiles inter Octauium & Antonium, occaſione vxoris Antonij, quæ ſoror Octauij. Quin & occaſio dedit exitio Heliogabalum, Baſſianum, Caligulam, Domitianum, Maximianum, Galienum. Et ſexcenta occurrunt alia, quæ non niſi in maiore otio poſſim cumulare. Improbis enim præter occaſionem nihil deeſſe ad malè agendum, diſputat Plutarchus in opuſc. Cicero pro Murena: Dies intermiſſus vnus, aut nox interpoſita ſæpe turbat omnia: & parua nonnunquam commutat aura rumoris. Idem 5. Philippica: Minimis momentis maximas inclinationes temporum fieri, cùm in omni caſu Reip. tum in bellis. Et in 6. Dies affert & hora magnas clades. Athenagoras pro Chriſtianis: οἱ μὲν γὰρ τὸν ἀέρα τον δία λέγουσιν, οἱ δὲ καιρὸν. Horatius 1. Epiſtol. ad Bullatium:

Tu quamcũq; Deus tibi fortunauerit horã
Grata ſume manu, nec dulcia differ in annum. *Occaſio non negligenda.*

Plinius lib. 1. epiſt. 8. Pleraq; quę ſunt agendæ rei neceſſaria eadem perfecta, nec vtilitatem parem, nec gratiam retinent. Idem epiſt. 9. ſeq. ad finem: Tu ſtrepitum iſtum, inanesq́; labores, vbi primum fuerit occaſio, relinque, teq; ſtudijs aſſere. Pulchrè Tull. ad Brutum: Deſiderabam nonnullis in rebus prudentiam & celeritatem: qua ſi eſſemus vſi, iampridem rem recuperaſſemus: non enim ignoras, quanta ſint momenta in Repub. temporum; & quid interſit idem illud verum antè, an poſt decernatur, ſuſcipiatur, agatur. Omnia quæ ſeuerè decreta ſunt hoc tumultu, ſi, aut quo die dixi ſententiam, perfecta eſſent, & non ex die in diem dilata: aut quo ex tempore ſuſcepta ſunt, vt agerentur, non tardata, & procra-

procraſtinata, bellum nullum haberemus. Et quamuis in omni re occaſio plurimum valeat, tamen in re bellica (quod vſus ipſe docuit) poteſt id quod maximum eſt. Hãc enim optimus quisque imperator ſummo ſtudio ac celeritate complecti nititur, quippe cuius natura ſit, vt ardua in planum facile vertat. Sed in omni occaſione capienda, incœptisque proſequendis duo ſeruanda potiſſimùm ſunt; alterum, quod factu opus eſt, maturè id vt fiat. Quid enim occaſione breuius aut fugacius? Alterum, vt ſuo quæque res geratur ordine, quando in re, præſertim militari, nihil ipſo ordine potius ac maius ſit. Imò omnium rerum humanarum momenta in occaſionis perceptione conſiſtunt: Nam ſi per ignauiam quis fortunam paratam neglexerit, ſi ſua culpa ab ea deſeratur, nequaquam illam, ſed ſeipſum accuſet. Facit huc Valer. Max. lib. 7. cap. 2. De Scipione Africano, qui dictitabat, cum hoſte non aliter eſſe confligendum, quàm aut ſi occaſio veniſſet, aut neceſſitas incidiſſet: nam & proſperè gerendæ rei facultatem omittere maximam dementiam eſſe. Accidit enim plerunq; ei, qui occaſionem negligit, id quod D. Auguſtinus ait, vt cùm velit non poſſit, quia quando potuit, noluit: ideo per malum velle, perdidit bonum poſſe. Demoſthenes epiſtolis de concordia, eandem ſententiam Athenienſibus inculcat: Τὸν δὲ παρόντα καιρὸν ὁρῶν, ἑλομένων μὲν ὑμῶν τὰ δέοντα, ἅμα δόξαν καὶ σωτηρίαν καὶ ἐλευθερίαν δυνάμενον κτήσασθαι, οὐ μόνον ὑμῖν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν Ἕλλησιν. ἀγνοησάντων δὲ ἢ παρακρουσθέντων, οὐ ῥᾴδιον αὖθις τὸν αὐτὸν ἀναλαβεῖν, ᾠήθην χρῆναι τὴν ἐμαυτοῦ γνώμην, ὡς ἔχω περὶ τούτων εἰς μέσον θεῖναι, id eſt: *Cum autem videam hanc nunc eſſe occaſionem, quæ ſi recta conſilia caperetis, ſimul & ſalutem & libertatem poſſit comparare, non modò vobis, ſed & alijs omnibus Græcis: ſin erraueritis, deceptive fueritis, non facilè eandem occaſionem recuperari: exiſtimaui quam de his haberem ſententiam, in medium eſſe proferendam.* Reſpexit huc Pindarus Pythior. 9. ὁ δὲ καιρὸς, ὁμοίως παντὸς ἔχει κορυφάν. id eſt: *Occaſio ſimiliter totius negotij perfectionem in ſe habet.* Sic quoq; Heſiodus occaſionem laudat 2. Georgic.

Præſertim in re bellica.

μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.

Mediocritatem obſerua, occaſio autem in omnibus optima.

Obſeruato modum; nam rebus in omnibus illud
Optimũ erit, ſi quis tempus ſpectauerit aptũ.

Huc non malè quoq; quadrabunt Lucani verſus ad Calphurnium Piſonem:

Temporibus ſeruire decet; qui tẽpora certis
Ponderibus penſauit, eum ſi bella vocabũt,
Miles erit: ſi pax, poſitis toga geſtiet armis,
Nunc fore pacatũ, bellantẽ caſtra decebunt.

Eſt itaque Occaſio temporis opportunitas rectè obſeruata, omnia regens & gubernãs, vt teſtatur Plutarchus in vita Niciæ. Hæc oblata ſtatim eſt arripienda, ne ea irrecuperabili ſorte amiſſa, mox oſcitationis & negligentiæ fruſtra nos pœniteat. Vide prouerbium, *Noſce tempus.* & quæ Philippus Beroaldus habet in Heptalogo ſapientum. Proſtat item liber de Occaſionis arreptæ & neglectæ commodis & incommodis, pulcherrimis iconibus ære inciſis ornatus, Autore Ioanne Dauid Societatis Ieſu, quem omnino mihi vide; dum nos ad Faunum cornu inſtantem properamus.

In Fa-

In ſubitum terrorem.

EMBLEMA CXXIII.



EFFVSO cernens fugientes agmine turmas:
Quis mea nunc inflat cornua? Faunus ait.

COMMENTARII.

I. FAVNVS homo ſemicaper (qualem deſcripſimus ſupra Emblem. 72. & 98.) redimitus erucæ folijs, currenti ſimilis effingitur, manu gerens magnum cornu: vbi vellem cornu tortile exprimi, quale Græci κόχλον appellant, nam tale Pan inueniſſe dicitur. Ante hunc conſpiciuntur equi cũ ſuis ſeſſoribus citatiſſimo curſu aufugere. Leonicus lib. 2 de var. hiſt. cap. 24. narrat, *Fauni.* Faunos, qui etiam Satyri & Siluani appellantur, eſſe monſtra Aethiopica, ſpecie humana, cornigera, barbata, & caprinis pedibus, velociſſima, & valde luxurioſa.

II. Ex Polyæni auctoris Græci Stratagematũ lib. primo tractum id emblema video: ſententiam ita reddere eſt Minos conatus: Pan Bacchi dux fuit. Is Pan primus aciem inuenit, quam phalangem nominauit. Dexterum etiam & ſiniſtrum cornu inſtituit: quæ cauſſa fuit cur ei cornua tribuantur. Primus etiam fuit, qui arte & calliditate hoſtes intercepit. Cùm enim aliquando qui miſſi fuerant exploratum, retuliſſent hoſtes in altera ſyluę concauæ parte caſtra metari, Pan eo accepto nũcio ſuis præcepit, vt ingentem clamorem tollerent, quibus ita conclamantibus, locis cauernoſis ſonus exceptus multò quidem maior exauditus eſt: quare perculſi metu hoſtes, ſtatim ſe in pedes coniecerunt. Quo ſtra-

Origo certiſſima Emblematis.

Pan dux Bacchi, & eius inuentum.

tagemate cùm Pan fuerit vſus, Echo Pani amica eſſe fingitur: ideoq; vani nocturniq; terrores Panici dicuntur: hæc ferè Polixænus. Alij verò ad hunc modum explicant, ſed non ita ſcitè & verè, meo quidem iudicio. Putauit antiquitas Pana paſtorum Deum repentinos terrores, & animi cõſternationes immittere vſq; adeò impotentes, vt non ratione modò, verùm & mente careant: quemadmodum non raro vſu venire ſolet in exercitu, cũ nulla mouente cauſſa

Panici tumultus ac terrores. equi atq; homines perturbantur. Phornutus Panicos terrores ait dici de repentinis & ſine ratione factis: ita enim nonnumquã greges atq; armenta pauere videntur, cùm ſonitus aliquis vel ſtrepitus ſurgit in ſiluis, aut è ſpeluncis, aut ex terræ cauernis. Theon Arati interpres ait, Pana Deum militaſſe aduerſus Titanas, primumq; eum videri concham illam tortilem & turbinatam, quã pro tuba vtuntur, inueniſſe, quæ

κόχλος. Græcè *κόχλος* appellatur: factumq; ipſius opera, vt ſe armandi ſocijs interim fieret copia, dum ſonitu illo quocunq; qui panicus vocatur, in fugam Titanes agebantur. Plutarchus in apophthegm. Epaminunda Thebano exercitum ducente, nunquam panicus & repentinus terror in caſtra incidit. Item alius eſt præclarus Plutarchi locus de Panico illo tumultu, in vita M. Antonij, quo loco tractat expeditionem Parthicam. Magnus enim metus inceſſit Antonij milites, ob aurea quædam vaſa Mithridati liberaliter ab Antonio data. Hic terror Gallos inuaſit, cùm Brenno Duce Delphos prædaturi acceſſerant. Terrores quippè, inquit, nulla certa cauſſa exiſtentes à Pane oriri produntur. Silius lib. 13. Punicorum, ſcribit hoc terrore Panico Annibalem fuiſſe perculſum, cùm ad vrbis mœnia acceſſiſſet eam expugnaturus. Apud Suidam Polybius ait: Cùm Luna defectum eſſet paſſa temporibus Perſei, Macedonum Regis, vulgò rumor increbuit, hoc quaſi oſtento regis mortem ſignificari. Quæ res effecit, vt Macedones conſternarentur, ipſique Romani animos ſumerent. Panici terroris quoq; mentionem facit Cicero in epiſtola ad Tyronem, quæ poſita in poſtremo familiarium volumine; ſic enim ille: Et ſi Atticus noſter, qui quondam me commoueri *πανικοῖς* intellexit, idem ſemper putat, nec vides quibus præſidijs Philoſophię ſeptus ſim; hercle quod timidus ipſe eſt, *θορυβοποιεῖ*. Quo item verbo idem Cicero vtitur in epiſtola ad Atticum lib. 5. Scis enim, inquit, quædam *πανικὰ* dici. Sic etiã Nicetes Choniates non ſpernendus auctor, Panicorum meminit phantaſmatum in ſua quapiam oratione. Sed & Nonnus Poeta Dionyſiacῶn 10. furentem deſcribens Athamanta, nũc inſano Panos flagello furiatum ait: nunc intra ipſius aures bombum illum inſonuiſſe Panici Saturnij flagelli, verba ita habent:

Ο'ιστρηθεὶς Α'θάμας μανιώδει πανὸς ἱμάσθλῃ.
Α'εὶ δὲ οἱ ἔνδοθεν ἀκουῆς.
Agitatus Athamas inſano Panos verbere.
Semper verò ipſi intra aurem.

Item:

πανιάδος κρονίης ἐπιβομβεῖ δοῦπος ἱμάσθλης.
Panici Saturnij inſonat bombus flagelli.

Hæc ferè, & alia plura habentur apud Politianum Miſcellan. 28.

EFFVSO agmine] Fuſis copijs, diſperſo & perturbato exercitu. Metaphora ab aquis ad milites. III.

Turmas] Turma eſt ordo militaris & equitum; ſic dicta quaſi terma, vel terdena, quod terdeni equites ex tribus tribubus, Tatienſium, Rhamnenſium, & Lucerum fiebant: conſtabat enim ex triginta duobus equitibus. Et qui illi præerat, Decurio dicebatur, vt Varro & Vegetius tradiderunt. *Turma.*

Faunus] Faunus aliàs Pan, Deus ruſticorum & paſtorum à Poetis fingitur, nemoribus & altis montibus gaudens, de quo Virgil. 3. Georg. *Faunus.*

Pan ouium cuſtos.

Ouidius 2. Faſtor. Horat. 3. Carm. Ode 18. Macrobius, & nos ſupra. Mantuanus:

Et ſi monticolas Faunos vel Pana videbis.

Huius cornua credebantur immittere terrorem, vt diximus. Vnde etiam illud:

——*Et capripes concuſſit cornua Faunus.*

Fuit Faunus filius Pici, Latiniq; pater, Aboriginum rex apud Virgilium. Poſt mortem Deus habitus eſt, dictus, vt ait Seruius, à fando, id eſt, vaticinando. Poetæ Faunos, Siluanos, Panes, Satyros ſæpe pro eodem ponunt. Sidonius diſtinxiſſe videtur:

Pan pauidus, Fauni rigidi, Satyri petulãtes.

Ex iam dictis ſatis ſuperq; conſtat, veteribus creditum fuiſſe, Pana repentinos timores & animi perturbationes hominibus immittere, ſed omnino inanes, quales IV.

ple-

pleruncque in bellis accidere ſolent. Vnde ἀληθὲς ἐςὶ τὸ περιφερόμενον, ὅτι πολλὰ κενὰ τοῦ πολέμου. Id quod ſignificat Cicero pro Cæcinna: Exercitus, inquit, maximi pulſi fugatiq; ſæpe ſunt terrore ipſo, impetuq; hoſtium, ſine cuiusquam non modò morte, ſed etiam vulnere. Huc refer prouerbia, *Panicus caſus.* &, *Inanis metus.* &, *Multa belli inania*. Diodorus lib. 1. ea de re nonnihil. Quo autem piaculo taceam pulcherrimos Valerij Flacci verſus ſuper hoc ipſo, poſitos in lib. 3. Argonautic.

Multa inania belli.

Valerij Flacci locus de terrore Panico.

——Dant, inquit, *æthere longè*
Signa tubæ, vox & medijs emiſſa tenebris:
Hoſtis habet portus. ſoliti rediere Pelaſgi,
Rupta quies, Deus ancipitem lymphauerat vrbem
Migdonia Pan iuſſa ferens ſæuiſſima matris;
Pan nemorũ, belliq; potens, quẽ lucis ab oris
Antra tenent, patet ad medias per deuia noctes
Setigerũ latus, & torua coma ſibila frontis.
Vox omnes ſuper vna tubas, qua conus, & enſes,
Qua trepidus auriga rotis, nocturnaque muris
Clauſtra cadunt, taliſq; metus non Martia caſſis.
Eumenidumq; coma, non triſtis ab æthere Gorgo
Sparſerit, aut tãtis aciẽ raptauerit vmbris.
Ludus & ille Deo, pauidum præſepibus aufert
Cùm pecus, & profugi ſternunt dumeta iuuenci.

Quin etiam lib. 6. apud eundem barbarus quiſpiam ad terrorem incutiendum ſimulacra Panos prætulit. Sed & Sozimus hiſtoriæ Græcus auctor lib. 3. dicit, quempiam apparuiſſe pellitum, monſtroſo aſpectu, Albanis, Romaniſq; prælium commiſſuris. Etenim Deum Pana belligerum fuiſſe vel ex argumento Nonni cognoſcimus, vel ex Theocriti fiſtula. Eundemque fuiſſe Athenienſibus auxilio contra Perſas alibi legimus. De Panico terrore Mart. Anton. Delrius in Adagialibus ſacris, Cominæus lib. 7. cap. 11. Quid ſi quis referat ad eum pauorem, qui omnem ſapientiæ vim ex animo expectorat? vt ait ille: vel ad conſternationem terroremque, cui viri etiam fortiſſimi non poſſunt eſſe aliquando pares: non videbitur abhorrere fortaſſe à mente Alciati. Rectè ſiquidem Pindarus:

Pan belliger.

——φόβος ἀνδροδάμας
Ἔπαυσεν ἀλκὰν φρενῶν.
Timor virorum domitor
Adimit fortitudinem animus.

Opinio tamen præceps ac volatica. & quæ Ariſtoteli non temerè comparatur cum ſtatuis Dædali volitantibus, ea perinde ſe habet vt fama,

Opinio quantum poſſit.

——malũ quo non aliud velocius vllũ.
Mobilitate viget, vireſq; acquirit eundo:
Parua metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Et quid tandem? opinio ſæpe terrorem inducit, hincq; conſternationem, quæ ſapientiam omnem ex animo expectorat. Nos non deficit exemplum domeſticum proximi tumultus Gallici infanda ſuſcepti occaſione, nam qui in maxima trepidatione præfuerunt, omnia terroribus miſcuerunt, dum ſuppetebant cataphracti centum, iactabant mille: ſi treceuti vel quadringenti pedites, aiebant eſſe decem, aut duodecim millia: exterorum copias auxiliares nõ niſi multitudine innumerabiles habere ſe dicebant: imò tanquam caſtra Xerxis, aut Turcæ principis magno apparatu nobis obijciebant. Sed quid illis inflabat cornua? vanitas, impoſtura, perfidia, furor, rabies, & mẽtita iniquitas ſibi. Matthæus Boſſus Epiſtola 60. de Ludouico Sfortia: Qui & fidos atq; optimos in eum ſuos populos ſpoliauerat opibus atq; pecunijs, per execrabiles atq; nefarias exactiones & mulctas, vt tali rapina ditatus, omne ferme ſolus aurum poſſideret Italiæ, ſuorum ciuium & omnium penè hominum in ſuam perniciẽ (quod eſt auaritiæ) odio contracto, adeo vt vix audito quod Gallicus aduentaret hoſtis, nullis amicis agnitis, ſed ſibi quoq; diffidens, dimiſſis vrbibus, oppidis, caſtellis, arcibusq; munitiſſimis, timore fœmineo, ac veluti damula, vitam fuga ſibi quæſierit, &c. Scriptum reliquit Sigebertus, quo modo Anno 900. per leporem capta ſit Roma. Cum enim Arnulphi Imperatoris à Pontifice Formoſo propter ſeditionẽ ciuium euocati, milites lepuſculum verſus Vrbem fugientem inſectarentur cum clamore, Romani timore exanimati ſeſe de muro deiecerunt, & hoſtibus per factos aceruos murum aſcendendi locum dede-

Ludouicus Sfortia.

Roma per leporem capta.

runt. Vide plura apud Quercetanum Dix te:. Polyhiſt. Sect. 1. c. 8. Vt hæc miſſa faciam, ſuccurrit illud apud Ouidium Penelopes ad Vlyſſem :

Quando ego non timui grauiora pericula veris?

& deinceps :

In te fingebam violentos Troas ituros :
Nomine in Hectoreo pallida ſemper erã.

Idem in epiſtola Laodamiæ pulchrè affectum timoris exprimit :

Nos ſumus incerta : nos anxius omnia cogit,
Quæ poſſunt fieri, facta putare timor.

Timoris effectus. Omnia ſanè mala plus terrere ſolent eos, qui ipſa futura expectant, quàm vbi iam acciderint moleſtare. Metus enim tam improbus eſt, vt multi rem, quam metuunt, ipſimet anticipent. Vt qui in naui tempeſtate periclitantur, non expectata ſubmerſione nauis, manus ſibi prius inferũt. Quemadmodum aues (inquit Seneca epiſt. 75.) inanis fundæ ſonus territat : ita nos non ad actum tantum excitamur, ſed ad ſtrepitũ; inter ſuſpecta malè viuitur. Infirmus animus antequam malis opprimatur, queritur; præſumit illa, & ante tempus cadit. Quid autem dementius, quàm angi futuris, nec ſe tormento reſeruare, ſed accerſere ſibi miſerias?

In illaudata laudantes.

EMBLEMA CXXIV.



INGENTES Galatum ſemiermi milite turmas,
Spem præter, trepidus fuderat Antiochus:

Lucarum

Lucarum cùm ſæua boum vis, ira, proboſcis,
Tum primùm hoſtiles corripuiſſet equos.
Ergo trophæa locans Elephantis imagine pinxit;
Inſuper & ſocijs, Occideramus, ait,
Bellua ſeruaſſet ni nos fœdiſsima barrus:
Vt ſuperaſſe iuuat, ſic ſuperaſſe pudet.

COMMENTARII.

I. IN truncis arborum ramis trophæum ſuſpenſum pingitur, id eſt, ſpolia ex hoſte reportata, & varia arma bellica; iuxta quæ elephas, immane illud animal, appingitur. Trophæum pulchrè deſcribit Virgilius in principio 11. Aeneid. quem locũ mox adducemus.

II. *Fõtes Emblematis.* Ex duplici fonte Emblema hoc hauſtum eſſe deprehendo: Primò ex hiſtoria, quæ habetur apud Clearchum Soleñſem, qui de varia hiſtoria non minus eleganter quàm eruditè ſcripſit, cuius hæc ſunt verba, lib. 12. ca. 29. *Ex Clearcho.* Antiochus Syriæ rex, cum Galatas expugnare ſtatuiſſet, copioſum exercitum collegit, tam ex militibus, quàm elephantibus, quibus tum temporis in bellis periculoſis vtebantur. Galatæ vbi primum hoſtes ſemiarmatos conſpexere, victoriam ſperantes, non dubitarunt cum Antiocho congredi. Inito certamine ferè actum eſſet de Antiocho, niſi derepentè elephanti, quos ſecum ſolitus erat in prælium proferre, hoſtium Galatarum equos corripuiſſent, ac in fugam vertiſſent: quo inſperato auxilio Antiochus Galatas profligauit ac penitus ſubegit. Quare cùm de more trophæum, id eſt, victoriæ ſigna locaret, elephantis pinxit imaginem, elephantibus potiùs quàm ſibi victoriam tribuens. Hæc ille. Sed eandem hiſtoriam fuſius & elegantius narrat Lucianus in Apologia quadam, quæ inſcribitur Zeuxis, ſiue Antiochus, eius verba hæc ſunt: *Antiochi ſtratagema in Galatas, ex Luciano.* Cum non ignoraret Antiochus Soter, & corporis viribus, & audacia Galatas eſſe præditos, inuſitatamque illorum multitudinem videret, tum phalangem fortiter coniunctam, à tergo verò æneis thoracibus indutos bellantes, præterea in profundum ſemper armatos vigintiquatuor ordinatos: in vtrumque autem cornu equitatum, qui viginti millibus equitum conſtabat, diſpertitum eſſe: porrò è medio octoginta currus falcatos erupturos, ac cum illis bigas bis totidem. Hæc, inquam, cum videret, ſpem valde malam animo concipiebat potiundæ victoriæ, tanquam ſi cum inuictis eſſet agendum. Siquidem ipſe modicè inſtructo exercitu, neq; ampliter, neq; pro belli dignitate & apparatu, aut magnitudine, ſanè perquã paucis comitatus aduenerat, ac illos quidẽ vt plurimùm ſcutatos & nudos. Itaque iam de petendo fœdere, ferendisque pacis conditionibus, & bello conuenientiſſimè componendo ſecum agebat. Atqui Theodotas Rhodius, vir excelſi & generoſi animi, inſtruendæ aciei non imperitus, cùm præſto eſſet, regem perturbato animo eſſe non ſinebat. Erant Antiocho vndecim in exercitu elephantes, hos Theodotas iuſſit interea haberi quàm occultiſſimos, ne ex acie apparentes conſpicui fierent hoſtibus. Vbi verò tuba ſignum dedit, & manus conferendæ forent, ac hoſtium equitatus impreſſionem faceret, & Galatæ aperta phalange currus immitterent, tunc vnà cum quatuor elephantis vtrinq; equitibus eſſe occurrendum docebat; octo autem reliquos aurigis & curribus eſſe immittendos. Hoc enim facto, inquit, illorum equi perterrebuntur, ac retrò fugientes in ipſos Galatas illapſi impetum facient. Nec opinionem eius rei prædictæ euentus ſefellit. Cùm enim antea nullum elephantum vidiſſent, cùm ipſi Galatæ, tùm equi eorum adeò nouo & inopinato elephantorum ſpectaculo animis conſternati ſunt, vt longè adhuc à belluis conſtituti, poſteaquam ſolùm rugientes audiſſent, dentesque candore relucentes vidiſſent, veluti ex toto nigro corpore, tum etiam proboſcides ad [illegible] dam & direptionem faciendam ſublatas; [illegible] quam ab arcubus tela extorſiſſent, verſis retrò habenis, nulloq; ſeruato ordine aufugerunt. Sed enim pedites aliquantiſper alterna cæde ſemet haſtis confodientes, con-

culcabantur ab equitibus in illorum ordinem illapſis. Currus autem ſubuerſi, & illi deinceps denuò in ſuos non citra ſanguinē ferebantur, ac planè iuxta illud Homeri,

Subuerſi currus paſſim iacuere ſupini.

At verò equi poſteaquam ſemel à recta via auerſi declinaſſent, elephātorum impetum non ſuſtinentes, ſeſſores dorſo excutiebāt. Currus ſtrepebant proſcindentes acutis falcibus quoſcunq; ex amicis comprehendiſſent. Non pauci verò vt in tali tumultu eiecti proſternebantur; hos elephanti inſequebantur pedibus proterentes atq; conculcantes, ſimulq; in altum proboſcidibus proijcientes, ac dentibus correptos transuerberantes. Ad extremum illi ſumma ope nitentes Antiocho victoriā pepererunt. Cæterùm Galatæ alij quidem dimicando occiderunt ingenti clade edita; alij viui capti in victoris poteſtatem peruenerunt: perpauci fuga in montes ſemet abdiderunt. Porrò autem Macedones, quicunq; cum Antiocho in prælium deſcenderant, Pæana canebant, ſimulque clamore irruentes regem coronabant victorem. Ille tamen profuſis lacrymis dixiſſe fertur: αἰσχυνόμεθα, ὦ στρατιῶται, οἷς γε ἡ σωτηρία ἐν ἑκκαίδεκα τούτοις θηρίοις ἐγένετο, ὡς εἰ μὴ τὸ καινὸν τοῦ θεάματος ἐπίπληξε τοὺς πολεμίους, τί ἂν ἡμεῖς ἦμεν πρὸς αὐτούς; ἐπίτε τῷ τροπαίῳ κελεύει ἄλλο μηδὲν, ἐλέφαντα δὲ μόνον ἐγκολάψαι. Hoc eſt: *Pudore afficimur, ò milites, quibus ſalus in hiſce vndecim ſtetit belluis, adeo vt niſi ſpectaculi nouitas hoſtium animos terruiſſet, quid tandem in eos potuiſſemus? Itaq; trophæum nullum aliud quàm Elephantem iuſſit ſculpere.* Cæterum cum hoc Antiochi ſtratagemate coniungo hiſtoriam certè

Stratagema Megarenſium. nobilem de Megarenſibus, qui afflicti ab Antipatro ad exitium vſque, illeq; vteretur elephantis, excogitarunt porcos pice oblitos, & iniecto mox igne flammatos in elephantorum gregem immiſſos: quo facto elephanti ſtatim in fugam coniecti victoriam Megarenſibus reliquerunt. Et quidem nullum animal eſt æquè inuiſum elephanto atq; porcus, adeo vt eius præſentiā nullo perferre modo poſſit, atq; cū primū audit grunitum, fugā elephas arripiat. Cæterū veteres in bellis multū fuiſſe vſos elephantis facilè eſt videre apud auctores

De elephantis rerū antiquarum. Amm. Marcellin. lib. 19. Lux nobis aduenit mœſtiſſima, Perſarum manipulos formidatos oſtentans, adiectis elephantorum agminibus, quorum ſtridore, immanitateq; corporum nihil humanæ mentes terribilius cernunt. *ex Ammiano.* Item eo lib. vbi de pompis funebribus filij regis Chionitarum Grumbatis, in obſidione Amidæ *vrbis* baliſta perfoſſi: Occidentali portæ, inquit, oppoſiti ſunt Segeſtani, acerrimi omnium bellatores, cum quibus elata in arduum ſpecie elephantorum agmina, rugoſis horrenda corporibus, leuiter incedebant armatis onuſta, vltra omnem diritatem tetri ſpectaculi formidanda. Idem *lib. 25. vbi* de Iuliani in Parthos expeditione: *Poſt hos elephantorum fulgentium formidandam ſpeciem* & truculentos hiatus vix mentes pauidæ perferebātſ, ad quorum ſtridorem, odoremque & inſuetum aſpectum magis equi terrebantur, quibus inſidentes magiſtri, manubriatos cultros dexteris manibus illigatos geſtabant, acceptæ apud Niſibin memores cladis; & ſi ferociens animal vires exuperaſſet regentis, ne reuerſum per ſuos, vt tunc acciderat, colliſam ſterneret plebem, vertebram, quæ caput à ceruice diſterminat, ictu maximo terebrabant.

III. *GALATVM*] pro Galatarum, per Syncopen Sunt autem Galatæ populi, qui Galatiam habitant, quæ eſt regio Aſiæ minoris, Phrygiæ & Bithyniæ finitima, de quibus Liuius lib. 8. Decad. 4. & Iuſtinus lib. 25. Plin. lib. 5. cap. 32. Hi etiam dicuntur Gallogræci: nam Gallos olim ex Europa venientes hanc habitaſſe regionem, indeq; Gallogræciam dictam, auctor eſt Feneſtella. Ad Galatas ſcripſit D. Paulus, maxima eccleſiæ tuba. *Galatæ.*

Semiermi milite] ſemiarmatis copijs, non bene inſtructo milite: nam ſemiarmatos fuiſſe ſcribit Clearchus loco adducto.

Fuderat] Diſiecerat, repulerat. Liuius lib. 2. Exercitum fundit, fuſum perſequitur. Sic, Fundere copias, apud Cæſarem 1. Bell. Gall. Ciceronem pro Rabirio & 1. de finib.

Lucarum boum] Elephantorum, qui primùm ab Italis viſi ſunt in Lucanis, vt ſenſit Plinius lib. 8. cap. 6. & Solinus Polyhiſtor. cap. 28. Varro lib. 6 de lingua Latina. Vegetius lib. 3. cap. 26. de re milit. loquens ait: Hos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit. Poſtea Hannibal in Africa, rex Antiochus in Oriēte, Iugurtha in Numidia copioſos habuerunt. *Elephāti, Lucæ boues.*

ſunt. Quæ verba repetit Modeſtus in libello De vocabulis rei militaris. Critolaus autem in 3. rerum Epiroticarum ait, Paulum Aæmilium ex victoria, quam contra Pyrrhum Epirotarum regem eſt conſecutus, centum ſexaginta turres geſtantes elephantos Romam miſiſſe. Lucretius lib. 5.

Inde boues Lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, et magnas Martis turbare cateruas.

Silius Italicus lib. 9.

Nam prouectus equo moderantem cuſpide Lucas
Maurum in bella boues ſtimulis maioribus ire,
Ac raptare iubet Libycarum armenta ferarum.

Cur ita dicantur. Cur verò Luca bos, dicatur elephas, duobus modis inuenio ſcriptum: nam in Caij Aælij commentario erat, à Libycis Lucas; & in Verginij comment. à Lucanis Lucas, ab eo quòd maximam quadrupedem, quã ipſi haberent, vocarent bouem, & cùm in Lucanis Pyrrhi bello primùm vidiſſent apud hoſtes elephantos, identidem quadrupedes cornutas (nam quos dentes multi dicunt, cornua ſunt, vt probat ex Pauſania Cœl. Rhodigin. lib. 13. cap. 18.) Lucas boues appellaſſe. Sed ſi à Libya dictæ ſunt Lucæ, pantheræ & leones non Africanæ beſtiæ dicerentur, ſed Lucæ: ſi ab Lucanis dictæ, vrſi cur potiùs Lucani, quàm Luci dicti? Quare ego potiùs Lucas ab luce dictas reor, quod longè relucebant, propter inauratos regios clypeos, quibus eorum tũ ornatæ erant turres Vide Prou. *Prius locuſta Lucam bouem pariet.* Vbi dicitur, antiquos Lucas appellaſſe boues ob magnitudinem; quæ antiquitas non probatur Sanctio. Et in adagio, *Larinum verbum*, habetur, Latinos veteres Lucam dixiſſe pro grã di. *Elephas.* Eſt enim elephas ſeu elephantus (nam vtrumq; dicitur) animal horrendum, quadrupedum maximum, terrorem hominibus & trepidationem incutiens, maximè non aſſuetis. Aiunt Plutoni ſacrum eſſe hoc animal. De illius natura & docilitate inter cæteros habetur feſtiua Iuſti Lipſij epiſtola, quam vide. *Lucani qui.* Porrò Lucani (vt & hoc obiter notem) populi ſunt inter Calabros & Apulos ſiti; quos à Samnitium duce Lucio ortos, Sempronius tradit in libello De diuiſione Italiæ.

Saeua vis] immanitas, ferocia.

Ira] ſummus impetus. Editio Rouiliana habet, *dira proboſcis*.

Proboſcis. *Proboſcis*] προβοσκὶς, roſtrum elephanti, ſiue etiam muſcæ. Eſt autem pars ſiue corporis porrectio naribus inhærens, in elephantis manus dicta, quod ea manus vice vtantur, teſte Plinio & Pomponio. Dictum putant aliqui à verbo προβοσκεῖν, quod eſt *antepaſcere*. Dicitur etiam Promuſcis.

Hoſtiles equos] equos Galatarum hoſtium.

Trophæũ. *Ergo trophæa locans*] Græcè τρόπαιον, ἀπὸ τοῦ τρέπειν, *à conuertendo*. quod qui hoſtes in fugam conuerterat, trophæum merebatur, quod in loco publico conſpicuum erat, vt victoriæ ſignum. Primùm fiebant trophæa ex arboribus deciſis ramis, & trunco ſpolijs hoſtium decorato; fiebantq; vbi hoſtes terga verterant. Primumque trophæum ex olea conſtitutum tradit ex Dionyſio in artib. Cœlius Rhodig. lib. 7. c. 19. Poſtea etiã ex ęre lapidibusq; trophæa fabricari cępta ſunt. In his trophæis hoſtium arma affigebantur, inciſo gẽtium victarum titulo. Vnde Virgilius 11. Æneid.

Indutosq; iubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaq; nomina figi.

Eodem loco pulcherrimam trophæi deſcriptionem habet idem Virgilius:

Ingentem quercum deciſis vndiq; ramis
Cõſtituit tumulo, fulgentiaq; induit arma,
Mezenti ducis exuuias, tibi magne trophæũ
Bellipotens; aptat rorantes ſanguine criſtas,
Telaq; trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
Perfoſſumq; locis, clypeumq; ex ære ſiniſtra
Subligat, atq; enſem collo ſuſpendit eburnũ.

Sic etiam Iuuenalis Sat. 10.

Bellorum exuuiæ, truncis affixa trophæis
Lorica, & fracta de caſſide buccula pẽdens,
Et curtum temone iugum, victaq; triremis
Apluſtre, et ſummo triſtis captiuus in arcu.

De trophæis plura habet præter alios Antonius Valtrinus De re militari veterum Romanorum, lib. 7 c. 20.

Occideramus, ait] Perieramus, dixit Antiochus Soter.

Ni nos ſeruaſſet] ni nobis victoria obtigiſſet elephantorum beneficio.

Bellua fœdiſſima] vaſtiſſima, contemptiſſima, vt referas ad verbum ſequens, *pudet*. Minos legi mauult *fidiſſima*, quam *fœdiſſima*. quæ lectio etiam tolerari poteſt.

Barrus. *Barrus*] Barrum Nonius Marcell. ele

Barritus quid.

phantem dicit: barrire enim proprium eſt elephantorum, inquit M. Varro. Inde barritus, talis vox. Apuleius Florid. 3. Vt eſt taurorum grauis mugitus, luporum acutus vlulatus, elephantorum triſtis barritus, &c. Sed & pro clamore militari vſurpatur. Veget. lib. 3 cap. 18. Clamor, quem barritum vocant, prius non debet attolli, quam acies vtraq; ſe iunxerit. Corn. Tacitus: Sunt Germanis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem barritum vocant, accendunt animos, futuræq; pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. Amm. ſic lib. 16. Cornuti & Bracati vſu præliorum diu turno firmati excipiunt eos, iam geſturientes barritum ciere vel maximum: qui clamor ipſo feruore certaminum à tenui ſuſurro exoriens, paulatimq; adoleſcens, ritu extollitur fluctuum cautibus illiſorũ. Idem lib. 26. de Procopio agens imperium fœdè ac miſerè mercato: pro terrifico fremitu quem barbari dicunt barritum, nuncupatum Imperatorem ſtipatumq; de more conſentientes in vnum, reduxerunt ad caſtra. Libro 31. ſic: Et Romani quidem voce vndiq; Martia concinentes, à minore ſolita ad maiorem protolli, quam gentilitate appellant barritum, vires validas erigebãt.

Vt ſuperaſſe iuuat] Viciſſe vtile quidem, ſed non honeſtum. Alluditur ad illud, *Lucrum pudori praſtat*. Et quod quidam ait in Plauti Trinumo:

Pol pudere, quã pigere praſtat, totidẽ litteris.

Eũdem ſenſum aliter extulit in Pſeudolo:

Nimio id, quod pudet, facilius fertur, quam illud quod piget.

IV. *Imperatores ipſiq; principes ſæpe honeſto vtile præferũt. Lyſandri aſtus.*

Hoc exemplo belli duces potiſſimũ notantur, qui ſæpiſſimè honeſto vtile anteponunt. Antigonus rogatus, quo modo eſſent hoſtes aggrediendi, dixit: Aut dolo, aut vi, aut apertè, aut inſidijs. Sed improbius Lyſander, qui exprobranti cuidam artes & dolos, quibus in prælijs vteretur: Si, inquit, leonina pellis ſufficere non poſſit, induenda certè vulpina eſt. Innuebat quidem ad artes confugiendum eſſe, ſi quid virtute parari non queat. Huic quidem Chilonis aduerſatur ſententia; Damnum inquientis præferendum eſſe turpi lucro: ſiquidem illud ſemel dolemus, hoc ſemper cum infamia durat. At vt Chorœbus apud Virgilium;

—— dolus an virtus quis in hoſte requirat?

quod noſtris temporibus (proh dolor) in quibus virtuti fortuna comes eſſe debuerat, magno noſtro malo pluſquàm ſatis eſt, experimur. Quando enim vberior vitiorum copia? quando maior auaritiæ patuit ſinus? Imperator Ethnicus & Barbarus faſſus eſt ſe ſuperaſſe hoſtes non vi, ſed dolo, vnde & trophæum iuſſit erigi: plerique verò Chriſtiani duces (quod grauatè dico) ſæpenumerò dolis & inſidijs hoſtem circumueniunt, idq; virtuti bellicæ aſcribunt: nec eſt quod apud eos de vincendi via diſputetur, quælibet Martis alea vel aperta vel inſidioſa committitur: ſicque,

Excurſus in fœderũ & fidei violatores princi pes.

Cura quid expediat prior eſt, quàm quid ſit honeſtum.

Rex Sapor ſcribens ad Conſtantinum, apud Ammian. Marcellin. lib. 17. inter alia, tum hoc eleganter: Ideoq; Armeniam recuperare cum Meſopotamia debeo, auo meo compoſita fraude præreptam. Illud apud nos numquam acceptum fuit, quod aſſeritis vos exultantes nullo diſcrimine virtutis ac doli, proſperos omnes laudari debere bellorum euentus. Iſocrates in Panathenaico iniuſta bella ita exagitat: θαυμάζω δ' εἴτινες τὰς μάχας καὶ τὰς νίκας τὰς παρὰ τὸ δίκαιον γενομένας, μὴ νομίζουσιν αἰσχίους εἶναι, καὶ πλειόνων ὀνειδῶν μεστὰς, ἢ τὰς ἥττας τὰς ἄνευ κακίας συμβαινούσας· καὶ ταῦτα εἰδότες, ὅτι μεγάλαι δυνάμεις, πονηραὶ δὲ, πολλάκις γίγνονται κρείττους ἀνδρῶν σπουδαίων, καὶ κινδυνεύειν ὑπὲρ τῆς πατρίδος προαιρουμένων· οὓς πολὺ δικαιότερον ἂν ἐπαινοίημεν, ἢ τοὺς περὶ τῶν ἀλλοτρίων ἀποθνήσκειν ἑτοίμως ἐθέλοντας, καὶ τοῖς ξενικοῖς στρατεύμασιν ὁμοίους ὄντας. ταῦτα μὲν γάρ ἐστιν ἔργα πονηρῶν ἀνθρώπων. τὸ δὲ τοὺς χρηστοὺς ἐνίοτε χεῖρον ἀγωνίζεσθαι τῶν ἀδικεῖν βουλομένων, θεῶν ἄν τις ἀμέλειαν εἶναι φήσειεν. id eſt: *Miror autem ſi qui ſunt, qui prælia & victorias præter ius & æquum partas, non eſſe turpiores, & pluribus plenas eſſe probris exiſtiment, quàm clades ſine ignauia acceptas: præſertim cùm ſciant magnos exercitus, quamuis ſceleratos, ſæpè ſuperiores eſſe viris honeſtis, qui pro patria pugnare non dubitant: quos laudari multò ſit æquius, quàm eos, qui alienarum opum cupiditate mortem oppetere non recuſant, conductitijs militibus ſimiles: nam hæc facta ſunt hominũ improborum. Quod verò boni viri nonnunquam infelicius, quàm qui ſtudent iniurijs infe-*

Iſocratis locus de bello iniuſto.

inferendu, præliantur, id Deorum incuria fortaſſis eſt tribuendum. Rectè Theodoricus apud Caſſiodorum lib. 1. Variar. ad Marcellum Aduocatum fiſci: Non quoties, ait, ſuperes; ſed quemadmodum vincas, inquirimus. Non quæras de poteſtate noſtra, ſed potius de iure victoriæ: quando laudabilius à parte fiſci perditur, cùm iuſtitia non habetur, &c. Non minus rectè Claudian. Honorium admonens, vt non quod liceat, ſed id quod deceat in vita priuata & publica ſpectet:

Non tibi quid liceat, ſed quid feciſſe decebit
—Occurrat.

Et Iuriſconſulti tradunt non modò quod liceat, ſed & quod honeſtum ſit, vidēdum eſſe, l. ſemper, De ritu nupt. & l. 197. de verb. ſign. Ego Emblematis epigraphen traduco ad curioſa hominum ingenia, quæ vanitatibus plerunque occupata illaudata ſequuntur, ſpe producendæ famæ, interim neglecta virtute nunquam ſatis laudata, quę ſola immortalitati conſecrat. Hinc tot extant in vitæ abuſum & perniciem oblectamenta, quale eſt illud tormenti æneí formidabile inuentum, omni admiratione & execratione dignum, armorum fabrica & officinæ, philtri, cicutæ, aconiti mortifera coctura, pœnarum inſtrumenta & mille ſpecies, crudelis ingenij funeſti partus & tyrannidis filiæ, natæ communi orbis malo, illaudata ſanè & perniciosa non curioſa ſolùm induſtria. Hæc ipſa quid inauſum & intentatum tranſit, incredibili vanitate, & prurientis cerebri deteſtandis commentis? Hinc magiæ portenta, & aruſpicum deliria, ſortilegia & diuinationes, præſtigia & impoſturæ, & quidquid ex phantaſtica illa officina inſaniæ; à quibus natura ruinam ſui & euerſionem iam pridem metuit, cum moliantur, quæ illa nullo modo pati poteſt, nec attingere: dum in ipſas rerum ſpecies conantur inferre prodigioſam neſcio quam metamorphoſin; & ab inacceſſis mundi ſuperioris partibus nouam quandam eſſentiam, quæ diuinum oculum in prima molitione vniuerſi operis turpiter fefellerit, elicere, virtutis ac potentiæ ſtupendæ & admirabilis, qua pigmentis & incruſtationibus aureis omnia transformant, cooperante illo ſuo Philoſophorum lapide, Hermetis ſigillo, luto ſapientiæ, & pulviſculo quodam ex piſtrino Iouis aut Mercurij. Seuerus admodum ſit oportet ac rigidæ frontis, qui videns in Alchymiſtica ſua coquina talem magiſtrum, riſum teneat. Sedet ibi myſteria artis grauiter edoctus, cum ſcobe ſua ac raſura cœli, inter carbones atra fuligine ſordidus, ſulphur olens, venena & lotia, pannoſus, eſuriens, ſolo hydrargyrio ſatur, ad paralyſin vſque & membrorum omnium torpedinem, ſtillicidio narium & oculorum perpetuò diues, vaporibus exhauſtus, induratus fumo, carbonario ſimilis, & nigerrimo Satana nigrior, nec probior fortaſſe, fraudum & mēdaciorum architectura, quam exercet; qui pro tribus aſſibus etiam animam venalem habeat & deuoueat inferis, pro vno lepore viridi, aut dracone caudam ſuam deuorante. Sacratiſſima arcana ſunt hæc videlicet, nec niſi artis, vt dicunt, filijs cognita, & qui huius myſterijs initiati. Sed quid inde? præter vanum tumorem & ventos, nihil: muſculi quidam & minutuli ſorices prodeūt ex aureis iſtis montibus, auro, fide, veſte ridiculorum eiuſmodi artificum, in fortunatis illis nugarum cauernis, corroſa ad cutem vſq; & oſſa. Nihil vilius hoc hominū genere, nihil vanius, nihil flagitioſus etiam aut peruerſius, vt non immeritò quæſtioni pleriq; ſubijciantur, nec carnificum manus effugiant, qui veſpillonis officio functi in aere ſepeliunt pabula coruorum. Ab his talibus glutinina, ſequeſtrationes, & diuerſæ metallorum temperaturæ, non inutili quidem (fatendum eſt) curioſa tamen & ſumptuoſa molitione; qua licet recondita & ſuppreſſa in ſcrinio naturæ, vita humana nihilominus ingenioſæ huius vanitatis ignara, ſarta tecta manſiſſet. Ab his ceruſſa, purpuriſſum, ſtibium, & reliqua meretricia pigmenta: ab his tincturæ & adulterationes monetarum, fucati & falſarij nummi, lapidum ſigilla & imagines, ſtillādo ab iiſdem deciſus ſudor, oleum & ſpiritus, elementa ipſa (ſi fas credere) & inanimati anima. A pyrotechnicis ad plaſtica & fuſoria veniamus, quæ certè non minus importuni ingenij artificia ſunt, ad oſtentationem pariter & libidinem inuenta. Ad ſpecularia deinde, quorum tot illuſiones, ludibria & impoſturæ, vt non tam hominem quam diabolum aliquem autorem liceat opinari: quorum tamen originem & rationem conficiendi ab Optica acutuli iſti deriuant, excogitatis tot tamq; diuerſis generibus, incauo, conuexo, plano, columnari, pyramidali,

Curioſa hominū ingenia circa vanitates.

Alchymici pictura.

Opticæ vanitas.

li, turbinato, gibboſo, rotundo, angulari, inuerſo, euerſo, pellucido, ſolido corpore aut vitro, ſic vt ſuſceptam imaginem non omnia intra ſe repræſentent, ſed remotius in aera foras reiectam, velut aereum quoddã ſimulacrum & phantaſma, videntibus obijciant: vel ab remotiſſimis etiam ſpacijs, beneficio Solis, deferant aliunde idola per multa milliaria, & ſiſtant in obtutu velut præſenti re. Non addo verbum, ita mihi oculos perſtringunt & faſcinant magici iſti radij. Abite, ò curua rectorum iudicia.

In momentaneam felicitatem.

EMBLEMA CXXV.



AERIAM propter creuiſſe cucurbita pinum
Dicitur, & grandi luxuriaſſe coma:
Cum ramos complexa, ipſumq́; egreſſa cacumen,
Se præſtare alijs credidit arboribus.
Cui pinus: Nimium breuis eſt hæc gloria; nam te,
Protinus adueniet, quæ malè perdet, hyems.

COMMENTARII.

1. CVCVRBITA iuxta caudicem pini plantata ſurſum ſerpit, & ramis illius ſe implicat. Eſt autem pinus arbor procero *Pinus.* & craſſo caudice, inferiore quidem parte

nudo,

nudo, ſed ſuperiore admodum ramoſo. Folia habet ſetæ equinæ ferè modo tenuia, oblonga, cacumine pungentia, & aculeata, quæ non decidunt. De hac arbore plura dicemus infra Emblemate 203. ex Plinio, Theophraſto, & Dioſcoride.

II. *Vnde Emblema petitum.*

SCRIBIT Guicciardinus Italus ſcriptor, id Alciati carmen affixum fuiſſe ianuæ cuiuſdam hominis Angli, qui factus inſolentior ob proſperos rerum ſucceſſus, permultis inuiſum ſe præbebat. Idem eſt apologus apud Petrum Crinitum de honeſta diſciplina lib. 2. cap. 14. Sata eſt olim, inquit, cucurbita iuxta pinum arborem, quæ grandis admodum, & ramis patulis extabat: cucurbita verò cum multis pluuijs atq; cœli temperamento creuiſſet, laſciuire incepit, & ramulos audacius porrigere. Iam ſerpebat in pinum, iam ſurgere, iam ramos & frondes inuoluere audebat; ampliora folia, candentes flores, prægrandia poma & virentia oſtentans. Itaq; tanto faſtu atq; inſolentia intumuit, vt pinum arborem auſa ſit aggredi. Vides, inquit, vt te ſupero, vt amplius folijs, vt virore præſto? Et iamiam ad cacumen proſurgo. Tũ pinus, quæ ſenili prudentia & robore pollebat, nihil mirata eſt cucurbitæ inſolentis audaciam, ſed ita reſpondit: Ego hic multas hyemes, calores, æſtus, variaſq; calamitates peruici, & adhuc integra conſiſto: tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cũ & folia concident, & viror omnis aberit. Eſt & alia huiuſmodi fabella Laurentij Abſtemij, de cucurbita & olea.

III. *Aerius.*

AERIAM] editiſſimam, altiſſimam, vt alibi diximus. Virgil. 1. Ecloga:

Nec gemere aeria ceſſabit turtur ab vlmo.

& 3. *——namq; notaui.*

Ipſe locum aeria quo congeſſere palumbes.

Sic paſſim legis, *Alpes aeria*, *Arces aeria*, *Cacumina aeria*. &c. pro altis.

Propter, pro propè.

Propter pinum] id eſt, propè pinum. Terentius Adelphis:

Nimium iſtoc abiſti, hic propter hunc aſſiſte.

M. Tullius in Piſonem: Hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius &c. Idem 2. de Inuent. Fluuius Eurotas, qui propter Lacedæmonem fluit. Ouidius 8. Metamorph.

Propter humum volitat, ponitq; in ſepibus oua.

de perdice loquitur. Eadem vox *Propter*, in eadem ſignificatione aliquando ponitur ſine caſu. Terent. Adelphis:

Eſt ad hanc manum ſacellum, ibi angiportum propter eſt.

Cucurbita.

Cucurbita] planta eſt hortenſis notiſſima, in altum aſcendens, mirum, ſi propius adſit cui innitatur, ſe extendens, natura etiã ſublimitatis auida: hyemem maximè odit, de hac Plin. lib. 19. cap. 5.

Grandi luxuriaſſe coma] ſua folia dilataſſe, ſuas frondes in latum porrexiſſe. Dicuntur autem arbores luxuriare, cùm abũdantius ramos emittunt ſiue producunt.

Cum ramos complexa] amplexata pinum, cuius beneficio excreuerat in altum.

Præſtare alijs arboribus] meliorem eſſe vel antecellere.

Nimium breuis eſt] Tua iſthæc iactantia breui durabit, primis enim hyemis frigoribus excutieris, celeriterq; decides.

IV.

MORALE huius Emblematis eſt, non eſſe ſuperbiendum ob ſubitum proſperæ fortunæ euentum. Illa enim vitrea eſt, cumque maximè ſplendet, frangitur: vſq; adeò etiam leuis & inconſtans, vt citiſſimè quæ dedit, repoſcat. Hinc rectè torquetur in eos, qui ob momentaneam quandam fœlicitatem gloriantur, quiq; plus habent oſtẽtationis & pompæ, quàm facultatum aut virium. Itaq; non mirum videri debet, ſi dum ſe alijs præferunt, magnique videri volunt, ſe alijs, & quidem naſutis hominibus ridendos propinent, & tamquam ſicci quidam floſculi citiſſimè exareſcant ac decidant. Certè apud Onirocritas cucurbita ſpes inanes præſagit, vtpotè quæ cùm ventricoſam admodum ſpeciem præ ſe ferat, multumq; identidem nutrimenti polliceri videatur, illud tamen tenue, & niſi condimento aliquo iuuetur, egregiè fatuum eſt, vt refert Pierius lib. 58. Eodem planè modo ſeſe habent Thraſones illi, fortunæ ſuæ momentaneæ iactatores, vel qui ſecundis ventis plus æquo turgeſcunt, neq; aduertunt ſeueriſſimam illam Nemeſim, quæ de ſuperbis & faſtuoſis vindictam ſumit. Id apertis verbis Pauſaniæ Simonides, ab eodem conuiuio lautiſſimè exceptus ſignificauit. Rogatus enim vt quidpiam ex arcanis Philoſophiæ adferret in medium, videnſque Pauſaniam rebus ſuis nimium fidere, dixit: Memineris te in tanto rerum ſucceſſu hominem eſſe. At quæ eſſet verbi huius vis, quodq; pondus, parum vidit Pauſanias.

In eos, qui ob proſperos ſucceſſus intumeſcunt.

Cucurbita quid allegoricè.

Pauſanias inſolens.

ſanias. Itaq; cùm ipſe iam in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutus, mortem ſibi impendere intelligeret, exclamaſſe fertur: Quàm inani perſuaſione deceptus eram, qui Cœi hoſpitis ſaluberrimum conſilium ad me pertinere non putabam: vnde nunc miſerè perire cogor. Rectè Philippus Macedo, qui ne felicitate nimia ſe efferret, ex pueris aulicis vni id muneris demandauit, vt ſummo mane cubiculum ingreſſus pronunciaret, ἄνθρωπος εἶ φίλιππε. *Homo es Philippe*. Cuius rei faciendæ occaſionem fortaſſe dederat Archidamus Ageſilai filius, qui cum à Philippo poſt partam victoriam ad Cheronæam acerbas & minarum plenas literas accepiſſet, huic reſpondit: Si metieris vmbram tuam, Philippe, haudquaquam reperies illam factam maiorem, quàm erat ante victoriam. Aliud, ſed vitæ priuatæ apponam exemplum in Mæna liberto Pompeij, quem inſectatur Horatius Epod. 4. Oda. Hunc populus indignabundus Romanos ludos è primis quatuordecim ordinibus ſpectantem, nuper ſeruum, nec modò ſæpe vinctum, ſed & verberatum Ibericis funibus, duriſq; compedibus peruſta latera cruraque habentem: quod etiam grauius eſt, magni alicuius delicti cauſa ſeruilibus affectum flagris: modò repenteq; liberum, opulentum, ſuperbum, delicatum, præfectum claſſi aduerſus piratas. Carmen Horatianum quia ſit in omnium manibus, facilè prætermitto. Interea tamen ad hunc locum multa obſeruari facilè poſſunt. Primùm, eos longè arrogantiores eſſe, qui nuper diuites euaſerũt, quàm qui in amplo patrimonio educati opes & fortunas acceperunt à maioribus, quod notat Ariſtot. ſecundo de arte dicendi. Deinde ſæpenumero fieri, vt diuitiæ mẽtem perſtringant, vt hominem inſolentem reddant: quamobrem noſter Flaccus, *Stultitiam patiuntur opes*. & Publij mimus: Fortuna quem nimiùm fouet, ſtultum facit; vt Cicero de amicitia dicit, nihil quicquam inſipiente fortunato intolerabilius: Adeò verum eſt quod multorum eſt in ore, fortunam non ſolùm ipſam eſſe cæcam, ſed etiam eos, quos amplexa ſit, cæcos efficere. Salluſt. Res ſecundæ animum etiam ſapientum fatigant: Virgil 10. Aeneid.

Philippus Macedo ex inſolẽti moderatus.

Fortuna varietas.

Neſcia mens hominum fati, ſortiſq; futuræ,
Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Idem Ouid 1. artis:

Luxuriant animi rebus plerumq; ſecundis.

Adhæc non poſſe non indignari viros bonos & cordatos alioqui, cùm vident abiectos, viles, improbos in altum prouehi, opibus & honoribus augeri, potentiam conſequi, qua tamen indigni ſunt. Iuuenalis Satyra prima:

Patritios omnes opibus cùm prouocet vnus,
Quo tondente grauis iuueni mihi barba ſonabat,
Cùm pars Niliacæ plebis, cùm verna Canopi
Criſpinus, Tyrias humero reuocãte lacernas
Ventilet æſtiuum digitis ſudantibus aurũ,
Nec ſufferre queat maioris pondera gẽmæ,
Difficile eſt Satyram non ſcribere.

Sequitur:

Quid referam quanta ſiccum iecur ardeat ira, &c.

Sed in ſumma, ferè fit vt cùm fortuna ita blanditur, captatum veniat: quod ſubinde debemus meminiſſe, ne opprimamur incauti: nam fallacia ſunt & caduca quæcunque à fortuna pendent, opes, diuitiæ, honores, clientelæ, magiſtratus, potentię; affluũt ſubitò, repentè dilabuntur, nullo in loco ſtabili nixa radice conſiſtunt: ſed incerto flatu huc atque illuc acta quos extulerunt in ſublime, decurſu improuiſo deſtitutos miſerrimè deijciunt. Seiani fatum atrociſſimum mihi occurrit, ſed quia iam alio loco adductum memini, facilè tranſilio. Venit in mentem quod Dion retulit de Narciſſo quodam liberto Claudij Cæſaris. Cũ expeditionem Britannicam legiones detrectarent, nec duci militiæ Plautio, laudato viro, parere vellent, Narciſſus ab Imperatore miſſus ſuggeſtum conſcendit, verbaq; facturus pro concione ad milites, prohibitus eſt omnium acclamationibus, vſurpato etiam in eum diuerbio, Io Saturnalia; quia in Saturnalibus ſerui herili cultu induti epulari conſueuerant. Hoc autem dicterium nonnunquam in eos torquebatur, qui ſuæ conditionis immemores inſoleſcebant. Non eſt igitur prudentis ob fortunæ ſucceſſum intumeſcere, ſed opus habet vt ſe proprijs, non externis bonis metiatur. Et quidem rectè præcipere videntur, qui monent, vt quantò ſuperiores ſumus, tanto nos ſummiſſius geramus: timenda eſt enim vel maximè fortunæ volubilitas, quæ tantùm conſtans eſt in leuitate ſua, vt Naſo ait. Cæterum ad hanc epigraphen id adiungo:

τὰ

Proſperâ fortuna non caret periculo.

τὰ μεγάλα δῶρα τῆς τύχης ἔχει φόβον,
κ) τὸ πάνυ λαμπρὸν ἐκ ἀκίνδυνον κυρεῖ,
οὐδ᾽ ἀσφαλὲς πᾶν ὕψος ἐν θνητῷ γένει,
ὃ περιέτρεψαν ἢ χρόνος τις ἢ φθόνος,
ὅταν ἐπ᾽ ἄκρον τις τῦ καλῶς πράττειν
δράμῃ.

Ait Apollod. Comicus. Sic verò Latinè:

Habent perampla dona fortunæ metum,
Periculoq́ non carent præluſtria:
Nec vlla celſa tuta ſunt mortalibus,
Quæ euertere vel inuidia, vel tempus ſolet,
Felicitatis culmen vbi quis attigit.

Eodem ſpectant verba Hecubæ ad Vlyſſem ex Euripide:

Οὐ χρὴ τοὺς εὐτυχοῦντας εὖ δοκεῖν πράξειν ἀεί·
Κἀγὼ γὰρ ἦν ποτὲ, ἀλλὰ νῦν οὐκ εἰμ᾽ ἔτι,
Τὸν πάντα δ᾽ ὄλβον, ἦμαρ ἕν μ᾽ ἀφείλετο.

Non decet felices exiſtimare ſe felices ſemper fore.
Ego enim eram quondam, nunc non ſum amplius:
Cunctas ſed opes dies vnica mihi abſtulit.

Citatur illud Menandri:

Ὡς εὐκόλως πίπτουσιν αἱ λαμπραὶ τύχαι.

Quàm facilè cadunt qui ſecunda fortuna vtuntur.

Ad id accedunt mimi quidam veteres, vt illud: Citò ignominia fit ſuperbi gloria. Et hoc: Citò improborum læta in perniciem cadunt. Salluſtius: Laſciuiam atq; ſuperbiam alunt res ſecundæ. Et Seneca: Proſpera animos efferunt. Q. Curtius lib. 2. Fragilitatis humanæ nimia in rebus proſperis obliuio eſt. Et appoſitè Iuuenalis Satyr. 2.

——iam nunc ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe reor: tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Marius.

De Mario tyrannorum ſeptimo dictũ eſt, quod vno die factus eſt imperator, altero viſus eſt imperare, tertio interemptus eſt à milite, qui percuſſurus illum dixerit. Hic eſt gladius, quem ipſe feciſti. Alludens ad prouerbium, *Tuo te gladio iugulo*. Fuerat enim opifex ferrarius Marius, antequam ad imperium veniſſet.

Ex damno alterius, alterius vtilitas.

EMBLEMA CXXVI.



DVM ſæuis ruerent in mutua vulnera telis,
Vngue leæna ferox, dente timendus aper;
Accurrit vultur ſpectatum, & prandia captat.
Gloria victoris, præda futura ſua eſt.

COMMENTARII.

I. LEO & aper acerrima pugna inter ſe dimicare videntur, cui vultur in arbore non procul inde ſita inſidens, ſe ſpectatorem præbet.

II. *Fons Emblematis.* Hoc petitum conſtat è Gabriæ apologis: ſic enim eſt tetraſtichon Senarijs iambicis:

λέων μάχην ἔϛησε πρός ποτε κάπρῳ.
γῦπες δ' ἄνωθεν ἐσκόπευον τὴν ἔριν,
βρῶσιν τὸν ἡττηθέντα ποιῆσαι τάχα·
φίλους δ' ὁρῶντες ἠϛόχουν τῶν ἐλπίδων.

Quos ſic vtcumq; reddidit Minos:

Leo pugnam aliquando inſtituit in aprum:
Vultures autem ex alto loco obſeruabant
certamen [vt] pabulum, eum
Qui vinceretur, facerent ſtatim ſibi.
Amicos autem cùm vidiſſent [eos eſſe factos] exciderunt ſpe.

In aprum leo certare quandoq; auſus eſt,
Quos longè ſpectabant lite mota vultures,
Qui vinceretur vt vorarent. attamen
Iis tandem amicis tota ſpes prædæ excidit.

Sed meo iudicio videtur potius deſumptum ex Aæſopi quadam fabula, quæ ſic habet. *Fabula Æſopi.* Leo & vrſus ſimul magnum nacti hinnulum, de illo pugnabant: grauiter igitur à ſeipſis affecti, vt ex multa pugna tenebræ oculis oborirentur, defeſſi iacebant. Vulpes autem, vt circumeundo proſtratos illos vidit, hinnulũ in medio iacentem, per illorum medium percurrens rapuit, fugiensq; abijt. Illi autem ipſam videntes, atq; ſurgere non valentes: Nos miſeros, dicebant, qui vulpi laborauimus. *ἐπιμύθιον.* Fabula ſignificat, alijs laborantibus alios lucrari. Huc propè ſpectare videtur Claudianus in Epigrámmate:

Toruus aper, fuluusq; leo coiere ſuperbis
Viribus, hic ſetis, ſæuior ille iuba:
Hunc Mars, hunc Cybele laudat: dominatur vterq;
Montibus, Herculeus ſudor vterq; fuit.

III. *DVM ſæuis ruerent*] Dum certarent inter ſe graui & periculoſo Marte, atrociſſima contentione, leo quidem vnguibus, & dentibus aper truculentis.

Mutua vulnera] Alludit ad illud Ouidij 3. Metamorph.

Marte cadunt ſubiti per mutua vulnera fratres.

Dente timendus aper] Sic Ouidius in Epiſtol.

——obliquo dente timendus aper.

Et Martialis libro 13.

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum.

Item Ouidius alio loco:

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

Martialis:

Fulmineo ſpumãtis apri ſum dente petita.

Conſtat apros cùm ira feruent, dentibus vrere, in ijsq; aliquid igneum contineri, vt teſtatur Xenophon in Cynegetico. Hoc dentium fulmen reuocat mihi in memoriã id, quod Theocritus habet Eidyll. 29. de apro Adonis occiſore. Quem quia totũ lingua Hetruſca loquentẽ fecit Reuerendiſſimus & doctiſſimus Pater NICOLAVS DE ODDIS, Abbas S. Benedicti Nouelli Pataui, nihil verebor tam eleganti poemate meo labori autoritatem conciliare, vt candidus lector ex vno aut altero carmine paſſim ſubiungendo, virum, tanquam ex vnguibus leonem agnoſcat: obnixè rogans auctorem, vt pro ingenita ſua bonitate, ſicut mihi illud priuatim communicare dignatus eſt, ſic id quoque publici iuris (quod auidè expetitur) facere, & ſibi poſteritatem deuincire, non vltrà differat. *Nicolaus de Oddis Theocritũ vertit idiomate Italico.* Sic autẽ ſua lingua Theocriti verba canit: *Eidyllium Theocriti 29.*

Quando pur vidde morto
Adone Citerea,
Pallido ambe lè gote,
Con l'immago di Morte
Dipinta nel bell viſo,
E con capelli aſperſi
D'atro e di nero ſangue,
A gli Amoretti ſuoi
Commanda, ch' il cignale
Vcciſor del ſuo Adone
Venga di lei prigione.

Quei

Quei dibattendo l' ali
Tutta d' interno intorno
La gran ſelua luſtraro,
Sin ch' al fin trouaro
L' homicida cignale.
E da ben mille nodi
Ligato e riligato
Fù auanti à lei portato.
Vn Amoretto hauea
Il laccio e le ritorte
Ben cauto in ſua balia.
Vn altro poi con l' arco
Da tergo anco ſpingea
La fera pigra e lenta,
Che Citerea pauenta.
A cui diſſe adirata
La vaga Citerea,
L' immortal bella Dea:
Empia fera crudele,
Frà le fere più fera
Tu foſti, che la coſcia
Feriſti al mio fedele.
Tu che profonda e larga
Laſciaſti in lui la piaga.
Ed ella: O bella Dea,
Giuro per te, e per lui,
Per queſti lacci giuro,
Per queſti tuoi qui Amori
Leggiadri cacciatori,
Ch' io ferir già non volli
Il belliſſimo Adone,
Il tuo giouine amato;
Ma repente ch' io viddi
Le nude carni e belle
Mirailo e rimirailo
Qual coſa diua e ſacra,
E d' amor arſi, e corſi
A fatto forſennata
Ver quella coſcia amata
(Auenga ei mi cacciaſſe)
Intendendo baciare,
Non ferire ò piagare.
Tu queſti ſpezza e taglia
Tu queſti piglia e puni
E ſuperflui e nociui
Denti miei amatori,
Amatori e vcciſori.
A che laſciarmi queſti
Iſtromenti funeſti?
E le labra pur tronca
Se non baſtano i denti
Troppo, ahi troppo pungenti.
Moſſa à pietà la Dea
Commanda che slegato
Sia libero laſciato.
Ei manſueto e humile
Poſcia non più ſen gio
Tra le più occolte ſelue,
Ma ſendo dentro e fuore
Tutto foco d' amore
Arſe poſcia per ſempre
In amoroſe tempre.

Accurrit vultur] ſpectatorem egit. Vultur auis rapax, fertur biduo aut triduo prę ſentire futura cadauera, ob inſignem odorandi facultatem. Plin. lib. 10. c. 6. *Vultur odoratu pollet.*

Prandia captat] Inde commodum ſperat, aliquid ſibi pollicetur. Captare prandia, eſt hic, ni fallor, prædam expectare: quod explicat ſequenti diſticho, niſi tamẽ captare, altiorem quendam ſenſum habeat, vt apud Iureconſultos, apud quos captare propriè dicitur, qui dolis & illectamentis quibuſdam aucupatur lucrum. Sic hæreditatẽ captare dixit Vlpianus, pro eo quod dicimus, artificiosè niti ſtructisq; technis, vt eam præter defuncti voluntatem corrodamus, l. 1. ff. ſi quis aliquem teſt. Et votum captandæ mortis, ardens ille affectus eſt, quo flagrant iniuſti quidam homines, ex morte alterius lucrum ſibi pollicentes, vitæq; inſidias alij parantes, l. de fideicommiſſo, C. de trãſact. Martialis hoc verbum ita vſurpauit vt propriè, ita lepidè: *Captare quid.*

Capto tuam, pudet heu, ſed capto, Maxime, cœnam:
Tu captas aliam; iam ſumus ergo pares.

Idem alio loco:

Dum me captares mittebas munera nobis:
Poſtquam cepiſti, das mihi, Rufe, nihil.

Gloria victoris. &c.] ex victore ipſo prædam capiet.

IV. *Principũ Chriſtianorum rixis auctũ eſt Turcicum imperium.*

SVSCEPTVM id videtur ſpeciatim in Principes Chriſtianos; qui cum inter ſe non longè antè decertarent, Solimanus Turca, quaſi ſpectatorem agens, ſuam non parum ditionem auxit, & in Germaniam irrupit, magna & ingenti totius Reipub. Chriſtianæ calamitate & damno. Quod Georgius Sabinus hoc hexaſticho perſecutus eſt:

Mutua diſcordes faciebant prælia turdi,
Aeris & alitibus pugna duobus erat.
Vidit vt amborum prædo certamina niſus,
Vnguibus & roſtro dilaniauit aues.
Sic modò dũ faciunt diſcordes prælia reges,
Turcicus Europæ diripit hoſtis opes.

Ex quo facilè intelligimus, quantum mali

afferat

afferat inteſtinum diſſidium non modò ciuitatibus, ſed & imperijs tum labefactandis, tum etiam euertendis. Nihil enim ciuili bello periculoſius eſſe poteſt, nimirum quod hoſti externo non paruas addat vires. Hic ego non incommodè referam ex Iuſtini 8. hiſtoriam nobilem de Philippo Macedone, qui ſe vulturem præſtitit in diſſidio duorum Thraciæ regum. Sic enim Iuſtinus: Fortè euenit, vt Philippum fratres duo reges Thraciæ, non contemplatione iuſtitiæ, ſed inuicem metuentes, ne alterius viribus accederet, diſceptationum ſuarum iudicem eligerent. Sed Philippus more ingenij ſui, ad iudicium veluti ad bellum, inopinantibus fratribus, inſtructo exercitu ſuperuenit, regno vtrumq; non iudicis more, ſed fraude latronis ac ſcelere ſpoliauit. Extat Chriſtiana elegia, quam de ijs belli temporibus ſcripſit Franc. Franchinus, homo Italus, eam hic adijcere non putaui alienum, neq; ingratum ſtudioſis. Sic ergo ille:

Ciuili bello nihil exitioſius.

Elegia Franc. Franchini.

Gallia cui paret, cui paret Bætica tellus,
Iã conferre manũ Marte furente parant:
Tamq; animis, & tam concurrunt fortibus armis,
Turbidus vt iamiã ſanguine Sabis eat.
Et tamẽ amborũ ceruicibus imminet hoſtis
Thracius, in pharetris acer, & acer eq;.
Qui maius nil mente petit, nil voce precatur,
Quã ſemel vt pugnẽt hi duo Marte pari.
Sperat enim noſtris confractis viribus, omnẽ
Europam paruo poſſe labore premi.
Ne, Reges, ne tanta animis diſcordibus ira,
Ne gerite hoſtili bella petita prece.
Illius in vires & pectora vertite ferrum,
Sternere qui telis ardet vtrumq; ſuis.
Roma rogat, Paulusq; rogat, datq; arma, dat aurum
Paulus, & ad tanta præmia laudis opẽ.
Tu Deus, ex alto qui proſpicis omnia cælo,
Quiq; vides, maneat quanta ruina tuos,
Conſule militibus, ſacris & conſule tẽplis:
His ducibus prohibe bella cruenta geri.
Hi pietate graues, duo ſunt hi lumina pacis:
Hi duo ſunt belli fulmina, magne pater.
Infer te mediũ, liquidis da nubibus imbres,
Fac rapidum tumidis flumen inundet aquis:
E caſtris amboſq; iube diſcedere ab armis,
Coge domũ armipotẽs alter & alter eat:
Seq; putet neuter victum, ſed iactet vterque
Victorem populis ſe rediſſe ſuis.

Non malè quadrat hoc loco belli etymõ, quod à belluis deductum volũt: ſiquidem belluarum, non hominum eſt inter ſe confligere, hoſtiliq; odio diſſidere. Grauis eſt & cordata Theodahadi epiſtola ad Francorum regem, lib. 3. Caſſiodori Variarum: Ambo eſtis, inquit, ſummarum gentium reges: ambo ætate florentes; non leuiter veſtra regna, quàm *ſatis ſi data partibus libertate confligitis, virtus veſtra patriæ non fiat inopina calamitas: quia grandis inuidia eſt regum, in cauſſis leuibus grauis ruina populorum. Ammian. Marcellin. lib. 14. Sarraceni, inquit, miluorum vitæ ſimiles, qui ſi prædam deſpexerint, celſius volatu rapiunt celeri; aut ſi impetrarint, nihil morantur. Cicero 13. Philipp. Quod ſpectaculum adhuc ipſa fortuna vitauit, ne videret vnius corporis duas acies, laniſta Cicerone dimicantes. Val. Max. lib. 7 cap. 6. Caio Mario & Caio Carbone Coſſ. bello ciuili cum L. Sylla diſſidentibus, quo tempore non Reipub. victoria quærebatur, ſed præmium victoriæ res erat publica. Nec video cur idem Emblema non etiam de rabulis forenſibus dici queat, qui hoc vnicè agũt, vt linguæ lenocinio litem ex lite nectentes, & iurgia protelantes locupletentur, atque ita ex malis alienis rem faciant, cùm potius in id danda eſſet opera, ne lites fierent penè immortales, & vitæ modum excederent. Vnde Apuleius hos tales non inſcitè vultures togatos appellat. Quo ſenſu & Cicero in Orat. pro Sextio, Gabinium & Piſonem, qui precio omnia nundinarentur, atq; ad ſe raperent, vulturios paludatos nominauit. Quam in rem extat elegans Emblema Ioachimi Camerarij Cent. 3. Emblem. 36.

Belli etymon.

Rabulæ forenſes vultures togati.

Vultur præda inhians eſt captatoris imago:
Heu quam plena etiam ſunt fora vulturibus!

Bonis auſpicijs incipiendum.

EMBLEMA CXXVII.



AVSPICIIS res cœpta malis, bene cedere neſcit.
Felici quæ ſunt omine facta, iuuant.
Quidquid agis, muſtela tibi ſi occurrat, omitte:
Signa malæ hæc ſortis beſtia praua gerit.

COMMENTARII.

I. VIATOR ſeu potiùs inſtitor domo ſua egrediens, itineri accinctus, obuiã habet muſtelam, animal quadrupes ex murium genere; omen non ſatis fœlix & auſpicatum.

II. Ex Diogeniano refertur tale adagium γαλῆν ἔχεις. id eſt: *Muſtelam habes.* In eũ quadrat, cui omnia ſunt inauſpicata, tanquam fatis & Dijs iratis, vt aiunt. Olim creditum eſt, hoc animal inauſpicatum infauſtumq; eſſe ijs, qui haberent, domiq; alerent: vt non admodum diſſideat ab illis, *Equum habet Seianum.* &, *Aurum habet Toloſanum.* Vnde nunc etiam apud quaſdã gentes, nominatim apud Britannos, infelix omen habetur, ſi cum paratur venatio, aliquis muſtelam nominet. Cuius etiam occurſus vulgo nunc habetur inauſpicatus. Vide Alexandrum ab Alexandro lib. 5. cap. 13. Memini me alicubi legere, equum in ingreſſu itineris ceſpitantem, aut prioribus lapſum pedibus, pro inauſpicato ſigno à veteribus

Muſtela animal inauſpicatum.

Equus in ingreſſu itineris ceſpitãs.

teribus accipi ſolitum fuiſſe. Cum enim Sulpicius Galba in prouinciam exiens, ad portam ipſam canterium ſuum cecidiſſe animaduertiſſet: Rideo inquit, canterie, te iam lapſum eſſe, cùm tam longum iturus iter, vix ingreſſus labetis. Quæ hiſtoria prouerbio locum dedit, in eos, qui animo deficiunt ipſo ſtatim negocij principio. Multæ ſunt eiuſdem argumenti apud M. Tulliū hiſtoriæ libris de diuinatione. Huc refero ſuperſtitioſa veterum auſpicia, qui nil aggrediebantur niſi conſultis aruſpicibus. Saniùs P. Claudius, qui primo bello Punico, ioco quodā omina irridens, quæ de pullis gallinaceis maiores ſoliti fuerant accipere. Nam cùm è cauea producti pulli cibum non attingerent, idq. ominoſum cenſeretur arma capeſſentibus, mergi illos in aquam iuſſit, vt biberent, ſi nollent edere, ac mox inſtruxit aciem. Sic Pruſias rex, exulante apud ipſum Hannibale, & hortante vt copias educeret: reſpōdit, ſe nō audere, quòd exta prohiberent. At contra Hannibal: An tu, inquit, caruncule vituline mauis quàm imperatori veteri credere? Lucullum item, cùm pridie Nonas Octobreis contra Tigranem Mithridatis generum copias eduxiſſet, & ex militibus quidam nefaſtum diem eſſe eundem prædicarent, atq; ad capeſſendum bellum non videri idoneum; dixiſſe tradunt: Ego, commilitones, ex atro hoc die feliciſſimum rebus bene geſtis efficiam. Refert Fulgoſus lib. 7. cap. 2. de Miſoniano Hebræo, equite inſigni, qui cum morantem equitum turmam inſpiceret, in qua ipſe cum Romanis militibus erat; & moræ cauſam intelligeret eſſe, quod augur priùs inſpicere vellet, quid augurij capiendum eſſet ab aue, quam fortè in via offenderat: ille aliud ſe agere fingens, arcum tetendit, primaq; ſagitta confoſſam auem in terram deiecit, atque ridens ad comites conuerſus dixit: Parum conſilij atq; opis ab irrationalibus animatis poſſe quemquam ſperare, poſteaquam pateat, ea neſcire, quæ ad ſe ipſa pertineant. Et re, & verbo auguria vana eſſe, ſtulteq; eis credi oſtendens. Talis quoque ſuperſtitio multos ex plebe apud nos Germanos habet, vt monachum, aut anum meientem, aut leporem obuium, pro inauſpicato; lupum verò pro felici omine habeant. Quæ res ſeruo cuidam occaſionē dedit illudendi ruſtico: nam cum is leporem per viam tranſilientem conſpexiſſet, in ſiluam cum iumētis pergere prohibuit; ſequenti verò die cùm lupum haberet obuium, bonam fortunam augurabatur. Cū verò lupum ipſius iumentum deuorātem inueniſſet ſeruus, accurrens ad ruſticum nunciat, bonam fortunam iumentum occupaſſe.

P. Claudius auguria irridet.

Lucullus.

Miſonianus Hebræus.

Salſè.

III. *AVSPICIIS res cœpta malis*] Res malè incepta initio, non ſortitur felicem exitū: at quæ cœpta feliciter, non niſi bene poteſt cadere. Auſpiciū dicitur auium inſpectio, & quæ ex volatu earum & vocibus ſignificentur.

Auſpicium.

Quidquid agis] ſi quid incipias.

Muſtela tibi ſi occurrat] Occurſum muſtelæ ominoſum fuiſſe tradunt auctores, & nos iam retulimus. Eadem picta infortunium ſignificabat: animal enim putabatur infauſtum eſſe, maliq; præſagij, ijſque maximè, quorum domos habitet. Dicitur enim inſidiari domeſticis animalibus, præſertimq; altilibus, eaſq; ad internecionem vſq; perſequi. ait Pier. lib. 13. Idemq; occurſum plerisq; religioſum haberi dicit. Adhæc in negotijs obeundis vel nomen ipſum, vtporè efficaciæ contrarium, multos remorari. Muſtelarum tria ſunt genera, Gales, Ictis, Meles, de quibus vide Plinium lib. 29. cap. 4. Varronem de re ruſt. lib. 3. cap. 10.

Muſtelæ occurſus.

Muſtelarum tria genera.

Signa mala] hæc enim portendit neſcio quid ſiniſtri.

IV. In ſuſcipienda re aliqua non parum conducit fauſtum principium: ita non minimum adfert incommodi, ſi vel malo, vel inerti, aut etiam flagitioſo principio negotium ordiaris. Citatur illud Sophoclis à Plutarcho, libro de Poetis audiendis:

Optima principia quid præſtent.

ἔργου δὲ παντὸς ἤν τις ἄρχηται καλῶς,
καὶ τὰς τελευτὰς εἰκὸς ἔσθ' οὕτως ἔχειν.

Quicumq; rem recta ratione inceperit,
Bonum illius certò ſperabis exitum.

οὐ γὰρ οἷόν τε, ait Polybius, τοῦ τέλους τυγχάνειν, μηδὲ τῆς ἀρχῆς εὐστοχήσαντα: Minimè enim fieri poteſt, vt finem ritè conſequatur, qui de principio non rectè primū coniecerit atq; cogitarit. Tantam vim dicunt ineſſe bonis fauſtisq; negotiorum ſuſcipiendorum principijs, vt ea vix bene cadere poſſint, quæ infelix initium ſortiuntur. Et ſanè omnia diligenter aduertenda eſſe, graues nec pœnitendi auctores cenſuerunt. Rectè quidem & prouidè, modò abſit ſuperſtitioſa illa & inutilis obſeruatio,

quæ

quæ humanos animos terrore neſcio quo afficit, & torquet. Nam vt in rè aliqua ſuſcipienda non parum conducit fauſtum felixq́; principium, quandoquidem vel Poeta teſte,

Facti dimidium qui bene cœpit habet:

Ita non parum adfert impedimenti, aut etiam incommodi, ſi malo principio negotiũ aggrediaris, tum enim muſtelam, id eſt, omen habere inauſpicatum dicimur, cùm flagitij alicuius à nobis perpetrati, necdũ expiati purgatique animo obrepit ſiniſtra quædam cogitatio, quæ intimam conſcientiam verberet atq; lancinet: quo fit, vt frigidius & ignauius rem alioqui magnam auſpiceris. Rectè Aiax apud Homerum, qui Deos inuocat ſeſe ad arma componẽs, neq; enim putat ſibi felicius rei bene gerendæ auſpicium capere poſſe, quàm ab inuocatione numinis. Cur poeticum illud, vt verè Philoſophicum, celebratur, ἐκ Διὸς ἀρχώμεθα &, *Ab Ioue principium Muſa?* Cur Romani ſuorum conſiliorum & Senatus habendi ducebant initium à ſacro illo precationis carmine, cuius tam ſæpe mentio eſt apud ſcriptores? Sed & in delectu militum ijdem, vt legionibus conſcribendis, operam dabant, vt qui primus vocaretur, auſpicatum nomen afferret. Neq; verò ad vtramq; confirmandam partem (eorum nempè, qui omina & auſpicia vel neglexerint, vel obſeruarint) multis verbis opus eſt. Exempla ſi quis euoluere velit, petat à Valerio Maxim. lib. 1. cap. 4. Non ſolùm, ait Cic. 1. De diuinat. Deorum voces Pythagorei obſeruarunt, ſed etiam hominum, quæ vocant omina. Quæ maiores noſtri quia valere cenſebant: idcircò omnibus rebus agendis, QVOD BONVM, FAVSTVM, FELIX, FORTVNATVMQVE ESSET, præfabantur: rebusq́, diuinis, quæ publicè fierent, vt FAVERENT LINGVIS, imperabatur: inq́; ferijs imperandis, vt litibus & iurgijs ſe abſtinerent. Itemq́; in luſtranda colonia, ab eo, qui eam deduceret: & cùm Imperator exercitum, cenſor populum luſtraret, bonis nominibus, qui hoſtias ducerent, eligebantur. Quod idem in delectu conſules obſeruant, vt primus miles fiat bono omine. Celebre eſt quod retulit Cedrenus, Græcus auctor, de Perſis, apud quos ſollemne fuit, de nulla re graui & ſeria quicquam ſtatuere prius, eamq; auſpicari, quã

Muſtelã occurrere quid.

Aiax qualis apud Homerum.

Sacrum carmen precationis.

oratio & colloquiũ religiosè haberetur. Lumen huc adfert illud Iſocratis ad Demonicũ: ὡς ἂν βούλῃ ποιήσασθαι φίλους, ἀγαθόν τι λέγε περὶ αὐτῶν πρὸς τοὺς ἀπαγγέλλοντας. ἀρχὴ μὲν γὰρ φιλίας, ἔπαινος. ἔχθρας δὲ ψόγος. *Si velis tibi parare amicos, bonum quid dicito apud eos, quod aliquis illis renunciet: nam principium amicitiæ, laudatio eſt; inimicitiæ autem vituperatio.* Hanc ſententiam variè vſurpatam reperio Iureconſultis. Originem enim rei aiunt inſpiciendam, l. 1. ff. de orig. iur. Et, quæ malo ſunt inchoata principio, vix eſt vt bono peragantur exitu, c. principatus, 1. q. 1. apud Gratian. c. miramur, 61 diſt. Item, quod ab initio vitioſum fuit, tractu temporis conualeſcere non poteſt, l. quod ab initio, ff. reg. iur. l. ſi tibi decem. § ſi pactus. ff. de pact. Alioqui ſatis eſt bene incepiſſe, quamquam diuerſus ſequatur effectus, l. ſed an vltrò, §. 1. ff. de neg. geſt. Nec res ſubſiſtit, cum ad eum caſum venit, à quo non potuit incipere. l. pro parte, ff. de ſeruitut. Item, vbi nullum principium eſt, nullus finis ſequitur, l. in vniuerſis, C. qui dar. tut. Et diſpoſitio facta inhabili, cui lex ab initio reſiſtit, ſi conferatur in tempus habile, hoc eſt, in tempus permiſſum, non validatur. l. ſi minor. ff. de ſeru. export. l. in tempus. ff. hæred. inſtit. Et alia huiuſmodi ſexcenta occurrunt, quæ ſtudioſi pro ſuo arbitratu poſſint ſublegere. Sed audiamus hac quoque ſuper re Plautinam Muſam, quæ ſic in Perſa:

Iuriſconſultorum de re auſpicanda ſententia.

Si quam rem accures ſobriè aut frugaliter,
Solet illa rectè ſub manus ſuccedere.
Atq; edepol, fermè vt quisque rem accurat ſuam,
Sic ei procedunt poſt principia deniq;
Si malus aut nequam'ſt, malè res vertunt, quas agit.
Sin autem frugi 'ſt, eueniunt frugaliter.

Huc quoq; collimat ſententia Demoſthenis. 1. Olynth. Si initio ſtatim prudenter & diligenter adminiſtraremus omnia, res noſtræ meliore loco eſſent, & moleſtijs, quas parit ſocordia, careremus. Vnde autem nobis ſint ducenda principia docet Cicero 2. de Legib. A Dijs, inquit, immortalibus sũt nobis agendi capienda initia. Etenim Θεοῦ δείξαντος ἀρχὴν οὐδὲν δὴ τὸ κώλυμα. *Deo monſtrante principium, nullus officit obex.*

Nihil reliqui.

EMBLEMA CXXVIII.



SCILICET hoc deerat poſt tot mala, denique noſtris
Locuſtæ vt raperent quicquid ineſſet agris.
Vidimus innumeras Euro duce tendere turmas,
Qualia non Atylæ, caſtravè Xerxis erant.
Hæ fænum, milium, farra omnia conſumpſerunt:
Spes & in anguſto eſt, ſtant niſi vota ſuper.

COMMENTARII.

1. PINOR ſegetē caſſis aut depaſtis ſpicis, quam turmatim circumuolitent locuſtæ, inſecti illud genus, in perniciem frugum natum; quas tamen ventus verſus mare ſpirans gregatim in illud propellere videtur. Locuſtam ſic deſcribit Claudianus in Epigram.

Locuſtæ deſcriptio.

Horret apex capitis, medio fera lumina ſurgunt
Vertice, cognatus dorſo dureſcit amictus.
Armauit natura cutem, dumiq; rubentes
Cuſpidibus paruis multis acuere rubores.

Singularium locuſtarum deſcriptiones & picturam mox trademus; Vbi aliquid ad illuſtrationem huius epigraphes pertinens præmiſerimus.

NIHIL RELIQVI] Hęc epigraphe prouerbium olet, ei ſimile, quod vſurpauit Ariſtides, II.

Epigraphe.

Ariſtides. ἐν λόγῳ περὶ τοῦ παραφθέγματος· Οὐδὲν ἔτι ὤν. *Nihil amplius.* Sed, hæc oratoris verba, vbi de Neſtore: Τὸ λεγόμενον δὴ τουτὶ, οὐδὲν ἔτι ὤν τις ταῦτα ὑπὸ γήρως. *Iuxta id, quod dici ſolet, nihil amplius exiſtere præ ſenio:* Cui conuenit illud: *Præter plorare nihil.* quod Horatius in Satyris, & M. Tullius vſurparunt.

Hiſtoria de locuſtis.

DEFLET horribilem quãdam calamitatem, qua fuit affecta Inſubrum Longobardia circa annum, vt conijcere licet, 1541. Eleuata enim nube locuſtæ dicũtur ex aere cecidiſſe, quæ legumina, herbas, & grana fermè omnia depaſtæ, induxerunt famem, & quorundam deſperationem, quòd poſt tot tantaque infortunia nihil eſſet relictum. Habebant digiti longitudinem, turgida capita, ventres obeſos, & ſanie refertos. Itaq; extinctæ intolerabili fœtore aerẽ corruperunt, vt etiam corui, cornices, accipitres, aliæque aues cadaueribus alioqui inhiantes ferre nequiuerint. Quod colligimus ex Commentarijs eorum, qui noſtri temporis hiſtoriam congeſſerunt. Ijdemq; tradunt, in regionibus Poloniæ regno finitimis incredibilem fuiſſe eiuſmodi animalculorum multitudinem: nullas primò alas habuiſſe, ſed magnos dediſſe ſaltus: paulò poſt quatuor adeptas, tantoque numero conuolaſſe, vt duo milliaria in longum & latum cubito tenus ita occuparent, vt ipſius quoq; ſplendorem Solis à toto illo terræ ſpatio ſua denſitate excluderent: vnde colligere eſt facillimum, rebus humi naſcentibus damna innumerabilia inde ſubſecuta eſſe, quæ ad radices vſq; omnia depaſtæ eſſent. Cùm verò ſuccreuiſſent alæ, erant digiti humani magnitudine, tumq; in fruges atrocius graſſabantur. Cæterùm hæ neq; vi, neq; induſtria alia propulſari potuere. Locuſtarum etiam in Africa multitudinem prodigii ſimilem fuiſſe tradit Auguſtin. in lib. De ciuitate Dei tertio, cap. vltimo, cùm iam populi Romani prouinciaeſſet. Conſumptis enim fructibus & folijs lignorum, ingenti nube in mare dicunt eſſe deiectam, quæ mortua, ſecuta eſt aeris corruptio, quæ tantam aduexit peſtilentiam, vt in ſolo Maſiniſſæ regno octingenta hominum millia periiſſe referantur, & multo amplius in terris littoribus proximis. Hæc ille. Hertmannus Schedel in

Hertmannus Schedel.

Chronic. de dãnis ab eodem animaliũ genere illatis ita cõmeminit: Lotharii Imperatoris tẽpore, ait, à Carolo Magno tertii, locuſtæ innumerabiles ſex alas habentes, & dentes duos lapide duriores, in Gallia, veluti nix, terram operuerunt: herbas, ſegetes & arbores, ac vniuerſa viriditatem habentia deuaſtarunt. Tandem proiectæ in mare, & ad littora in terram eiectæ, ſecuta eſt magna putrefactio: & inde mortalitatem magnam, aerem inficientes, generalemq; hominum interitum ſuſcitarunt. Idem auctor hac de re ſic alibi ſcriptum reliquit: Tempore Caroli Burgundionum Ducis, filii Philippi optimi, locuſtæ per Italiam vagatæ, Brixiæ agrum deuaſtarunt, cùm in Brixiano agro in maxima multitudine aduolarunt: quæ Brixianis & Mantuanis maximum damnum intulerunt. Quibus niſi Ludouici Mantuani Principis ſolicitudo obſtitiſſet, ſata quoq; in tota Lombardia corroſiſſent. De locuſtarum depaſtione ferè quid ſimile narrat Gregorius Turonenſis hiſtoriæ Franciæ lib. 6. cap. 33. ſub regno Childeberti prouinciam Carpitanã grauiter à locuſtis fuiſſe vaſtatam, vt non arbor, neq; vitis, neq; ſilua, aut frutex, vel quidquam viride remaneret, quod non locuſtis euerteretur. Et cap. 44. Locuſtæ de Campania prouincia, quam per quinque corroſerant annos, progreſſæ, quaſi publicum tenentes aggerem, ad aliam prouinciam huic vicinam ſe receperunt. Harum ſpatia extendebantur in centum quinquaginta millia longitudinis; latitudo verò in centum millibus terminabatur. Hæc ille.

Gregorius Turonenſis de locuſtis.

Locuſtarum etiam meminere Imperatores in l. 18. C. de loc. & cond. Excepto, aiunt, tempore, quo edaci locuſtarum pernicie ſterilitatis vitium interceſſit, ſequentis temporis fructus, quos tibi iuxta præteritam conſuetudinem deberi conſtiterit, reddi tibi prouinciæ Præſes iubebit. Huius quoq; depopulationis locuſtarum deſcriptionem elegantem habemus ex Piſide, eo libro, cui nomen fecit περὶ κοσμουργίας. Ea ſic habet:

Deſcriptio locuſtarum, ex Piſide.

Τίς ἐκστρατεύει παγκενῆ τὴν ἀκρίδα;
Ἔθνος πτερωτὸν εἰς φθορὰν Αἰγυπτίων,
Βέλος νεφῶδες ἐξ ἀδήλου τοξότου,
Λόγχην ἑτοίμην, αὐτοκίνητον δόρυ,
Πυκνὴν φάλαγγα, μυριόστομον ξίφος,
Πηδητικὴν ἔπαλξιν ἀστάτου μάχης;
Οὐχ ἵσταται γάρ, ἀλλὰ πλήττει, καὶ τρέχει,
Ἔρπουσα πορθεῖ, καὶ κλονεῖ πτερουμένη,
Δοκεῖ δὲ φεύγειν, καὶ παλίνδρομος φθάνει,

Φθείρει πρὸ καιρῦ, καὶ θερίζει πρὸ χρόνυ,
Ὠς μὴν ἀμέλγει τῶν ὀπῶν τὴν ἰκμάδα,
Τρυγᾷ τὰ φύλλα, τὴν τρύγην δὲ βόσκεται
Καὶ συλλέγει τὰ κῶλα, καὶ τείνει πάλιν
Ὥσπερ τὰ νεῦρα τῶν βελῶν οἱ τοξόται.

Quiſnam in aciem inducit locuſtarum
agmina?
Aligera, collecta in neces Ægyptias,
Vt nubilum telum abditi ſagittarij,
Iaculũ paratum, haſtamq; motam vi ſua,
Denſam cateruã, centicipitemq; gladium,
Salienſq; præſidium inquieti prælij?
Locuſta enim non ſtat, feritq, & curſitat,
Vaſtatq; repens, peruolitat omnia loca,
Fugasq; ſimulat, reciproca & ſiſtit via,
Ac perimit ante tempus, ante diem metit:
Arbuſta marcere, & rigere herbas facit:
Crudũ lignorum exſugit humorem omniũ:
Vindemiat folia, ac vorat vindemiam:
Cadauera modò congregat, modò diſſipat,
Neruos ſagittarum vt ſagittipotens ſolet,
Et hoſtium corpus ſuorum vulnerat
Haſtilibus crurum recuruorum horridis.

Laurentius Pignorius ſolers hiſtoricæ veritatis indagator, hanc de qua loquimur Inſubrum deuaſtationem, à locuſtis factã, in annum 1542. incidiſſe refert, & figuram illarum locuſtarum eleganti effigie fideliter appingi curauit: Sic enim ille in ſuis Notis: Locuſtæ anno Domini 1542. die 28. Auguſti Inſubriam, & Venetiam depopulatæ ſunt. Id verò quo ad annum adeò verum eſt, vt ambigere non liceat. Præibat porrò illarum agmen (vti traditum eſt) monſtrum, quod nos hic appingendum curauimus, cum locuſtæ imagine, vt rei memoria perennet, videatq; Prouidentiæ diuinæ hoſtes, ſyntaxin DEI OPT. MAX. in pœnis etiam infligendis, ad quas non ſine mente & conſilio prodit ſapientiſſimum illud Numen. Et huiuſmodi parergo vſi ſunt tunc temporis Phrygiones (vti ego non ſemel animaduerti) in aulæis exornandis. Hæc ille. Pictura verò talis eſt. *Pignorij ſolertia, & fides.*

Effigies Locuſtæ, & monſtri ipſam præcedẽtis, anno 1542. Lombardiam Inſubrum infeſtantis.



Hæc plaga locuſtarum (ait Sanctius) in Longobardia Inſubrum depaſtis omnino frugibus, in Narbonenſem prouinciam euolauit: Auſtro verò flante, tandem diuino nutu in mare præcipitata eſt.

III. *POST tot mala*] poſt tot acceptas calamitates.

Locuſta vt raperent] abſumerent, depaſcerentur. Locuſtę noxiæ ſunt frugibus, quas exedunt & perdunt ad internecionẽ. *Locuſta.*

Vnde

Vnde quidquid noxium eſt & incommodum, & perniciem affert alicui rei, meritò locuſta vocatur. Ariſtoteles 3. Rhetor. ex Steſichoro prouer. vſurpauit, *Cicadæ apud eos humi canent.* οἷον εἴτις λέγοι ὅπερ Στησίχορος ἐν Λοκροῖς εἶπεν, ὅτι οὐ δεῖ ὑβριστὰς εἶναι, ὅπως μὴ οἱ τέττιγες χαμόθεν ᾄδωσιν. *vt ſi quis dicat id, quod Steſichorus in Locris extulit, non oportere conuiciari, ne cicadæ humi canant.* Voluit poeta vaſtationem rerum omnium, ruinamq; extremam intelligere, adeò vt non ædificia modò, ſed ne arbores quidem ſtantes relinquantur, omniaq; ſolo æquentur, vt cicadę nihil habeant quo inſideant. Hoc inde ductum, quòd cicadæ arbuſtis maximè gaudeant. Exemplum eſt comminationis, quo ſignificatur cuncta arbuſta ſucciſum iri ſtirpitus ab hoſtibus, ita vt ſic truncatis ſtipitibus cicadæ neceſſariò cogantur humi cantillare. Apud Theocritum puella depaſtrix alieni patrimonij, καλαμαία μάντις appellatur, id eſt, locuſta, quæ meſſem intercipiat. Arcendis locuſtis multa veteribus prodita ſunt remedia, ſi vacat, lege apud Caſſium Dionyſ. de agricultura lib. 13. cap. 1. De locuſtarum autem ortu & natura vide Plinium lib. 11. cap. 29. Locuſtis veſcebatur ſanctiſſimus Propheta Ioannes in deſerto, quamuis aliqui aliter ſentiant, dicentes, ἀκρίδες, locuſtas ſignificare, & cacumina & ſummitates; vt intelligas D. Ioannem arborum aut herbarum ſummitatibus veſci. Sed his non obſtantibus, verum eſſe mihi perſuadeo, D. Ioannem locuſtis victitaſſe, quæ inter animalia munda numerantur in Leuitico, cap. 11. Teſtem habeo Adamantium, qui 11. Homilia in Lucam dicit: Ex alitibus verò non grande præpingueve vllũ, quo ſe liberius inuitare poſſet, habuit: non aeriuolum, quod cibum præberet delicatiorem: ſed exiguum admodum volucre, quod vix à terra exſurgeret, ſaltitaretq; potiùs quàm volaret. Sũt etiam populi in Aethiopia & India, qui locuſtis pro cibo vtuntur, de quibus conſule Diodorum, & alios.

Cicada humi canēt, quid.

S. Ioannes Baptiſta an locuſtis veſcebatur.

ἀκριδοφάγοι.

Vidimus innumeras turmas] innumerabilem locuſtarum multitudinem flante Euro concretam ſaltitaſſe. Eſt autem hic allegoria ab exercitu, qui turmas & ducem habet.

Euro duce] Eurus ventus eſt calidus ab Oriente ſpirans, vt ait Ouidius:

Eurus.

Eurus ad Auroram, Nabathæaq; regna receſſit.

Dictus, vt quidam volunt, ἀπὸ ἠῶ ῥέων, id eſt, *ab aurora fluens.*

Qualia non Atyla] De Atyla, ſiue Attila, quoniam non eſt iniucunda hiſtoria, nemini, puto, tædium afferet plenior verborum copia. Primùm omnium Gotthi, deinde Vandali, poſtremò Hunni Hungariam ingreſſi ſunt, & hi poſtremi terram retinuerunt, vnde & Hungariæ appellationem ſortita eſt. Crudelis hic locus maximam cladem vniuerſæ propemodum Europæ intulit. Atyla ex Hungaria exercitũ trecentorum millium duxit in Germaniã (alij dicunt 500000.) plurimasq; potentes vrbes diripuit, inter quas Baſilea, Auguſta, Argentoratum, VVormacia, Colonia, & plures aliæ fuerunt. Inde in Galliam progreſſus, Burgundiorum regem cepit, Aureolam obſidione cinxit, & ſtatuit totius Europę ſibi dominium vſurpare. Erat autem tunc in ea parte Galliæ citerioris, quæ à Cæſaribus adhuc tenebatur, Romanus dux Aetius: hic fœdus iniit cum Francis, & cum Gotthis, vt iunctis viribus crudeliſſimo tyranno Atylæ reſiſteretur. Atyla verò, quia timuit ſibi à viribus Gotthorum, ſollicitauit Diethricum eorum regẽ, ne quid auxilij Romanis ſuppeditarent; ſed pro ſingulari conſtantia ſua Gotthi recuſarunt vllam vel amicitiam, vel confœderationem cum tyranno barbaro contrahere. Itaq; in campis Catalaunicis vtrinque infeſtis ſignis congreſſi ſunt. A Romanorum parte Aetius, Gotthi & Franci; ab altera Atyla. Et teſtantur hiſtoriæ, nunquam in Occidente tantum ab vtraq; parte exercitum, tantamq; multitudinem collectam fuiſſe, perinde ac ea fuit. Pugna continua ab exortu Solis in noctem vſque durauit. Tandem in fugam conuerſus Atyla amiſit centena octoginta millia. Ipſe etiam tanta anguſtia exagitatus eſt, vt non procul abeſſet, quin ſeipſum peremiſſet. Aetius verò, Franci & Gotthi, etſi victores erant, tamẽ Gotthorum rex Diethricus, ſiue Theodoricus, in eo conflictu perijt. Mortem patris filius vlciſci voluit, & ſtatuit collectis copijs Atylam, & reliquum exercitum prorſus delere: & deleuiſſet haud dubie, niſi ex Aetij conſilio ſententiam ſuam immutaſſet. Sed malum hoc fuit Aetij cõſilium, nam parua manu potuiſſet tunc vinci Atyla.

Hũgaria vnde ſic dicta.

Exercitus Atyla.

Atyla victus.

la. Poſtea verò reuerſus in Hungariam, reparato exercitu, & collectis viribus, poſt Aetij, deinde Valentiniani cædem redijt infeſtior, & Italiam inuaſit. Irrumpentem Atylam excepit Forum Iulii: in eo diuturniorem moram fecit oppugnatio Aquileię munitiſſimæ vrbis, quam triennio obſeſſā ſolo æquauit.

Obſidio Aquileia.

Cogit ratio longæ obſidionis, vt in eam deſcendamus opinionem, vim ea Aquileienſis populi vi non potuiſſe tolerari, ſed Patauinorum, & aliorum, qui propè erant Romanorum ſtudioſi, auxilijs ſuffultam tam diu ſtetiſſe contra tantum barbarorum exercitum. Aquileia exciſa, quæ contra aduentantes barbaros propugnaculum Italiæ fuerat, Atylas Concordiam, Altinumq; diripuit & incendit. Nec exitium Patauini effugere, quorum vrbem pro viribus reluctantem demolitus item exuſſit.

Excidiū Patauij.

Excidium Patauii contigit anno ab ipſius origine 1560. Chriſti verò 452. Patauinis, vti Aquileienſibus, cæterisq; vicinis, noua ciuitas Venetiarum, in inſulis æſtuariis (quarum maxima & magis culta, imò magiſtratu decorata, erat Riuoaltus) nuper ædificata conſuluit, quo nobiliores familiæ, & precioſa quæque relata ſunt, vt meritò in eam dicatur conceſſiſſe quidquid decoris & diuitiarum in tota prouincia ex prædis barbarorum reliquum fuit.

Origo Venetiarū.

Et iam Atylam ipſam imperii arcem Vrbem Romam petere fama ferebat, cùm occurrens ei Leo Pontifex Romanus ſupplex petiit, vt retrocederet. Fertur dixiſſe Atylam, viſam iuxta Pontificem aſtantem viri cuiuſdam imaginem, minitantem ſibi ſtricto gladio, & terrore perculſum promiſiſſe ſe receſſurum. Porrò in Hungariā reuerſus ſolennes nuptias egit, & prima nocte nimio vino obrutus, præter expectationem effuſa è naribus ſanguinis copia eſt ſuffocatus. Exitum hunc habuit hic tyrannus, quem non puduit publico titulo, *Flagellum Dei*, ſe appellare. Hæc contigerunt circa annum Domini 453. De Atyla & Hunnorum bello vide plura apud Paulum Diaconum lib. 15.

Atyla flagellum Dei.

Caſtrauè Xerxis erant.] Xerxis hiſtoriam tam latè proſequitur Herodotus, libro 7. vt non ſit iudicium eam huc referri. Iuſtinus quoq; lib. 2. & Plutarch. initio libri, cui Parallela nomen fecit, pluribus de eodem agūt; hos itaq; adeat, qui integram hiſtoriam velit: nos potiora, & quæ huc magis ſpectant, decerpemus. Xerxes rex fuit Perſarum, Darii filius; inceptum à patre bellum in Græciam inſtaurat. De numero militum ſic ait Iuſtinus loco citato: Iam Xerxes ſeptingenta millia de regno armauerat, & trecenta millia de auxiliis, vt non immeritò proditum ſit, flumina ab exercitu eius ſiccata, Græciamque omnem vix capere exercitum potuiſſe.

Xerxis exercitus.

Herodotus in Polymniaſc. 15. ſic: Nauium ſumma triū millium fuit, in eis fuerunt virorum vigintiquatuor myriades, id eſt, ducenta & quadraginta millia. Hæc igitur erat *claſſis* ex Aſia vnius & quinquaginta myriadum virorum in vniuerſum, & præterea ſeptem millia ſexcenti decem. Peditatus fuit decies ſepties centena millia, equitatus octoginta millia. Quibus adde Arabes, qui camelos; Pœnos, qui currus agebant, quæ facio vigintimillia. Quæ copiæ claſſiariæ & terreſtres in ſummam redactæ fiunt ter & vicies centena & decem & ſeptem millia ſexcenti & decem. Huic tanto exercitui obuium ſe tulit ad Thermopilas Leonidas cum quadringentis Lacedæmonijs, qui etſi omnes mortem oppetierunt, tamen circiter viginti millia Perſarum priùs ſtrauerunt. Tandem Xerxes à Themiſtocle Athenienſium duce fuſus, turpiter aufugit.

Xerxes victus.

De eodem Xerxis exercitu ſi mauis habere fidem Iſacio Tzetzi, Lycophronis interpreti, hæc habe: Numerus exercitus Xerxis erat * quingentæ myriades; naues mille ducentæ & ſexaginta: quadringentis talentis opus erat exercitui ſingulis diebus. De eodem Claudianus 2. in Rufinum:

Haud aliter Xerxē tota ſimul orbe ſecutus
Narratur rapuiſſe vagos exercitus amnes,
Et telis vmbraſſe diem, cùm claſſibus iret
Per ſcopulos, ſectumque pedes contemneret
æquor.

Ha fœnum, &c.] interceperunt omnem annonæ ſpem.

Farra omnia conſumpſerunt] Rei difficultas ſpondaicum fecit. Priores editiones non *farra omnia*, ſed, *corda omnia*, elegantius habebant. Corda autem non à voce cor cordis, ſed à cordum cordi, quod eſt ſecundum fœnum, poſt meſſionem primā germinans, vt ex Plinio liquet c. 28. lib. 18.

Cordum.

Spes & in anguſto eſt.] Reſtat deſperatio. Videtur Metaphora à captiuis.

Stant niſi vota ſuper.] Id eſt, nil niſi vota ſuperſunt, vt habet Ouid. lib. 1. Triſt.

Elegia

Elegia 2. Hic enim notanda Tmeſis, & Anaſtrophe.

IV. Docet Emblema, qua ratione & modo DEVS TER OPT. MAX. populum ſuum coercere & punire ſoleat, cui nemo reſiſtere, imò nec effugere poteſt; etenim calamitatum ac miſeriarum talium catena eſt, cui illigati omnes implicamur, neſcio quo fato: communi certè, nec inuento vno, qui liber ſit aut exemptus ab hac lege. Caſus, fortuna, periculum, arbitri ſũt humanarum rerum, & ludunt nobiſcum, conniuente Deo & probante, ſi qua confidentia aut ſpes in ipſum. Permittit affligi, tentari, turbari; malos, vt perdat; bonos, vt meritum augeat, & eò amplior ſit premiorum ex diuino eiuſdem ſinu refuſio. Da mihi punctum horæ, non dico horam, diem aut menſem, vbi ſerenitas & plena hilaritudo mentis, ſine punctura & felle, ſeu priuata ſpectes, ſeu publica. *Catenata calamitatũ ſeries.* Epiſtolam tradit tabellarius (ecce abſynthium & nectar in eodem vaſe) lego, placent exordia, ſed triſtis exitus: riſus in fronte, in calce lacrymæ. In villam cogitas laxatum curas, occurrit in porta paterni lethi nuncius: regrederis, in turbas incidis, plaga infligitur, dolor & ira occupant mentem: vix bene contingis limen, clamores audis, filiolus crus fregit, mater concidit præ dolore mortuæ ſimilis. Iacet in ſtabulo ſeruus aſſultu equi comminuto femore. Nonne connexio hæc malorum, & funiculus quidam per internodia ſua diſtinctus? Referant ſinguli, faſtos contexemus & commentarios integros. Structuram molitur quiſpiam domicilij, feruet opus, educitur; inuolat fulmen & abſumit iumenta, & quidquid ineſt ſupellectilis: de renouando ſolicitus eſt, lignatores mittit ſuccidendæ materiæ, ruit quercus præpoſtero caſu, ſtrages miſeranda editur: deſcendit in animum accepta clades & vellit præcordia, contabeſcit luctu, morbus corripit, periclitatur vita. Coniux præuiſæ orbitatis præſagio, & communi damno perterrita, deſerit anchoram ſpei, laqueo inneſtit gulam, & infami obitu ſpiritum extrudit. Nec finis eſt in his talibus priuatis. *Publica mala.* Hic torrens exundat, trahitq; aquarum & arenæ molem ſecum publico excidio: flamma alibi erumpit ſerius deprehenſa, graſſatur & depaſcitur omnia. Hic terræ latera concutit ſubintrans & collectus ventorum turbo, & ſubuertit ædes, imò montes nonnunquam, vt nuper vidimus: grandinis ibi ſaxeus imber fulminat, & conterit ſementẽ: alibi locuſta & inſectorum peſtis depopulatur ſpem anni: ciuilibus bellis implicantur alij: multos penuria ſubigit, & extrema fames exercet: alibi peſtifera lues & aeris infectio. Nuſquam non fœcunda ſeges malorum. Deijcitur, qui humi repit, nec attollit oculos; vt qui in medio mari fluctus tantum ſpectat, non cœlos. Meminiſſe, nos ad hæc procreatos, iuuat aliquid, & hebetat communem hũc doloris morſum. Præuidere finem horum in alio ſæculo, & ſertum victoriæ, impellit ad reſipiſcẽdum & aſſurgendum, vt cautiùs ambulemus, & moriamur libentiùs. *Ambroſij locus de locuſtis.* Audi quæ D. Ambroſius de hiſce plagis, & ſigillatim de locuſtis ſcribat lib. 5. Hexaemer. cap. 24. Vſque ad locuſtam, ait, quoq; gratia diuina penetrauit, quæ cùm agmine conferto regionis cuiuſq; occupauerit latitudinem, innoxio primùm fertur habitaculo, nec fructus inhoſpitali incurſione depaſcitur, niſi diuinæ ſignum præceptionis acceperit. Et enim ſicut in Exodo legimus, ea quoq; cœleſtis vltionem offenſionis exequitur, piæ miniſtra vindictæ. Hanc quoq; auis deuorat Seleucis. Sic enim Græco hæc auis nuncupatur nomine, data ad remedium malorum, quæ locuſta conſueuit inferre, cui creator inexplebilem dedit deuorandi naturam, vt inſatiabili paſtu plagam ſuam poſſit extinguere. Hæc Ambroſius. Similem locuſtarum plagam etiam Exodi 10. *Exodi.* minitatur Deus Pharaoni per Moyſen: Ecce ego, inquit, inducam cras locuſtam in fines tuos, quæ operiet ſuperficiem terræ, ne quidquam eius appareat; ſed depaſcet reſiduum quod ſaluatum, quodq; relictũ eſt vobis à grandine. Corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris, & implebunt domos tuas, & ſeruorum tuorum, & omnium Aegyptiorum, quantùm non viderunt patres tui & aui. Et Amos 7. cap. Et ecce fœtus locuſtarum venit matutinus: & ecce bruchus vnus Gog rex. Et erit, ſi compleuerit, vt deuoret fœnum terræ. Vel ſecundum communem & approbatam verſionem: Et ecce fictor locuſtæ in principio germinantium ſerotini imbris: & ecce ſerotinus poſt tonſionem regis. Et factum eſt, cùm conſummaſſet comedere herbam. Vide etiam in Apocalypſi cap. 9. & apud Ioſephum lib. 2. Antiquit. cap. 13.

Malè parta malè dilabuntur.

EMBLEMA CXXIX.



MILVVS edax, nimia quem nauſea torſerat eſcæ:
Hei mihi, mater, ait, viſcera ab ore fluunt.
Illa autem: Quid fles? cur hæc tua viſcera credas,
Qui rapto viuens ſola aliena vomis?

COMMENTARII.

I. DVO milui ſibi oppoſiti aſſident, quorum alter magno conamine inteſtina euomere cogitur: alter tanquam obſtetrix parturienti aſſiſtit. Miluus eſt auis rapax ex genere accipitrum, de quo Plinius lib. 10. cap. 10.

II. *Emblematis typus.* TETRASTICHON hoc paucis cõmutatis mutuatus eſt Alciatus ex apologo Gabriæ, quod ſic habet:

βοὸς φαγὼν παῖς εἰς ἑορτὴν ἔγκατα·
οἴμοι κέκληγ', ὡς σπλάγχνα, μῆτερ, ἐγχέω.
ἡ δ' αὖ γελῶσα· μὴ φοβοῦ τέκνον, ἔφη,
τῶν σῶν γὰρ οὐδὲν, ἀλλ' ἐμεῖς † ἀλλοτρίων. id eſt: † ἀλλότριον.

Bouis puer cùm ediſſet die feſto viſcera:
Hei mihi? gemebat; quia inteſtina, mater, emitto,
Illa autem ridens. Ne time, fili, inquit;
Tuorum enim nihil, at vomis alienum.

Puer die feſto bouis cùm viſcera
Voraſſet: Hei mater, clamat, mea effluunt
Inteſtina. At ridens ait: Fili, haud time,
Nã non tua hæc ſunt ſola at aliena vomis,

Sanctius

Sanctius id paululùm aliter reddidit:

Bonus puer feſto die cum comediſſet viſcera:
Hei mihi, clamabat, quòd inteſtina effundo, mater.
Hæc ridendo ait: Ne timeas, fili,
Non enim ex tuis quidquam, ſed vomis aliena.

III. *MILVVS edax*] vorax miluus ſeu miluius, quem ideò Plinius loco citato rapaciſſimam & famelicam ſemper auem vocat. *Milui hieroglyphicum.* Et Philoſophi antiquiores, qui doctrinam ab Ægyptijs magna ex parte mutuati ſunt, deq; hominum motibus per palingeneſiæ figmenta diſſeruere, per miluinam rapacitatem intelligi tradiderunt, hominesq; eos, qui auaritiæ ſtuduiſſent, promptique ſemper & parati ad imbecilliorum expilationes, & rapinas, & violentas tyrannides fuiſſent, in miluos ac lupos conuerti, vt Socrates in Phædone diſputat. In diuinis quoque literis miluus pro prædone & graſſatore ponitur. Ariſtophanes ad hanc rapacitatem alludens dixit: ἰκτῖνα παντόφθαλμον καὶ ἅρπαγα τρέφων. *Alituum omnituū ac rapacem miluium.* Pierius libro 17. Hieroglyph. Ouidius quoq; volucrem rapidiſſimam vocat miluiū, 2. Metamorph.

Vt volucris viſis rapidiſſima miluius extis.

Cicero ad Q. Fratrem: Renunciare tibi Licinium plagiarium cum ſuo pullo miluino tributa exigere.

Nauſea. *Quem nauſea torſerat*] Qui præ ingluuie vomebat. Nauſea eſt ſtomachi ad vomitum concitatio. A naui deductum nomen, quaſi nautea, ex cuius ſentina mouetur ſtomachus. Cicero 2. Philipp. facere nauſeam, pro vomere poſuit: Modò ne nauſeam faciat, quod in Numitia porticu fecit. Sic legit Budæus.

Viſcera pro diuitijs. *Viſcera*] Viſcera ſunt diuitiæ. Vnde Penelope Ouidiana:

Viſcera noſtra tua diripiuntur opes.

Et vulgariter dicitur apud noſtrates: *Eum qui ſuum perdit, ſenſum perdere.* Vel: *Qui cenſum perdit, ſenſum amittere.* Sunt enim χρήματα ἡ ψυχὴ καὶ ζωὴ βροτοῖς. vt eſt in quodam Græcorum epigrammate. Cicero pro Quintio: Non pecuniam modò, verùm etiam hominis propinqui ſanguinem vitamq; eripere conatur. Extant verſus Græci, Antiphani adſcripti:

τἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
ὅστις δὲ μὴ ἔχει τοῦτο μηδ᾽ ἐκτήσατο,
οὗτος μετὰ ζώντων τεθνηκὼς περιπατεῖ.

Sanguis hominibus & anima sūt pecuniæ.
Hæc ergo quiſquis poſſidere non poteſt,
Viuos inter mortuus deambulat.

Huc facit M. Tullij ex Syllana defenſione locus, dè ijs, qui tanto amore ſuas poſſeſſiones amplexi tenent, vt ab eis membra diuelli citiùs & diſtrahi poſſe videantur. Ammian. verò Marcellin. lib. 17. Dum nullus obſiſteret, &c. ex barbarorum viſceribus alimenta congeſta ſunt.

Ab ore fluunt] Rectè fluunt: fluxa enim & caduca eſſe ſolent τὰ χρήματα ἅρπακτα.

Qui rapto viuens &c.] ex furto & fraude victitans, egeris non tua, ſed quæ malis artibus paraſti.

DICITVR in eos, qui quæ rapto & fraude congeſſerunt, ægrè perdunt, ac ſi ſua eſſent. IV. *In furaces & raptores.* Procul dubio non ab re dictum eſt à Chryſoſtomo, Pauca malè parta, multa bene comparata perdere: vt & à Salluſtio (qui eſt Emblematis titulus) *Malè parta malè dilabuntur.* Et Plautus Pœnulo:

——*Malè partum malè diſperit.*

Hoc ſi veniret aliquando in mentem ijs, qui tam impensè animo ſecum agitant, vt faciendi lucri rationem conquirant, huc & illuc pecunias corradant, nec interea vnde habeant curent: aut certè timerent, ne amittendi alea fortaſſe aliquando impotentius cruciarentur: aut ne iuſtam in ſe numinis iram prouocarent: aut ſaltem cogitarent, quàm hæc fluxa ſint, quamque fragilia ea fortunæ bona, quorum habendorum cauſſa tot tantisq; curis diſtringūtur. Refert Cornelius Tacitus 1. Hiſt. grāde gaudium Romanos inuaſiſſe, quod ij tam pauperes forent, quibus donaſſet Nero, quàm quibus abſtuliſſet. Huc refero illud Menandri:

κέρδη πονηρὰ ζημίαν ἀεὶ φέρει.
Lucrum malum damnum ſemper fert.

Et illud:

τὰ δ᾽ αἰσχρὰ κέρδη συμφορὰς ἐργάζεται.
At calamitates lucra turpia afferunt.

Sed audiamus longè graue & cordatum Plauti monitum. Sic enim Rudente:

O Gripe Gripe, in ætate hominum plurimæ
Fiunt tranſennæ, vbi decipiuntur doli.
Atq; edepol in eas plerūq; eſca imponitur;
Quam ſi quis auidus poſcit eſcā auariter,
Decipitur in tranſenna auaritia ſua.
Ille qui conſultè, doctè, atque aſtutè cauet,
Diutinè vti bene licet partum bene.

Porrò Cicero Philipp. 2 vſurpauit hoc

Adagium Plautinū, tranſtulitq; in Antonij rapacitatem & ingluuiem, his verbis: At quàm inſolenter ſtatim heluo inuaſit in eius viri (Pompeiam intelligit) fortunas, cuius virtute terribilior erat populus Romanus exteris gētibus, iuſtitia charior? In eius igitur copias cùm ſe ſubitò ingurgitaſſet, exultabat gaudio, perſona de mimo modò egens, repente diues: ſed vt apud Poetam neſcio quem, *Malè parta malè dilabuntur*, incredibile ac ſimile portenti eſt, quonam modo ille tam multa, quàm paucis non dico menſibus, ſed diebus effuderit. Celebratum eſt iam olim doctorum

In diuites iniquos. hominum vocibus: *Diuitem aut iniquum, aut iniqui hæredem.* Quod dictum eſſe ſuſpicor in eos tantùm, qui quicquid omnino auidè cupiunt, iure vel iniuria congerunt. Qui verò fieri poteſt, vt opum facultatum que tam expedita faciliſq; & penè momentanea, vt ita loquar, adeptio, conquiſitio, poſſeſſio, iuſta eſſe & legitima cenſeri debeat? Iuuenalis optimè:

——*diues qui fieri vult,*
Et citò vult fieri. Sed quæ reuerentia legum?
Quis metus, aut pudor eſt vnquam properantis auari?

His itaq; violentis & iniquis harpyijs, id eſt, furacibus hominibus, ſi quid aduerſa fortuna detrahat, aut alius quidam caſus eripiat (quod nonnumquam ſolet accidere) iacturam hanc non tam moleſtè ferre debent, quam certè boni quiq; & honeſti viri in lucro eſſe deputarent, benequè cum mortalium rebus actum eſſe non tam grauatè dicerent, ſi quæ iniuſtè poſſederunt iniqui illi captatores, ad veros tandem poſ-

Miluij forēſes qui. ſeſſores redirent. Eo de genere furum ſunt pleriq; forenſes rabulæ, atq; importuni ſycophantæ, & maximè ærario publico nonnumquam præfecti æruſcatores, qui æquiſſima numinis vltione, aduerſa reflante fortuna, plerumq; ſumptus faciunt, quos nūquam putaſſent: & ſæpenumerò citiùs quā vellent, euomunt quod concoquere non potuerunt. Id etiam vulgò tritum:

De malè quæſitu non gaudet tertius hæres.

Mulieres Italæ probare volentes, non diu duraturas eſſe illas fortunas, quæ vſuris, aut huiuſmodi facinoribus acquiſitæ ſunt, hac vtuntur cantilena:

Ciò, che vien di ruffa in raffa,
Se ne và di buffa in baffa.

Fortaſſe etiam huc referri poteſt illud Democriti, πλοῦτος ἀπὸ κακῆς ἐργασίας περιγινόμενος ἐπιφανέστερον τὸ ὄνειδος κέκτηται. Et Heſiodus, *mala lucra damnis eſſe ſimillima* cecinit:

——κακὰ κέρδεα ἶσα ἄτῃσι.

Cōtrà laudat χρήματα οὐχ ἁρπακτά, quæque ſunt θεόσδοτα. Sic enim ille:

χρήματα δ' οὐχ ἁρπακτά, θεόσδοτα πολλὸν ἀμείνω.
Pecunia non rapta à Deo data multò melior res.

Sed præſtat audire Græcam muſam Euripidis & Menandri, quorum ille:

ἀδίκως δὲ μὴ κτῶ χρήματ', ἢν βούλῃ πολὺν χρόνον, μελάθροις ἐμμένειν· τὰ δ' ἀδίκως οἴκους ἐσελθόντ', οὐκ ἔχει σωτηρίαν.
Iniuſtè ne poſſideas pecunias, ſi velis longo
Tempore in ædibus manere. Quicquid enim iniquè
Domi cumulaueris, non poteſt eſſe ſaluum.

Iſte verò ſic:

πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.
οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι,
τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.
Cupido habēdi aliena, maximum malum.
Aliena namq; qui ſtudent aſciſcere,
Sæpe excidentes ſpe ſua, contrà bonis
Alijs addunt ipſimet tandem ſua.

Hoc nonnullis contigiſſe teſtatur etiam Xenophon. Narrat quoq; Cornelius Tacitus (quod ſuprà attigimus) libris Annal. quoſdam ſub Neronis principatu locupletes, qui cùm tandem facti eſſent omnium egentiſſimi ac miſerrimi; & populus Romanus lætabatur fortunam ita conuerſam, ſimulq; pœnas dare qui metuiſſent. Nec ab hoc loco alienum illud Iuriſconſulti: Non videtur retinere poſſeſſionem, qui eam ſic nactus eſt, vt retinere non poſſit. l. non videtur, ff. acquir. poſſeſſ. Et videmus ſingulis diebus ſingulari Dei iudicio fieri, vt plerique balatrones, qui medio tumultu ciuili, *Balatrones.* ſub titulo ſancti fœderis, ſanguine bonorum ciuium locupletati, tandem vrbibus receptis, & rebus compoſitis fiant omnium deſpectiſſimi & pauperrimi. Sic quoq; tyranni ſolent ſæpe eſſe prodigi bonorum, quæ rapina ab alijs extorſerunt.

Semper

Semper præſto eſſe infortunia.

EMBLEMA CXXX.



LVDEBANT parili tres olim ætate puellæ
Sortibus, ad Stygias quæ prior iret aquas.
At cui iactato malè ceſſerat alea talo,
Ridebat ſortis cæca puella ſuæ:
Cùm ſubitò icta caput labente eſt mortua tecto,
Soluit & audacis debita fata ioci.
Rebus in aduerſis mala ſors non fallitur: aſt in
Fauſtis, nec precibus, nec locus eſt manui.

COMMENTARII.

I. TRES puellę talis ſortiuntur, in quarum vnius caput regula è tecto delapſa incidit, vnde illa moribunda corruit, reliquis ſtupore & timore attonitis.

II. APOLOGVM hunc in 1. Epigrammatῶn Græcorum habes, titulo εἰς δυσπραγίαν, incerti autoris. Puellæ tres, eiuſdem ferè ętatis, conuenerunt, luſu ſeu ſorte talorum certantes, & temerariè tentantes (vt ſunt petulantes & audaculæ) quænam prior fato eſſet conceſſura. Cùm verò in vnã ſiniſtra & triſtis illa cecidiſſet ſortem, *Emblematu character.*

cam,

eam nimirum cæteras morte debere anteire, ridens illa, nihiliq; hæc faciens, tanquã vana ac friuola neglexit. Sed præter opinionem tegula quædam deſuper ex tecto cadens, caput eius percuſſit, ſicq; riſui & vitæ finem dedit. Hoc modo miſera temerarij & ſtulti ioci ſeriò pœnas dedit, meritoque debita fata ſibi ſic accerſita perſoluit. Nam in rebus aduerſis iniqua ſors vix vnquam fallitur; in proſperis verò nec precibus, nec fortitudini locus eſt. Græcum epigramma eiuſmodi eſt:

αἱ τρισσαί ποτε παῖδες ἐν ἀλλήλῃσιν ἔπαιζον
κλήρῳ, τίς πρωτέρη βήσεται εἰς ἀΐδην.
καὶ τρὶς μὲν χειρῶν ἔβαλον κύβον· ἦλθε δὲ πασῶν
ἐς μίαν· ἡ δ' ἐγέλα κλῆρον ὀφειλόμενον.
ἐκ τέγεος δ' ἄρ' ἄελπτον ἀπωλίσθησε πέσημα·
δύσμορος, εἰς ἀΐδην δ' ἤλυθεν, ὡς ἔλαχεν.
ἀψευδὴς ὁ κλῆρος, ὅτῳ κακόν. ἐς δὲ τὸ λῷον
οὔτ' εὐχαὶ θνητοῖς εὔστοχοι, οὔτε χέρες.

Tres quondam puellæ vna ludebant
Sorte, quæ prima itura eſſet ad inferos.
Et tres quidem è manibus emiſerunt talũ: venit autem ex omnibus
Ad vnam: ridebat autem ſortem debitã.
E tecto verò inopinatus lubrico lapſu ruit caſus.
Infortunata in Orcum deſcendit, vt erat ſortita.
Non fallax [eſt] ſors cui malũ [imminet:] ad bonum autem
Neq; preces mortalibus [ſunt] peritæ iaculandi, neq; manus.

Tres quõdam ſimul vt luſiſſent ſorte puellæ,
Quæ prima infernos eſſet itura lacus:
Tresq; emiſiſſent talum; cecidiſſet at vni
E tribus, hæc ſortem riſit inepta ſuam.
Tum de tecto inopinatus ruit impete caſus,
Ex ſorte infernas lapſa repente domos.
Sors minimè eſt fallax, impendent cui mala, ſed cui
Spes bona, vix tenet hanc vel prece, vel pretio.

Ex Luciano ferè ſimile. Ferè ſimile habetur in quodam Luciani dialogo mortuorum, vbi introducitur iuuenis, qui cuiuſdam ſenis hæreditatem captabat, multa propterea iactabundus temerè dilapidans, ſperans ſubitam decrepiti mortem. Accidit autem vt ipſemet tegula tecti tactus atq; interemptus fuerit. Cui deniq; apud Charontem multum conquerenti reſponſum, Quare ſtultus alienæ hæreditati inſidiatus fuiſſet, ignorans fortunę incertos & ludicros euentus?

LVDEBANT] animum luſu reficiebãt. III.

Parili ætate] ἡλικιῶται, coætaneæ, æquales ætate.

Sortibus] cubis, teſſellis. Cicero in Diuinat. Quid eſt enim ſors? idem propemodũ quod micare, quod talos iacere, quod teſſeras. Triplex genus ludi eſſe deprehẽdimus. *Ludus triplex.* Vnum, quod ſola ſors regit, vt eſt luſus talorum, teſſerarum, chartarum &c. Alterũ, quo arte magis quam ſorte res agitur, vt eſt luſus latrunculorum, ludi equeſtres, pilæ, &c. Tertium ex his mixtum, vt eſt in alueo luſorio, vbi etſi iactus talorum ex ſorte pẽdeat, tamen calculos arte diſponimus.

Ad Stygias aquas] quæ prior fatis conceſſura eſſet: at mors eſt incertior quam ſit cubi iactus. Styx inferorum fluuius, ἀπὸ τοῦ στυγεροῦ dictus, per quem veteres putabant animas tranſire poſt mortem. *Styx.* Lactan. lib. 1. c. 11. Hanc phraſin mutuatus eſt ex Martiale: Nam in primo ſic 79. epigr.

Decreuit Stygios Feſtus adire lacus.

Idem 102.

Nec prius ad Stygias famulus deſcenderat vmbras.

& dein:

Dixit ad infernas liber iturus aquas.

Mox 105.

Et Stygias aquam fuerat patrem iſſe ſub vmbras.

Libro etiam 4. 73.

Etiam per Stygias eſſet iturus aquas.

Deniq; vndecimo lib. 85.

Qui nondum Stygias deſcendere quærit ad vndas.

At cui iactato] cui ſorte obtigerat mortis præſagium, quæ iacta teſſera ſe prius morituram viderat.

Alea talo] De ludo talorum & teſſerarum diximus in præfatione huius operis. De teſſerarum ludo ſeditiones, inimicitias, & imminentia pericula præſagiente diſſerit Artemidorus, in ſomn. interpret. lib. 5. c. 1. Cæterũ Socrates aleæ ludo humanam vitam comparabat; *Alea ludo vita hominis cõparata.* πεττείᾳ τινὶ ἔοικεν ὁ βίος, καὶ δεῖ ὥσπερ ψῆφον τινὰ τίθεσθαι τὸ συμβαῖνον. οὐ γὰρ ἔστιν ἄνωθεν βάλλειν, οὐδὲ θέσθαι τὴν ψῆφον. *Alea ludo ſimilis eſt vita, & quicquid euenit, veluti quandam*

teſſeram

teſſeram deponere oportet. Non enim denuò iacere licet, neq; teſſeram aliter ponere. Cui & conuenit illud Terentij in Adelphis:

Sic in vita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris:
Si illud, quod eſt maximè opus, iactu non cadit,
Illud quod cecidit ſorte, id arte vt corrigas.

Ridebat] negligebat, contemnebat, quia putabat eſſe ludicrũ ex iactu mortis omen.

Sortis cæca] ignara exitij futuri, quod impendebat.

Cùm ſubitò &c.] cùm ſtatim eſt illapſa in eius caput tegula, vel tecti ruina. Dicit autem *tecto*, totum pro parte, συνεκδοχικῶς.

Soluit & audacis debita fata ioci] reipſa eſt experta, non eſſe tutum in ea diuinatione ludum. Ergo ſatius etiam omnia tuta timere, quia mortis præceps eſt & inopinatum vadimonium.

Rebus in aduerſis] aduerſa fortuna vltrò nobis obtingit, vltrò ſe offert, inexſpectata venit. Prudens quiſq; omnia, quę ſibi ſperanda ſunt, non in meliora, ſed in peiora conſtituat: vt ſi quid præter ſpem accidat, id tanquam lucrum reputet, vt monet Comicus. Ouidius 4. de Ponto:

Tu quoq; fac timeas; & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

Modeſtia decet vel maximè fortunatos.

Aſt in Fauſtis] ſed ſors felix & proſpera nec prece nec precio comparatur, etiã expectata & vocata nos fugit. Huc fortè non incommodè transferes illud Demoſthen. σπουδαίων ἐστὶν ἀνθρώπων, ὅταν βελτίστῃ τῇ παρούσῃ τύχῃ χρῶνται, τότε πλείω τὴν σπουδὴν πρὸς τὸ σωφρονεῖν ἔχειν. οὐδὲν γὰρ οὔτε φυλαττομένοις οὕτω δεινὸν ὡς ἀφύλακτον εἶναι, οὔτε ὀλιγωροῦσιν, ἀπροσδόκητον παθεῖν. id eſt: *Proborum hominum officium eſt, cum fortuna vtuntur maximè proſpera, tum ſummum habere modeſtiæ ſtudium. Neq; enim quicquam tam formidabile, quin vigilantia præcaueri, neq; vllum malum eſt, quin oſcitantibus euenire poſſit.*

IV. MONEMVR, eum non ſapere, qui fortunæ ſuæ ita fidit, vt cum ea ſe tutò poſſe luſitare putet. Caſus enim aduerſi ſemper vltrò cadunt, proſpera neque ſunt in noſtra manu, & cum ea nobis interdum obtingunt, ſiſti ad noſtrum arbitrium non poſſunt. Crabrones igitur non ſunt irritandi; & ſecundum illud Pythagoricum ſymbolum, *Ignis gladio non fodiendus*. hoc eſt, per ſe mala non prouocanda, nec tumens indignatio commouenda: plerumq; enim faciliùs de fumo ad flammas, quàm è contra deueniri videmus, quod ſignificat adagium, *Mala vel innocata veniunt:* illudque apud Græcos vulgatum, διζημένοισι τἀγαθὰ μόλις παραγίνεται, τὰ δὲ κακὰ καὶ μὴ διζημένοισι. hoc eſt, *Mala vel etiã non quærentibus obtingunt, bona vix accedunt etiam quærentibus.* Idem reſpondit Diogenes rogatus, quid de hominum ſorte ſentiret: Miſeram & infortunatam hominum conditionem eſſe, dixit, cùm bona quærentibus vix obtingant, cadant autem infortunia, non tantùm non quæſita, ſed præter omnem exſpectationem. Plautus Moſtellaria:

Mala veniunt etiam non vocata.

——vnum hoc ſcito, nimio celerius
Venire quod moleſtum eſt, quàm id quod cupidè petas.

Accedit adagiũ illud, *Multa inter os & offam.* &, *Multa inter calicem, ſupremaq; labra*, ex vetere quodam. Notant ſcholiaſtæ ad §. illud. Inſtit. de rer. diuiſ. Q. Curtius lib. 8. Contra obſequia fortunæ non ſatis cauta mortalitas eſt. Et illud veteris mimi:

Nulla eſt adeo bona fortuna, de qua non poſſis queri. &
Neſcis quid optes aut fugias, ita ludit dies.

Facit huc Virgilianum illud ad finem 1. Georg. ex quadam Varronis Satyra:

Neſcis quid veſper ſerus vehat, vnde ſerenas
Ventus agat nubes ——

Idem confirmat Ouid. 4. de Põto, Eleg. 2.

Omnia ſunt hominum tenui pendẽtia filo,
Et ſubito caſu quæ valuere ruunt.

Idem Elegia 3.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hõra fidem.

Nec ſolùm mala in procliui ſunt, ſed etiã pertinaciter & aſſiduò affligunt, id quod apologus de aſini pelle docet. Etenim cùm aſinus oneribus & verberibus afflictus exclamaſſet: Aufer me mors, & eripe me his miſerijs. Illa ſe inuocantem exaudijt, & præſtò fuit. Moritur aſinus, at pellis ipſius in tympana intenditur, & exanimis etiam tunditur. Hæc etſi ita ſeſe habeant, tamen paſſim vitijs noſtris acceſſimus bella, lites, morbos, & mille infortunia, quaſi ſponte ſua parum adſit malorum. Sed ceſſo, ne Ate mihi indignetur.

Apologus de aſini pelle.

Reme-

Remedia in arduo, mala in prono eſſe.

EMBLEMA CXXXI.



ÆTHERIIS poſtquam deiecit ſedibus Aten
Iupiter, heu vexat quàm mala noxa viros?
Euolat hæc pedibus celer & pernicibus alis,
Intactumq́ nihil caſibus eſſe ſinit.
Ergo Litæ, proles Iouis, hanc comitantur euntem,
Sartura quidquid fecerit illa mali.
Sed quia ſegnipedes, luſcæ, laſſæq́ ſenecta,
Nil niſi poſt longo tempore reſtituunt.

COMMENTARII.

I. ATE Dea alata, vncis volucrum pedibus, habitu fœmineo, in altum auolat, quam Litæ, tres aniculæ ſtrabæ, rugoſæ, claudæ, ſcipionibus ſenilia membra ſuffulcientes, à longè ſequuntur, nunquam aſſequuturæ.

II. *Fabula de Ate è cœlo deturbata.* HOMERICVS Agamemnon lepidã fabulam narrat Græcis de Ate, lib. 19. Iliad. Quàm ego quàm breuiſſimè potero colligam. Ate Iouis nuncia, noxia cunctis, mollibus non ingreditur pedibus per terram, ſed hominum inuadit læditq; capi

ta.

ta. Nec ab ipſo Deorum hominumque parente abſtinuit. Quem Iuno, licet fœmina, ſic decepit. Cùm iamiam Hercules in lucem ex Alcmena eſſet proditurus, ſic Diuos Iupiter eſt alloquutus: Audite Diui Deæq; omnes, hodie ex meo genere proles naſcetur, vicinis omnibus dominatura. Cui Iuno: Nunquam credam, niſi iureiurando confirmaueris. Iupiter haud ſentiens dolum, maximum adhibuit iuramentum. Tum Iuno cœlo delapſa Argos petijt, coniugem Stheneli ſeptimeſtrem vterum ferẽtem facit vt pareret, Alcmenæ partu impedito. Inde ad Iouem reuerſa dixit: Iupiter omnipotens, iam vir natus eſt Euryſtheus ex ſemine tuo, qui meritò dominabitur Argis. His auditis Iupiter Aten, cui hanc fraudem imputabat, comis apprehenſam iratus è ſummo cœlo deturbauit, iuratus, nunquam ſe poſtea illam in ſuperas ſedes recepturum. Sic illam manu rotatam hominum operibus pernicioſam, in terram deiecit. Hæc ibi. Aten hãc Chriſtianæ pietatis auctores φώσφορον, id eſt, *Luciferum*, è cœlo deturbatum interpretantur, vt maximè Iuſtinus Philoſophus & Martyr, Euſebius Pamphil. Suidas, & Budæus ex Beſſarione Cardinale; ſic enim ille lib. 3. in calumniatorem Platonis: Luciferum verò, inquit, ſua culpa eiectum in terram, execrandumq; illi quoque didicerant ab Homero ſuo Theologo, qui ſiue beneficio quodam naturæ, ſiue Moſis prophetæ ſcriptis ſuo carmine expoſuerat lapſum Luciferi, quam ille Aten appellat. Cœl. Rhodigin. lib 2. cap. 7. Stobæus Elegia περὶ δικαιοσύνης, ex Solone hoc diſtichon retulit, vbi emergentem è dijs noxam facit:

Lucifer è cœlo deturbatus.

Ἄτη δ' ἐξ αὐτῶν ἀναφαίνεται, ἣν ὁπόταν Ζεὺς
Πέμψῃ τειρομένοις, ἄλλοτε ἄλλος ἔχει. id eſt:

Ex illis Ate apparet, quam vbi Iupiter ipſe
Miſerit vltricem, tunc aliã alter habet.

Sed eſt alius Homeri locus Iliade 9. vnde hoc emblema eſt deſumptum; ibi enim Atẽ Deam fingit mortales varijs implicantem anguſtijs & perturbationibus, eorumque mentes ſeducentem, varijsque opinionum monſtris afficientem: ad quæ mala ſarcienda placandaq; Litæ Iouis filiæ opponuntur, quæ tamen non ſtatim poſſunt inſtaurare atq; componere, quod ab ea motum atq; diſſectum fuit, ſed id longo temporis internallo fieri ait, vtpotè quæ ſint luſcæ, tardis pedibus, & ſenio confectæ. Verſus Homericos huc adijciemus:

Vnde petitum Emblema.

καὶ γάρ τε λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
χωλαί τε, ῥυσαί τε, παραβλῶπές τ' ὀφθαλμὼ.
αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθεν ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι.
ἡ δ' ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος, οὕνεκα πάσας
πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν
βλάπτουσ' ἀνθρώπους. αἱ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.
ὃς μέν τ' αἰδέσεται κούρας Διὸς ἆσσον ἰούσας,
τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν, καί τ' ἔκλυον εὐξαμένοιο.
ὃς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
λίσσονται δ' ἄρα ταίγε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
τῷ ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ. hoc eſt:

Etenim Litæ [i. Preces] ſunt Iouis filiæ magni,
Claudæq; rugoſæq; ſtrabæque oculis.
Hæ & poſt Noxam curant euntes;
Noxa verò robuſtaq; & pedibus integris, ideò omnes
Longè præcurrit: anteuertit autem omnẽ per terram
Lædens homines: hæq; medentur tandem.
Qui certè venerabitur filias Iouis propiùs accedentes,
Hunc valdè iuuant, & exaudiunt precantẽ:
Qui autem abnegarit, & proteruè recuſarit,
Precantur quidem hæ Iouem Saturnium euntes,
Hunc vt Noxa ſimul ſequatur, quo læſus luat.

Namq; Litæ ſoboles magni Iouis, & pede claudo,
Rugoſa, obliquoq; oculo, medeantur vt illi,
Aten ſectantur. Celeri præuertitur omnes
Illa gradu, & paſſim damnum mortalibus affert.
Hæ vero actutum ſartura dãna ſequuntur,
Cõciliantq; ſuis cultoribus optima ſemper.
At ſi quis reicit praefractè, ac pernegat illis,
Tunc adito Ioue patre, precantur, vt ilicet Ate
Huic adſit, pœnasq; ſuo det deniq; damno.

Chiliadum auctor in adagio, *Ira omnium*

 tar-

tardiſſimè ſeneſcit. eorundem carminum ſenſum ſic reddidit:

Nam Litas etiã genuit Saturnius ingens,
Rugoſas, pedibus claudis, ac lumine læſas.
Quæ Ates à tergo veniunt, medeantur vt illi.
Ipſa Ate pedibusq; valẽs, & robore præſtãs,
Proinde gradu celeri longè præuertitur, omnes
Occupat, & terras prior aduenit illa per omnes
Mortales lædens: verùm hæ poſt terga ſequuntur,
Sartura quidquid commouerit illa malorum.
At verò natas Ioue qui reueretur & audit,
Se ſimul ac adiere, huic commoda plurima grata
Conciliant, huiusq; viciſſim vota receptãt.
Reijcit at ſi quis præfractè, & pernegat illis,
Tunc adito Ioue patre, precantur, vt ilicet Ate
Huic adſit, pœnasq; ſuo det deniq; damno.

Id ſignificat, offenſas quidem & iniurias veloces, ſemperq; in promptu eſſe. reconciliationes verò & malorum compenſationes admodum tardas atq; raras euenire.

III. *AETHERIIS ſedibus*] è cœleſti ſede. Ouidius 15. Metamorph.

Æthereas ſedes, cognataq; ſidera tanget.

Deiecit] deturbauit, in terram præcipitauit.

Ate. *Aten*] Ἄτη, ης. noxa, calamitas, nocumentum, παρὰ τὸ ἀάομαι, lædo, noceo. Eſt autem Ate velociſſima, quæ propter motum celerem, infortuniorum aleam maximè ſubitam & improuiſam ſignificat.

Vexat mala noxa viros] Homerus, βλάπτουσ᾽ ἀνθρώπους. *Lædens homines.* De nomine *noxa* & *noxia*, hæc placet addere è commentario Alciati ad tit. De verb ſignific.

Noxa. Noxam dixere antiqui, ait, id quod nocet: quapropter culpa, pœna, detrimentum, noxa eſt; vnde & lib. 33. T. Liuius, noxæ exoluere, id eſt, à pœna capitalis fraudis liberare, accepit. Seruus quoq; qui contra legem Aquiliam alicui damnum dedit, noxa eſt. At noxia ſolummodo de maleficio

Noxia. ipſo dicitur, nec tam generali ſignificatione accipitur, ſicuti noxa. Cicero lib. 3. de Legibus; Noxiæ pœna par eſto, vt in ſuo vitio quiſq; plectatur, vis capite, auaritia mulcta, honoris cupiditas ignominia. M. Manilius:

Quinetiam infelix virtus, & noxia felix:

Plautus Bacchidibus:

Sat ſit, ſuſpectus ſum, cum careo noxia.

Quo ſenſu & in Moſtellaria, & in Pſeudolo vſus eſt. Terentius quoq; in Phormione:

In re incipiunda ad defendẽdam noxiam.

Sed in Eunucho & Hecyra ad eundem modum. Nec noxam eos aſcripſiſſe quiſquam dixerit, cùm ratio carminis non conſentiret. Quæ adducere volui, vt palam fieret, quàm iniquo iure Iuſtinianum in Elegantijs ſuis inſectetur Valla, & Seruium Beroaldus, dum adiectiuẽ tantum dici noxiã opinentur, contra veterum auctoritatem. Hæc ille. Actius Menalippo, Te eſſe huic noxæ obnoxium, citat Feſtus, tradens noxam eſſe peccatum, vel pro peccato pœnã. — Iuſtinianus defenſus.

Euolat hac pedibus celer] Sic Homerus:

ἡ δ᾽ ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπος, &c.

Sed hic dicendum fuerat *celeris*: nam *celer*, *celeris*, & *celere* rectius dices quàm aliter. — Celer.

Intactumq; nihil &c.] omnia malis implicat, nihil relinquit intactum, quod calamitatibus non compleat.

Ergo Litæ] λιτή, ῆς, ſupplicatio, a verbo λιτανεύω, ſupplico, vota precesq; ſuppliciter fundo, lito. Vnde λιτανείαι, Litaniæ, id eſt, preces, non Letaniæ, vt paſſim barbari ſcribunt. Sic litatum, pro eo quod alijs eſt ſolutum, deditum Deo, quaſi luitatũ, ait Feſtus. Sunt ergo Litæ precatrices & reconciliatrices amicitiarum, quas Ate diſſuit; vnde eandem ſemper comitantur. Litas autem Deas claudas interpretantur Mythologi de ijs, qui precantur, quod genua flectant: quas rugis obſitas eſſe Poetæ volunt, ad deſignandam imbecillitatem. Has aiunt eſſe ſtrabis luminibus, quod conniuere videantur in quibuſdam, ſed poſtremò neceſſitate ad ſupplicationes deflecti. Phornutus claudas eſſe tradit, quòd tardè & vix accedant ad eos ſupplicandos, quos antè affecerint iniuria: rugoſas verò & ſtrabis oculis, quòd grauiter & ore parum hilari intueantur quos offenderunt, & à quibus veniam deprecantur. Iouis porrò filias, quòd venerabiles ſint. Hæc ille. Itaque id transfertur ad illatam cuipiam iniuriam, cuius difficulter memoria tollatur ex animo: iniuriarum enim & contumeliarum memoria tardiſſimè ſeneſcit, vt ferè non niſi morte deleatur. — Lita. — Litæ claudæ & luſcæ cur.

Proles

Vitæ cur filiæ Iouis. *Proles Iouis.*] Rectè proles Iouis, quia vt Dei proprium iuuare mortales, ait Plinius initio hiſtoriæ mundi; ſic nulla re alia magis ad Dei naturam accedimus, quàm ſalutem hominibus dando, vt Tullius Ligariana. Sic Strabo, *ἐυεργετᾶν ἐςὶ θεὺς μιμεῖσθαι.* *Benefacere eſt Deos imitari.* Contra Afabulus apud Horat. 1. Sermon. 5. nomen habuit *ἀπὸ τοῦ τὴν ἄτην βάλλειν*, quod damnum, noxamq; ferret.

Sarturæ] compoſituræ, reparaturæ, ſanaturæ.

Sed quia ſegnipedes] *χωλαί*. Iuuenal. Sat. 8.

——*Tritoq; trahunt epirhedia collo*
Segnipedes.

Luſca] *παραβλῶπές τ' ὀφθαλμώ.* *ſtrabæ oculis.* Qui dicuntur luſci, & luſcitioſi, diximus Emblem. 72.

Laſſaq; ſenecta] *ῥυσαί.* rugoſæ, ſenes, vt quibus curſus inimicus.

Non niſi poſt]. Innuit offenſam eſſe citã, reconciliationem eſſe tardam, propterea quod iniurias diu ſolent homines meminiſſe, iuxta illud Ciceronis: Cui dolet, meminit: cui placet, obliuiſcitur.

IV. *Titulus Emblematis vnde ductus.* GENERALIS ea theſis, præfixa Emblemati, ad quaſcumq; humanas calamitates & incommoda poteſt accommodari: parœmia autem eſt medicis familiaris. Ex conferre placet cum aurea illa Nazarij ſententia, ex Panegyrico, quem Cæſari Conſtantino dixit: Facilior, inquit, & multò procliuior lędendi quàm commodãdi ſemper eſt via: vulnerare integrum, quàm ſauciato mederi: diſſipare rapta, quàm diuulſa componere. Hoc autem Homerico figmento ſignificatur, quàm celeri momento

Res aduerſæ ſtatim accedunt, tardè recedunt. res aduerſæ nos impetant, quàmque ſera iiſdem medicina adhibeatur. Quod vulgus Gallorum, vt & Italorum, accommodata parœmia effert, cum dictitat, *Mala & ægritudines in equis accedere*, id eſt, citiſſimè nos aggredi: *ſed pedibus recedere*, hoc eſt, tardè, ſenſim, & lento gradu abire. Item illud: *Il mal viene à libbre, e vaſſene à once.* Huc traducetur non omninò

Locus Cornelij Taciti. malè, quod habet Cornel. Tacitus in vita Iulij Agricolæ, ſoceri ſui: Natura infirmitatis humanæ, inquit, tardiora ſunt remedia, quàm mala: & vt corpora lentè augeſcunt, citò extinguuntur: ſic ingenia ſtudiaque facilius oppreſſeris, quàm reuocaueris. Sic Seneca Epiſtola 92. Eligit aliquid noui caſus, per quod velut oblitis vires ſuas ingerat. Quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Dei indulgentia ſtruxit, id vnus dies ſpargit ac diſſipat. Eſſet aliquod imbecillitatis noſtræ ſolatium rerumque noſtrarum, ſi tanto tempore reparentur cuncta, quantò ſinuuntur. Nunc incrementa lentè exeunt: feſtinatur in damnum: nihil publicè, nihil priuatim ſtabile eſt, tumultuantibus cauſſis mala, vnde minimè expectabantur, erumpunt. Huc pertinet Scytharum legati ſententia ex Curtio lib. 7. Quid tu ignoras arbores magnas diu creſcere, vna hora extirpari? Ponticus

Pōtici Heraclidis allegoria de Ate & Litis. Heraclides diſputatione de allegorijs Homericis, eodem penè modo intelligit: quo loco eos arguit imperitiæ, qui Homerum vituperent, qui Litas Iouis filias impiè deformi & mutilo corpore finxerit. His Poeta imaginem expreſſit eorum, qui ſupplices ſunt. Qui enim peccarunt, ex conſcientiæ verbere tardiores eſſe ſolent: eoſq; verentur aggredi, quos læſerunt, & à quibus veniam impetrare poſtulant: pudoris enim ſui ſunt ipſi continuò memores. Nec verò præſenti animo eſſe poſſunt, aut conſtanter intuentur, vt qui terrò auertant oculorum aciem. Primò itaq; ſupplicum animus nullum præ ſe lætum ruborem admittit, vt qui pallidi ſint, demiſſo vultu, miſericordiam elicere conantur. Ea ergo cauſſa fuit, cur Litæ ita fuerint ab Homero depictæ. Contra valida eſt & peruix Ate, cuius nimirùm acris & vehemens ſtultitia hominum non modò ceruicibus, ſed & animis impendeat. Nam toto impetu & ſine aliqua ratione fertur ad omne flagitium. Is ergo Poeta perinde ſe geſſit, vt qui pictor eſſet humanorum affectuum, quos affectus Deorum nominibus allegoricos effingere ſolet. Lege Lucian. in Imaginibus, & Tragopodagra.

Ex arduis perpetuum nomen.

EMBLEMA CXXXII.



CREDIDERAT platani ramis ſua pignora paſſer,
Et bene, ni ſæuo viſa dracone forent.
Glutijt hic pullos omnes, miſeramq́; parentem
Saxeus, & tali dignus obire nece.
Hæc, niſi mentitur Calchas, monimenta laboris
Sunt longi, cuius fama perennis eat.

COMMENTARII.

I. IN ramoſa platano nidus conſpicitur paſſerum, auicularum genus ſalaciſſimum, quorum pulli eiecti à dracone ſeu ſerpente deuorantur. Platanus arbor latè ſpargit ramos, folia lata habet, aliàs ſterilis, cuius non eſt alia maior commendatio, quàm ſolem æſtate arcere, hyeme admittere. *Platanus.*

II. LOCVS eſt ex Homero, Iliad. β. quē eundem reperies in vita Homeri, quæ Plutarchi nomine à quibuſdam circumfertur. & apud Ciceronem 2. de Diuinat. Cum in Aulide Bœotiæ portu, Græcorum ad Troiam euertendam nauigantium claſſis aduerſo vento detineretur, Calchas augur peritiſſimus cum cæteris Græcis profectus Agamemnonem docuit, qua ratione Dianā iratam placaret, & ex ſerpentis vel draconis *Hiſtoria ex Homero de vaticinio Calchantis.*

nis augurio (qui in arborem ſubrepens nouem paſſeris pullos vnà cum matre deglutierat) decimo tandem anno Ilium captum iri prædixit. Nam pro paſſeribus annos, pro angue tempus intellexit, vt explicat Pierius Hieroglyph. lib. 20. Homeri carmina Cicero loco citato conuertit ſub perſona Agamemnonis, cùm debeant citari ſub perſona Vlyſſis, vt annotauit Politianus in Miſcellan. cap. 53. Carmina Ciceronis hæc ſunt:

Ciceronis carmina.

Ferte viri, & duros animo tolerate labores,
Auguris vt noſtri Calchantis fata queamus
Scire, ratos ne habeant, an vanos pectoris orſus.
Namque omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funeſtis liquerunt lumina fatis
Argolicis primum vt veſtita eſt claſſibus Aulis,
Quæ Priamo cladem & Troiæ peſtemq; ferebant:
Nos circum latices gelidos fumātibus aris
Aurigeris Diuum placātes numina tauris
Sub platano vmbrifera, fons vnde emanat aquai.
Vidimus immani ſpecie, tortumq; dracone
Terribilem, Iouis vt pulſu penetrabat ab ara.
Qui platani in ramo foliorū tegmine ſeptos
Corripuit pullos, quos cum conſumeret octo,
Nona ſuper tremulo genitrix clangore volabat,
Cui ferus immani laniauit viſcera morſu.
Hunc, vbi iam teneros volucres matremq; peremit,
Qui luci ediderat, genitor Saturnius idem
Abdidit, & duro firmauit tegmine ſaxi.
Nos autem timidi ſtātes, mirabile monſtrū
Vidimus in medijs Diuum verſarier aris.
Tum Calchas hæc eſt fidenti voce loquutus:
Quidnam torpentes ſubitò obſtupuiſtis Achiui?
Nobis hæc portenta Deū dedit ipſe creator,
Tarda & ſera nimis, ſed fama ac laude perenni.
Nam quot aues tetro mactatas dente videtis,
Tot nos ad Troiā belli exātlabimus annos;
Quæ decimo cadet, & pœna ſatiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas, quæ iam matura videtis.

Homerum ſatis feliciter æmulatus eſt Ouidius Transformationum lib. 12. vbi ſic canit:

Hic patrio de more Ioui cū ſacra paraſſent,
Vt vetus accenſis incanduit ignibus ara,
Serpere cæruleum Danai videre draconem
In platanum, cœptis quæ ſtabat proxima ſacris.
Nidus erat volucrum bis quatuor arbore ſumma:
Quas, ſimul & matrem circum ſua damna volantem
Corripuit ſerpens, auidaq; recondidit aluo.
Obſtupuere omnes, at veri prouidus augur
Theſtorides: Vincemus, ait: gaudete Pelaſgi,
Troia cadet; ſed erit noſtri mora longa laboris.
Atq; nouem volucres in belli digerit annos:
Ille, vt erat virides amplexus in arbore ramos,
Fit lapis, & ſeruat ſerpentis imagine ſaxū.

Porrò Alciatus id carminis videtur imitatus è Græco incerti cuiuſdam Poetæ, apud quem tamen non eſt eadem concluſio: cùm de hirundine verba faciat, cuius nidum ſerpens deieciſſet & exturbaſſet, in eoq; tandem igni ardenti combuſtus eſſet.

CREDIDERAT *platani*] commiſerat platano, nidificauerat. Platanus dicitur à πλάτος, *latus*, quod latè ſpargat ramos. De platano ſic Ruellius: Nomine apud nos caret, rarior in Gallia: omnibus inuiſum arboris ſpeciem demirantibus, & nomen eius & naturam ignorantibus; alioquin peregrina eſt, & vmbræ duntaxat gratia expetita. Vide Plin. lib. 12. cap. 1. A poetis vocatur Genialis, quia ſub ea conuiuia celebrantur. Ouid 10. Metamorph. *III. Platanus vnde dicitur.*

Sua pignora] ſuos pullos. Pignora ſæpe pro filijs capiuntur, quoniam filij videntur tanquam pignora eſſe inter virum & vxorem, tum vinculi, ne alioqui diuortium fiat: tum charitatis; vt diximus Emblem. 50. Ouid. *Pignora pro filijs.*

Dulcia ſollicitæ geſtabant pignora matres.

Paſſer] mater. De paſſere vide Plinium lib. 10. cap. 36. Paſſerem temporis annui hieroglyphicum eſſe tradunt Ægyptij. Pierius lib. 20. Hieroglyph. circa finem.

Et bene] imò quidem, niſi eos ſequus draco obſeruaſſet.

Saxeus] vbi pullos cum matre deglutiiſſet, in ſaxum rigēs eſt transformatus; mors ſua crudelitate condigna. Fatalis ſerpēs eſt, *Serpens ſaxeus*

 necnon

necnon perpetuæ belli Troiani memoriæ per metamorphoſim ſerpentis in perpetuæ duritiei ſaxum. Sonat etiam ſaxeus, durum, crudelem, inexorabilem, quiq; nulla flecti prece poſſit. Huc pertinet quod alio loco memini retuliſſe me de illo angui, qui Tarquinij Superbi animum ſtupefecit, attonitumque reddidit, cùm à columna lignea repente lapſus omnes in fugam vertiſſet, rei miraculo conſternatos: nimirũ portendebat ille ſerpens nouum & inexpectatum principem, eundemq; ætate florẽtem Iunium Brutum, de lignea columna, hoc eſt, ſtupore, quem diu ſimulauerat, ne opprimeretur à tyranno, proditurum.

Hæc, niſi mentitur] Si vera dicit augur. Ex nouem cum matre paſſeribus aiebat bellum decennale ſignificari. Nam ex paſſeribus annos, angue verò tempus, quod omnia deuorat, intelligebat. Serpens autem ſaxeus factus arguebat perpetuam huius rei memoriam.

Calchas.

Calchas] Calchas augurum præſtantiſſimus, vt ait Homerus, Theſtoris Troiani filius, vnde Theſtorides dictus. Apollinis monitu ſecutus eſt Græcos, Achilli valdè charus. Poſt expeditionem Troianam in Colophonem Ioniæ vrbem peruenit. Cumque eſſet in luco Apollinis Clarij, cum Mopſo augure pręſtantiſſimo in certamen diuinandi deſcendit. Cui propoſuit, quot ficus haberet caprificus quædam. Quæ cùm Mopſus diuinaſſet, & Calchas quot filios haberet in ventre porca, non rectè explicaſſet, præ mœrore diem obijt. Vide hęc latiùs apud Nicolaum Leonicum lib. 3. de varia hiſtor. cap. 63.

Cuius fama perẽnis] Homerus 2. Iliad.
ὄψιμον ὀψιτέλεστον ὅτι κλέος οὐκ ἀπολεῖται.

Tarda & ſera nimis, ſed fama & laude perenni.

Sic enim Cicero hunc verſum vertit. Vide adagium, *Quæ ſerò contingunt, ſed magnifica.*

IV. Nullā gloriam ſine labore parari.

SIGNIFICATVR, ex difficilibus diuturniſq; laboribus tandem maximam laudem memoriamq; perpetuam reſilire. Hoc enim vel natura ſic comparatum eſt, vti res arduas ac memorabiles gerere glorioſum, ita eas ſine moleſtia & vitæ diſcrimine perfici non poſſe. Non enim res magnæ, vt dicitur, ſine magnis periculis fiunt; ex quibus tamen mirabiles tandem fructus & gloria per ennis reſultant. Hinc M. Tullius 3. Tuſcul. Etenim nulla poteſt eſſe diuturna gloria, quam labor ſtrenuus & indefeſſus primùm non antecesſerit. Quis enim magna coronari contendat Olympia, dulcis ſine puluere palmæ? Vulgo tritum id, τὰ καλὰ τὰ δύσκολα. *Difficilia quæ pulchra.* Præclarè Xenophon ἀπομνημ. 2. αἱ διὰ καρτερίας ἐπιμέλειαι τῶν καλῶν κ' ἀγαθῶν ἔργων ἐξικνεῖσθαι ποιοῦσιν, ὥς φασιν οἱ ἀγαθοὶ ἄνδρες· λέγει δὲ καὶ ὁ Ἡσίοδος,

τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστὶν ἑλέσθαι — Virtus difficulter paratur.

ῥηϊδίως· λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει·

τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν

ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,

καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,

ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπήπερ ἐοῦσα.

μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐπίχαρμος ἐν τῷδε, τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ θεοί. Id eſt: *Curæ quidem laborioſæ efficiunt, vt ad pulchra & honeſta facinora perueniatur. ſicuti virorum optimorum habet adagium. Ait enim Heſiodus:*

Amplecti vitium cumulatim & ſumere promptum eſt:

Namque iter id facile eſt, nec eo vicinius vllum.

At Dij ſudorem virtuti præpoſuerunt,

Ad quam longa via eſt atq; ardua, & aſpera multum

Offertur: tamen eſt vbi ad alta cacumina ventum,

Fit facilis, primò fuerat quæ tam ardua virtus.

Teſtatur autem Epicharmus, A dijs omnia nobis vendi laboribus. Memoriæ ſuccurrit & illud Clemẽtis Alexãdrini Stromat. δ. ἔστι τὶς λόγος τὰν ἀρετὰν ναίειν δυσαμβάτοις ἐπὶ πέτραις· νῦν δέ μιν θοὰν χῶρον ἁγνὸν ἀμφέπειν. οὐδὲ πάντων βλεφάροις θνατῶν ἔσοπτος, ὧν μὴ δακέθυμος ἱδρὼς ἔνδοθεν μόλῃ, ἵκητ' ἐς ἄκρον ἀνδρείας. quorum verborum hæc eſt ſententia: *Fama eſt, virtutis domicilium eſſe in quibuſdam rupibus, ad quas difficilis admodum ſit aſcenſus, eamq; celerem incolere locum caſtum. Ea verò non conſpicitur quibuſcumq; hominum oculis: neque vnquam*

quam ad eam quiſquam perueniet, tamquam ad fortitudinis propugnaculum, niſi primùm ſudore ac labore animum afficiente ſuam induſtriam probarit. Quid enim gloriæ Alexander, quid Epaminōdas, quid Themiſtocles ſibi comparaſſent, niſi laborioſis & moleſtis expeditionum anguſtijs arduum virtutis iter ſibi conficiēdum propoſuiſſent? οὐ γὰρ εὐτυχίᾳ τὰ Ῥωμαίων, ἀλλὰ τλημοσύνῃ καὶ ἀρετῇ πρὸς τὰ δεινὰ χωρούντων, εἰς τοῦτο προῆλθε δυνάμεως. ait in Craſſo Plutarchus. id eſt: *Non tam fortuna proſper euentus Romanorum potentiam auxit, quam egregia virtus, ac ſumma in laboribus aſperiſq; in rebus tolerantia, aduerſis caſibus ſuccumbere neſcia.* Illud etiā mihi ſuccurrit Pindari ex Olymp. 6. ἀκίνδυνοι δ' ἀρεταὶ οὔτε παρ' ἀνδράσιν οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις τίμιαι· πολλοὶ δὲ μέμνανται, καλὸν εἴ τι ποναθῇ. id eſt: *Virtus periculorum expers neq; apud homines, neq; mari habetur in pretio: at multi memorant, ſi quid honeſti laborioſè peractum eſt.* Quid laudis Cæſar eſſet conſecutus, ſi facilè illi fuiſſet Britannis inferre bellum? Aut Annibal quantum ſibi famæ cumulaſſet, ſi dum Italiam adiret, peruias Alpes citra puluerem & ſudorem, ac non magna ſuorum cæde feciſſet? Rectè Naſo Triſtium 4.

Gloria bellica vnde ducibus contigit.

Ardua per præceps gloria vadit iter.

Et Propertius 4. Elegiarum:

Magnum iter aſcendo: ſed dat mihi gloria vires:
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.

Idem quem iam adduximus, Pindarus Olymp. 5 ait:

αἰ δ' ἀμφ' ἀρεταῖσι πόνος δαπάνα τε μάρναται, πρὸς ἔργον κινδύνῳ κεκαλυμμένον. id eſt;
Circa virtutes labor ſumptusq;
Perpetuò implicantur, vt
Opus difficultate obtectum aſſequare.

Sed propius apud Plutarchum Bacchilides: πιστὸν γὰρ κῦδος ἔχει ἀρετά. *Firmam gloriam habet virtus.* Scribit Aelianus variar. hiſtor. lib. 13. cap. 32. Socratem aliquādo in colloquium cum Theodota meretrice formoſiſſima veniſſe, quæ cum diceret: Ego te, ò Socrates, multis modis antecello. Nam cum neminem ex meis à me poſſis abalienare, ego cùm libitum eſt, tuos omnes à te auoco. Reſpondit is: Quid hoc mirum eſt? ſiquidem tu ad decliuem tramitem omnes rapis; ego verò ad virtutem cogo, ad quam arduus & pleriſq; inſolitus eſt acceſſus. Aſperam autem & inſuauem virtutis viam nimia facit vitiorum conſuetudo, quæ ſi in alteram partem transferatur, leuis inuenietur iuſtitiæ ſemita. Rectè Plato dixit, virtutis ramos ſudore ac laboribus produci: nam virtutem illico aſſequi, vix fieri poteſt. Quomodo enim quàm minimis laboribus rem omnium maximā quisquam aſſequi queat? Huc non inſcitè refero myſticum illud biuium, quod diuini oris teſtimonium comprobat, & aſtipulatur conſenſus doctorum, & vniuerſa Chriſtianæ profeſſionis antiquitas. Et duplicem illam portam non minus; alteram, quæ mortis regiam intrantibus apetit, capacem & amplam: alteram, quæ vitæ, & virtutis, nimis anguſtam illam ac humilē, quo gigantes illi terreſtres, & grandia ſpirantes Polyphemi non inferunt pedem; quo nec Sardanapalus penetrat, nec Epicurus cum turgido ſaginati ventris ſui tympano: vbi crumena talentis prægnans, & recenti crapula fumans ingluuies, & bullientis choleræ tumor, & ſpuma libidinis circum præcordia efferueſcens, & picatus ſtertentis ignauiæ lentor, aditum nuſquam inueniunt, & in primo ſtatim veſtibulo magno cum dedecore retunduntur. Sola virtus per immenſos labores & anguſtias, per acutos vepres, niues, & ſaxa penetrans fœliciori tandem hoſpitio excipitur.

Socratis cum Theodota colloquium.

Alluſio ad biuiū Herculis.

Ex litterarum ſtudijs immortalitatem acquiri.

EMBLEMA CXXXIII.



NEPTVNI tubicen (cuius pars vltima cetum,
AEquoreum facies indicat eſſe Deum)
Serpentis medio Triton comprenditur orbe,
Qui caudam inſerto mordicus ore tenet.
Fama viros animo inſignes, præclaraq; geſta
Proſequitur, toto mandat & orbe legi.

COMMENTARII.

a TRITON Neptuni ex Amphitrite filius & tubicen, in orbe ſerpentis caudam mordicus apprehendentis clauditur, concham ſuam inflans. Huius autem ſupremi corporis pars vſque ad vmbilicum eſt hominis, at inferior vſq; ad caudam Delphini. *Tritonis forma.* Tritonem ita depingit Virgilius 10. Aeneid. vbi de apparatu nautico Mezentij:

Hunc vehit immanis Triton, & cærula concha
Exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
Frons hominem præfert, in priſtin deſinit aluus,

Spumen

Spumea ſemifero ſub pectore murmurat vnda.

Qui diligentius figuram Tritonis exprimere conati ſunt, illi eius capillos apio paluſtri ſimiles eſſe dixerunt, cùm reliquũ corpus exiguis ſquammis integeretur duritie limæ perſimili. Branchias habet paulò inferiores auribus, nareſq; hominis, cũ rictus tamen oris eſſet paulò latior; denteſq; pantherarum dentibus perſimiles, oculi ſubglauci; manus & vngues, & digiti ſimiles ſunt teſtæ conchyliorum; tum pinnę ſub ventre & ſub pectore, ſicut viſuntur in delphinis, vt ſcriptum eſt à Soſtrato lib. 3. animal. Duos etiam pedes priores equinos habuiſſe dicitur. Apollonius 4. Argonaut. ipſi caudam duplicem in Lunę formam tribuit. Sic enim ipſius verſus Latinè ſonant:

Par fuerat formæ ſuperis humeroſque caputq;
Et latera, & partes ſupremas corporis omnes.
Inferius ſed enim cauda hinc pendebat, & illinc
Immanis ceti, tum ſpinis verberat alti
Terga freti, hæ Lunæ ſimiles curuantur in orbem.

Et tali forma in Luſitaniæ litoribus Tiberij principatus tempore fuiſſe conſpectũ, teſtatur Plinius lib. 9. cap. 5. De qua eius forma plura Leonicus de var. hiſtor. lib. 2. cap. 84.

II. *Fons Emblematis.*

ID petitum apparet ex Macrobio Saturnal. 1. cap. 8. & Oro Apolline. Macrobij hæc ſunt verba: Illud non omiſerim, ait, Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos, quoniam ab eius commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria elata & quaſi vocalis eſt: antè verò muta, & obſcura, & incognita: quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ & abſconditæ. *Cur Triton in templorũ ianuis ponatur.* Id Alciatus ipſe Annotationibus in Tacitum ſic attigit: Veteres, inquit, in templorum Saturni ianuis imagunculas Tritonum ſtatuebant, non aliam ob cauſſam, quàm vt ab eo cœpiſſe hiſtoriam, æternitatemq; illis debere Deos oſtenderent, quorũ præconio fuiſſent celebrati. Ego occultatam veram religionem ante Chriſtum interpretor: quę poſt Chriſti aduentum clariſſimo ſanctorum Apoſtolorum præconio ab omnibus Chriſto Dei filio credentibus celebrata fuit. Orus ſic ait libris de Hieroglyph. Ægyptij mundũ ſignificare volentes, ſerpentem pingunt, ſuam ipſius caudam deuorantem, diſtinctum ſquammis, per quas mundi aſtra figurant. *Serpens in ſe reuolutus quid.* Et grauiſſimum quidem hoc animal eſt, quemadmodum terra. Eſt etiam lubricum, & in hoc aquæ ſimile: ac ſingulo quoque anno pellem vnà cum ſenio exuit, ſecundum quam rationem, & in mundo annuum tempus mutationem faciẽs iuueneſcit. Quòd verò pro cibo corpore ſuo vtitur, ſignificat id, quæcunq; diuina prouidentia generantur in mundo, hæc omnia in eodem diminutionem pati. Vide adagium, *Feſtina lentè.* Refertur hoc figmentum ad memoriam nunquam intermorituram virorum doctorum. Tuba enim famæ & commendationis nota eſt, vt quæ omnibus exaudiatur. Serpens in ſe reuolutus annum deſignat, ſeu æternitatem, vt apud Ioannem de Sacrobuſto in libello de ratione anni annotatum eſt;

Serpens annus ego ſum, Sol ſic circinat in quo,
Qui fluxit pridẽ ſtatus eſt nunc tẽporis idẽ.

Orbem etiam totum circuli figura demonſtrari (vt omnes alios omittam) pulchrè Plinius oſtendit lib. 2. Natur. hiſt. cap. 2. *Circulus orbem denotat.*

III.

NEPTVNI tubicen] Sic conſtruo: *Triton Neptuni tubicen, cuius vltima pars,* id eſt, cauda; *indicat eſſe cetum,* id eſt, piſcem magnum. *Et facies,* ſupple indicat eſſe *Deum.* Is, inquam, Triton *comprenditur medio orbe ſerpentis, qui* ſerpens *tenet caudam ore inſerto mordicus.* id eſt, tenet inſertam caudam ori, per hypallagen. Eſt autem Triton Deus marinus, Neptuni filius, buccinator, & armiger. *Triton, Deus marinus.* Vnde Statius lib. 3. Thebaid.

Stat celer obſequio iuſſa ad Neptunia Tritõ.

Et de eodem lib. 1. Achill. Perſonat autem & circumtonat æquor tuba canora, id eſt, perforata concha, ciens omnes & excitans, vt Virgilius 1. & 5. Æneid. & Claudianus de nuptijs Honorij & Mart. affirmant. Eius concham ſic deſcribit Ouidius 1. Metamorph.

Buccina Tritonis

Cæruleum Tritona vocat, conchaq́; ſonanti
Inſpirare iubet, fluctuſq; & flumina ſigno
Iã reuocare dato: caua buccina ſumitur illi,
Tortilis in latũ quæ turbine creſcit ab imo:
Buccina, quæ medio concepit vbi aera põto,
Littora voce replet ſub vtroque iacentia Phœbo.

Hunc

Miſenus à Tritone ſubmerſus. Hunc propter æmulationem cantus occidiſſe Miſenum Aeneæ tubicinem, refert Virgilius ſexto Aeneidos his planè verbis:

Sed cum fortè caua dum perſonat æquora concha,
Demens,& cantu vocat in certamina Diuos,
Æmulus exceptum Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virũ ſpumoſa immerſerat vnda.

Cuius pars vltima cetum] qui cauda tenus piſcem refert, qui parte inferiore piſcis eſt, ſuperiore Deus. Plutarchus de Iſide commẽtario ait? Amphitritem minoresq; Deos marinos, Tritonas dici. *Tritones qui ſint.* Eos deſcripſit vberrimè 4. Argonautic. Apollonius. Eſſe autem aut fuiſſe aliquando Tritones qua pinguntur forma, confirmat Plinius loco citato libri 9 cap. 5. Pauſanias ſe Romæ vidiſſe Tritonem affirmat in Arcadicis. Circumfertur etiam epiſtola cuiuſdam Alexandri Iuriſconſulti Neapolitani, in qua mira de Tritonibus leguntur: quædã ſe vidiſſe ait, quædam teſtimonio Theodori Gazæ & Georgij Trapezuntij confirmat. Qui verò plura de hac re cupit, adeat Siluam variæ lectionis, quam vernacula lingua compoſuit multa eruditione vir Petrus Meſſias; videatur etiam Gellius lib. 20. cap. 12. Macrobius loco citato, Gyraldus Syntagm. 5. ſunt enim prolixiora, quã vt huc attexere habeam neceſſe.

Serpentis medio] clauditur orbe ſerpentis, qui quaſi mordeat ore caudam, qui referat annulum rotundum.

Fama viros animo inſignes] clari & illuſtres viri fama nominis immortali donantur, eorumq́; geſta præclarè per totum orbem apud poſteros celebrantur. Sic initio panegyrici Maximino & Conſtantino AA. dicti: Equidem ſcio gaudentium ſtudia nunc ita toto orbe floreſcere, quacunq; fama vltra naturam, qua fugitur diſcurſio volucris* mutuata, & pluſquam mille vocibus ſonora percrebuit, vt omnium nationum gratulationibus cõſecretur. Sed quos hic vocat *viros animo inſignes*, illi etiam dicuntur eleganti verbo Græco, οἱ πολύφημοι ἄνδρες, εὐλογιμοὶ, καὶ ἔνδοξοι, qui & ἀγλαοὶ Homero. *Viri animo inſignes.* Quæ ſanè laudatio petitur à virtutibus primarijs, fortitudine, & iuſtitia: quali elogio donati heroes, toto orbe, omniq́; poſteritate celebrati.

IV. HAC pictura oſtenditur, doctiſſimos literarumq; ſtudioſos quoſque fama per totum orbem terrarum, nomineq; perpetuo celebres fieri: & præclarè eos, qui ſe rerum maximarum peruestigationi, puta Philoſophiæ, aut etiam ingenuis diſciplinis dedicant, facilè, & magna quidem maieſtate cæteris hominibus anteire. *Doctorũ virorum præminentia.* Quin & per eoſdem ſummorum virorum res fortiter præclarèq; geſtas immortalitate & memoria ſempiterna conſignari. Nam docti non ſolum viui & præſentes ſtudioſos diſcendi erudiunt atq; docent, ſed hoc idem etiam poſt mortem literarum monimentis aſſequuntur. Tibullus idem ſignificat his verbis:

Quæ referent Muſæ, viuet, dũ robora tellus,
Dum cœlũ ſtellas, dũ vehet amnis aquas.

Ouid. 3. Triſtium:

Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris exceptis ingenijq; bonis:
En ego, cùm patria caream, vobiſq; domoq;
Raptaq; ſint, adimi quæ potuere mihi:
Quilibet hanc ſæuo vitam mihi finiat enſe,
Me tamen extincto fama ſuperſtes erit.

Quò ſpectat Eudamidæ illud, qui rogatus, cur Lacedæmonij ad bellum profecturi Muſis ſacrificarent, cùm nullum cum Marte haberent commercium: Vt, inquit, poſt præclarè facta, memoria apud poſteros maneat. *Spartani cur Muſis ante bella ſacrificabant.* Pertinent huc arguti & inimitabiles hymni Pindarici, in gratiam eorum ſcripti, qui victores redierant ex Olympijs, Nemeis, Pythijs, Iſthmijs: item quæ ab epicis, & tragicis graui deſcripta charactere, ad res geſtas poſteris mandandas. Et quò maximè pertinent hiſtoricorum monumenta, niſi vt egregiè facta à mortalitate vindicent? Et pertinet ad exemplum, bonos & præſtantes viros honoribus affici, nec modò dum in viuis ſunt, ſed etiam fato functos, vt virtuti ſuũ reddatur præmium, quæ ſanè laudata creſcit: & id permultos accendit ad ſimilem virtutem, & facta ſimilia. Virtus enim ſola ſæculis duratura componit. *Sola virtus æternitati conſecrat.* Quod ab arte & fortuna venit, fata in manu habent, tenui filo ſuſpenſum: virtutis catena adamantina eſt, quam Parcarum forfex non incidit, quidquid innexum huic aut inuolutum, durat memoriæ conſecratum & poſteris. Oſtende ſis hodie Romanæ magnificentiæ admiranda illa, quæ famæ dedicauit ambitioſa antiquitas, arcus, trophæa,

columnas

columnas, porticus, theatra, amphitheatra, naumachias, nymphæa, palatia, thermas, circos, pontes, vias, portas, coloſſos, ſtatuas, aſylon, Capitolium, Auguſtorum ſepulchra, pyramides, obeliſcos, talia innumera; lucerna indigeas claro die ſcrutandis veſtigijs: in ingluuiem deſcenderunt vetuſtatis deuorantis omnia, nec niſi nomine ſolo in orbe amplius. Quare virtutis & ingenij monumenta, facta illuſtrium Heroum præclara & inſignia, res viriliter & animosè, conſtanter & intrepido animo patratas, tanquam in primo flore adhuc ſunt, vigent, viuunt, intacta ab obliuionis falce: fortitudo enim & magnanimitas pepererunt æternam prolem. Dā ſapientię antiſtites, omniū manibus adhuc teruntur, velut recens nata, eorum opera, vicenis tricenisq; ſæculis euolutis. Nunquam exiccatur elychnium huius lampadis, quam virtus accendit viuaci flamma, pingui ſucco nutritum creſcentis gloriæ, quæ & ipſa penè immortalis à bona ſtirpe, fructus aut merces virtutis; à ſolida enim radice aſcendit in perfectum robur, quod ſit par ſuſtinendis æui iniurijs, nec metuat famem temporis, cuius deus comminuit, cuius venter deglutit vniuerſa. Magnum ſolatium eſt homini, propagandi nominis ſecundum merita præuiſa ſpes, ſi ſuperſtes aliquid poſt oſſa relinquat in terris, quod breuis vrna non poſſit capere. Beatum hunc pronunciem, cuius mors ita cognita, vt viuere tum primū verè incipiat, cùm ſepulchrali lapide preſſus, ex oculis in memoriam tranſijt honorifico & ſpiranti præconio. Quis ardētem in laterna candelam tectam dixerit, dum circumfuſam lucem rebus communicat? Tale ſepulchrum laudati viri opertum & ex abdito lucet, marmor non capit nec aggeſtus terræ, quin exiliant honoris ſcintillæ & diffundant ſe. Inglorius iacet, quem nudum ab hoc virtutum comitatu flagitia ſequuntur, & vel obliuio excipit, vel nobilitat ignominia, exemplum & ſcandalum ſæculi. O quàm mallent & ipſi tales in litura & ſilentio eſſe ſua nomina! Inter viuos ſunt, ſed in turbida nocte, velut ſpectra quædam ac lemures, vt terreant & offendant. Nemo mihi hic famam nominet, ſed plurium ætatum conſenſu teſtatum decus: nemo ſtatuam erigat his talibus, aut vexillum ſuſpendat in templo honoris; velut infamem furcam in triuio aſpicias, vbi dantur execrationis & publici odij deteſtanda monimenta? Non indiget virtus aduentitio aliquo & externo fulcro perpetuandæ gloriæ, propria mole ſe ſuſtinet ac probat ſeris nepotibus, admiratione ſui in omnium animis concitata atq; æmulandi ſtudio. Paucis contingit hæc fœlicitas hodie, dum aduerſa via quiſlibet graditur, quæ non ducit ad ſacrum illud & auguſtum Euphymiæ delubrum. Vis dicā quæ cauſa ſit? At vereor, ne veritas odiū pariat: dicā tamen. Chryſæa reuocat, ſpecioſa illa meretrix cum pera ſua talentis grauida. Sequuntur pleriq; ô quā prompti, ô quā proni. Trahit auri fulgor, qui tamen ſicut lignum ſcintillans noctu Solem non fert, exile enim quippiam fouet in ſe putridi humoris, quod maiori igne tactum eua neſcit. Et in metallo quid aliud? Retunditur ſplendor virtutis præſentia, cuius magna & æterna quædam lux eſt. Nunquam vidiſti iucundum illud puerorū ludentiū ſpectaculū, cùm raſo ſmegmate aut ſeuo impinguant pauxillū aquæ vaſculo infuſum, & ex eo modicum quid attractū culmo difflantes, in ingētes ſępe globos, diffundēte ſe lentore lubricę & viſcoſæ materiæ, ſine arte & labore tornant? Vt colorē mentiuntur volitantes illæ bullæ, & purpureū cum viridi atq; aureo miſcent? vt vitreum quid & criſtallo ſimile referunt? Cęleſtes orbiculos dicas, ni deſint ſtellæ. Sed crepant repente ſub manu fingentis, ſpiritu nimium intendente. Atqui vbi rupturæ ſignum? vbi imago ſic eleganter conflata? da veſtigium, oſtende locum, fragmenta collige. Fuerunt: vnum hoc tenes. Conſidera iſtos argyrophilos, nonne ſimiles nugas exercent? Ventoſis occupantur, & in vacuo ſuſpendunt ſuas delicias, forma & colore decepti, quæ fallaci ludibrio dum tractantur, fugiunt. Sola virtus in Æternitatis templo trophæa figit.

Gloria virtutis merces.

Ignominia vitiorum præmium.

Amor diuitiarum multos à virtute auocat.

Tumu-

Tumulus Ioannis Galeacij Vicecomitis, primi Ducis Mediolanenſis.

EMBLEMA CXXXIV.



PRO tumulo pone Italiam, pone arma duceſq;,
Et mare, quod geminos mugit aduſque ſinus.
Adde his Barbariem conantem irrumpere fruſtrà,
Et mercede emptas in fera bella manus.
Anguiger † aſt ſummo ſiſtens in culmine, dicat: † al. &
Quis paruis magnum me ſuperimpoſuit? al. eſt.

COMMENTARII.

1. HVIVS Emblematis figura in cæteris editionibus, antequam Pignorij induſtriam eſſet experta, vel ipſi Heraclito riſum mouiſſet. Sic autem, vt vides, ille reſtituit in tumuli ſeu colliculi antica parte apparet Italia, (quam alij cruri, alij folio quercino ſimilem faciunt) duplici mari clauſa, quam circumſtant à dextris quidem armata militum acies, à ſiniſtris verò Mauri ſeu Turcæ deuicti. In tumuli verò ſummitate ſtat vir habitu militari, qui dextra galeam gerit, in cuius cono Mediolanenſium inſigne eminet, ſerpens ſcilicet infantem eructans. Hæc verò Pigno-

rij

rij pictura meram ſapit antiquitatem; olim ſiquidem mos inoleuerat in montibus inſigniũ virorum, pręſertim Regum & Principum, ſepulchra conſtituendi. Nam & Auguſtinus lib. 8. de ciuitate Dei, cap. 26. Aſclepij auum, medicinę repertorem, templum habuiſſe ait, & tumulum in monte Libyæ, iuxta littus Crocodileum. Et Ioſias Rex, ſuperſtitionis vaniſſimæ hoſtis ſepulchra, quæ erant in monte, deturbauit, proiectis oſſibus, præterquam Prophetarum, quæ ex elogio & inſcriptione cognouit. 4. Reg. 23. Eodem ſpectat infamis ille ſpiritus apud D. Marcum, qui obnoxium habebat hominem, die ac nocte in montibus ac monumentis verſantem: quem generis humani ſoſpitator Chriſtus valetudini mentiq; priſtinæ reſtituit, multiplici expulſo dæmone. Marc. 5. Indeq; natum augurot, vt columnæ & Pyramides in tumulis collocarentur, quemadmodum Seruius ad illud Virgilij annotauit lib. 11. Aeneid.

Sepulchra olim in montibus.

——ingens monte ſub alto
Regu Derceni terreno ex aggere buſtum.

II. *Galeacius.* EPITAPHIVM eſt Ioannis Galeacii, primi Ducis Mediolani, quem celebrat eo maximè nomine quòd fortiſſimè Turcis in Italiam irrumpere conantibus reſtiterit, & Remp. ſuam legum auctoritate compoſuerit. Huius Hiſtoriam repetes ex Sabellico Ennead. 9. lib. 9. Sed maximè Paulum Iouium conſule de Ducibus Mediolanen. Videtur autem Alciatus id confinxiſſe ad Græcorum quorundam Epigrammatum imitationem, vt eſt Germanici quoddam lib. 3. quo Themiſtocles rerum à ſe geſtarum commemoratione indicat, quo pacto à Græcis ſepeliri velit: alioqui nullum ſatis magnum & dignum ſepulchrũ ſuis virtutibus erigi poſſe. Quò ſpectat & Parmenionis in Alexandrum, cui pro magnitudine rerum non poſſe ſcribi dignum epitaphium, ſed Europam & Aſiam, quas ſubiugauit, eius eſſe ſepulchrum tradit. Simile eſt quod in Hectoris tumulo fecit Poeta quiſpiam: in quo Hector non vult comparari ſepulchro aut tumulo; quippè qui vniuerſæ Græciæ reſtiterit, & cuius ampliſſimum ſepulchrum ſint Ilias, Homerus ipſe, Græcia, & Achiui fugientes. Eodem modo vt dignus Galeacio tumulus ad perpetuam nominis commendationem extruatur, ait Alciatus, deſcribendam eſſe Italiam vniuerſam, Duces ipſos, regiones contermi-

Vnde petitum Emblema.

nas, & Barbaros toto impetu Italiæ ceruicibus imminentes: poſtremò conſtituatur Anguiſer, qui ſymbolum habeat ſcriptũ, ΤΙ ΜΕ ΜΙΚΡΟΙΣ ΤΟΝ ΜΕΓΑΝ ΕΝΤΙΘΕΤΕ; Quod autem adeò magnificum tumulum ipſi Galeacio excitarit Alciatus, id optimo iure factum eſt: nemo enim Regum (ſcribit Iouius) ornatiore aut ſumptuoſiore exequiarum pompa elatus eſt. Ne pigeat legere quæ de ipſo habet Corius, Sect. 4. Sed huc apponam Germanici in Themiſtoclem epicedium, quod imitatus eſt, & ferme integrum (vocabulis aliquot dumtaxat immutatis) mutuatus eſt Alciatus, vt videre eſt:

Cauſa huius tumuli.

Character Emblematis

ἀντὶ τάφου λιθοῖο θὲς ἑλλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταῦτα
δούρατα, βαρβαρικῆς σύμβολα ναυφθορίας.
καὶ τύμβου κρηπῖδα περίγραφε περσικὸν ἄρη,
καὶ ξέρξην. τούτοις θάπτε θεμιστοκλέα.
στάλα δ' ἁ σαλαμὶς ἐπικείσεται, ἔργα λέγουσα
τἀμά. τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

Pro ſepulchro lapideo pone Græciam, pone ad hæc
Haſtas barbarici ſymbola naufragii:
Et tumuli [in] apice circumſcribe Perſicũ Martem,
Et Xerxem: in illis humo conde Themiſtoclem.
Columna verò Salamis ſuperimponatur, geſta referens
Hæc mea: Quid verò paruis magnum impomitis?

Marmoreo in tumulo ſtatuatur Græcia, deinde
Haſta barbarici ſymbola naufragij:
Perſicus & Mauors apice aſtet deinde ſepulchri,
Et Xerxes, & humo conde Themiſtoclea.
Hac mea geſta canens Salamis ponenda columna:
Quid magnum paruis impoſuiſſe iuuat?

Sic autem Latinè reddidit Franciſcus Sanctius:

Pro tumulo exiguo terras appone Pelaſgas,
Armaq; barbaricæ ſymbola militiæ.
Inq; baſi tumuli circumduc Perſica bella,
Et Xerxè; hi q; ſuperpone Themiſtoclea.
Et Salamis noſtra virtutis buccina dicat:
Quis paruis magnum me ſuperimpoſuit?

Cum

Cum his, quæ anteà dicta ſunt ad tumulum Galeacij, deq; inſcriptione illa magnifica, *Quis paruis magnum me ſuperimpoſuit?* velim annecti quæ mihi nunc occurrunt ex alijs certè non pœnitendis auctoribus. Sic igitur Horatius Epod. Odâ. 9.

——Africano, cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulchrum condidit.

Velleius Paterculus de Carthagine: Eam vrbem inuiſam Romano nomini Pub. Scipio funditus ſuſtulit, fecitq; ſuæ virtutis monumentum. Sed interea dum hæc meditor, neſcio quo modo mihi præ cæteris placet Martialis ſanè argutum & lepidum de Pompeio & filijs cenotaphium:

Pompeij cenotaphium.

Pōpeios iuuenes Aſia, atq; Europa, ſed ipſum
Terra tegit Libyes, ſi tamen vlla tegit.
Quid mirum toto ſi ſpargitur orbe? iacere
Vno non poterat tanta ruina loco.

Dion Nicæus in Adriano: Poſtquam venit in Græciam, ſpectauit myſteria; cumque per Iudæam in Aegyptum veniſſet, parentauit Pompeio, de quo hunc verſum fertur dixiſſe:

Τῷ ναοῖς βρίθοντι πόσον σπανὶς ἔπλετο τύμβου,
Oſſa viri magni tenui quàm clauſa ſepulchro.

Vicecomites familia.

Porrò hic obiter noto, *Vicecomes* nomen eſſe familiæ in Italia (vulgò *Viſconti*) non officij.

III. *PRO tumulo*] ad excitādam tumuli magnificentiam Galeacio.

Pone Italiam] id eſt, appone, affinge, deſcribe totam Italiam, cum ſuis viribus.

Pone arma.] Pro deſcribe, aut diſpone, non placet Fornerio, vt quòd à mera lingua Romana deflectat; quanquam Cicero initio 5. Antonianę dixerit: Pacem vult Antonius, arma ponat. hic enim, pro deponat, vſurpari liquet.

Italia inter duo maria ſita.

Et mare, quod geminos] Mare ſuperum & inferum intelligit. Nam Italia quantaquanta eſt, inter duo maria procurrit, Tyrhenum ſeu Siculum & Adriaticum. Italiæ autem ſitum, amęnitatem, fertilitatem, gloriam, tam Coſmographi quam Hiſtorici plurimi lata deſcriptione proſequuntur, vt Plinius, Mela, Solinus, Blondus, Strabo lib. 5. Albertus Leander, & nouiſſimè omnium Ioan. Antonius Maginus Patauinus. De eius quoq; potentia & virtute bellica, elegans eſt oratio Regis Agrippę apud Ioſephum Hiſtoriographum, de bello Iudaico lib. 2. cap. 16. Extat & Belſolis Regis perpulcra epiſtola apud Crinitum, de honeſta diſciplina lib. 8. cap. 14.

Mugit] Tranſlatio à tauris. Sic quoque Virgilius mugitum amnibus tribuit, 3. Geor.

——& crebris mugitibus amnes,
Arenteſq; ſonant ripæ, colleſq; ſupini.

Adde his Barbariem] adiunge barbaros conantes irruptionem facere, ſed fruſtrà.

Galeacij bellū contra Florētinos.

Et mercede emptus] milites mercede conductos, auxiliares copias. Geſſit autem Galeacius per duodecim annos bellum cum Florentinis, quo tempore *Stephanus* Bauariæ Dux è Germania conductus à Florentinis, in Italiam contra Galeacium magno exercitu venit; nihilq; gerens memorabile, tandem in patriam reuerſus eſt. Poſt hunc Iacobus Armeniaci Comes Mediolano bellum infert; accepto à Florentinis ſtipendio, magnamq; manum ex vlteriore Gallia traducit; qui profligatus interijt. Sequutus eſt hos, aliquot interiectis annis, Robertus Imperator, qui grandem pecuniam à Florentinis accipiens contra Galeacium Mediolanenſium Ducem; maximo exercitu in Italiam tranſijt; inde nulla re geſta memorabili, inglorius reuerſus eſt.

Galeacij mors.

Tandem Galeacius dum per ſuos duces bellum in Florentinos continuat, moritur, Anno Domini 1403. Vide Sabellicum Ennead: 8. & Iouium de Ducibus Mediolan.

Anguifer] Anguifer, id eſt, ille, qui pro inſignibus fert anguem, qui eſt ipſe Dux. Alludit. n. ad inſignia Ducatus Mediolanenſis, de quibus copioſè diximus Embl. 1.

Paruis magnum.] Antitheton. In Græco ſic habetur: τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε; quaſi diceret: Quis me citra exceptionem magnum rebus minimis æquare voluit? Apud Caietam in ſepulchro marmoreo, æneaq; vrna, hęc inſcripta reperiuntur Scipioni Africano:

Deuicto Annibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tellus habes.
Cui non Europa, nō obſtitit Africa quondā,
(Reſpice res hominum) quàm breuis vrna premit?

Illud Horatij 3. Carm. occurrit:

——deſine
Magna modis tenuare paruis.

Pompeij gloria.

Sic Tullius dicebat, Cn. Pompeij gloriam

non

non regionis vnius, ſed orbis vniuerſi finibus eſſe terminandum. Et Alexander Magnus, Iliadem Homeri non ad tibiam, ſed tubam videri concelebrandam. Et neſcio an poſſim huc aggregare illud Epaminondæ elogium, de quo Iuſtinus: Vnus vir pluris fuit quàm vniuerſa ciuitas. Non abludit Salluſtianum hoc in Catilina, initio, quo loco ait videri ſibi difficile hiſtoriam ſcribere, quia dicta factis æquanda ſunt.

Epaminōdæ elogiū

IV.

Honores habiti claris viris.

Hoc Emblema mihi reuocat in memoriam ſpecies vndecim honorum, qui ab Ariſtotele ſtatuuntur I Rhetoricorum primo: nempe ſacrificia, monumenta vel carmine, vel oratione ſoluta, præmia certa, luci, ſuperiores in ſedendo loci, ſepulchra, imagines, publicæ epulę, & quibus vtuntur Barbari, habitus adorantium, & cōſpectus euitationes, munera, quæ apud quaſq; gentes in precio ſunt. De quibus ſigillatim aliquid dicere nihil hic neceſſe habeo. De ſepulchris & monumentis agimus, quæ inter honores non paruos poni ſolemne iam olim fuit. Conſentaneam enim veritati & obſeruantiæ, imò indubitatum eſt ſapientibus, quædam cognata eſſe nobis ſemina immortalitatis; cuius adeo appetentes ſumus, vt & ſepulturæ proſpiciamus, & nolimus cadauer noſtrum malè haberi. Nec enim admittenda eſt vecordium quorundam ſententia, animam noſtram à corpore ſolutam interire exiſtimantium: ſanè harum pecudum animi tam inſipidi nunquā vixerunt cum ſuis ſententiis. Humanum verò ingenium, quod animæ noſtræ vis eſt, cùm ſe ſciat immortale, optat illud etiam vt corpus ipſum quoq; & comes, & domicilium ſuū, quoad fieri poſſit, eadem felicitate perfruatur. Atqui iam cadauer neqs ſentit, neq; tuum eſt amplius? at fuit: & nunc ſenſus eſt mihi viuenti earum commoditatum, quas paſſurum ſit cadauer meum. Et quidem quanta nobis viuis ſepulturæ cura eſſe ſoleat, tum quotidiana rerum experientia, tum etiam vitæ magiſtri docent hiſtorici. Nam & Ægyptiorum Reges ad vitam iuſtam & honeſtam nihil tam adduxiſſe legimus, quam ſi ſecus facerent, metum atque formidinem denegatæ ſepulturæ. Diodorus lib 1. Hinc etiam eſt, quod de ſepulchris & monumentis, quæ defunctorum domos Conſtantius appellat in l. 4. C. de ſepulch. viol. tam prouidè & religioſè in iure multa ſint prodita. Nam & voluntas defuncti monumentum fieri ſibi diſponentis, ſalua conſcientia, & citra infamiam negligi nequit. l. militis, 5. C. de relig. & ſumpt. fun. Vti nec ipſum monumentum obligari. l 2. C. dict. t. neq; legari. l. monumenta. 14. C. de legat. neq; permutari. l. 12. §. 1. de relig. & ſumpt. fun. neq; alienari vel diſtrahi poteſt. l. 2. & 9. C. d. t. quia ſcilicet religionis intereſt monumenta extrui & exornari. l. 1. §. interdictum, de mort. infer. Vnde cùm monumenta memoriæ ſeruandæ gratia exiſtant, l. 1. §. 6. ff. d. t. ſatis inhumanum & durum fuerit, memorias vendere mortuorum. Can. poſtquam. 13. q. 2. Quapropter (vt propius ad rem) non immeritò Galeacio tam magnificum cōſtructum fuit monumentum: talis enim ille vir fuit, qualem Plato in Repub. eſſe debere præcipit; vt puta qui ſibi & patriæ vtiliſſimus, qui ſingulis ætatibus ſemper probatus & immaculatus exiſtit, is cuſtos & princeps ciuitatis conſtituendus eſt. Honores huic tribuendi & viuenti & mortuo, ſepulchrorum & aliorum monumētorum maxima munera ſortienti. Hæc Plato in dialogo 3. de Repub. Talis quoque honor qui Galeacio, olim contigit (ne alios infinitos huc congeram) Menandro Bactrorum regi, homini mitiſſimo, in expeditione quadam vita functo, cui cunctæ regni ciuitates, cunctiq; populi inferias de more, communiq; conſenſu ſoluerunt. Sed de reliquijs cùm diu certatum eſſet, quibus in primis commendarentur, vix tandem inter omnes conuenit, vt æquè partitæ ſingulis diſtribuerentur rata pro parte, nempe vt illius viri monumentum apud omnes pariter cum veneratione exiſteret: teſtis eſt Plutarchus commentario, quo ciuilem hominem inſtituit. Nunc bono principi ſuccedat *Optimus ciuis*.

Sepultura cura.

Sepulchrorū et monumentorum religio.

Menādri exequiæ.

Optimus

Optimus ciuis.

EMBLEMA CXXXV.



DVM iuſtis patriam Thraſybulus vindicat armis,
Dumq́; ſimultates ponere quemque iubet,
Concors ordo omnis, magni inſtar muneris, illi
Palladiæ ſertum frondis habere dedit.
Cinge comam, Thraſybule, geras hunc ſolus honorem;
In magna nemo eſt æmulus vrbe tibi.

COMMENTARII.

B IN corona ciuium gratulantium & læticia geſtiẽtium medius ſtat Thraſybulus chlamydatus, cuius caput cæteri certatim frondibus oliuę honoris gratia cingũt.

II. HANC hiſtoriam non iniucundã paulò altiùs repetemus ex libro 5. Iuſtini Hiſtorici, nam Xenophon latiùs ſe extendit, quàm vt hic poſſit commodè coarctari; quin nec omnia, quę in hanc ſententiam dicit Iuſtinus, huc transferre eſt animus, ſed carptim potiora. Athenienſes itaq; longiſſima obſidione preſſi à Spartanis, poſt longam famem & aſſiduam peſtilentiam, duce Conone, à Lyſandro Lacedæmoniorum duce victi pacem petierunt, quam tandem impetrarunt ea conditione, vt ciuitas Athenienſium à triginta viris Lacedæmoniis gubernaretur. Hi ſibi tria millia ſatellitum *Hiſtoria Thraſybuli, qui tyrãnos expulit.*

litum ſtatuunt, & quaſi paruus hic ad continendam ciuitatem exercitus eſſet, ſeptingentos milites à victoribus accipiunt. Deinde miſeras vrbis reliquias cædibus & rapinis exhauriunt: & ſucceſſu temporis horum tanta creuit tyrannis & ſæuitia, vt boni quiq; ciuitatis principes & opulenti, beneq; nummati homines ad fugam in exiliũ adigerentur; replebaturq; Græcia Athenienſium exulibus. Sed cùm Lacedæmoniorum edicto ciuitates recipere exules prohiberentur, omnes ſe Argos & Thebas contulerunt, vbi nõ ſolùm tutum exilium egerunt, verùm etiam ſpem recuperandæ patriæ receperunt. Erat inter exules Thraſybulus, vir ſtrenuus, & domi nobilis, qui audendum aliquid pro patria, & pro ſalute communi etiam cum periculo ratus, adunatis exulibus caſtellum Phylen Atticorum finium occupat. Nec deerat quarundam ciuitatum tam crudeles caſus miſerantium fauor: ſic & Iſmenias Thebanorum princeps etſi publicis non poterat, priuatis tamen auxiliis adiuuabat. Et Lyſias Siracuſanus orator, exul tunc, quingentos milites ſtipendio ſuo inſtructos in auxilium patriæ communis eloquentiæ miſit. Fit igitur aſperum prælium: ſed cùm hinc pro patria ſummis viribus, inde pro aliena dominatione ſecuriùs pugnaretur, tyranni vincuntur: victi in vrbem refugerunt, quã exhauſtam cædibus ſuis etiam armis ſpoliant. Deinde cùm omnes Athenienſes proditionis ſuſpectos haberent, demigrare eos ex vrbe iubent, & in ruderibus murorum, qui diruti fuerunt, habitare, extraneis militibus imperium tuentes. Poſthæc Thraſybulum corrumpere, imperii ſocietatem pollicentes, conantur: quod cùm non obtinuiſſent, auxilia à Lacedæmoniis petiuerunt. Quibus adſcitis iterato præliantur. In eo bello Critias & Hippomachus tyrannorum ſæuiſſimi cadunt. Cæteris victis, cùm exercitus, ex quibus maior pars Athenienſium erat, fugeret, Thraſybulus magna voce exclamat: cur ſe victorem fugiãt, potiùs quàm vt vindicem communis libertatis adiuuent? ciuium meminerint illam aciem, non hoſtium eſſe, & cætera quæ adiecit Xenophon in Thraſybuli oratione. Tandem tyranni in exilium mittuntur, qui ægrè ferentes exilium, Athenienſes inuadunt; ſed per inſidias comprehenſi trucidantur. Atq; ita ciuitas per multa membra diſſipata, in vnum tandem corpus redigitur. Sed vt inter Athenienſes ciues pax eſſet ſtabilior, interpoſita fide publica Thraſybulus legem ſanxit, de abolendis præteritis iniuriis, quam *ἀμνησίαν* nuncupauit. Quocirca coronam ciuicam magno totius ciuitatis applauſu meruit. Vide prouerbium, *Ne malorum memineris*. De Thraſybulo præter Iuſtinum & Xenophõtem agit Aæmilius Probus in eius vita, Valerius Maximus lib. 4. cap. 1. Meminit etiam Pauſanias in Atticis, & Plutarchus in vita Pelopidæ. Huc ſpectat adagium, *Thraſybulo Dionyſium ſimilem eſſe dicitis*. Marullus in eam fermè ſententiam ſcripſit Epigramma certè venuſtum:

Thraſybulus.

Lex ἀμνησίας.

Cùm fugeret ciuem ciuis deuictus vt hoſtē,
In patriam ſceleris conſcius ipſe ſui:
State viri, Thraſybulus ait, victoria veſtra eſt:
Nec mihi, ſed vobis vicimus, & patriæ.
Dixit, per medioſq; ruens enſeſq; viroſque,
Parcendum paſſim ciuibus, ingeminat.

DVM iuſtis patriam] pro ſalute patriæ, qua nihil debet eſſe charius; & pro qua mortem oppetere ſapiens non dubitabit. *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμυνέσθαι περὶ πάτρας* ait ille: & quæ pietas prior, quàm in patriam & parentes? imò quæ arma iuſtiora, quàm quæ capiuntur ad vindicandam patriam? III.

Thraſybulus] quaſi *audax conſiliarius*; vel potius homo audacis ſiue audentis conſilii: nam *θρασὺς*, *audax*, & *βουλὴ*, *cõſilium* ſignificat: nomen factis conueniens: nobis Germanis ſonat *Kuenrat*, vt dictum in Præfatione Emblematum. Et certè appoſitè iſtud inditum nomen Thraſybulo, qui audenti conſilio rem magnam aggreſſus eſt, & feliciter perduxit ad exitum. Atqui, quod habet Publii mimus, *In rebus dubijs plurimi eſt audacia*. Quo ferè ſenſu Euenus dixit, ad ſapientiam permultum conducere audentiam: ſeorſum ſi ſit, noxam adferre. *πρὸς σοφίαν μὲν ἔχειν τολμᾶν μάλα σύμφορόν ἐστι, χωρὶς δὲ βλαβερὴ, καὶ κακότητα φέρει.* In iure audacia circa licita adprobatur. l. Celſus, 20. §. videndum. ff. de lib. & poſtum. l. ſi quis in tantum 7. C. vnde vi. Vnde rectè Comicus:

Thraſybulus vnde dictus.

Audacia quando licita.

εὔτολμος εἶναι κρῖνε, τολμηρὸς δὲ μή.
Audens ita eſto ſit procul vt audacia.

Dumq; ſimultates ponere] ſuadet abolendas veteres iniurias. Nã parum fuiſſet

Oo arma

ἀμνηστία.

arma cepiſſe ad expellendos tyrannos, niſi hoc alterum ſapienter & prouidè inductum & perſuaſum eſſet. Alluſum eſt autem ad ἀμνηστίαν, id eſt, *malorum obliuionem.* ſic enim Athenienſes vocabant illud plebiſcitum, quo multæ ſeditiones fuerũt ſublatæ. De quo vide prouerbium, *Malorum meminiſſe.* & Valerium Max. lib 4. c. 1. & lib. 5. cap. 6. qui pulchrè narrat hiſtoriam. Obiter noto, ſimultatem dici odium per ἀντίφρασιν, quia minimè ſint ſimul, qui ſe odio proſequuntur. Vel ſi mauis à ſimulatione deduci, quia inimici occulti ſimulata loquuntur ad inuicem: nam ſecundum Vallam, ſimultas eſt odium latens.

Simultas.

Concors ordo omnis] omnes Athenienſium ordines, optimates cum plebe vnanimes.

Corona ciuica.

Magni inſtar muneris] ſummi honoris loco ciuica eum corona donarunt, quæ dabatur ei ciui, qui ciuem in bello ſeruauerat: fiebatq; ex oliuæ fronde, aut querna, interdum ilice. Gellius lib. 5. cap. 6. & Plinius lib. 16. cap. 4.

Oliua ſacra Palladi.

Palladia ſertum frondis] oliuæ, quę Palladi ſacra, vt diximus Emblem. 24. & alibi, & teſtatur Plinius lib. 12. cap. 1. fuit enim illa oleæ inuentrix, Ouidio 6. Metamorph. aſſertore. Aemilius Probus, ſiue is fuit Cornelius Nepos, in Thraſybulo: Huic pro tantis meritis, honoris corona à populo data eſt, facta duabus virgulis oleaginis; quam quòd amor ciuium, & non vis expreſſerat, nullam habuit inuidiam, magnaq; fuit gloria. Cingebantur autem corona ex olea ſeruatores ciuium, quod ea paci dicata eſſet, vt refert Hermogenes c. 2. de oratoria. Et eam geſtantibus indiciũ erat pacis. Hinc Virgilius 8 Aeneid.

Olea paci dicata.

Paciferaq; manu ramum prætendit oliuæ.
Et Ouidius lib. 1. de Ponto:
Adiuuat in bello pacata ramus oliuæ.

Sed enim non à Græcorum fabulis, neque ab alienigenarum gentium commentis, ſed diuinitus, vel ab ipſo ferè noui mundi primordio ineſſe oleæ pacificationis vim nobis demonſtratum eſt. Diluuio enim ceſſante, à Noe columba emiſſa, quæ præpeti volatu regionis aliquantulum circumlata, paulò poſt oliuæ ſurculum habens in arcam reuerſa eſt: eoq; argumento lætatus Noe, ſenſit tempeſtatem diluuii iam deſæuiiſſe, terramq; ipſam pacatam, & remittente inundatione iamdudum in emerſu eſſe. Sed quid illud? cùm ferrum, ferriq; vſus bello in primis inſeruiat, & ſymbolicè pro bello ponatur, tantam ineſſe oleo vim, vt id emolliat, & ad feriẽdi vſum ineptum & inutile reddat; ſiquidem fabri, qui ferrum lenteſcere & emolliri volunt, candefactum id oleo intingere conſueuerunt. Oleaginis item coronis vtebantur miniſtri triumphantium, quod Minerua Dea belli eſſe credebatur. Plura de oleæ ſymbolis habes apud Pierium lib. 53. Hieroglyph.

Columba à Noe emiſſa.

Oleũ ferrum emollit.

Geras hunc ſolus honorem] qui cæteros virtute anteſtas, ſolus eo honore dignus repertus es. Seneca epiſt. 41. In homine id laudandum eſt, quod ipſius eſt. Familiam formoſam habet, & domum pulcram, multum ſerit, multum fœneratur; nihil bonum in ipſo eſt, ſed circa ipſum. Lauda in eo, quod nec eripi, nec dari poteſt. Quod proprium hominis eſt quæris? animus & ratio in anima perfecta.

In magna vrbe] Athenienſi. Olim Athenæ ἄσυ dictæ, per excellentiam; vt Alexandria πόλις.

Nemo eſt æmulus] omnes tibi optimè volunt, nullus non tibi debitum honorem decernit. Hæc laus quidem tanta eſt, vt non poſſit eſſe maior in homine ciue: adeo vt vix fidem inueniat. Virtuti enim ſemper comes eſt inuidia & æmulatio: Vnde rectè ille, quiſquis fuerit; *Optima, cibus inuidiæ.* Et ſanè in Comitijs vrbis noſtræ olim (verba ſunt Laurentij Pignorij Patauini) cum ciuis quidam omnibus ſuffragijs, quotquot interfuerant, conſecutus fuiſſet honorem, quem petebat, illum Prætor, qui aderat, de facie noſcere cupiens gratulatus eſt, quod omnes illum amarent: at Præfectus dolere ſe, quod neminem inimicum haberet. Vt enim inquit Publius,
Miſerrima eſt fortuna, quæ inimico caret.

Virtuti comes inuidia.

IV.

Intentio Emblematis.

Cvsvm videtur Emblema in ciuem aliquem Mediolanenſem, ciuilis concordiæ, & Reipublicæ ſtudioſum. Conſueuit .n. Alciatus ſub antiquorum perſona viros ſui ęui in ſcenam inducere, quà bonos, quà malos; quà nobiles, quà inglorios. Et huius rei in Emblematis ſparſim non obſcura apparent veſtigia: nimirum

——ſeruitus obnoxia,
Quia quæ volebat non audebat dicere.
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamq; fictis eluſit iocis.

Illud quoq; argumento eſt, quod de ma-

gna

Mediolanum magnum.

gna vrbe loquatur; Mediolanum autem magni nomen obtinere vel ipſi plebeculæ notum, quæ paſſim de Italiæ vrbibus: *Roma ſanta, Venetia ricca*, Milano grande, *Napoli gentile, Fiorenza bella, Bologna graſſa*. &c. Cæterum tunc temporis & Brixiani ſuum Thraſybulum habuere, Benedictum videlicet Maximum, cuius extat de forma Reipublicæ Brixianæ conſtituenda præclarum conſilium, & de eodem non ignobilia Encomia carmine conſcripta. Sed hoc Emblemate duo potiſſimũ inculcãtur.

Benedictus Maximus Brixianus.

Dimittite & dimittetur vobis.

1. Traditur lex *ἀμνηστίας*, quæ conformis eſt oraculo Euangelico de iniurijs remittendis & obliuione delendis. Quod quãtum cõducat ad ciuilem ſocietatem, nemo ſanæ mentis neſcit. Iniuria enim ſemel remiſſa reuocari non debet, c. ſi illi, 23. q. 4. ex Gelaſio. Et qui diſſimulat iniuriam, callidiſſimus eſt, apud Hebræum parœmiaſtẽ Prouerb. c. 12. Sed hic callidiſſimus, prudentiſſimus, vt apud Tull. Partitionib. Refero huc locum ex Auſonij panegyrico, ad finem penè, vbi de combuſtis fœneratorum nominibus, vt nouæ & veteres rixandi occaſiones tollerentur, auſpice Gratiano, bono principe. Exemplum aliud celebre Conſtantini magni, de combuſtis libellis expoſtulatorijs epiſcoporum, qui ad Nicenam ſynodum conuenerant. Nihil peccauero, ſi cum Thraſybulo noſtro contulero factum Solonis: vt enim ille legem *ἀμνηστίας* condidit, ſic iſte legem *σεισάχθειαν* ſanxit. Cũ enim ſeptem ſibi talenta ex patrimonij ſui iure deberentur, ea primò remiſit, ac reliquos idem facere debere exemplo ſuo pronunciauit. Quæ lex appellata eſt *σεισάχθεια, ἀπὸ τοῦ σείειν τὸ ἄχθος, ab excutiendo onere*. Vel vt Laertius exponit, *ἀπὸ τοῦ ἀποσείσασθαι τὰ βάρη τῶν δανείων*, id eſt, *ab excutiendo æris alieni intolerabilem ſarcinam*. Latini *Tabulas nouas* vocarunt. Præterea ſicut Thraſybulus patriam à tyrannide liberauit; ita Solon inſulam Salamina reſtituit ſuis ciuibus. Nam cum de ea inter Athenienſes & Megarenſes ferè vſq; ad internecionem armis dimicatum eſſet, multisq; cladibus acceptis: capitale apud Athenienſes eſſet, ſi quis legem de vindicanda inſula ferret. Solicitus Solon, ne vel tacendo parum Reipub. conſuleret; vel conſulendo ſibi noceret, ſubitam ſibi amentiã ſimulat, cuius prætextu non dicturus modo prohibita, ſed & facturus erat. Deformi habitu more veſanorum in publicum euolat, factoq; concurſu hominum ſuadere populo cœpit quod vetabatur, omniumque animos ita cepit, vt extemplò bellum aduerſus Megarenſes decernerent, & inſula deuictis hoſtibus Athenienſium fieret. Laertius lib. 1. de vita Philoſ. Plutarchus in Solone.

Solonis lex σεισάχθεια.

Solonis aſtus.

Officium boni ciuis.

2 Optimi ciuis munus eſſe docent, Rẽp. ſuam non modò legum metu vincire, ſed & omnes omnium animos pacis vinculo continere, omnemq́; rixarum & veterum contentionum occaſionem adimere. Id exẽplo Thraſybuli palam fit, de quo iam plenè diximus. Bonum ciuem breuiter & dilucidè ex oppoſitis nobis depingit Cicero, Orat. pro Seſt. Hi & audaces, inquit, & mali, & pernicioſi ciues putantur, qui incitant populi animos ad ſeditionem, aut qui largitione cæcant mẽtes imperitorum; aut qui fortes & claros viros, & benè de republica meritos in aliquam vocant inuidiam. Qui verò ſceleratorum impetus & conatus repreſſerunt, qui authoritate, qui fide, qui magnitudine animi conſilijs audacium reſtiterunt, ij boni ciues ſemper habiti ſunt. Idem ad Atticum lib. 9. Nihil viro bono, & quieto, & bono ciui magis cõuenit, quàm abeſſe à ciuilibus controuerſijs. Sed cum bonum virum audio nominari, ſtatim me colligo & dijudico; dubia enim eſt vox, à latiori ſenſu reſtringenda. Quis in tanta malorum colluuie bonus? Phœnicem appellem hominum, cui cinnama ſubſternam & aromaticas meſſes. Quid ais? virtutis hic homo typus eſt, & ſanctimoniæ exemplar. O vide, ne in ſpeciem talis, non à ſolida baſi: lubrica ſunt iudicia, & in peiora facilis lapſus aut flexus. Poteſt videri, ſi ad Lydium probes, fallit: in fibris morbus latet circum præcordia, nec à ſignis apparentibus euidens coniectura. Sanitas in vultu & habitu toto corporis, viuidus color & vernans, gratia in oculis, in labijs ſuauitas, compoſita ad modeſtiæ præſcriptum vtraq; nihil ex ore, quod inquinet, nihil in facie, quod ad laſciuiam prouocet, aut euagetur potiundi affectu; veſtis non ad pompam, ſed neceſſitatem, placando ventri victus, potus torturæ & artis expers, morum elegans barbaries & ruſtica ciuilitas, infra faſtum, ſupra ſordes, ad conditionem vitæ temperata. Cur non bonum hunc talem & ſanum hominem? Non certè

An inueniatur vl libi bonus vir.

rè malum, ſed an bonum ſimpliciter? vix affirmem. Detrahe laruam & inſpice, næuos offendes & maculas. Ad legem quidem ita pleriq; ſe componunt, ſuppreſſis vitijs & in abdito ſepoſitis, vt ea ſalua, omnes honeſtatis numeros compleuiſſe ſe, & præclarè functos officio boni viri, ſibi prorſus perſuadeant. Vana laus, & ſimulata, imò formidine pœnæ violenter extorta bonitas: abrogetur lex, impunitate conceſſa, liberrimus curſus erit ad omne facinus, & ſine rubore peccabitur. Cauſa eſt intrinſecus quidam & occultus fomes, quem vel tenuis afflantis auræ ſpiritus ſopitum reſuſcitet: dormiunt ſub cinere iacentis affectus & placati ad tempus igniculi iſti, non moriuntur, & quærunt exitum interdum eruptione, ſi coerceantur arctiori cuſtodia. Quotusquiſque eſt, qui conceptam de ſe præclaram opinionem virtutis, ad exitum vſq; ſtabilem & inconcuſſam conſeruet? Conuerti & peruerti, communis praxis. Non opus exempla ab antiquitate petere conteſtandæ fidei, ſinguli dies ſuggerunt, labi alium, alium reſurgere, nec conſiſtere diu veſtigio immobili. Sæpè caſtitatis florem illibatum perduxit verecundus iuuenis ad metam etiam virilis ætatis, infami ſcorto tum primùm venditum. Sæpe continuit manus aliquis & linguam à ſpolio famæ ac bonorum in multam ætatem, ſeductus tandem erumpente illo affectu, quem tot annis iniecto ea piſtro frænabat. Abſtemios vidimus à lacte materno ad prætextam aut togam, in media crapula ſuffocatos clauſiſſe diem. Quamdiu radix in fundo, germen dat & fruticeſcit, vel in caulem & folia certis menſibus luxuriat, cohibente iam frigore. Simile quiddam in homine: plantarium quaſi quoddam in corde nutrit, vnde vitiorum illa ſeges & pullulatio, quam occaſio educit aut retundit. Nemo non expertus, quilibet Lernam habet ſuam, Herculea manu purgandam: labore opus ſuccidendis tot capitibus parturientis monſtri huius; multi conantur, pauci perficiunt. *Nihil ex omni parte beatum.* vetus & verum dictum, pro Delphico oraculo mihi. Prodeat qui de iniuria poſſit hic queri. Vniuerſalis Maxima eſt, tangit ſingulos, nemine excepto, nec ætatis, ſexus, conditionis, ordinis, ſtatus, dignitatis vllo priuilegio. Vt mors communis, ita cauſa mortis; trahit ſecum hoc onus quisquis naſcitur, & domeſticum hoſtem circumfert dum ſpirat, ò quàm turbulentum ſæpè & implacabilem, niſi altior vis domet, & romphæa aliqua è cœleſti armario: quę certè omnibus neceſſaria ad truncandam hanc Hydram. Neminem igitur ſeponis, inquis, quem nobili hoc & præclaro boni viri titulo exornes? *Neminem ex aſſe, cui nihil deſit ex omni parte. Sed vti citharœdum bonum,* qui ſuauiter ludit, quamuis perfectus non ſit: ita ciuem bonum, cuius acta, vita & mores ciuilibus ſtatutis accordant, appellare conſueuimus: ita bonum militem, qui imperata ducis exequitur: bonum œconomum, cui ratio conſtat accepti & expenſi: bonum monachum, quem nutus ſuperioris & regula continent in officio. Talis omnis Reſpublica & communitas habet, iuſtos, honeſtos, pacis amantes, non publicè in exemplum malos; tolerantur & probantur, quamdiu lex & magiſtratus. Moralis igitur quædam & politica virtus ſit bonitas, quæ rigidi etiam cenſoris virgulam leuiuſculi erroris aſperſione ſuſtineat. Sed vbi altera illa abſoluta & perfecta? nondum reperio: Mathematica eſt & imaginaria, quæ in vacuo thronum ſuum fixit clauſo mundo. Vbi homo, ibi vanitas & corruptio, luctus & miſeria, prauitas & error, lege propagationis & communi ſorte. Porrò de ciuilibus præceptis & officijs multi ſcripſerunt, inter cæteros conſule Marſilium Ficinum lib. 1. cap. 77. lib. 3. cap. 11. & lib. 6. cap. 59. Magno etiam omnium tum ciuium, tum litteratorum deſiderio expectatur Tractatus de bono ciue, quem compoſuit Illuſtriſſimus Nicolaus Contarenus Venetus, Senatorij ordinis, Dominus meus ob prolixa merita omni obſeruantia ſuſpiciendus: quod opus non poſſe eſſe niſi omnibus numeris abſolutiſſimum, iudicabũt mecum omnes, qui illius Viri diuinam prudẽtiam, ſingularem æquitatem, vitæ innocentiam, morum ſuauitatem, multarum rerum experientiam, & ſolidam litterarum ſcientiam perſpecta habuerint.

Affectus praui in omni homine.

Nihil ex omni parte beatum.

Nemo ex aſſe bonus, ſed ſecundum legem.

Nicolaus Contarenus.

Stre-

Strenuorum immortale nomen:

EMBLEMA CXXXVI.



ÆACIDAE tumulum Rhœtæo in littore cernis;
Quem plerumque pedes viſitat alba Thetis.
Obtegitur ſemper viridi lapis hic amarantho;
Quòd nunquam Herois ſit moriturus honos.
Hic Graium murus, magni nex Hectoris. Haud plus
Debet Mæonidæ, quàm ſibi Mæonides.

COMMENTARII.

I. IVXTA mare in littore ſaxo exciſum conſpicitur ſepulchrum, ad quod Thetis in concha marina, delphini dorſo impoſita appellit, idemq; noto amaranthi flore conſpergit & ornat.

II. *Character Emblematis.* EXTAT lib. 3. Græcorum Epigrammatum carmen in Laertæ tumulũ, quod quia ferè ad noſtrum epigramma ſpectat, huc adſcribere placuit.

Ψύχει ϗ πέτρην ὁ πολὺς χρόνος, ὐδὲ σιδήρυ
φείδεται, ἀλλὰ μιῇ πάντ' ὀλέκει δρεπάνῃ.
Ὣς ϗ λαέρταο τόδ' ἠρίον. ὃ σχεδὸν ἀκτᾶς
Βαιὸν ἄπο, ψυχρῶν λείϐεται ἐξ ὑετῶν.
Οὔνομα μὴν ἥρωος ἀεὶ νέον. ὐ γὰρ ἀοιδὰς

Αμϐλύνειν ἐςὶν (χἂν ἐθέλῃ) δύναται.
Saxa cauat tēpus, ferro nec tēpora parcunt,
Omnia ſed mollit tempora longa dies.
Laerta ſic buſta terit quoq; littora propter
Aethere de ſummo deſluus imber aquis.
Immortale ſed, heu, nomen delere vetuſtas
Herois, Muſa vindice, nulla poteſt.

Cauat & petram longū tempus, neq; ferro
Parcit, ſed vna omnia perdit conſumptione.
Sic etiā Laertæ tumulus, qui prope littus
Paululum abeſt, frigidis liquitur à pluuijs.
Nomen quidē herois ſemper florens. Non enim carmina
Obſcurare æuum, etiamſi velit, poteſt.

Longa dies ſaxumq; cauat, ferrūq; retūdit,
Curſibus æternis omnia vbiq; vorat.
Sic quoq; Laertæ tumulus, qui littore ab ipſo
Paululū abeſt, tenui tunditur à pluuia.
Nomen at herois manet immortale. Nec æuum
Delere (vt vellet) carmina dia poteſt.

Apponam & illud argumenti eiuſdem:
Τύμϐος Ἀχιλλῆος ῥηξήνορος, ὅν ποτ' Ἀχαιοὶ
Δώμησαν. Τρώων δεῖμα καὶ ἐσσομένων.
Αἰγιαλῷ δὲ νένευκεν, ἵνα σοναχῇσι θαλάσσης
Κυδαίνοιτο παῖς τῆς ἁλίας Θέτιδος.

Hic poſitus Graijs tumulus pugnacis Achillis,
Dardanidæ cuius membra ſepulta timent.
Adiacet ad littus, pelagi quo murmure natus
Laudetur Thetidis contumulatus humo.

Amaranthus tumulis appoſitus.

Cæterùm Philoſtratus in Iconibus, ad tumulos exornandos ſcribit amaranthum vſurpatum fuiſſe, orto à Theſſalis initio, qui Achillis ſepulchrum eiuſmodi coronis redimirent. Idem confirmat Antonius Thyleſius in libello, quem de coronis compoſuit, vbi ſic: Theſſali Achillis ſui monumentum amarantho coronabant: vt oſtenderēt, quemadmodum flos ille numquam interit, ſic eius famam perpetuò duraturam. Ad hoc reſpexiſſe videtur Sanctius, cùm in Heroicis epitaphijs de Achille loqueretur:

Heroum iacet hic flos immortalis Achilles.

Vide Cœl. Rhodigin. antiq. lect. lib. 17. cap. 21. Vel certè referemus Emblematis huius materiam ad id quod 1. Attic. retulit Pauſanias de incolis, ni fallor, Salaminis, qui tradunt apud ſe poſt Aiacis cladem, florem quendam primum enatum candidum, modicè rubentem, lilio cùm cæteris partibus tum folijs minorem, inſcriptum iiſdem, quibus Hyacinthum, literis.

Typus Emblematis.

III.

Achilles Æacides.

ÆACIDÆ tumulum] Achillis ſepulchrum. Dicitur autem Achilles Aeacides, ab Aeaco auo paterno, Telamonis & Pelei patre.

Rhœteū.

Rhœtæo in littore] Rhœteum oppidum & promontorium Troadis, Aiacis ſepulchro à poetis celebratum, ſicut & Sigeum ſepulchro Achillis. Id quod ex Cicerone pro Archia, Mela lib. 1. cap. 18. Plinio & Strabone liquet. Hinc Alciati videtur μνημονικὸν ἁμάρτημα, deceptus enim eſt ſequendo Solinum, qui etiam malè intellectis Plinij verbis Achillem in Rhœtæo ſepultum aſſerit. Pignorius tamen nullum hic peccatum ſubeſſe aſſerit, genuina Plinij lectione perſuaſus; quam mihi nondum contigit videre.

Alciati lapſus memoriæ.

Pedes viſitat alba Thetis] quem interdū inuiſit Thetis, pedibus alba Dea, λευκόπους. Eſt autem Thetis Dea maris, Achillis mater, quæ quia ſemper in aquis habitet, pedes albiſſimos dicitur habere à Poetis. Ouidius in Epiſtol.

Thetis.

Et Thetidis quales vix reor eſſe pedes.

Accipitur etiam aliquando pro ipſo mari, quamuis diuerſa ortographia & quantitate: Tethys enim ſcribitur, prima longa, quā in Thetis, pro Achillis matre, breuiabis. Sed mirum eſt, hanc conſtructionem aliquos, etiam Græculos ſibi viſos (ne dicā graculos) torſiſſe, cùm merus ſit Græcus loquendi modus, & apud Homerum vſitatiſſimus, qui ſæpe ſic ait: & quidem 1. Iliad. ἀργυρόπεζα θέτις, id eſt, *argenteos habens pedes Thetis.* vel, *alba pedes Thetis*, id eſt, pulchra. Sic Iuno apud eundem vocatur λευκώλενος ἥρη. id eſt, *albas vlnas habens Iuno.* Dicitur autem Thetis argenteos pedes habere, propterea quod maris aqua in locis profundis eſt obſcuriſſima, & in extremis partibus clarior & pellucida. Thetis verò ſæpiùs viſitare tumulum Achillis ideo dicitur, quod marini fluctus aſſiduò eundem alluant.

Tethys pro mari.

Thetis cur alba pedes.

Obtegitur ſemper viridi] ſaxum hoc ſepulchrale tegitur amarantho viridi. Ideo autem amaranthus dicitur viridis, quia nunquam marceſcit: vnde nomen habet ab

Amaranthus.

ἀ priuatiua, & *μαραίνομαι, marceſco*, quaſi nunquam marceſcens. Plinius lib. 21. cap. 8. inquit: Amarantho non dubiè vincimur. Eſt autem ſpica purpurea, veriùs quam flos aliquis, & ipſe ſine odore, mirumq; in eo, gaudere decerpi, & lętiùs renaſci. Prouenit Auguſto menſe, durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus aſſeruatur: mirumque poſtquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hibernas coronas facit. Summa eius natura in nomine eſt, appellato, quoniam non marceſcit. Amaranthina corona D. Petro in epiſt. 1. ea eſt, quam interpres vertit immarceſcibilem, *τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον*. & notauit olim A. Auguſtinus. Quo reſpexiſſe videtur Clemens Alexandrinus, Pædag. cap. 8. Pulcra enim amaranthi corona ei eſt repoſita, qui ſe rectè geſſerit. Amaranthus autem eſt immortalis Poetis. Huc pertinet quod narrat Philoſtratus in Heroicis, Neoptolemo coronas amaranthinas primos Theſſalos ad funera ex lege conſtituiſſe, vt etiamſi venti nauem abduxiſſent, minimè flaccidas ac deformes adferrent. Venetijs porrò (vt eſt illa gens florũ mirè ſtudioſa, ob raritatem ex terrę & hortorum penuria, puto) menſæ hyeme in conuiuijs amarantho exornantur, quē in hunc vſum toto anno reſeruant, vt adhibito aquæ tepidæ lenocinio, mox ad libitum reuireſcat in purpuram.

Veneti florum ſtudioſi.

Quod nunquam herous &c.] *τῶν ἡρώων ὁ κλέος ἀθάνατος. Heroum gloria immortalis.* Euripides Hercule furente:

Γενναίων ἀρεταὶ πόνων
τοῖς θανοῦσιν ἄγαλμα.
Fortium laborum virtutes
Mortuis etiam decus.

Hic Graium murus] Princeps Græcorum fortiſſimus, quo ſtante Græci manſere inuicti. Elegans metaphora, murus, pro munimento & robore: vt apud Maronem, duo fulmina belli Scipiadas, & Cic. in Parador. Duo belli propugnacula. Eo ſenſu Pindarus in Olympijs Hectorem Troiæ columnam appellat: *ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε Τροίας ἄμαχον, ἀστραβῆ κίονα.* id eſt: *qui Hectorem ſubuertit inexpugnabilem, immobilem columnam.* de Achille loquitur. Hunc quoq; præclaris nominibus honeſtat Ouidius 12. Metamorph.

Achilles, murus Græcorũ.

Iam timor ille Phrygum, decus & tutela Pelaſgi,
Nominis Æacides, caput inſuperabile bello:

Quò referri poſſunt allegoricè à Iuuenale dicta in ementitos nobiles, qui iactant magnificos generis titulos:

——Miſerum eſt aliena incumbere famæ,
Ne collapſa ruãt ſubductis tecta columnis.

Magni nex Hectoris] qui Hectorẽ Troianorum fortiſſimum interfecit. Effectum pro efficiente. In Appendicibus Virgilianis hoc legitur:

Hector ab Achille occiſus.

Defenſor patriæ iuuenũ fortiſſimus Hector,
Qui murus miſeris ciuibus alter erat,
Occubuit telo violenti victus Achillis:
Occubuere ſimul ſpeſq; decuſq; Phrygũ.

Refert Hyginus, Achillem cùm bigis alligatum Hectorem raptaret exclamaſſe: Troiam expugnaui. Reuocat mihi in memoriam mors Hectoris id, quod ſcribit Ælianus 12. var. hiſtor. Epaminondam accepto mortifere vulnere in pugna Mantineuſi, delatum in caſtra iuſſiſſe acciri Daiphantum, vt eum ducem ſibi moribundo ſufficeret: quem cum in acie cecidiſſe retuliſſent, rurſum Iolaidem vocari imperaſſe; quem etiam interfectum cùm dicerent, nihil aliud habuiſſe, quàm vt ſuaderet pacem cum hoſtibus eſſe faciendam, nullo iam duce Thebanis ſuperſtite. In Euripidis Hecuba ſic loquitur vmbra Polydori: *ἐπεὶ δὲ Τροία θ', Ἕκτορός τ' ἀπώλετο ψυχή, πατρῴα θ' ἑστία κατεσκάφη. Vbi Troia, & Hectoris animus perijt, & patrij lares diruti ſunt.* Hæc etſi communiter ita teneantur, nempe Hectorẽ ab Achille occiſum: ſciant tamen Hectoris ſtudioſi, extare libellum Græcum Dionis, de Troia non capta, vbi multò aliter refertur hiſtoria, quã ab Homero deſcribitur, Achillem ſcilicet ab Hectore occiſum. Quod & ipſe Homerus videtur aliquibus in locis ſubindicaſſe, ſed tectè. Lege libellum, cui fortaſſe plus habebis fidei quam Homero. Et (vt ingenuè fatear quod ſentio) ſi cauſa ſub meo tribunali decidenda foret, pręconium, quod Homerus Achilli tribuit, multò meliore iure Hectori adiudicarem, vt qui illum virtutibus heroicis multis paraſangis antecelluerit. Fuit enim Achilles mulierarius, iracundus, iniuſtus, crudelis, addo & auarus. Nam cũ primis iuuentutis annis puellari habitu inter filias Lycomedis latitaret, Deidamiam vitiauit. Imò ob ereptam ſibi Briſeidem tantas exercuit ſimultates, vt nullis precibus, nec precio adduci potuerit, vt laboran-

Dionis liber, de Troia nõ capta.

Achilles vitijs enormibus obnoxius.

tibus Græcis ſuccurreret, priuatam volu-
ptatem communi patriæ periculo antepo-
nens. Et quis vnquam tantam crudelita-
tem in hoſtem exercitam legit, quantam il-
le in miſerum Hectorem exhibuit? quem
ter circum muros Troiæ curru raptauit;
eumq; inſtar frendentis belluæ immanita-
tem expleuiſſet, cadauer feris & volatili-
bus obiecit, nec patri, niſi numerata pecu-
nia, reſtituere voluit; id quod vix ferarum
eſt. Equidem, vt canit Ouidius in Triſt.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni;
Pugna ſuũ finem cùm iacet hoſtis habet.
Ac lupus, & turpes inſtant morientibus vrſi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.

Achilles Tenedis odioſus. Hinc non immeritò multorum incurrit odia: etenim Tenedij adeo infenſum habuerunt, quòd Tenedum deuaſtaſſet, vt ſupplicio afficerentur, qui reſtituto templo Achillem nominaſſet. Alex. ab Alexandro lib. 2. cap. 14. Tale prorſus nihil de Hectore legitur, vt qui arma iuſtiſſima pro patriæ defenſione ſumere coactus fuerit. Sed in hac re cuique eſto liberum iudicare; nos redimus in viam, à qua nos Achilles cum Hectore raptauerat.

Haud plus debet Mæonide] Achilles non plus Homero debet, à quo eius virtutes celebratæ carminibus, & ſine quo nomen Achillis ad poſteros non perueniſſet; quàm Homerus Achilli. Cum enim ſibi propoſuiſſet tam excellentem hypotheſin Iliados in geſtis Achillis carmine decantandis, id eſt, imperatoris ſine exceptione magni, ea materia ſi caruiſſet, nomen eius ignotum fuiſſet poſteris, eiusq; doctrina ſiluiſſet, visque tam diuini ingenij vnà cum homine interijſſet. Fuit ergo ingenium par materiæ, quod ait Iuuenalis. Et proinde Homerus Achilli multum debet.

IV. Nullus vnquam heros tanto laudatus eſt præconio, quanto Græcus Achilles ab Homero eſt commendatus, teſte vel Alexandro Magno, laudatiſſimo rege. Ex quo nunquam eſt intermoritura illius fama, quæ deſignatur purpureo amaranthi *Fama nũquam intermoritura.* flore, quem Thetis ipſius ſepulchro in Sigæo promontorio ſito inſpergit; quiq; nullis hibernis rigoribus viuidi coloris honorem deperdit: ſic quoq; omnium heroum fama perpetuò vireſcens ad poſteros & ſeros nepotes tranſmittetur. Rectè Sophocles in Philocteta περὶ εὐσεβείας, quod idẽ περὶ ἀνδρείας intelligere par eſt: οὐ γὰρ εὐσέβεια, inquit, μηδὲ συνθνήσκει βροτοῖς, κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται. Et Pindar. Iſthm. 5. *non obliterari prolixum laborem virorum* οὔτοι τετύφλωται μακρὸς μόχθος ἀνδρῶν. Hæc porrò epigraphe reuocat in memoriam illud Iuſtiniani principis, §. filij de excuſat. tut. inſtitut. Hi, qui in acie pro republica ceciderint, in perpetuum per gloriam viuere intelliguntur. Vlpian. in l. bello amiſſi, eod. tit. Sic Tullius 9. Philipp. Horum mortuorum vitam in memoria viuorum ponam. *Idem* 14. Philipp. O fortunata mors, quæ naturæ debita, patriæ eſt potiſſimùm reddita. Breuis nobis data vita eſt; at memoria bene redditæ vitæ ſempiterna, quæ ſi non eſſet longior, quàm hæc vita, quis eſſet tam amens, qui maximis laboribus & periculis ad ſummam laudem, gloriamq; contenderet? Et oratione pro Cornelio Balbo, conſtituit diſcrimen inter gratioſos, ambitioſos ciues & fortes, quod illi viui fruuntur ſuis opibus: Horum etiam mortuorum ſi quiſquam, inquit, huius imperij defenſor mori poteſt, vincit auctoritas immortalis. Nec *Honor habitus ijs, qui pro patria mortui.* verò apud Romanos tantum, ſed & alios priſcos populos hęc gratia reddita eſt his, qui pro Republica vitam ſuam profudiſſent. Extat apud Thucydidem ea de re ἐπιτάφιος λόγος. Et non ſolùm ijs, qui mortui ſunt, hunc honorem eſſe tribuendum, ſed eorum quoq; proximos conſolandos, ait Cicero 14. Philipp. Et quidem parentibus hanc eſſe cõſolationem optimam, quòd tanta præſidia reipublicæ genuerũt. Deinde addit, atq; etiam cenſeo, P. C. quæ præmia militibus commiſimus, nos republ. recuperata tributuros ea viris, victoribusq; cumulatè, cùm tempus venerit, perſoluenda. Qui autem ex ijs, quibus illa promiſſa ſunt, pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus tribuenda cenſeo. Scribit Ariſtoteles 2. Politicor. Hippodamium apud Athenienſes aliquando lege cauiſſe, vt ex publico alerentur filij, quorum patres pro patria cecidiſſent. Quod apud Thucydidem Pericles faciendum ſuadet. Cicero 1. Tuſcul. retulit ex quodam vetere:

Dic, hoſpes, Spartæ nos te hic vidiſſe iacentes,*
Dum ſanctis patriæ legibus obſequimur.

De famæ porrò & gloriæ ſtudio Fulgoſus memo-

memorabile narrat exemplum lib. 8. Vix adduci poſſem, inquit ibi, vt hac ætate noſtra, in qua vnà cum virtutibus non pauci ſolùm ſit, verùm etiam penè deſpectui habetur fama, aliquem fuiſſe crederem, qui famæ deſiderio morti ſe obieciſſet, niſi ego ipſe libellum legiſſem, Hieronymo Olgiato dictante, cùm torqueretur ſcriptum, qui vnus è quatuor fuerat, qui Galeacium Sfortiam Mediolanenſem ducem confoderunt. In eo enim libro faſſus eſt, ad id facinus ſe adductum ſolo gloriæ ac magni nominis deſiderio, quo incenſum ſe dicebat, cùm priſcorum hominum res præclarè geſtas puer adhuc in ludo litterario legeret. Adeo autem eo is fuit animo, vt notarius, qui morienti aſtabat, ſcripſerit, cùm extremam penè animam Hieronymus ageret, Latinè hæc verba ſub carnifice effudiſſe, cùm iam cultro non admodum acuto pectus illi incideretur, commemorato tam acerbæ mortis optato præmio: Collige te Hieronyme, ſtabit vetus memoria facti; mors acerba, fama perpetua. Hæc ille.

Fama deſiderium Hieronymi Olgiati.

Nobiles, & generoſi.

EMBLEMA CXXXVII.



AVREA Cecropias nectebat fibula veſtes,
Cui coniuncta tenax dente cicada fuit:
Calceus Arcadico ſuberat cui lunula ritu,
Geſtatur patribus mullea Romulidis.
Indigenas quòd ſe adſererent, hac ſigna tulerunt
Antiqua illuſtres nobilitate viri.

COM-

COMMENTARII.

I. *Fibula apud veteres vſus.*

AD picturam Emblematis illuſtrandam, quædam pauló altiùs ſunt repetenda. Et in primis ſciendum, veteres fibula togam ſubnectere ſolitos, ſuperius enim annexa fibula in ſinum fundebat togam, inſtar veli vento inflati; inferius & in extrema parte grandiorem habebat acum, cum æreo aut aureo filo, quo efficiebatur, vt illa abſq; vlla difficultate quaſi fluctuās vagaretur, ipſius præſertim acus cuſpide in canalicula, quæ in altera fibulæ parte erat, impreſſa. Facta erat potiſſimum in eū finem, vt togam ſupra dextrum humerum connecteret, in quo duæ illæ partes ſubiectam acum in dicta canalicula ſtringebant. Nec enim aſſùta panno erat fibula, ſed duas togæ partes aſtringendo, non verò transfigendo ſubnectebat. Quòd ipſum etiam Virgilius intelligit, cum ita canit 1. Aeneid.

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Non dicit, *transfigit*, ſed *ſubnectit*, quia connectebat tantùm & ſtringebat; ſubnectere enim propriè eſt, quod Itali dicunt *aggroppare*. Sic & Ouidius 8. Metamorph. dixit:

Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem.

quia nimirum veſtem mordere videbatur. Quapropter ſupra fibulam nodus quidam conſpiciebatur ex toga, qua cum venuſtate & elegantia dilatabatur. Eodem modo & chlamydem connodabant, veſtem militarem. Dimicaturi enim ad pectus eam fibula aſtrictam ſubnectebant, vt ſcribit Plutarchus in vita Coriolani. Quandoq; etiam cingulum aut baltheum connodabant, in primis verò cùm pharetram ſagittis plenam alligarent. Quod Virgilius ſignificat in 5. Aeneid. vbi ita ait:

——lato quam circumplectitur auro
Balthens, & tereti ſubnectit fibula gēma.

Fibula materia varia.

Fibulam nobiles & diuites ex auro conficiebant, quod etiam hic innuit noſter Alciatus. Mediocres ex argento; infimi ex ære aut ferro. Milites argentea vtebantur. Aurelianus tamen primùm illis auream conceſſit, teſte Vopiſco. Solebant quoq; duces militibus, qui generoſo & virili animo pugnaſſent, inter alia præmia & auream fibulam donare, vt crebrò meminit Liuius.

Fibula Imperatorum.

Imperatores acum, & interdum etiam fibulā ipſam gemmeam vſurpabant, cuiuſmodi illa fuit à Virgilio modo deſcripta, quæ Auguſti fuiſſe creditur, cum ſæpius regios ipſius habitus deſcribere ille ſoleat. Hæc ferè ex Pancirollo lib. 1. Rerum memorabilium. Idem de calceis: Nobiles & equites peronibus induebantur coriaceis, ad genua vſque adſurgentibus, inde ferro armabantur.

Calcei Romanorum quales.

Calceis vtebantur ferè ad exemplum fratrum, qui Cappucini dicuntur, niſi quod hi calceos reſti ligant, illi verò laneo funiculo aſtringebant, vt in multis ſtatuis marmoreis conſpicitur. Senatores Lunæ imaginem è purpura calceis aſſuebant, quos mulleos appellabant. His præmiſſis pinge

Pictura Emblematis.

grauem virum, tiara & toga inſignem, qui in humero dextro fibulam, veſtem dicto modo ſubnectentem habeat, adiuncta cicadæ imagine. Huic opponatur alius palliatus, abſq; pileo (veteres enim pileum non vſurpaſſe, niſi certis temporibus, & in certis perſonis, præter alios teſtatur Lipſius in Saturnalibus) pedibus calceo inuolutis, cui figura Lunæ aſſuta ſit, vt diximus. In noſtra hac figura nec cicada in veſte viri Attici, nec Lunula in calceo Romani apparet, quia vel pictor, vel cælator omittenda duxerunt, quam ob cauſam, ipſi viderint; certè æquus rerum arbiter oſcitantiam & ſtuporem interpretatur.

II. *Qui Nobiles, & qui Generoſi.*

NOBILES ET GENEROSI] Quod ad epigraphen Emblematis attinet, ex eruditis hominibus, ijsq; maximè, qui vetera diligenter obſeruarunt, diſcimus, inter Nobiles, & Generoſos intereſſe nonnihil. Ariſtoteles animalium hiſtoriæ 1. *εὐγενὲς ἐστὶ τὸ ἐξ ἀγαθοῦ γένους, γενναῖον δὲ τὸ μὴ ἐξιστάμενον τῆς αὐτοῦ φύσεως. Nobile id eſt, quod ex bono genere profectum eſt: generoſum, quod à ſua natura non degenerat.* Exēplumq; apponit in lupis, quos generoſos, & leonibus, quos nobiles eſſe dicit. Idem penè 2. De arte dicendi, quo loco ait præclarius eſſe generoſum quàm nobilem dici; nobilis enim maiorum tantùm virtute gloriaque nititur, generoſus & virtute maiorū, & ſua commendatur: itaq; generoſos omnes eſſe nobiles, ſed nō cōtrà nobiles generoſos omnes. Quidam. n. nobiles degenerant à virtute maiorum, & humili ac demiſſo animo fiunt, atq; ad ignauiam ſocordes delabuntur. Cicero in Bruto, Scipionum ſtirpem generoſam vocat, quòd in ea multi

multi excellentes viri fuerint. & Offic. 1. Pyrrhum Epirotam, generoſum & potentem dicit: vt in defenſione Cęliana, Clodiã impudicam mulierem, & nobilem, & notam appellat. Idem 2. de Offic. ait Phalaridis præter cæteros nobilitatem crudelitatem. Ex quibus apparet, nobile accipi etiam in malam partem: generoſum non niſi in bonam. Cornel. Fronto, nobilem appellat rerum nobilitate, generoſum verò cognatione. Eam ſignificationem Cicero in Paradoxis obſeruat: Ipſius, inquit, libido lapſa eſt in muliere ignota, dolor ad pauciores pertinet, quàm ſi petulans fuiſſet in aliqua generoſa virgine ac nobili. Ea de re diſſertatio nobilis eſt euòluenda Phauorini apud Gellium cap. 23. lib. 13. Certè duo hęc tamquam ſynonyma cõiungi certò ſcio, & interdum etiam confundi. Apud M. Tulliũ, Roſcij Amerini pater, genere & nobilitate ſui municipij princeps dicitur. Iuuenal. 7. Satyra:

Felix & ſapiens, & nobilis & generoſus.

Et Ouidius in Heroidum epiſtolis:

Si te nobilitas, generoſaq; nomina tangunt.

Sed vt vno verbo claudamus, hi nobiles generaliter appellantur, qui vel familiæ nomine, vel alio tandem modo innotuerunt: generoſi verò ſpeciatim, qui è nobili genere ortum duxerunt.

Emblematis fos. In adagio, *Terræ filius*, habetur, apud Pauſaniam, Strabonem, atq; alios id genus auctores legi, populos quoſdam *αὐτόχθονας* appellatos, qui non aliò referant originem ſuam, quemadmodum pleriq; faciũt, verùm ex ipſo ſolo nati videri velint: quorum de numero ſunt Athenienſes. Apud hos cicada nobilitatis inſigne fuit: aureas enim cicadas crinibus innodabant, vt ſignificarent, ſe indigenas eſſe & nobiles, id eſt (vt Græco vtar verbo) *αὐτόχθονας, καὶ γνησίους γένει τῆς πατρίδος πολίτας.* Quod Cicero expreſſit Oratione pro Flacco. Id verò ridebat Antiſthenes, vt refert Laert. lib. 6. aiebat enim hoc illis eſſe cum cochleis & teſtudinibus commune; quippè qui aliunde non commigraſſent, nec vnquã ſolum mutaſſent. Hinc ergo *τεττιγοφόροι*, id eſt, *Cicadigeri* dicti Athenienſes: hæc enim nota indigenas & ingenuos ab aduenis & ſeruis diſtinguebat. Huc reſpexiſſe videtur Virgilius in Ciri:

Cicada nobilitatis inſigne Athenienſibus.

Aurea ſolenni comptum quoq; fibula ritu
Mopſopio, tereti nectebat dente cicada.

Huius rei cauſſam nonnulli adferũt, quòd Cicadæ inter alia animalia indigenæ præcipuè videantur, quòd in ea regione, in qua naſcuntur, viuant, emoriantur, reliqua ferè omnia migrent aliò, neque ſedem vllam firmam habeant. In quaq; autem ciuitate & municipio nobiliores eos agnoſcimus, quorum maiores pluribus antè annis in ſua patria claruerunt, ait Pierius lib. 26. Qua de re Plato nonnihil in Menexeno, Herodotus in Terpſich. Ælianus lib. 4. Variar. hiſtor. c. 22. Scio ego per contemptum dici eos *τεττίγων ἀναμέστους*, *cicadis opertos*, glorioſi quidam iactatores, obſoletis iã & nimium vetuſtis vtentes. Vide prouerbium, *Cicadis pleni*. Ferè oblitus eſſem, huc apponere illud Demoſthenis aduerſus Aeſchinẽ *περὶ παραπρεσβείας*, quo loco de Athenienſibus, & Arcadibus verba facit, *μόνοι γὰρ ἁπάντων ὑμεῖς αὐτόχθονες ἐστὲ κἀκεῖνοι.* Euripidis hæc refert Plutarchus commentario de Exilio:

Cicadæ cur nobilitatis ſignum.

Ἡ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν,
Αὐτόχθονες δ' ἔφυμεν. αἱ δ' ἄλλαι πόλεις
Πεσσῶν ὁμοίως διαφορηθεῖσαι βολαῖς,
Ἄλλαι παρ' ἄλλων εἰσὶν ἐξαγώγιμοι.

Primum nec inquilinus nos populus ſumus,
Sed indigenæ; ciues at aliarum vrbium
Sunt comparandi teſſerarum iactibus,
Quæ alijs alia mittunt ciues identidem.

Romanos autem, qui nobilitate generis alijs excellerent, aiunt, lunulas in calceis habuiſſe; fortaſſe vt ſignificarent Romani Imperij conditionem, quod ſenſim creuit, & temporum lapſu decreuit, vt in Lunæ hemicyclis fieri ſolet. Alij putabant ſignum eſſe eius habitationis, quæ in Luna eſſe dicitur, & quòd poſt mortem animi rurſus Lunam ſub pedibus habebunt. Vel ſuperbos homines admonebant rerum humanarum inſtabilitatis, cuius rei Luna ſit exemplo, quæ ab obſcuro in lumen, inde in obſcurum redit. Philoſtratus de Herode ſophiſta narrat, eum fratri de generis ſui claritate multa iactanti dixiſſe: Certè nobilitatem habes in talis. Quod ſignificauit Iuuenalis, cùm de Fabio loquitur his verbis:

Lunulæ in calceis Romanorũ, et cur.

—— & nobilis & generoſus
Appoſitam nigra Lunam ſubtexit aluta.

Quin & Zonaras, auctor Græcus, ait, patricios geſtaſſe in vrbe calceos corrigiarum inflexione, & formæ literæ C, adornatos:

quod

quod & Plutarch. retulit in Problemat. Forte ad ſignificandum numerum centenarium, cuius C, litera nota eſt, quòd initio patricij ſenatores centum fuerint ex Romuli inſtitutione. Iſidor. lib. 19. c. 34. Briſſon. lib. 3. ſelect. interpret. cap. 17. Huius Romani moris etiam facit mentionem Bayfius de re veſtiaria: Calceus lunatus, inquit, inſigne Romanorum nobilium, vt voluit Plutarchus, addita lunula circa talū. Vide adagium, *Calceos mutare*. Budæum in Pandectas. Alex. ab Alexandro lib. 5. cap. 18. Cęl. Rhodigin. lib. 20. cap. 28.

III. *Aurea fibula quorum.* *AVREA &c.*] Athenieſium veſtes nectebantur aurea fibula, cui annexa erat cicada dentata. Aurea enim fibula ſolis nobilibus, vt diximus, competebat. Et in Romanis legionibus quoq; ſolis Tribunis aureas fibulas habere licebat, gregario verò aut manipulari baltheos aut phaleras argento decoratas ferre permittebatur.

Cecropias] Athenienſes, ſic dicti à Cecrope primo Atticæ regionis rege, de quo Emblemate 5.

Fibulæ varia ſignificata. *Fibula*] Fibula prẹter iam dictam ſignificationem, plura ſignificat: nam in ædificijs ſignificat id, quod vulgò clauem vocant, qua tigna inter ſe connectuntur. Item minus os tibiæ & vncum in arcu maiore, qui neruum retinet, Italis, *la nozetta*. Germanis, *die nuſſ.* quaſi nuculam dixeris. Medici quoq; fibulis vtuntur ad contrahenda vulnerum labia ad mutuum cōtactum, de cuius tamen forma & materia diſſentiunt. Vide Hieronymum Fabricium ab Aquapendente in ſua Chirurgia. Fibula deniq; olim inijciebatur pudendis Comœdorum & Citharœdorum ad reprimendum coitum Venereum, ne ſcilicet Veneri operam dantes raucedinem contraherent. Vnde & *Fibulare*, & eius contrarium *Refibulare*. Quam etiam in rem extat Martialis Epigramma lib. 14. *Fibulare.*

Dic mihi ſimpliciter, Comœdis & Citharœdis
Fibula quid praſtat? carius vt futuant.

Mulieres enim in rem negatam pronæ, magno precio coitum ab hiſtrionibus conducebant. De ratione fibulandi vide Celſum lib. 7. cap. 4. & 25.

Tenax dente] cicada, quæ dente tenebat veſtem. Prorſus mihi perſuadeo, Alciatum reſpexiſſe ad illud Ouidij, quod ſupra citauimus:

Raſilis huic ſummam mordebat fibula veſtem:

propriè enim dentibus mordemus, cicadas autem dentes habere quis dixerit? ſic nec fibula mordet, niſi metaphoricè. Si non tetigi, vel cicada me mordeat.

Cicadæ] cur cicadæ Athenienſibus tribuantur, præter iam dictam rationem occurrit ex Tzetze 301. Hiſtoria. 10. Chiliad. vbi cicadas Athenienſium refert ad eorum nimiam loquacitatem: *Athenienſes loquaces.*

καὶ ὅτι λάλοι τέττιγες, κατάδηλον τοῖς
πᾶσιν,
οἱ ἀττικοὶ ὁμοίως δὲ πάλιν τῶν μαγη-
γόρων·
λάκωνες βραχυλόγοι δὲ τούτοις ἀντενατίως. id eſt:

Quòd cicadæ ſint loquaces, compertum eſt
omnibus,
Sunt eodem modo Athenienſes, qui multi
ſunt & garruli in perorando:
Contrà Lacones paucis vtuntur verbis.

Calceus &c.] Sic conſtrue: *Calceus mullea, cui lunula ſuberat ritu Arcadico, geſtatur à patribus Romulidis.*

Arcadico ritu] ad morem Arcadum. Arcades populi in medio Peloponneſo calceos lunatos geſtare ſolebant, quod à diluuio Deucalionis primi ipſi Lunam ſe inſpexiſſe naſcentem credidere, quodq; putarēt vniuerſum genus mortalium aquis obrutum perijſſe, & à ſe rurſus originem propagationis emanaſſe. Refert præter alios vetuſtiores Pierius lib. 44. De ſacris Aegyptiorum literis. Apollon. Argonautic. 4. *Arcades primi Lunam obſeruarūt.*

ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέον-
ται.

Strabo in 8. Geograph. δοκεῖ δὲ παλαιότατα ἔθνη εἶναι τὰ Ἀρκαδικὰ τῶν Ἑλλήνων. Sic primo Faſtorum Ouidius:

Orta prior Luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet.

Idem Naſo huc videtur reſpexiſſe 2. Faſtorum:

Ante Iouem genitū terras habuiſſe ferūtur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Itaq; cùm ſe Luna vellent antiquiores dici (adeò ſui generis antiquitatem iactabant) dicti ſunt à Thucydide initio hiſtoriæ, προσέληνοι, id eſt, *ante lunam editi*, ſiue *antelunares*. Vnde eſt illud Senecæ Tragici dicterium, in Hippolyto: *Arcades cur προσέληνοι dicti.*

Sidus poſt veteres Arcades editum,
Currus non poterit flectere candidos.

Præ-

Pręter has rationes alias adfert Plutarchus in Problem. Adducta etiam lumen capient ex ijs, quæ apud Tzetzem legimus in Caſſandram. Ideo natos dici Arcadas ante Lunam, quia nutrirentur ante Lunæ coitum, coquendo glandes in igne. Vel *προσέληνοι* dicti, *παρὰ τὸ προσελεῖν*. quod eſt *afficere iniuria*. Apud alios verò pro ſtultis habẽtur, quia putent ſe Luna priores eſſe. Sed ſic ſe habet ratio; Annum, menſes, æquinoctia, & his ſimilia omnia, quæ ſunt artis Aſtrologicę rex Arcadum, ſiue Atlas fuerit, ſiue Pœnus, à Luna ſupputans adinuenit, poſtea Thales. Vide adagiũ, *Becceſelenus*, & Cœl. Rhodigin. lib. 20. cap. 28. citato.

Lunula] parua Luna, ad morem hemicycli.

Patribus Romulidu] patricijs Romanis, quos primùm Romulus inſtituit numero centum. Hoc loco quæri poteſt, an veteres calceis vterentur? Refert Dio, Senatores olim diſcalceatos fuiſſe, præterquam ſi publicè conueniſſent. Multò magis igitur & alij abſq; calceis inceſſerunt. Confirmat id, quod ipſe Saluator noſter Chriſtus maximam vitæ ſuę partem diſcalceatus degerit. Indeq; eſt, quod ingreſſo Simonis leproſi ædes Magdalena pedes lacrymis lauit, & capillis ſiccauit: ſiquidem Simon iſtam lotionem omiſerat, quæ tamen adminiſtrari ſolebat hoſpitibus, qui quoniam abſque calceis ingrediebantur, lotione ea quàm maximè indigebant. Sed contrà ſtat auctoritas Tertulliani, qui togæ termentum proprium calceos fuiſſe contendit, lib. 6. de Pallio, his verbis: Calceos nihil dico, proprium togæ termentum, immundiſſimam pedum tutelam. Quo in loco pro *tormento*, quod omnibus paſſim exemplaribus obrepſerat, legendum eſſe *termentum*, vbi ſcilicet toga terminatur, viri docti cenſent. Sed calceis ij vtebantur vel puris, vel mulleolis. De vtroq; idem Tertullianus ſic: Impuro cruri purum aut mulleolum inducit calceum. Vbi per mulleolum haud dubiò intelligit calceum lunulatum; per purum verò eum, qui ex puro corio ſine lunula factus erat, quod poſterius calceamenti genus Perones vocabant. Quod verò Chriſtus diſcalceatus inceſſerit, idemque Apoſtolis ſuis præceperit, ne calceamentum pedibus inducerent, ita interpretatur Adamantius, vt ipſorum pedes, qui ad annunciandam feliciſſimæ vitæ perpetuitatem properabant, omni carerent mortalitatis indicio: vti etiam in Moſe Iſraelitici populi duce conſtat.

An veteres vſi calceis.

Romanorũ calcei duorum generũ.

Mullea] Grapaldus de partibus ædium in dictione Mullus, lib. 1. cap 6. Nomen ei Feneſtella à colore mulleorum calceamentorum datum exiſtimauit. Turnebus contrà lib. 9. cap. 24. mulleos à colore piſcis mulli dictos iudicat. Feſtus à mullando, id eſt, ſuendo, deducit nomen. Fuerunt autem mullei calcei regum Albanorum primò, deinde patriciorum. Vnde patricij calcei nominantur in ea inſcriptione: AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. FECIT. VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PATRICIIS. vt & patricia Luna apud Papinium:

——*Patricia clauſit veſtigia Luna*.

Martialis pellem lunatam vocat, lib 1. Epigram.

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

Quod ſcilicet Lunæ figura his calceis erat aſſuta: vel fibula eburnea corniculans, inſtar Lunę: quæ omnia copioſius tractat Alexander ab Alexãdro lib. 5. dier. genial. c. 18. Italis etiamnum crepidæ dicuntur *Muli*, voce antiquitatem redolente. Sicut etiam Veneti mulierum ſoccos, voce diminuta dicunt ſocculos, *Zoccoli*. Quamuis ibidem geſtentur altiſſimi, grallis incedere dicas. Hac de re Iulius Cæſar Scaliger perfacetum patris ſui dictum refert lib. 1. Poetices, cap. 13. Eiuſmodi nempe vxorum dimidio tantùm in lectis frui maritos, altero dimidio cum ſoccis depoſito. Vnde etiam cuiuſdam querela, qui ſe vxorem ſemiligneam duxiſſe dicebat. Quas ideo & Iuuenalis irridere videtur, Satyra 14.

Mulle: vnde dicti.

Muli.

Zoccoli.

Vxor ſemiliguea.

——*breuiorq; videtur*
Virgine pygmæa, nullis adiuncta cothurnis.

Paruam enim puellæ ſtaturam exprimit, dum eam cothurnis adiunctam, & non è contrà, ait. Sicut Cicero de ſuo genero: Quis meum generum alligauit gladio? vt eruditiſſimus vir Gaſpar Schoppius explicat, lib. 4. veriſimil. cap. 10.

Indigenas] Indigena, quaſi inde genitus, nec aliunde natus. Græcè *αὐτόχθων*, & *ἐγχώριος*. cui opponitur aduena. Sic etiã cicadæ dicuntur *αὐτόχθονες*, nam ibi ſolummodo cantant, vbi naſcuntur, nec locum mutant.

Indigena.

Hæc ſigna] ſymbola.

Antiqua illuſtres] qui antiquitatem ſui

generis

generis vellent oſtentare.

IV. *In ementitam nobilitatẽ.* QVORSVM hæc attineant, non planè conſtat, niſi ad communem locum retulerimus de nobilitate, quam ſibi multi tribuunt, vanis quibuſdam ſchematis & imaginibus maiorum tumidi: quorum arrogantiam intolerabilem quibus maximè verbis inceſſere debeam, planè nõ habeo. Quis enim ſuſtineat aliquem tollere criſtas, ſibique arrogare quidpiam, quod tamen propriè non poſſideat? Atqui genus ſuum qui laudat, quiq; attollit animos ob maiorum nobilitatem, & alienum laudat, & falſis nominibus ſibi tribuit, quod ad ſe minimè pertineat. Qui procul dubio mihi non videntur abſimiles fugitiuis ijs, qui præ metu cùm ad aras ſe receperint, tamdiu latẽt, inq; tuto ſe eſſe putãnt, quamdiu eo perfugio vti poſſunt. At cùm inde fuerint eruti, quid ijs ſupereſt quàm certa quædam crux, aut extremum aliquod diſpendium? Sic vulgares illi nobiles, qui nihil præter maiorum nomina crepant, ad quæ ſola hærent ſuis diſtiſſi virtutibus, veraque gloria, quam nullam habent, non ſentiunt quàm miſeri ſint, & quanto in errore verſentur. Sed retineamus aſſenſionem cum ijs, qui nobilitatem in animo generoſo ſitam eſſe volunt, & qui pecudum nobilitatem in corpore valido ac vegeto, hominum autem in vitæ morumq; bonitate ponunt. Laudatur à Dione Chryſoſtomo Thebanorum optimum & æquiſſimum inſtitutum, qui eos in ſeruorum numero non habebant, qui per vim & iniuriam belli ſerui facti eſſent: Cur ignobiles eos eſſe vulgari opinione iudicamus, quorum ſi virtutes æſtimentur, ſi moderatio animi, ſi prudentia, ſi ſagacitas, alios quos vulgus admiratur, infinitis, vt ita dicam, ſpatijs anteuertunt? Magnum fuit & plenum æquitatis eorum, quos proximè nominaui, iudicium atque conſilium, qui ſolos eos nobiles eſſe cenſebant, qui ad virtutem propenſi eſſent: neque tam curioſè, imò verò ſuperſtitioſè quærebant, ex quibus orti parentibus eſſent, de quibus aliquid ſtatuendum videretur. Sic autem vnà ſecum rationes conficiebant: Antiquitus vt in animalibus quibuſdam mutis, ita & in hominibus idem nomen perdurauit. Nam in canibus, equis, gallis etiam gallinaceis id facile eſt aduertere: quia equum ſi quis animoſum & ad curſum idoneum facto periculo norit, non rogat an eius pater ſit ex Arcadia, an Theſſalia, ſatis enim eſſe putat, quòd equus animum generoſum habeat. Ita cùm canis venaticus egregiè ad curſum valere intelligitur, nihil opus eſt ſcire an ortum duxerit è Caria, vel Lacedæmone, ſed exiſtimatur eſſe ſatis, quod generoſus ille canis ſit. Idem de gallis, deq; alijs iudicium, idemque poſtremò de hominibus ſentiendum; ex quibus qui virtutum ſtudioſus eſt, qui iuſtitiã colit, qui humanitatis iura, qui religionem obſeruat, is reuera generoſus eſt & nobilis, tametſi parentes eiuſdem & auos nemo vnquam fortaſſe nouerit. Democritus, magnus inprimis & catus philoſophus, iam olim, vt ait Satyricus,

Qui verò nobiles.

——materiam riſus inuenit, ad omnes
Occurſus hominum: & cuius prudentia monſtrat
Summos poſſe viros, & magna exempla daturos
Veruecũ in patria, craſſoq; ſub aere naſci.

quod totum eſſe conſtat in ſuperbos quoſdam ementitæ nobilitatis homines, qui orti ſtirpe Romana cæteros præ ſe nihili ducebant. Iactent itaq; ſuum genus, qui de parentum virtute nihil habent præter imagines, quos nihilo tamen puto meliores eſſe, quàm equus aliquis non re, ſed opinione vulgari generoſus habitus, quòd frenos aureos, quòd ſtragula, quòd ornamenta externa omnia exquiſitiſſima circumferat. Non erit autem alienum, ab huius carminis argumento, de iure imaginum quędam ſubijcere, eſt enim res non indigna cognitu, neq; certè iniucunda ſtudioſis. Fuerunt ergo imagines inſignium virorum ſimulachra ad oris ſimilitudinem artificioſè ficta, coloribus & pigmentis adumbratum corpus referentia, eaq; in domus parte aliqua celebriore poſita, ligneoq; armario incluſa. Licuit autem non omnibus habere imagines, ſed ijs tantùm, qui curules magiſtratus geſſiſſent: eaq; valebant ad memoriam poſteritatemq; prodendam, & vt ijs quaſi inſignibus nobiles ab ignobilibus diſtinguerentur. M. Cicero oratione 2. Contra Rullum: Eſt hoc in more poſitum, Quirites, inſtitutoq; maiorum, vt ij, qui beneficio veſtro imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt, eam primam habeant concionem, quæ gratiam beneficij veſtri cum ſuorum laude coniungat. Item in Verrem actione poſtrema: Ob earum rerum laborem

Ius imaginum apud Romanos.

Vide multa apud Lipſium 1. Electorũ, cap. 19.

rem

rem ac ſolicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulẽ, ius imaginum ad memoriam poſteritatemque prodendam. Quod ideò dicitur à Cicerone, quia tunc ædilis erat, & quæſtura iam perfunctus, nempe ius hoc imaginum non tam nobilitatis & generis, quàm virtutis inſigne fuit, quanquam & generis etiam eſſet. Qui enim familiæ imagines & generi ſuo conſequebantur, non dubium eſt quin & nobilitatem afferrent, at neſcio quid maius & excellentius fuit, poſſe vti imaginibus. In oratione verò Syllana ſic: Ipſe, ſi erit veſtro iudicio liberatus, quæ habet ornamenta, quæ ſolatia reliquæ vitæ, quibus lætari & perfrui poſſit? Domus erit, credo, exornata: aperientur maiorum imagines, ipſe ornatum ac veſtitum recuperabit. Omnia, iudices, hæc amiſſa ſunt, omnia generis, nominis, honoris inſignia atque ornamenta, vnius iudicii calamitate occiderunt. Hoc dicit Cicero, quia Pub. Sylla conuictus ambitus cum Pub. Antonio ius imaginum perdidit, non vt cenſeri deſineret inter nobiles, ſed vt eius mortui imago cum maiorum ſuorum imaginibus non portaretur, nec horum imaginibus funus eius ornaretur. Ad id oſtendendum multò apertius, adduco in medium Plinii & Polybii auctoritatem certè locupletem. Plinius enim lib. 35. cap. 2. Apud maiores imagines in atriis erant, quæ ſpectarentur, nõ ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora. Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius, qui vnquam fuerat populus. Polybius verò lib. 6. ſcribit, Romanos feſtis diebus, apertis armariis imagines exornaſſe: cumq; ex domeſticis mortuus eſſet aliquis, eas in funere extuliſſe, addito reliquo corporis trunco, vt magnitudine quàm ſimillimæ apparerent. Ius autem illud imaginum non ſic tranſibat ad poſteros, vt iis vti omnes & ſinguli poſſent: id enim vſurpabatur ab iis duntaxat, qui ſimile ius adepti erant. Aſſeruabantur autem domi, & in gentilitio funere efferebantur ad exemplũ rerum egregiè geſtarum. Occurrit Valerii Maximi dictum præclarum, lib. 5. cap. 8. vbi de Manlio Torquato Iuriſc. agit: Videbat ſe in eo atrio conſediſſe, in quo illius imperioſi Torquati ſeueritate conſpicua imago poſita erat: prudentiſſimoq; viro ſuccurrebat effigies maiorum cum titulis ſuis, idcirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolũ legerent, ſed etiam imitarentur. M. Tullius Piſonem vellicat, quòd obrepſerit ad honores errore hominum, commendatione fumoſarum imaginum. Fumoſas imagines appellat benè antiquas; quibus opponuntur ſubitæ imagines apud Plin. lib. 8. epiſt. pro recenti & impernata nobilitate, aut certè non diu duratura. Et hæc quidem hactenus de imaginibus, quarum vſum fuiſſe tum primum antiquatum puto, cum Imperatores in Chriſti familiam trãſierunt, relictis ſuperiorum temporum deliramentis, ob metum nempe ſuperſtitioſi cultus & idololatriæ, quæ non minus facilè inſinuari potuit eâ imaginum approbatione, quàm olim Deorum & ſimulacrorum inducta perſuaſio. Nam adorationis cultum ſtatuis & imaginibus Imperatorum & Principum fuiſſe exhibitum, ex Plinio lib. 10 Epiſtol. 97. non obſcurè colligitur. Sic enim ad Traianum ſcribit: Propoſitus eſt libellus ſine authore, multorum nomina continens, qui negarent ſe eſſe Chriſtianos, aut fuiſſe: cùm præeunte me Deos appellarent, & imagini tuæ, quam propter hoc iuſſeram cum ſimulachris numinum efferri, thure ac vino ſupplicarent; præterea maledicerent Chriſto: quorum nihil cogi poſſe dicuntur, qui ſunt reuera Chriſtiani. Et mox: Omnes & imaginem tuam, Deorumq; ſimulacra venerati ſunt. Legimus quoq; capitale fuiſſe, circa Auguſti ſimulachra ſeruum cecidiſſe, veſtimenta mutaſſe, nummo vel annulo effigiẽ impreſſam latrinæ aut lupanari intuliſſe. Vnde & Senator quidam, vt eſt apud Senecam lib. 3. de Benefic. maieſtatis poſtulatus, ob id veniam petijt à Tiberio, quod matellam contingere putauerat prius, quã annulum, qui expreſſam Tiberij imaginem præ ſe ferebat, digito detraxiſſet. Nunc verò ad euitandũ idolomaniæ periculũ, loco imaginum nobiles & generoſi vti cœperũt ſtemmatis gentilitiis, de quibus paſſim diximus. De iure imaginum multa collegit Roſinus lib. 1. c. 19. rerum antiq.

Plinij & Polybij autoritas de iure imaginum.

Fumoſæ imagines quæ.

Imaginibus Auguſtorũ quãtus honor habitus.

Duode-

Duodecim certamina Herculis.

Ἀλληγορικῶς.

EMBLEMA CXXXVIII.



ROBORIS inuicti ſuperat facundia laudes.
Dicta Sophiſtarum, laqueosq́ reſoluit inanes.
Non furor, aut rabies virtute potentior vlla eſt.
Continuum ob curſum ſapienti opulentia cedit.
Spernit auaritiam, nec rapto, aut fœnore gaudet.
Vincit fœmineos ſpoliatq́ inſignibus actus.
Expurgat ſordes, & cultum mentibus addit.
Illicitos odit coitus, abigitq́ nocentes.
Barbaries feritasq́ dat impia denique pœnam.
Vnius virtus collectos diſsipat hoſtes.
Inuehit in patriam externis bona plurima ab oris.
Docta per ora virum volat, & non interit vnquam.

COM-

COMMENTARII.

I. HERCVLES claua ſua armatus aſtat, exuuiis leonis tectus, cætera nudus: circa quem duodecim ipſius labores vtcunque exprimuntur: nimirum pugna cum leone; hydra; apro; ceruo; Stymphalidibus; Amazonibus; in Augiæ ſtabulo; cũ tauro; equis; Geryone; pro malis Heſperidum; cum cerbero: & tandem ſupremo loco exprimitur ipſius rogus, in quem ſe coniecerat comburendum.

II. HERCVLES Iouis ex Alcmena filius, ob fortitudinem & gloriam creditus eſt inter Deos eſſe relatus. Fuiſſe autem tres Hercules ſcribit Diodorus. Alii ſex autumant, vt teſtatur Cicero 3. de Natura Deor. Primus, qui certauit cum Apolline de tripode. Alter Nilo natus Aegyptius, quem aiunt Phrygias literas conſcripſiſſe. Tertius eſt ex Idæis indigenis, cui inferias offerunt. Quartus Iouis eſt & Aſteriæ, Latonæ ſororis, quem Tyrii maximè colunt; cuius Carthaginem filiam ferunt. Quintus in India, qui Belus dicitur. Sextus Thebanus, ex Alcmena & Ioue tertio genitus, cui aliorum geſta aſſignant. Herodotus ſcribit Herculem vnum eſſe ex duodecim Diis Aegyptiorum, Græcosq; ab Aegyptiis hoc nomen mutuatos filio Amphitryonis indidiſſe. Varro quadraginta tres Hercules nominat: veruntamen omnes, qui robore prǽſtiterunt, hoc nomine ab Hercule Alcmenę filio appellatos fuiſſe affirmat; Hunc enim potiſſimùm celebrãt ob varia certamina, virtutemq; bellicam: cuius duodecim labores prǽcipuos (longè enim plures perſequitur Diodorus rerum Antiquarum lib. 4.) complectuntur alii, quos hic ſequitur Alciatus, quantũ ad laborum numerum pertinet, quid per vnũquemque laborem ſit intelligendum allegoricè enarrans: cum nempe vi eloquentiæ robuſtos quosque & viribus præditos ſuperaſſe: Sophiſtas retudiſſe Logicæ facultatis beneficio: virtute furorem coercuiſſe: continuis laboribus opes comparaſſe: auaritiam aſpernatum eſſe: libidinem muliebrem repreſſiſſe: cultum animis adieciſſe: nocentes abegiſſe: de barbaro homine ſupplicium ſumpſiſſe: ſua vnius virtute hoſtes in vnum coeuntes diſieciſſe: multas ſecum opes è locis exteris in patriam reportaſſe: famam nominis nunquam intermorituram

Multi Hercules.

Allegoria laborum Herculis.

rebus præclarè geſtis meritum eſſe. Quæ ſingula latiùs in progreſſu proſequemur, ſi prius aliquid de laboribus Herculis dixerimus. In Collectaneis Epigrammatum Græcorum hoc habetur hexaſtichon Byzantij Philippi:

Duodecim labores Herculis.

ὤλεσα τὸν νεμέας θῆρ' ἄπλετον, ὤλεσα δ' ὕδρην.
καὶ ταῦρον, κάπρου δ' ἀμφετίναξα γένυν.
ζωστῆρ' ἑλκύσας, πῶλους διομήδεος εἷλον,
χρύσεα μῆλα κλάσας, γηρυόνην ἔλαβον·
αὐγείαν ἔδάην, κεμὰς οὐ φύγεν, ἔκτανον ὄρνις·
κέρβερον ἠγαγόμην, αὐτὸς ὄλυμπον ἔχω.

Peremi Nemeæ feram terribilem, peremi & Hydram,
Et taurum, apri circumcuſſi maxillam.
Cingulum detraxi, pullos equinos Diomedis ſuſtuli.
Aurea mala poſtquam fregi, Geryonem cepi:
Augiam noui [i. repurgaui] cerua non effugit: interfeci aues [Stymphalidas]
Cerberum extraxi, ipſe Olympũ habeo.

Extinxi Nemees monſtrum, Lernamq; peremi,
Et taurum, cecidit dilaceratus aper.
Baltheon arripui, Diomedis equosq; cecidi,
Geryonem ſtraui, pomaq; fulua tuli.
Augiã noui, capta eſt cerua, atq; volucres,
Cerberus abductus, latus in aſtra feror.

Vel ſi magis placet iſta verſio:

Dextra feram Nemea petijt mea, perdidit hydram,
Et taurum, malas inde cecidit apri.
Balthem eſt captus, sũt aurea mala relata,
Geryonisq; boues, & Diomedis equi.
Augias me non fugit, non cerua, volucres,
Cerberus eductus; nunc ſed Olympus hẽt.

Herculis labores nonnullos ita breuiter conſcripſit Quintus Smyrnæus:

Smyrnæi carmen de laboribus Herculis.

πρῶτα μὲν. ἐν Νεμέῃ βριαρὸν κατέπεφνε λέοντα.
Δεύτερον. ἐν λέρνῃ πολυαύχενον ὤλεσεν ὕδρην.
τὸ τρίτον αὖτ' ἐπὶ τοῖς ἐρυμάνθιον ἔκτανε κάπρον.
χρυσόκερων δ' ἔλαφον μετὰ ταῦτ' ἤγρευσε τέταρτον.

πέμπτον δ' ὄρνιθας Στυμφαλίδας ἐξεδίωξεν.
ἕκτον δ' Ἀμαζονίδος κόμισε ζωστῆρα φαεινόν.
ἕβδομον Αὐγείω πολλὴν κόπρον ἐξεκάθηρεν,
ὄγδοον, ἐκ Κρήτης δὲ πυρίπνοον ἤλασε ταῦρον.
ἔνατον ἐκ Θρήκης Διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.
Γηρυόνου δέκατον βόας ἤγαγεν ἐξ Ἐρυθείης.
Κέρβερον ἑνδέκατον κύν' ἀνήγαγεν ἐξ Ἀΐδαο.
Δωδέκατον δ' ἐκόμισεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα.

Quæ carmina Latinè pronunciata habentur ſic in Appēdicibus Virgilij, licet vndecimi & duodecimi ſit inuerſus ordo.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.
Proxima lernæam ferro & face contudit hydram.
Mox Erymanthæū vis tertia perculit aprū.
Aeripedis quarto tulit aurea cornua cerui.
Stymphalidas pepulit volucres diſcrimine quinto.
Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona baltheo.
Septima in Augiæ ſtabulis impenſa laboris.
Octaua expulſo numeratur adorea tauro.
In Diomedeis victoria nona quadrigis.
Geryone extincto decimam dat Iberia palmam:
Vndecimum mala Heſperidum diſtracta triumphum.
Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

At Q. Smyrnæus decimumtertium addidit laborem hoc pacto:

τὸ τρισκαιδέκατον, τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον.
μιῇ νυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούραις.
Tertius hinc decimus labor eſt duriſſimus. vna
Quinquaginta ſimul ſtuprauit nocte puellas.

Apollinaris Carm. 9. etiam plures tangit, licet vſitatè duodecim numerentur; ſic enim ille:

Non hic Herculis excolam labores,
Cui ſus, cerua, leo, gigas, Amazon,
Hoſpes, taurus, Eryx, aues, Lycus, fur,
Neſſus, Libs, iuga, poma, virgo, ſerpens,
Oeta, Thraces equi, boues Ibera,
Luctator fluuius, canis triformis,
Portatusq; polus polum dederunt:

Non poſſum tranſuolare Martialis carmē de Herculis laboribus, lib. 9. Epigram. antepenultimo: *Martialis de iiſdem.*

Si cupis Alcidæ cognoſcere facta prioris,
Diſce: Libyn domuit, aurea poma tulit,
Peltatā Scythico diſcinxit Amazona nodo;
Addidit Arcadio terga leonis apro.
Aeripedē ſiluis ceruū, Stymphalidas vndis
Abſtulit, à Stygia cum cane venit aqua.
Fœcūdam vetuit reparari mortibus hydrā,
Heſperias Tuſco lauit in amne boues.

Labores Herculis decātat etiam Homerus lib. 11. Odyſſ. et Q. Calaber latè lib. 6 de relictis ab Homero. Cicer. 2. Tuſc. Diodorus Siculus lib. 4. c. 3. Silius Italicus lib. 3. Martialis lib. 5. Epigr. 66. Ouid. 9. Metamorph. Perottus latiſſimè. Lilius Gregor. libellū de Hercule compoſuit. Teſtatur Sanctius de ſuo Pylade, Ioanne Mallara Hiſpalenſi, eum tam ingenioſè in duodecim cantus labores Herculis digeſſiſſe, idque Hiſpana lingua, vt nihil ibi deeſſe credas, quod ad eruditionem & leporem ſpectet. Vide quoque Natalem Comitem Mytholog. lib. 7. cap. 1. & alios plurimos.

ROBORIS inuicti] quod non poſſe vinci videbatur. Allegoria eſt huius, III.

Prima Cleonæi tolerata ærumna leonis.

Primum Herculis certamen fuit cum leone Nemæo inter Cleonas & Phliuntem. Erat leonis illius pellis nullo ferro penetrabilis, ſicut Iuno inſtituerat, quæ odio implacabili Herculem perſequebatur. In hūc Hercules multas ſagittas fruſtra coniecit, neq; omnino læſit; quare exhauſta pharetra cum claua feram inſecutus eſt, quæ cū in ſpeluncam biforem aufugiſſet, alterum oſtium occluſit, deinde brachijs circa collum coniectis eò vſq; aſtrictam tenuit, donec ſuffocauit; quam ſupra humeros ſumptam Mycenas aſportauit, eiusque pellem inuulnerabilem detractam in poſterum pro ſcuto geſtauit. Fuerunt autem tres leones ab Hercule interfecti, Heliconius, Leſbius, Nemeæus. Quo intelligi datur, facundiam corporis viribus eſſe præſtantiorem: Non enim viribus, aut velocitate, aut celeritate corporum res magnæ geruntur, ſed conſilio, ratione, prudentia, eloquentia. Nec verò aliquid magni momenti vires obire poſſunt aut ſuſcipere, niſi conſilium, & ingenij dexteritas anteceſſerit. Sunt qui aliter leonis Nemeæi cædem interpretentur.

Primus labor Herculis, leonis Nemeæi cædes.

Eius allegoria.

Memoriæ

Memoriæ prodidit Chryſermus lib. 2. rerum Peloponneſ. Iunonem ſupplicium de Hercule ſumere volentem, Lunam in auxilium acciuiſſe, carminibus magicis vſam, quæ ciſtam ſpuma impleuit, ex qua natus eſt hic leo. Hunc Iris in gremio ſtringens in montem Opheltam deportauit, à quo eadem die Apæſamptus paſtor fuit dilaniatus, vt ait Demodocus in rebus Heracleæ. Anaxagoras fabulatus eſt, in Luna fuiſſe latam quandam regionem, è qua hic leo Nemeæus deciderit; quid mirum, cùm idem Solem etiam non minus ſtultè maſſam ferri igniti appellaret: eſt enim non ignobilis ſtultitiæ gradus, vel ſi neſcias quid dicas, tamen velle de rebus propoſitis hanc vel illam partem ſtabilire. Hunc ergo leonem inermis Hercules interfecit, vt ait Piſander: hoc eſt iram cohibuit ac repreſſit, quæ in fortium virorum animis maximè regnat. *Leo Nemeæus.*

Dicta Sophiſtarum] Sic ille:

Proximo lernaam ferro & face contudit hydram. *2. Hydra Lernæa.*

Secundus Herculis labor eſt, quo hydram belluam ſeptem capitum (Zenodorus nouem, Heraclides Ponticus quinquaginta capita illi fuiſſe tradiderunt) in Lerna palude omnia vaſtantem, pugna perdifficili vicit, & ferro facibusq; oppreſſit. Quo arguitur, virum ſapientem & facundum, multiplices Sophiſtarum argutias, & elenchos veritatis ſpecie adumbratos, ingenij viribus retundere. Hydræ vno capite reſecto ſeptem alia repullulabant: quod notat artis ſophiſticæ captionem. Si enim agas cum Sophiſta, vno argumento reprehenſo, multa alia tibi opponet, teq; (ni diligenter caueris) ad abſurdum, vel ἀδύνατον adiget. Certamen hoc ad alios vſus conuertunt alij, vt ad diluuium, ad vitia. Qua de re prouerbium eſt, *Lerna malorum.* &, *Hydram ſecas.* Socrates apud Platonem in Euthydemo fatetur ſe multò imbecilliorem Hercule, qui pugnare ſimul non potuit aduerſus Hydram ſophiſticam, cui propter vnam ſapientiam pro vno ſermonis capite amputato multa repullulabant. Vide prouerbium, *Hercules aduerſus duos.* Adhæc Pierium lib. 16. euolue. Chiliadum autor putauit hydram inuidiæ referre ſymbolum, Horatij deceptus teſtimonio, cùm nihil minus illic intendat Horatius. Vide adagium, *Herculei labores.* Obiter noto, Sophiſtas olim dictos fuiſſe Philoſophos & ſapientiæ profeſſores, deinde verò Rhetores, poſtremo abijt nomen in inuidiam, vt Sophiſtæ dicerentur, qui fictam quandam ſapientiæ ſpeciem iactitarent. Vide Cælium Rhodigin. lib. 19. cap. 17. *Sophiſta.*

Laqueos] Paralogiſmos & captiones, vanas illas quidem, & ad oſtentationem ſeu fallaciam comparatas. Laquei, pro quacunque re, qua homo capi aut irretiri poteſt, frequentiſſimè ſumuntur. *Laquei.*

Non furor, aut rabies] Exponit hoc:

Mox Erymãthaum vi tertia perculit aprũ.

Tertio certamine aprum terribilem in Erymantho monte Arcadiæ omnia vaſtantem cepit, & ad Euryſtheum viuum perduxit. Quod innuit, virtutem furori & rabiei nõ cedere, imò longè antecellere. Impetus enim & furor per aprum indicatur, vt docet Pierius Hieroglyph. 9. *3. Aper Erymanthius.*

Virtute] ἀνδρεία, eſt enim propria viri virtus.

Potentior] valentior, firmior.

Continuum ob curſum] Sic Poeta:

Æripedis quartò tulit aurea cornua ceruæ *4. Ceruã æripes.*

Quarto ceruam æripedem, & celerrimam, aurea cornua geſtantem cepit, quam in Mænalo monte habitantem nemo mortalium curſu comprehendere potuit. Hanc cum neq; occidere, vt Dianæ ſacram, neq; vulnerare vellet Hercules, annum totum currendo eſt inſecutus; ſed illa tandem feſſa in montem Artemiſium confugit, & ad Ladonem amnem iamiam tranatura capta eſt, & Mycenas ſuper humero deportata. Sunt tamen qui dicant, ineptè fictum à poetis ceruas aurea cornua habere, cum omnino cornibus careant. Sed contra hos diſputat Cœl. Rhodigin. lib. 7. cap. 15. Hoc quidquid eſt ad ſapientem referendum eſt, cui & ditiſſimi cedunt & opulentiſſimi: ceruą enim cornibus aureis donata diuitiarum ſymbolum eſt. Notum illud Ariſtotelis in Politicis, facile eſſe ditari Philoſophis, ſi velint. Hinc cum Dionyſius Ariſtippo talentum petenti diceret: Nonne docebas ſapientem non egere? Da, inquit, & reſpondebo. Dedit rex, ac mox reſponſum exegit. Tum Ariſtippus: Nonne verum dixi, ſapientem non egere? Vide adagium, *Sapiens non eget.* *Allegoria eius.*

Spernit auaritiam] Illud eſt:

Stymphalidas pepulit volucres diſcriminis quinto.

5. Aues Stympha lides. Quinta pugna fuit, auium Stymphalidum humanis carnibus veſcentium expulſio, ſonitu cuiuſdam ahenei inſtrumenti, quod à Vulcano factum Pallas eò adeunti Herculi conceſſiſſe ferunt. Quod eſt lucrum inane, & auaritiam reſpuere, raptumque omnem putare nefas. Stymphalides enim volucres auaritiam referunt, propter incuruos vngues, quemadmodum & Harpyiæ apud Virgilium. *Stympha lides qd.* Sed quæ poteſt eſſe volucrum cum auaritia collatio? Volucres per aerem volitantes, in quo tamen victum comparare non poſſunt, cupidi & auari hominis cogitationem (alijs atq; alijs opibus ſemper inhiantem, qui tamen nec partis bonis vtatur, ſed tenuiſſimo victu geniũ defraudet, & in quo conſiſtat non habet) ſatis oſtendunt: qui quoniam vel natura deprauata, vel vſu longo induratus eſt, ad reſipiſcentiam aliquando pertrahi poteſt quibuſdam acerrimæ orationis crepitaculis, quibus aut arceatur, aut à propoſito, malaque conſuetudine dimoneatur. Alij malũt hoc intelligi de ſcortillis quibusdam & impuris mulierculis, quarum illecebras & inſidias detegimus æneo ſapientiæ crepitaculo, quod tanquam tuba in aures penetret, vt Baſilius loquitur: vix enim alia fugantur ratione communes illæ peſtes adoleſcẽtium. *Hiſtoria Stymphalidum.* Sed reuerà fuerunt aues, quæ Stymphalides vocarentur, in locis Arabiæ deſertis, nihilo magis quàm leones aut pardi mites hominibus, ſiquidem vel ferro, vel ære tecta corpora roſtris percutientes, integumenta facillimè perfringebant: quare poſtea inuentus fuit cortex, quo homines tecti ſi percuterentur roſtris, illæ defixo roſtro in illo libro tanquam viſco, aut aliqua tenaciſſima materia caperentur, vt ait Pauſanias in Arcad. Fuerunt autem ibibus Aegyptijs perſimiles, ſed roſtro rectiore & validiore, corpore multò maiore. Memoriæ prodidit Timagetas, Stymphalidas illas, quæ repulſæ fuerunt ab Hercule, alas & roſtra & vngues habuiſſe ferreos, quas modò *σιδηροπτέρυς*, ferreis alis ſcilicet, modò *σιδηρονύχας*, hoc eſt, vnguibus ferreis, modò *σιδηρορίγχυς*, roſtris ferreis nominauit. Vide Cœlium Rhodigin. lib. 16. cap. 11.

Nec rapto aut fœnore] Atqui tãtum abeſt vt ſapiens rapto gaudeat, vt etiam ab omni turpi lucro abhorreat. Fœneratores enim inopum ſanguinem hauriunt, à quo vitio nos paſſim ſacræ dehortantur literæ, Pſal. 13. & 14. Luc. 6. Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes, & erit merces veſtra multa.

Vincit fœmineos] Illius eſt declaratio:
Threiciam ſexto ſpoliauit Amazona baltheo.

Sexto certamine mulieres Amazonas debellauit, earumq; reginam Hippolytam cepit, cui cingulum militare abſtulit. *6. Amazonum regina Hippolyta.* Quod eſt aſtutiam muliebrem & dolos, fallaciãque coercere, & vafriciei materiam penitus eripere, meretricias artes omnes deteſtando, inq; ordinem cogendo, & ſpoliando ornamentis, quibus homines capiuntur. Vel eſt detrahere ornamenta, quæ non meretrici, ſed honeſtę matronæ debentur. Eſt enim hic Amazon mulier bellicoſa, meretricem referens, quæ vel fortiſſimum poſſit deuincere. Alluſum autem videtur ad id, quod dicitur, *zonam ſoluere*, hoc eſt, deuirginare. *Zonã ſoluere.* Noua enim nupta olim zona lanea & innodata cingebatur, quam prima nocte ſponſus ſoluebat.

Expurgat ſordes] Eſt illius *ἐπιμύθιον*:
Septima in Augiæ ſtabulis impenſa laboris.

7. Augiæ ſtabuli purgatio. Labore ſeptimo Augiæ ſtabulum vno die expurgauit. Quod arguit vitiorum errorumq; innatorum, vel etiam qui ſuccreuerunt aſſuetudine quadam longa, ab animo expulſionem. Nihil eſt enim tam horridũ, tamq; ſordens, quod eloquentia non poſſit excoli. Et quia ſapientia prima ſtultitia caruiſſe, debet ad curandos animos antecedere diligens præparatio. *Hiſtoria de Augiæ ſtabulo.* Sunt qui Augiæ ſtabulum ad hiſtoriam retorquent. Dicitur enim Augias Solis fuiſſe filius, tantumque habuiſſe armentum, & tot greges, vt pars maxima agri fimo obducta otioſa & inculta iaceret; nam quidam tradiderunt ibi ſtabulari conſueuiſſe tria millia boum, quod ſtabulum nunquam fuerat purgatum. Hercules igitur vel aliqua parte agri, vel alia quauis mercede ſibi promiſſa, Alpheſi fluuium in ea loca diuertit, omnemq; fimi copiam deleuit. Deinde cum regio ad fertilitatem rediiſſet, ſtabula Augiæ purgaſſe dictus eſt. Augias illi mercedem negauit, quia videretur nullum propè laborem ſuſtinuiſſe illis ſtabulis purgandis: nam inſulſi plerique non animi, ſed corporis viribus & laboribus præmia proponunt.

Cultum mentibus addit] cultus animi eſt Philoſophia.

Illicitaq;

Illicitos odit coitus] natura vel lege prohibitos. Fabula ſic habet:

Octaua expulſo numeratur adorea tauro.

8. *Lucta cũ tauro.* Octauo taurum ignem naribus efflantem luctamine domuit, & ex Creta expulit. Quod eſt ſontes abigere, & omne illicitum facinus ſcelusq; execrari. Vel furorem aut truculentiam animi cohibere. Eſt autem taurus animal Venereum, quod matrem & ſorores inire ſolet; hinc addidit, *illicitos odit coitus.* Taurus item & laſtaurus in Hieroglyphicis ſunt obſcœna verba, de quibus Pierius Hieroglyph. 3. Cœl. Rhodigin. lib. 21. cap. 22.

Taurus, verbum obſcœnũ.

Abigitq; nocentes] Hinc nomen habuit ἀλεξικάκυ. nam & plerisq; dictus eſt natus ad homines iuuandos.

Barbaries feritasq;] Exponit hoc:

In Diomedæis victoria nona quadrigis.

9. *Diomedes cum ſuis equis victus.* Labor nonus eſt, quo Diomedem Regem Thraciæ crudeliſſimum, qui ſanguine & carnibus humanis equos alere conſueuerat, perdomuit, & eius exemplo ipſum ſuis equis dedit pabulum: plerunq; enim barbari quas pœnas alijs intulerunt, ipſi tandem perferunt. Quod ſignificat, Herculem eloquentiæ & ſapientiæ viribus barbariem & ferocitatem ab omnibus, quas incoluerit, regionibus ſubmouiſſe. Equus autem peculiari epitheto *ferus* dicitur, & *ferox.* Horatius 1. Sermon. Sat. 5.

——Equi te
Eſſe feri ſimilem dico.

Virgilius 4. Æneid.

Stat ſonipes et fræna ferox ſpumantia mandit.

Vnius virtus] Illius eſt ſolutio:

Geryone extincto decimam dat Iberia palmam.

10. *Geryõ tricorpor ſuperatus.* Decimo labore Geryonem tricorporem & tricipitem bello expugnauit. Id eſt, collectam, & vnanimem hoſtium multitudinẽ ſua virtute compreſſit, indeq; victor euaſit. De Geryone ſatis dictum Emblemate 40. vnus enim dicebatur, cum tres eſſent fratres.

Inuehit in patriam] Huic reſpondet:

Vndecimum mala Heſperidum detracta triumphum.

11. *Poma Heſperidum.* Vndecimo aurea mala Heſperidum, occiſo prius peruigili dracone, ſuſtulit, & ſecum in Græciam portauit. Argumentum boni & laudati viri, qui patriam exterarum rerum ſpoliis locupletat. Fama eſt, Iunonẽ, cum nupſiſſet, Ioui in dotem dediſſe multas pomos, quæ aurea mala producerent, quæ apud Heſperidas nymphas à dracone peruigili cuſtodiebantur. Eo igitur interempto Hercules aurea mala decerpſit, & ad Euryſtheum detulit. Quod eſt referẽdum ad illam, qua docti & ſapientes homines abundant, inſignem rerum copiam, qua eos ſua fortuna vitæq; conditio beat. Alij maluerunt, illum admonitum à Prometheo fuiſſe, vt Atlantem ad ea pro ſe mitteret, ac ipſe tam diu cœlum, dum rediret Atlas, ſuſtineret. Fabulam ſic explicant; dicunt Atlantem magiſtratum gerentem in quandam rerum maximarum aliquando incidiſſe difficultatem, qui cùm Herculis ſapientiſſimi hominis conſilio rem præclarè tranſegiſſet, tres oues Herculi largitus eſt, quod munus, vt ea ferebant tempora, non parum erat honorificum. Cum verò μῆλα, & oues ſint, & mala fructus apud Græcos, locus datus eſt fabulæ. Quidã dixerũt mala à nymphis Herculi fuiſſe donata, cũ draconem cuſtodem cecidiſſet: quia Draco paſtor fuit violentus planè homo, & immitis aduerſus omnes. Huius oues mala dicta ſunt aurea, cùm eſſent oues aurei coloris.

Allegoria.

Docta per ora virum] Poſtremum hoc explicatur:

Cerberus extremi ſuprema eſt meta laboris.

Duodecimo & poſtremo, Cerberum tricipitem ab inferis tractum ad auras deduxit, quod fortitudinem per omnia omnium ora volitantem, & immortalem nominis gloriam apud poſteros ſemper victuram perſpicuè ſignificat. Nam, vt eſt apud Diodorum, magnos multosque, dum vixit, labores & pericula ſponte adijt Hercules, vt pro ſuis erga omnes gentes beneficijs immortalitate donaretur. Cic. 1. Tuſc. Abijt ad Deos Hercules: numquam abijſſet, niſi cùm inter homines eſſet, eam ſibi viam muniuiſſet. Facilè tranſilio Pindari locum, vtpotè longiorem, de Hercule, 1. Nemeorũ. Hæc (mea quidem ſententia) eſt apotheoſis Herculis, è rogo Oetęo videlicet in cęlum; vt illi fabulantur. Minucius Fel. Hercules vt hominem exuat, Oetęis ignibus concrematur. Iulius Firmicus: Cremat & conſecrat Herculem triſtis Oetas. Seneca in Hercule Oetæo. Et hanc videntur fuiſſe æmulati Romani in Auguſtis ſuis conſecrandis.

12. *Cerberus triceps.*

Apotheoſis Herculis

De quo more vide Herodianum in Seuerianis. Quare præſtantes viri poſt præclarè geſta viuunt, perpetua hominum memoria, adeo vt etiam mortui præſentes eſſe videantur: virtutis enim & famæ lumen nunquam extinguitur. Horatius:

Viuet extento Proculeius æuo.

Cerberũ ex inferis trahere, quid.

Hanc allegoriam explicatius protulit Rudolphus Agricola lib. 1. de Inuent. cap. 3. Magni, inquit, ſudoris eſt, Cerberum tricipitem ab inferis extrahere; hoc eſt, abſtruſa & in rerum interiore receſſu latentia proferre in lucem, & tanquam ſpectanda proponere. Nonnulli hoc traduci malunt ad auaritiam theſauros in tenebris occluſos aſſeruantem, nec in lucem erui permittentem. Ea tamen, ſi à viro gloriæ cupido coerceatur, & ex animi receſſu, in quo locum occuparat, expellatur, opesque illæ conferantur ad vſus hominum, magnum certè momentum afferunt ad obtinendum nomen: licet enim vera gloria ſita non ſit in opibus & facultatibus, ad gloriam tamen obtinendam magnum adiumẽtum adferũt. Videtur autem hic noſter verſiculo hoc poſtremo alluſiſſe ad nomen Ἡρακλῆς, quod à κλέος καὶ ἥρα. At ἥρα ponitur pro aere, nedum Iunone, vt tradit Macrobius Saturnal. Hemiſtichium eſt Ennij veteris poetæ, relatum à Cicerone 1. Tuſcul.

——*Volito docta per ora virum.*

IV. PER Herculem ἀλεξίκακον, qui vir magnanimus, prudens & eloquens fuiſſe perhibetur, intelligenda eſt coniuncta cum ſapientia & virtute facundia. Ac per duodecim, quos exãtlaſſe dicitur labores, κατ' ἀλληγορίαν ea ſunt intelligenda, quæ Emblema explicauit.

Heraclidis locus.

Heraclidis Pontici diſputatio ad Homeri allegorias mirè ad hãc noſtrã facit explicationẽ. Verba eius auctoris hęc ſunt: *ἡρακλέα νομιστέον οὐκ ἀπὸ σωματικῆς δυνάμεως ἀναχθέντα τοσοῦτον ἰσχῦσαι τοῖς δε χρόνοις, ἀλλ' ἀνὴρ ἔμφρων καὶ σοφίας οὐρανίου μύστης, ὥσπερεὶ κατὰ βαθείας ἀχλύος, ἐπιδεδυκυῖαν ἐφώτισε τὴν φιλοσοφίαν, καθάπερ ὁμολογοῦσι καὶ στοϊκῶν οἱ δοκιμώτατοι. περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων ἄθλων, ὁπόσοι τῆς παρ' Ὁμήρῳ μνήμης ὑστεροῦσι, τί δεῖ παρακαιρὸν ἐκμηκύνειν φιλοτεχνοῦντας; ὅτι κάπρον μὲν εἷλε τὴν ἐπιπολάζουσαν ἀνθρώποις ἀκολασίαν· λέοντα δὲ τὴν ἀκρίτως ὁρμῶσαν ἐφ' ἃ μὴ δεῖ φοράν· κατ' αὐτὸ δὲ θυμοὺς ἀλογίστους πεδήσας, τὸν ὑβριστὴν ταῦρον ἐνομίσθη δεδεκέναι. δειλίαν γε μὴν ἐφυγάδευσεν ἐκ τοῦ βίου τὴν κεραυνίαν ἔλαφον. καὶ τὶς ἀτρεκῶς ὀνομαζόμενος ἆθλος ἐκμεμόχθηται, διακαθάραντος αὐτοῦ τὴν ἐπιτρέχουσαν ἀηδίαν. ὄρνεις δὲ τὰς συννεμούσας ἐλπίδας, αἳ βόσκουσι τὸν βίον ἡμῶν· ἀπεσκέδασε δὲ καὶ τὴν πολύχουν κόπρον καὶ πολυκέφαλον ὕδραν, ἥτις ὅταν ἐκκοπῇ, πάλιν ἄρχεται βλαστάνειν. ὥσπερ αἰδρείαν τινὰ διὰ πυρὸς τῆς παραινέσεως ἐξέκοψεν· αὐτός γε μὴν ὁ τρικέφαλος δειχθεὶς ἡλίῳ κέρβερος εἰκότως ἂν τὴν τριμερῆ φιλοσοφίαν ὑπαινίττεται· τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς λογικὸν, τὸ δὲ φυσικὸν, τὸ δὲ ἠθικὸν ὀνομάζεται. ταῦτα δὲ ὥσπερ ἀφ' ἑνὸς ἐκπεφυκότα, τριχῇ κατὰ τὴν κεφαλὴν μερίζεται. περὶ δὴ τῶν ἄλλων ὥσπερ εἶπον ἄθλων ἐν συντόμῳ δεδήλωται.* Quorum ſententia verborum hæc eſt: *Minimè putandũ eſt, Herculem corporis viribus olim tantum præſtare potuiſſe, at cùm prudens eſſet, & cœleſti ſapientia plenus, ceu profunda caligine demerſam Philoſophiam illuſtrauit: quæ ſententia etiam principum Stoicorum eſt. De alijs itaq; certaminibus Herculis, quæ ab Homero non memorantur, quid attinet ad ingenij oſtentationem multa præter rem verba facere? Aprum enim cepit, hoc eſt, verſantem inter homines intemperantiam: & leonem domuit, nempè impetum temerè ruentem quò minimè decet. Eadem ratione cùm brutam iracundiam compeſcuiſſet atque frenaſſet, taurum cornupetam dictus eſt aſtrinxiſſe. Expulit etiam & propulſauit è vita metum, quod per Cerauniam ceruam oſtenditur. Et quoddam etiam certamen, quod nominare non conuenit, idem ſubijt, repurgata, quæ prius tenebatur, animi fœditate. Cohibuit & volucres, nempè ſpẽ inanem & ventoſam, quæ hominum vita vt plurimùm lactatur. Adhæc plurimum fimi expulit, & multis capitibus hydram ſuperauit, quæ abſciſſa renaſci non deſinebãt. Hanc ſicuti αἰδρείαν, id eſt, imperitiam aliquam, igni excidit, hoc eſt, admonitione. Iam verò Cerberus triceps in lucem pertractus, non malè triplicem philoſophandi rationem innuit. Sunt enim Philoſophiæ partes, ea quæ rationis eſt, Logica: quæ naturæ, Phyſiologia: quæ morum, Ethica nominatur: & ea quidem tanquam ex vna ceruice prognata, triplici etiam modo iuxta caput diſtribuuntur. Et hæc quidem de alijs laboribus dicta ſufficiant.* Hactenus Heraclides;

raclides; cum quo inſigni loco velim vnà conferri quæ diſputat Lactantius diuin. Inſtit. 1. cap. 9. Cætera enim percenſere nihil attinet, niſi maximè ad rem faciāt. Quo in argumento dum animus elaborat, mihi arriſit nobilis diſputatio Dionis Chryſoſtomi, qui Herculis ἄθλους ſeu labores vel ærumnas ita celebrat, vt eum ex aduerſo athletis opponat, & Principem fortiſſimum atq; iuſtiſſimum faciat. Peruigil & tenuis erat, inquit ille, vt leones, neq; enim carnibus onuſtus, vt athletæ, potuiſſet Aſiam Europamq; peragrare. Acutè videbat, acutè audiebat: neq; hyemis aut æſtus vim curabat, vt à præclaris actionibus reuocaretur. Sordida pelle indutus, interdum fame correptus, bonis opem ferebat, improbos verò aut de medio tollebat, aut in ordinem cogebat. Diomedem enim Thracium delicijs affluentem, & hoſpites afficientem iniuria, ſuoſq; ſubditos miſerè ſeruire cogentem, claua percuſſum de medio ſuſtulit. Geryonem boues permultos, & multa pecuaria poſſidentem, vt opulentia Principes omnes, qui in Occidente eſſent, facilè ſuperaret, ſed tamen eundem nimia ſuperbia elatum, vnà cum fratribus interfecit, eorumq; armenta corripuit. Idem cùm Buſirim offenderet certaminibus totos dies occupatum, totos dies conuiuia agitantem, ſibi vnicè placentem, quò egregius luctator eſſet, proſtrauit. Amazonum reginæ zonam ſoluit, quæ illum fuerat aſpernata: quo congreſſu oſtendit, ſe illius forma minimè fuiſſe ſuperatum, vel mulieris gratia potuiſſe vnquā à rebus excellentibus, quas primùm animo conceperat, auocari. Ne autem videretur arduis tantùm rebus & gloria dignis operam impendiſſe, fimum iacentem in Augiæ ſtabulis, à multis annis collectum ſterquilinium repurgauit. Putabat enim non minus eſſe ſibi aduerſus gloriam decertandum, quàm belluas & homines ſceleratos. Hæc penè Dio Oratione 8. de virtute. Idem labores Herculis retulit ad purgationem animi & vitiorum expulſionem. Oratione 5. Sed obiter admoneo, pleroſq; exiſtimare, vt Lucianus (quemadmodum poſtea dicemus Emblemate 181.) Herculem virum fuiſſe Gallum, qui tum ſolerti quadam prudentia, tum admirabili eloquētia, qua maximè valebat, præclara facinora inſigni fortitudine ſit exantlatus, & ingenij dexteritate ſummas quaſque difficultates ſuperarit: quæ tamen omnis Græcia quàm plurimum mendax, ad armorum gloriam conuertere maluit. Prætermiſeram Apuleij ἐπιμύθιον, quod imprimis ad rem facit, ex 4. Floridorum: Quod Herculem Poetæ olim memorant monſtra illa immania hominum ac ferarum virtute ſubegiſſe, orbemq; terræ purgaſſe; ſimiliter aduerſum iracundiam & inuidiam, atq; auaritiā ac libidinem, cæteraque animi monſtra ac flagitia Philoſophus iſte Hercules fuit. Eas peſtes omnes mentibus exegit, familias purgauit, malitiam perdomuit, ſeminudus & ipſe, & claua inſignis, etiam Thebis oriundus; vnde Herculem fuiſſe memoria extat. Huc reſpexit Poeta quidem Italus, ſanè feſtiuus, dum in hominem enormibus vitijs obnoxiū inuehitur tali carmine:

Dionis Chryſoſtomi locus.

Hercules vir Gallus.

Hercules vitia domans.

Se'l Ciel moſſo à pietà de' danni noſtri,
Mandaſſe in terra vno Hercole nouello,
Te domar non potrebbe, ò crudo e fello.
Quà sù venuto da gli Stigij chioſtri
Che s'egli diò già morte à tanti moſtri,
Vinſe à diuiſa pugna hor queſto, hor quello,
E tu di tutti inſieme. à vn ſol duello,
Le ſembiāze, e'l poter gli haureſti moſtri,
Crudo cor, man rapace, e bocca ria,
Parer ti fanno, à chi'l guardo vi gira,
Fiero Drago, empio Cacco, infame Harpia.
E ſei cinghial d'orgoglio, e leon d'ira,
E di toſco Hidra. Hor chi ti conteria?
Il gran moſtro de' moſtri in te ſi mira.

Videram pridem locum Plutarchi in Problem. quo rationem reddit, cur olim Herculi atque Muſis communis ara facta ſit: quia nimirum Hercules Euandrum literas docuit, vt à Iuba memoriæ traditum eſt. Honeſtum enim & liberale ducebant, ſi amici ac propinqui literarum & ſapientiæ cognitione perpolirentur. Alij nihil aliud Herculem eſſe quàm Solem crediderunt, qui propter imagines Zodiaci duodecim labores abſoluiſſe dicitur. Atq; vt ſummatim colligam, illa quæ tradita ſunt de Hercule non ſolum ad Solis naturam, ſed etiā ad humanæ vitæ inſtitutionem tradita sūt: quippe cùm alioquin fruſtra laudes Herculis commemorarentur, cum illa monſtra, quæ dicuntur ab illo fuiſſe domita, neque ita eſſe potuerint; neq; ſi fuiſſent, nobis obeſſent, vt canit Lucretius lib. 5. his verſibus:

Hercules Sol.

Quid Nemeaus enim nobis nunc magnus hiatus
Ille leonis obeſſet? & horrens Arcadius ſus?
Deniq; quid Creta taurus, Lernaaq; peſtis
Hydra venenatis poſſet vallata colubris?
Quidve tripectora tergemini vis Geryonai?
Et Diomedis equi ſpirantes naribus ignem,
Thracen, Biſtoniasq; plagas, atque Iſmara propter,
Tantoperè officerent nobis? vncuq; timenda
Vnguibus Arcadia volucres Stymphala colentes?
Aureaq; Heſperidū ſeruans fulgētia mala
Aſper, acerba tuens, immani corpore ſerpens,
Arboris amplexus ſtirpem? quid deniq; obeſſet
Oceani propter litus, pelagiq; ſonora,
Quò neq; noſter adit quisquam, nec barbarus audet?

In nothos.

EMBLEMA CXXXIX.



HERCVLEOS ſpurij ſemper celebretis honores:
Nam veſtri princeps ordinis ille fuit.
Nec prius eſſe Deus potuit, quàm ſugeret infans
Lac, ſibi quod fraudis neſcia Iuno dabat.

COMMENTARII.

A. IN nubibus Iuno ſopita decumbit, cuius mammis Iupiter ipſe infantem Herculem admouet, ſpectante ſuo armigero; aquila nimirum.

II. ALCIATVS libro 4. Parergōn, cap. 3. fatetur hoc Emblema ſumptum eſſe ex antiquo illo adagio, *Ad Cynoſarges*. cuius explanationem vide ibi in Adagio. Verba porrò Alciati in illo loco de adoptione loquentis ſunt: Apud Græcos ſcriptum legi, Iouem, nato Hercule, quòd ſpurius eſſet, nec in Deorum numerum poſſet admitti, dormienti coniugi ſuæ Iunoni eum clam ſuppoſuiſſe, & exucto de mammis ab ea lacte, infantem, ceu natalibus reſtitutum, diuinitatis iura acquiſiuiſſe. Cuius rei & Higinus meminit, & Arati interpres, & qui Collectanea rei ruſticæ Conſtantino Cæſari inſcripſit. Hincq; factum eſt, vt nothi ad Cynoſarges, vbi templum eſt Herculis, exercerentur, quoniam is Deus illis præeſt. Cuius rei & in Emblematis mentionem fecimus. Hactenus Alciatus. Hæc hiſtoria bis reperitur in Iſacij Tzetzis commentario ad Lycophronis Caſſandram. Vnde huic acceptum refert Emblematis characterem Minos.

Locus ex Alciati Parergo.

Ad Cynoſarges, quid.

III. SPVRII] Spurij & nothi, incerto patre nati, non debent adeo vereri, quod ita nati ſint, Herculem enim habent ſui ordinis anteſignanum & quaſi principem. Nothi dicuntur illegitimi, qui incerto patre nati ſunt, vel qui nati ſunt illegitimo concubitu, l. vulgo quæſiti, ff. de ſtatu homin. & l. Diui, ff. de captiu. Spurij diſtinguuntur à vulgò conceptis: ſunt enim ij, quorū pater eſt incertus, d. l. vulgò, vt qui naſcuntur ex vulgari meretrice. Sed & qui patrē quidem certum demonſtrare poſſunt, ſed non eum, quem habere liceat, veluti qui nati ſunt ex concubina, *vulgò concepti*, at impropriè tamen & tranſlatè dicuntur, d. l. vulgò quæſiti, & l. Adoptiuus, ff. de ritu nupt. De nothis & ſpurijs vide ipſum Alciatum, qui præter locum citatum lib. 4. c. 5. & lib. 10. cap. 8. Parergon, putat dictos ſpurios (teſtimonio Iuſtiniani) quaſi vulgò conceptos, παρὰ τὸ σποράδην. Quod non ſatis probatur, ſiquidem reperio aliam apud Plutarchum deriuationem, qui in Romanis quæſtionibus ſic ait: Quid eſt, quòd eos, quorum patres ignorantur, ſpurios vocant? non enim quod Græci opinantur, & in cauſis oratores dicunt, quòd ex colluuie quadam, & ſeminis communione progenerati ſint. Sed eſt Spurius inter prima nomina, vt Sextius, Decimus, Caius. Hæc verò prima nomina Latini non integra ſcribunt, ſed aut vna littera, vt T. L. M. Titus, Lucius, Marcus; aut duabus, vt Cn. Ve. Cneus, Verrius: aut tribus, vt Sex. Ser. Sextus, Seruius. Eſt igitur Spurius inter ea prima nomina, quæ duabus litteris notantur, S & P. quibus etiam orbos parentibus ſcribunt, cum ſine patre eſſe dicunt, per S, *ſine*; per P, *patrem* ſignificantes. Hoc igitur errorem fecit, quod ſine patre & ſpurius iiſdem litteris annotantur. Hæc Plutarchus. Huius etiam fit mentio in adagio, *Ne patris quidem nomen dicere poſſit*. Cæterum quos vulgò *Baſtardos* vocamus, interdum ſpurij dici poſſunt, interdum non poſſunt: vt hi, quos principes agnoſcere ſolent, quosq; adoptare. Spurios verò & nothos *Mulos* nūcupari apud Italos, non tam ſæculi noſtri mos eſt, quàm remotioris etiam ætatis, ob adulterinum, qui nulli non innotuit conceptum. Cyrus tamen, quamuis legitimo matrimonio generatus, Mulus eſt dictus, propterea quod generoſiore matre natus eſſet, Aſtyagis quippe Regis filia, cùm pater Medorum imperio ſubiectus eſſet.

Nothi q.

Spurij.

Spurij vnde ſic dicti.

Baſtardi.

Muli.

Nec prius eſſe Deus] nobilitari non potuit, & quaſi natalibus reſtitui. De Herculis apotheoſi Cicero 3. Offic. Plinius lib. 35 cap. 11. & Ouidius 9. Metamorph.

Quàm ſugeret infans] quàm ei hæreditaria quædam portio bonorum obtingeret. Hiſtoriam præter Alciatum ſupra citatum & Tzetzem narrat Higinus in poetico Aſtronomico, de circulo lacteo loquens, nempe Iunonem inſciam dediſſe lac Herculi infanti: ſed poſtquam reſcierit pellicis eſſe filium, reieciſſe eum à ſe, Herculēq; qui nimia auiditate lactis multitudinem ore comprehenderat, non potuiſſe illud ore continere, ſicq; ex eius ore profuſum lacteum circulum in cœlo ſignaſſe. Tantæ molis erat lactea hæc diuinitas. Alij dicunt, vbi Pallas ad Iunonem accedens perſuaſiſſet, vt mammam præberet infanti, cùm puer ſupra ætatem violentius ſugeret, Iunonem indoluiſſe, ac puerum proieciſſe.

Hercules infans.

IV. EORVM, qui nati ſunt ex iniuſto concubitu, miſera videri conditio poteſt; quanquam enim ex nobilibus orti parentibus, nobiles tamen dici non poſſunt, neq; in ius hæreditatis ac familiæ ſuccedunt, niſi ſoluantur legibus, & à principibus agnoſcantur, quaſiq; adoptentur (quod vulgò dicimus

Nothorū conditio qualis.

cimus aduouere) tunc enim ſuccedere in familiam poſſunt, ſed naturalem illam maculam delere minimè vnquam poſſunt. Qua de cauſa Solon ſtatuit ſpurios nihil debere parentibus, à quibus infamiæ labem accepiſſent. Sed & Athenienſes locum quendam habebant, in quo ſpurij ſeorſum ab ingenuis exerceri eſſent ſoliti; eum Cynoſargem appellabant: nam contaminari nobilitatem putabant ſpuriorum conſuetudine. Themiſtocles tamen, aſtuto ingenio vir, adoleſcẽtes ingenuos & nobiles ſenſim primus ad Cynoſarges blanditijs allexit, vt tolleretur ea ſpuriorum & legitimorum differentia. Pecunias autem, quæ notho ex bonis paternis tribuebantur, Ariſtophanes νοθεῖα χρήματα, id eſt, *nothias pecunias* nuncupat. Erant verò drachmæ ad ſummum mille, vt meminit contra Ariſtocratem Demoſthenes. Cœl. Rhodigin. lib. 10. cap. 2. Antiq. lect. & lib. 24. cap. 6. Rectè quidem & prouidè conſtitutum à ſapientibus fuit, vt patẽtes vaga vſi Venere, quaſi in filijs punirentur, & effrenes homines ſancti connubij quaſi cancellis vi legum continerentur. Sic turpiſſimis clericorum filijs, ex fœdo concubitu prognatis, dedecus meritò impingitur, & à ſacris Canonibus cap. propoſuiſti, diſt. 82. & à ſacro Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 15. ab omni eccleſiaſtico officio & beneficio, quod flagitioſus parens poſſidebat, arcentur. Et hoc ideò, vt diſcrimen ſeruaretur inter legitimos & illegitimos partus. Hi & honorum & bonorum paternorum hæredes iure fiunt, eoq; admoneri debent paternæ virtutis: at illegitimis nihil ſæpenumero præter viuere triſte relinquitur, adeò vt conqueri poſſint, quòd adeò infeliciter nati maleq́ue accepti ſint. Sunt tamen permulti ex ijs, qui omni alia ope deſtituti, omnia ſua in ſeipſis ponunt, ſuamq; induſtriam excitant. Refert Alciatus noſter lib. de ſingulari certamine, capit. 19. Arnulfum, qui primus & ante Othonem ex Gallia in Germaniam Imperij titulum tranſtulit, ex Caroli Magni pronepotibus ſpurium fuiſſe. Fuerunt & in Cypro Reges, fuerunt vbique etiam approbatiſſimi duces, non abſimilibus orti natalibus: vt veriſſimum ſit illud Platonis oraculum, ſeruos à Regibus, Reges à ſeruis oriri. Neq; enim cuiquam dubium eſſe poteſt, qui vel paulùm aſſueuerit in monumentis veterum, permultos fuiſſe ſpurios, qui fortitudine & animi dexteritate legitimis quibuſque liberis antecelluerunt, qui que ſuſceperunt audenti magnoque animo, & certè perfecerunt, quæ legitimi ipſi liberi numquam exequi, nedum attingere potuere. Talis Hercules fuit, ipſiq; omnes Iouis filij, Poetarum fabulis decantati. Eo de numero fuere Themiſtocles, Aeneas, Theſeus, Romulus, Iugurtha, ſed & ipſe Alexander Magnus, totius fermè Orientis domitor: quibus adijciam Conſtantinum Magnum, Theodoricum *Gothum*, *Gulielmum* Normannum, & *alios quamplures*, qui niſi hæreditate aliqua paterna freti eſſent, vix aut numquam pertingere potuiſſent ad tantos rerum ſucceſſus: vt ipſe Hercules, qui ne fieri quidem Deus potuiſſet, id eſt, immortalem famam non ſibi eam cõparaſſet, qua omnium voce prædicatur, niſi mammas Iunonis inſciæ ſuxiſſet, vt putarunt Thebani, teſtis eſt Cœlius Rhodigin. lib. 21. cap. 21. Et certè mirum eſt, quàm plerunq; animoſi & audaces ſint hi ſpurij: cuius rei cauſam ego reor, quod vt plurimùm in ſummo Veneris feruore, ne dicam furore, plantentur. Hinc nobis Germanis feſtiuum de ijs eſt prouerbiũ: *Vvas auff die banck gemacht vvirdt, laſſt ſich nicht gern darunder ſtoſſen*. Nulli enim facilè ſubijciuntur. Vnde tritum illud:

Ipſa quidem natura nothis dedit hæc tria iura,
Vt ſint pompoſi, mendaces, luxurioſi.

In ſpurium & incerto patre natum Florentiæ hoc dicterium quaſi διστιχιατῶδες vulgò iactatur: *Egli è vſcito dalla caſa grande. E' vndici once.* Item: *E' di cento albumi.* οὐδὲ πατρὸς ὄνομα εἰπεῖν ἔχει. id eſt: *Patris nomen dicere non poteſt.* Sed, *Matris vt capra dicitur.* τῆς μητρὸς ὡς αἲξ καλεῖται. Id quod ab Homero manaſſe videtur, apud quem Odyſſ. 1. Telemachus rogatus, num Vlyſſis eſſet filius, reſpondet in hunc ſenſum:

Eſſe quidẽ illius mater me ait; aſt ego ſanè
Neſcio: nemo ſuũ patrẽ vnquã nouerit ipſe.

Hæc enim in re ſolius matris confeſſione ſtandum. Caueant igitur coniugatæ, quæ ſe alijs commiſcent, & ſacra iura matrimonij violant, ne & ipſam prolem vnà cum marito iure ſuo hæreditario defraudent. In hanc rem placet ſubiungere hiſtoriam lepidam, ſed materiæ non ineptam. Circa litus Oceani, quod Britanniam ab aduerſo conſpicit

Pecunia nothia.

Nothi nobiles.

Spurij animoſi.

Dicteria in ſpurios.

Lepida hiſtoria de adultera.

ſpicit, ante non multos annos fama eſt fuiſſe mulierculam inopem, ſed forma appetibili, & inſigni laſciuia; hæc duodecim paruos filios totidem ex viris genitos habebat annuis ætatum interſtitijs inter ſe diſtantes. Inſtante autem mortis hora, vocari properè virum iubet: Non eſt, inquit, amplius ludi tempus; nullus horum puerorum ad te ſpectat, præter maiorem ſolum, primo enim anno noſtri connubij caſta fui. Sedebant tunc fortè pueri omnes humi circa ignem, more gentis, aliquid manducantes. Stupente igitur viro, atq; illis rei nouitate ſuſpenſis, illa ſingulorum patres ordine nominat; quod audiens omnium minimus, qui triennis erat, panem dextera & rapam, quam habebat in manu altera, in terram poſuit, ac deſiderio tremens, & ambabus manibus adorantis in morem in altum erectis: Da mihi, inquit, ò mea matercula, aliquem bonum patrem. Cumq; illa in fine verborum paruuli patrem nominaſſet, & famoſum quendam diuitemq; hominem, reaſſumpto in manibus cibo: Bene habet, inquit, bonus eſt pater. Hæc quidem apertè crimen faſſa eſt, ſecus alia mulier pudicitiæ parum probatæ, quæ cum aſtringeretur conſcientiæ ſtimulis marito prolem adulterinam manifeſtandi, excogitauit egregium commentum (vt eſt ſexus ille ad confingendos dolos præcipuè appoſitus) Compulit enim precibus maritum, vt perſonatis, qui tum fortè per plateas diſcurrebant, ipſe quoq; perſonam indutus ſe adderet ſocium; atque ex eo ludo cum amictus theatrali ſchemate domum rediret, mulier infantem nothum complexa, his verbis alloquitur: Quis hic tibi vir videtur, filiole? cacodæmon profectò eſt, laruatus, aut mente captus. Abi hinc vir inepte, non tuus eſt hic filius, alium patrem habet. Quibus verbis ſatisfactum marito arbitrabatur. Sed iocorum pluſquam ſatis.

Alia eiuſdem farina.

Imparilitas.

EMBLEMA CXXXX.



VT ſublime volans tenuem ſecat aera falco,
Vt paſcuntur humi graculus, anſer, anas:
Sic ſummum ſcandit ſuper æthera Pindarus ingens;
Sic ſcit humi tantùm ſerpere Bacchylides.

COMMENTARII.

I. FALCO pingitur in ſublime remigio alarum fretus euolans, ſub quo humi paſcuntur alia auium genera, velut graculus (quem in hac pictura deſidero) anas, & anſer. Epigraphen aliquæ editiones habent, *Imparitas.* quod idem eſt.

II. *Character Emblematis.* ID apparet è Pindaro tractum. Sic enim de ſe ipſe in Bacchylidem, Olymp. 2.

—— σοφὸς ὁ πολ-
λὰ εἰδὼς φυᾷ.
μαθόντες δὲ, λάβροι
παγγλωσσίᾳ κόρακες ὣς
ἄκραντα γαρύετον
Διὸς πρὸς ὄρνιχα θεῖον. id eſt:

Sapiens multarum rerum
Gnarus eſt natura.
At diſcentes, procaces
Inepta garrulitate vt corui
Imperfectè garriunt
Aduerſus diuinum Iouis alitem.

Ad quem locum ſcholiaſtes: ἀποτείνεται δὲ πρὸς τὸν Βακχυλίδην, γέγονε γὰρ αὐτῷ ἀνταγωνιστής. *Inuehitur in Bacchyliden, factus ipſi aduerſarius.* Alius eſt etiam locus in Nemeis, oda 3. in fine.

—— ἔστι δ' αἰετὸς ὠκὺς ἐν πετανοῖς,
ὃς ἔλαβεν αἶψα τηλόθεν μεταμαιόμενος
δαφοινὸν ἄγραν ποσίν.
κραγέται δὲ κολοιοὶ ταπεινὰ νέμονται. i.

Eſt aquila velox in volatilibus,
Quæ corripit ſtatim de longinquo veſtigans
Cruentam prædam pedibus.
Clamoſi verò graculi humilia paſcuntur.

Quibus verbis intelligimus Pindarum ſe cum aquila conferre, alios verò, vt Bacchylidem, & alios Bacchylidi ſimiles, nunc cũ coruo, nunc cum graculis. Sic Scholiaſtes: δοκεῖ δὲ ταῦτα τείνειν εἰς Βακχυλίδην, ἦν γὰρ αὐτοῖς καὶ φάνασις πρὸς ἀλλήλους. παραβάλλει δ' ἑαυτὸν μὲν ἀετῷ, κολοιῷ δὲ Βακχυλίδην. Cæterum mihi videtur alluſiſſe Alciatus ad vetus Adagium, *Aquila in nubibus.* *Aquila in nubibus.* Cuius explicationem ſtudioſus vbi euoluerit, nonnihil ſibi ad huius loci dilucidationem facilitatis comparabit. Vide etiam prouerbium, *Humi ſerpere.* Re-nera tamen ſuſpicor, id Alciatum traducere voluiſſe in quoſdam legum Doctores ſibi nullo modo conferendos, à quibus tamen vel impeteretur, vel *ſugillaretur:* vt colligere eſt ex eius aliquot *ſcriptis.*

VT ſublime volans] volatu ſummum aera petens. Ponitur autem adiectiuum neutrum pro aduerbio, more Græcorum. III.

Secat aera] Sic Virgilius 1. Georg.
Quacunq; illa leuem fugiens ſecat æthera pennis.

Falco] Falco auis rapax & prædatoria, ex accipitrum genere; ita dicta (vt Feſtus innuit) quòd vngues more falcis habeat introrſum flexos. Varij autem generis ſunt falcones, vt Britannicus, Gyrofalcus, Montanus, Peregrinus, Gibboſus. Verùm falcones omnes (vt hodie à Principum aucupibus obſeruatum eſt) fœminæ ſunt; mares verò ſunt, quos vulgus hodie vocat Moſcardinos. *Falco*

Paſcuntur humi] humi gradiuntur. Pindar. ταπεινὰ νέμονται.

Graculus, anſer, anas] De his auibus vide Plinium lib. 10.

Sic ſummum ſcandit] eleuatur felix ingenium Pindari.

Pindarus ingens] Pindarus Thebanus, nouem Lyricorum poetarum princeps. Altiſſimus fertur & verborum & ſententiarũ copia, vt ait Quintilianus: grauitate arduus, conſtructione ac ordine immenſus ac prolixus. Quem etiam non imitabilem dicit Horatius. Eius educationem vide in Imaginibus Philoſtrati, tit. *Pindarus.* ex quo hæc ſumpſit Politianus: *Pindarus.*

Aerios procul in tractus & nubila ſupra
Pindarus it Dircæus olor, cui nectare blãda
Os tenerum libaſtis apes, dum feſſa leuaret
Mẽbra quiete puer, mollẽ ſpirantia ſomnũ.

Is cum Thebis aliquando in poetarum veniſſet commiſſionem, per auditorum inſcitiam à Corinna quinquies victus fertur. Hic eſt ille Pindarus, quem ita amaſſe Apollo fertur, vt illi oblatorum portiunculam impartiretur; quin & à ſacerdote ad *Pindarus à Corinna victus.*

cœnam

cœnam eum Deo in ſacrificijs ſubinde vocaretur. Verùm & carminis Pindarici amatorem fuiſſe Pana, Plutarchi monumentis teſtatum eſt. Eius mortem refert Val. Maximus lib. 9. cap. 12. de morte non vulgari: nam in gremio dilecti pueri in gymnaſio mortuus inuentus eſt. De eo vide plura apud Macrob. 5. Saturnal. Horatium lib. 4. Carm. od. 2. Plinium lib. 7. cap. 29. & Alciatum noſtrum lib. 10. Parerg. cap. 8.

Humi ſerpere.

Humi tantum ſerpere] tenui ſtylo vti. Sic Horatius in Arte:

Serpet humi tutus nimium, timidusq; procella.

Et 2. Epiſtol.

——nec ſermones ego mallem
Repentes per humum.

Hi ſunt Pindaro λόγοι χαμαιπετεῖς. *Sermones iacentes.*

Bacchylides.

Bacchylides] Lyricus Poeta, Cous genere, filius Medonis nothi Bacchylidæ athletæ, vt ait Suidas. Tres fuiſſe Aelianus tradit: hunc primum, alium Athenienſem, tertium Arcadem. Portò mirum videri poteſt cur hic Bacchylidem adeò extenuet, qui dictus eſt Siren, ob carminis ſuauitatem: ſic enim in epigrammate 1. ἀνθολογίας,

——καὶ λάλε σειρὴν
βακχυλίδη.

Quod imitatus eſt Politian. Nutricia:

Nec vulgare canit dulcis ab Iulide Siren
Bacchylides.

Propterea Lactantius in Phœnice (ſi tamen eſt eius poemation) Iuleas voces, pro ſuauiſſimis & delicatiſſimis accepit, vocabulo ab Iulide, Bacchylidis melici patria, ducto.

IV.
Ingeniorum inæqualitas.

Hac ſimilitudine docet Alciatus, aliquam ſemper obſeruari facilè in ingenijs inæqualitatem. Sunt enim, qui vt falco vel aquila volatu præſtent, id eſt, qui ingenij viribus cæteris antecellant: ſunt & qui dumtaxat humi gradiuntur, vt aues illæ domeſticæ, quibus vna eſt cura vulgatiora tantũ conſectari. Quod certè referendum eſt ad debiliora quæque ingenia & minus viuida, quæ tenues cogunt ſiliquas: quique plura & magis ardua velint, quàm poſſint; cũ, vtiimperiti pictores, nihil ſciant prętrquã ſimulare cupreſſum, vt loquitur Flaccus. Primas tenet inter Lyricos Poetas Pindarus, Bacchylides inferiora tantùm conſectari dicitur. Huic conuenit illud ex Olymp. 10.

——ἐντὶ γὰρ ἄλλαι
ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι.
μία δ' οὐχ ἅπαντας ἄμμε τρέφει
μελέτα —— id eſt:
Sunt quidem aliæ
Via alijs excellentiores.
Sed vna non omnes nos alit
Exercitatio.

Auſonius ad Paulinum:

Si vitulum tauro, vel equum committis onagro:
Si confers fulicas cycnis, & aedona parræ:
Caſtaneis corylos æques, viburna cupreſſis.

Non omnes poſſũt primas tenere.

Poteſt huc non inconcinnè referri, quod in Oratore Cicero ait: Si quem aut natura ſua, aut illa præſtantis ingenij vis fortè deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat tamen eum curſum, quem poterit. Prima enim ſequentem honeſtum eſt in ſecundis tertijsque conſiſtere. Nam in Poetis non Homero ſoli locus eſt (vt de Græcis loquar) aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, ſed horum vel ſecundis, vel etiam infra ſecundos. Nec verò Ariſtotelem in Philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis: nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia & copia cæterorum ſtudia reſtrinxit. Porrò quàm magna ſit ingeniorum diſſimilitudo, nos quotidianus docet vſus, & ipſe M. Cicero de claris oratoribus, itemq; Fabius Quintilian. Sed ea nonnunquam comparatio nauſeam in multorum nares concitat:

Comparatio interdum odioſa.

& ſunt qui ne quidem Iouem pro riuali ferant, & ſe omnium optimos haberi velint: Nam & Palæmoni, glorioſo Grammatico, Varro togatorum peritiſſimus diſplicuit: & Maro ipſe Bauium & Næuium auerſatus eſt, ſicuti Pacuuium Perſius, quos ſuo æuo placuiſſe credibile eſt, cùm alij meliores non eſſent. Sic (verba ſunt Minois) qui vixere temporibus auorũ noſtrorum, Ioannes Meunus, Quadrigarius, Marotus, Sangelaſius, pro bonis habiti, cùm nondum polita poeſis Gallica foret: ſed ſi conferũtur cum ſequentis æui noſtri poetis egregijs, Ronſardo, Bellaio, Bellaqueo, Bartaſſio, id perinde erit atq; anſeribus olores adæquare. Nam quis ea vecordia eſt, qui Maroni Ennium comparet, vel Homerum Chærilo, vt ætate ſuperiore quidam Budæo Badium conferre non dubitarunt? In materia quamquam diſſimili comparationis excanduit Catullus, ſuam amaſiam non æquè

laudam

laudari queſtus:
Tecum Lesbia noſtra conferatur?
O ſaclum inſipiens & inficetum?
Et Martialis in quemdam, qui ſe pro amico fido haberi vellet:
Diſperéam, ſi tu Pyladi praſtare matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pirithoi.
Sed hæc ſatis ad alia properanti.

In dēſciſcentes.

EMBLEMA CXLI.



QVOD ſine egregios turpi maculaueris orſus,
In noxamq; tuum verteris officium;
Feciſti quod capra, ſui mulctralia lactis
Cum ferit, & proprias calce profundit opes.

COMMENTARII.

I. CAPRA pedibus poſterioribus mulctrale lacte plenum impetit, eoq; ſubuerſo lac effundit; huic aſtat ancilla caprimulga, geſtum ſubiraſcentis exprimens.

II. *Typus Emblematis.* Ex antiquo deſumptum eſt adagio, αἶξ Σκυρία. id eſt: *Capra Scyria.* Conuenit in eos, qui beneficium maleficio corrumpunt, aut qui virtutes adiunctis vitijs contaminant atq; obſcurant: quiue rectè inſtituta non rectè finiunt. Veluti capra Scyria, quòd fera ſit, mulctram quam vbere diſtento impleuerat, eandem pede illiſo diſtringit, totumq; lac collectum effundit; ſicque beneficium quod dederat, ipſamet perdit.

perdit. Epigraphe iſta cognationem aliquã habet cum Emblemate 83.

III. *QVOD ſine turpi*] fœdo exitu.id eſt,poſt perfectum opus cum aliqua laude ſtatim deſciueris, labem tibi aſperſeris immemor laborum anteactorum; indecorè, inſolenter,ſuperbè, impudenter te geſſeris.

Egregios orſus] optimum principium. Liuius lib.1. Vt orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent. Cicero 2. Diuinat. ex Homero:

Scire ratosne habeant, an vanos pectoris orſus.

Orſus, & Orſa. Dicitur enim & *Orſus,us.* & *Orſa,orum.*

In noxamq; tuum] ex beneficio maleficium admiſeris; commodum conuerteris in noxam & incommodum. Prouerbialis locutio,cum officium dicitur in maleficiũ conuerti. De nomine *noxa*,diximus Emblem.131.

Feciſti quod capra] itidem atque capra, quæ vbi è diſtento vbere mulctrale compleuit,calcis ictu diſpergit, quod erat iam vtiliter paratum.

Mulctrale. *Mulctralia*] Mulctrale,vas in quo mulgetur:quod & Mulctra, & Mulctrum dicitur. Horatius Epod.16.

Mulctrũ. *Illic iniuſſæ veniunt ad mulctra capellæ.*

Mulctra. Columel.lib.7.cap.8. Sed mulctra cùm eſt repleta lacte, non ſine tepore aliquo debet eſſe. Virgilius 3.Georg.

——*Implebunt mulctralia vaccæ.*

Calce] extrema & poſteriore parte pedis. Ouidius 3.Faſt.

Ille cadit præceps,& calce feritur aſelli.

IV. CVM quiſpiam fermè toto ætatis curriculo prudenter probeque ſeſe geſſerit, & in extrema ſenectute, vel etiam poſt præclarè facta,criminis aliquid aut vitij admittit,nec gloriæ debitum ſibi præmium expectat,efficit vt capra, quæ mulctram moto pede diſpergit,totumq; lac emiſſum, iamque in mulctrali paratum effundit. Eiuſmodi ſunt,qui è felici principio,id eſt,pueritia bene & liberaliter inſtituta,deflectunt ad mores corruptiſſimos, vitamq; deploratiſſimam,vt Nero,Tiberius,& ſimiles Romanæ Reipubl. peſtes, qui è præclaris initijs ſemper in peiora proceſſerunt,& vitam omnium infeliciſſimè clauſerunt. *Exempla eorũ, qui deſciuerũt à virtute.* His annumerari poteſt Metellus Pius,qui cætero vitæ tempore continentiſſimus, ad extremũ iam ſenex in Hiſpania Conſul,fœdis indulſit voluptatibus. Idem euenit Hortenſio, & Lucullo, & apud Græcos ſapientiſſimo legiſlatori Soloni,Antiocho magno,Xerxi & alijs multis: &, vt etiam ex hiſtoria ſacra colligere eſt,Sauli,Salomoni & Samſoni,qui in peius progreſſi ſunt. Sed id in minoribus quoq; contigiſſe legimus. *Euthydamas.* Euthydamas Rhetor cum aliquando ob oratoriã clarus atque vtilis eſſet Reipublicæ, poſtea ad tyrannidem inclinabat. Illo mortuo eius amicus Hybreas: Euthydame, ait, malum es ciuitatis perneceſſarium; nam nec ſine te,nec tecum viuere poſſumus. Archidamas Periandro, qui cùm eſſet arte medendi celebris,& in primis laudatus,carmina ſcriberet infelicia: *Periãder.* Quid, inquit,tibi accidit Periander,vt pro eleganti medico malus poeta vocari concupiſcas? Notans hominum mores, qui res honeſtas aggreſſi, degenerant ad ſordidiora,cùm conſultum ſit,vnumquemque in ea ſe arte exercere,in qua valet plurimùm. Huc referri poſſunt adagia, *Auru Batnua.* &, *Mandrabuli more res ſuccedit.* &, *Primùm Æginæ optimos pueros alit.* Item, *Primùm Mars in filijs laudatus eſt.* Notum quoq; eſt omnibus *Neronis quinquennium.* &. *πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον. Lutum ſanguine maceratum.* de quo Rhodigin.lib.11.cap.12. *Domitiani mutatio.* Domitianus quoq; (vt refert lib. 6 Fulgoſus) primis imperij initijs non modò abhorrere videbatur,vt humanus ſpargeretur ſanguis,verùm etiam ea loca tanquam moleſta deuitabat,in quibus cæſis ad veſcendum animalibus eorum cruor manaret: relictasq; hæreditates repudiabat. Mox è bono in peſſimum conuerſus, leuiſſimis de rebus nobiliſſimos quoſq; viros occidit, bonaq; eorũ publicauit,mortuorum bona inuaſit, qui vel vno teſte probarentur dixiſſe, velle bonorum ſuorum hæredem Principem eſſe. Prorſus igitur à bonitate atq; abſtinentia, quam primis initijs oſtenderat,ad ingẽtem immanitatem atq; rapacitatem ſe tranſtulit, & generoſa primordia fœdo exitu obſcurauit. Alia etiam exempla ſubminiſtrat Val.Maximus cap. De mutatione morum & fortunæ.

AEmulatio

AEmulatio impar.

EMBLEMA CXLII.



ALTIVOLAM miluus comitatur degener harpam,
Et prædæ partem ſæpe cadentis habet.
Mullum proſequitur, qui ſpretas ſargus ab illo
Prateritasq́ auidus deuorat ore dapes.
Sic mecum Oenocrates agit: at deſerta ſtudentum
Vtitur hoc lippo curia tanquam oculo.

COMMENTARII.

I. HARPA, auis rapax, prædam cruentatam vnguibus tenens in altum euolat, cui miluus ſubuolat, deciduas prædæ reliquias excepturus. Subtus in aquis enatat ſargus, qui auido ore piſciculos emergentes deuorat.

II. *Emblema ſcriptum in* EIVSDEM ferè eſt argumenti cum ſuperiore de Pindaro, ſed ſimilitudines ſunt obſcuriores. Aegrè ferebat Alciatus æmulum quempiam eſſe ſibi ſyndromum, cum quidē legum interpretem auditores quoſdam malè affectos allicientem, qui quantum poterat, operam dabat, vt eius gloriam obſcuraret, vel etiam eruditior haberetur: quem tamen vt imitatorem ignarum grauius pungat, perbella vtitur ſimilitudine, ac tum non ſibi temperat à conuicijs, nempe in eum cõficto nomine οἰνοκράτης, quaſi dicas, vinipotens aut meripotor: & tandem lippum oculis appellat, quod ad indicij *quendam ὁνόδρομον.* *Oenocrates.*

imperitiam

imperitiam refertur. Quemadmodum, inquit, miluus degener comitatur harpam altè volantem, vt ijs veſcatur ciborum reliquiis, quæ ex eius roſtro fruſtulatim concidunt; vtque ſargus marinus piſciculus mullum piſcem conſequitur, vt quæ prætererit, arripere queat: eodem modo mecũ agit Oenocrates ille, ludimagiſter bibax, qui relictos à me quoſdam auditores excipit: quo iidem vtuntur tamquam lippo oculo, id eſt, nullius iudicii doctore, & imperito legum interprete, cui ſit Iuris ciuilis abſtruſa ſcientia penitus incognita. Eum itaq; hominem maledicentiæ notat, vinolentiæ, ſtultæ cuiuſdam imitationis & imperitiæ. Hunc fuiſſe Alexandrinum nomine, iuris interpretem Alciato infeſtum, non leui coniectura ſaſſus Minoi eſt Germanus Audebertus, Regiis tributis Aureliæ præfectus; cuius viri (inquit idem Minos) certè docti & amici non poteſt non eſſe mihi gratiſſima iucundiſſimaq; recordatio, quẽ ſcio à permultis eruditis hominibus officioſè & honorificè cultum, & cum quo ſæpe de literis ſermones vltrò citroq; habui ſuperioribus antè actis annis, cùm iuri ciuili operam darem apud Aurelianenſes.

Germanus Audebertus, qui Venetias elegãti carmine deſcripſit.

III. *Harpa.*

ALTIVOLAM harpam] Harpa auis voraciſſima, ἀπὸ τοῦ ἁρπάζειν, *à diripiendo* dicta, de qua Plinius. Bellum gerit cum triorche. Ariſtoteles 9. de hiſtor. anim. cap. 1. Amici, inquit, ſunt piphex, harpa, & miluus. Vocat autem *altiuolam*, quia aues vncos vngues habentes omnes ferè ſunt altiuolæ, teſte Plinio lib. 10. cap. 19. Vel ſi mauis allegoricè intelligere de doctore præſtanti, & ſublimis ingenii, quem cęteri non poſſint aſſequi.

Miluus.

Miluus] Miluus auis rapaciſſima & guloſiſſima, de qua Plinius lib. 10. c. 10. Martial. lib. 9.

Hinc prope ſumma rapax miluus in aſtra volat.

De miluo diximus etiam aliquid ſupra Emblem. 29. Miluum verò degenerem dicit, vt ſuo Antalciato Oenocrati accommodet, quaſi extra ordinem doctori, ſeu potius triuiali, inerti & imperito leguleio.

Mullum proſequitur] Ordo eſt: *Sargus*, id eſt, piſcis iſte ignauus, *proſequitur mullũ*, id eſt, alium piſcem marinum, *qui*, ſupple ſargus, *auidus deuorat ore dapes ſpretas prateritasq; ab illo*, ſupple mullo. Mullus eſt genus marini piſcis & fluuiatilis, qui

Mullus.

quòd gemina barba inſignitur, barbatulus, barbo, vel barbatus dicitur: licet Sanctius neget, & alium magni precii piſcem eſſe dicat. Huius mentio eſt apud Plin. lib. 9. cap. 17. & 33. c. 11. Quomodo differant inter ſe mullus fluuiatilis & marinus, notent curioſi. Martialis:

Nolo mihi rhombum ponas, mullumvè bilibrem.

Sargus.

Sargus.] Sargus piſcis, de quo iam antè Emblemate 75. in mari naſcens Aegyptiaco, vt eſt apud Feſtum: qui, teſte Plinio, eum, quem Lutarium nominant, comitatur: & illo cœnum fodiente, hic excitatum pabulum deuorat. Vnde hominem ex aliis laboribus ſibi fructum & gloriam vſurpantem, & alienam, vt dicitur, meſſem demetentem, qui velint ſignificari, ſargũ & mullum pingunt: ſequitur enim ſargi reliquias mullus, atque vbi ille excitato luto abierit (fodere enim poteſt mullus) deſcendit & paſcitur, imbecillioresq; ne eodem aduatent, arcet. Ariſtoteles lib. 8. de nat. animal. cap. 2. & Pierius Hieroglyph. 30.

Dapes.

Dapes] Dapes non tantùm opiparos apparatus, aut religioſos, ſicuti plerunq; ſignificare, ſed & vitabiles & infandos cibos, auctore Virgilio, poſſumus dicere, in Aeneid. 3. Cyclopem deſcribens:

Nã ſimul expletus dapibus, vinoq; ſepultus.

Et in Bucolic.

Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit.

Oἰνοκράτης.

Oenocrates] vinoſus quidam doctor: οἶνος *vinum*, & κρατέω, *vinco*. quaſi quod vino vinceretur.

Deſerta ſtudentum curia] Γραμματεῖον, à me relicta decuria ſtudentium. Curia pro decuria, quam claſſem Pariſini dicunt, id eſt, auditorium. Ergo deſerta ſtudentum curia erit decuria illa, qua ceſſerat antè Alciatus. Porrò de curię nomine, ſi vacat, euolue caput 16. lib. 1. Genial. dierum Alexandri Neapolitani: non enim mihi vacat omnes minutias perſequi.

Curia.

Oculo lippo.

Lippo oculo.] Ipſemet Alciatus prouerbiale hoc dicendi genus interpretatur Parergõn lib. 6. cap. 12. Vti tamquam lippo oculo, inquit, prouerbialiter dicimus de re, qua carere non poſſumus, cùm tamen damnoſa nobis ſit. Eleganter Plautus adſer uos improbos traxit, quos, quamuis dominum decipiant, tamen retinet dominus, & vt poteſt, eorum opera vtitur, cùm vt velit

Qq non

non poſſit. Eius carmen eſt in Perſa:

Ego neq; lubenter ſeruio, neq; ſum hero ex ſententia:
Sed quaſi lippo oculo me meus herus vtitur, manum
Haud abſtinere quit tamen, quin imperet mihi,
Quin me ſuis negotijs præficiat.

Sed & apud eundem in Bacchidibus ſic ſenex loquitur:

Lippo illic oculo ſeruus eſt ſimillimus:
Si non eſt, nolis eſſe, neq; deſideres.
Si eſt, abſtinere, quin attingas, non queas.

Sunt autem hæc carmina non ſolùm ab interpretibus malè intellecta, ſed etiam vitio exemplarium corrupta. Hæc Alciatus. Vide prouerb. *Lippo oculo ſimilis.* &, *Vbi quis dolet, ibidem & manum habet.*

IV. ETSI Emblema hoc ſcriptum ſit in triuialem quendam leguleium, Alciati ſyndromon, tamen commodè referri poteſt in omnes, qui in eadem arte verſantur, propterea quod inter hos artificij ſimilitudo magis æmulationem conciliet quàm beneuolentiam. Quorum mutuam inter ſe inuidiam Heſiodus in Operibus & diebus ſuis, cõpluribus metaphoris indicat, haud tamen damnans id genus artificum concertationem, imò probans & laudans: propoſuerat enim duplex æmulationis genus, quorum alterum ſit vtile, pulchrumque mortalibus; alterum fœdum ac pernicioſum. Hoc homines ad rixas ac bella concitari, propter opum honorumq; certamina: illo verò tanquam exemplis propoſitis ad induſtriam & honeſtas artes expergefieri. Et quia æmulatione virtus cognoſcitur, conſtat nullum ferè fuiſſe virum ſeu bello, ſiue toga clarum, qui non ſuos æmulos expertus ſit. Plato vir ſummus, & Xenophon haud expertes fuiſſe creduntur talis affectus; id indicio eſt, quod neuter alterius meminit vnquam, cum multa vterq; ſcripſerit, ambo clari, & inter ſe alioquin noti, Socraticęq; ſapientiæ ambo alumni. Habuit Virgilius Bauium & Meuium, Homerus Zoilũ, Cicero Hortenſium & Didymum Alexandrinum, M. Varro Rhemnium Palemonem Grammaticum, Catullus Siconium: qui omnes multò facilius æmulorum nomen, quã propoſitum adepti ſunt. Quid? quod contra ipſos Deos auſa inſurgere æmulatio perhibeatur. Hæc enim Marſiæ pellem detraxit, Arachnen è trabe ſuſpendit, Sirenes in monſtra mutauit. Tu quoq; Miſene, non eſſes vndis ſubmerſus, niſi tua temeritas Tritonem ad certamen cantus prouocaſſet. Atq; vtinam res intra æmulationis terminos conſiſteret, ſæpe in aperta odia & bella erumpit: nam vt rectè Cicero in Lælio, peſtis nulla maior in amicitijs eſſe poteſt, quàm in quibuſdam honoris & gloriæ certamen, ex quo inimicitiæ ſæpe maximæ inter amiciſſimos extiterunt. Notetur noſtrorum quoq; temporum vehemẽtia in ſyndromis quibuſdam, quàm clandeſtino laborent odio, quàm mutuis conuitiorum aſſultibus collidant cornua. Ecquod propoſitum præmium? Vanæ & inanis gloriolæ ſtrepitus, & popularis applauſus. Pro his continuatos annos & ſæcula ſudoribus & vigilijs fracta, trãſmittit lucubrantium ſolertia: pro his ars & ætas paribus penè ſpacijs decurrunt, naſcentes enim conſecramus diſciplinis, quas tamen imperfectas abrumpit mors, inuida huius gloriæ, & terminus æmulationis. Vide adagium, *Figulus figulo inuidet.*

Æmulatio duplex.

Vix aliquis clarus ſine æmulo.

Albuti

Albutij ad D. Alciatum, ſuadentis, vt de tumultibus Italicis ſe ſubducat, & in Gallia profiteatur.

EMBLEMA CXLIII.



QVAE dedit hos fructus arbor, cœlo aduena noſtro,
Venit ab Eoo Perſidis axe prius.
Translatu facta eſt melior, quæ noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit.
Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi:
Alciate, hinc vitam degere diſce tuam.
Tu procul à patria in pretio es maiore futurus;
Multùm corde ſapis, nec minùs ore vales.

COMMENTARII.

1. IVVENIS in patina auferet mala Perſica à proxima arbore decerpta. Arborem verò horum pomorum feracem ipſe Alciatus in epigrammate depingit, vt quæ

Digitized b

habeat folia linguæ ſimilia, poma verò cordis formam quodammodo referentia.

Aurelius Albutius IC.

II. Hoc epigramma non eſt Alciati, ſed Aurelij Albutii Iuriſconſulti, Græci & Latini ſermonis periti, Poetæ inſignis, & quidem Mediolanenſis, non Aurelianenſis, vt perperam ab aliis traditum eſt. Bonauentura Caſtillionæus: In vico Cliuii memoriolæ ſunt Albutiorum, qui mihi ſunt acceptiſſimi, quod ex iis tam antiquiſſimis natalibus orti ſunt Aurelius Poeta egregius, ab Alciato etiam celebratus, & Io. Iacobus &c. Eiuſdem Aurelii vidimus Chriſtianarum Inſtitutionum libros tres, carmine eleganti perſcriptos, quos Carolus V. diplomate, & A. Alciatus epigrammate commendarunt. Audiuimus etiam ſcripſiſſe Hymnorum librum vnum, decem virginum vitas, & librum Iobi, aliaq; Albutii quoque eiuſdem meminit Alciatus lib. 2. Prætermiſſorum: Legi apologiam quãdam eius nomine aduerſus Petrum Stellam, & Longouallium, legum Doctores. Hic itaq; monet, vt Alciatus à tumultibus & factionibus Italicis ſeſe ſubmoueat, & florentiſſimam Galliam petat, in qua futurus ſit cõmendatior. Sumit argumenti materiam à pomi Perſici tralatione, quod in Perſide virulentum fuit, in Italia verò conſitum, loci mutatione toxicum habere deſiit. Eodem modo ſi patriam relinquat, in extera regione admirabilem futurum Alciatum ſperat, ſiquidem non minus lingua, id eſt, eloquentia, quàm corde, hoc eſt, doctrina & prudentia polleat: quod etiam factum. In Gallia enim Alciatus per aliquot annos nõ ſine magna gloria profeſſus eſt.

Locus ex Alciati quadam oratione.

Quod apertè (vt carminis noſtri enarrationem habeamus magis perſpicuam) Alciatus ipſemet explicuit oratione quadam Ferrariæ habita, his omninò verbis: Scio, inquit, pleriſq; ſuſpectam eſſe poſſe tam frequentem mutationem meam, qui nunc Auenioni, nunc Biturigibus, nunc Ticini, nunc Bononiæ profeſſus ſim: nec deerunt qui inconſtantiæ hoc tribuant, tamquam nuſquam poſſim conſiſtere, & quod in carmine Horatiano eſt,

Roma Tibur amem, ventoſus Tibure Romã.

Etenim non bene compoſitæ mentis argumentum eſt, cùm quis huc atq; illuc vagus diſcurrit, nec quieſcere poteſt. Cæterũ mihi excuſatio eſt in promptu, notiſſimũque omnibus eſt, me, dum bellicos tumultus ſubterfugio, tutamq́ue ſtudiis meis ſedem perquiro, diutiſſimè eſſe peregrinatum, Principumq; iuſſionibus huc atq; illuc agitatum, certam ſedem tenere non potuiſſe.

Alter locus ex eodem.

Idem clariùs Oratione Ticini habita ſic: Quãplurimi veſtrum optimè ſciũt, vt belli calamitatibus eiectus, relicta patria trans Alpes profectus ſum: ibi profeſſorio muneri addictus, aliquot annos ſumma cũ gratia moram traxi: quod an illorum humanitati tribuam, an qualibuſcumque noſtris ſtudiis, non ſatis ſcio. Tria certè magnifica hac in diſciplina tribus in celeberrimis gymnaſiis mihi contigerunt, quæ neſcio (quod citra arrogantiam dictum ſit) an cuiquam alii: primùm vt Auenioni, cũ numquam ad eam diem cathedram aſcendiſſem, ſtipendium ſexcentorum mererer, & ætate longè impar, ſenioribus tamen æquarer: alterum in Biturigibus, quorum liberalitate magiſtratus Chriſtianiſſimi, ipſo Rege adiuuante, ſecundo quàm eò veneram anno duplicatum mihi eſt honorariũ, & mille ducentique præſtiti: tertium eſt, quòd tam à longinquis partibus in patriã ab excellentiſſimo Duce noſtro acceſſitus, Senatoria dignitate ornatus, hanc acceſſionem ne quidem cogitans, tantum abeſt vt petierim, ſum conſecutus. Hactenus ille.

Locus ex epiſtola Eraſmi.

Simile eſt quod Eraſmus in quadam ad Alciatum epiſtola ſcribit: Pietatis erat, inquit, quòd patriæ tuæ potiſſimum bonum ciuem pręſtare volueris: ſed Deos voluit eruditionem tuam velut in edito lucere pluribus. Nam virtutis ſplendor neſcio quo pacto in ſua cuiq; patria ferè obſcurior obtingit.

Locus ex Paulo Iouio.

Nec verò prætermittendum, hoc Perſici ſymbolum à Paulo Iouio explicari in eo Dialogo, qui eſt de notis armorum & amoris, cum inſcriptione, TRANSLATA PROFICIT ARBOS. ipſique Alciato aſcribi.

III. *QVÆ dedit hos fructus*] Hic Perſea cũ Perſico videtur confundi: quod an liceat, alii viderint.

Perſea alia à Perſico.

Qui verò pomum hoc venenatum in Perſis gigni putauerunt, decepti fortè ſunt nominis vicinitate, nam id de Perſea diligentiores tradunt, quæ omnino alia eſt, myxis rubeſcentibus ſimilis (pruna ea ſunt ſorbis inſita) in Aethiopia lethalis, in Aegypto ſalubris; quamuis Columella poetica licentia vtramq; confundere videatur, quæ tamen ex Nicandro mutuatur, & ex his fortè Alciatus,

Cœlo

Cælo aduena noſtro] noſtro ſolo implantata, cùm primùm in Perſide nata eſſet.

Perſica pomus vnde.

Venit ab Eoo] Cum Perſæ aliquando in Romanos bellum gererent, multis in locis Italiæ Perſica implantarunt, quæ in Perſide venenum præſentaneum ferunt. Hac tandem arbore hoſtes extinctum iri ſperabant: ſed in Italia mutato ſolo naturam etiam mutauit, qua in opinione eſt Columella, vbi refert:

——pomus cum barbara Perſis
Miſerat, ut fama eſt, patrius armata uenenis:
At nunc expoſiti paruo diſcrimine lethi,
Ambroſios præbent ſuccos oblita nocendi.

Alij hunc fructum ab Æthiopibus in Ægyptum malo animo miſſum, naturam ſoli benignitate commutaſſe tradunt. Callimachus Perſicum in Ægypto primùm ſatam à Perſeo affirmat. Nicander verò Mycenis primò ſatam contendit. Plinius aduectam quidem hanc arborem è Perſide fatetur, ſed noxiam apud Perſas eſſe, & tranſlatu miteſcere, id verò pernegat. Eius verba ſunt lib. 15. cap. 13. In totum quidem Perſica peregrina, etiam Aſiæ Græciæque eſſe ex nomine ipſo apparet, atq; ex Perſide aduecta. Et paulò inferius: Falſum eſt venenata cum cruciatu in Perſis gigni, & pœnarum cauſa, à regibus translata in Ægyptum, & terra mitigata. Sed Plinio aduerſantur Galenus, Dioſcorides, Paulus Ægineta, Plutarchus, & alij.

Plinius Perſicam eſſe noxiam negat.

Arbores quædam tranſplätatione fiunt meliores.

Translatu facta eſt melior.] Quaſdam arbores mutare naturam pro regionum varietate, teſtis eſt Plutarch. eo libro, quem inſcripſit, De facie, quæ apparet in orbe Lunæ. Plin. lib. 17. cap. 10. vbi agit de arboribus, quæ auulſione naſcuntur; omnia ea nõ ſtatim moris eſt in ſua locari, ſed prius nutrici dari, atq; in ſeminarijs adoleſcere, iterumq; migrare. Qui tranſitus mirum in modum mitigat etiam ſilueſtres: ſiue arborum quoq; vt hominum natura, nouitatis ac peregrinationis auida eſt: ſiue deſcendentes virus relinquunt, manſueſcuntque in tractatu, ceu ferè dum radici auellitur plãta. Simile illud Plinij hiſtoriæ mundi lib. 2. cap. 96. In Cruſtuminio natum fœnum ibi noxium, extrà ſalubre eſſe. Ex quo intellige quædam ſoli mutatione fieri meliora, alia deteriora; quod rei ruſticæ periti auctores obſeruant, Palladius, Columella, Cato, Varro, alij. Ex horum cenſu habetur etiam arbor Perſica: vnde pomum Perſicum notam fuiſſe eius, qui in alio cœlo melior fiat, tradit Pierius lib. 54. de ſacris Ægypt. litteris.

Pomum Perſicum quid ſignificet.

Quæ noxia quondam] toxicum ferebat. Extat epigramma Græcum lib. 1. Antholog. εἰς δένδρα, incerto autore, in quendam Theognoſti filium, qui comeſtis pomis Perſicis interijt. Id ſic habet:

ἐκ φονίων Περσῶν φόνιον φυτὸν ἤγαγε Περσεὺς
Παιδὶ Θεογνώστου τοῦ θανάτου πρόφασιν. id eſt:

Ex mortiferis Perſis mortiferam plantam duxit Perſeus,
Filio Theognoſti mortis cauſam.

Huc quoq; reſpicere arbitror (quidquid alij dicant) illud à Philodemo, vel vt alij volunt, epigrammatario Platone dictum nobili diſticho:

μῆλον ἐγώ. βάλλει με φιλῶν σέ τις, ἀλλ' ἐπίνευσον
Ξανθίππη, κἀγὼ καὶ σὺ μαραινόμεθα.

Cuius ſententiam pro iure ſuo ſic reddidit Pierius:

Pomum ego, quiq; tibi me dat, te deperit, audin'
Flauia, marceſcam nempe ego, tuq; etiã.

Dulcia poma gerit] Martialis 13. Nux Perſica.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis,
Nunc in adoptiuis Perſica cara ſumus.

Fert folium linguæ.] Plutarch. commentario De Iſide & Oſiride, Perſicam arborem Iſidi conſecratam fuiſſe ſcribit, quòd linguæ folium habeat, fructum cordi ſimilem. Eius hæc verba ſunt: τῶν δ' ἐν αἰγύπτῳ φυτῶν μάλιστα τῇ θεῷ καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν περσέαν, ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν· οὐδὲν γὰρ ὧν ἄνθρωπος ἔχειν πέφυκε θειότερον λόγου, καὶ μάλιστα τοῦ περὶ θεῶν, οὐδὲ μείζονα ῥοπὴν ἔχει πρὸς εὐδαιμονίαν. διὸ τῷ μὲν εἰς τὸ χρηστήριον ἐνταῦθα κατιόντι παρεγγυῶμαι, ὅσια φρονεῖν, εὐφημα λέγειν. *De ſtirpibus Ægyptijs maximè conſecratam Deæ aiunt Perſeam, quòd eius fructus cordis, foliũ linguæ ſpeciem referat. Nam eorum, quæ in hominem cadere poſſunt, nihil diuinius eſt oratione, præcipuè verò de Dijs, neq; vlla res alia maius ad felicitatem affert momẽtum. Itaq; hic præcipitur ei, qui ſit oraculum aditurus, vt ſanctè pieq; ſentiat, & modeſtè loquatur.* Refert idipſum Politianus Miſcel-

Plutarchi locus de arbore Perſica.

ſcellan. cap. 83. ſed hanc arborem Harpocrati ſacram facit.

Alciati] Mallem legere, *Alzate*, nomine genuino familiæ Alciatorum. Vide Emblem. 3.

Tu procul à patria.] Virgiliana imitatio è 10. Ecloga:

Tu procul à patria (nec ſit mihi credere) tantùm
Alpinas, ah, dura niues. ——

Apud Euripidem Hercule furente:

——ὐκ ἔσθ᾽ ὅπῃ
ἐσθλόν τι δράσας, μάρτυρ᾽ ἂν λάβοις πάτραν.

Non eſt vbi
Strenuè quid agens teſtem habeas patriam.

Verba ſunt Amphitryonis ad Lycum, quibus docet magnorum Herculis operum teſtes eſſe gentes exteras.

IV. *Nullus propheta acceptus in patria.* DOCETVR hoc ſymbolo, neminem prophetam in ſua patria propria acceptũ, ſuiſq; gratum aut exiſtimationi eſſe, ſed omnino neglectum, ſpretum, & vicinorum inuidia, peſte illa tetrica, quæ alterius rebus macreſcit opimis, prorſus depreſſum: id quod atteſtatur omnium maximus & veraciſſimus auctor, Redemptor noſter, Matthæi 13. Lucę 4. & Ioannis 4. c. Quod contigit multis olim ſapientibus, qui tamẽ longinquis peregrinationibus notiores facti, ſeſe toti orbi commendarunt: vt hi, de quibus B. Hieronymus prologo ad Biblia. Suppetunt ea de re exempla longè multa apud Diogenem Laertium, Philoſtratum, Eunapium Sardianum. Occurrit ex veteribus vnus Anacharſis Scytha, qui apud ſuos nullo in honore, Athenis admirationi fuit. Romæ non niſi ſerò admodum excepta & admiſſa Rhetoricæ & Philoſophiæ ſchola, ſub auſpicio Græcorum ſapientum. Et ſæculis ſuperioribus a maioribus exceptus fuit Alcuinus, ſeu Albinus, Scoticæ gentis, qui doctrinas liberales primus Lutetiæ ſub pacta mercede ſic plauſibiliter docuit, vt fundamenta principis Academię tũ primùm molitus dicatur. Taceo de Alciato, homine extero, qui iuris ſapientiæ nitorem primus apud Bituriges celebrauit. Fit autem ſæpe, vt patria præclara ingenia nõ capiat, ſed ad loca magis illuſtria propellat. Sed plerunq; liuor & inuidia ciues ſuos eijcit, quæ deteſtabili & iniuſto malo eos maximè proſequitur & infeſtat, quos ad virtutem rectiore tramite prodeuntes cernit. *Inuidia multos è patria eijcit.* Vnde rectè de ea Sillius Italicus lib. 13.

O dirum exitiũ mortalibus, ô nihil vnquã
Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia.

Hanc vt declinarent multi ex patria ſponte exceſſerunt, & in aliena terra vixerunt: vt fecit Iphicrates in Thracia, Conon in Cypro, Timotheus in Leſbo, Chabrias in Aegypto, Chares in Sigęo. Vſque adeo autem dira & abominabilis eſt illa lues, vt in ſuos tantùm notos atq; vicinos ſæuiat; neq; humani generis Seruatori benigniſſimo peperit, qui innocentiſſimus ſola inuidia morte ignominioſa interijt, vt copioſè Baſilius in eleganti ſua oratione Græca de Inuidia, diſſerit. De eadem præter Virgilium in Epigram. de Liuore, Ouidium 2. Metamorph. ſexcentos alios, pulchrè ſcribit Plutarchus in lib. de differentia inter odium & inuidiam. Nunc aliquandiu cum Regibus & Principibus nobis res erit.

Princeps

Princeps ſubditorum incolumitatem procurans.

EMBLEMA CXLIIII.



TITANII quoties conturbant æquora fratres,
Tum miſeros nautas anchora iacta iuuat:
Hanc pius erga homines Delphin complectitur, imis
Tutius vt poſsit figier illa vadis.
Quàm decet hæc memores geſtare inſignia Reges,
Anchora quod nautis, ſe populo eſſe ſuo.

COMMENTARII.

I. ANCHORA vtrinque hamata & erecta pingatur, cuius medium delphin, piſcis celerrimus, complectatur, eiq; quaſi circumvolutus adhæreat.

II. *Nummus Veſpaſiani.* TITVS Veſpaſianus olim mandauit excudi numiſma, cuius altera in parte ipſius Veſpaſiani facies eſſet expreſſa, cum inſcriptione nominis: in altera eſſet anchora, cuius medium delphin obuolutus complecteretur. Hoc numiſma ſe vidiſſe teſtatur Chiliadum autor, in prouerbio, *Feſtina lentè*. Id autem ſymboli nihil aliud ſibi velle affirmat, quàm illud Auguſti Cæſaris dictum, σπεῦδε βραδέως id eſt, *Feſtina lentè*.

tè.quia anchora tarditatem,delphin celeritatem aptè repræſentet. Hęc ibi multis verbis tractantur,nec malè, vt videtur. Sed noſter Alciatus, qui ab illo autore in aliquibus locis diſſentire ſolet,aliter illius numiſ-

Delphinus alligatus anchora.

matis figuram interpretatur. Nam per delphinem cum anchora, quæ aduerſus procellas & tempeſtates fabricata eſt, regem ipſum,& regium munus vult intelligi, ad quem pertinet calamitati & perturbationi ſubuenire,ſeditiones & procellas componere,& ærumnas ſubditorum depellere,pacique incumbere:idq; ex delphini natura diſcere,qui (vt ait Plinius lib. 18.) futuram tempeſtatem præſagire ſolet. Quocirca vt

Delphinus φιλάνϑρωπος.

φιλάνϑρωπος,ſi nauem ventis agitatam offenderit,tutiùs vt figatur,anchoram quaſi humano quodam inſtinctu dirigit:ſic Princeps quiſq; ſuorum maximè ſtudioſus eſſe debet,potiſſimùm verò ſæuiente tempeſtate & impetu belli, vel etiam infortunio quodam alio impendente, ne Reipub. ſtatus poſſit aliquo modo perturbari, aut etiã comminui. In ſubueniendis etiam miſeris debet Rex imitari delphini celeritatem, quæ maxima eſt,& penè incredibilis, vt refert Plinius lib. 9. cap. 8. & Ariſtoteles, & Oppianus. Cæterùm delphinum anchoræ illigatum pro inſigni & ſtemmate publico præter Veſpaſianum olim geſſerunt alij Principes & Imperatores laudatiſſimi, vt Auguſtus Cæſar, Seleucus, & Nicanor. Noſtro quoq; ſæculo Aldus Manutius, nobilis apud Venetos typographus,qua de

Anchora Thalaſſiarchi Gallici.

re eſt elegantiſſima παράϕρασις in prouerbio, *Feſtina lentè*. Gallici etiam imperij Thalaſſiarchus,quem Admiralium vocãt, hoc inſigne hodie etiamnum circumfert, vt nuper laudatus ille Philippus Chabótius. In ſcuto Vlyſſis delphinum depictum fuiſſe ſcribit Plutarchus ad finem diſputationis,qua quærit,vtra animalium plus rationis habeant,an terreſtria,an aquatilia.

III.

Titanij fratres.

TITANII quoties] Hoc primùm moneo,*Titanij* hic triſyllabum eſſe, nam duo ij.coeunt in vnum per ſynæreſin. Dicuntur autem Titanij fratres venti,à Titane auo: fuit enim Aurora Titanis filia, quæ miſta fratri Aſtræo peperit illi ventos, gigantes robuſtiſſimos, autore Heſiodo in Theogon.& Apollodoro lib. 1. Bibliothec. Hinc Brixianus Pylades lib. 2. Theogon. ſic ait:

Aurora Aſtræo peperit Titania fratri
Aſtraã Ventos,qui freta longa premũt.

Vnde etiam eoſdem Aſtræos fratres appellat Ouidius 14. Metamorph.

Aeraq; & tumidũ ſubitu cõcurſibus æquor
Aſtræi turbant, & eunt in prælia fratres.

Tum miſeros nautas] Epitheton conueniens,vt illud eſt Lucani lib. 8.

——miſeroſq; fallentia nautas
Sidera non ſequimur.

Ortographia anchora.

Anchora iacta] Nautæ anxij ad anchoram confugiunt. Solent quidam dubitare, ſcribendumne ſit *anchora*, cum aſpiratione,an *ancora*. Quo pacto ſcribas,meo iudicio,parui refert: ſi enim autoritatem *Val.* Probi ſequaris,ſine aſpiratione ſcribes, *ille* enim dicit,tria tantum nomina Latina poſt *c* aſpirationem habere,*Lurcho*,*Pulcher*,*Orchus*. Cui videtur adſtipulari Græcum ἄγκυρα. quod ſine aſpiratione profertur. Vſus tamen ſecus ſuadet.

Pius erga homines Delphin] φιλάνϑρωπος. id eſt, *amicus hominum*. De pietate delphini in homines plura diximus Emblem. 90. quibus adiungo, delphinum ob

Delphini natura.

amorem in hominem eſſe capitalem crocodili hoſtem,quo non eſt aliud infeſtius animal hominibus. Inſuper in delphino magna eſt charitas erga filios, quos etiam adultos diu comitatur. Autor eſt Ariſtoteles lib. 5. de hiſtor. anim. Sic rex animo paterno eſſe debet in ſuos,alioqui nõ eſt rex, ſed tyrannus, vt in Politicis docet idem Ariſtoteles.

Tutius vt poſſit] vt firmiùs & ſecuriùs figi poſſit vadis pelagi. Nam anchora per metaphoram pro refugio & ſecuritate ponitur. Vide prouerbium, *Anchora domus.*

Anchora quid.

Anchora quod nautis] Anchora ſymbolum boni principis,quo ſui in ſubditos officij admoneatur. Vide prouerbium, *Anchoram ſacram ſoluere*. Fuit autem anchora præſidij & ſalutis typus. Pierius lib. 45. Hierogl. Ad gloriam & felicitatem retulit Pindarus 6. Iſthmiorum: Si quis, inquit, hominum ſumptu & labore diuinas virtutes exequitur, Deus illi amabilem gloriam præſtat. & ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν ϑεότιμος ἐών. Id eſt: *Felicitatis iacit anchoram diuino honore auctus*. Quid ſi huc reuocemus aureũ Plutarchi monitum è vita Solonis: quo loco dicit; Senatu velut anchora firmari ciuitatem. Memini & Euripidem in Hecuba, Polydorum gentis familiæque ſuæ anchoram nominare, ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρα,

ἐμῶν

ἡμῶν. qui iam ſolus generis ſupereſt anchora noſtri. Ariſtides oratione Panathenaica prima, dicit Græcos omnes vbi viſos fuiſſe in portu quodam duabus nixos anchoris, quaſi gemino fultos præſidio. Refer huc adagium, *Anchoris duabus fultus*.

IV. PRAECLARA præſenti Emblemate continetur γνώμη, *Princeps ſubditorum incolumitatem procurans*. quæ ſimilis mihi videtur ſententiæ Marcellini Ammiani, qui 29. lib grauiter pronunciauit, Imperiũ curam eſſe ſalutis alienæ. Principes enim debent habere perſpectum, ſe ſibi minimè natos eſſe, ſed ad publicam omnium quietem. Quadrat huc optimè illud Xenophõtis è 3. ἀπομνημον. vbi facit Socratem diſputantem cum Dionyſiodoro: Quam ob cauſſam, inquit, Homerus appellat Agamemnonem ποιμένα λαῶν, niſi quòd vt paſtor ſuarum ouium curam habere debet, quo habeant, quæ ſunt ad victum neceſſaria, ſic etiam Principem curare eſt neceſſe, quæ populo expediant. Non enim tantùm laudatur Agamemnon vt κρατερὸς αἰχμητὴς, ſed maximè vt βασιλεὺς ἀγαθὸς, qui non ſe modo bene regeret, ſed etiam ſuis felicitatis cauſa eſſet. καὶ γὰρ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον, εὖ πράττωσι. *Rex non eligitur vt ſui curam habeat, ſed vt per ipſum, qui eum elegerunt, in felicitate viuant.* Huic ſimile eſt illud ex Spartiano, ſæpenumero in concione & ſenatu dixiſſe Cæſarem Adrianum, ita ſe Remp. geſturum, vt ſciret populi rem eſſe, non propriam. Et Capitolin. Antonino Pio: Huius primum hoc fertur, quod cùm ab vxore argueretur, quaſi ſuis parum relicturus, dixit, Stulta, poſtquam ad imperium tranſiuimus, & illud, quod habuimus antè, perdidimus. Elogium & hoc veridicũ Traiani ex Plinio lib. 3. epiſt. 20. Sunt quidem cũcta ſub vnius arbitrio, qui pro vtilitate communi ſolus omnium curas, laboresque ſuſcepit. Idem panegyrico magnificentius: Bona conſcientia principatum ſibi delatum acceptat, qui nõ niſi animo ſeruandi illud accepit, & quem ipſius Reip. vtilitas & vox ad illud arceſſit, non ſua. Idem ibidem: Quod precatus es, vt illa ipſa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eueniret nobis, Reipub. nonne tibi tale eſt, vt nos hunc ordinem votorum cõmittere debeamus: Deos denique obſecrare, vt omnia quæ facis, quæq; facies proſperè cedant tibi, Reipub. nobis: vel ſi breuius ſit optãdum, vt vni tibi, in quo & Reſpub. & nos ſimus. Cicero 8. Philipp. O dij immortales, quàm magnum eſt perſonam in Repub. tueri principis, quæ non animis ſolùm debet, ſed etiam oculis ſeruire ciuium? Illud Iſocrateum perplacet ad Nicoclem, regem Cypriorum: ἡγούμενος γε δεῖν οὐκ ἕνα τῶν πολλῶν, ἀλλὰ πολλῶν ὄντα τύραννον, μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν τοῖς ἄλλοις, μηδὲ τὰ σπουδαῖα τῶν πραγμάτων, μηδὲ τοὺς εὐφρονοῦντας τῶν ἀνθρώπων, ταῖς ἡδοναῖς ἀνακρίνειν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν πράξεων τῶν χρησίμων αὐτοῖς δοκιμάζειν. *Oportet exiſtimes te non vnum ex multis, ſed multorum principem exiſtentem, non tuam ipſius habere mentem cum alijs*, (id eſt, aliorum inſeruire affectibus debere) *neq; honeſta conſilia, neq; rectè ſentientes homines voluptatibus æſtimare, ſed vtilibus actionibus probare.* Coronidis loco adduco Epaminondæ Regis exemplum, qui cùm Thebani diem feſtum agerent, omnibusq; libidinibus & compotationibus indulgerent, factus eſt cuidam è familiaribus obuius, ſqualidus & cogitabundus. Admirante illo, rogante que quid tandem eſſet rei, quod ſolus ad eum affectus modum obambularet? Vt vobis, inquit, omnibus ebrijs ac ſocordibus eſſe liceat. Innuens tum maximè vigilãdum eſſe principi, quando populus maximè indulget genio. Nunc à principe ad ſenatum appellamus.

Præclarus Xenophontis locus.

Plinij Secundi locus.

Iſocratis locus.

Epaminõda exemplum.

In

tè.quia anchora tarditatem,delphin celeritatem aptè repræſentet. Hęc ibi multis verbis tractantur,nec malè, vt videtur. Sed noſter Alciatus, qui ab illo autore in aliquibus locis diſſentire ſolet,aliter illius numiſmatis figuram interpretatur. Nam per delphinem cum anchora, quæ aduerſus procellas & tempeſtates fabricata eſt, regem ipſum,& regium munus vult intelligi, ad quem pertinet calamitati & perturbationi ſubuenire,ſeditiones & procellas componere,& ærumnas ſub litorum depellere,pacique incumbere:idq; ex delphini natura diſcere,qui (vt ait Plinius lib. 18.) futuram tempeſtatem præſagire ſolet. Quocirca vt φιλάνθρωπος,ſi nauem ventis agitatam offenderit,tutiùs vt figatur,anchoram quaſi humano quodam inſtinctu dirigit:ſic Princeps quiſq; ſuorum maximè ſtudioſus eſſe debet,potiſſimùm verò ſæuiente tempeſtate & impetu belli, vel etiam infortunio quodam alio impendente, ne Reipub. ſtatus poſſit aliquo modo perturbari, aut etiã comminui. In ſubueniendis etiam miſeris debet Rex imitari delphini celeritatem, quæ maxima eſt,& penè incredibilis, vt refert Plinius lib.9. cap. 8. & Ariſtoteles, & Oppianus. Cæterùm delphinum anchoræ illigatum pro inſigni & ſtemmate publico præter Veſpaſianum olim geſſerunt alij Principes & Imperatores laudatiſſimi, vt Auguſtus Cæſar, Seleucus, & Nicanor. Noſtro quoq; ſæculo Aldus Manutius, nobilis apud Venetos typographus,qua de re eſt elegantiſſima παρέκβασις in prouerbio, *Feſtina lentè*. Gallici etiam imperij Thalaſſiarchus,quem Admiralium vocãt, hoc inſigne hodie etiamnum circumfert, vt nuper laudatus ille Philippus Chabotius. In ſcuto Vlyſſis delphinum depictum fuiſſe ſcribit Plutarchus ad finem diſputationis,qua quærit,vtra animalium plus rationis habeant,an terreſtria,an aquatilia.

Delphinus alligatus anchoræ.

Delphinus φιλάνθρωπος.

Anchora Thalaſſiarchi Gallici.

III. *Titanij fratres.*

TITANII quoties] Hoc primùm moneo,*Titanij* hic triſyllabum eſſe, nam duo ij,coeunt in vnum per ſynæreſin. Dicuntur autem Titanij fratres venti,à Titane auo: fuit enim Aurora Titanis filia, quæ miſta fratri Aſtræo peperit illi ventos, gigantes robuſtiſſimos, autore Heſiodo in Theogon. & Apollodoro lib.1.Bibliothec. Hinc Brixianus Pylades lib. 2. Theogon. ſic ait:

Aurora Aſtræo peperit Titania fratri
Aſtræã & vẽtos,qui freta longa premũt.

Vnde etiam eoſdem Aſtræos fratres appellat Ouidius 14. Metamorph.

Aeraq; & tumidũ ſubitis cõcurſibus æquor
Aſtræi turbant, & eunt in prælia fratres.

Tum miſeros nautas] Epitheton conueniens,vt illud eſt Lucani lib.8.

——miſeroſq; fallentia nautas
Sidera non ſequimur.

Anchora iacta] Nautæ anxij ad anchoram confugiunt. Solent quidam dubitare, ſcribendumne ſit *anchora*, cum aſpiratione,an *ancora*. Quo pacto ſcribas,meo iudicio,parui refert: ſi enim autoritatem Val. Probi ſequaris,ſine aſpiratione ſcribes, ille enim dicit,tria tantum nomina Latina poſt c aſpirationem habere,*Lurcho*,*Pulcher*,*Orchus*. Cui videtur adſtipulari Græcum ἄγκυρα quod ſine aſpiratione profertur. Vſus tamen ſecus ſuadet.

Ortographia anchoræ.

Pius erga homines Delphin] φιλάνθρωπος id eſt, *amicus hominum*. De pietate delphini in homines plura diximus Emblem.90. quibus adiungo, delphinum ob amorem in hominem eſſe capitalem crocodili hoſtem,quo non eſt aliud infeſtius animal hominibus. Inſuper in delphino magna eſt charitas erga filios, quos etiam adultos diu comitatur. Autor eſt Ariſtoteles lib.5.de hiſtor.anim. Sic rex animo paterno eſſe debet in ſuos,alioqui nõ eſt rex, ſed tyrannus,vt in Politicis docet idem Ariſtoteles.

Delphini natura.

Tutius vt poſſit] vt firmiùs & ſecuriùs figi poſſit vadis pelagi. Nam anchora per metaphoram pro refugio & ſecuritate ponitur. Vide prouerbium, *Anchora domus.*

Anchora quod nautis] Anchora ſymbolum boni principis,quo ſui in ſubditos officij admoneatur. Vide prouerbium, *Anchoram ſacram ſoluere*. Fuit autem anchora præſidij & ſalutis typus. Pierius lib. 45. Hierogl. Ad gloriam & felicitatem retulit Pindarus 6. Iſthmiorum: Si quis, inquit, hominum ſumptu & labore diuinas virtutes exequitur, Deus illi amabilem gloriam præſtat. & ἤδη πρὸς ὄλβου βάλλετ' ἄγκυραν θεότιμος ἐών. id eſt: *Felicitatis iacit anchoram diuinò honore auctus.* Quid ſi huc reuocemus ad rem Plutarchi monitum è vita Solonis: quo loco dicit; Senatu velut anchora firmari ciuitatem. Memini & Euripidem in Hecuba, Polydorum gentis familiæque ſuæ anchoram nominare, ὃς μόνος οἴκων ἄγκυρά τ',

Anchora quid.

ἐμῶν

ἡμῶν. qui iam ſolus generis ſupereſt anchora noſtri. Ariſtides oratione Panathenaica prima, dicit Græcos omnes vbi viſos fuiſſe in portu quodam duabus nixos anchoris, quaſi gemino fultos præſidio. Refer huc adagium, *Anchoris duabus fultus*.

IV. PRAECLARA præſenti Emblemate continetur γνώμη, *Princeps ſubditorum incolumitatem procurans*. quæ ſimilis mihi videtur ſententiæ Marcellini Ammiani, qui 29. lib grauiter pronunciauit, Imperiū curam eſſe ſalutis alienæ. Principes enim debent habere perſpectum, ſe ſibi minimè natos eſſe, ſed ad publicam omnium quietem. Quadrat huc optimè illud Xenophōtis è 3. ἀπομνημον. vbi facit Socratem diſputantem cum Dionyſiodoro: Quam ob cauſſam, inquit, Homerus appellat Agamemnonem ποιμένα λαῶν, niſi quòd vt paſtor ſuarum ouium curam habere debet, quo habeant, quæ ſunt ad victum neceſſaria, ſic etiam Principem curare eſt neceſſe, quæ populo expediant. Non enim tantùm laudatur Agamemnon vt κρατερὸς αἰχμητὴς, ſed maximè vt βασιλεὺς ἀγαθὸς, qui non ſe modo bene regeret, ſed etiam ſuis felicitatis cauſa eſſet. καὶ γὰρ βασιλεὺς αἱρεῖται, οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελεῖται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον, εὖ πράττωσι. *Rex non eligitur vt ſui curam habeat, ſed vt per ipſum, qui eum elegerunt, in felicitate viuant.* Huic ſimile eſt illud ex Spartiano, ſæpenumero in concione & ſenatu dixiſſe Cæſarem Adrianum, ita ſe Remp. geſturum, vt ſciret populi rem eſſe, non propriam. Et Capitolin. Antonino Pio: Huius primum hoc fertur, quod cùm ab vxore argueretur, quaſi ſuis parum relicturus, dixit, Stulta, poſtquam ad imperium tranſiuimus, & illud, quod habuimus antè, perdidimus. Elogium & hoc veridicū Traiani ex Plinio lib. 3. epiſt. 20. Sunt quidem cūcta ſub vnius arbitrio, qui pro vtilitate communi ſolus omnium curas, laboresque ſuſcepit. Idem panegyrico magnificentius: Bona conſcientia principatum ſibi delatum acceptat, qui nō niſi animo ſeruandi illud accepit, & quem ipſius Reip. vtilitas & vox ad illud arceſſit, non ſua. Idem ibidem: Quod precatus es, vt illa ipſa ordinatio comitiorum bene ac feliciter eueniret nobis, Reipub. nonne tibi tale eſt, vt nos hunc ordinem votorum cōmittere debeamus: Deos denique obſecrare, vt omnia quæ facis, quæq; facies proſperè cedant tibi, Reipub. nobis: vel ſi breuius ſit optādum, vt vni tibi, in quo & Reſpub. & nos ſimus. Cicero 8. Philipp. O dij immortales, quàm magnum eſt perſonam in Repub. tueri principis, quæ non animis ſolùm debet, ſed etiam oculis ſeruire ciuium? Illud Iſocrateum perplacet ad Nicoclem, regem Cypriorum: ἡγούμενος γὲ δεῖν οὐχ ἕνα τῶν πολλῶν, ἀλλὰ πολλῶν ὄντα τύραννον, μὴ τὴν αὐτὴν γνώμην ἔχειν τοῖς ἄλλοις, μηδὲ τὰ σπουδαῖα τῶν πραγμάτων, μηδὲ τοὺς εὐφρονοῦντας τῶν ἀνθρώπων, ταῖς ἡδοναῖς ἀνακρίνειν, ἀλλ' ἐπὶ τῶν πράξεων τῶν χρησίμων αὐτοῖς δοκιμάζειν. *Oportet existimes te non vnum ex multis, ſed multorum principem exiſtentem, non tuam ipſius habere mentem cum alijs*, (id eſt, aliorum inſeruire affectibus debere) *neq; honeſta conſilia, neq; rectè ſentientes homines voluptatibus æſtimare, ſed vtilibus actionibus probare.* Coronidis loco adduco Epaminondæ Regis exemplum, qui cùm Thebani diem feſtum agerent, omnibusq; libidinibus & compotationibus indulgerent, factus eſt cuidam è familiaribus obuius, ſqualidus & cogitabundus. Admirante illo, rogantéque quid tandem eſſet rei, quod ſolus ad eum affectus modum obambularet? Vt vobis, inquit, omnibus ebrijs ac ſocordibus eſſe liceat. Innuens tum maximè vigilādum eſſe principi, quando populus maximè indulget genio. Nunc à principe ad ſenatum appellamus.

Præclarus Xenophontis locus.

Plinij Secundi locus.

Iſocratis locus.

Epaminōdæ exemplum.

In Senatum boni Principis.

EMBLEMA CXLV.



DIALOGISMVS.

EFFIGIES manibus truncæ ante altaria diuum
Hic reſident, quarum lumine capta prior.
Signa poteſtatis ſummæ, ſanctiq; Senatus
Thebanis fuerant iſta reperta viris.
Cur reſident? Quia mente graues decet eſſe quieta
Iuridicos, animo nec variare leui.
Cur ſine ſunt manibus? Capiant ne xenia, nec ſe
Pollicitis flecti muneribusuè ſinant.
Cæcus at eſt Princeps: quòd ſolis auribus, abſque
Affectu, conſtans iuſſa Senatus agit.

COMMENTARII.

I. CONSILIARIORVM cętus togatus aſſidet vtrinq; regi in ſolio locato,quorum manus ambæ abſciſſæ ſunt, ipſe verò rex captus oculis effingendus eſt. Sed noſter pictor iuſſus effingere principem cæcum, videtur cælatori anſam præbuiſſe, vt videntem exprimeret, & conſiliarios cæcos.

II. *Fons Emblematis.* ID agalma iudicum Thebanorum è varijs auctoribus peti poſſe ſcio. Certè Plutarchus attigit libro de Iſide & Oſiride: quod idem Sermone 44. Stobæus retulit ex eodem Plutarcho: his verbis: *ἐν Θήβαις εἰκόνες εἰσὶν ἀνακείμεναι δικαστῶν ἄχειρες, ἡ δὲ τοῦ ἀρχιδικαστοῦ μύουσα τοῖς ὄμμασιν, ὡς ἄδωρον ἅμα τὴν δικαιοσύνην καὶ ἀνέντευκτον οὖσαν.* id eſt: *Thebis imagines conſpiciuntur Iudicum manibus carentes: at ſummi Iudicis imago conniuet oculis: eo quòd iuſtitia nec muneribus capi, nec hominum vultu flecti debeat.* Alciatus ipſe Oratione quadam in laudē Iuris *Locus ex oratione Alciati.* ciuilis hæc ait: Chryſippus Iuſtitiæ imaginem ita expreſſit, vt puellari virginis forma, aſpectu vehementi, luminibus oculorum acerrimis conſpiceretur, quòd videlicet iudicem incorrupto eſſe iudicio, ſanctum, ſeuerum, contra improbos inexorabilem, vi ac maieſtate æquitatis, veritatisq; terrificum eſſe oporteat. Quapropter memoriæ eſt traditum, magiſtratuum ſtatuas à Thebanis ita ſolere formari, vt ſine manibus eſſent: Principum verò clauſis oculis, nimirum eam iuſtitiæ naturam eſſe oſtēdentes, vt incorrupta ſit, nec pretio precibusve, aut alienæ vlli voluptati cedat. Nō verebor in vſum rapere meum, quæ retulit auctor induſtrius, multæque lectionis, Alexander ab Alexand. lib. 3. Thebani, inquit, vt incorruptam iuſtitiam ſignarent, nec variari gratia, Iudicum imagines ſine manibus, Principis verò ſine oculis in foro propoſuere, vt ſignis oſtenderent, Iudices affectibus capi non oportere; cauſſaq; definitā damnatos vndecimuiris pœnis afficiendos tradebant. Huius rei quoq; mentio fit in adagio, *Scarabæus aquilā quærit*. Nunc ſingula fuſius explicemus.

III. *EFFIGIES manibus truncæ*] ſimulacra manibus truncatis.

Ante altaria diuum] ſacris in ędibus, in templis Deorum.

Lumine capta prior] prima effigies, quę Principis eſt, oculis caret.

Signa poteſtatis ſummæ] ſymbola conſeſſus optimi Principis, & integerrimi Senatus.

Thebanis fuerant] inuentum fuit virorum prudentiſſimorum ex ciuitate Thebarum in Græcia.

Cur reſident?] Conſtat ex veteribus iudices ſedere ſolitos, cum quid ſtatuendum eſſet, vt clarè iuribus expreſſum eſt. c. fin. de re iudic. lib. 6. l qui pro tribunali. ff. eod. tit. Ita etiam Iuſtinianus Nouella 8. De iudicibus: Sedebunt autem, ait, hi pedanei iudices continuè, & nunc in regia baſilica, in quibus & tunc domunculis iudicant. &c. *Iudices cur ſedeant.* Idem in Nouella, vt ab illuſtrib. & qui ſuper eam dignit. Secundum quod, ait, datū eſt eis ſuper hoc priuilegium, ne cogantur aut ſedere cùm iudicibus cum iudicant, aut ſtare rurſus tanquam litigantes. Martianus lib. 7. ff. Quod met. cauſ. Confeſtim autem pro tribunali te ſedentem adijt. Sic in l. 2. ff. Ad ſenat. Tertyll. ſedere dicitur Prætor: Confeſtim autem ſic erit accipiendum, vbi primùm potuit, id eſt, Prætoris copiam habuit huic rei ſedentis. Et in l. 7. ff. de in integ. reſtit. Confeſtim autem pro tribunali te ſedente adijt. Bonifacius in c. fin. De ſentent. & re iudic. in 6. Sententia, ait, quam ſcriptam edi, a iudice litigatoribus non recitati, vel quam ab ipſo ſtando, non ſedendo proferri contingit, nullius penitus eſt momenti. Gellius lib. 7. De Scipione: Et quodam die, ait, ius in caſtris ſedens dicebat. Plin. lib. 5. epiſt. Sedebant iudices, centumviri venerant, obſeruabant aduocati ſilentium longum, &c. Cicero pro Rabirio: Accuſaui de pecunijs repetundis, index ſedi. Idem ibidem: Modò vos ijdem in A. Gabinium iudices ſediſtis. Apuleius Apolog. 1. Quod ſi modò iudices de cauſa iſta ſederent C. Fabricius, &c. Proper. lib. 3.

Minos ſedet arbiter Orci.

Idem libro 4.

——poſita iudex ſedet Æacus vrna.

Sedent autem vel ideo iudices, quia eos graues, quietos, & conſtantes eſſe oportet, nec *Sedere quid habeat myſterij.* facilè commoueri, vt habetur apud Iuriſconſultos in l. obſeruandum. ff. de offic. pręſid. Hinc Plautus in Moſtellaria:

Nimio plus ſapio ſedens.

Suffra-

Suffragantur quoq; ſacræ literæ, vt Exodi 18. Sedit Moyſes vt iudicaret populum, qui ei aſſiſtebat à mane vſq; ad veſperam. Cui dixit Ietro: Cur ſolus ſedes, & omnis populus præſtolatur? &c. Et ex verbis Dauid dicentis: Ex omnibus autem filijs meis elegit Dominus Salomonem, vt ſederet in throno regni, &c. 1. Paralip. 28. Quin & nouo Inſtrumento, dicente Chriſto Apoſtolis ſuis: In regeneratione cum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Iſrael. De re enim magni momenti conſulturos oportet eſſe animo ſedato & benè compoſito, talis autem magis eſſe poteſt, cum etiam corpus eſt quietum. Cicero ad finem proœmij Dialogi De claris Orat. Sed quo, inquit, facilius ſermo explicetur, ſedentes, ſi videtur, agamus. Cum idem placuiſſet illis, tum in propatulo conſedimus. Hæc ille. Perſonæ Dialogorum ſedere vel dicuntur, vel intelliguntur: Dicuntur quidem in libris Oratoris, in quæſt. Acad. in lib. De nat. Deorum, in Phædro Platonico: Intelliguntur libris De finibus quatuor, in Lælio, in Catone, & multis Platonis Dialogis. Certè M. Tullius videtur ſemper ambulare, cùm Peripateticum agit, vt 5. De finib. 1. De diuinat. 1. De legib. aliàs vt Academicum, vult ſedere, quo ſignificet aliquid ſtabilius diſſeri.

Quia mente graues] Ariſtoteles in lib. 4. de morib. deſcribens magnanimum, inter alia, hæc addit: Inceſſus etiam magni viri tardus ſit neceſſe eſt, vox grauis, conſtans, & firma oratio. Nec enim aut feſtinat is, qui paucis rebus ſtudet; aut vehemens eſt, cui nihil magnum eſſe videatur. Huc illa Calliſtrati verba aptanda, quæ habentur l. 19. ff. de offic. Præſid. Sed & in cognoſcendo ait, neque excandeſcere aduerſus eos, quos malos putat, neq; in precibus calamitoſorum lacrymari oportet. Id enim non eſt conſtantis & recti iudicis, cuius animi motum vultus detegit. Hæc ille.

Affectus ſedati in iudicibus.

Cur ſine ſunt manibus?] ne videlicet ius dicentes vel ſenatores munera accipiant, ſeuè donis aut promiſſis quoquo modo corrumpi patiantur. Etenim inter leges, quas Dominus in Exodo præſcribit iudicibus, hæc etiam refertur: Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum. Et in Deuteronomio iterum ſic iudices monet: Non accipies perſonam nec munera, quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum. Xenia & dona (inquit Eccleſiaſticus) excæcant oculos iudicum, & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum. Quod etiam iure ciuili, legibus, & grauiſſimis hodie prohibetur pœnis, vt in l. plebiſcito, ff. de officio præſid. vbi vetatur, ne præſes munus donumvè capere, niſi eſculentum, poculentumq; quod intra dies proximos prodigatur. Et grauius Authent. ſcriptum eſt exemplar. §. quapropter, in fin. coll. 2. Imò is etiam, qui rectè quidem iudicat, præmium verò remunerationis vel ſolùm expectat, fraudem in Deum perpetrat; vt eleganti ſſimè in c. qui rectè, & cap. non licet, 21. q. 3. l. venales. C. quando prouoc. non eſt neceſ. Apud Gratianum ſic: Citò vulneratur auro iuſtitia, nullamq; reus culpam pertimeſcit, quam redimere nummis exiſtimat. Pauper dum nihil habet, quod offerat in iudicio, non ſolùm contemnitur, ſed etiam aduerſus veritatē opprimitur, 1. q. 3.

Munera non dent accipi à iudicibus.

Vel prece, vel pretio malè verum examinat omnis
Corruptus iudex. ——

ait ille. Refert Plinius 8. Epiſt. Iulium Baſſum accuſatum repetundarum, quòd in Bithynia quædam munera ab amicis prouincialibus accepiſſet. Lex enim dona & munera à magiſtratibus accipi, imò verò & quid emi vetat, niſi victus quotidiani cauſſa. Hoc tamen addamus licet: Non in totum xenijs abſtinere debet proconſul, (ait Vlpian. in l. 6. ff. de offic. proconſ.) ſed modum adijcere: vt neq; moroſè in totū abſtineat, neq; auarè modum xeniorum excedat; qua de re verba hæc ſunt Seueri & Antonini: Quantùm ad xenia pertinet, audi quid ſentimus. Vetus prouerbium eſt: οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων. Nam valdè inhumanum eſt à nemine accipere, ſed paſſim viliſſimum eſt, & per omnia auariſſimum, &c. Qua ratione Plin. epiſtol. 5. ad Seuerianum, ait, in cauſis agendis & exercendis iudicijs nón modò pactione, dono, munere, verùm etiam xenijs ſe ſemper abſtinuiſſe; vbi rectè ſubijcit, oportere quæ ſunt inhoneſta, parumque decora, non quaſi illicita, ſed quaſi pudenda vitare. Sic Spartian. tradit Peſcennium Nigrum ſalaria iudicibus è publico dari voluiſſe, ne cui eſſent oneri: adieciſſeq; iudicem nec dare debere, nec accipere. Vide ſis

Iudex quomodo xenia accipiat.

que-

Xenia.

quæ hac ſuper re Emblem. 31. dicta ſunt.

Capiant ne xenia] Xenia propriè ſunt munera hoſpitalitatis, nam ξένος, *hoſpes* eſt, ſiue peregrinus. Sed iam vſu venit, vt pro quocunq; munere accipiatur.

Cæcus cur debeat eſſe præſes.

Cæcus at eſt Princeps] Oculus in Hieroglyph. pro gratia, ſeu, vt ita dicam, fauore vſurpatur, vt tradit lib. 33. Pierius. Non eſt quòd ſuſpicionibus aut coniecturis aliquid vſpiam tribuat ipſe iudex, nec litigantium verbis hæreat, ſed probationibus manifeſtis veritatem inueſtiget. Quod eleganti complexus eſt monoſticho Poeta neſcio quis:

μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Ne de lite pronuncies, niſi vtramq; partem prius audieris.

Decretum id dicitur propriè quod cauſa cognita pronunciatur à iudice: nec enim decretum dici poteſt, niſi vtraque audita parte. Tertullianus Apologetico: Reſpondendi, altercandiq́; poteſtas patet, quando nec liceat inauditos & indefenſos omninò damnari. Huic conuenit l. 1. C. de condem. reis: & veterum conſuetudo, qui reos nõ niſi auditos condemnabant, quoniã qui auditi non eſſent, pro indemnatis habebantur, ex Lycurgi legibus; vt tradit Valer. Max. cap. De ſapienter dictis & factis. Tritum illud è Solonis elegijs:

ἄρχων ἄκυε καὶ δικαίων κ' ἀδίκων.

Magiſtratum gerens audi & iuſta & iniuſta.

Tullius ad Q. fratrem epiſt. 1. Conſtantia eſt adhibenda & grauitas, quæ reſiſtat non ſolum gratiæ, verùm etiam ſuſpicioni. Vlpianus IC. ijſdem inſiſtens veſtigijs, l. generaliter 24. ff. de fideicommiſſ. libertat. Ne aliquam, ait, ambitionis vel gratiæ ſuſpicionem Prætor habeat. Plinius Secundus 6. Epiſt, 2. Primùm religioni ſuæ iudex debet patientiam, quæ magna pars iuſtitiæ eſt. Succurrit laudata illa Hieronymi admonitio: Alienum te à perſonis omnium redde iudicio, ac propter iuſtitiam in iudicio pauperem non defendas, nec propter gratiam diuiti indecenter aſſiſtas; aut ſi nõ potes facere, cognitionem reſpue cauſarũ. Memini me legere Athenienſes iudicia de cędibus habituros, ad Areopagum, Martis vicum, ire noctu ſolitos: ijſq; qui cauſas dicerent, affectibus abſtinendum fuiſſe teſtatus Iſocrates Areopagitico. Nolebant enim iudices miſerabilium perſonarum intuitu, vocisq; lenocinio, quod magnas ad flectendum, perturbandumq; vires habet, commoueri. Longè alia Romanorum conſuetudo fuit, qui quocunque modo iudices ad iracundiam vel miſericordiam flectebant: quod Cicero facere ſolet in perorationibus. Celebre eſt exemplum Sergij Galbæ, qui reus à Libone tribuno pleb. accuſatus, quòd prætor contra fidem Luſitanos quoſdam interfeciſſet, cum nihil haberet, quo ſe purgaret, paruos ſuos liberos flens commendare cœpit: quo facto ita iudices permouit, vt nihil in eum grauius ſtatuerint. Hanc rationem producendi reorum liberos Fabius lib. 6. cap. 2. memorat, vt & Valer. Max. 8. cap. 1. eamq́; ter vſurpatam memini à M. Tullio, nempe pro Flacco, pro Sylla, pro Seſtio. Idem in Planciana ſic: Non opibus contendo, non auctoritate, non gratia, ſed precibus, ſed lacrymis, ſed miſericordia, mecumq́; vos ſimul miſerrimus & optimus obteſtatur parens: & pro vno filio duo patres deprecamur. Pro Fonteio: Tendit ad vos virgo Veſtalis manus ſupplices eaſdem, quas pro vobis Dijs immortalibus tendere conſueuit: cauete ne periculoſum ſuperbumq; ſit, eius vos obſecrationem repudiare, cuius preces ſi Dij aſpernarentur, hæc ſalua eſſe non poſſent. Quibus ex locis intelligimus, quàm graues ille motuum faces admoueat, vt iudicum animos ad lenitatem & miſericordiã impellat.

Romanorũ ſtudiũ in iudicibus flectendis.

IV.

EPIGRAMMA ſe ipſum ſatis clarè explicat, & nos iam multa de eius intentione diximus; ſed reſtant adhuc quædam circa officium iudicum & ſenatorum admonenda. Et in primis legibus diuinis & humanis iudices à muneribus capiundis abſtinere debent; eſt enim oblatio munerum tinea regiminis, vt inquit Caſſiodorus. Idcirco hic truncis manibus pinguntur: quod non prætermiſit Pierius lib. 35. Hieroglyph. Adhæc omnes ſedent, quòd animus eorum debeat eſſe optimè compoſitus, nec hinc atq; hinc flecti, quod eſt leuitatis: ſedendo etenim & quieſcendo fit anima prudens, ait Philoſophus. Euſtathius ad Iliad. ζ. notat ſtatuas Mineruæ olim omnes ſedentis ſpecie fieri ſolitas. Interdum enim ſedere, idem eſt quod conſilium capere, vt apud Plautum is, qui nimio plus ſapere ſe ſedentem aſſerit. Vulgatumque eſt illud,

Cur ſedeant iudices.

Sedere pro cõſultare.

Roma-

Conſiliarij Principum.

EMBLEMA CXLVI.



HEROVM genitos, & magnum fertur Achillem
In ſtabulis Chiron erudijſſe ſuis.
Semiferum doctorem, & ſemivirum Centaurum,
Aſsideat quiſquis Regibus, eſſe decet.
Eſt fera, dum violat ſocios, dum proterit hoſtes:
Eſtq; homo, dum ſimulat ſe populo eſſe pium.

COMMENTARII.

I.] CHIRON Centaurus ſuperiore ſui parte homo, equus inferiore, ſepoſitis arcu & pharetra, ferula armatus pueros aliquos docet. Pictor noſter Cẽtanro aliud monſtrum addidit, nempe equo vngulas bifidas.

II. *Chiron ...gus.* CHIRON ex Saturno & Phillyra Oceani filia natus fertur. Nam vt autor eſt Seruius in 3. Georg. dum Saturnus cum amica Phillyra in inſula Phillyreide coiret, Rhea vxor eius ſuperuenit cuius præſentiam veritus ſe in equum conuertit: exinde natus eſt Chiron, ab vmbilico ſuperiores partes corporis habens hominis, inferiores equi, vt teſtatur Apollonius lib. 2. Lactantius tamen ex Pelopæa eum conceptum eſſe dicit; Suidas Chironem vnà cũ reliquis Centauris Ixionis filium eſſe cenſet.

ſet. Hic cum adoleuiſſet in ſiluas abijt, primusq; vires herbarum obſeruauit, vt auctor eſt Plinius lib. 7. cap. 56. A quo etiam nomen accepit herba centaurea, quæ & Chironion, de qua videatur Plinius lib. 25. cap. 6. Ruellius lib. 3. cap. 6. & 7. Malthiolus, & alij Præter cognitionem herbarum, rerumque cœleſtium fertur Chiron mirificè fuiſſe citharæ pulſandæ peritus: qua etiam ratione nonnullos morbos ſedauit, vt ait Staphylus lib. 3. rerum Theſſalic. & Boetius in Muſica. Apud hunc cùm aliquando Hercules diuerteret, illeq; Herculis ſagittas veneno hydræ Lernææ illitas tractaret, ſimulque miraretur, quòd tam breuibus ſagittis tam magna Centaurorũ corpora interirent, vna illarum in pedem eius cecidit: qui dolore vulneris diu diſcruciatus, cùm natus eſſet ex immortali patre, mori non poterat. Quare Deos precatus eſt, vt ſibi mortali eſſe liceret, vt teſtatur Acuſilaus, & Cratinus, qui huius argumenti actum compoſuit. Id verò cum Iouis commiſeratione obtinuiſſet, inter ſidera fuit relatus, & in illud ſignum Zodiaci conuerſus, quod nunc etiam à ſagitta illa nomen retinet, atq; ita formatur, vt videatur ſagittam è vulnere extractam oſtentare. Hæc magna ex parte ex Hygino. Ouidius in 5. Faſtor. idem proſequitur, ſed latiùs & elegantius. Vnde mirari poſſis Zenodotum, & Chiliadum autorem in Prouerbio, *Chironium vulnus*. qui ſcripſerunt Chironem cum cæteris Centauris, quibuſcum Hercules præliatus eſt, interijſſe. Hic itaq; Chiron non modò Centauros cæteros, ſed homines quoq; iuſtitia ſuperauit, quod teſtatur Euripidis Iphigenia in Aulide his verbis;

Chiron inter ſidera relatus.

ἐγὼ δ᾽ ἐν ἀνδρὸς εὐσεβεστάτου τραφεὶς
χείρωνος, ἔμαθον τοὺς τρόπους ἁπλοῦς ἔχειν
Ego viro à pio educatus ſum puer
Chirone, mores ſimplices tantùm imbibi.

Ille enim præter Aeſculapium, & alios Heroum filios, etiam Achillem inſtruxiſſe fertur, quem præter citharæ pulſandæ artem, & vſum herbarum, peritiam venandi & iaculandi, & artis medicæ, leges æquitatis & prudentiæ docuit, vt tradit Staphylus loco citato. Vt enim ait Homerus, fecit eum oratorem verborum, factorum verò rerum: id eſt,

Achilles à Chirone eruditus.

—— διδασκέμεναι τάδε πάντα
μύθων τε ῥητῆρ᾽ ἔμεναι, πρηκτῆρα τε
ἔργων.

Id quod etiam ab ipſo Alciato explicatum eſt lib. 9. Parergon, cap. 13. his omninò verbis: In Græcis auctoribus annotaui, à Chirone Centauro Achillem, aliosque Regum filios eruditos fuiſſe fingi, quòd ſoleant doctores & conſultores Principum natura quidem feri eſſe, & promptum ad aſperiora ingenium habere: humanitatem verò in ſpeciem tantùm præ ſe ferre. De Chirone porrò plura habet Statius in Achilleid. & Orpheus in Argonaut. Vide etiam Mytholog. Nat. Comitis lib. 4. cap. 12. & lib. 7. cap. 4.

HEROVM genitos] Liberos Heroum. III.
Nam præter Achillem etiam Aeſculapiũ & Iaſonem erudijt Chiron.

Magnum fertur Achillem] Magni cognomen paucis quibuſdam, & ijs illuſtribus tributum eſt, vt Alexandro, Pompeio, & alijs. Plutarchus in Pompeio. Virgil. 4. Eclog.

Magni cognomen quibus tributũ.

Atq; iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.

Ouidius 13. Metamorph.

Si mihi cum magno non ſit communis Achille.

Achilles dicitur quaſi ſine cibo, ab *ἀ* priuatiua particula, & *χιλὸς, cibus, nutrimentũ, ſuccus*. quoniam primò Achillem aluit Chiron vrſorum, leonum, aliarumq; ferarũm medullis, poſtea ei nihil ciborum porrigebat, niſi ipſe Achilles venaretur ſibi feras, quibus veſceretur. Vide in Imaginibus Philoſtrati, *Achillis cibus*. Sunt qui Euſtathio tradente, dici Achillem opinentur, quòd bello victis triſtitiam immitteret. Alij quòd Ilienſes mœrore confecerit. Hac de cauſa ſcribendum fuerat Achiles, ſimplici l, & duabus primis ſyllabis breuibus, vt eſt apud Homerum in primo verſu Iliados. Sed idem Homerus paulò inferius metri cauſa duplicauit ll, vnde obtinuit vſus, vt Achilles Græcè Ἀχιλλεὺς ſcriberetur. Non deſunt, qui ab ἄχος, quod eſt *dolor*, & λύω, *ſoluo*, à ſoluendo ſcilicet dolore nuncupatum Achillem contendãt; Medicus enim fuit, à Chirone medicinam edoctus.

Achilles vnde dictus.

In ſtabulis] in ſua quaſi ſchola. Inſeruit figmento, quòd Chiron ferinæ naturę fuerit; ferarum enim eſt in ſtabulis & antris habitare. Virg. 6. Aeneid.

Itur ad antiquam ſiluam, ſtabula alta ferarum.

Conſi-

Conſidera, an fortè reſpexerit Alciatus ad id Virgilij 6. Aeneid. qui Centauris, inter quos & Chiron, ſtabula videtur aſſignare apud inferos, dum ait:

Centauri in foribus ſtabulant, Scyllaq; biformes.

Chiron] χείρων, Latinè ſonat *deterior*. Vnde eſt iocus Diogenis apud Laertium. Nam conſpiciens Diogenes formoſum adoleſcentem ad conuiuium euntem: Chiron, inquit, redibis; id eſt, peior. At ille cùm rediſſet dixit Diogeni: Reuerſus ſum, ſed non Chiron. Cui ille: Non Chiron, ſed Eurycion. Erat autem Eurycion alius Centaurus, qui latè incedens interpretatur. Hæc ex Alciato, loco ſupra citato, qui reprehendit Chiliadum auctorem, & interpretem Laertij, quòd hunc iocum malè verterint, aut in corruptum exemplar inciderint. Eſt & apud eundem Laertium ſimilis iocus eiuſdem Diogenis, cùm enim duos Centauros inter ſe pugnantes in tabula peſſimè pictos conſpexiſſet, interrogauit: vter eorum χείρων eſſet. Viſus eſt de nomine quærere, cùm ſenſu, vter deterior eſſet, intelligeret. Quod etiam non rectè explicauit Chiliadum auctor. Alij ob peritiam Chirurgiæ, & ob lenitatem manuum in tractandis vulneribus, Chironem nominatum volunt. Eſt enim maximum ferè argumentum peritiæ Chirurgi dignoſcendæ, ſi manus habeat leuiſſimas in tractandis vulneribus.

Diogenis iocus.

Alius iocus eiuſdem.

Chiron vnde dictus.

Semiferum doctorem] qui præceptis inſtituat ſæuis & inhumanis, interdum tamẽ aliquam preſeferens humanitatem. Alluſum autem videtur ad illum verſum Ouidij:

Semibouemq; virum, ſemiuirumq; bouem.

Idem Ouidius 2. Metamorph. de Chirone loquens:

Semifer interea diuinæ ſtirpis alumno
Lætus erat.

Semiferum Centaurum.] De Centauris verò ea mihi minimè repetenda ſunt, quæ ſtudioſè tradit Palæphatus eo, quem ſcripſit, libro De non credendo fabulis. Id dũtaxat è Plinio, lib. 7. c. 56. Pugnare, inquit, ex equo, Theſſalorum inuentum eſt, qui Centauri appellati ſunt. Hinc nata fabula, quòd biformes dicantur, διφυεῖς ab Iſocrate, inferiori parte referentes equum, ſuperiore hominem. Quidam igitur putarunt inferiorem partem vſq; ad collum formã ſuiſſe equinam, & ab equino ventre pro collo ventrem & formam hominis conſurgere, totamq; conſpici ſuperiorem partem, ita vt equitantis hominis forma in faciem intuentibus videretur. Quidam putarunt poſteriores tantùm pedes fuiſſe equinos, at priores humanos, vt ait Pauſanias in Eliacis prioribus. At Lucretius lib. 5. neque hac, neque illa forma eſſe potuiſſe Centauros omninò contendit, non ſolùm quod duæ formæ tam diuerſæ ſimul eſſe non poſſint, cùm altera vigere incipiat, dũ altera ſeneſcit ac fit inualida; verùm etiam quod omnia è certis ſeminibus oriri neceſſe ſit, atque in omnibus vnam naturam excellere, cum duæ formæ diuerſæ pareſque viribus ſimul eſſe nequeant. Quare ita canit:

Centauri qui.

Forma Centaurorum.

Sed neq; Centauri fuerũt, nec tẽpore in vllo
Eſſe queunt duplici naturà, & corpore bino
Ex alienigenis membris compacta poteſtas,
Hinc illinc par vis, vt non ſit pars, eſſe potis ſit.
Id licet hinc quamuis hebeti cognoſcere corde.
Principio circum tribus actis impiger annis
Floret equus, puer haudquaquam, quin ſæpe etiam tunc
Vbera mãmarũ in ſomnis lactantia quærit.
Poſt vbi equum valida vires ætate ſenecta,
Mẽbraq; deficiunt fugienti languida vitæ;
Tum demum pueris æuo florente, iuuentas
Occipit, & molli veſtit lanugine malas:
Ne forte ex homine, & veterino ſemine equorum
Confieri credas Centauros poſſe, neq; eſſe.

Finguntur autem Centauri à Poetis Ixionis & Nubis filij; vnde etiam Nubigenæ dicti, quaſi nube geniti, eò quod caſtellum habitarint nomine Nephelem & νεφέλη nubem ſignificat. Dicuntur verò Centauri, κένταυροι, διὰ τὸ κεντεῖν τοὺς ταύρους, id eſt, *à ſtimulandis tauris*. Sic etiã ἱπποκένταυροι, *equorum ſtimulatores* Luciano nominantur, id eſt, equites, nec modò qui vehuntur equis, ſed qui ſunt aſſueti prædis: quales ſunt & aulici permulti, & alij quidam regulis vt & vicani illi præfecti, qui apud Gallos honorifico nomine Gentiles homines appellantur: ij ſunt, quos Obæreos, vel potiùs Obæratos (neſcio ob quam cauſam) vrbana petulãtia nominat. Aliunde ducit etymon Centauri Tzetzes 7. Chiliad. Hiſtoria 99. nimirum à κεντεῖν

Centauri vnde dicti.

καὶ αὔρα. ſed nihil ad hoc noſtrum argumentum. De Centauris plura Perottus, Natalis Comes Mytholog. lib. 7. cap. 4. & nos nonnihil Emblemate 116.

Eſt fera dum violat] re vera Chiron, Principum conſiliarius, ferinam naturam induit, cum ſocijs ſe exitioſum præſtat.

Homo dum ſimulat] verſutus, vafer, vt ille, qui deſcribitur Emblemate 5.

IV. *Ferina Chironis natura quid.*

FERINA in Chirone natura varijs modis exponitur à Mythologis: ſed hic notantur maximè Principum Regumq; conſiliarij, qui ferinam quidem & pluſquam belluinam naturam referũt, cùm ſuo principi praua conſilia ſuggerunt, vt populares ſuos pecunijs emungant, vel ſuos commodo, Reipub. procurent incommodum. Speciem humanitatis habent, cùm iuſtitiæ & pietatis imagine populum ſibi deuinciunt. Et ſanè qui publici boni & æquitatis prætextu occultè populi ſubſtantiam deuorant, quauis fera ſunt immaniores. *Macchiauellius Italus.* Huc collimare videtur Macchiauellius, auctor Italus, de quo quid ego cum alijs multis in totum ſentiam, nihil habeo dicere. niſi quòd exiſtimem eum in ciuilibus negotijs alioqui perſpicacem, & magni certè ingenij virum, ſed in quo tamen parum aut nihil planè fidei ſit & veræ religionis, vt eius ſcripta quædam teſtantur. Ille itaque ferè ſic diſſerit capit. 18. eius libri, quẽ de Principe lingua ſua edidit. Primùm quidem Principi fidem hoſti & alijs, cum quibus rem habet, ſeruandam eſſe dicit, ſed ea tamen lege, ne ſibi noceat. Si quid enim noxæ importatum iri ob fidem datam Princeps metuat, ei ſuádet ad fraudem & aſtus eſſe recurrendum. Docet perſpicuè concertationem omnem legibus vel fraude inſtitui atq; perfici: has quidem hominum eſſe, hãc verò belluarum. Sed quia interdum leges non ſatis eſſe firmæ ac *ſtabiles* videantur, inclinandum animum ad *dolos ille præcipit*: Principem enim decere, vt humanam & belluinam naturam præ ſe ferat: quod à veteribus figmento quodam expreſſum notat in Achillis educatione, quem è Chirone Centauro inſtitutum tradunt, vt ſignificarent Principem quemcunque hac natura duplici præditum eſſe debere. E belluis autem duas in primis proponendas, Leonem nempè & Vulpem: illum quidem viribus, hanc aſtu & vafritie permultum valere: illum, vt incautus eſt, non rarò ſe in retia temerè conijcere: hanc, quia non ſatis virium habeat, fallacijs vti. Quibus argumentis, parum quidem Philoſophicis, ne dicam impijs, Principem eum, qui res magnas & periculoſas aggrediatur, eaſq; tutò ad exitum perducere velit, fraude inſtructiſſimum eſſe debere, docet non tam πολιτικὸς ἀνὴρ, quàm ἄθεος. Huc ferè pertinet Ciceronis illud ex primo lib. Offic. Duobus modis fit iniuria, aut vi, aut fraude: fraus quaſi vulpeculæ, vis leonis videtur: ſed fraus odio digna maiore. *Lyſandri dictum.* Cum probro daretur Lyſandro, quòd pleraque aſtutia, dolo ſimul & fraude gereret, non palam virtute conficeret, hac parte Herculis genere indignus; ridens dixit: Vbi quod vellet non aſſequeretur leonis exuuium, ibi vulpinum applicandum eſſe. Sentiens quod honeſtis rationibus non poſſet effici, id fraude doliſq; perficiendum. Sed relictis talibus leoninis vulpeculis, progrediamur ad alia.

Opulentia tyranni, paupertas ſubiectorum.

EMBLEMA CXLVII.



HVMANI quod ſplen eſt corporis, in populi re
Hoc Cæſar fiſcum dixerat eſſe ſuum.
Splene aucto, reliqui tabeſcunt corporis artus;
Fiſco aucto, arguitur ciuica pauperies.

COMMENTARII.

I. IACET æger nudus lecto innixus, cui abdomen circa hypochondria in magnum tumorem elatum effingitur, reliquis membris tabidis & emaciatis: licet hic noſter pinguiuſculus appareat, fortè à pictore ſolo benè habitus.

II. *Fons Emblematis.* HOC fuit Traiani Cæſaris apophthegma, quod Eutropius & Sextus Aurelius Victor in Conſtantii ſeu Iuliani vita ita referunt: Pompeia Plotina, incredibile dictũ eſt, quantum auxerit gloriam Traiani: cuius procuratores cum calumniis prouincias agitarent, adeò vt vnus ex iis diceretur locupletum quemque ita conuenire, Quæ habes? vnde habes? Hæc vbi didicerat addebat tertium, Pone quod habes. Illa coniugem corripuit, atq; increpans, quod gloriæ ſuæ eſſet incurioſus, talem poſtea reddidit, vt exactiones improbas deteſtans, fiſcum lienem vocaret, quòd eo creſcente re

liqui artus tabeſcant. Idem inuenies lib. 8. Apophthegm. in Traiano; & apud Alciatū lib. 8. Parerg. cap. 6. Huius autem rei ratio nem reddit Ariſtoteles in Problemat. quòd ſplen multam ad ſe trahat materiam, quæ cedere debebat in alimentum. Conſtat enim, ait ille, homines parui ſplenis pingues effici. Idem quoq; ſentire videtur 3. de part. anim. Lien, inquit, vapores vacantes diuertit & attrahit ex ventriculo, & concoquere eos poteſt, vt qui ſanguineus ſit: quod ſi plus excrementi adfuerit, parumque inſit lieni caloris, corpus immodico langueſcit alimento, & humoris confluuio fit, vt lienoſus quis euadat, & obdureſcat venter. Hoc autem morbo affecti ſplenici ſeu lienoſi dicuntur, quales vt plurimùm ſunt Caunii in terra Caria propè Rhodū. Vnde illud Stratonici citharœdi ſcomma apud Strabonem, qui illos intuitus colore admodum viridi, dixit, hoc illud eſſe, quod poeta Homerus cecinisset:

Cur liene aucto cætera mēbra deficiant.

Stratonici ſcōma.

Tale quidem genus eſt hominum, quale eſt foliorum.

Cumq; illum incuſarent, quòd vrbem vt morbidam carperet: Ego, inquit, eam morbidam dicere auſim, vbi mortui ambulant?

III. *Splen.*

HVMANI quod ſplen] quod ſplen eſt in corpore, hoc fiſcus in re populi. Splen autem viſcus eſt in ſiniſtra animalis parte, ſuccos ad ſe attrahens craſſos & melancholicos in hepate genitos. Latini lienem vocant, de quo Galenus lib. 4. de vſu part. c. 15. & paſſim Anatomici.

Cæſar] Traianus.

Fiſcus quid.

Fiſcum] Fiſcus, receptaculum nummorum eſt, proprieq; principis, l. 1. §. hoc interdictum. ff. ne quid in loco publ. Res fiſcales, ait Vlpian. quaſi propriæ & priuatæ principis ſunt: à fiſcis, id eſt, ſportulis, vt apud Aſconium 2. Verrina, quæ nummorum receptacula ſunt ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Hinc *confiſcare* deflexum verbum, pro deferre ad fiſcum principis. Et apud Sueton. in Auguſto, confiſcata bona, quæ fiſco ſunt adiudicata. Aerarium verò publicum eſt, populique Romani, quod Plinius Iunior teſtatur in panegyrico: Non eadem, inquit, ſeueritate fiſcum, qua ærarium cohibes. Vnde patet differentia inter fiſcum & ærarium; ſiquidem ad fiſcum ſpectare videntur extraordinarii reditus: hinc confiſcationes recentioribus nuncupatæ. Aerarium verò Romanum tributis conſtabat & vectigalibus.

Fiſci & ærarij differentia.

Splene aucto] intumeſcente, facto tumidiore ex imbibito ſucco melancholico.

Tabeſcunt corporis artus] cætera corporis membra tabida fiunt. Artus propriè ſunt partes corporis inter iuncturas connexæ, ſic dictæ, quod inter ſe arctentur: vnde minores artus per diminutionem articulos vocamus, quales ſunt digitorum. Hinc *deartuo* verbum, quod eſt per artus diuido. Quidam à Græco ἄρθρον deductum volunt: & diſtinguuntur artus & mēbra, quod artus dicimus oſſa cum neruis & venis; membra autem propriè vocamus carnem artus tegentem. Interim ſæpe hæc duo inter ſe confunduntur. Anatomicis artus ſunt membra ex corporis trunco explantata, vt ſunt manus & pedes, Græcis vocantur κῶλα.

Artus.

Arguitur ciuica pauperies] argumento eſt populi, reiq; publicæ exeſæ & comminutæ paupertas.

IV. *Lienis officium.*

SIMILITVDINE oſtendit opulentiam tyranni cauſſam eſſe ſubditorum inopiæ. Vt enim in corpore humano ſi ſplen ſit auctior & tumidior, tabem & maciem cæteris partibus inducit: ſic magno certè regni & Reipubl. malo Princeps auarus naſcitur, cui nimirum cenſus publici, & vectigalia plus æquo placeant. Quo fit, vt miſerrima plebecula cogatur ad egeſtatē & extremam pauperiem, cùm tyrannus in ſuorum poſſeſſionem violenter irruit, eorumq; peculium depeculatur. Certatim à doctis illud Tiberij celebratum eſt: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. Quo damnabat tyrannos illos δημοβόρους, qui ſuis abradunt quicquid poſſunt, & ſic importuniùs in fiſcum ſuum conuertunt, vt à miſera plebecula non pellem modò, ſed & carnes ipſas detractas velint. Eandem ſententiam, ſed aliis verbis expreſſam ab Alexandro Macedone, literis proditam habemus. Huic enim cùm diſplicerent exactiones, eorumq; potiſſimùm, qui à ſubditis ampliores vectigalium reditus, quàm per fortunas hominum liceret, extorquebant, apud ſuos dictitabat, κηπουρὸν μισῶ τὸν ἐκ ῥιζῶν ἐκτέμνοντα τὰ λάχανα. *Olitorem odi qui radicitus herbas conuellit,* atq; ab ima ſtirpe arbores excidit. Artaxerxes Longimanus dictitabat, Addere quàm auferre, magis eſſe regium. Ptolemæus Lagi filius, Ditare quàm ditem eſſe, conuenien-

Tiberij dictum.

nientius Principi. Malum illud Veſpaſiani, Lucri bonus eſt odor ex re qualibet. Conſtãs Imperator Romanus dicebat opes publicas melius à priuatis pluribus haberi, quàm intra vnum Principis clauſtrum re ſeruari. Nec alienum eſt ab eo, quod ad Nicoclem ſcripſit Iſocrates: *σημεῖον ἔσω*, inquit, *σοῦ τοῦ καλῶς βασιλεύειν, ἐὰν τοὺς ἀρχομένους ὁρᾷς εὐπορωτέρους καὶ σωφρονεστέρους γινομένους διὰ τὴν σὴν ἐπιμέλειαν. Argumentum hoc tibi ſit imperij rectè honeſteque adminiſtrari, vbi videris eos, quibus praes, tua diligentia curaque locupletiores & ditiores factos*. Sed ad illuſtrandum id argumentum, cõferre placet alia quædam. Theodoricus ſcribens ad Marcellum Aduocatum fiſci, apud Caſſiodor. Variar. lib. 1. Epiſt. 22. Non quoties ſuperes, ait, ſed quemadmodum vincas inquirimus: non quæras de poteſtate noſtra, ſed de iure victoriæ; quando laudabilius à parte fiſci perditur, cùm iuſtitia non habetur. Nam ſi dominus vincat, oppreſſionis inuidia eſt: æquitas verò creditur, ſi ſupplicem ſuperare contingat. Et lib. 4. Epiſt. 37. Crementa fiſcalium tributorum iuſtiſſimo ſunt penſanda iudicio: quia ſeruientium imminutio eſt huius illationis acceſſio, quantumque pars illa proficit, tantum ſe hæc à firmitate ſubducit. Sed à nobis, qui fiſci vtilitatẽ ſtabili volumus diuturnitate conſiſtere, excludenda eſt diſpendioſa ſemper enormitas, ne augmento ſuo tumens ſumma deficiat, incipiatque magis deeſſe, quia immaniter viſa eſt acceſſiſſe. Rectè itaque idem Caſſiod. lib. 1. Fit interdum cauſſa mala fiſci, vt bonus Princeps eſſe videatur. Raro enim (vt eiuſdem Caſſiodori verbis vtar) vtrumque ſub admiratione perfectum eſt, vt & fiſcus creſceret, & priuata vtilitas nulla damna perferret. Ex Alciati lib. Parergon 8. c. 6. notanda hæc Pliniana ex Panegyrico ad Traianum: Quæ præcipua tua gloria eſt, ſæpè vincitur fiſcus: cuius mala cauſſa numquam eſt, niſi ſub bono Principe. Benè Iuriſconſultus in l. nõ puto, ff. de iure fiſci: Nõ puto eũ delinquere, qui in dubiis quæſtionibus contra fiſcũ facilè reſpondet. Certè iuris auctores vix fiſci cõpẽdijs indulſerunt, vt neq; principes boni. In Authent. vt iud. ſin. quoq; ſuffrag. Expedit

Locus præclarus è Caſſiodoro.

reipublicæ ſubditos eſſe locupletes: & imperium fiſcuſq; abundabit, ſi ſubditos habuerit fortunatos. Lucem quoq; dat huic argumento tyrannicæ rapacitatis locus quidam obuius ex Ammiano Marcellino, vbi auaram ſæuitiam Valentiniani exagitat: Auiditas plus habendi, inquit, ſine honeſti prauiq; differentia, & indagandi quæſtus varios per alienæ vitæ naufragia, exundauit in hoc principe, flagrantius adoleſcens: quàm quidam, prætendentes Imperatorem Aurelianum, purgare tentabant, id affirmando, quod vt ille poſt Gallienũ, & lamentabiles Reipub. caſus exinanito ærario, torrentis ritu ferebatur in diuites: ita hic quoque poſt procinctus Parthici clades magnitudine indigens impenſarum vt militi ſupplementa ſuppeterent, & impendium, crudelitati cupiditatem opes nimias cõgerendi miſcebat: diſſimulans ſcire quod ſunt aliqua quæ fieri non oporteat, etiam ſi licet: Themiſtoclis illius diſſimilis, qui cũ poſt pugnam, agminaq; deleta Perſarum, licenter obambulans armillas aureas vidiſſet humi proiectas, & torquem: Tolle, inquit, hæc (ad comitem quendam propè aſtantem) tu qui Themiſtocles non es: non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum. Huius exempla continentiæ in Romanis exuberant ducibus: quibus omiſſis, quoniam non ſunt perfectæ virtutis indicia (nec enim aliena non rapere laudis eſt) vnum ex multis conſtans innocentiæ vulgi veteris ſpecimen ponam. Cùm proſcriptorum locupletes domos diripiendas Romanæ plebi Marius dediſſet & Cinna, vulgi rudes animi & humana ſoliti reſpectare, alienis laboribus pepercerunt: vt nullus egens reperiretur, aut infimus, qui de ciuili luctu fructum contrectare pateretur ſibi conceſſum. Hactenus Ammian. Apud Caſſiodorum epiſtola eſt Theodorici Gothorum regis ad Senatum vrb. Rom. qua Venantium laudat honore donatum Comitiuæ, moxque præfectum prætorio, qui ſic principis fiſco conſuluit, vt nihil priuatis videretur offeciſſe. Senſimus auctas illationes, inquit, vos addita tributa neſcitis. Ita vtrumque magnæ fuit admirationis, quod fiſcus creſceret, & priuata vtilitas nulla damna perferret.

Valentiniani auaritia nimia.

Themiſtoclis animus moderatus.

Romani continuerunt manus à bonis proſcriptorum ciuilis belli tempore.

Quod non capit Chriſtus, rapit fiſcus.

EMBLEMA CXLVIII.



EXPRIMIT humentes, quas iam madefecerat antè,
Spongiolas cupidi Principis arcta manus.
Prouehit ad ſummum fures, quos deinde coercet,
Vertat vt in fiſcum quæ malè parta ſuum.

COMMENTARII.

I. ASTAT Rex humidam ſpongiam exprimens: cui ex oppoſito conſpicitur ſupplicij locus & carnificina, vbi fures rapacitatis ſuæ meritas luunt pœnas.

II. *Veſpaſiani aſtus & auaritia.* SVMPTVM eſt Emblema ex Suetonio Tranquillo in Flauio Veſpaſiano, de quo ita ſcribit ille: Solus eſt, in quo meritò culpetur pecuniæ cupiditas, inquit: non enim contentus omiſſa ſub Galba vectigalia reuocaſſe, noua & grauia addidiſſe: negotiationes quoq; vel priuato pudendas propalam exercuit. Creditur etiam procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitus promouere, quò locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò pro ſpongijs dicebatur vti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes. Cæterùm neminem latere velim, epigraphen huius tetraſtichi tractam eſſe ex cap. Maiores 16. q. 7. ſic enim ibi ſcriptum reperio: Maiores noſtri ideò copijs omnibus abundabant, quia decimas Deo dabant, & Cæſari cenſus reddebant: modo autem quia diſceſſit deuotio Dei, *Locus ex iure Pontificio.*

accesſit

acceſſit indictio fiſci. Nolumus partiri cum Deo decimas, modò autem tollitur totum. Hoc tollit fiſcus, quod non capit Chriſtus.

III. *Spongia natura.* *HVMENTES ſpongiolas*] humidas ſpongias. Eſt autem ſpongia quiddam in natura tertium ordinem habens, vt neque animal, neq; planta dici poſſit, quod Græci ζωόφυτον, id eſt, plantam viuentem appellant. Dicitur διὰ τὸ ἀποσπᾶν τὰ ὑγρὰ, quod hauriat humida. Naſcitur ſpongia in petris, alitur conchis & piſce, & limo: intellectum iis ineſſe apparet, quia vbi auulſorem ſenſere, contractæ multò difficilius abſtrahuntur. Auulſæ relinquunt in petris veluti cruoris veſtigium, atq; ex hoc quaſi molliores penicilli recreſcunt. Meminit huius rei Ariſtoteles 1. de hiſtor. anim. c. 1. vbi dicit, ſenſum habere ſpongias: cuius rei ſignum eſt, quoniam difficulter euelluntur, niſi arte & latenter fiat; nam ſe contrahunt. Vide etiam Plinium lib. 9. cap. 45. & lib. 31. cap. 11. *Spongiæ vſus.* Vſum ſuum ſpongia ipſa de ſe narrat apud Iacob. Pontanum, ſic:

Tethyos vndiſonæ medijs ego naſcor in vndis,
Neq; cauernoſam fiſtula crebra forat.
Nó inuita graui leuis impleo viſcera ſucco,
Quē reuomo exſorptū pollice preſſa prius.
Peniculiq; loco menſas extergeo molles,
Et rapio ſordes, vlceraq; exſanio.

Cupidi Principis] auari Principis.

Arcta manus] Alludit ad illud Ouidianum:

An neſcis longas regibus eſſe manus?

Prouerbium, *Longa regum manus*. Fortè non malè *arcta manus*, ſumitur pro auara & rapaci, aut tenaci, vtpote quæ non poſſit extendi & liberalis eſſe. Martialis:

Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra eſt.

Prouehit ad ſummum fures] id eſt, depeculatores. Furum enim nomen generale eſt, hic pro peculatoribus ſumitur. Peculatus crimen notum eſt in iure.

Coercet] punit, ſupplicijs afficit.

Malè partum malè diſperit. *Vertat vt in fiſcum quæ malè parta*] Huc pertinet illud Heſiodi in Georg.

μὴ κακὰ κερδαίνειν, κακὰ κέρδεα ἶσ᾽ ἄτησιν.

Ne mala lucra pares, mala lucra æqualia damnis.

Et illud Plauti in Pœnulo: *Malè partum, malè diſperit.* Et Ciceronis illud in 2. Philipp. Malè parta malè dilabuntur. Nos Germani: *Vbel gevvunnen, vbel zertrunnen.* Fiſcus autem (vt ſuperiore Emblemate diximus) eſt pecunia publica, ſeu regis crumena.

IV. *Commentum principum auarorū.* PRINCIPES auarieos publicis & maximis functionibus præficiunt, quos ingenioſos & ſtrenuos eſſe norunt: vnde nil mirum, ſi fiſcus (vt loquuntur Iuriſconſulti) ſemper præſumatur diues. Hi ſi aliquando ad rem plus æquo attenti publica in priuatum transfundant (quales potiſſimum ſolent eſſe, qui fiſci rationes tractāt) ita vt populum & regiones ſibi commiſſas expilent, ſæpenumerò damnantur capitis, maleque parta bona fiſco addicuntur, ſuntque tanquam ſpongiæ, quæ pro arbitrio nunc humectantur, aut areſiunt Exempla quàm plurima ſunt in monumentis antiquitatum, ſed & in Annalibus & hiſtorijs ſingularum regionum, quæ non conſultū eſt huc adducere, vel quod obuia ſint, vel quod ea ſcribendi libertas quoſdam offenderet. Illud non poſſum ſilentio inuoluere, eſſe quàm plurimos palatinos in aulis Principum, qui non modò ſoli dominari volunt, & omnino primas penes Principem partes obtinere contendunt; ſed etiam multorum debitam mercedem & beneficium impedire, ſibiq; in honorum perniciem per fas & nefas omnia acquirere; ac propemodum ipſum Principem, eiusq; Rempub. ſpoliare, exhaurire & expilare ſummopere ſtudent. Nec ex re & dignitate ſua eſſe putant aliquos in curia illa degere, qui opibus antecellant. Has tandem hirudines miſerorum ſanguine plenas, vt princeps emungat & deglubat æquum eſt quo malè parta, quæ Chriſtus non capit, malè diſpereant, atq; ita malis ter mala eueniant. Sed hos tales ſemper placuiſſe magnatibus ex veterum monimentis, & ex quotidiana experientia deprehendo. *Ariſtidis integritas damnata.* Ariſtides procurator fiſci Athenis fuiſſe ſcribitur; quod munus cum ſanctiſſimè geſſiſſet, tamen à Themiſtocle delatus eſt, ac repetundarum damnatus. Sed optimatum fauore non ſolùm illi multa remiſſa eſt, verùm etiam eidem muneri eſt redditus: quod per ſimulationem ita adminiſtrauit, vt omiſſa priſtina ſeueritate, lenem ſe facilemq; præberet iis, qui publico malo gaudent diteſcere. Horum opera factum eſt, vt populus tertiò munus ſummis fauoribus eidem deferret Ariſtidi. Tum ille: Ob integrè geſtum mu-

nus damnaſtis, nunc quoniam præter æquum multa congeſsi ciuitatis expilatoribus, honore dignum iudicatis. Hoc igitur honore delato, plus mihi dedecoris afferri puto, quam damnato ac multato irrogaſſis. Norat vir ille quibus artibus fieri poſſit gratioſus apud populum, niſi maluiſſet iuſtus eſſe quàm plauſibilis. De Claudio Cæſare fertur, cum ſic adamaſſe Narciſsũ ab epiſtolis, & Pallantem à rationibus, vt eos non ſolùm ampliſſimis præmijs, verũ etiam quæſtoriis prætoriiſq; ornamentis decreto ſenatus ornari libentor paſſus ſit. Adhæc tantum rapere & acquirere permiſit, vt illi quærenti de fiſci exiguitate, quidam non abſurdè dixerit, abundaturum fiſcum, ſi à duobus libertis in conſortium reciperetur. Hos Plinius fatetur & Craſſo fuiſſe ditiores. Hem, illæ ſpongiæ exprimendæ erant. At nunc Principis experiamur clementiam.

Claudius Cæſar.

Principis clementia.

EMBLEMA CXLIX.



VESPARVM quòd nulla vnquam rex ſpicula figet,
Quòdq; alijs duplo corpore maior erit;
Arguet imperium clemens moderataq; regna,
Sanctaq; iudicibus credita iura bonis.

COM-

COMMENTARII.

CIRCA aluearium, in quo apes mellificant, ipſæ bestiolæ frequentes volitant, inter quas vna cæteris duplo maior obſeruatur, quæ regem in earum republica repræſentat.

II. VESPARVM vocabulum pro apum nomine hic ſumi κατα χρηστικῶς docti quidam homines coniiciunt: Alii non minus eruditi citra figuram id ſcribi arguunt. Orus Apollo lib. 1. Hieroglyph. ait. Populum regi obſequentem ſignificare volẽtes, apes pingunt: ſolùm enim illæ ex animalibus regem habent, quem reliqua apiũ multitudo conſequitur, ac illi paret, quemadmodum regi homines. Cætera ſunt lacera in Græco, nec legi poſſunt. Apum hæc natura eſt, vt quem ſequantur, Principem habeant aliis proceriorem, & quaſi honore potiorem, qui quanquam imperium in alias habeat, aculeo tamen caret. Quod his teſtatur verbis Baſilius homilia 8. in Hexaemeron: ἐστὶ κέντρον τῷ βασιλεῖ μελισσῶν, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν. νόμοι τινὲς εἰσὶν οὗτοι τῆς φύσεως ἄγραφοι, ἀργοὺς εἶναι πρὸς τιμωρίαν τοὺς τῶν μεγίστων δυναστειῶν ἐπιβαίνοντας. id eſt: *Regi apum aculeus eſt, ſed eo ad vlciſcendum non vtitur. Sunt hæ naturæ leges non ſcriptæ, vt quiſque maxima eſt potentia præditus, ita tardum ad puniendum eſſe oportere.* Hæc Baſil. Eadem ferè retulit D. Ambroſ. Hexaemer. lib. 5. cap. 20. Aelian. hiſtoriæ animal. 1. & 5. Dio Chryſoſtom. Orat. de regno 4. Sed audiamus Principem Stoicorũ Senecam. Sic enim lib. De clementia, cap. 19. Maiorem poteſtatem non oportet eſſe noxiam, ſi ad naturæ legem componitur. Natura enim commenta eſt regem, quòd ex aliis animantibus licet cognoſcere, & ex apibus; quarum regi ampliſſimum cubile eſt, medioque ac tutiſſimo loco. Et ibid. Præterea inſignis regi forma eſt, diſſimiliſque cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maximè diſtinguitur. Iracundiſſimæ, ac pro corporis captu pugnaciſſimæ ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt: Rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſæuum eſſe, nec vltionem magno conſtaturam petere, telumque detraxit, & iram eius inermem reliquit. Exemplum hoc magnis Regibus ingens eſt. Eſt enim illi mos exercere ſe in paruis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cùm tanto hominum moderatior animus eſſe debeat, quanto vehementius nocet. Vtinam quidem eadem homini lex eſſet, & ira cum telo ſuo frangeretur, nec ſæpius liceret nocere quàm ſemel, nec alienis viribus exercere odia. Hæc ille. Idem fermè habet Plato Dialogo de regno: talem enim ciuitatibus regem optat, qualis inter apum examina rex naſcitur, vt & corpore, & animi dotibus ſit inſignior & præſtantior. Vide plura de apibus apud Virgilium 4. Georg. Plinium Nat. hiſtor. lib. 11. cap. 16. & 17.

Apum natura.

III. *VESPARVM*] vel apum potiùs. De apibus autem loqui hic Alciatum notius eſt, quàm vt argumentis indigeat. tum quia veſpæ immundæ ſunt & carniuoræ, tum præcipuè quia regem non habent, vt autor eſt idem Plinius lib. eod. cap. 21. Vſus eſt igitur Autor Catachreſi tropo, de quo Quintilianus lib. 8. cap. vlt. Solent, inquit, Poetæ abuſiuè etiam in his rebus, quibus nomina ſua ſunt, vicinis potiùs vti, quod rarum in proſa eſt. Nihilominus cum me refero ad cap. 15. lib. 5. Aeliani de anim. id propriè, & ſine Catachreſi dictum video: niſi hoc nomine *Veſparum*, alludere tacitè velit hic noſter ad Veſpaſianos, Flauium & Titum, laudatiſſimos principes, de quibus Suetonius & Tacitus.

Veſpæ pro apibus abuſiuè.

Nulla vnquam rex ſpicula] quia aculeo caret, vel ſi habet, eo non vtitur. Plinius lib. 11. cap. 17. loquens de apibus: Non cõſtat, inquit, inter autores, rex nullumne ſolus habeat aculeum, maieſtate tãtùm armatus, an dederit eum quidem natura, ſed eius vſum illi tantùm negauerit. Illud conſtat, imperatorem aculeo non vti.

Duplo corpore maior] Teſtatur hoc idẽ Plinius libro citato, cap. 16. vbi ait, regem apum duplo quàm cæteræ eſſe maiorem.

Arguet] oſtendet, ſignificabit.

Imperium clemens] regis aut principis clementiam.

Credita iura] commiſſam iuriſdictionẽ.

Iudicibus bonis] æquis magiſtratibus. Ait Iuriſc. Parum eſt in ciuitate iura eſſe, niſi ſint qui ea poſſint reddere, l. 2. §. poſt originem, ff. de orig. iur. At quidem bonus princeps ſimiles ſui iudices & magiſtratus

Similis ſimili gaudet.

tus

tus amplexatur, vt ſimile ſimili gaudet: alioqui non caret culpa, qui hominum improborum opera vtitur, ait Iuriſconſultus. Exemplum in Alexandro Seuero apud Lampridium; in Cocceio Nerua, apud Aurel. Victorem; idem in Traiano, & in Theodoſio: Sagax, multumq́; diligens ad cognoſcenda maiorum geſta: è quibus non deſinebat exſecrari quorum facta ſuperba, crudelia, libertati infeſta legerat, vt Cinnã, Mariũ, Sullamq́; atq; vniuerſos dominantiũ, &c. Bene Claud. 2. de laudibus Stiliconis:

——non te gurges corruptior aui
Traxit ad exemplum: quod iam firmauerat omne
Crimen, & in legẽ rapiendi verterat vſum.

& poſtea:

——non obruta virtus
Paupertate latet, lectos ex omnibus oris
Euehis, & nunquã meriti cunabula quæris,
Et qualis, non vnde ſatus, ſub teſte benigno
Viuitur, egregios inuitant præmia mores.

Magnificè Plinius panegyrico: Permagnũ, quòd te ab omni contagione vitiorum reprimis, ac reuocas: ſed magnificẽtius, quòd tuos. Quantò enim magis arduum eſt alios præſtare, quàm ſe, tantò laudabilius quòd cùm ipſe ſis optimus, omnes circa te ſimiles tui effeciſti. Tu amicos ex optimis legis, & hercule æquum eſt eſſe eos chariſſimos bono principi, qui inuiſi malo fuerũt.

IV. *Clementia vera Principis virtus.*

Principi optimo hoc ſymbolum propoſitum eſt, vt inter alias virtutes, quibus opus habet ad ſuæ Reipublicæ adminiſtrationem, nihil animi moderatione habeat antiquius. Etenim eius auctoritas & agendi facultas, etiamſi maior ſit quam in alijs, minimè tamen ſæuire debet, ijsq; quibus præeſt, terrificum ſe præbere. Nam inter virtutes alias, quæ Principem maximè deceant, clementia eſt. M. Antonius, qui Philoſophi cognomen non ab re eſt conſecutus, nihil quicquam eſſe dicebat, quod Imperatorem Romanum magis deceret, quã clementiam: eamq; ob cauſſam neq; in rebelles ſuos ſæuitum voluit. Rectè apud Claudianum Theodoſius Honorio filio ſalubre hoc conſilium ingerit:

Sis pius in primis: nã cũ vincamur in omni
Munere, ſola Deos æquat clemẽtia nobis.

Ouid. 1. de Ponto, eleg 3.

Sed piger ad pœnas princeps, ad præmia velox:
Quiq; dolet, quoties cogitur eſſe ferox.

Iulij Cæſaris clementia. Boni pijque Imperatores.

Compertum eſt Cæſarem Iulium Deorũ numero aſcriptum, quod clemens ac placabilis in eos fuerit, à quibus iniuriam bellis ciuilibus acceperat. Eadem virtus Auguſtum conſecrauit: Pii cognomen dedit, aliosq; permultos immortalitate donauit. Pyrrhi Epirotæ laudatur animi moderatio, qui iuuenes, à quibus inter pocula irriſus erat, & conuicijs impetitus, illæſos abire ſiuit, cum vnus ex ijs reſpondiſſet, id vini cauſſa contigiſſe. Celebratur eò plus Auguſtus Cæſar, cuius gratia cùm Senatus ijs adempturus eſſet ius teſtandi, qui eũ contumelijs & probris affeciſſent, nõ eſt paſſus id decerni, vt eſt apud Suetoniũ. Eam ipſam patientiam initio imperij finxiſſe Tiberium, teſtis eſt Cornelius Tacitus. Nam libellos famoſos & dicta in ſe mordacia diſſimulauit, eorumque auctores ad cognitionem vocari noluit. Vſurpabat enim illud ſæpenumerò: In libera ciuitate liberas etiam linguas eſſe debere: & ſi quando hæc aperta feneſtra eſſet, nullas alias in Senatu fore lites, & accuſandi occaſiones. Magas Poeta quidam in ludis publicis Philemonem perſtrinxerat. Is cùm veniſſet in Philemonis poteſtatem, ſtatim miniſtro cuidam Philemon præcepit aperta voce, vt maledico caput gladio amputaret: ſed clam, vt nudo enſe ceruices attingeret, moxque vt eum illæſum abire ſineret, eique daret nuces, talos, pilam, & alia quædam ludicra. Quibus ille Princeps apertè indicabat, ſe aculeum quidem habere, ſed eo vti minimè velle: deq; potentiore male dicere, magis eſſe puerorum quàm virorum. Eam regiam virtutem vt actionibus alijs permultis certè heroicis, ſic reſcripto egregiè probarunt Theodoſius, Arcadius, & Honorius, cuius reſcripti ad Rufinum hæc eſt formula: Si opprobrium ex leuitate proceſſerit, negligendũ: ſi ex furore & inſania, condolendum: ſi ab iniuria, remittendum. l. vn. C. ſi quis Imp. maled.

Intellectus l. vn. C. ſi quis Imper. maled.

Quod poſtremum verbum etſi Accurſius ibi, & Aymo Crauetta Conſil. 6. num. 71. & alij, ita accipiunt, vt iniurioſus eiuſmodi obtrectator ad ipſummet Imperatorem remittendus ſit: ne ab ordinario iudice loci, vel pro verbis durius ille plectatur, vel ob pœnam forſan molliorem occaſio alijs præbeatur imperatoriam maieſtatem contemnendi: ſed potius vt ipſe, qui læſus fuit Imperator, de hoc etiam ſtatuat. Magis tamen

eſt

eſt, vt, quod Cuiacius & Menochius, duo illæ theoriæ & praxis lumina, rectè putarunt, verbũ illud *remittendum*, perinde interpretemur, atq; condonandum, vel nullam rationem illius maledicentiæ habendã eſſe. Cuiacius in paratit. C. eod. Menochius de arbitrar. quæſtion. iudic. cent. 4. caſu 377. num. 9. Et quidem hanc verbi huius *remittendi* genuinam ſignificationem eſſe ICtus docet in l. omne delictum. §. per vinum. ff de re milit. Et in promptu ſunt cũ Imperatorum, tum Regum & Principum exempla illuſtria.

Maledicitia non curata.

In primis verò celebre eſt illud Dauidis, impunitatem Semei homini ſceleratiſſimo promittẽtis. 1. Samuel. 19.

Dauid.

Sic Antigonus Rex Aſiæ audiens à militibus conuicia in ſe iactari, qui eum abeſſe putabant, patefacto virga tentorio: Flebitis, inquit, niſi longiùs remoti poſthac malè nobis dicetis.

Antigonus.

Antiſthenes Philoſophus apud Laertium ait: Regium eſſe, malè audire, cùm bene feceris. quod tamen dictum etiam Alexandro Magno quidam tribuunt: quemadmodum & patrem illius Philippum eodem fere ſenſu dixiſſe ferũt, Principum eſſe bene & malè audire.

Antiſthenes.

Alexander Magnus.

Philippus.

Nec obliteranda, ſed potius aureis literis conſignanda videtur Titi apud Xiphilinum ſententia: Nemo, inquit, me iniuria afficere, aut inſequi contumelia poteſt, propterea quod nihil ago, quod reprehendi mereatur: ea verò, quæ falsò de me dicuntur, prorſus negligo.

Titus.

Nam vt Seneca dicebat, magnanimi eſt proprium, placidum eſſe tranquillumq; & iniurias atq; offenſiones ſemper deſpicere. Occurrunt porrò inſignia exempla clementiæ apud Suetonium, quæ quia longè plura ſunt, hæc duntaxat ex Veſpaſiano. Offenſarũ inimicitiarumq; minimè memor, executorve. Vitellij hoſtis filiam ſplendidiſſimè maritauit, dotauitque etiam & inſtruxit &c.

Veſpaſiani & Titi filij clemens animus.

Non temerè quis inſons punitus reperitur, niſi abſente eo & ignaro, aut certè inuito atque decepto. Heluidium Priſcum, quamuis relegatum primò, deinde & interfici iuſſum, magni æſtimauit ſeruare quoquo modo, miſſis qui percuſſores reuocarent; & ſeruaſſet, niſi iam perijſſe falsò nunciatum eſſet. Cæterùm neq; cæde cuiuſquam vmquam lætatus, iuſtis ſupplicijs illacrimauit etiam & ingemuit. Idem in Tito ſic: Pontificatũ maximum ideo ſe profeſſus accipere, vt puras ſeruaret manus: fidem præſtitit, nec author poſthac cuiuſquam necis, nec cõſcius, quamuis interdum vlciſcendi cauſa non deeſſet, ſed periturum ſe potius, quam perditurum adiurans. &c. Ammianus verò Marcellinus ad finem 21. lib. cum alijs comparans Imperatorem Conſtantium, ait immanitatem facilè ſuperaſſe Caligulæ, Domitiani, Commodi, & id vnum egiſſe maximè, vt quamquam ſæuiſſimus eſſet, iuſtus tamen vellet & clemens æſtimari; quique ex minimis cauſis malorum congeries excitabat, diſſimilis Marci illius, principis verecundi, qui cum ad Imperiale culmen in Syria Caſſius ſurrexiſſet, epiſtolarum faſcem ab eo ad conſcios miſſum perlatore capto ſibi oblatum, illicò ſignatum exuri præcepit, agens adhuc in Illyrico, ne inſidiatoribus cognitis inuitus, habere quoſdam poſſet infenſos; vtq; rectè quidam ſentientes arbitrantur, virtutis erat potius indicium magnæ, Imperio eundem comitantium ſine cruore ceſſiſſe, quàm vindicaſſe tam inclementer: vt Tullius quoq; docet, crudelitatis increpans Cæſarem in quadam ad Nepotem epiſtola: Neque enim quicquam aliud eſt fœlicitas, inquit, niſi honeſtarum rerum proſperitas. vel vt alio modo definiam: Fœlicitas eſt fortuna, adiutrix conſiliorum bonorum; quibus qui non vtitur, fœlix nullo pacto eſſe poteſt.

Felicitas quid.

Ergo in perditis impiisq; conſiliis, quibus Cæſar vſus erat, nulla potuit eſſe fœlicitas: fœliciorq; meo iudicio Camillus exulans, quàm temporibus iiſdem Manlius, etiamſi id quod cupierat regnare potuiſſet. Id Epheſius quoq; Heraclitus adſerens monet, & ab inertibus & ignauis, euentus variante fortuna, ſuperatos aliquoties viros fuiſſe preſtantes. Illud verò eminere inter præcipuas laudes, cùm poteſtas in gradu, velut ſub iugum miſſa nocendi, ſæuiendiq; cupiditate, & iraſcendi, in arce victoris animi tropheũ erexit glorioſum. Hactenus Ammianus. Addam etiam ex eiuſdem 30. libro, vituperationem ſanè acerrimam Valentiniani Imperatoris: Nonnumquam etiam clementiæ ſpeciem præ ſe tulit, cùm eſſet in acerbitatem naturæ calore propenſior, oblitus profectò quòd regẽti imperium omnia nimia, velut prærupti ſcopuli, ſunt deuitãda.

Valentiniani truculentia.

Nec enim vſquam reperitur min coërctione contentus, ſed aliquoties quæſtiones multiplicari iuſſiſſe cruentas, poſt interrogationes funeſtas nonnullis ad vſque diſcrimina

vitæ

vitæ vexatis. Et ita erat effuſior ad nocendum, vt nullum aliquando damnatorum capitis eriperet morte ſubſcriptionis elogio leui, cùm id etiam principes interdum fecerint ſæuiſſimi. Atqui potuit exempla multa contueri maiorum, & imitari peregrina atq; interna humanitatis & pietatis, quas ſapientes conſanguineas virtutes eſſe definiunt: è quibus hæc poni ſufficiet.

Artaxerxis animus moderatus.

Artaxerxes Perſarum ille rex ſapientiſſimus, quem Macrochira membri vnius longitudo commemorauit, ſuppliciorum varietates, quas natio ſemper cruda exercuit, lenitate gemina caſtigans, tiaras ad vicem capitum quibuſdam noxiis amputabat: & ne ſecaret aures more regio pro delictis, ex galeris fila pendentia præcidebat: quæ temperantia morum ita tolerabilem eum fecit & verecundum, vt adnitentibus cunctis multos & mirabiles actus impleret Græcis ſcriptoribus celebratos. Præneſtino Prætore, qui bello quodam Samnitico properare iuſſus, ad præſidium venerat ſegniùs, ad crimen diluendum exhibito, Papyrius Curſor ea tempeſtate dictator, ſecurem per lictorem expediri, hominemq; abiecta ſe purgandi fiducia ſtupefacto, viſum propè fruticem iuſſit abſcidi: hocque ioci genere caſtigatum eum abſoluit, non ideo contemptus, ſed ad reſiſtendum par Alexandro magno, ſi calcaſſet Italiam, æſtimatus.

Lenitudo principum afflicti ſtatus ſolatium.

Hęc forſitan Valentinianus ignorans, minimeq; reputans afflicti ſolatia ſtatus ſemper eſſe lenitudinem principum, pœnas per ignes augebat & gladios: quod vltimum in aduerſis rebus remedium pietas reperit maiorum, vt Iſocratis memorat pulchritudo: cuius vox eſt perpetua docentis ignoſci debere interdum armis ſuperato rectori, quam iuſtum * quid ſit ignoranti. Vnde mo um exiſtimo Tullium præclarè pronunciaſſe, cùm defenderet Oppium: Etenim multum poſſe ad ſalutem alterius, honori multis: parum potuiſſe ad exitium, probro nemini fuit. Et hæc ille hactenus, tantò quidem libentius in eo ſermone certè præclaro exſpatiatus, quàm ægrè commemoraret multorum principum Romanorum nimiam ſæuitiam ad ſua vſq; tempora impunè graſſantem. Quia verò de conuitijs & probris in principes non nihil diximus in prima noſtra commentatione, placet attexere nonnulla ex Tacito, quæ ad id faciant, ſic enim ille oratione Cremutij Cordi apud Imperatorem Tiberium accuſati, quod editis Annalibus laudatoque M Bruto, C. Caſſium vltimum Romanorum dixiſſet.

Locus Taciti de Tiberio conuitia non curante.

Marci Ciceronis libro, inquit ille, quo Catonem cœlo æquauit, quid aliud dictator Cęſar quàm reſcripta oratione, velut apud iudices, reſpondit? Antonij epiſtolæ, Bruti conciones, falſa quidem in Auguſtum probra, ſed multa cum acerbitate habent: Carmina Bibaculi & Catulli referta contumelijs Cæſarum leguntur, ſed ipſe D. Iulius, ipſe D. Auguſtus & tulere iſta, & reliquere, haud facilè dixerim moderatione magis, an ſapientia: namq; ſpreta exoleſcunt; ſi iraſcare, agnita videntur. Nos multa ex Seneca tranſilienda ducimus, tot enim penè ſententiæ & decreta leguntur apud eundem, quot verba: ſatis habemus hunc commentarium claudere oraculo imperiali: Nihil tam peculiare eſſe imperatoriæ maieſtati, quàm humanitatem, per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio.

Seueri nummus.

Nec arbitror aliam fuiſſe mentem Seueri, qui nummo quodam ſuo ſimulachrum mulieris leoni exporrecto inſidentis, altera manu haſtam terrę affixam tenentis, altera fulmen abijcientis oſtentauit, vt clementiam inſinuaret: Nam & eius id inſcriptio declarat, INDVLGENTIA AVG. IN. CAR. Igitur, vt dictum eſt, peculiaris imperiali maieſtati eſt humanitas, per quam ſolam Dei ſeruatur imitatio l. Imperialis, 23. C. de nupt. Authent. vt iudic. ſin. quoq; ſuffrag. Bene & Sapienter Xenophon, quo loco ait: ἄρχοντας ἀγαθοὺς ὀυ διαφέρειν πατέρων ἀγαθῶν.

Princeps pater patriæ.

Meminimus alioqui patris patriæ nomen tributum bonis principibus, vſurpatum etiam ambitiosè ab improbis; meminit Corn. Tacit. 2. Annal. Id magnificè declarat Seneca 1. de clementia: Hoc quod parenti, principi faciendum eſt, quem appellamus patrem patriæ Certè & ſi cognomina data ſint, magnos, & felices, & Auguſtos dicimus: & ambitioſæ maieſtati quicquid potuimus titulorum congeſſimus: Patrem patriæ appellamus, vt ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaq; poſt illos reponens. Hæc ille. Et eodem elogio à Perſis donatum Cyrum legimus. Iuſtinian. Nouell. 7. ἔςωσ ἄρχοντες τῶν ὑπηκόων ὡς ἂν πατέρες υἱῶν. Quid plura? & T. Liuius ait, Imperatores eſſe debere parentum loco. Martialis adblandiens Domitiano:

Tu

Tu verus patriæ diceris eſſe pater.
Plura de Clementia habes apud Baptiſt. Fulgoſ. lib. 5. quibus adde, quæ eleganter de hac materia, & copioſè ſcripta reliquit Lucas de Penna in l. placet. 8. C. de excuſat. muner. lib. 10. l duos. 13. C. de ſuſcept. præpoſ. & arcar. eod. lib. in l. his quidem. 5. C. qui militar. poſſ. vel non. lib. 12. nobis enim nunc curæ eſt *Salus publica*.

Salus publica.

EMBLEMA CL.



PHOEBIGENA erectis Epidaurius inſidet aris,
Mitis, & immani conditur angue Deus.
Accurrunt ægri, veniatq́; ſalutifer orant.
Annuit, atq́; ratas efficit ille preces.

COMMENTARII.

I. IN ara erectus ſtat ſinuoſus ſerpens, coram quo plures in genua procumbunt, & adorantium geſtum ſupplices referunt.

II. *Æſculapius cur* *Deus eſt habitus.* AESCVLAPIVS inſignis Medicus, Dianæ precibus Hippolytum ab equis diſcerptum in vitam reuocauit. Quare fertur Iupiter iratus ob inuentam artem, qua homines in vitam reuocari poſſent, repertorem artis fulmine percuſſit. Poſt mortem Deus eſt habitus, & ſub ſerpentis imagine diuinis honoribus affectus. Tali cultus effigie Romam graui peſtilentia laborantem

Val. Maximi hiſtoria de Æſculapio.

rantem dicitur liberaſſe, ad quam tandem deductus eſt à fano ſibi ſacro, quod erat quinque millibus ab Epidauro paſſuum. Hiſtoriam hanc fuſè narrat Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. de Miracul. quam appo nam, vt ſi inde ſumptum Emblema conten das, penes te ſit optio. Sed vt cæterorum, ait, quoq; Deorum propenſum huic vrbi numen exequamur, triennio continuo vexata peſtilentia ciuitas noſtra, cùm finem tanti & tam diuturni mali neq; diuina miſericordia, neque humano auxilio imponi videret, cura ſacerdotum, inſpectis Sibyllinis libris, animaduertit, nõ aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quàm ſi ab Epidauro Aeſculapius eſſet accerſitus. Itaque eò legatis miſſis, vnicam fatalis remedij opem authoritate ſua (quæ iam in terris erat ampliſſima) impetraturam ſe credit. Neq; eam opinio decepit. Pari namque ſtudio petitum ac promiſſum eſt præſidium: è veſtigioq; Epidaurij Romanorũ legatos in templum Aeſculapij (quod ab eorum vrbe quinq; millibus paſſuum diſtat) perductos, vt quidquid inde ſalubre patriæ laturos ſe exiſtimaſſent, pro ſuo iure ſumerent, benigniſſimè inuitauerunt: quorum tam promptam indulgentiam numen ipſius Dei ſubſecutum, verba mortalium cœleſti obſequio comprobauit. Siquidem in anguis, quem Epidaurij raro, ſed nunquam ſine magno ipſorum bono viſum, in modum Aeſculapij venerati fuerunt, per vrbis celeberrimas partes mitibus oculis & leni tractu labi cœpit, triduoque inter religioſam omnium admirationem conſpectus, haud dubiam præ ſe appetitæ clarioris ſedis alacritatem ferens, ad triremem Romanam perrexit, pauentibusque inuſitato ſpectaculo nautis, eò conſcendit, vbi Q. Ogulini legati tabernaculum erat, inq; multiplicem orbem per ſummam quietem eſt conuolutus. Tum legati perinde atq; exoptatæ rei compotes expleta gratiarum actione, cultuq; anguis à peritis excepto, læti inde ſoluerunt: ac proſperam emenſi nauigationem, poſtquam Antium appulerunt, anguis qui vbique in nauigio remanſerat, prolapſus in veſtibulo ædis Aeſculapii myrto frequẽtibus ramis diffuſæ ſupereminentem excelſæ altitudinis palmam circumdedit, perq; tres dies poſitis quibus veſci ſolebat, non ſine magno metu legatorum, ne in triremem reuerti nollet, Antienſis templi hoſpitio vſus, vrbi ſe noſtræ aduehendum reſtituit: atq; in ripam Tyberis egreſſis legatis, in inſulam, vbi templum dicatum eſt, tranſnauit, aduẽtuque ſuo tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, diſpulit. Narrauit etiam hæc T. Liuius, Decad. 2. lib. 1. ſed intercidit: vide Flori epitomen, lib. 11. Sed omnium latiſſimè & elegantiſſimè Ouidius. lib. vlt. Metamorph. quare ſi rurſus inſtes inde ſumptum Emblema, facilè concedam. Locum Ouidij habes ex illo verſu:

Pandite nunc Muſæ præſentia numina vatum. &c.

Vide præterea Plutarchum in Problematis, vbi quærit cauſam, cur Aeſculapij ædes extra vrbem poſita ſit. Plinius lib. 29. cap. 4. Atqui anguis (inquit) Aeſculapius Epidauro Romam aduectus eſt, vulgoq; paſſ. itur & in domibus. Meminit etiam D. Auguſtinus lib. 3. de Ciuit. Dei, cap. 17. & Lactantius varijs locis. Ex quo notum illud Sereni:

Qui colis Ægeas, qui Pergama, quique Epidaurum.
Qui quondam placida tectus ſub pelle draconis
Tarpeias arces, atq; inclita templa petiſti,
Depellens tetros præſenti numine morbos.

Æſculapius ad Sicyonios.

Quod autem ferunt, Aeſculapium ſub anguis ſpecie nauem ſponte ingreſſum Romam veniſſe, ſcribunt Græci tale aliquid ſibi etiam obtigiſſe, cum idem ipſe Deus draconis effigie à Nicagora Echetimi vxore ad Sicyonios mulorũ bigis inuectus eſt.

PHOEBIGENA] E Phœbo genitus. Virgilius 7. Aeneid.

Fulmine phœbigenam Stygias detruſit ad vndas.

Æſculapius qui.

Vbi Seruius legit *Pænigenam*, matre Pęna genitum. Fuit autem Aeſculapius Apollinis & Coronidis nymphæ filius, teſte Homero in Hymnis. Alij dicunt, non è nympha Coronide natum, ſed ex ouo corniculæ, quia coronis vtrumq; ſignificat, & nympham ita vocatam, & corniculam, vt aſſerit Lucianus in Dialogo de falſo vate, à quo res ita commemoratur. Fertur quendam ex antiquis ſacerdotibus ſerpentem perexiguum in ouum vacuum corniculæ incluſiſſe, ceraq; ſtudioſè oblitum in luto loco quodam occultaſſe: mox ara extructa populum in concionem ad eum locum aduocaſſe, cùm nunciaret omnibus palam

ſe

ſe Deum eſſe oſtenſurum. Poſt concionem incognitis quibuſdam vocibus vſus Apollinem & Aeſculapium inuocauit, vt dexter & felix illi ciuitati accederet. Deinde phiala aquam hauriens in profundum demerſa ouum illud vnà cepit, quod præſentibus multis fregit, pullumq; recentem ſerpentis inueniens, cunctos homines in admirationem rei induxit. Poſtea verò ſerpentem inſignis magnitudinis paucis diebus elapſis in loco ſubobſcuro oſtendens artificioſè ſe mouentem, illum ita creuiſſe aiebat, ac Deum eſſe Aeſculapium Apollinis filium. Inde verò ſerpentes in eius tutela crediti ſunt, & eius geſtamen putatus fuit baculus ſerpente inuolutus.

Epidaurius. *Epidaurius inſidet*] Ab vrbe notiſſima Peloponneſi in ſinu Saronico, ex qua in ſerpẽtis imagine Romam creditur adductus. Propertius:

Et Deus extinctũ Creſſis Epidaurius herbis
Reſtituit patrijs Androgeona focis.

Ouidius 15. Metamorph.

Æquore placato patrias Epidaurius aras
Linquit.

Epidaurus. De Epidauro verò ſic Strabo lib. 8. Epidaurus, prius Epitaurus, ſita eſt vrbs in ipſo Saronici ſinus receſſu intimo, ſtadiorum quindecim circuitum habens, &c. Hæc autem non parùm inſignis eſt ciuitas, præſertim ex Aeſculapij claritate nobilitata, quẽ varia morborum genera curaſſe ſomniabant homines. Erat verò templum ægrotantium multitudine vſquequaq; refertũ, pendentibusq; tabellis in quibus ſanati languores erant inſcripti. &c. Hæc Strabo *ῥωμαικῶς*.

Templũ Æſculapij.

Mitis & immani] lenis & placidus, quãquam ſub ſpecie ſerpentis.

Veniatq; ſalutifer orant] imitatio Ouidij, qui loco citato 15. Metamorph.

—— venitq; ſalutifer vrbi.

Annuit] Idem ibidem:

Annuit his, motuq; Deus rata pignora criſtis.

Atq; ratas efficit] Idem Ouid. 1. Faſtor.

Efficiat ratas vtraq; Diua preces.

IV. *Serpens ſalutis ſymbolũ.* Hoc ſerpentis inuolucro nihil aliud verius & expreſſius intelligi datur, quàm Seruator noſter Chriſtus, verus animarum noſtrarum Aeſculapius, & ſalutis humanæ vindex, qui ſub ſerpentis figura in deſerto à Moſe legiſlatore appenſus, omnes omniũ morbos & vulnera ſanitati reſtituit, & in cruce tandem omnes noxas & crimina expiauit. In cruce itaq; ſaluifica noſtra conſiſtit ſalus, hanc aſylum quoddam eſſe Catholicorum profeſſio & conſenſus docet, quò ægri, quò afflicti omnes confugiunt: & hoc manifeſtant præcelſæ cuiuſdam & eminentis potentiæ argumenta, quibus edocti noſtrarum actionum exordiis ſolemus ab hoc ſigno principia, & ardua quæque huius auſpicio aggredi: hoc tempora partimur & latentes horas quaſi fruſtilla & portiunculas mortalitatis noſtræ. Ab hoc capite conuiuiorum, quietis, laboris, ſcriptionis, lectionis, orandi, meditandi interualla & vices: nihil palato obſoniorum ſapit, niſi ligni huius aſperſum puluiſculo, niſi hoc conditum & attemperatum aromate. Cruce naſcentis diei prima ſalutamus crepuſcula: eadem placido ſopori corpora compoſituri vigiles curas abrumpimus. In viam ſi euocet neceſſitas, crux nobiſcum, omnia ſub cruce, in cruce, per crucem, quæ initiandis interuenit rebus, dedicandis, conſecrandis, vouendis. Magna eſt Romani Pontificis autoritas, & penè diuina; magna in cæremonijs ac ritibus ſacris pertractandis concredita eidem à Deo functio, qua nulla ſuperior in mundo, nulla par. Sed is ductu & ſignaculo hoc myſtico peragit iuſta conſecrationis ſingula, ſeu ceram agni cęleſtis effigie inſignitam ſacra benedictione luſtret, ſeu grana precatoriis circulis inſertanda, vel oſcilla alia & imagunculas fuſili ex ære, aut alio metallo nobiliore conflatas, vel loricas etiam & clypeos, romphæas aut Perſicos enſes, paludamenta ac trabeas, ſceptra, diademata, myrtas, corollas, aureos floſculos, ſerta, ramuſculos, cimelia alia maioris precij ſolenni benedictione conſecrata, regibus mittat & reginis donaria, virtute crucis facit, per figuram crucis, qua venientes ad oſculum ſuſcipit, abeuntes felix fauſtumq; precatus dimittit. Conſideremus gradus ſingulos in Chriſtiana noſtra militantis Eccleſiæ Hierarchia, Flaminum, Archiflaminum, Protoflaminum: eamus per ordines omnes ac ſtatus in ſortem Domini ſelectos: ſpectemus miniſterii quo funguntur rationem & partes, ritus ac modos, quibus rem diuinã facientes arcana illa ſua conceptis verbis operantur. Nihil prorſus ſine adorando hoc crucis charactere perfici manifeſtum eſt. Naſcitur infans, ſymbolum primum Chri-

In cruce Chriſti ſalus.

Ceremonia ſacra.

A Cruce omnia inchoãtur.

ſtianæ

ſtianæ inaugurationis crux. Nititur in vetitum annus plenior, expiationis forma per crucem. Luctandum cum morte, inungitur ad prælium pugnaturus benedicto chriſmate. Procreandæ ſobolis inter virum & fœminam ſtabilienda ſocietas, in cruce per conceptam & vſitatam formulam ligandi ſolennitas. In hoc ſigno ſacrificantium habitus, vaſa, ſuppellex omnis & ornatus profanis vſibus eximitur: templorũ fundamenta ſternuntur & altarium, campano æri imponuntur nomina, pyxides conſecrantur & thecæ, & cinerum ſacrorum atq; oſſium precioſi loculi, commendãtur terræ cadauera, cœleſtibus choris ſuperſtites defunctorum vmbræ, viuentium ſalus Deo, & fortunarum quidquid poſſident. Quoties ducta in quatuor partes manu, tetragonum hoc ſchema miniſter inſcribit piacularibus vndis, quibus contractam ab origine labem occulto regenerationis myſterio eluimus? quibus occupato recentis corpuſculi domino, Stygius alaſtor ſacræ aſperſionis & ſignati fontis impatiens eiicitur? Chriſtiani militis teſſeram ablutus infans accipit? immortalium bonorum hæres decernitur? Tremendum eſſe ſacrificium illud ſubmiſſa animi reuerentia fatemur, quoad præſcriptum quendam verborum, & ſacræ actionis canonem obligatus, patientis Chriſti memoriam ſæpius refricat, & cœleſti Patri repræſentat in ara ſacerdos, in eo crucis figura quoties effingitur? Hic fons honoris & cultus: hinc religio cruci ſua & authoritas, cui affixus generis humani ſeruator, cùm infamis eſſet prius & in pœnas deſtinata flagitioſiſſimorum, præeminentem ſupremæ venerationis gradum in natura ſupra naturam meruit. Ab illa funeſta arbore hoc germen; ibi forma quædam ac modulus, hic ectypon & imaginis ſimilitudo: in oculis habemus & in precio ſignum, opus ipſum, quod in prototypo, communi omnium bono, completũ pio & grata recolentes memoria. Vita enim noſtra ex illa & riui ſalutis vberrimi, nec ſalus aliunde, nec ſpes in aliud, nec requies aut pax ſub alio ſine hoc, nec metus aut periculum ſub hoc ſine aliis, nec tranſitus deniq; ad immortalia illa niſi per hoc: character enim eſt ac nota ſecuritatis, viatorum frontibus inſcripta. Nũc ad Æſculapium noſtrum reuertamur, quem præter alios plurimos, Plutarchus Medicorum præſi-

Salus publica è cruce.

dem Sympoſ. 9. quæſt. 10. tradit. Sed occurrit interea mihi locus è 2. Artemidori lib. De ſomniis: qui ait, per Æſculapiũ in templo erectum, & in baſi ſtantem, ſignificari quoddam bonorum præſagium. Qui ſi moueatur, aut accedat, morbum & peſtem portendit: tum enim maximè hominibus eo Deo eſt opus. His autem, qui ægrotant, ſalutem prędicit. Non diſſentit Macrobius lib. 1. c. 20. cuius ſic ſe habent verba: Hinc eſt, quòd ſimulachris Æſculapii & Salutis draco ſubiungitur, quòd hi ad Solis naturam Lunæq; referuntur. Eſt enim Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia Solis ſubueniens animis corporibuſque mortalium. Salus autem naturæ lunaris effectus eſt, quo animantium corpora iuuantur à ſalutifero firmata temperamento. Ideo ergo ſimulacris eorum iunguntur figuræ draconum, quia præſtant, vt humana corpora velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum reuireſcant vigorem, vt reuireſcunt dracones per annos ſingulos pelle ſenectutis exuta. Hæc & alia plura Macrobius. Phornutus in lib. de nat. Deor. eadem ferè quæ & Macrobius ſcribit, cap. de Æſculapio. Cæterum non immeritò ſalutis notam ſerpẽs ſibi videtur vindicaſſe, à quo nimirum multa in humanum genus remedia proficiſcũtur, teſte Plinio lib. 29. nat. hiſtor. cap. 4. Apud Lactantium legis, ictui viperino præſens admodum eſſe remedium viperam ipſam exuſtam & in cinerẽ redactam. Apud Ceberem obſeruas, viperæ dente ſemel tactum quempiam, nulla deinceps venena formidare. Tradunt alii, qui viperæ iecur conditum ſemel hauſerit, nullius inde ſerpentis ictum pertimeſcere debere. Quid verò illud, quod à Dioſcoride traditum eſt, homines, qui viperis conditis in cibum vti conſueuerint, longiora vitæ ſpatia producere, & ad ſummam ſenectutem incolumes peruenire? Iſigonus Cirnos memorat Indorum genus, qui centenis quadringenis annis viuant, quia viperinis carnibus alantur: adhæc neq; capiti, neq; veſtibus eorũ noxia corpori ineſſe animalcula. Eamque cauſam videtur Tertullianus afferre, cur tanta ſit ceruo viuacitas, quippè quod ipſe ætatis ſuæ arbiter ſerpẽnte paſtus veneno augeſcit in iuuentutem. Ex viperarum carnibus ſingulare remediũ grauioribus morbis excogitatum eſt, quod in hunc vſque diem à maximè fera perniciosaque beſtia

Æſculapius Medicorum præſes.

Remediũ ex ſerpente.

κατ'

κατ' ἐξοχὴν Theriacum vocamus. Quæ quidem commemorare libuit, vt non immeritò tot numiſmata cuſa exiſtimemus, quæ ſerpentem habent cum inſcriptione, SALVS. veluti eſt ille nummus in ſpiram collectum ſerpentem habens, cuius inſcriptio, SALVS ANTONINI AVG. In alio eiuſdem nummo ſerpens eſt tractu ſinuoſo tortiliq; obrepens virgæ, quam ſignum ibidem adiectum dextera humi applicat. Atq; in alio Dea ipſa læua virgam gerit, dextera poculum angui porrigit, inſcriptio eſt, SALVS AVG. COS. III. In aliis ipſe ſella ſedens pateram porrigit angui ſuo de loculo exeunti, caputq; pateræ admouenti, inſcriptione adiecta, SALVS AVG. In nummo verò M. Aurelii Seueri Alex. ſedenti ſimulacro pateramq; porrigenti aſſurgit anguis, cum inſcriptione, SALVS PVBLICA. In nummo Antiochi Soteris, SALVS Dea Romanis habita pingebatur forma mulieris, habitu regio ſedentis pateram tenentis, iuxta quam erat ara, & ad aram inuolutus anguis caput attollens. Sed ne ſingula commemorem, quæ quidem ſunt innumera, Commodi, Criſpinæ, & aliorum, per angues deniq; omnes Salutem intellexerunt. Pleriq; noſtra ætate viri eruditi coniiciunt, ab Alciato hic tacitam eſſe factam alluſionem ad Ambroſianum illum anguem, qui Mediolani viſitur in marmorea columna erectus ipſa ęde D. Ambroſii. Sed ſatis, vt auguror, anguibus inuoluti hæſimus, age ad libertatem aſpiremus.

Nummi aliquot cum ſerpente.

Anguis Ambroſianus Mediolani.

Reſpublica liberata.

EMBLEMA CLI.



CAESARIS exitio, ceu libertate recepta,
Hæc ducibus Brutis cuſa moneta fuit.
Enſiculi in primis, queis pileus inſuper aſtat,
Qualem miſſa manu ſeruitia accipiunt.

COMMENTARII.

I. IN numiſmate expreſſus depingitur pileolus inter duos pugiones ſitus. Hanc picturam in aliis editionibus vitioſam, reſtituit Pignorius, monitus fortè à Sāctio, qui ſub hoc Emblemate ſic ait: Numiſma ego domi habeo, ſed pileum oblongum habet inter duos pugiones erectos: Quare hic emendanda eſt pictura. Hæc ille. Suffragatur etiam rei veritas; nam Dion lib. 47. ſcribit, nummum percuſſum fuiſſe cum Bruti imagine, & pugionibus pileoq; *Bruti nũmus.* Extat etiam apud F. Vrſinum eiuſdem figura, in gente Iunia; & apud A. Auguſtinum Dialog. 1. vti Pignorius edendam curauit. Antiquam verò pilei formam *Forma pilei.* Lucianus in Dipſade ait fuiſſe dimidium corticis alicuius oui. Nam apud Garamantas ex ſtruthiorum ouis ſingulis in æquas partes diſſectis, bini fiunt pilei. Tanta ibi eſt eius oui magnitudo, eoq; capitis tegumento illi populi ſibi plurimùm applaudunt; ſi verum eſt, quod Pierius lib. 40. Hieroglyph. prodidit. In hoc igitur à petaſo diſtinctus pileus, quod ille ad vmbram faciendam marginatus: hic abſq; margine fuerit, quales dormitorii & nautici pilei.

II. *Numiſma M. Bruti.* OCCISO in Pompeii curia, vbi ſenatus habebatur, Iulio Cæſare à Bruto, Caſſio, & cæteris coniuratis, ii ceu libertate populo reſtituta, fabricari numiſma voluerunt, in quo ſculpti erāt duo pugiones adiecto pileo. Pugio cędem patratam omninò ſignificabat: pileus verò libertatem. Refert Politianus Miſcellan. cap. 70. Si quis (inquit) numiſma Bruti reperiat ipſius cælatum imagine, prętetea pileo & duobus pugiunculis, ne diutius in explicanda ratione cauſaq; laboret, legat Hiſtoriarum Dionis lib. 47. Nam ex his, inquit, Brutus ſignificabat ab ſe & Caſſio patriam liberatam. Sed enim pileum geſtari ab his ſolitum, qui libertatem nacti, vulgatius manifeſtius que eſt, quàm vt ſit autoritatibus confirmandum. Hæc Politianus. *An veteres pileis vſi fuerunt.* Hic ſeſe offert anceps quæſtio, quam in gratiam ſtudioſorum paulò fuſius tractare placet: An ſcilicet veteres vulgari hoc capitis tegmine, quod biretum ſeu pileum vocamus, fuerint vſi? Ego ſic iudico, eos hoc non vſos, ſed vel nudo capite fuiſſe, vel caput veſte velaſſe. Siquidem nulli in veteribus Romanorum ſtatuis, nulli in æneis quoq; nummis pilei viſuntur: nulla etiam pilei ne apud Homerum quidem mentio. Sic nudi capitis conſuetudo à priſca Græcia, cui capitis operimenta vſitata non fuere, ducta videtur Turnebo lib. 8. Aduerſ. cap. 4. idque Euſtathius Homeri interpres disertè ſcribit. Sed miſſis Gręcis ad Romanos conuertamur. Suetonius de Iulio Cęſare prodidit, cum caluitii deformitatem iniquiſſimè tuliſſe, ideoq; deficientem capillum reuocare à vertice aſſueuiſſe; & ex omnibus decretis ſibi à Senatu populoq; honoribus, non alium aut recepiſſe, aut vſurpaſſe libentiùs, quàm ius laureæ coronæ perpetuò geſtandę, idq; ad caluitium celādum. At verò minimè hanc tantopere expetiiſſet, ſi pileus in vſu fuiſſet, longè ſcilicet aptior & fidelior ad caluitium diſſimulandum quàm corona. Sed hac in re inter tempora & homines diſtinguendum, quibus ius & vſus capitis tegendi. *Quæſtio diſtinguitur.* Temporibus Lipſius annumerat ſacra, ludos, Saturnalia, peregrinationem, & militiam. Sacrificia velato capite peracta fuiſſe, priſco quodam & obuio ritu, omnibus notum eſt. *Pilei vſus in ſacris.* Vnde & Flamen Dialis, qui inter reliquos Flamines maximæ dignationis erat, nomen videtur ſortitus, quod capite velato eſſet, & caput filo lanę præcinctum haberet. Cui aſtipulatur textus in Can. Cleros. §. Sacerdos. 21. diſt. Sacerdotes gentilium (inquit Canon) in capite habebant pileum, in quo erat breuis virga deſuper habens lanæ aliquid: quod cum propter æſtum ferre non poſſent, filo tantùm capita religare cęperunt. *Flamen unde dictus.* Flamines igitur dicti vel à geſtatione pileorum, quaſi pileamines: vel à filo illo, quaſi filamines: vel ab infulis, quas flammas appellabant: vel à flammeis, notiſſimo velaminis genere. Illud autem geſtaminis

genus

genus etiam apex dicebatur. Planè feſtis diebus Sacerdotes filo depoſito pileum imponebant, pro ſacerdotii eminentia, vt diſertè dicit textus in d. Can. Cleros. 21. diſt. Aut vt Varro ſcriptum reliquit, album gerebant galerum. In ludis quoq; Saturnalibus præſertim, hoc eſt, liberrimæ vitæ diebus, pileus admittebatur, ſignum ſcilicet libertatis. Quo ſenſu Martialis vocat Romã pileatam:

In ludis.

Permittis, puto, pileata Roma.

Sed & peregrinatio ſibi capitis tegmen vendicabat, quod erat petaſus (de quo in Præfatione Emblematum nonnihil diximus) qui ad vmbram faciendam marginatus erat, & aduerſus pluuias, æſtus, ac ventos in primis idoneus. Plautus certè peregrè euntibus aut venientibus petaſum vbiq; aptat. Sic enim iturientem deſcribit militem: *Opus eſt chlamyde, & machæra, & petaſo.* Et Cicero, tabellarios petaſatos venire ait, & comiter expectare ad portam. Deniq; & in militia quoq; pileorum vſum fuiſſe, ſuadet Vegetius: Vſq; ad præſentem, inquit, ætatem conſuetudo permanſit, vt omnes milites pileis, quos Pannonicos vocant, ex pellibus vterentur. Hinc pilea Dioſcuris, Caſtori & Polluci attributa legimus, quo habitu fuiſſe Lacones volunt, hi enim patrio inſtituto pugnabant pileati, vt animum in barbaros & tyrannos indomitum ſignificatione libertatis oſtenderent. Atque hæc de temporibus, quæ à communi more excipi diximus. Sed inſuper excipiuntur etiã certi homines: & ex his primum liberti noui. Cùm enim ſerui manumittebantur raſo capite pileum accipiebant; vt eo quaſi ſymbolo tempeſtatem ſeruitutis viderentur effugiſſe, vt naufragio liberati ſolent. De naufragis ita Iuuenalis:

In peregrinatione.

In militia.

Dioſcuri pileati.

Pileũ gerebant liberti noui.

—— gaudent ibi vertice raſo

Garrula ſecuri narrare pericula nautæ.

Quò etiam reſpexit Petronius in Satyrico. At manumiſſus ille apud Plautum in Amphitr. ita ait:

Vt ego hic hodie raſo capite caluus capiam pileum.

Legimus etiam pilei impoſitione libertos conſtitui in l. directis, 10. C. de teſtament. manum. Vbi haud dubiè intelliguntur ſerui, qui pileati funus defuncti ducebant; vel vt habetur in l. vn. §. ſed & qui, 5. C. de Latin. libert. toll. qui domini funus pileati antecedebant, vel in ipſo lectulo ſtantes cadauer ventilare videbantur. Hos enim libertatem conſequutos fuiſſe, & ex locis iam allegatis patet, & ipſemet etiam Dionyſius Halicarnaſſeus teſtatur, ſe Romæ complures de iſtis importunis & intempeſtiuis liberalitatibus querimonias audiſſe. Ob crebram hanc ſceleratorum quoq; ſeruorum, per pilei impoſitionem, conceſſam manumiſſionem, factum opinor, vt qui inſigniter improbus venderetur ſeruus, ab impoſito pileo pileatus diceretur. Eo ipſo enim, quod impoſito pileo venum iret, non tantũ improbus eſſe & nequam ſeruus iſte innuebatur, ſed & venditor dominus teſtatum faciebat, nihil ſe ſuper eo polliceri velle, quod poſtea ad præſtandum cogi poſſet: atq; ita omni ſe vinculo exſoluebat, quo alioqui ad redhibitionem trahi poterat. De quo videatur Gellius lib. 7. Noct. Attic. cap. 4. Cœlius Sabinus, & alij. A communi porrò more capitis apertè gerendi excipiuntur etiam ægri, quibus capitis firmandi gratia pileo vti licuit. Sic enim Ouidius ſuum amantem de morbo & pallore fingendo inſtruẽs, pileolum ei inter ſigna tribuit:

Pilei impoſitio.

Serui nequam, dũ vendebãtur, pileati.

Ægri pileati.

Arguat & macies animum, nec turpe putaris

Pileolum nitidis impoſuiſſe comis.

Idem & ſenibus licuiſſe, Nicephorus Gregoras oſtendit lib. 10. vbi morem eum cum Romano Imperio Byzantium etiam tranſlatum docens, de capitis tegmine ait, moris apud ſuperiores fuiſſe, vt ætate prouectiores aulici pileis turbinatis vterentur ſerico textis: iuniores autem omnes prorſus nudis eſſent capitibus. Denique conuiuas quoq; pileolos vſurpaſſe, ex Athenæo, quamquam fluctuans nonnihil probat Lipſius libro de Amphitheatro cap. 19. Extra memoratas ergò has perſonas, omnes nudo & aperto erant capite. Nec contrarium euincit Plutarchi auctoritas, qui ſcribit, quòd cum Draco rigidiſſimas ſuas leges recitaret, quibus etiã cùm quis vel olera tantùm ſurripuiſſet, capite plecti voluerat, populus iratus petaſis & tunicis in ipſum coniectis aufugerit. Sed populo aduerſus Solem petaſorum vſum fuiſſe, vltrò concedimus. Idem Plutarchus ſcriptum reliquit, Syllam nemini aduentanti adſurrexiſſe, neq; etiam caput denudaſſe, niſi cum Pompeius veniſſet. Adde quod & Varro aſſerit, more maiorum inſtitutum fuiſſe, vt veniente magiſtratu qui-

Senes.

Conuiuæ.

Obiectionũ propoſitio & diſſolutio.

libet capus aperiret. Conſentiunt paſſim auctoritates Plinij, Salluſtij, Senecæ, Nicetæ, & aliorum, qui viris dignitate prędítis, & honore dignis, ſi quo caſu occurrerent, obuios caput aperire conſueuiſſe prodiderunt. Sed hoc de ijs intelligendum eſt, qui operto capite aliqua ex cauſa incederent, vt milites caſſide, ſacerdotes flamine, ſerui pileo, & omnes pluuio tempore galero, aut ſub Sole petaſo & vmbella, vt docet Alciatus noſter lib. 8. Parerg. cap. 10. Aut verò tectio illa capitis, & apertio, non tam de pileo, quam de togæ lacinia erit accipienda. Laciniam enim iſtam in caput ſæpe reijciebant, contra ventum, aut æſtum; eamq; detrahebant in honorati alicuius occurſu, quod ex Plutarcho ſatis docuit Lipſius de Amphitheatro cap. 20. Illud planè ſingulare eſt, quòd Hippocratis imago pileata ab antiquis celebretur; vt inde admonerentur homines, eam partem maximè cuſtodiendam, in qua tãquam in domicilio princeps animus reſideret, totaque intelligendi vis collocata eſſet. Alij ex Græcis ſolam nobilitatem hominis inde intelligi volunt, vtpote qui cognationem ab Apolline, & ab Hercule traheret: nam cum ab Aeſculapio oriundum ſenatus Athenienſis teſtatus eſt publicis etiam monumentis. Id verò ſi ad libertatem referamus, cui potius liberatoris nomen accommodare debeamus, quàm illi, qui tot mortalium corpora tot morbis obnoxia liberauit, & bonæ reſtituit valetudini? Sed ad manumiſſionem ſeruorum retrahor, monitus à Reuerendo & humaniſſimo viro D. Petro Paulo Venturino Veronenſi, ſingulari meo fautore, de quo verè affirmare auſim id, quod olim de Fabio Pictore Cicero: nempe & iuris, & antiquitatis, & literarum benè peritus eſt. Atq; vtinam loci diſtantia illius viri præſentiam mihi non inuidiſſet, certè hoc opus pluribus, iiſq; raris floſculis, quibus fœcũdum illud ingenium abundat, ornatius haberemus. Is igitur ſigna adeptæ libertatis eſſe ait caluitium, pileum, & in nonnullis caliga, toga, corona, quæ odio laureæ Cæſaris triumphalis deſijt. Verum adhuc Romæ mos, cum aliqui ob facinus capite plectendi libertate donantur, togæ & coronæ. Quòd autem non omnibus toga & corona obtigerit, inde eſt, quòd tres manumittendi rationes erant. Prima, qua maiorem & iuſtam libertatem conſequebantur, ita vt

Hippocratis imago cur pileata.

Petrus Paulus Venturinus.

Signa libertatis adepta.

Ratio manumittẽdi triplex.

etiam ciues Romani fierent. Altera, qua Latini fiebant, ex lege Iulia Norbana. Poſtrema, qua in ordinem dedititiorum ex lege Aelia Sentia adſcribebantur. Tres has manumittendi ſpecies tangit Boetius 1. comment. Topicor. Apud Tacitum duas tantùm inſtitutas reperias. Quas verò Boetius enumerat, ſunt cenſus, vindicta, teſtamentum. De quibus Iuriſconſulti paſſim, Acron ad Horat. 2. Sat. 7. & Alexander ab Alexandro lib. 4 cap. 10. Fiebat autem manumiſſio in templo Feroniæ, quæ libertorum Dea, vt notat Seruius: quam & Varro libertatum Deam dicit, quaſi Fidoniam. In eodem templo Tarracinæ ſedile lapideum fuit, in quo hic verſus inciſus erat: *Bene meriti ſerui ſedeant ſurgant liberi.* quod Scaliger è ſchedis vet. Seruij notauit. Erat itaque pilleus libertatis inſigne. Perſius Satyra 5.

Hac mera libertas: hoc nobis pillea donant.

Hinc & illa locutio apud Suetonium, Senecam lib. 6. epiſt. 47. Liuium lib. 4. dec. 3. *Ad pileum vocare*; Vide Gellium lib. 7. c. 4. Macrob 1. Saturnal. Bayfium de re veſtiaria lib. 20. Schottum ad cap. 69. Aurel. Victoris & alios. Hiſtoria deniq; de morte C. Iulij Cæſaris notiſſima eſt. Vide Suetonium.

Locus manumiſſionis.

Ad pileũ vocari.

CÆSARIS exitio] Iulij Cæſaris morte. III.

Ceu libertate recepta] tanquam excuſſo tyranni iugo, ſublato dominio.

Ducibus Brutis] vtroq; Bruto, Marco & Decimo, Caſſio, Trebonio, alijſq; coniuratorum capitibus in Cæſarem.

Cuſa moneta] cuſus nummus. Moneta ſic dicitur, quod ſigni impreſſione vel auctoris vel precij nos moneat.

Moneta.

Enſiculi in primis] vna ex parte gladioli, altera pileus manumiſſorum. Hinc patet perperam hactenus fuiſſe hic expreſſum nummum, nam tam Plantiniana, quam Rouilliana editio vnicũ pugionem habet; quod tamen auctoris mẽti, & hiſtoriarum monumentis aduerſatur; vt viſum eſt.

Miſſa manu ſeruitia.] Serui manumiſſi, liberi facti, aut libertate donati. Seruitiorum nomen pro ſeruis, præter cæteros in Catilinaria vſurpat Salluſtius, & Cicero ſępè. Vt in 4. Catil. Hic ad euertenda fundamenta Reipub. Gallos accerſiuit, ſeruitia concitauit, Catilinam euocauit. Item 7. Verr. Et tamen cœptum eſſe in Sicilia moueri aliquot locis ſeruitium ſuſpicor.

Seruitia.

IV. *Pileus ſignum libertatis.* PER Bruti nummum liberatam patriam ſignificari oſtendit præſens Emblema: pileum enim fuiſſe libertatis ſignum, ex ſupra dictis, vt opinor, liquidò conſtat, ſed ſuppetunt prætérea exempla plurima de pilei vſu & geſtatione. Aurelius victor ſcribit, mortuo Nerone ſic cunctas prouincias, omnemq; Romam exultaſſe, vt plebs induta pileis manumiſſionum, tanquam ſæuo exempta dominio triumpharet. Eadẽ *Pileus Græcorũ.* fortè cauſa Græci illi, qui noſtrorum patrum temporibus tyrannidem Turcicam fugientes in Italiam ſe receperunt, ingenuam ſuam libertatem & priſcam nobilitatem pilei ſui geſtatione profeſſi ſunt. Quid enim memorem pilei celebrem lauream *Doctorũ.* iamdiu in ſcholis non temerè vſurpatam? eo ſiquidem indicatur, ſcholaſticos à diſciplinæ ſeruitute ad Doctoratus vel Magiſterij libertatem tranſire. Quid? quod etiam *Baptizatorum.* in plurimis locis vſus obtinuit, vt baptizatis veſtis alba cum pileolo induceretur, tanquam ex diabolicæ poteſtatis ergaſtulo ereptis, & libertate Chriſtianę donatis Huc quoq; faciunt nummi veteres quam plurimi, in quibus eſt pileus cum inſcriptione *Pileus in nummis.* *Libertatis.* Vt in nummo Tiberij Claudij Cæſaris videre eſt ſigillum, quod dextra pileum tenet, læuam quàm latè poteſt diſcapedinatam exporrigit, cum inſcriptione, LIBERTAS AVGVSTA. In Antonini item nummo pileus à manu dextra pendet, læua haſtam tenet, cuius inſcriptio eſt, LIBERTAS COS. IIII. In Ser. Galbæ nummo ſimulacrum eſt cum iaculo & pileo, inſcriptio verò, LIBERTAS PVBLICA Hæc priſcorum ſunt ſigna libertatis: at nobis, qui ſub Prætorio Chriſti *Chriſtianæ libertatis ſignum S. Crux.* vexillo ſalutari ſacramento deuincti militamus, & in nouas leges gratiæ ſubſcripſimus, aliud noſtræ libertatis ſignum proponitur, quod ſupremus Chriſtianæ militiæ Imperator in alto Caluariç vertice triumphans erexit; quo mediante nos in libertatem ac poſſeſſionem cęleſtis regni ſumus aſſerti, vniuerſus Chriſtianorum cętus fidei & charitatis vinculo conglutinatus: ſub quo deſtructę nationes idolorum cultrices, ſimulacra impietatis exciſa, ritus ſacrilegi ſubuerſi, propagata pomęria prępotentis Dei. Et quoniam huc me trahit tempus Dominicę paſſioni ſacrum, quo hęc commentor, paulò altius libertatis noſtrę primordia repetam. Sanè ex omnibus beneficiis, quibus humanum genus locupletauit prępotens illud & ęternum cęli Numen, vnum velut in faſtigio poſitum ſuper cętera eminet, Redemptionis: Neceſſe fuit redimi, quia captiuum & ſub ſeruitutis iugo; & precio infinito, quia delictum tale. Offenſus fuit Deus, res increata & terminis carens, qui placari potuit, niſi ab eo, qui ęqualis naturę, in aſſumpto tamen habitu viliori, in quem ęrumnę, tormẽta, & mors caderet? Hic igitur velut honoratius quidam arbiter ac mediator inter reum & of- *Modus redemptionis humani generis.* fenſum, ad pacis conditiones, duras quidẽ illas & iniquas, ita libens volensq; deſcendit, vt luendi æris, quo tenebatur obſtrictus totus mundus, ſumma in ſe tranſlata, chirographum infiniti debiti, non alio niſi ſanguinis precio, ad necem vſq; exhauſtus, atq; inter ipſas carnificum manus & opprobria expirans, deleuerit. Iam mihi vagientem in præſepi audire videor tenerum puſionem, ſtipatum agreſtibus iumentis & ſolicita matre, ſtipula tectum & vili carice, lugubri ploratu emendicãtem ſpiraculum tepidi halitus ad rigorem temperandum. Iam ſtabuli magalia ſubeunt, atq; humilis tugurioli collapſa vetuſtate rudera, ſub quibus fons & largitor bonorum omnium, relictoq maieſtatis ſolio, ſuprema rerum penuria preſſus, ſuxit rorantes papillas intactæ Virginis. Iam furias meditor, & cruentum ſanguinarij regis de trucidandis maſculis bimulis diploma, cuius velut frendentis apri declinans rabiem mater, ad exoticas & barbaras gentes, deſtituta omnium ſolatio, pendentem à collo delicatam illã ſuam ſarcinulam, cùm priùs teſſeram hominis peccatoris, ſecto præputio, in carne ſuſtinuiſſet, triſti ſanè ac lamentabili ſpectaculo profuga deportauit. Hi gradus fuerunt ad Crucem: hæc prima ad funeſtam luctam præludia. Ad hanc vt paratior deſcenderet, tenerioris ætatis periodo decurſa, vitam reliquam ſic inſtituit, vt vigilijs conſumptus totus & inedia, dum ſacram illam & cœleſtem ſalutaris Euangelij ſementem in cordibus hominum miraculorum & diuini eloquij viribus paulatim ſuſcitaret, duriſſima quæq; indefeſſus pugil exantlauerit, donec ad ipſos carceres ventum, vnde in mediam arenam inſtante *Victoria Chriſti in cruce.* duello ſeſe effundens, acerrimo prælio clauа crucis armatus, mortem ipſam ac dæmonem moriens proſtrauit. Terribilis hic

ictus erat, ſtupendus cęlo, terræ, elementis omnibus, ipſi etiam naturæ procreatrici rerum: cuius fragore ſtupefactus Sol, ſubtraxit repentè lucem mundo, & amabilem illam ſuam ac ſpecioſam faciem aureis radiorum virgis comantem & fulgidã, quaſi præſagium futuro protenderet orbi, prodigioſa atque horribili obtexit nigredine. Tam ſubitum planetæ principis caligantis deliquium adeo turbauit aerem, vt præpoſteram legem velut miratus, teporem illũ ſuum viuentium ſpirationi contemperatum, in humentem ſubfrigidæ noctis vmbram medio die conuerterit. Diſſultantis humi concuſſæ crepidines ſubſederunt in plana, diuulſæ ſunt rupes, diſiecta montiũ altiſſimorum cacumina, conſternati defunctorum manes, ſpiraculo vitæ reparata cadauera, & in conſpectum mortalium patefactis ſepulchris denuò producta. Quin & ipſas inferorum ſedes penetrauit & confuſionis ſempiternę clauſtra inauditum illud colliſi fragoris tonitru, cùm eodem trabali conto, in quo mactatus videbatur, munitus victor per vmbrarum obſcuras illas cauernas, ſtipatus cœleſtium turmarum ſatellitio gradiens, portas Furiarum confregit ferro rigentes & adamante, imperiumque ſubuertit, ac iura effręnatæ tyrannidis. Iacet hoſtis; io victoria: io triumphe. Plaudite homines, figite trophæum, erigite auguſtum monimentum partæ libertatis: cudite nummum crucis ſigno impreſſum, qui ſit in precio, in oculis, in labris, in corde; ſed inſcriptio, LIBERTAS CHRISTIANA.

In vitam humanam.

EMBLEMA CLII.



PLVS

PLVS ſolito humanæ nunc deſle incommoda vitæ
Heraclite: ſcatet pluribus illa malis.
Tu rurſus, ſi quando aliàs, extolle cachinnum
Democrite: illa magis ludicra facta fuit.
Interea hæc cernens meditor, quâ denique tecum
Fine fleam, aut tecum quomodò ſplene iocer.

COMMENTARII.

I. PHILOSOPHI duo ſibi oppoſiti depinguntur, quorum alter proiecto libro efflictim gemere & plorare videtur; alter in effuſum riſum ſolutus repræſentatur.

II. *Heracliti fletus, & riſus Democriti.* HERACLITVS quoties domo egrederetur, ineptias humanas fletu ſolebat excipere, quòd omnia illi miſera & deploranda viderentur: contrà Democritus eadem de cauſſa ridebat effuſius, quòd humanas actiones ludicras & ſtultas conſpiceret: qui ſi hodie reuiuiſcant, ampliorem quidem & vberiorem vel luctus vel riſus materiam offendent, quàm vnquam antea, cùm omnia in dies deteriora fiant. Quando enim vberior vitiorum copia? quando maior auaritiæ patuit ſinus? Cæterùm Emblema ſumptum eſt ex incerti Poetæ Græci Epigrammate, quod habetur lib. 1. Antholog. tit. *εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον*, & eiuſmodi eſt.

Typus Emblematis.

Τὸν βίον, ἡράκλειτε, πολὺ πλέον ἤπερ ἔτ' ὄζης
Δάκρυε. νῦν ὁ βίος ἐςʼ ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρτι γέλα δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρίν·
Νῦν ὁ βίος πάντων ἐςὶ γελοιότερος.
Εἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν, τὸ μεταξὺ μεριμνῶ
Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Vitam, Heraclite, multò plus quàm cum viueres
Deſle; nunc enim vita eſt miſerabilior.
Vitam nunc ride, Democrite, plus quàm antea;
Nunc enim vita eſt omnium maiore riſu digna.
In vos autem & ego contemplatus, interea cogito
Quomodo ſimul tecum lugeam, quomodo vnà tecum rideam.

Iam deſle, Heraclite, magis quam fleueris olim:
Vita hominum præſens eſt lacrymoſa magis.
Et modò, Democrite, ad riſum te impenſius effer:
Omnia ſunt riſu nūc quoq; digna magis.
Vos dum cōtemplor, certè ſum neſcius vtrū
Nunc ridere mihi, ſeu modò flere licet.

De his duobus Philoſophis loquitur quoque Iuuenalis Satyra 10.

Iamne igitur laudas, quod de ſapientibus alter
Ridebat, quoties à limine mouerat vnum,
Protuleratq; pedem: flebat cōtrarius alter?
Sed facilis cuiuis rigidi cenſura cachinni,
Mirandum eſt vnde ille oculis ſuffecerit humor.
Perpetuo riſu pulmonem agitare ſolebat
Democritus.

& quæ ſequuntur. Meminit & Horatius Democriti in Epiſtolis:

Si foret in terris rideret Democritus.

Vide adagium, *Boni viri lacrymabiles.*

III. *PLVS ſolito*] Magis quàm vnquam ſolitus es, ô Heraclite, luge humanā vitam.

Heraclitus. *Heraclite*] Heraclitus Philoſophus Epheſius, vt tradit Suidas. Hic nullum inuenitur habuiſſe præceptorem, tantùm naturâ & diligentia ſolus profecit: quidam tamen audiiſſe Xenocratem & Hippaſum Pythagoricum volunt. Floruit temporibus vltimi Darij, circa 69. Olympiad. Libros compoſuit de induſtria adeo obſcuros, vt vix à quoquam etiam doctiſſimo & plurimùm inſudanti intelligi potuerint, ideoque tenebricoſus cognominatus fuit. Hinc etiam Socrates ait, ſcripta Heracliti Delio natatore indigere. Hunc aiunt, cum eſſet hydropicus, Medicis ſpretis ſeuo bubulo oblitum Soli ſiccandum ſe expoſuiſſe, dormienteroque à canibus dilaceratum eſſe. Huius vitam plene habes apud Laertium lib. 9. in principio. Meminit etiam eius Cicero 5. Tuſc. Huic itaq; omnes humanæ

actiones videbantur ſumma miſeria, quapropter domo egrediens ſemper flebat. Sed de hoc fletu nihil meminit Laertius.

Scatet.

Scatet pluribus illa malis] hoc noſtro tempore longè pluribus miſerijs redũdat vita humana. Scatere, eſt ita plenum eſſe, vt exiliat quod continetur.

Cachinnus.

Extolle cachinnum] Effuſè ride, deride, naſo ſuſpende adunco. Huius vocis origo eſt à verbo καγχάζειν, quod Suidæ eſt ἀθρόως γελᾷν, *effuſè ridere*, & inſtar rudentis aſini clangorem quendam ore diducto edere. Vnde καγχασμὸς eſt ἔκχυτος γέλως *effuſus riſus*. qui Ariſtòphani eſt κιχλισμός. Et eſt vocabulum fictum per onomatopœiam, imitando ſonum, qui in profuſo riſu editur. Vis autem talis riſus appoſitè notatur verbo *tollere*, ſeu *extollere*, quo etiã Cicero vſus eſt in lib. de Fato. Horatius in Epiſtola ad Piſon.

Tollere cachinnũ.

Romani tollent equites peditesq; cachinnũ.

Perſius Sat. 1.

Ingeminant tremulos naſo criſpante cachinnos.

Hinc eſt *cachinnatio*, & verbum *cachinno*, ſeu *cachinnor*.

Democritus.

Democrite] Democritus ex Abdera oriundus, teſte Diogene, Pythagoræ imitator, non autem auditor. Is cum duos haberet fratres maiores natu, ab eis diſcedens hęreditatem ſuam accepit, quam in pecuniã redactam breui tempore peregrinando abſumpſit. Nam primò ad Ægypti ſacerdotes contendit, ab illis Geometriam accepturus. Inde rubro mari emenſo ad Chaldęos, & vt quidam volunt, ad Gymnoſophiſtas in Indiam penetrauit. Poſtremò Athenas redijt ad Socratem, vbi ſe gloriatur omnibus ignotum fuiſſe. Hic itaq; in omni Philoſophiæ genere magna cum laude verſatus, tandem ſeipſum obcæcauit, vt promptius & ſubtiliùs naturæ ſecreta rimaretur. Refert Cicero 5. Tuſcul. quæſt. Centum aut eo plus vixit annos, teſte Laertio, apud quem vide eius vitam lib. 9. Democriti quoq; facit mentionem Plinius varijs locis, A. Gellius lib. 10. cap. 17. & Cicero lib. 4. Acad. quęſt. Hic omnes actus hominum ſolebat ridere, quia omnia ei videbantur ridicula. Inde Gelaſinum cognominatum fuiſſe ob riſus petulantiam notant pleriq; veteres. Huius tamen riſus nulla eſt mentio apud Laertium. Iuuenalis Sat. 10.

Democritus Gelaſinus.

Ridebat curas, necnon & gaudia vulgi.

Qua deniq; tecum Pine] Finis tam fœminini quam maſculini generis poetis ac oratoribus non inuſitatum.

Splene iocer] Abunde rideam. Lien ſiue ſplen ſedes eſt riſus. Vnde illud diſtichon

Cor ſapit, & pulmo loquitur, fel commouet iras,
Splen ridere facit, cogit amare iecur.

Perſius Sat. 1.

Sum petulanti ſplene, cachinno.

Splẽ qua ratione ſit riſus cauſa.

Sed lienem riſus cauſam eſſe non per ſe, ſed per accidens intelligendum eſt, quatenus ſcilicet ſanguis huius beneficio clarior, lucidior, & calidior fit, & hominem in negotijs peragendis ſtrenuum, audentem, magnanimum & gaudentem reddit, in partibus ſpiritalibus mouet titillationem, per quam ridendi motus inſurgit, animi affectus arguens. Veteres riſus cauſam in hepate quæſiere: ſed hanc opinionem à multis Phyſicis & Medicis in dubium vocatam deprehendo. Cardanus riſus cauſam ex ipſius animæ domicilio deducendam eſſe putat; quam ſententiam etiam Iulius Scaliger Exercitat. 317. ſect. 6. approbare videtur. Quæ ſanè intellecta, contra noſtram non pugnant. Vide quæ huc faciunt apud Rhodigin. lib. 4. cap. 18.

IV.

Vita humana nũdinis ſimilis.

PYTHAGORAS aiebat, ſimiles ſibi videri vitam humanam, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alij corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem coronæ peterent, alij emendi aut vendendi quæſtu & lucro ducerentur; eſſet autem quoddam genus eorum, idq; vel maximè ingenuum, qui nec plauſum, nec lucrum quærerent, ſed videndi cauſa venirent, ſtudioſèq; perſpicerent, quid ageretur, & quomodo. Ita & nos quaſi in mercatus quandam celebritatem in hanc vitam ſumus profecti, alij gloriæ ſeruiunt, alij pecuniæ, rari verò quidam ſunt, qui cęteris omnibus pro nihilo habitis rerum naturã & actiones humanas ſtudioſè intuerentur, qui appellantur ſapientiæ ſtudioſi, hoc eſt, Philoſophi. Et vt ibi liberaliſſimum eſt ſpectare, nihil ſibi acquirentem: ſic in vita longè omnibus ſtudijs rerum contemplatio & cognitio præſtat. Heraclitus itaq; & Democritus in hoc vitæ humanæ mercatu rẽ penitus contemplantes, vterq; pro ſuo ingenio benignam inuenit materiam, hic quidẽ riſus, ille fletus. Quare hic dubium relinquitur

quitur, vtrū ſequi ſit ſatius, cùm ſit vtrūque nec planè tutum, nec omninò probatum. Seneca in lib. De tranquillitate vitæ, 1. cap. 15. opinionem Democriti meliorem fuiſſe, & ad imitandum accommodatiorē, quàm Heracliti fletum, ait. In qua ſententia fuit etiam Satyra 10. Iuuenalis. Sed præſtat audire Philoſophum eundem lib. 2. De ira, ſic diſputātem: Heraclitus, quoties prodierat, & tantum circa ſe malè viuentium, imò malè pereuntium viderat, flebat: miſerebatur omnium, qui ſibi læti feliceſq; occurrebant: miti animo, ſed nimis imbecillo, & ipſe inter deplorandos erat. Democritum contrà aiunt numquam ſine riſu in publico fuiſſe, adeò nihil illi ſerium videbatur eorum, quæ ſeriò gerebantur. Vbi iſti hic iræ locus eſt? Aut ridenda omnia, aut flenda ſunt. Non iraſcetur ſapiens peccantibus. Quare? quia ſcit neminem naſci ſapientem, ſed fieri: ſcit pauciſſimos omni æuo ſapientes euadere, quia conditionem humanæ vitæ perſpectam habet. Nemo autem ſanus naturæ iraſcitur. Quid enim, ſi mirari velit non in ſiluestribus dumis poma pendere? quid ſi miretur ſpineta ſentesque non vtili aliqua fruge compleri? Nemo iraſcitur, vbi vitium natura defendit. Placidus itaq; ſapiens & æquus erroribus, non hoſtis, ſed correptor peccantiū, hoc quotidie procedit animo: Multi mihi occurrunt vino dediti, multi libidinoſi, multi ingrati, multi auari, multi furijs ambitionis agitati. Omnia iſta tam propitius aſpiciet, quàm ægros ſuos medicus. Hæc Seneca. Sed bona pace tanti viri dixerim quod ſentio: multò benigniorem deprehendo ego flendi quàm ridendi materiam, tū ob mores indies in deterius declinantes, tū ob miſeriam & fragilitatem humanam. Mores in peius lapſos auctores non pauci perſtrinxerunt. Virgil. 1. lib. Georgic.

Pulcher Seneca locus.

——ſic omnia fatis
In peius ruere, & retrò ſublapſa referri, &c.

Horatius ſic:

Damnoſa quid non imminuit dies?
Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Salluſtius in Catilina: Sic imperium à bonis ad non æquè bonos deriuatur. Ouidius:

Vtendum eſt ætate: cito pede labitur ætas,
Nec bona tam ſequitur, quàm bona prima fuit.

Iuuenalis Satyr. 1.

Nil habet vlterius quod noſtris moribus addat
Poſteritas: eadem cupient, facientq; nepotes.
Res hodie minor eſt, herè quàm fuit, atque eadem cras.

Vnde autem hæc rerum omnium deprauatio proficiſcatur diximus Emblem. 73. Iam ſi humanam miſeriam ab ouo ad mala (quod aiunt) conſideres, hem quantam ſegetem dolorum, angorum, & laborum offendes? Age anatomiam quandam exerceamus, & inſpiciamus nos totos interioribus oculis. O fœditatem, ſi corpus ſeorſim & maſſam illam ex humo intuearis. Quæ vis coegit purulentum & lubricum opus? Horret viſus. Reſpicere iuuat ad initia, & contemplari formationis modum, quo me, [illegible] uum materni vteri ac interior receſſus, modulus fuit tam lepidi videlicet ac delicati plaſmatis: ibi de prurientе carne maſculi primùm exciſus, & in ſecretius matricis receptaculum, inter aluum & veſicam ſitū (ò pulchrum habitaculum ſcilicet) incidens viſcoſus quidam ac lentus humor, inſito calore coagulari cœpit, & paulatim cōſtringi, ſicut lactis flos ſolet in caſei formā, cui lineamenta inſcripſit virtus innata, & figuram ſuis quibuſdam velut organis, vbi vitæ ſpiracula mearent, diſtinctam, quę perfecta membrorum proportione maturitatis metam contingens, animam hauſit capacem cœli è cœlo, diuinæ Mentis ſignatam effigie. Separetur hæc, vides cætera? Proſeminarunt parentes damnatum priuſquam ederēt, conceptum in peccato, nutritum ex ipſo: hic enim modus naſcendi generalis omnibus, contagio de ſtirpe in ramos fluit; vitium eſt in ſemine, vnde vitioſum quidquid ex eo. Conciliatrix amoris libido eſt, filia libidinis amor, carnalis, inquam, ex quo nos humana proſapia & ſtirps vniuerſa. Præclara origo ſcilicet, & quæ iure ſuperbiæ igniculos inſerat mentibus; irritant profectò exordia hæc genituræ tam illuſtria tumentem ſpiritum, & alas inflant leuitatis aura; ſic, ſic. Progrediamur porrò, crepabit bulla fortaſſis, & ſubmittet illa ſua pennarum ſpecula, deformitatem pedum ſi reſpiciat purpuratus hic pauo. Homo, inquam. Maſſam hanc, quam cœleſtis ille halitus animat, nil præter locū à lurido diſtinguit cadauere: hoc tumba, illa ven

Humana miſeria contemplatio.

Formatio hominis.

Fœtus.

tre

tre clauditur: venter ſepulchrũ eſt creſcentis corpuſculi, hoc animæ. Aperiatur crypta, vbi defunctus cubat, tanget horror ſpectãtem & nauſea: aperiatur itidem vterus fœminæ, quæ parturiens obijt, vix aliud; ſimilis aſpectus (experto crede) & ſordiũ lacuna. *Infans.* Sed perrupit infans natiuitatis iam clauſtra, & cęlo fruitur, quid tum? Viua miſeriæ imago, & faſciculus dolorum, tenui obuolutus cuticula, nullius mali non capax, expoſitus fortunæ & fato, quæ ipſum ſicut pannos ſuos fullo in mortario laboris continuò ſubigunt & exercent. Creſcit interea tamen & aſſurgit, qua ſolicitudine, proh Deum? Quod vitriarius ampullis ſuis, hoc ſedula mater partui præſtat officium. Quàm ille molliter tractat, nec ſine metu fractionis deponit, leuat, in- [illegible] pida manu, quàm lento paſſu, & ad regulam velut dimenſo? Sic iſta ſarcinulam ſuã habet delicatè, tenerè, damni prouida, nunquam ſecura periculi; tãgit, palpat, ſcabit, fricat, lauat, tergit, ſtringit faſcijs, reſoluit, papillis admouet, complectitur vlnis, lectulo reponit; & hæc omnia laneis, vt ſic dicam, digitis. Nec mirum, de luto enim verſat vaſculum, ſicut teſtam quæ in clibano coquitur fragilem. Plaſtæ iam ſubit animo figmentum ex argilla aut gypſo; quid ibi hominis, dic ſodes, præter ſpiritum deſideras? Artis ſubſidio motari contingat imaginem Pauli, Paulum dices; ita viuo reſpondet in omnibus proportio, figura, color, quæ in fictili. In ſumma, homo eſt, ſi vox adſit. Ruat è baſi ſua ſubmotus pauliſper gypſeus iſte homo, quid niſi puluerem videas, ac comminutas aliquot particulas & fruſtilla, velut rudera ſubuerſæ ſtructurę? *Homo fictili ſtatuæ comparatus.* Tale prorſus noſtrum plaſma, labile & lubricum, ſi mens ſeparetur, & virtus motrix quæ regit: vno verbo, luteus homo, ſecluſo ſpiraculo; imò verò nec ſecluſo, tale etiam vas hoc corporis, dum agitatur & ſpirat certè: Spiritus enim inambulans hoc facit in membris, quod ventus folle conceptus in organis aut ſyringe muſica; inerrat & vim ſuppetit elidendo ſono, ſicut loquelæ vitalis alter, voci, quę articulis clauditur, aperiendo ſenſui. Sileat hæc vis, truncus erit in quo eſt; quod dormientis habitus deſignat. Cùm reflantis fortunæ procella ingruit, concutimur, nec firmo ſtamus pede: cùm mors ſagittam collimat, & metatorem præmittit morbum, labimur: frangit incidens iaculum tandem diſſoluit & conterit malè compactam fabricam: fluit ad radiũ vrẽtis fati, ſicut cera ad Solem. *Caro qd.* Mira infirmitas, & copioſa lacrymarum materia. Hæc ex carne, in carne, quæ eſt concreta quædam libidinis ſpuma, & [illegible]ic laſciuiæ fluor inter ſtercus & vrinam conglobatus. Habes; nunc vide ſi potes. Confirmat hãc meam ſententiam Ioannes Baptiſta Marinus, Italicorum Poetarũ noſtri temporis facilè princeps, qui quodã loco canit, homines prius ad fletum quàm ad lucem oculos aperire. Sed quid vetat elegantiſſimum carmen coronidis loco adducere, in quo breuibus verbis, id quod nos fuſiùs diximus, ille perſtrinxit?

Marini carmen.

Apre l'huomo infelice allhor, che naſce
In queſta vita di miſerie piena,
Pria ch'al Sol, gli occhi al pianto; e nato apena
Và prigionier frà le tenaci faſce.
Fanciullo poi, che non più latte il paſce:
Sotto rigida sferza i giorni mena:
Indi in età più ferma, e più ſerena
Trà fortuna, & amor more e rinaſce;
Quante poſcia ſoſtien triſto, e mendico
Fatiche, e morti, infin che curuo e laſſo
Appoggia à debil legno il fianco antico?
Chiude alfin le ſue ſpoglie anguſto ſaſſo
Ratto coſì, che ſoſpirando io dico,
Dala cuna ala tomba è vn breue paſſo.

Ære quandoque ſalutem redimendam.

EMBLEMA CLIII.



ET pedibus ſegnis, tumida & propendulus aluo,
Hac tamen inſidias effugit arte fiber.
Mordicus ipſe ſibi medicata virilia vellit,
Atque abicit, ſeſe gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo diſce non parcere rebus,
Et, vitam vt redimas, hoſtibus æra dare.

COMMENTARII.

I. FIBRVM venator accelerans canibus incitatis perſequitur, ſed ille genitalia ſibi dentibus amputare fingitur. Fiber, qui
Caſtor. & caſtor, animal eſt amphibium, ex albo cinereum, in dorſo nigricans, quod partim in aqua, partim in terra victitat, & ex vtroque loco pabulum venatur, lutrarum modo, quibus valde ſimile eſt, cauda excepta, quæ caſtori glabra eſt & lata, & piſcium modo ſquamoſa; lutris longa, rotunda, hiſpida, rufa, & ad caſtaneam accedens, vt & totum corpus.

APOLOGVS Aeſopicus de caſtore, cuius iſte eſt ſenſus. Caſtor ex quadrupe- II. *Caſtoris ſolertia.*
dum eſt genere, vt plurimùm in aquis viuens, cuius pudenda dicunt medicamentis eſſe vtilia. Hic vbi videt ſe ab hominibus indagari (nouit enim quapropter indagetur)

tur)

tur) ſecans ipſius ſibi virilia, proijcit aduerſus inſequentes, & ſic ſalutem conſequitur. Fabula oſtendit, prudentes homines pro ſalute adipiſcenda debere nullam ſuarum fortunarum habere rationem. Huic ſententiæ videtur adſtipulari Plinius lib. 8. cap. 30. Eaſdem, inquit, partes ſibi Pontici amputant fibri periculo vrgente, ob hoc ſe peti gnari. Caſtoreum id vocant medici. Solinus cap. 23. item cap. 38. de elephantibus hoc idem ſcribit. *Ælianus de caſtore.* Sic Ælianus hiſtoriæ animal. lib. 6. cap. 33. ait, à caſtore cauſam, ab inſequentibus venatoribus, cur tam cupidè petatur, non ignorari: idcirco mordicus ipſe premens vſq; incumbit ad elidendos teſtes, quouſq; abſciderit, & ſic eos abiecerit, tamquam homo ſumma prudentia in latrones incurrens, quæcumque portat, ad ſe redimendum exponit. Quòd ſi poſtea quàm exectus & ex periculo ſeruatus fuerit, ab inſectantibus iterum vrgeatur, hic ſe ſe alleuans, atq; quamobrem inſequi vlterius pergere non debeant, cauſſam oſtendens, ad reuertendum, quod iam ea parte, quam expetunt, careat, venatores inducit. Sæpè etiam nunc teſticulis præditus, cùm à venatorum conſpectu ſe longiſſimo curſu remouerit, eam partem deſideratam ita aſtutè comprimit & occultat, vt non habere viſus inſectatores fallat. Hæc ille ferè. *Locus Apuleij.* Sed & Apuleius lepidiſſimè in lib. 1. Aſin. aur. apud quem Socrates quidam loquens de Meroe anu ſaga: Amatorem, ait, ſuum, quòd in aliam temeraſſet, vnico verbo mutaui, in feram caſtorem: quòd ea beſtia captiuitatis metuens, ſe ab inſequentibus repræciſione genitalium liberat, vt illi quoq; ſimile, quod Venerem habuit in aliam, proueniret. Sed longè alia eſt ſententia Dioſcoridis, qui de caſtore totum id pernegat lib. 2. cap. 26. *An fiber ſibi teſtes exſcindat controuerſū.* Vanum, inquit, eſt, quod traditur, teſtes ab ipſis euelli, & à ſeſe abijci, cùm venatu vrgentur: ſiquidem tangi nequeunt, ita vt in ſue ſubſtricti. Plinius rurſus in hanc ſententiam videtur pedibus ire, cùm ait lib. 32. cap. 3. Spectabilis naturæ potentia in his quoq; quibus & in terris & in aqua victus eſt, ſicut & fibris, quos caſtores vocant, & caſtorea teſtes eorum. Amputari hos ab ipſis, cùm capiantur, negat Sextius diligentiſſimus medicinæ. Quinimò paruos eſſe ſubſtrictosq; & adhærentes ſpinæ, nec adimi ſine vita animalis poſſe.

III. *ET pedibus ſegnis*] quanquam ſit tardipes, tardo ingreſſu.

Tumida & propendulus aluo] ventrem habens pendulum, ſic tumenti & pendulo ventre.

Inſidias] venatorum.

Fiber] caſtor. *Caſtor & fiber idē eſt.* Sanè caſtor & fiber idem eſt animal (etſi non deſunt qui id negant) dictus quoq; canis Ponticus, quod Seruius & Rittershuſ. annotarunt in Oppianum. Inde caſtorea, hoc eſt, teſticuli fibri, apud Virgil. 1. Georg. Dicitur verò caſtor, vel quod ſe caſtret (quod tamen nugatorium eſſe liquet) vel quaſi γαστὴρ, quòd præter ventrem alioquin nihil vtile habeat. *Fiber vnde ſic dictus.* Dicitur fiber, quaſi fimber, quòd in extremis fluminum oris & tanquam fimbrijs degat. Veteres extremum dixere fibrum, inde fibræ in animalibus & arborum radicibus. Hinc lux Plautino illo detur:

Sic me ſubes cotidie, quaſi fiber ſalicem.

Nam qui in fimbrijs fluminum degit, ſalice delectatur. Hæc & alia de caſtore eruditè diſputat Ioan. Ludouicus de la Cerda Toletanus. Vide etiam Pierium lib. 13. Hieroglyph.

Mordicus ipſe ſibi] ὀδὰξ, morſicatim, mordendo: quod tamen falſum iam diximus. *Morſus fibri.* Cæterum fibrum eſſe animal adeo horrendi morſus, vt arbores iuxta flumina perinde ac ferro cædat: & hominis parte comprehenſa, non prius morſu reſoluere, quàm fracta concrepuerint oſſa, teſtatur Plinius citato lib. 8. cap. 30. in fine.

Medicata virilia] *Medicata.* medicinis apta. Sic Martialis lib. 9. Epigram. medicata pocula, dixit. Columella lib. 1. cap. 6. medicata vina. Virgil. 6. Æneid. medicatis frugibus offam. Et Iuuenalis de caſtore Sat. 12.

——*adeò medicatum intelligit inguen.*

Caſtorei vires. Has autem partes genitales caſtoris medici vocant caſtorea, medicamentum celebre & multi vſus, inquit Galenus, adeo vt Archigenes de caſtorei vſu totum conſcripſerit librum. Excalefacit autem manifeſtò, ſerpentum venenis medetur, menſes & partus validè eiet, lethargicis, veternoſis & vertigine oppreſſis prodeſt, neruorum affectibus medetur, vt tremoris, paralyſi, iſchiadi; cōfert & ijs, qui affecto ſunt ſtomacho, alijsq; morbis.

Atq; abicit] abijcit, genitalia linquit venatoribus.

Seſe gnarus ob illa peti] verba ſunt Plinij loco proximè citato: Eaſdem partes ſibi

bi Pontici amputant fibri periculo vrgente, ob hoc ſe peti gnari. Sed ſciendum eſt, omnibus animalibus natura duce oſtēſum, vt & commoda ſua norint, & nocentia contrariaq; ſciant declinare.

Non parcere rebus] non eſſe parcendum fortunis & facultatibus, vt vitæ conſulas.

Vitam vt redimas] Vt qui apud Saluianum, contemptis diuitijs, vitijs non ſuccubuerunt, auri & argenti cupiditate non victi, ſparſis, quod dicitur, redemerunt crimina nummis.

Hoſtibus æra dare] nummos abijcere, pecuniam hoſtibus numerare. Æra, pro pecunijs: materia pro materiato.

IV. *Quid per caſtorem.* QVOD de caſtore teſtes ſibi amputante, & venatoribus proiiciente fabulantur, id nimirum deſignat, *ὅτι τῶν ἀνθρώπων οἱ φρόνιμοι ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν σωτηρίας οὐδένα λόγον τῶν χρημάτων ποιοῦνται*. hoc eſt; *Viros prudentes ſuæ ſalutis gratia non debere vllam pecuniarum rationem habere*. id eſt: non ægrè ferendam eſſe pecuniæ iacturam. Potiſſimùm verò vrgente neceſſitate non magni eſt ducendum, nummorum diſpendium facere, ſi modò vitæ hoc pacto poſſit conſuli. Id Ariſtippus ſuo exemplo demonſtrauit, qui cùm in eadem naui ſeſe cum piratis verſari cognouiſſet, ſuas omnes pecunias de induſtria in mare proiecit, imprudenter ſe id feciſſe ſimulans: præuiderat enim ſe ab iis, quibuſcum nauigabat, ſpoliatum, & in aquas propter pecuniam præcipitem datum iri. Vt itaq; abeſſet effectus, cauſſam ſuſtulit. Idem Crates Thebanus cùm theſaurum ſponte perderet: Hinc abite, ait, malæ diuitiæ: ſatiùs enim eſt à me vos demergi, quàm ego à vobis ipſe. Simile quid apud Plutarch. traditur de Philoxeno, qui cùm opulentiſſimam hæreditatem nactus eſſet, & peſtiferas aduenarum delicias obſeruaſſet: *Per deos*, inquit, *me illa bona non perdent, ſed ego illa potius. μὰ τοὺς θεοὺς ἐμὲ ταῦτα τ' ἀγαθὰ οὐκ ἀπολεῖ, ἀλλ' ἐγὼ ταῦτα*. Non ſecus quàm Catullus ille, de quo Satyra 12. Iuuenalis, qui maximo in diſcrimine tempeſtatis, partem ſuarum rerum, quibus nauis onerabatur, proiecit in pelagus, quo nauis facta leuior, commodiùs portum appelleret.

Ariſtippi cautio.

Catulli factum.

Accidit & noſtro ſimilis fortuna Catullo,
Cū plenus fluctu medius foret alueus, & iā
Alternum puppis latus euertentibus vndis
Arboris incertæ, nullam prudentia cani
Rectoris conferret opem, decidere iactu
Cœpit cum ventis, imitatus caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere dāno
Teſticulorum, adeò medicatum intelligit
inguen.

& plura quæ ibi ſequuntur. Cui poteſt eſſe affine Ouidianū illud primo de Remedio:

Vt corpus redimas, ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora lauabis aqua.
Vt valeas animo, quicquam tolerare negabis?
At pretiū pars hæc corpore maius habet.

Ex Conſtantino Manaſſe hiſtoria de Michaelo Imperatore. Referam huc hiſtoriam nobilem Conſtantini Manaſſis ex Annalib. quòd ad hunc locum faciat: Michaelus quidem Imperator audita tyranni ferocia, impetu, defectione, ſuamet ſponte throno imperiali ceſſit, hoc ipſo facto diuinis Chriſti iuſſis ſatisfaciēs, & erga perſecutorem non aliter ſeſe gerēs, atque caſtor ſiue fiber facere conſueuit. Legimus enim in priſcis illis monumentis eorum, qui de animalibus ſcripſere, fibrum animal eſſe, quod in vtroq; viuat elemento, & teſtes habere arcendis quibuſdam morbis ſanè grauibus cōducibiles. Quod cum pleriq; venatores norint, animal canibus longè velociſſimis inſectantur. Huius pugnæ cauſſam cùm ipſe fiber etiam cognitam habeat, perhibent eum morſu reſectos teſtes abiicere, atque ita currentem ſaluti ſuæ conſulere: quo facto venatores feram perſequi deſinunt. Sic nimirum Michaelus quoq; volens Imperium reſignauit Leoni belluinis moribus & indole ferina prædito, qui oriundus erat ex Armenia, &c. Commodè obtulit ſeſe mihi aliis implicato, & ad alia cogitanti, locus ex Ammiano Marcellino, 17. lib. quo loco faſtuoſus Rex Sapor Conſtantio Imperatori ſuadebat, vt regni parte vltrò cederet: Poſtremò, inquit, ſi morem gerere ſuadenti volueris rectè, contemne partem exiguam ſemper luctificam & cruentam, vt cætera regas ſecurus: ac prudenter reputans medelarum quoque artifices vrere nonnumquam & ſecare, & partes corporum amputare, vt reliquis vti liceat integris: hocque beſtias factitare, quæ cùm aduertant cur maximoperè capiantur, illud propria ſponte amittunt, vt viuere deinde poſſint impauidè. Hæc Ammian. quo manifeſtè alluſum conſtat ad caſtorem. Huc confer adagium, *Pax redimenda*. Et huic ſimile reperies adagiū Homericum apud Parœmiographum, *Om-*

Ex Ammiano Marcellino.

nibus

nibus anteuertenda vita cura. Optimè etiam huc quadrat illud iuris, Anima eſt præferenda rebus aliis corporalibus, adeò abſurdum quibuſcunque cauſſis vel vaſis animas hominum poſtponi, l. ſancimus C. de ſacroſ. Eccleſ. c. præcipuis, 12 q. 1. c. ſolutæ, de maior. & obedient. Et turpe animam lucro vendere, & propter vitam viuendi cauſſas perdere, qui ita militant quã diu ſpirant, vt renunciare vitæ malint, quã carere exuuiis. Notent id auari illi Euclio-nes, qui ſi aliquando morbis vel vulneribus afflicti decumbant, ne perito cuidam medico dignum & debitum honorarium date cogantur, ſanitatem & vitam pecuniis poſtponunt: Et hi *iuſto Dei iudicio* ſæpe in agyrtas, mulomedicos, circumforaneos, & immanes tortores incidunt, quibus nullo auro ſatisfacere poſſunt, ab illis tamen excarnificantur, exoſſantur, & non ſanantur; ſic deniq; habent ſuas labra lactucas. At nobis nunc cum laruis lucta oblata eſt. *Pro ſanitate non parcendũ nummis.*

Cum laruis non luctandum.

EMBLEMA CLIIII.



ÆACIDAE moriens percuſſu cuſpidis Hector,
Qui toties hoſtes vicerat ante ſuos;
Comprimere haud potuit vocem, inſultantibus illis,
Dum curru & pedibus nectere vincla parant.
Diſtrahite vt libitum eſt: ſic caſsi luce leonis
Conuellunt barbam vel timidi lepores.

COM-

COMMENTARII.

I. LEO mortuus humi proſtratus, & ſupinus, hic iacet, circa quem magna petulantia laſciuit leporum turba, barbam & iubas eius vellens.

II. ID ſumptum eſſe liquet ex Homerico Iliados χ. Græci Hectorem ab Achille iã interfectum circumſtantes impetebant, & mortuo inſultabant, nec erat quiſquam, qui extincto vulnus nõ inſligeret. Sic enim Homerus: *Locus Homeri.*

—— ἄλλοι δὲ περίδραμον υἷες ἀχαιῶν,
οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν καὶ εἶδος ἀγητὸν
ἕκτορος: οὐδ᾽ ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.
ὧδε δέ τις εἴπεσκεν ἰδὼν ἐς πλησίον ἄλλον,
ὢ πόποι, ἦ μάλα δὴ μαλακώτερος ἀμφαφάασθαι
ἕκτωρ, ἢ ὅτε νῆας ἐνέπρησεν πυρὶ κηλέῳ.
ὣς ἄρα τις εἴπεσκε, καὶ οὐτήσασκε παραστάς.

—— alii autem accurrerunt filii Achiuorum
Qui & mirati ſunt ſtaturam & formam ſpectabilem
Hectoris: neq; ei quiſquam ſine vulnere aſtitit.
Sic verò aliquis dicebat aſpiciens propinquum alium:
O Dii, quàm multò profectò mollior contrectatur
Hector, quàm quando in naues ſæuiebat igne vrente.
Sic quiſpiam dicebat, & vulnera inſligebat aſtans.

At reliqui Graij accurrunt cinguntq; cadauer,
Hectoris eximiam ſpeciem formamq; ſtupentes:
Nec tamen aſtitit exanimi ſine vulnere quiſquam.
Tunc aliquis ſocio fundebant talia verba:
Mollior ah quanto iacet hic nunc inclitus Hector,
Quàm Danais quando eſt iaculatus puppibus ignes.
Sic dicens, telis in vulnere vulnera figit.

Cæterùm tertium Emblematis diſtichon ſumptum eſt ex 1. lib. Epigram Græcorum, incerti autoris, tit. εἰς ἀνδρείαν. quod ſic habet: *Emblematis typus.*

βάλλετε νῦν μετὰ πότμον ἐμὸν δέμας, ὅττι καὶ αὐτοὶ
νεκροῦ σῶμα λέοντος ἐφυβρίζουσι λαγωοί.

Quod ſic ſonat:

Poſt mortẽ, Danai, noſtrũ configite corpus;
Et lepores audent cæco inſultare leoni.

Parœmiographus ſic vertit:

Nũc telis petitote meum poſt fata cadauer;
Audet vel lepus exanimi inſultare leoni.

Sic verò Thomas Morus:

Proijcitote meum, Danai, poſt fata cadauer,
Nõ metuunt lepores defuncti mẽbra leonis.

Verba ſunt Hectoris à Græcis bigis rapti, quibus timiditatem & μικροψυχίαν ab ingenuis bellatoribus omninò alienam perſtringit. Alluſum eſt autem ad prouerbia, *Iugulare mortuos.* &. *Mortuo leoni & lepores inſultant.* &. *Cum laruis luctari.* &. *Mortuos rurſus occidere.* &. *Mortuis non conuiciandum.*

ÆACIDAE moriens &c.] Hector iam morti proximus, ictu Achillis deiectus. Achilles filius fuit Pelei & Thetidis, Peleus Aeaci ex Aegina: vnde Achilles dicitur Peleus & Aeacides, vt & alibi monuimus. III. *Aeacides.*

Qui toties hoſtes] Ouidiana eſt imitatio ex 1. de Arte:

Qui toties ſocios, toties perterruit hoſtes.

Comprimere haud potuit] nõ potuit eius vox ab illis non exaudiri in ſe inſilientibus.

Dum curru & pedibus] dum aptant funes pedibus currui Hectoris alligandis. Hector enim ab Achille interemptus, bigis alligatus eſt, & circa Troiæ mœnia raptus. Virgil. 1. Aeneid.

Ter circum Iliacos raptauerat Hectora muros.

Idem 2. Aeneid.

Raptatus bigis, vt quondam, aterq; cruento
Puluere, perq; pedes traiectus lora tumẽtes.

Narrat idem Cretenſis de bello Troian. Sed tamen Achillem, bigis alligatum Hectorem non viuum traxiſſe, ſed mortuum eius corpus nihil iam ſentiens, eleganter diſſerit arguendo & etiam execrando Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. Eſt autem hoc loco *curru*, datiui caſus, pro *currui*. quod priſcis non inuſitatum, vt in illo Virgilii 1. Aeneid. notat Seruius: *Curru pro currui.*

Flectit equos, curruq; volans dat lora ſecundo.

Et ibidem:

Parce metu Cytherea.

Dicta-

Diſtrahite vt libitum eſt] Diſcerpite me pro libitu. Liuius: Ita iam corpus paſſim diſtrahendum dabis.

Sic caſſi luce leonis] lumine priuati. Lux pro lumine, & lumen pro vita vſurpatur à Cicerone, Virgilio, Lucretio, & quamplurimis alijs. Si quem præſtantem dignitate & opibus hominem aduerſa fortuna præcipitem dederit, in hunc paſſim omnes inſiliunt; quem nimirum non iam tunc mordere poſſe putant. Quò pertinet iactatum vulgo, *Arbore deiecta quiuis colligit ligna.* id eſt: δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. German. *Ligt der baum ſo bricht iederman holz dauon, auch die ihn vor pflantzten.*

Arbore deiectâ quiuis colligit ligna.

Conuellunt barbam] Alluſum ad illud, *Barbam vellere*: quod irriſionis ſignum eſt. Perſius Satyra 1.

Barbam vellere.

Si Cynico barbam petulās Nonaria vellat.

Et Horatius 1. Serm. Sat. 3.

——barbam tibi vellunt
Laſciui pueri.

Martialis item lib. 10 Epigram. 90. ſalsè iocatur de Ligella:

Quare ſi pudor eſt, Ligella, noli
Barbam vellere mortuo leoni.

IV. *Non maledicendum mortuis.*

MONEMVR, ne quid maledicentiæ in vita functos effundamus, aut petulanter ijs obloquamur. Quemadmodum enim in bellis maximè ridiculum eſt, & inauditæ cuiuſdam feritatis argumentum, ſi quis proſtratos atq; iam interemptos feriat, aut quoquo modo afficiat: ſic intemperantiæ eſt, & certè dementiæ maximæ, mortuos iniurijs probriſq; lacerare: vt ſunt qui vel libris editis, vel priuatis aut publicis colloquijs, priſcorum, aut etiam clarorum virorum dogmata reuellunt, & nigro dente lacerant, contra quos viuos ne hiſcere quidē auderent. Laertius Chilonem ait vetuiſſe. de mortuis malè loqui: quòd ignauum videretur eos inceſſere lingua, qui reſpondere non poſſent; ac turpe eſſet cum vmbris & laruis luctari. nam id eſt ſepultum quodammodò refodere, & (vt Ariſtophanis verbo vtar) τοὺς τεθνηκότας ἀποκτείνειν. id eſt: *Mortuos occidere.* Quæ res quam indigna ſit bono atq; cordato viro, leuis eſt coniectura. Quamquam in ius ideò non ſunt vocandi qui fœdiſſimæ vitæ turpiſſimum exitum hiſtorica veritate aliquando ſolent deſcribere: memorantur enim plerunque huiuſmodi exempla, vt à vitiis peccaturos abſterreant. Alioquin nefas eſſet nobis Iudam appellare proditorem, Neronem crudelem, Gracchos ſeditioſos, Cæſarem tarare propter ambitionem, & cæteros item ſuis depingere coloribus. Philoſtratus Aelianum ſcitè coercuit, qui accuſationem cuiuſdam tyranni, ſed iam mortui ſcripſerat. Inſtitutum iſtud tuum laudarem equidē, ait ille, ſi viuū accuſaſſes: *viuentem namque tyrannum inceſſere, viri eſſe duco; at mortuo inſultare cuiuſuis.* τὸ μὲν ζῶντα τὸν τύραννον ἐπικόπτειν ἀνδρὸς εἶναι νομίζω· τὸ δὲ ἐπεμβαίνειν κειμένῳ, παντός. Refert Plutarchus de Ageſilao, quod cum Lyſandri literas & orationē de nouandis rebus, deq; mutādo reipublicę ſtatu, corā exercitu legere vellet, & Lyſandrum defunctum eſſe audiret, noluit defuncti improbitatem aperire militibus: indecorum eſſe putās, ſimultatem exercere cum ſepulto. Sic Munatius Plancus cùm audiſſet in ſe orationes quaſdam factas ab Aſinio Pollione, quas tamen nollet ante mortem eius edere, cum mortuis non niſi laruas luctari reſpondit. Contra Leptinem Demoſthenes ait, Nemini mortuo maledicendum eſſe. Refert Zonaras Annal. 3. cùm Eudoxiæ Heraclij Imperatoris funus efferretur, Epiphaniam filiam, quòd ſpuiſſet in cadauer, viuam rogo impoſitā & exuſtam fuiſſe. Laudatur Lycurgus, qui cadauera hoſtium nudari vetuerit; rectè profectò, quippè qui humanitatis memor eſſet. Vituperatur contrà, vir alioqui magnus, Alexander Macedonius, qui cadaueribus pontis loco vſus dicitur. Et Verris crudelitas à M. Tullio inceſſitur 7. Verrina, quòd nauarchos innocentes non modò vita priuaſſet, ſed & eorum cadauera ſepelienda non prius parentibus reddidiſſet, quàm ab eis certam mercedem accepiſſet. Rectè Homerus

οὐχ ὁσίη κταμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.

Non ſanctum eſt viris interfectis inſultare

Quod forſitan Virgilius imitatus eſt 11. Aeneid.

Nullum cū victis certamen & æthere caſſis.

In eos, qui ſæuiunt in humana cadauera locus eſt Platonis longè pulcherrimus 5. de Repub. Ἀνελεύθερον δὲ οὐ δοκεῖ καὶ φιλοχρήματον, νεκρὸν συλᾶν, καὶ γυναικείας καὶ σμικρᾶς διανοίας, τὸ πολέμιον νομίζειν τὸ σῶμα τοῦ τεθνεῶτος ἀποπταμένου τοῦ ἐχθροῦ, λελοιπότος δὲ ᾧ ἐπολέμει; ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς τοῦτο ποιοῦντας τῶν κυνῶν.

De ijs, qui ſæuiūt in homines mortuos.

κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι, τοῦ βάλλοντος οὐκ ἁπτόμεναι; οὐδὲ σμικρὸν, ἔφη. ἐατέον ἄρα τὰς νεκροσυλίας, καὶ τὰς τῶν ἀναιρέσεων διακωλύσεις. *Nonne videtur illiberale & animi planè ſordidi, muliebris ac puſilli, cadauer ſpoliare, & mortui corpus hoſtem putare, cùm hoſtis ipſe abierit eo relicto, quo pugnabat? Quid putas eos, qui ita ſe gerunt, differre à canibus in iactos lapides ſæuientibus, eo qui iecerit prætermiſſo? Nihil differunt profectò. Itaq; ab eiuſmodi prædationibus abſtinendum eſt, obſunt enim victoriæ.* Cui quodammodo congruit quod in formula quadam Comitiuæ priuatorum non minus

Locus Caſſiodori. argutè, quàm piè inculcat Caſſiodorus lib. 6. Variarum: Defunctorum ſacrã quietem æquabilia iura tuæ conſcientiæ commiſerunt, ne quis veſtita marmoribus ſepulchra nudaret, ne quis columnarum decorem irreligioſa temeritate præſumeret, ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma conſumptos, ſcelerata perſcrutatione detegeret, ne corpus, quod ſemel reliquerat moleſtias mundanas, humanas iterum pateretur inſidias. Nam etſi cadauera furta non ſentiunt, ab omni pietate alienus eſſe dignoſcitur, qui aliquid mortuis abrogaſſe monſtratur. Poſſem huc referre plura de laceſſitis mortuis, vel ſepulchris ſuis occluſis, vel etiam in publicis ſupplicij locis exiſtentibus, de quibus mirum quantum blaterat rude vulgus, & habet nonnulla libellus Iocoſeriorum; ſed ne videar vera cum fabuloſis confundere, nihil vltrà addam.

De Morte & Amore.

EMBLEMA CLV.



ERRABAT ſocio Mors iuncta Cupidine: ſecum
Mors pharetras, paruus tela gerebat Amor.
Diuertere ſimul, ſimul vna & nocte cubarunt:
Cæcus Amor, Mors hoc tempore cæca fuit.
Alter enim alterius malè prouida ſpicula ſumpſit,
Mors aurata, tenet oſſea tela puer.
Debuit inde ſenex qui nunc Acheronticus eſſe,
Ecce amat, & capiti florea ſerta parat.
At ego mutato quia Amor me perculit arcu,
Deficio, inijciunt & mihi fata manum.
Parce puer, Mors ſigna tenens victricia parce:
Fac ego amem, ſubeat fac Acheronta ſenex.

COMMENTARII.

I. MORS & Amor è ſublimi tela per errorem mutata hinc inde vibrant: Amor iuuenem lethali ſagitta ferit & proſternit; Mors decrepitum ſenem Cupidinis telo vulnerat, & libidine accendit.

II. *Ex Guicciardino detecta Emblematis veriſſima origo.* GVICCIARDINVS libello quodam Italico, quo res quaſdam memoratu dignas, easq́; veteres & nouas, tum etiam alicubi feſtiuas & ioculares, exſcripſit, hoc carmen ab Alciato fuiſſe ſcriptum teſtatur, quo tempore in Italia vehemens peſtilentia ita graſſata eſt, vt permulti iuuenes extremum vitæ diem clauſerint, & ſenes ferè illæſi atq; incolumes permanſerint. Quod facilè mihi probari poteſt. Sed tamen Emblematis huius materiam video ſumptam eſſe ex antiqua Græcorum fabula, quam *Ioan. Marius Belga.* Gallicis ſcriptis mandauit Ioannes Marius Belga, Illuſtrationum Galliæ ſcriptor ſua ætate nobilis. Figmento enim lepido ſanè ac feſtiuo tradit, cur plerique ſenes amori placido ſuccumbant, quibus potiùs de fato imminente cogitandum erat: contrà iuuenes immatura morte decedant, quorum potiùs fuerat hilarem vitam ducere, & amorem conſectari, habita præſertim ætatis ratione. Hoc expreſſit non inconcinnè aliquis, ſed ἀνώνυμος.

Fortè locum horroris plenũ, varijq; timoris,
Et Mors, & penna præpete venit Amor.
Dum trepidant animis, ignita Cupidinis arma
Mors capit, & Mortis frigida tela puer.
Hinc enata lues noſtros irrepſit in annos:
Hinc amat ipſe ſenex, hinc perit omnis amans.

Ioachimus Bellaius. Nec verò pigebit aſcribere Ioachimi Bellaij Epigramma in hanc ſententiam, quod in eius tumulis & poematiis Latinis legitur:

Mutarũt arma inter ſe Mors atq; Cupido,
Hic falcem geſtat, geſtat at illa facem.
Afficit hæc animum, corpus ſed conficit ille:
Sic moritur iuuenis, ſic moribundus amat.
Vt ſecat hic iugulos, oculos excæcat & illa:
Illa vt amare docet, ſic iubet iſte mori.
Diſce hinc, humanæ quæ ſint ludibria vitæ:
Mors thalamum ſternit, ſternit Amor tumulum.
Tu quoq; diſce tuas, Natura, inuertere leges;
Si pereunt iuuenes, depereuntq́; ſenes.

Emanuel à Coſta. Sed & inter epigrammata Emanuelis à Coſta Luſitani, quæ circumferuntur cum titulo, è Græco tale legitur epitaphium:

Mors & Amor quondam tectum venere ſub vnum,
Miſtaq; in hoſpitio tela fuere ſimul.
Cùm nondum clara diſceſſum luce pararent,
Mortis tela puer, Morsq; tulit pueri.
Hinc iuuenes occidit Amor fallente pharetra,
Hinc Mors ipſa ſuos cogit amare ſenes.
Sic Didacus perijt Stephanus florentibus annis,
Ereptus Muſis, legibus, ac patriæ.
Quà Tagus auriferas latè diſpergit arenas,
Et diua Eiria mœnia celſa videt:

Hic

Hic iuuenem ob matris funus pietate gementem,
Heu heu, lethali cuſpide fixit Amor.

III. *ERRABAT ſocio Mors iũcta Cupidine*] pro Cupidini. Enallage, caſus pro caſu. Vagabantur igitur ſimul Mors & Amor, fortè tempore illo, quo *Amor fugitiuus* à matre quęrebatur, conueniunt enim hic ſigna nonnulla inuentori à Venere præſcripta, quæ nos ſupra Emblemate 114. ex Politiano retulimus; at non auſi ſumus Italicum idioma ſubnectere, ne crambe recocta nauſeam lectori pareremus. Huc igitur differre placuit, vt nouo appetitu ad nouum miſſum accedas, quem Muſa Hetruſca Reuerendiſſimi Abbatis Nicolai de Oddis ſuauiſſimis condimentis paratum miniſtrat. Fruere hoc interim, donec tibi breui integræ epulæ ex vberrimo hoc penu apponantur. Sic ergo loquitur Romana Venus:

Amor fugitiuus Moſchi, è Graco in Italicum traductus à Nicolao de Oddis.

Con alti gridi vn giorno
Cercaua il figlio Amore
Venere, e ſi le voci ſue d'intorno
Riportauano l'ore:
Chi il fugitiuo mio
Trà ſtrade, il picciol Dio
Vidde? Dicalo, e prenda
In premio vn don, ch'il cor d'amor gl'accenda.
Sia di Venere il bacio
Il premio al nuntio, e ſia
Premio maggior ch'vn puro e nudo bacio
A quel ch'in mia balia
Darallo: via più caro
Haurai tu il premio e raro,
Hoſpite e pellegrino
Che pregione daraimi il mio bambino.
Egli hà mille e più ſegni:
E' di color non bianco
Ma al foco anzi ſimile, hà gli occhi pregni
Di ſcintille: ed è anco
(Benche in voce leale)
Perfido e disleale;
Altr' hà in core, altr' in bocca,
E d'ira acceſo dardi auenta e fiocca.
E' nel parlar corteſe,
Ne l'opre ſcarſo; è al vero
Fiero nemico: hà mille e mille teſe
Reti à gli amanti il fiero,
Quand' ei luſinga altrui
Hà minor fede in lui;
Gioca, e 'n giocando fiede,
E dolce in viſta pur ſcherzando riede.
Haue riccciuta e vaga
Lunga zazzara in teſta,
Che dolcemente i riguardanti appaga.
Nel volto ei manifeſta
Souerchio ardire. e quelle
Picciole ſue man belle
Fiedono à dritto ſegno
Sin d'Acheronte e di Pluton nel regno.
Hà nudo il corpo, e veſte
D'alti penſieri ardenti
La mète. Hau' ali al tergo agili e preſte,
E quaſi angel trà venti,
Hora in ſeno, hora in gonna
Di giouin vago, ò donna
Vola, e s' interna; e ſiede
Ne' cori altrui quaſi in ſua propria ſede.
Piccioliſſimo hà vn arco,
Con l'arco la ſaetta,
E attende ſcaltro hor queſta, hor quella al varco,
Vola ella leggiadretta
In Ciel non men ch' in terra,
E i Dei (non ch' altro) atterra.
Da gli homeri gli pende
Ricca faretra, oue 'l bel oro ſplende.
Hà la faretra, l'adre
Saette, con quai punge
Souente amaramente e me ſua madre.
E tutt' amaro, ed vnge
D'vn poco dolce il fiele.
A ſe ſteſſo e crudele.
E con ſua picciol face
Il Sole, il Sole iſteſſo abbruggia e ſface.
In ſtretti nodi allaccia
(S' auuien lo troui à ſorte)
Di lui l'ali non men che mani e braccia.
Nè le fallaci e accorte
Sue voci attendi; e s' ei
Pianger s' infinge, e i bei
Capelli ſquarcia, ò panni,
Fuggi, deh fuggi (oime) ſon frodi e inganni.
Togli, deh, gli occhi al riſo:
E s' ei ti porge i baci,
Fuggi, ò riuolgi altroue, ahi canto, il viſo.
S' ei ti parla e tù taci,
Falſo è 'l bacio e le labbia,
Han ſol veneno e rabbia.
Prezza i ſuoi doni poco,
Ch' altro non ſon ch' inganni, altro che foco.
Sprezza pur quanto porge,
Che placido ei s' infinge, e fier riſorge.

Poſſent hæc videri παρέργως, ſed occaſio Amoris errabundi, cum maximè venuſtas poematis facilè me excuſabunt.

Mors hoc tempore cæca fuit] Mors æquè ac Amor cæca fingitur; vnde per errorem meliora rapere relictis deterioribus dicitur.

Malè prouida ſpicula] Catachreſis, qua tribuitur rei inanimatæ quod ſoli animatę competit. Talis eſt etiam illa 6. Aeneid.

Ibant obſcuri ſola ſub nocte per vmbras.

Oſſea tela mortis.

Mors aurata.] Ab effectis & conſequentibus Morti oſſea tela tribuuntur: Cupidini verò aurata, quòd delectent, videanturq́ue mente captis in aliquo eſſe pretio.

Senex Acheronticus.

Senex Acheronticus.] Hunc loquendi modum videtur ex Plauto mutuatus, apud quem ſenex Acheronticus capularem & morti proximum ſignificat. Vide adagiũ, *Alterum pedem in cymba Charōtis habere.*

Aſt ego mutato] Adoleſcentis eſt proſopopœia de Amore conquerentis, quòd ab eo mortifero telo ſit affectus. Et ſane ferè fit, vt immodicus amor in iuuenibus mortem arceſſat: quod potiùs imprudentiæ & inſaniæ iuuenili, quàm Cupidinis ſagittis aſcribendum eſt.

Acheron.

Subeat ſac Acheronta] moriatur. Acheron, Acherons, ſiuè Acheruns fluuius inferorum, qui primus animas accedentes excipit: ſic dictus, quaſi ſine gaudio, à particula priuatiua α, & χαῖρον, quod lætitiam ſonat. Sunt qui malint dici ἀπὸ τῦ ἄχεος καὶ ῥέω, quaſi doloris triſticiæque fluuius. Significationem etiam Acherontis explicat Plutarchus conſolatione ad Apollonium, & libro de primo frigido. Præter hunc aũt inferorũ fluuium plures alios Acherontes appellari proditum eſt ab auctoribus,

Acherontes plures.

quorum vnus ad Heracleam Ponti eſt, ita appellatus, vt refert Andro Tellus ἐν περίπλῳ, ab Acheronte Mariandynorum Rege, per quorum regionem, vt tradit Euphorion, præterfluit. Is poſtea Soonautes à nautis quibuſdam Megarenſibus vocatus eſt, quoniam ingentem illic maris tempeſtatem incolumes euaſerunt, vt in 2. Argonaut. ſcriptũ reliquit Apollonius. Meminit & Herodotus de Heraclea, quã Acheruſiam accolæ vocant, quò tradit Cerberum ab Hercule ductum eſſe, ibiq; euomuiſſe bilem, ex qua venenum, quod aconitum appellatur, ortum eſt. Iuſtinus lib. 12. ex Trogi hiſtoria mentionem fecit Acherontis, qui eſt in Epiro, & alterius apud Brutios, apud quem Alexander Epirotarum Rex trucidatus eſt, Dodonęi oraculi reſponſo deceptus, iubente vt Pandoſiam atq; Acherontem caueret.

Alexander Epirota deceptus.

Quæ vtraq; cum in Epiro eſſent, neſcius & vrbem & fluuium cognomines eſſe in Italia, vt vitaret fatorum minas Italiam petijt, Tarentinis contra Brutios ſuppetias ferẽs. Qui tandem cùm à finitimis auxilia contraxiſſent, Alexandrum iuxta fatalem Pandoſiæ vrbem amnemq; Acheruſium trucidarunt. Cuius rei mentio quoq; eſt apud Strabonem lib. 6. & Liuium lib. 8. qui apertè ad fluminis etymon reſpexit, cum ait: Feſſus metu ac labore miles, increpans nomen abominandum fluminis: Iure Acheros vocaris, inquit. Quæ porrò hiſtorice & fabuloſè de Acheronte feruntur habes paſſim apud ſcriptores, præſertim Parrhaſium in Claud. Apollodorum lib. 20. περὶ τῶν θεῶν, Natalem Comitem Mytholog. lib. 3. c. 1.

IV.

Error Mortis & Amoris cauſa fuerunt hoc loco, iuueni quidem exitij, ſeni verò libidinis. Et hoc haud rarò contingit, vt aliorum errores alijs ſint nociui. Sed huiuſcemodi pręſertim ſenum gaudia, non niſi errores dici poſſunt, quod Eccleſiaſt. 2. cap. oſtendit: Riſum, inquit, reputaui errorem; & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Proinde luxuriam, cum omni ętati turpem, tum ſenectuti fœdiſſimam dicit Cicero lib. 1. Offic. & Ouidius:

Senum amor, error.

Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Sed quia de Amoris potentia tum in iuuenibus, tum in ſenibus abundè diximus ſuperioribus quibuſdam Emblematis, ſuperuacaneum cenſeo hic plura aggerere.

Infor-

In formoſam fato præreptam.

EMBLEMA CLVI.



CVR puerum Mors auſa dolis es carpere Amorem,
Tela tua vt iaceret, dum propria eſſe putas?

COMMENTARII.

I. MORS Amori altum dormienti ſurripit arma, arcum, ſagittas, & pharetram; ipſi verò ſua viciſſim reliquit, falcem cum clepſydra.

II. EIVSDEM eſt argumenti cum ſuperiori, quo deflet cuiuſdam formoſæ virginis immaturum obitum. Increpat itaq; Mortem tanquam huius funeſtiſſimi mali cauſſam, nimirum quæ Amori dormitanti tela detraxerit: quo effectum eſt, vt poſtmodum lethiferis pro blandis lætisq; vteretur. Ita ferè fit, vt puellæ nubiles tumulo recondantur, quæ potiùs thalamo erant addicendæ. Reſpexit huc Claudius Minos, dum aliquando epigramma luderet in gratiam nobilis cuiuſdam adoleſcentis, qui magno ſuo dolore amicam, lectiſſimam primæque nobilitatis iuuenculam, præmatura morte ſibi ereptam lugebat; cuius carminis hæc fuit pars quædam:

Ah virgo infelix, quid te Libitina trucidat
Tam citò, formoſo digna puella viro?
Inuidit thalamo tumulus, quo ſæpe primas
Coniugij tædas ipſe parabat Amor.
Sic penetrabilius telum fuit iſtud Amoris:
Mors aberat, morti cuſpide fecit Amor.
Sic maleſuadus Amor, Mortis qui ſpicula
dirus

Arripuit,quando lethifer omnis erat.
Sed nil nos queſtuſq; iuuant, molleſq; ſuſurri,
Virgo iaces, thalamis aptior vna tuis.
Quàm miſerè ante diem Parcarum ſtamine rapta
Conderis in tumulo,digna puella thoro:

III. *AVSA dolis es carpere*] decipere, fallere Poetarum eſt figmentis ludere, rebus incorporeis corpora tribuere,& quicquid naturale vel fortuitum eſt, ad artem conſiliumve referre.

Dum propria eſſe putat] Alluſio ad errorem & mutationem armorum,quam Emblemate præcedente fusè explicauit.

IV. OBIVRGAT (vt dictum eſt) Mortem,quod Amorem cæcum & puerum fefellerit, tradens illi arcum & ſagittas mortiferas,quibus dum pueros & virgunculas percutit,mortale vulnus infligat. Id autem fit immodica amoris vehementia. Quod quidem ſæpenumerò contingit, vel cum puellæ amore captæ deſperantes expirant, mortemq; ſpontaneam aliquando malũt, quàm ab aliqua ſpe incerta ac dubia lactari diutius:aut cùm corporis aliqua ægritudine, vel cauſſa alia minimè cognita, quo tempore de coniugij negotijs agendum erat,antè mori diſcunt,quàm viuere inceperint. Sic enim amor ille cæcus reuera & impatiens, imò verò exſpes, corripere tela mortis dicitur,cùm iuuenculæ illæ teneræ & delicatæ aut ſe falli ſentiunt, aut nihil ſpei fore intelligunt in eo,quem ardenti animo concupiuerunt. Sic plerumq; mala fortuna proſperam illam fallit & ſuperat. Tã enim variæ ſunt eius vices, vt cum maximè læta ſperemus,triſtiſſima eueniant;ſubitoq; ex flore cinis. Nam fata regunt homines. Et venuſtè canit Ouidius 4.de Põt.

Puellarũ mors præpropera.

Ludit in humanis diuina potentia rebus,
Et certam præſens vix habet hora fidem.
Tu quoque fac timeas, & quæ tibi læta videntur,
Dum loqueris, fieri triſtia poſſe puta.

In hanc ſententiam ita philoſophatus eſt Lucilius,teſte Seneca: Non repente in mortem incidimus,ſed minutatim procedimus. Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ; & tunc quoq; cum creſcimus vita decreſcit. Infantiam amiſimus,deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam:vſq; ad heſternum quidquid tranſijt temporis,perijt:hũc ipſum quem agimus diem,cum morte diuidimus. Mortis autẽ venturæ tres nuncios recenſet Hugo, caſum,infirmitatem,ſenectutem. Caſus dubia,infirmitas grauia,ſenectus certa denunciat. Caſus denunciat mortem latentem, infirmitas apparentem, ſenectus præſentem. Sed fabulam locus iſte poſcit. Quidã cum morte paciſcebatur, ne ſe improuiſum opprimeret, ſed mitteret prius qui moneret, quique indicaret ipſam appropinquare. Mors hoc ipſi recipit,cùm non prorſus ipſi parcere poſſit, non tamen incautũ obruturam vmquam. His pollicitationibus ſecurus, idem elatus, animo ſecuro vitam egit: cumq; minimè metueret, ecce mors ipſum ablatum adeſt. At miſer tergiuerſatur, reſtitat,queritur grauiter, ſe præter datam fidem fraude circumuentum abripi, Mortis accuſat vanitatem: neminem enim adfuiſſe, qui ipſius aduentum prænunciarit. Sed Mors contrà,plurimos ad ipſum nuncios ablegatos demõſtrat. Quid enim? ait. Nonne annis abhinc ſex febri,ac poſt biennium rurſum grauedine ac diſtillationibus laboraſti? Nonne & interea ſæpè cum tuſſi capitiſq; doloribus es conflictatus? nonnè & nuper anhelaſti? quibus omnibus, vt aduẽtantis mortis prænuncijs, non longè illam abeſſe commoneri debuiſti. Quin etiam paulò ante meum hunc aduentum germanum fratrem ad te miſi, veternoſum illum ſoporem,in quo aliquantiſper pro mortuo iacuiſti. Ita Mors probata fide ſua, & altero falſi conuicto, lamentantem ipſum & muliebriter eiulantem abripuit. Diſcant hinc omnes, quibus propria ſalus curæ eſt, quid facere nos oporteat; atq; ò quàm faceremus omnes prudenter, ſi maturè ſarcinas colligeremus hinc abituri, & pulchrum exiſtimaremus, ante mortem conſummare vitam, & deinde piè expectare aliquam temporis partem. Ecquem enim noſtrum eiuſmodi mortis apparitores non multoties interpellarunt, & ad migrandum extimularunt? Scilicet

Quotidie morimur.

Mortis nuncij qui.

Fabula.

Sopor mortis frater.

Mille modis lethi miſeros mors vna fatigat.

inquit Statius. Quin igitur ſurſum curſum noſtrum dirigimus, & minitantem, imminentem, & exterminantem mortem attendimus, ne ſimul cum corporis fractura

ctuta animæ iacturam faciamus? Huc etiam ſpectat illud, quod prouerbio fertur, *Mors optima rapit, deterrima relinquit.*

In mortem præpoperam.

EMBLEMA CLVII.



QVI teneras forma allexit, torſitq́; puellas
Pulchrior & tota nobilis vrbe puer,
Occidit ante diem, nulli magè flendus, Areſti,
Quàm tibi, cui caſto iunctus amore fuit.
Ergo illi tumulum, tanti monumenta doloris
Aſtruis, & querulis vocibus aſtra feris:
Me ſine abis dilecte? neque amplius ibimus vnà?
Nec mecum in ſtudijs otia grata teres?
Sed te terra teget, ſed fati Gorgonis ora,
Delphinesq́; tui ſigna dolenda dabunt.

COMMENTARII.

I. TVMVLVS ſplendidè extructus conſpicitur, cui inſculptum eſt caput Meduſæ inter duos delphines. Delphinorum formam paſſim in ſuperioribus deſcripſimus. Gorgonum formam deſcribit Apollodorus lib. 2. nempe quod ſquamoſarum anguium ſpiris obſita capita haberent, dentes tantos, quanti ſunt ingentium aprorũ, manus æreas, alasq; aureas.

Gorgonũ forma.

II. DEFLET amici cuiuſdam præmaturũ obitũ, eumq; commendat à vultus dignitate, nobilitate generis, & amoris cũ Areſtio adoleſcente æqualitate: huncq; Areſtium præ cæteris tanti infortunij luctus debere perſequi ait: quippè qui cum eo & ſtudijs, & vitæ neceſſitudine fuerit maximè coniunctus, icircò tanti luctus, vt beneuolentiæ memoriam ſuperſtitem profert hoc cenotaphio, epitaphio, ſub quo Delphinum & Gorgonæ imagines emineant. Delphin quidem φιλάνθρωπος, & hominum amaſius hic notam amicitiæ præfert. Gorgoneum Meduſæ caput pro mortis ſigno apud quoſdam vſurpatur, proque ſtupore & admiratione ἀναισθησιν inducente, vt apud Pierium lib. 16. Hieroglyph. diligenter explicatur. Philoſtratus de Perſeo: τὸ δῆμα τῆς γοργοῦς, ἔχων ἀπόθετον, μὴ ἐντυχόντες ἀυτῷ λαοὶ, λίθοι γίνωνται. *Seposito Gorgonis terriculamento, ne homines lapideſcerent ipſi occurrentes.* Heliodorus hiſtoriæ Aethiopicæ 4. ἡ δ' ὥσπερ τὴν γοργοῦς θεασαμένη κεφαλὴν, ἤ τι τῶν ἀτοπωτέρων, ὀξύ τι καὶ μέγα ἀνέκραγεν. *Illa autem non ſecus quàm facie conſpecta Gorgonis, aut alio terrifico monſtro, altum vociferata eſt.* Hoc de Flaminio Malegucio Regienſi intelligi ſunt qui arbitrentur, cuius monumentum, & aerea effigies viſuntur Patauij in cœmeterio Eccleſiæ D. Antonij.

Occaſio Emblematis.

Caput Meduſa quid.

Flaminius Malegucius.

III. *QVI teneras forma*] qui ob formæ dignitatem à puellis erat eſflictim adamatus.

Tota nobilis vrbe] nobiliſſimus eius vrbis, vel (quod magis placet) notus ſeu cognitus, quaſi noſcibilis. Plautus Pſeud.

Nobilis.

——cum ijs mihi
Nec locus, nec ſermo conuenit, ijs nunquam
nobilis fui.

Occidit ante diem] morte præmatura raptus eſt.

Nulli magè flendus.] Horatianum iſtuc imitatur è 1. Carminum:

Multis ille quidem flebilis occidit,
Nulli flebilior quàm tibi, Virgili.

Areſti] Alluditur ad cognomen Ludouici Areoſti, poetæ ſummi, quem fama eſt, Flaminium Malegucium peramaſſe, captum ſpecie ingenij, & morum elegantiſſimorum. Areſtius autem rectè, fuerunt enim qui crederent, Arioſtos ab Ariſtijs manare: & mater L. Arioſti fuit Daria Malegucia Regienſis.

Ludouicus Arioſtus.

Ergo illi etc.] tumulum excitas amiciſſimo adoleſcenti, in ſignum mœroris.

Querulis vocibus aſtra feris] impenſiſſimè eius obitum defles. Virg. 5. Aeneid.

——Ferit æthera clamor.

Sed te terra teget] ſepultus, humo conditus es.

Sed fati] mortis huius & præmaturi obitus.

Gorgonis ora] caput Gorgonis. Fuerũt autem Gorgones tres ſorores, puellæ pulcherrimæ, filiæ Phorci, nempe Euryale, Sthenio, Meduſa, quæ Dorcadas inſulas in Oceano Aethiopico ſitas habitaſſe dicuntur, contra Heſperidos hortos. Hæ ab agilitate nomen habent, γοργὸν enim agile vel terribile ſignificat. Scribit Diodorus fœminas fuiſſe in Aphrica bellicoſas, aduerſus quas Perſeus bellum geſſerit, & earũ reginam Meduſam interfecerit. Hæ ſorores vnum oculum & vnum dentem habuerunt communem, quo vterentur vbi domo exirent, quem domi in vaſculo quodam reponebant. Serenus tamen dicit puellas fuiſſe vnius & raræ pulchritudinis, quas cùm adoleſcentes vidiſſent, ſtupore torpebant: vnde figmenti ſumpta eſt occaſio, quòd ſi quis eas vidiſſet, verteretur in lapidem. Vide Ouidium 4. Metamorph. Mantuanum, & Heſiodum in Theogonia. Scriptum reliquit Alexander Myndius eo libro, quem ſcripſit de iumentis, Nomades animal quoddam in Libya Gorgonem ſolitos appellare, agreſtibus ouibus perſimile; quod tamen nonnulli vitulo marino potius eſſe ſimile putarunt. Eius animalis eam vim dictus eſt habere ſpiritus, vt omnia animalia, quæ ſibi obuia fierent, interimeret: comamque habere è fronte ad oculos demiſſam, quam vbi concutiens & caput vix tandem ob grauitatem

Gorgones.

Vnde dicta.

Gorgone monſtra.

tem aſpexiſſet, eos perimebat, qui viſi fuiſſent: cùm alij inquiunt, non è ſpiritu, ſed aſpectu oculorumque radijs id accidere. Teſtatur lib. 5. Athenæus, multos Marij milites, cùm aduerſus Iugurtham milita rent, hoc animal, ſiluestrem ouem eſſe putantes, inſecutos fuiſſe, ac ſtatim concidiſſe mortuos, quoniam inſequentium ſtrepitum id animal timens, comam, quæ oculos tegit, concuſſiſſet. Has Gorgones, ſiue fœminæ fuerint, ſiue horrenda monſtra, Poetæ ad inferos ad vlciſcendos ſceleratos poſtea detruſerunt. Vide omninò de his Natalem Comit. Mytholog. lib. 7. cap. 12. & prouerbium, γοργὸν βλέπειν.

Delphinesq; tui.] Pro amoris nota hic Delphinem poni, admonui ſupra. Dico adhæc, à veteribus quibuſdam Delphinē Cupidini iunctum, pro amoris firmitate ἱερογλυφικῶς exprimi ſolitum. Quod ſi quis per delphinem celerem obitum ſignificari hoc loco contendat, nequaquam repugnabo: nam delphinem eſſe celeritatis ſymbolum, ſupra Embl. 144. monuimus.

Delphin iunctus Cupidini.

IV. Non eſt alienum ab humanitate, in teneræ adhuc ætatis, eximiaq; pulchritudine ac virtutibus ornatis hominibus præproperam deflere mortem: eorum etiam præcipuè, qui non ſine magna Reipub. iactura ſtatim in ipſius iuuentutis flore, improba quaſi naturæ lege, miſerè nobis præripiuntur. Quare hoc loco vides efflictim ſigna doloris ac mœſtitiæ carmine lepido exprimi ab amico, qui orbus re chariſſima neque modum, neque finem luctus faciat. Cum hoc fortaſſe non malè confero illud ex quadam epiſtola Paullæ & Euſtochij, quæ legitur inter Hieronymianas: Menſuram charitas non habet, & impatientia neſcit modum, & deſiderium non ſuſtinet. Hæc ſanctæ virgines. Exemplum non malè, vt opinor, quadrat Artemiſiæ, quæ Mauſolæum excitauit, argumētum mœroris perpetui, ſed ſignum tamen glorioſæ iactantiæ, de quo Gellius in noctib. Atticis. Propius eſt quod Corn. Tacitus, de Germanici vxore, mariti veneno extincti, arte Piſonis, præproperum funus lamentante, ac vindictam perſequente. Vetera iſthæc, aliaq; plura. Ecquid enim, vt de cęteris taceam, luctum memorem S. Patris Hieronymi in funere Nepotiani, in ipſo flore ætatis extincti? & quid lamenta Bernardi in morte Gerardi fratris, cuius vt diſpenſatoris opera vicaria vtebatur? Nullus tamen horum fletu vel lacrymis mortem flectere potuit, hæc enim omnia æquat abſq; aliquo reſpectu, iuuenes, ſenes, deformes & ſpecioſos rapit, vt venuſtè cecinit Ouidius in conſolatione ad Liuiam de morte Druſi:

Humanū eſt deflere mortem amatorum.

Fortuna arbitrijs tempus diſpenſat vbiq;
Illa rapit iuuenes, ſuſtulit illa ſenes.
Quaq; ruit furibunda ruit, totumque per orbem
Fulminat, et cæcus cæca triūphat equis.

Morimur omnes communi & neceſſario decreto, tardiùs aut citiùs: qui ſanxit legē ſicut infinitus eſt, nec circumſcriptus tempore aut loco, ita noluit determinari aut terminari certis interuallis: indicta eſt & promulgata ſemel ſtricto imperio, à ſupremo tribunali, vniuerſis qui ſubſunt, irreuocabili ſententia, natis, naſcituris, primis, infimis, fœminæ, viro, homini, bruto, ſeni, iuueni, probo, reprobo. Suus cuiq; triens in hunc cenſum conferendus. Tributum eſt magni Dictatoris, à quo nullum priuilegium aut immunitas eximit, nulla dies præſcripta ſolutionis, ſingula momenta ſunt; comparendum, quando citamur, præciſa mora & in puncto. Dura ſeruitus eſt, inquis; rectè, cogita fontem, & in te riuulus labitur adhuc quisquis es, bibimus ex eadem ciſterna venenum omnes, ex quo debitum hoc mortis. Contrahe tu iam frontem vtut vis, aut explica, redimi debet & expungi hodie, cras, in articulo, ad nutum citantis, hæc drachma: curemus vt parata ſit cùm exigitur. In hoc vnico ſtudio dies vitæ conteramus, nec tam in oculis obuerſetur memoriæ breuitas, quàm felix & optatus exitus, qui teſtis erit non ſolùm terminus æui tranſacti. Quare magnum ſignum conſtantiæ & fortitudinis cenſeo in homine Chriſtiano, mortem contemnere; ſed maius, cauere ne improuiſa ſternat & filum ſcindat. In audacem & furioſum illud etiam, in prouidum & prudentem hoc tantum cadit. A Marte & ſanguine generoſitas quædam deriuatur, quę formidinem expellit in præſenti periculo; à Deo vero & meliori mente duntaxat, ne imparatos opprimat, dum in flore ſumus & incrementis æui, aut in curſu deuio, qui auertit à meta. Crebrò ſubeat in mentem, natiuitatis exordia non rarò finem eſſe naſcentium, & in ſtadio hoc eos, qui

Mortis neceſſitas.

qui certant, præcipitari, non currere. Inter metam & carceres interdum vix paſſus diuidit, & pede eodem tangitur vtraq; extremitas, quæ inducit, quæ educit. Age verò, extendamus amplioribus ſpacijs, & largiamur non annum, ſed ſæculum viuenti, quid tum? morituro tamen aliquando hoc euoluto.

Conditio vitæ humanæ.

Damnatus ad furcam neſcio quid ſolatij capiat, cui ſuſpendium in pauculos aliquot dies differtur, ſatis grande ſupplicij genus vel ſola formido. Infamis catasta vinctũ aliquẽ tenet, aut obſcurus alius carcer, venit lictor & ſententiam Prætoris nunciat: capite lues, inquit, admonitus maturè ſupputa noxas vitæ, & compone te ad mortem. Talis conditio noſtra omnium profectò; edixit funeſtum illud & capitale decretum orbis iudex, in ergaſtula coniecti ſumus & vincula velut quædam huius corporis, vnde ratione alia nulla niſi via mortis extrahimur, quę communis porta eſt Egrediamur ſponte, quando ſoluit qui ius habet, quoniam non alia liberatio è catenis iſtis. Mortales ſumus; hæreat vox ſaltem & admoneat ſortis, & exempla ab omni æuo & gente. Da hominem à primo homine, qui huic edicto ſe ſubduxerit, nemo excipit aut prouocat; naſci aperire eſt carceres ad hunc ſcopum, dum currimus, morimur. Qui creditori ex pacto obligatur, ſolicitus eſt de ſatisfaciendo, & ad lituram properat expungendi nominis: & nos, qui in rationario codice generalis tributi huius tenemur deuincti, cura nulla tangat ſolutionis? Oſcitantis animi vitium eſt, & fluxæ atq; ſupinæ ſecuritatis. Liberiùs tranſitur in vitia, vbi memoria iſtorum languet aut prorſus excutitur: recenti verò illa & florida, reuocamur ab illicitis, cohibente formidine, quæ tranſmigrandum hinc tacitè ſuggerit, nec ſtabilem ac permanentem locum eſſe in hoc ſæculo.

Omnium rerum viciſſitudo & interitus.

Ita enimuero ratiocinari conuenit, in rebus omnibus uiciſſitudo cernitur & duratio finita, labuntur & cadunt, ſurgunt & florent; regni vnius clades alterius fulcrum eſt, natio euerſa ſtirpem aliam ſuſcitat, & ex reliquijs noua gens emergit. Circularis eſt hæc ac perpetua quædam conuerſio, neque praxis ab orbe condito magis trita, quàm deſtrui & perire. Areæ ſpectantur inter denſiſſimos vepres, quibus ingentes olim vrbes innixæ; veſtigia apparent & rudera vaſtiſſimæ molis, meatus & cuniculi ſubterranei deriuandis fontibus: oſtenduntur monimenta, quę ſolam vmbram adhuc referunt, vt dici queat; hic quondam caſtellum fuit aut ſtatio Romani militis; hæc Alemannorum ſedes & tentoria; hæc deuaſtata ab Hunnis arx vel ciuitas, hæc à Vandalis aut Longobardis; hic ripas Rheni, hic Danubij pontibus iunxit Cæſar; in hoc loco Tiberij palatium, in hoc Druſi præteritis ſæculis; hic Vari legiones extinctæ, hic Iulij Apoſtatæ, hic Allobrox, hic Heluetius & Sueuus exuti caſtris. Sic attoniti per Germaniam narramus interdum & miramur fluxum iſtum temporum ac rerum, ita tamẽ pleriſq; noſtrum oculos perſtringit terrenæ vanitatis fulgor, vt abiecto mortis metu, vota mittamus vltra conditionis humanæ limites, & quaſi nunquam morituri laxè & impunè viuamus. Non plus mouent ruinæ deſtructorum operum, aut oſſium cryptæ & ſepulchra, aut cadauerum aggeres, quàm perditum latronem cadauer alterius infami ſuſpenſum patibulo, vel traiectum conto; videt, nec reputat ad ſe pertinere rigidæ iuſtitiæ publicum illud ſpectaculum: idem nobis accidit, qui in media morientium ſtrage nihil minus quàm de morte cogitamus.

Pij cuiuſdam viri dictum.

Non ſic quidam ſpectatæ ſanctitatis vir, qui iam ſenio grauis ad inſequentis diei conuiuium inuitatus: Si quid, ait, nunc ex me vultis pręſto ſum; quid verò cras agendum ſit, vos quibus vacat conſiderate, ego enim à multis annis craſtinum non habui. O ter felicem talem. Quid enim miſerum formidare poteſt, qui craſtini curis reſectis, hunc diem vt extremum præordinat, vt extremum aſpicit? Hunc certè ſumma cum delectatione viuere neceſſe eſt, impletis vitæ officijs, & ſarcinulis ritè compoſitis adhuc inter homines cunctantem, & nihil iam pręter Dei reuocantis imperium expectantem Sed hic *Terminum* figamus.

Terminus.

EMBLEMA CLVIII.



QVADRATVM infoditur firmiſsima teſſera ſaxum,
Stat cirrata ſuper pectore imago tenus,
Et ſeſe nulli profitetur cedere: talis
Terminus eſt, homines qui ſcopus vnus agit.
Eſt immota dies, præfixaq́; tempora fatis,
Deq́; ferunt primis vltima iudicium.

COMMENTARII.

I. IN quadrato lapide ſeu baſi ſupereminet trunca effigies hominis pectore tenus, vultu iuuenili, capillis vtrinq; pendulis. Probaretur meo iudicio, ſi iuncta eſſet inſcriptio, NVLLI CEDO, id enim tertius verſus requirere videtur.

II. *Solon Athenienſis.* SVMPTVM eſt hoc Emblema ex illa nobiliſſima Solonis Athenienſis Philoſophi voce, de qua Iuuenalis Sat. 10. ſic loquitur:

Feſtino ad noſtros, & regem tranſeo Ponti,
Et Crœſum, quem vox iuſti facunda Solonis
Reſpicere ad lõga iuſſit ſpacia vltima vitæ.

Et Ouidius 3. Metamorph.

——ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini eſt, diciq; beatus
Ante obitũ nemo ſupremaq; funera debet.

Sed iam cum Sanctio hiſtoriam Solonis paulò fuſius narremus, idq; Herodoti verbis, qui ita inquit in Clio: Solon vir Athe- *Hiſtoria Solonis ex Herodoto.*

nienſis

nienſis cùm leges iubentibus Athenienſibus tuliſſet, decem annos cauſa contemplandi nauigando peregrinatus eſt, vt nequam legum, quas condiderat, abrogare cogeretur. Nam hoc Athenienſes ipſi facere nequibant, maximo iureiurando adacti ad eas decem per annos ſeruandas, quas ipſis Solon condidiſſet. Harum itaq; legũ, ac contemplandi gratia Solon peregrè profectus in Aegyptum ad Amaſim ſe contulit, & Sardis ad Crœſum. Eò cùm peruenit, hoſpitaliter in regiam à Crœſo exceptus eſt, tertioq; aut quarto quàm venerat die, iuſſu Crœſi miniſtri circumduxerunt hominem circa theſauros, omniaque quæ illic inerant magna atq; beata oſtentarunt. Contemplatum eum cuncta, & vt ſibi opportunum fuerat intuitum, talibus percunctatus eſt Crœſus: Hoſpes Atheniẽſis, quia multus ad nos rumor de te emanauit ob tuam ſapientiam, tuamq; diſcurſationem, qui philoſophando permulta videndi gratia es peregrinatus, ideo mihi cupido inceſſit ſciſcitandi te, ecquem vidiſti omnium beatiſſimum? Sperans videlicet ſe inter homines beatiſſimum eſſe, ita ſciſcitabatur. Solon nihil admodum veritus, ſed vt res erat reſpondens: Ego verò, inquit, Rex, vidi beatiſſimum Tellum Athenienſem. Quod dictum ãdmiratus Crœſus inſtat interrogare: Qua de re Tellum iudicas eſſe beatiſſimum? Quòd, inquit, Tello in Repub. bene inſtituta filij erant honeſti & boni, eorumq; ſingulis liberi, hiq; omnes ſuperſtites: & cùm hoc vitæ quantum in nobis ſitum eſt, bene traduxiſſet, obitus ſplendidiſſimus obtigit. Siquidem prælio, quod Athenienſes cum finitimis geſſere apud Eleuſinam, hic cùm auxilio veniſſet, hoſtemq; in fugam vertiſſet, pulcherrimam oppetijt mortem: quẽ Athenienſes quo loco occubuerat, in eo loco publicè humauerunt, magnificeque honorarunt. Multa de Tello ac beata vita referente Solone, excitatus Crœſus interrogat, Quemnam ſecundum ab illo vidiſſet; putans haud dubiè ſecundas ſe partes eſſe laturum. Cleobin, inquit ille, & Bitonem: quippe his & genus Argiuum erat, & victum ſuppeditabat. Adhæc corporis robur tantum, vt & in certaminibus ambo pariter victores extiterint, & de iis hæc memorantur. Cùm dies feſtus Iunonis apud Argiuos eſſet, oporteretq; omnino matrem horum ad templum ferri bobus iunctis, hiq; boues ex agris eis ad horam præſtò non eſſent, tunc iuuenes excluſi tempore iugum ſubeuntes plauſtrũ pertraxerunt, quo mater vehebatur, & quinque ac quadraginta ſtadia trahentes ad templum peruenerunt. Quibus cùm hæc feciſſent, & ab omni cætu conſpecti fuiſſent, optimus obtigit vitæ exitus. Per quæ Deus indicauit, ſatiùs eſſe hominem mori quàm viuere. Nam cùm circumſtantes Argiui laudibus tollerent. viri quidem conſilium filiorum, fœminæ verò eorum matrem, quod talibus filiis prædita eſſet, mater gaudio perfuſa cùm liberorum factu, tum fama, ante ſimulacrum ſtans precata eſt Deam, vt Cleobi & Bitoni filiis ſuis daret id, quod optimum eſſet homini contingere. Poſt hanc precationem vbi ſacrificarunt epulatiq; ſunt, quieſcentes in illo delubro non ſunt amplius excitati, ſed hoc vitæ exitu perfuncti. Quorum effigies, tanquam virorum qui optimi extitiſſent, Argiui factas apud Delphos collocarunt. Et his quidem Solon ſecundas beatitudinis partes tribuebat. Crœſus autem cõturbatus ait: Hoſpes Athenienſis, adeone tibi pro nullo contemnitur noſtra felicitas, vt ne priuatis quidem viris nos æquiparandos ducas? Cui ille: In diuturno, Crœſe, tempore multa videntur, quæ nemo velit videre, & tolerantur multa, quæ nolit quiſpiam tolerare. Proponamus enim homini vitæ terminum ad ſeptuaginta annos, qui anni conſtant viginti ſex millibus quingentis quinquaginta diebus: horum dierum omnium nullus prorſus qualem alius rem affert. Ita igitur, Crœſe, calamitoſus eſt homo. Verùm tu mihi videris & diuitiis valde pollere, & permultorum hominum eſſe rex; ſed de quo me interrogaſti, eum nondum te appello, priuſquam bene vita functum te audiero. Neq; enim beatior eſt, qui magnis opibus præditus eſt, eo, qui diurnum victum habet, niſi eidem omnibus bonis prædito fortuna conceſſerit bene vita fungi. Prius tamẽ quàm ad obitum peruenerit, nequaquam beatus eſt appellandus, ſed fortunatus. Quæ omnia conſequi quamdiu ſis homo, impoſſibile eſt: Omnis rei oportet inſpicere exitũ, quò ſit euaſura, quoniam multos Deus, quibus fortuna ſuppeditauerat, radicitus euertit. Hæc Solon. Et hactenus de his, quæ

Crœſi theſauri.

Tellus beatiſſimus iudicatus.

Cleobis et Bito beati. de quibus Virg. 3. Georg.

Satiùs hominẽ mori quam viuere.

Nemo ante obitum beatus dicendus.

quæ pertinent ad præſens Emblema. Sed quoniam crebrò ſollicitatus ſum à quibuſdam (verba ſunt Franciſci Sanctij) ne in his meis ſcholijs conciſas & truncas vel fabulas, vel hiſtorias narrarem, decreui ex eodem Herodoto (monente etiam Socrate in Gorgia, ne fabulas truncas dimittamus, ſed caput imponamus, ne abſq; capite truncæ oberrent) ſubiungere, quæ Crœſo euenerint, poſt acceptum à Solone reſponſum. Crœſus igitur oraculo Apollinis perperam intellecto, in Cyrum expeditionem parauit; vbi à Perſis captus ad Cyrum perductus fuit. Eum Cyrus vinctum compedibus ſuper ingentem lignorum ſtruem imponit, circaq; eum bis ſeptem Lydorũ filios, ſiue habens in animo primitias has alicui offerre Deo, ſiue volẽs votũ perſoluere, ſiue cupidus ſciẽdi numquis dæmonum liberaret Crœſum, quem religioſum eſſe audierat, quo minus pyræ impoſitus viuus concremaretur. Crœſo autem ſuper pyram ſtanti, etſi in tanta calamitate poſito, tamen veniſſe in mentem Solonis, quod ab eo ſibi nutu Dei fuiſſet dictum, Ex viuentibus beatum eſſe neminem. Quod dictum vbi ſubijt Crœſo, ferunt eum ex vehementi defectione animi victum, ingemiſcentem ter Solonem nominaſſe: & Cyrum, cùm audiſſet, iuſſiſſe interpretes eum percunctari, quemnam inuocaret; illosq; accedentes fuiſſe percunctatos, & hunc interrogatum ſilentium egiſſe. Deinde cùm loqui cogeretur dixiſſe: Illum nominaui, qui vt omnes alloqueretur, potiùs quàm ingentem pecuniam præoptarem. Eum non planè loquentem rurſus interrogant, quidnam eſſet quod dixiſſet. Efflagitantibus atq; infeſtantibus interrogatione, inquit, quemadmodum Solon ad eum veniſſet, &c. Hæc Crœſo referente, iam pyra incenſa ardere inceperat. Cyrus auditis per interpretem quæ Crœſus retulerat, pœnituiſſe dicitur, cùm ſe quoq; hominem eſſe cognoſceret, qui aliũ hominem, qui ſe inferior opibus non fuiſſet, viuum rogo traderet. Præterea veritum ob id pœnam, ac reputantem nihil eſſe in rebus humanis ſtabile, iuſſiſſe ignem celerrimè extingui. Verùm eos, qui ignem conabantur extinguere, non eualuiſſe. Ibi Crœſum cognita per Lydos Cyri pœnitentia, cùm cerneret vnumquemq; extinguẽdo deuoluendoq; igni incumbentem, nihil tamen profici, exclamando inuocaſſe Apollinem, vt ipſi adeſſet, ſi quod ab eo donum illi gratum fuiſſet oblatum, ipſumq; præſenti malo liberaret. Ita cum lacrymis Crœſo Deum inuocante, nymbos repentè (cum ſerenum ac tranquillum eſſet) confractos eſſe, imbresque erupiſſe, ac vehementiſſima aqua pluiſſe, & rogum extinxiſſe. Ita Cyrum cognito Deorum cultorem eſſe ac bonum virum Crœſum, eum in amicitiam recepiſſe, magnaq; in obſeruantia habuiſſe. Hæc ex Herodoto, multis breuitatis gratia omiſſis. Nunc de Termino aliquid dicendum. Olim agri lapide quadrato terminabantur, qui ferè hominis formam repræſentabat, & ab Ethnicis pro Deo colabatur, quemq; Terminum à determinando appellabant. Fingunt Poetæ, hunc nemini Deorum locum concedere, ne ipſi quidem Ioui: tribuitur enim illi id, NVLLI CEDO. Apud eoſdem lapideus Terminus in Capitolio diuinis honoribus eſt celebratus; autoresq; ſunt, ſaxum illud fuiſſe, quod Saturnus deuorare non potuerit propter magnitudinem, cùm Iouem ſe deglutire crederet. Sic illa vetuſta ſuperſtitio tota fabulis comminiſcendis implicabatur. De Termino Tibullus mentionem facit lib. 1. eleg 1.

Crœſus à Cyro captus.

Solonis laus à Crœſo.

Cyri pœnitentia.

Terminus quid.

Terminus Capitolij.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in triuio florida ſerta lapis.

Et elegantiſſimè Ouidius 2. Faſtor.

Termine, ſiue lapis, ſiue es defoſſus in agro
Stipes, ab antiquis tuquoq; numẽ habes.
Te duo diuerſa domini de parte coronant,
Binaq; ſerta tibi, binaq; liba ferunt.

Et poſtquam modum, quo Termino ſacra fierent, enarraſſet, ſubiungit:

Tu populos, vrbesq; & regna ingentia finis;
Omnis erit ſine te litigioſus ager,
Nulla tibi ambitio eſt, nullo corrumperis auro,
Legitima ſeruas credita iura fide.

Et duobus diſtichis interpoſitis:

Quid noua cum fierent Capitolia? nempe Deorum
Cuncta Ioui ceſſit turba locumq; dedit.
Terminus (vt veteres memorant) inuentus in ade
Reſtitit, & magno cum Ioue tẽpla tenet.
Nunc quoq; ſe ſupra, ne quid niſi ſidera cernat,
Exiguum templi tecta foramen habent.

Ter-

Termine, poſt illud leuitas tibi libera non eſt,
Qua poſitus fueris in ſtatione, mane.
Nec tu vicino quidquam concede roganti,
Ne videare hominem præpoſuiſſe Deo.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris,
Clamato: Tuus eſt hic ager, ille tuus.

De Termino plura D. Auguſtinus lib. 4. de ciuit. Dei, cap. 13. Gyrald. Syntag. 1.

III. *Quadratum ſaxũ cur Termino conueniens.* *QVADRATVM infoditur*] Hic ſtatuitur ſaxum quadratum. Aptè conuenit Termino quadratum ſaxum, vbi reſidit, vtpote ſtabili, nec mouendo loco: nam figuram quadratam habentia corpora, in quãlibet partem proiecta ceciderint, quadrata baſi innituntur, ac rectè ſemper inſiſtunt.

Firmiſſima teſſera] Alludit ad pertinaciam Termini, qui nec ipſi Ioui voluit concedere, cùm noua Capitolia fierent, vt prę ter iam citatos autor eſt Liuius Decad. 1. lib. 5. in calce. Quid autem ſit teſſera dictum eſt in Præfatione Emblem. pag. 3.

Cirratus. *Stat cirrata.*] Cirrati ſunt, qui capillos habent cirratos, cincinnos calamiſtratos. Cirrus, ad contorquendos capillos comparatum inſtrumentum, quaſi in circum tortus. Martialis lib. 9. Epigram. 30.

Nec matutini cirrata caterna magiſtri.

Perſius Satyra prima:

Ten' cirratorum centum dictata fuiſſe
Pro nihilo pendas?

Et ſeſe nulli profitetur cedere] Sententia legitur hac formula, NVLLI CEDO.

Ænigma de Termino. Extat ſuper hac re bellum ænigma Varronis apud Gellium lib. 12. cap. 6. quod ſoluit Politianus in Miſcel. cap. 36. Eſt autem huiuſmodi in tribus Senarijs:

Semel minusne, an bis minus ſit, nõ ſat ſcio,
An vtrumq; horum, vt quondam audiui dicier,
Ioui ipſi regi noluit concedere.

Dubitat ergo hic ſcirpi auctor, ſemel minus, an bis minus fuerit, an vtrumq; horum: ex vtroq; autem, hoc eſt, ex ſemel & bis reſultat ter. Quare non ſemel minus, non bis minus, ſed Ter minus fuit, qui Ioui ipſi Regi noluit concedere.

Talis Terminus eſt] Applicat antiquorum figmentum ad terminum vitæ noſtræ, ſtatutum enim eſt hominibus ſemel mori; vnde inquit verſiculus, *Talis eſt terminus*, ſcilicet vitæ hominum, *qui vnus ſcopus agit homines*: id eſt, ad quem ſcopum omnes aguntur homines.

Eſt immota dies] certus eſt à Deo conſtitutus mortis terminus. Hanc ſententiã ſic extulit Seneca in Hercule furente:

Certo veniunt ordine Parcæ,
Nulli iuſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum proferre diem.

Sic Lucretius lib. 3.

Certa quidẽ finis vitæ mortalibus aſtat.

Et Sillius Italicus lib. 3. belli Punici:

Et pace, & bello cunctis ſtat terminus æui.

Vide, ſi plura de hac re cupis, adagium, *Finem vitæ ſpecta.*

Vnus dies de alio iudicat. *Deq; ferunt primis*] Seneca Epiſt. Vnus dies de omnibus fert ſententiam. & Plin. Hiſt. nat. 7. c. 40. Ita eſt profectò, alius de alio iudicat dies, & tamen ſupremus de omnibus. Quid enim huc aggeram illud Pindari Olymp.

Ἁμέραι δ' ἐπίλογοι
Μάρτυρες σοφώτατοι.
Dies poſteriores
Teſtes ſapientiſſimi.

Sic Ouidius in Epiſt.

Exitus acta probat.

Spectat huc D. Hieronymi locus ad Furiam matronam, vbi de ſeruanda viduitate: Falſus rumor citò opprimitur, & vita poſterior iudicat de priore. Idem ad Ruſticum: Non eſt facile de prouecta ætate ſuſpicandum: quin & vita præterita defendit & honorat vocabulum dignitatis. Hæc Hieronymus benè ac cordatè. Alioqui numquam erratur periculoſius, quã cùm ſiniſtrè de alijs ſuſpicamur, & quæ nobis dubia ſunt, in ſiniſtram partem traducimus. Quod cùm facimus, non meminimus nos homines eſſe, vel quod ille,

Nos temerè in noſmet legem ſancimus iniquam.

Quid? quos putamus eſſe deſperatos ac perditos, fient aliquãdo meliores; & quos cenſemus frugi, continentes, inculpatos, mutato propoſito fient improbiſſimi. Vno verbo, non ſemper de primis ferunt vltima iudicium, quia poteſt quis toto vitæ ſtadio profligatus extitiſſe, qui ſupremum diem beatè, pièq; claudat. *At non ſemper.* Occurrit quod Plinius Secundus refert, de quodam toto vitæ genere diſſoluto, qui tamen moribundus optimum teſtamentum fecerat; vnde colligit, non ſemper eſſe prouerbium veridicum, quod vulgò iactatum olim, *Teſtamentum eſſe ſpeculum morum*, lib. 8. epiſt. 18.

Hic

IV. *Mors ineuitabilis.*

HÆC Termini pictura nihil vlli concedentis, mortem ſignificat, quæ ineuitabilem habet in res quaſcunque neceſſitatem: ad quam cùm peruenimus, tum ſolent hominum, qui ſuperſtites ſunt, liberę de nobis eſſe opiniones atq; iudicia. Quòd enim vltima quæq; & poſtremò facta, imò verò interdum cogitata tam lynceis oculis inſpici ſoleant, tamq; ſecurè ac ſeuerè accipiantur, noſtræ partes ſunt, ne noſtrapte culpa in conficiendo vitæ huius noſtræ curſu aliquid agamus, aut etiam moliamur, ex quo ſiniſtri quidpiam de nobis homines iudicare poſſint. Quod facilè conſequemur, ſi Terminum, id eſt, extremum vitæ diem perpetuò, aut quidem ſæpe ob oculos ponamus, qui Terminus cùm minimè cedat principibus etiam viris, de quibus mortuis tam intrepidè fama pronunciat, quid de nobis infima conditione hominibus exiſtimandum? Et hūc mortalitatis terminum Æternitas excipit, id eſt, tractus qui infinitus, cui ſoli Terminus cogitur cedere. Veni Plato cū tuis calculis & abaco, cōpone myriades quotquot potes, multiplica per tot milliones; repete magnum illum annum tuum innumeris reuolutionibus, non exhauries ſummam, nō produces, nulla cogitatione menſurabilem. Vt in circulo extremitas non datur aut globo, ſic in ſpacio illo durationis, vbi vltima prima ſunt, finiſq; annorū annos inchoat, vt monas in numeris: puncta ſunt principij centuriæ tranſactæ, & quidquid effluxit inſtans fuit, nec particula, ſed atomus velut in immenſo hoc nexu. Trahit me hic Terminus in hanc contemplationis abyſſum, & quo longius progredior, minus tango portū; in gyro voluor temporum ineluctabili vortice: inter initia conſiſto ſemper, ingentia licet ſpacia emenſus: medium viæ cum capite, & hoc cum calce nectitur, retundor enim à fine mox ad exordia, dum ſupputo, nec primum terminum verè aſſignare poſſum, quia claudens alter excurrit ſine termino. Citius in arenis colligendis ab Erythræo littore, quàm ab iſto labore me expediam. Quod euenire ſolet Oceanum ingreſſis, vt quanto fortius impellunt & fugiunt vndas, tanto profundius intrent; idem mihi in æternitatis hoc ſcrutinio; ò ſalubri, ſi pietati & ſancto timori conciliando, quo vtiq; tendere debet omnis hæc ſpeculatio, inutilis aliàs & curioſa, ſi ad alium finem. Cur enim non ad meliorem illum, vt præparet mentem ad fruendum cum perenni gaudiorum affluentia? Talis namq; eſt conditio animæ noſtræ, vt capax ſit dimenſionis huius ad filum diuinitatis extenſæ, magno incomparabilis excellentiæ argumento: cum Autore enim hoc commune habet, in quo apex conſiſtit ſupremæ felicitatis, viuere vitam immortalem in flore & vigore, nec ſeneſcere vnquam. O acerbum priuilegium his, qui in deteriorem ſortem tranſcripti tortoris libidini ſubiacent, qui æterni etiam ſeminis eſt & corruptionis expers. Nulla cogitatio grauius pungit & lăcinat animum quam hęc, quæ perennantis æui ſpacia & coæquatam pœnarum ſeriem diſcurſu metatur. Acuta ſpina eſt, proh Deū, meminiſſe; neruos omnes tremor atq; oſſa percellit, nec ſtringit tamen aut cohibet laſciuientes & indomitos appetitus. Quò ruimus ſtolidum hominum & miſerabile vulgus? Voraginem videmus & puteum inferni irremeabilem, qui abſorbet nec reuomit, dū viuit Deus: incurrimus tamen. Nihil communius peccato, nihil certius damnatione, quæ finita ſi eſſet aut cum menſura & modo aliquo, excuſanda quadamtenus videretur cæcitas iſta & ſtupor mortalium; magnum enim ſolatium liberationis ſpes, & corrigendi non perdendi carcer. Nunc cum tormentorum meta Æternitas ſit, ſponte ſe implicare, furorem an rabiem dicam? neutrum: electa pernicies eſt & voluntaria infelicitas. Laxo & hianti rictu ſeſe aperiunt inferorum illæ fauces; inclamatur quotidie noſtris auribus periculum eſſe, cauendum ne pes aberret, figendum cautè. Nos verò quid? quaſi temulentus aliquis aut phanatico ſpiritu agitatus, ambiguo & vacillanti paſſu veſtigijs errantium inſiſtimus, & ſequimur præeuntes ad foueam vſq; Stygij leonis, ex qua calcaneum intrantibus obuerſum nondum apparuit: vt prudentior fuerit vulpecula illa in fabulis decantata, quæ pedis errore admonita maturè reſilijt, quàm nos rationis luce præditum & futurorum præſagum genus. Sed quò labor, æternitas me ferè extra terminum ſecum abripuit: redeo. Quidam ſuſpicantur his verbis Eraſmi (vt loquuntur) immodeſtiam modeſtè carpi (quod coniectaneum an probare debeam, non-

Quid viuendo cogitandū.

Terminus mors.

Terminus æternitati cedit.

Æternitatis conſideratio.

Anima hominis æterna.

Mortaliū cæcitas.

tiondum ſcio) quòd in annulari digito Terminum depictum habuerit cum inſcriptione, NVLLI CEDO: quaſi ſignificaret hoc ſymbolo in literarum cognitione ſe nemini cedere. Eam ob rem eum plerique ſugillarunt, interq; cæteros Caruaialus Franciſcanus quadam Apologia in Eraſmum, cuius hic verba malo adſcribere, quàm aliquid de meo fingere.

Eraſmi Terminus.

Caruaialus in Eraſmum.

Malè habet Eraſmum, inquit ille, quòd Eccleſiæ doctores & Euangeliſtæ ad numerum quaternarium ſint redacti, quòd videat ſe non poſſe inter illos computari, neq; credit ſe illis eſſe inferiorem, qui nulli cedit: hoc enim elogio ſua ſcripta claudit Eraſmus, *Cedo nulli*. Et, vt nemini fas ſit ignorare hanc Eraſmi præcipuam inſaniam, apponit Dei Termini effigiem cera ſignatam, qui Deus nec ipſi quidem Ioui cedebat. Nonne hæc Eraſmi inſolentia omnes eius inſolentias ſuperat? Non cedis Eraſme Budęo? non cedis Capnioni, Clitoueo, Pico, aut Angelo? Cedo, inquit, nulli. Non cedis Auguſtino, Ambroſio aut Hieronymo? Cedo nulli. Non Hilario, Cypriano, Lactantio, aut Origeni? Nulli. O felix ſæculum, cui talis homo datus eſt? Hactenus Caruaialus: cui vt affectibus plus quã par erat indulgenti, nimiaq; animi impotentia debacchanti, animoſè ſatisfecit Eraſmus, his planè verbis:

Eraſmi reſponſio ad Caruaialum.

Vt doceat me diſcruciari, quòd non annumerater quatuor Eccleſiæ doctoribus, profert ſymbolum annuli mei, in quo eſt figura Termini: adieci, Concedo nulli Terminus. Et eſt Iambicus dimeter: ſi inuertas, Trochaicus eſt totidem pedibus, *Terminus concedo nulli*. At in fuſili Termino habet, ὅρα τέλος μακροῦ βίου: item Latinè, *Mors vltima linea rerum*, indicans mortem nulli cedere, meq; ipſum admoneo, inſtare ſupremum vitæ diem, quemadmodum Prudentius:

Inſtat terminus, & diem
Vicinum ſenio iam Deus applicat.

Idq́ue ſcripto quoque vulgato declaraui. Hic itaq; Terminus dicit omnibus, *Concedo nulli*, non Eraſmus. At me ferociter appellat Pantalabus: Quid ais Eraſme? non concedis Clitoueo, non Hilario, non Cypriano, non Budęo, non Nebriſſenſi, nõ Thomę, non Auguſtino? Si vis vt meo nomine reſpondeam, nemini non concedo. Si poſtulas vt Termini, id eſt, mortis nomine reſpondeam, dicam, Non concedo leonibus, non elephantis; non cedo Monarchis & ſummis Pontificibus; non ceſſi Prophetis & Apoſtolis; deniq; nec ipſi Franciſco ceſſi. Eat nunc, & iactet Termini mei ſuperbiam. Hactenus Eraſmus.

Iulius Scaliger in Eraſmum.

Porrò Iulius Cęſar Scaliger oratione quadam in Eraſmum eum acutè transfixit, vt hominem, qui Ciceronis luminibus voluerit obſtruere, quo ſua vnius ſcripta legerentur. Certè video Ciceronianos omnes, qui paulò ante noſtram ætatem non parua ſua laude Tullianam eloquentiam æmulati ſunt, nõ alia cauſa vnum Ciceronem in linguæ Latinæ Capitolium inducere conatos eſſe, quam vt Eraſmianum Terminum inde eijcerent.

Terminus ſublimitatis ſymbolũ.

Deniq; apud auctores colligere eſt, Terminum ſublimitatis & gloriæ ſymbolum eſſe, atq; etiam diſciplinarum cognitionem interdum pro ſymbolo referre. Etenim qui ſtrenuè decurſo ſpatio in literis profecerit, & ad tranquillum iam vitæ portum applicuerit, vndecumq; prudentiſſimus effectus, neq; ſecundis intumeſcit inſolenter, neq; aduerſis perturbatur, atq; in vtramque fortunam ita ſe comparat, vt æquum & indomitum ad omnes caſus animum præ ſe ferat. Pierius lib. 3. 8. & 49.

Opulenti hæreditas.

EMBLEMA CLIX.



PATROCLVM falſis rapiunt hinc Troes in armis,
Hinc ſocij, atque omnis turba Pelaſga vetat.
Obtinet exuuias Hector, Graciq́ cadauer.
Hac fabella agitur cùm vir opimus obit.
Maxima rixa oritur, tandem ſed tranſigit hares,
Et coruis aliquid, vulturijsq́ ſinit.

COMMENTARII.

I. CADAVER proiectũ à coruis & vulturibus diſcerpitur: hinc mortuus ad tentoria defertur, illinc præda à militibus ad ciuitatem aſportatur.

II. *Patroclus.* PATROCLVS Menœtij & Sthenales filius fuit, qui occiſo per ludum aſtragalorum Cleonymo, ſeu, vt alijs placet, Abane Amphidamantis filio, ſolum vertẽs in Phthiam venit, vbi à Peleo propter generis propinquitatem ſuſceptus eſt, & vnà cum Achille apud Chironem educatus, cum eodem arctiſſima amicitia coniũctus vixit. Poſtea etiam cum Achille ad expeditionem Troianam profectus eſt, vbi armis Achillis inductus, cum Hectore pugnans ab eodem confoſſus occubuit. Huius interitum quia multis deſcribit Homerus Iliados 17. huc inferre non videbatur operæ precium; ſummam totius rei præſens Emblema continet. Origo verò

Origo Emblematis. illius petita apparet ex conuiuio Luciani, cuius hæc ſunt verba: Iamque tollebant Ariſtænetus atque Eucritus ex his, quæ ſibi fuerant propoſita, ſuam vterq; partē. Tum ego quæ mihi, & Chæreas item quę ſibi erant propoſita, eundem ad modum Ion & Cleodemus. Porrò Diphilus etiam Zenonis digreſſi partem tollere parabat, affirmans vni ſibi ea fuiſſe propoſita; atq; hac de cauſa cum miniſtris dimicabat, ac viciſſim inter ſeſe trahebant, manibus vtrinq; in auem iniectis, non aliter quàm Patrocli cadauer hinc atq; illinc attrahere conantes.

III. *FALSIS in armis*] indutum armis non ſuis, ſed Achillis. Alludit autem ad illud Ouidij in Epiſt. Penelop.

Siue Menœtiadē falſis cecidiſſe ſub armis.

Rapiunt hinc Troes] auferunt Troiani vt interfectum hoſtem.

Hinc ſocij &c.] Gręci impediunt raptari Patroclum.

Obtinet exuuias Hector] de interfecto *Exuuiæ.* hoſte Patroclo. Exuuię dicuntur ſpolia hoſtibus detracta, ab exuendo quidem dictę, vt inquit Feſtus. Virgilius 2. Æneid;

——qui redit exuuias indutus Achillei.

Nec ſolùm hominum tegmina aut veſtes dicuntur, ſed etiam animalium quorumlibet, vt exuuiæ bubulæ, leonis, ſerpentis, pro corio aut pelle.

Græci. *Græciq; cadauer*] vt donetur honore ſepulturæ *Graci*, Græca dictio eſt. Lycophron in Caſſandra, Γραικῶν ἄριστος, id eſt, *Græcorum optimus*. vbi Tzetzes: Græci prius vocabantur Hellados habitatores, poſtea ab Hellene Hellines ſunt vocati.

Vir opimus] locuples.

Transſigit hæres] conuenit, concordat, vt qui nolit aleæ iudiciorum fidere. Cicero Attico: Me abſente omnia cum illis trāſigi malo. Cæterùm hæres dicitur ab hærendo, hoc eſt, arctè inſidendo: nam qui hęres eſt, hæret, id eſt, proximus eſt ei, cuius eſt hæres. *Hæres vnde dictus.* Licet nonnulli hæredem dictum velint, quod herus fiat, hoc eſt, dominus bonorum, quæ ad eum perueniunt. Vnde parum refert cum vel ſine diphthōgo ſcribas, hæres, vel heres.

Et coruus aliquid] relinquit aliquid hæredipetis, veſpilonibus, ſandapilarijs, rabulis fori. Vide adagium, *Coruum deluſit hiantem.*

Vultures qui. *Vulturibusq; ſinit*] Teſtamētorum captatores vulgata translatione vultures appellari obſeruamus, quòd ſenibus orbis aut alijs ſibi conſanguineis, ceu cadaueribus inhient. Hinc illud Martialis:

Cuius vulturis hoc erit cadauer?

Et Seneca in Epiſtolis: At ſi hæreditatis cauſſa id facit, vultur eſt, cadauer expectat. Indicauit idem & Catullus illo verſiculo:

Suſcitat à cano vulturium capite.

Et Dinarchus apud Plautum in Truculento:

——vide vt iam quaſi vulturij triduo
Prius prædiuinant, quo die eſuri ſient.
Illum inhiant oēs, ille eſt animus oībus.

Cicero pro Sextio: Exierunt malis ominibus atq; execrationibus duo vulturij paludati. *Vulturij paludati & togati.* Intelligit autem Piſonem & Gabinium, quos inimicos ſibi maximè infenſos dicit. Apuleio togati vulturij, cauſſidici & patroni forenſes ſunt, quòd ijs, vt Columella grauiſſimè dixit, conceſſum ſit in medio foro latrocinium: quibus moris eſt præuaricari, reos prodere, vendere aduocationes, & ſanguinaria rapacitate homines excarnificare. Et in hac ſignificatione hic vultures accipi palam eſt. Vide adagium, *Si vultur es, cadauer expecta.*

PATROCLI ſub falſis armis ab Hectore interfecti, mythologicè hiſtoriam enarrat, quam pluribus Homerus proſequitur. IV. *Patroclus quid allegoricè.* Vt enim hoc mortuo Hector ipſe eius exuuias ſibi retinuit, Gręci verò corpus interemptum, vt ſepulturæ beneficio donaretur, magna pecunia redemerunt: ſic diues, poſtquàm ſupremum vitæ diē clauſit, concertationem, rixamq; inter hæredes de poſſeſſione relinquit: vnde vulturij illi, togatæq; curiæ hoſpites, imò verò & ipſi rabulæ forenſes partem prædæ aucupantur. Cadauer ipſum humo à ſacerdotibus pro pietatis ratione mandatum, impēſarum aliquid funeris gratia facit. Itaque Patroclus diuitum eſt typus, qui falſis armis non proprijs belligerant: id eſt, opibus & diuitijs, quæ externa non propria bona ſunt, intumeſcunt: ſuccumbit tandem & proſternitur, quòd eiuſmodi præſidijs homo ſuam metiri felicitatem minimè debeat. Facit huc quòd de Sylla refert Martialis:

Nō vernas pauit viuens, non Sylla cliētes;
Non ſtuduit proli aut coniugi auarus homo.

At

At poſtquam effoſſo profudit pectore vitã,
Mille ſatos peperit, mille animas aluit.

Sic Demoſthenes cum animaduertiſſet auarum quendam efferri. Iſte, inquit, cùm vitam non vitalem vixerit, alijs vitam reliquit. *βίος* Græcis & vitam & victum ſignificat. Extat apud Valerium Maximum lib. 7. cap. 9. hiſtoria de Q. Cæcilio, qui L. Luculli promptiſſimo ſtudio maximaque liberalitate & honeſtum dignitatis gradũ, & ampliſſimum patrimonium conſecutus; cùm præ ſe ſemper tuliſſet, vnum illum ſibi fore hæredem, moriens etiam anulos ei ſuos tradidiſſet, Pomponium Atticum teſtamento adoptauit, omniumque bonorum reliquit hæredem: ſed fallacis & inſidioſi cadauer Populus Romanus ceruicibus reſti circumdatum per viam traxit. Itaq; nefarius homo filium quidẽ & heredem habuit quem voluit, funus autem & exequias quales meruit. Certè neſcio quo fato fiat, vt locupletum hæreditates hodie ferè nunquam, abſque rixis & litibus tranſigantur: videas coniunctiſſimos fratres immortales ob id concipere inimicitias; olim moderatius inter ſe regna maxima diuidebantur, quàm nunc exigua partiuntur patrimonia. Tantam obtinet vim in pectora humana auri ſacra fames. Referam huc memorabilem, ſed nimis tragicam hiſtoriam, quæ à Bernardino Scardeonio lib. 3. claſ. 13. in deſcriptione Vrbis Patauij recenſetur, de gemmis fratribus Limueis, ex familia antiquiſſima oriundis. Legimus, inquit, ex hac gemma fuiſſe aliquando duos fratres, qui per æſtatem ruri noctu poſt cœnam, cùm ambo ſub dio in atrio domus de diuerſis rebus diuerſa inter ſe loquentes ſtarent, ſuſpicientes & contemplantes innumeras ſtellas, quas tunc fortè ſereno cœlo fulgere videbant: per iocum alterum velut ridendo dixiſſe, Precari ſe tot ſibi boues eſſe, quot ſtellas fulgere conſpiceret. Alterum mox ibidem per iocum reſpondiſſe: Vtinam mihi pratum eſſet inſtar cœli latum: & ad fratrem conuerſum dixiſſe: Vbi tuas paſceres boues? Atqui illum, In tuo prato, dixiſſe. Rurſum alterum, Si nollem? Te enim inuito, alterum reſpondiſſe. Tunc me inuito? inquit. Te etiam inuito, ille reſpondit. Et ita altercando itur in iram, & mox ira in rixam, & in ſerium furorem conuerſa, dum neuter alteri cedere vult, exertis vtriuq; gladijs, quibus fortè ambo erant infeliciter accincti, ſe inuicem transfixerunt. Et hinc vnus, illinc alter humi decidentes, exanimes in ſuo ſanguine volutantur, donec à domeſticis, qui eos altercantes audierant, delati intra domũ fatali hora properante ſunt extincti. Rectè itaq; ait Plutarchus: Noſtro tempore fratres & cognati niſi regionibus, fluuijs, murisq; communia bona diſtinguant, longoq; à ſe inuicem remoti ſint ſpacio, altercandi finem nullum faciunt. Quis igitur æterno dignam præconio non cenſeat Æliorũ concordiam? Etenim ſedecim vnius gentis Ælij vnam exiguam domum poſſidebant, vniusq; prædij fructibus ſe ſuſtentabant, vnaque iſta in domo multis cum liberis & vxoribus habitabant, inter quas Æmilij etiam, qui duos conſulatus geſſit, bisq; triumphauit, filia fuit: neque eam paupertatis viri pudebat, quin virtutem potius, qua paupertatem ferebat, miraretur. Elegans quoq; fraternæ concordiæ exemplum adducitur à Iuſtino lib. 2. quum inter Arthemenem & Xerxem filios Darij contentio de ſucceſſione in regno Perſarum mortuo patre eſſet, & minor maiori natu prælatus fuiſſet: adeo enim fraterna contentio fuit, vt nec victor inſultauerit, nec victus indoluerit, ipſoq; litis tempore inuicem munera miſerint, & iucunda etiam inter ſe, non ſolum credula conuiuia habuerint; iudicium quoque ipſum ſine arbitris, ſine conuitio fuerit. Sed nunc noſtro ſæculo quid? *Indouinala tu Grillo.*

Q. Cæcilij fallacia.

Hiſtoria mira de duobus fratribus.

Ælidrum cõcordia.

Arthemenis & Xerxis.

Amicitia etiam poſt mortem durans.

EMBLEMA CLX.



ARENTEM ſenio, nudam quoque frondibus vlmum
Complexa eſt viridi vitis opaca coma:
Agnoſcitq́ vices naturæ, & grata parenti
Officij reddit mutua iura ſuo.
Exemploq́ monet, tales nos quærere amicos,
Quos neque diſiungat fœdere ſumma dies.

COMMENTARII.

I. VLMVM antiquam & aridam vitis vicina ramis ſuis, pampinis & botris ſurſum rependo veſtit. Vlmus arbor & vitis notiores ſunt, quàm vt longiore deſcriptione egeant.

II. *Typus Emblematis.* ID è Græco Antipatri Epigrammate tranſtulit, cuius carmen eſt eiuſmodi lib. 1. Antholog. εἰς ἀνταπόδοσιν.

αὔην με πλατάνιστον ἐφερπύζουσα καλύπτει
ἄμπελος, ὀθνείῃ δ' ἀμφιτέθηλα κόμῃ·
ἡ πρὶν ἐμοῖς θαλέθουσιν ἐνιθρέψασ' ὀροδάμνοις
βότρυας, ἡ ταύτης ὐκ ἀπειλοτέρη.
τοίην μέντοι ἔπειτα τιθηνείσθω τις ἑταίρην,
ἥτις ἀμείψασθαι καὶ νέκυν οἶδε μόνη.

hoc eſt:

Aridam me platanum irrepens tegit
Vitis, externa aũt circũuireſcens coma:
Quæ

Quæ priùs meis virentibus alens ramis
Racemos, hac ipſa eram non minus frondoſa.
Talem quidem certè poſthac conſtituat [ſibi] quiſq; amicam,
Quæ rependere mortuo nôrit ſola.
Me ſiccam platanum irrepens circundat alumna
Vitis,vt externa floruit aucta coma;
Quando meis ramis teneras circundabat vuas,
Tũc frondoſa illa non minus arbor erã.
Talem quiſq; ſibi & propriam conquirat amicam,
Cui neq; morte viri ſit peritura fides.
Sic verò vertebat Sanctius:
Me platanum ſiccam folijs & palmite obumbrat
Vitis,& externa contegor ipſa coma:
Illa meos ramos crenit complexa virêtes,
Illius at ramos vſq; putabo meos.
Hanc ſociam vita quærat ſibi quiſq; viciſſim,
Quæ ſiet in fato reddere docta vices.
In hunc ferè modũ Ouidius lib. 2. Triſt.
Vidi ego pampineis ornatã vitibus vlmũ,
Quæ fuerat ſæuo fulmine tacta Iouis.
Sed quia epigramma Græcum Antipatri de amica loquitur,quam nos vxorem poſſumus intelligere, lubens hic adiungi velim Menandri ſententiam, qua vbi matrimonii incommoda enumerauit,commoda etiam ſubiungit,ſed iis maximè verbis:
Ἀτυχοῦντι συμπαρέμεινεν, ἀποθανόντα τε
ἔθαψε, περιέστειλεν οἰκείως.
Huic rebus etiã comes in aduerſis manet,
Functiq; fato funeris curam gerit.

III. *ARENTEM ſenio*] ſenectute areſcentẽ, vetuſtate aridam.

Nudam quoq; frõdibus] exutam folijs, ſuis viduatam comis.

Vlmus amica viti. *Vlmum*] Vlmus arbor eſt vitibus plurimum gaudens,denſa, dura, procera, de qua Plinius lib. 16. Virg. lib 6. Æneid.
In medio ramos annoſaq; brachia pandit
Vlmus opaca,ingens.
Idem in Bucolic.
Nec gemere aerea ceſſabit turtur ab vlmo.
Et alibi:
Semiputata tibi frondoſa vitis in vlmo eſt.
Et Statius lib. 6. Thebaid.
——nec inhoſpita vitibus vlmus.
Ouidius 2. Amor. eleg. 16.
Vlmus amat vites,vitis non deſerit vlmũ:
Separor à domina cur ego ſæpe mea?
Sic quoq; Petronius Arbiter:
Paruula ſecuro tegitur mihi culmine ſedes,
Vuaque plena mero fœcunda pendet ab vlmo.
Calphurn.
Inter pampineas ponetur vitibus vlmos.
Pontanus:
Tecum inter ſalices, ſub amicta vitibus vlmo.

Complexa eſt viridi] Vt vulnus amica viti eſt,ſic vitis vlmo non eſt ingrata,quã frequentiſſimè luxuriantibus frondibus & pampinis fœcundis ambit,veſtit, & amplectitur. Vlmis autem adiungi vites fuiſſe in more poſitum,vt etiam hodie in Italia, notiùs eſt quàm vt confirmare neceſſe habeam. Horatius: *Vites vlmis adiuncta.*
Et vitem viduas ducit ad arbores.
Idem:
——adulta vitium propagine
Altas maritat populos.
Claudianus 2. de raptu Proſerp.
——hic pampinus induit vlmos.
Ouid. 3. de Ponto, Eleg. 8.
Non hic pampineis amicitur vitibus vlmus,
Nulla premunt ramos pondera poma ſuos.
Idem lib. 10. Metamorph.
Pampineæ vites, & amicta vitibus vlmi.
Pontanus:
——Flexæq; ſub vlmis
Pendula textilibus nectunt vmbracula vites.
Hæc vlmi & vitis amicitia poetis occaſionem dedit, vt ſæpe eius in amoribus mentionem faciant. Ouidius epiſt. Oenones: *Vlmi & vitis coniugatio amorum ſimilitudo.*
Non ſic appoſitis vincitur vitibus vlmus,
Vt tua ſint collo brachia vincta meo.
Martialis de nuptijs Pudentis & Claudiæ, lib. 4.
Nec melius teneris iunguntur vitibus vlmi.
Catullus in nuptijs Iuliæ & Manlij:
Lenta quin velut aſſitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum. &c.
Porrò aduerte, an huc traduci poſſint eiuſdem Catulli verſus hi quodam Epithalamio:

Vt vidua in nudo vitis quæ naſcitur aruo,
Numquam ſe extollit, numquam mitem educat vuam,
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci:
At ſi fortè eadem eſt vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci.

Coma] folijs, pampinis: nam per metaphoram coma de arboribus, fruticibus, arundinibus, atq; etiam herbis frequenter dicitur. Hinc Catullus dixit, Siluam comatam.

Agnoſcitq; vices natura.] quæ nimirum mutantur in horas, vt è puero iuuenis, è iuuene vir, è viro ſenex citiſſimè fiat, immutabili naturæ communis lege.

Grata parenti] vlmo, à qua tanquam parente ſuſtentata eſt, & incrementum ſumpſit.

Exemploq; monet, &c.] Sententia Emblematis, cui aſtipulatur illud Hebræi Paræmiaſtæ Prouerb. cap. 17. Omni tempore diligit, qui amicus eſt. Nec eum pro verò amore cenſemus, qui mortalis huius vitæ terminis concluditur, ſiquidem ad mentem ſapientum amoris vim æſtimamus. Inquit enim D. Hieronymus: Amicitia, quæ deſinere potuit, nunquam vera fuit. Cui conſentit Euripides Troadibus, cùm ait:

Verè amãs ſemper amat.

οὐκ ἔς' ἐραςὴς, ὅςις οὐκ ἀεὶ φιλεῖ.

Non eſt amator, qui non ſemper amat.

Deniq; hoc etiam vulgo dici ſolitum. Amicitias immortales eſſe debere.

IV. VITE hac vlmum vigore ſuo iam deſtitutam comprehendente ac ſuſtinente (à qua nimirum ipſa prius, cùm tenera eſſet, & quaſi pubeſcens, incrementi occaſionem materiamq; ſumpſerat) ſignificatur amicos nobis eſſe deligendos, qui nec temporũ diuturnitate, nec locorum diſtantia, ſed ne quidẽ poſt mortẽ amare deſiſtant. Illudq; eſt quod Phocion dixit, vt refert Stobæus, ζητεῖν δεῖ καὶ ἄνδρα καὶ τέκνα καὶ φίλους τοὺς κατὰ τὴν ἀπαλλαγὴν τοῦ βίου παραμένοντας. *Comparandos eſſe liberos & maritum & amicos, qui ad mortem vſq; conſtantes ſint.* Reſpicit Emblematis argumentum hoc Ouidianum 2. de Remedio:

Amici qui deligendi.

Semper habe Pyladem aliquem qui curet Oreſtem,
Hic quoq; amicitia non leuis vſus erit.

Cicero pro Seſtio: Ademit Albino ſoceri nomen mors filiæ, ſed charitatem illius neceſſitudinis & beneuolentiæ non ademit. Virgilius in obitum Mæcenatis:

Et decet, & certè viuã tibi ſemper amicus,
Nec tibi qui moritur, deſinit eſſe tuus.
Ipſe ego quicquid ero, cineres interque fauillas,
Tunc quoque non potero non memor eſſe tui.

Verus enim amicus dimidium eſt animæ noſtræ, vti Virgilium vocat Horatius, dimidium animæ ſuæ. Quod ſic explicat Auguſtinus: Bene quidam dixit de amico ſuo, Dimidium animæ ſuæ. Nam ego ſenſi, animam meam & animam amici mei vnam fuiſſe animã in duobus corporibus, propter vim ſcilicet amoris. Et ideo illo mortuo, horrori mihi erat vita, quia nolebam viuere diutiùs; ſed ideo fortè mori metuebam, ne totus ille moreretur.

Amicus dimidiũ animæ.

Non viuit quiquis fido priuatur amico:
Dimidium ſiquidem perdidit ille ſui.

Sic verè dicitur, Anima eſt non vbi animat, ſed vbi amat. Non enim præſentior eſt ſpiritus noſter vbi animat, quam vbi amat: niſi fortè magis putetur eſſe vbi vinctus ex neceſſitate tenetur, quàm quò ſponte & alacri fertur voluntate. Sed ſincera hæc amicitiæ fides præcipuè in rebus aduerſis cognoſcitur, teſte Valerio Maximo: eumq; præclarum amicum dicit Plautus Epidico, qui in re dubia re iuuat, vbi re opus eſt. Simile eſt illud Ennii: *Amicus certus in re incerta cernitur:* Vt enim nautis ſerenitas gratior in tempeſtate aduenit, ſic amico afflicto amicus. Verùm exulcerato hoc noſtro ſæculo non ſolùm nihil horum in amicitia ita illuſtre & magnificum videtur; imò quod nobis Chriſtianis ſummè deplorandum, odia, diſſidia, ſimultates, & inimicitię perpetuæ ſũt, amicitiæ autem prorſus vtilitatibus & cõmodis propriis circumſcriptæ iacent, adeo vt nihil dubitem cum Socrate exclamare: φίλοι, οὐδεὶς φίλος. innuens veram amicitiam ferme interiiſſe inter mortales. Vulgares, temporanei, & ollares amici plurimi ſunt: at qui alter idem ſit, amicũ vt ſe ipſum diligens, eiq; præſto ſit in vtraque fortuna, talis, inquã, amicus diu quæritur, rarò inuenitur, difficulter ſeruatur. Exquiramus, ſi lubet, & percurramus totam

Amicitia in aduerſis cernitur.

Octo tantum paria amicorum.

tam profanam hiſtoriam, octo tantùm paria verorum amicorum deprehendemus: Pyladem & Oreſtem, Niſum & Euryalum, Patroclum & Achillem, Theſeum & Pirithoum, Caſtorem & Pollucem, Tydeum & Polynicen, Scipionem & Læliũ, Damonem, & Pythiam. Lucianus recitat alia decem paria amicorum, quinq; nimirum Græca, & quinq; Scythica. Hiſtoriæ ibidem requirantur lectu digniſſimę. His nihil dubito annumerare equitem quendã Garſiæ Regis Nauarrenſis, de quo ita Fulgoſus lib. 4. Cũ in Hiſpania inter ſe bello decertarent Ferdinãdus Legionẽſis & Garſias Nauarrenſis reges, Garſias quod ſuperbus audaxque nimium ſæuè regni ſui proceres habebat, in magno eorum odio verſabatur: idq; cùm animaduerteret vnus militum eius, qui puerum Garſiam aluerat, arbitratus ſi prælium committeretur, Garſiam à ſuis deſertum iri, vt qui ex fide cum diligeret, re detecta, quam intellexerat, Garſiæ ſuaſit vt prælio abſtineret. Verùm Garſias immodici ſpiritus amicorum & inimicorum contemptor, decertare prælio cum hoſte decreuit. Quam rem auſpicatus is, qui, vt dictum eſt, contrà ſuaſerat, in hæc verba prorupit: Quantũ aduertere poſſum, tibi ſtatutum eſſe video vt omninò moriaris; cui rei poſteaquam aliud afferre opis nequeo, id ſaltem enitar, ne te vel mortuum, vel victum videã. Itaque galeam atq; thoracem exutus, ac ſolo gladio haſtaq; armatus in hoſtium aciem ingenti animo irrupit. Vbi ipſe haud multò poſt cæſus, & Garſias à ſuis, vt ipſe monuerat, deſertus fuit. Vide plura de vera amicitia apud Val. Maxim. lib. 4. Plutarch. de multorum amicitia, Ciceronem paſſim, & alios.

De equite quodam Garſiæ Regis Nauarrẽſis.

Vitis qd hoc loco.

Nec malè quadrabit hoc Emblema in amorem coniugalem, vitis enim hic ſignat vxorem Philaniram, mariti ſtudioſam, qualem deſcripſit Flaccus 2. Carm. Ode 5. Vlmum verò cum vite maritatam amoribus conuenire ſupra annuimus. Alioqui apud Dauidem regium vatem Pſal. 127. vxor viti fœcundæ comparatur: Vxor tua ſicut vitis abundans. Huius amoris eſt quidam apud Propertium character lib. 2. his verbis:

Amor cõiugalis.

Terra prius falſo partu deludet arantes,
Et citiùs magnos Sol agitabit equos:
Quã poſſim noſtros aliò tranſferre calores:
Huius ero viuus, mortuus huius ero.

Ouidius 3. de Ponto ad coniugem:

Cumq; ego deficiã, nec poſſim ducere currũ,
Fac tu ſuſtineas debile ſola iugum.
Ad medicũ ſpecto venis fugientibus æger,
Vltima pars vitæ dũ mihi reſtat, ades.

Virgiliana Dido 4. Æneid. de ſuo loquens Sichæo:

Ille meos, primus qui me ſibi iunxit, amores
Abſtulit, ipſe habeat ſecum ſeruetq; ſepulcro.

Eleganter quoq; Lyricus Venuſinus:

Felices ter & amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Auulſus querimonijs
Suprema citiùs ſoluet amor die.

Amor fœminæ Smyrneæ in coniugem demortuũ.

Huc non incommodè referri poteſt hiſtoria de fœmina Smyrnea, ſicut à Sabellico refertur lib. 9. decad. 3. de reb. Venetis. Cùm enim Smyrna, olim Ioniæ nobiliſſima vrbs, à Venetis capta eſſet, ferunt (inquit) fœminam florenti ætate, cùm ad naues captiua abduceretur, mariti ſepulchro, in quod fortè inciderat, procubuiſſe, ac flebili lamentatione illud complexam dulciſſimum mariti nomen ſæpius vocaſſe. En, inquit, coniux dilectiſſime, extremus patriæ caſus efficit, vt me, quã nullus amor, nulla vis vnquam quò minus tua fuerim, ſemperq; futura eſſem, vertere potuit, crudeliſſimi hoſtis manus in perpetuam captiuitatem abducat. Separor infelix à tuo conſpectu, nec dulcem patriam, nec monumentum hoc dulciſſimum amplius viſura. Has ego ſupremas lacrymas tuis miſceo cineribus, his inferiis tuos manes ſupremùm ciebo. Sed quid ita? moriar potiùs, quàm ſuauiſſimo hoc complexu diuellar. Atq; ita ſepulchro hærens, cùm neq; minis, neq; alia vi facilè diuelli poſſet, à temerario milite gladio traiecta, hac re ſola felix, quo voluit loco, relicta eſt. Sed de amore coniugali alibi.

Mutuum auxilium.

EMBLEMA CLXI.



LORIPEDEM ſublatum humeris fert lumine captus,
Et ſocij hac oculis munera retribuit.
Quo caret alteruter, concors ſic præſtat vterque:
Mutuat hic oculos, mutuat ille pedes.

COMMENTARII.

I. CAECVS baculo dubia regens veſtigia, claudum quendam humeris impoſitum geſtat, qui cæco viam digito & ore monſtrare videtur.

II. *Fons Emblematis.* MVLTA ſunt epigrammata Græca in hanc ſententiam, eaq; lib. 1. Anthologiæ, tit. εἰς ἀναπήρους. Sed vnum aut alterum attuliſſe ſufficiat, & primum quidem Philippi ſeu Iſidori:

τυφλὸς ἀλητεύων χωλὸν πόδας ἠερτάζεν,
ὄμμασιν ἀλλοτρίοις ἀντερανιζόμενος.
ἄμφω δ' ἡμιτελεῖς πρὸς ἑνὸς φύσιν ἡρμόσθησαν,
τὸλλιπὲς ἀλλήλοις ἀντιπαρασχόμενοι.

Cæcus claudum humeris geſtat: pro munere tanto
Ille oculos claudi mutua dona refert.
Imperfecti ambo coeunt ſed corpus in vnũ;
Quodq́; deeſt, ſocio præſtat vterq; ſuo.

Cæcus errans claudum pede ſuſtulit,
Oculis alienis mutuum accipiens:
Ambo quidem imperfecti ad vnius naturam

ram aptati ſunt,
Defectum inuicem retribuentes [.i. accommodantes, ſeu præbentes operas mutuas.]

Cæcus vt errabat claudum pede ſuſtulit; ille
Alteriusq́; oculos mutua dona capit.
Imperfecti ambo ſeſe iuuere viciſſim,
Alterius prompta ſic fretus alter ope eſt.

Sic autem vertit Auſonius Gallus:

Verſio Auſonij Galli.
Inſidēs cæco graditur pede claudus vtroq;
Quo caret alteruter ſumit ab alterutro.
Cæcus namque pedes claudo greſſumque miniſtrat,
At claudus cæco lumina pro pedibus.

Idem aliter:

Ambulat inſidens cæco pede captus vtroq;
Atq; alterna ſubit munia debilitas.
Nam cæcus claudo pede commodat, ille viciſſim
Mutua dat cæco lumina pro pedibus.

Thomæ Mori. Sic verò Thomas Morus:

Claudipedem geſtat cæcus vicinus ocellis,
Conducitq; oculos arte, locatq; pedes.
Cæcus fert claudum, atq; opera conducit eadem,
Iſtius ille oculos, iſtius ille pedes.

Extat & aliud eiuſdem omnino argumenti, auctore Antiphilo:

Aliud epigrãma eiuſdem materia.
ἄμφω μὲν πηροὶ καὶ ἀλήμονες, ἀλλ᾽ ὁ μὲν, ὄψεις,
ὃς δὲ, βάσεις· ἄλλω δ᾽ ἄλλος ὑπηρεσίη.
τυφλὸς γὰρ χωλοῖο κατωμάδιον βάρος ἄρας,
ἀτραπὸν ὀθνείοις ὄμμασιν ἀκροβάτει.
ἡ μία δ᾽ ἀμφοτέροις ἤρκει φύσις· ἐν γὰρ ἑκάστῳ
τὤλλιπὲς, ἀλλήλοις εἰς ὅλον ἠράνισαν.

Ambo mendici cæcus, claudusq́; fuere;
Alter at alterius ſuſtulit arte malum.
Attollens humeris claudum qui luce carebat,
Claudi oculis dubiam tentat inire viã.
Coniũxere ſimul quod ſors vtriq; negarat:
Natura ambobus ſic ſatis vna fuit.

Ambo quidē mutili & errones, ſed alter quidem oculis,
Alter verò ingreſſu, alterius autem alter ſubminiſtratio [erat] .i. alter alteri ſeruiebat.
Cæcus enim claudi ſuperhumerale onus tollens.
Viã alienis oculis, ſummis pedibus ibat.
Vna verò vtriſque ſufficiebat natura: in vnoquoq; enim
Defectũ inuicem ad totũ mutuata eſt.

Mutili & errones ambo: alter lumine caſſus,
Alter at ingreſſu mutua dona dabant.
Cæcus enim claudum tergo geſtabat: ocellis
Alterius ſummis ibat iter pedibus.
Natura vna vtriq; ſatis, parilisq́; facultas,
Quo caret inq; vices alter & alter agit.

Sunt & alia duo ad idem ſpectantia, quæ à doctis certatim conuerſa huc non adijcio: ſed illud tantùm breuius ex Politiano aſcribam, quòd nonnihil leporis habeat:

Epigramma Politiani.
Τυφλὸς ἄπους τ᾽ ἤτην ἀλλήλοιιν θεράποντες
Τυφλὸς ὁδηγεῖτο, νωτοφορεῖτο δ᾽ ἄπους.

Vt tradant operas ſibi mutuò loripes, atq;
Cæcus, iter facit hic, fertur at ille pedes.

Cæcus, pedibusq; mancus erant ſibi inuicem miniſtrantes:
Cæcus per viam deducebatur [à claudo] dorſo ferebatur pedibus mãcus.

Portauit cæcus vir claudũ in terga leuatũ:
Acceptis oculis præbuit ille pedes.

Fauſti Sabæi. In hunc ſenſum luſit quoq; Fauſtus Sabæus hoc epigrammate.

Mutuum auxilium.

Mendicũ cæcus claudum ceruice ferebat,
Et ducebatur lumine ab alterius.
Ambo imperfecti corpus iũguntur in vnũ,
Recte eat vt claudus, cæcus vt inſpiciat.

Monuit autem Pierius Valerianus hęc nõ temere, & poeticè conficta; habet enim ille tetraſtichon hoc lemmate.

In celebres mendicos.

Quærens edaci corpori vagus cibum
Claudum ferebat cæcus, illi fœnerans
Pedes, ab illo fœneratus lumina.
Quid non egeſtas dura mortales docet?

Donec igitur duo aut plures animo concordes erunt, licet diuerſis corporum ægritudinibus laborent, facilè tamen mutuò ſe iuuabunt, & alter alterius ſupplebit defectum. *Hiſtoria de Britãno claudo.* Memini me de Britanno quodam legere, qui fuit tibijs cõtractis; ita vt ſi locum mutare vellet, ſella vehendus eſſet; fuit inſuper re tenuiris duxit vxorem cæcam, & facti cauſam dixit: Sic melius, aiebat, inter nos conſtabit amicitia, feremus nos inuicem pares calamitate, neutri futurum eſt quod exprobret alteri. His itaq; tranquillus & innocens erat conui-

ctus, fœlix fœcunditas, procreatis ex iſto coniugio duodecim fratribus robuſtis, nulloq; næuo deformatis.

III. *Loripedes.*

LORIPEDEM] Pedum vſu carentem. Loripes compoſitum eſt à loro & pede. Dicuntur loripedes, qui pedes habent intortos in modum corrigiæ: aut veriùs, qui blandos & carneos habẽt pedes ſine oſſibus, quales ſunt populi in Aphrica, qui dicuntur Himantopodes, id eſt, loripedes, quibus ſerpendo ingredi natura eſt. Plinius lib. 5. cap. 8.

Fert lumine captus] cæcus, vſu oculorum priuatus.

Munera retribuit] beneficia rependit, quæ à cæco accipit.

Quo caret alteruter, &c.] Hũc verſum alibi ſic legi:

O fœdus concors: ſic præſtat vterq; viciſſim.

Mutuo.

Mutuat] pro Mutuatur: *Mutuo, as,* certè apud probatos auctores vix inuenies; Latini dicunt, *Mutuò dare.* quod facilè diligens lector deprehendet. Sed danda eſt Alciato venia, qui toties occurrebat Bartolis & Baldis. Quòd ſi terſæ aures hoc non ferant, poteris verſiculum vnica expuncta littera corrigere:

Hic oculos mutat, mutat & ille pedes.

Hic oculos] ſcilicet tardipes, claudus.

Ille pedes] nempe cæcus.

IV. *Vnus vir, nullus vir.*

EMBLEMATE hoc intelligi datur, ad ſuſtentandam ſubleuandamque humanæ vitæ inopiam, homine hominem indigere: vt enim non omnis fert omnia tellus, ſic quiuis non abundat quibuslibet, vnde peruulgatas habemus parœmias, *Vnus homo, nullus homo: Manus manum fricat: Multa manus reddunt onus leuius: Nõ abſque Theſeo:* & alia multa eiuſdem generis. Rectè itaq; Menander:

ἀνὴρ γὰρ ἄνδρα, καὶ πόλις σώζει πόλιν.
χεὶρ χεῖρα νίπτει, καὶ δάκτυλός τε δάκτυλον.

Vir enim uirum, et ciuitas ſaluat ciuitatẽ.
Manus manum lauat, & digitus digitũ.

Geryonis mythologia.

Geryonem ideo fingũt multis oculis, multis manibus & pedibus prȩditum, quod in negotijs obeundis multorum opera vti conſueuerit; quod in principe, vel alio quopiam, cui Reipub. ſumma credita ſit, plurimùm commendabile habetur: Nõ enim omnia poſſumus omnes. Idcirco Pelopides laudatur, qui legationem initurus, cũ ſe ad dicendum parum idoneum intelligeret, adiutorem ſibi ſociumq; muneris Epaminondam cooptauit. Sic Nicias cùm ad labores tolerandos imbecillo admodũ corpore & inexperto eſſet, Lamachum ſibi & robuſtum & induſtrium ſocium accepit. Exiſtimo quidem hic alluſionem eſſe quandam ad συνδυασμὸν, qua homines quibuſdam veteribus appellati ſunt συνδυαστικοὶ, quippè quos natura ita effinxerit ac formarit, vt gregales eſſent, & bini agerent. Ex quo & Platoni dicuntur ζῶα πολιτικὰ, id eſt, *animalia ciuilia,* & ad ſocietatem nata: quandoquidem eo genio ſint, vt ſola viuere nequeant. Itaq; prȩclarè ille, qui humanum ingenium apiculæ comparauit: vt enim illa perire dicitur, ſi ſola viuat, ita natura hominis ea eſt, vt ſine opera mutua & ſocietate vitam traducere nullo modo poſſit: vtque manus manum lauat, ita homo hominem mutua quadam neceſſitudine atque ope iuuat. In ſumma,

Homines συνδυαστικοὶ cur appellati.

Homines ſoli minimè viuere poſſint.

Integrum ex medijs vnum fit ritè duobus,
Si quandò hic oculos mutuat, ille pedes.

Quis enim artifex tam per ſe ſapiat, tantasque habere facultates putatur, vt non indigeat aliorum artificum auxilio mutuo? Id autem cùm à natura prouida omnium matre profectum ſit, vt ſinguli quibuſdã rebus ad vitæ prȩſidium & ornamentum indigeant, quo eas ab alijs mutuò capiãt, vt ipſi meminerint aliquod ſuum officiũ eſſe mutuò & viciſſim rependendum: certè nullus noſtrum eſt, quin vel cæci vel loripedis agat partes, vt quà ſit eundum, minimè videat, aut quà progrediendum vlteriùs, planè non habeat. Quid, cæce, conſilij capies, quò te in viam huius vitæ anxiæ ac moleſtȩ conijcies? quid, inquam, homo quantumuis diues ac locuples conſilij capies, vt te poſſis tandem expedire ex inopiæ anguſtijs, quæ non ſinunt te vltrà progredi, niſi ducatum tibi prȩſtet aliquis oculatus? At, claude, & pedibus caſſe, quò te proripies? imò verò erudite licet ac Muſarum alumne, an te loco mouebis, niſi primùm firmis cuiuſdam opulenti beneque nummati humeris ſuſtenteris? Sed quotus quiſq; eſt, cui non perſpicuum ſit quã longè lateque pateat officij huius mutui vſus? Nullum omninò rerum genus eſt, quod aut auulſum à cæteris per ſeipſum conſtare, aut vim ſuam atq; æternitatem conſeruare poſſit. Stoici quæ in terris gi-

Ad mutua officia omnes tenentur.

gnuntur

guuntur, aiunt ad vſum hominum creata eſſe: homines autem hominnm cauſſâ geni tos, vt ipſi aliis alii prodeſſe poſſent: qua in re neceſſe eſt uaturam ducem optimam ſequi, & vtilitates omnes in medium conferre officiorum commutatione, dando, accipiendo, commutando, conducendo, & cæteris eiuſdem generis, tum artibus, tum opera, tum facultatibus hominum inter homines ſocietatem deuinciendo. Iam verò illa ſapientia, vt ſapienter ab Oratore dictum, diuinarum atque humanarum rerum ſcientia eſt, in qua continetur Deorum & hominum ſocietas quædam & cōmunitas inter ipſos. Quod cùm ita ſit, meminerimus ad extremum, quod antè dictum eſt, vnum hominem pro nemine habendum: vnum, inquam, nihil ferè, duos ſimul iunctos permulta facere & conſequi poſſe.

Auxilium nunquam deficiens.

EMBLEMA CLXII.



BINA pericla vnis effugi ſedulus armis,
Cum premererq́; ſolo, cum premererq́; ſalo.
Incolumem ex acie clypeus me præſtitit: idem
Naufragum apprenſus littora adusque tulit.

COM-

COMMENTARII.

I. IVXTA tentoria in ripa ſita flumen præterlabitur, in quo vir armis militaribus indutus, & ſcuto ſuo incumbens natat.

II. HOC è Græco Iulij Leonidæ Epigrammate expreſſit Alciatus, in quo Myrtili militis proſopopœia eſt, ſcutum ſuum celebrantis. Is poſt conflictum terreſtre nauem ingreſſus naufragium paſſus eſt, cũque frangeretur nauis clypeum apprehendens incolumis ſuper illo enatauit. Epigramma venuſtum eſt & figuris abũdans. Græcum ſic habet:

Myrtilus quis.

Emblematis fons.

σὺν ἑνὶ κινδύνους ἔφυγον δύο μυρτίλος
ὅπλῳ,
τὸν μὲν ἀριστεύσας, τὸν δ' ἐπινηξάμενος.
ἀργέστης ὅτ' ἔδυσε νεὼς τρόπιν, ἀσπίδα
δ' ἔσχον
σωθεὶς κεκριμένην ὕδατι καὶ πολέμῳ.

Effugi geminum clypeo diſcrimen in vno
Myrtilus, & pugnans fortiter atq; natans.
Arripui clypeum depreſſa flamine puppi
Fluctibus oppreſſum, belligeriſq; viris.

Vnis pericula duo effugi [ego] Myrtilus armis;
Vnum quidem fortiſſimè dimicando, alterum verò natando.
Argeſtes [ventus] quando ſubiit nauis carinam, clypeum habui
Seruatus deſtinatum aquis & pugnæ.

Vnis damna duo vitaui Myrtilus armis;
Vnum acie certans, alterum in amne natans.
Vt primùm vento pulſa rate is adfuit, atq;
Me clypeus pugna, eſt auxiliatus aqua.

Huc refer & alia eiuſdem argumenti Epigrammata lib. 1. tit. εἰς ναυάγιον. Talem quoq; pingit Claudianus in panegyricis Horatiũ Coclitem, cuius hæc ſunt verba:

Horatius Cocles.

Traiecit clypeo Tibrim, quo texerat vrbẽ,
Tarquino mirante, Cocles, mediiſque ſuperbus
Porſennam reſpexit aquis.

III. *BINa pericla*] duo pericula, nempe in terris & in mari.

Vnis armis] vno eodemq; ſcuto. Vnus in plurali iungitur nominibus ſingulari numero carentibus, vt Vnæ literæ, Vna arma, Vnæ ædes. Cic. pro lege Manil. Ab vnis hoſtium copiis geri. Licet apud eundem Ciceronem pro Flacco legatur: Vnis moribus, & nunquam mutatis legibus viuere.

Vnus in plurali.

Cum premererq; ſolo] cum dimicarem terreſtri prælio.

Cum premererq; ſalo] cùm in aquis periclitarer, iiſq; penè obruerer. Salum mare dicitur, vel à ſapore ſaliſi: vel à verbo Græco σαλεύω, quod ſignificat fluctuo, fluito. *Salum.*

Clypeus me præſtitit] Clypeus, vt Labienus ait, cùm virili genere profertur, ſcutum ſignificat, ſic dictum ἀπὸ τοῦ κλέπτειν, ſiue ἀπὸ τοῦ καλύπτειν τὸ σῶμα, quod clepere ſeu celare ſignificat. Clypeũ verò in neutro genere imaginem in ſcuto cælatam denotat, dictum ἀπὸ τοῦ γλύφειν, id eſt, ſculpere. Sed tamen T. Liuius clypea ſæpe pro ſcutis poſuit; vt 6. ab Vrbe: Clypeis antè Romani vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipendiarii facti ſunt, ſcuta pro clypeis fecere. Aſinius contra clypeum pro imagine maſculinè dixit. Plinius lib. 2. Dubij ſermonis: Vtrũq; ait, indiſtincto genere dici, ſed litera differre, vt pugnatorium per i, dicamus clipeum, quod clepere celare ſit; imaginem verò per v, à cluendo. Sed hæc arbitror Plinium non ex ſua, ſed ex Grammaticorum opinione retuliſſe. Nam lib. 35. Nat. hiſt. cap. 3. ait: Scutis enim, qualibus apud Troiam pugnatum eſt, continebantur imagines, vnde & nomẽ habuere clypeorum, non (vt peruerſa Grãmaticorum ſubtilitas voluit) à cluendo. A clypeo fit clypeare, verbum, apud Pacuuium in Hermiona, idemque eſt, quod apud Liuium, paludamento circum brachium intorto in hoſtes impetum facere, & ab eorum ictibus ſeipſum protegere.

Clypeus. *Clypeũ.* *Clypeare.*

SCVTVM bellicum olim tantæ amplitudinis erat, vt totum hominem tegeret, & à telis omni ex parte defenderet. Adhæc conuexa eius parte, corpus ſuſtentante flumen tranari poſſet. Scutum hoc nuſquam in quouis periculo deficiens, ſed etiam in iis auxilium præſtans, quæ videntur alioqui abhorrere ab vſu proprio & naturali, typus eſt amici veri nunquam nõ ſuppetias ferentis, vel etiam in iis, quæ videntur à ſua facultate penè omninò aliena eſſe. Non multis id amplificabo verbis: vnum huius rei exemplum mihi ſtatui te, IV.

Veri amici typus.

D. IOAN.

Ioannes Andreas Ciolus Venetus.

D. IOANNES ANDREA CIOLE, Doctor Excellentiſſime, amice integerrime, qui me non ſolùm Patauii (vbi amicitia noſtra primùm coaluit) dum in caſtris Palladiis militaremus, ope & opera iuuiſti; ſed etiam Venetiis dum ſæuiſſimis diuturnorum morborum procellis concuſſus, & virium, & facultatum iacturam feciſſem, nunquam deſtitiſti ſolari afflictum, erigere iacentẽ, dirigere auium, eaq; omnia reapſe præſtare, quæ ab alio quoquam vix auſim ſperare. Te remige tandem ægrè enaui. Tu nihilominus amoris tui radios in me aliquantulum diſiunctum largiſſimè diffundis, dum mihi ampliſſimorum virorum gratiam concilias, conciliatam foues, literarum reciproco alloquio recreas, deniq; inſtructiſſima tua ſuppellectile libraria hunc meum commentandi conatum promoues. Quid ego viciſſim? quod poſſum; redamare, & ſincerum amorem cãdidè atteſtari: quod hocce publicò teſtimonio ago, idq; per iſtum laborem, quem hic ſuſcepi (audaciùs fortè quàm feliciùs) perenne eſſe exopto.

Studia nuſquam non opportuna.

Hoc etiam poteſt commodiſſimè transferri ad literarum ſtudia nuſquam non opportuna, nuſquam non iucunda, quibus nimirum non modò ab aduerſariorum telis, & hominum iniurijs tuti ſumus, & tãquam oppoſito clypeo munimur, ſed & eorum miniſterio vſuque è medijs vitæ huius fluctibus ad tranquillum otij portum recipimur. Sic enim Myrtili clypeum Alciatus ipſemet oratione quadam Ticini habitâ intellexit. Tradunt, inquit, Zenonem

Zenonis naufragium.

Philoſophum, cùm naufragium feciſſet, dixiſſe, ſe nunquam felicius nauigaſſe, quã cùm rebus amiſſis vacare Philoſophię deinde cœpiſſet. Idem & vſurpare ego poſſum, qui cùm in patria otio quondam, nimiaq; tranquillitate ferè marceſcerem, atrocitate bellorum demum excitatus peregrinari cœpi, & ad hanc diſciplinam confugi, quæ mihi planè fuit, quod Prouer-

Myrtili clypeus.

bio Græco dicitur, *Myrtili clypeus.* Fuit is ingentis animi miles, ſcuto pugnare ſolitus, qui cùm ad maritimam expeditionẽ nauigaſſet, ſubmerſa fortè naui eidem clypeo innixus in tutum portum delatus eſt. De quo hunc in ſenſum Leonides Poeta ſcripſit:

Bina pericla vnus effugi Myrtilus armis,
Cum premererq; ſolo, cũ premererq; ſalo.
Incolumẽ ex acie clypeus me præſtitit, idẽ
Naufragum apprenſus littus aduſque tulit.

Sic mihi hęc egregia profeſſio omni in tẽpore, omni in fortuna auxilio fuit; quod ceu ſenectuti veſtræ viaticum, vt & vos comparetis, hortor ſuadeoque. Hæc Alciatus. Apparet itaq; viris cordatis & ma-

Cordatis viris fauet fors.

gnanimis fortunam ipſam, etiam in rebus quantumcunq; afflictis atq; aduerſis, facilè modum auxiliumque miniſtrare. vt eſt hoc Tibulli. quod vulgo dici ſolet: *Fortes fortuna adiuuat*. Iuxta illud nimirum poetæ:

Audaces fortuna iuuat, timidosq; repellit.

Teſte etiam Seneca in Medea:

Fortuna fortes metuit, ignauos premit.

Vita noſtra militia.

Verùm cùm miſera hæc noſtra & calamitoſa vita militia ſit ſuper terram: & ſicut mercenarij dies noſtri, docente Iob 7. laboremus ſicut boni milites Chriſti, vt Apoſtolus ſedulò adhortatur, aſſumpto ſcuto illo ſalutis, quod ipſe nobis ceu digito demonſtrat: vt poſſimus reſiſtere (eius vtor verbis) aduerſus inſidias diaboli, & aduerſus principes mundi, rectores tenebrarum harum. Accipite, inquit ad Epheſ. 6. armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare; ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, &c. Huiuſmodi ſanè clypeo tam in terra, quàm in mari, hoc eſt, diu noctuq; rectè nos ab imminentibus malis tuebimur, & diuerſa licet pericula imperterrito animo illæſi effugiemus; vt & ſanctè atteſtatur Pſalmographus: Scuto, ait, circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno; à ſagitta volante in die. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit. Pſalm. 90. At nunc Gratiis litabimus.

Gratiæ.

EMBLEMA CLIII.



TRES Charites Veneri aſſiſtunt, dominamq́; ſequuntur,
Hincq́; voluptates, atque alimenta parant.
Lætitiam Euphroſyne, ſpecioſum Aglaia nitorem,
Suadela eſt Pithus, blandus & ore lepos.
Cur nudæ? Mentis quoniam candore venuſtas
Conſtat, & eximia ſimplicitate placet.
An quia nil referunt ingrati, atque arcula inanis
Eſt Charitum? qui dat munera, nudus eget.
Addita cur nuper pedibus talaria? Bis dat,
Qui citò dat: minimi gratia tarda preti eſt.
Implicitis vlnis cur vertitur altera? Gratus
Fœnerat: huic remanent vna abeunte duæ.
Iuppiter ijs genitor, cœli de ſemine diuas
Omnibus acceptas edidit Eurynome.

COM-

COMMENTARII.

I. GRATIAE, quas Græci Charites vocant, pinguntur nudæ, facie virginũ, hilari vultu, manibus cõplexis ſeipſas aſpicientes, pedibus alatis: harum vna à nobis auerſa pingitur, reliquæ duæ facie ad nos conuerſa. Gratiarum ſimulacra veteribus non fuere citra indumenta, inquit Pauſanias; at poſteri neſcio cur nudas pingere ac ſculpere adorti ſunt, antiquorum ratione mutata.

II. *Deſcriptio Charitum ex adiũctis.* CONSTITVITVR hic Charitum proſopographia, qualem fermè & pictores & ſtatuarii veteres expreſſerunt. Tres ſunt ęquè nudæ, virgines, iuuenes, hilares, & quæ inuicem ſibi adhæreant. *Nudæ.* Nudæ quidem, quia beneficia non oportet eſſe fucata, in quibus ſimplicitas & puritas animi maximè requiritur. *Virgines.* Virgines autem & iuuenes, quòd nuſquam ſeneſcere debeat aut intermori accepti beneficii recordatio. *Iunctæ.* Sibi connexæ & adhærentes, quia (vt ait Sophocles) ἡ χάρις χάριν φέρει, *Gratia gratiam parit*, quodq́; debeat eſſe perpetuum, & quaſi continuum beneuolentiæ fœdus. *Talaria pedum.* Adhæc in pedibus habent alata talaria, quòd tardam gratiam eſſe nõ liceat. *Vnã duæ aliæ conſpiciunt.* Poſtremò vnam auerſam duæ aliæ conſpiciunt; quòd pro accepto beneficio duplicem, & quaſi cum fœnore gratiam rependere debeamus. *Cur filiæ Iouis & Eurynomes.* Has ex Eurynome Iouem ſuſcepiſſe ferunt; vt affectum eiuſmodi non tam humanum quàm diuinum eſſe intelligas. Huius picturæ Pauſanias in Aeliacis diuerſis locis meminit: & Seneca pluribus agit libro De beneficijs, cap. 3. Porrò huc non grauabor adſcribere in Charitum eiconem Epigramma non illepidum, quod etiamnum extare Romæ, teſtis eſt Lilius Gyraldus Syntag. 8. aſcripſitq́; Alciatus ipſemet cap. vndecimo libri primi Patergon:

Epigramma in Charites.

Sunt nudæ Charites, niueo de marmore: at illas
Diua Columna ſuis ædibus intus habet.
Par tribus eſt facies, qualem decet eſſe ſororum:
Par tribus eſt ætas, par quoque forma tribus.
Gratia Thalia tamen gemina conuerſa ſorori,
Implicat alternis brachia nexa modis.
Iuppiter eſt genitor, peperit de ſemine Cœli
Eunomia, & Veneris turba miniſtra fuit.
Inde alitur nudus placida ſub matre Cupido,
Inde voluptates, inde alimenta Dei.

Quia verò potiſſima huius Emblematis pars, ſi rectè conferas, ex epigrammate adducto lucem accipit, pauca in tranſcurſu in ampliſſima alioqui materia attingemus.

III. *Charites unde dictæ.* TRES Charites] Charites dicũtur ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *à lætitia*, vt Phornutus ait: ſed & notiſſimo Græcorum adagio, ταῖς χάρισι σπένδειν, *Gratijs ſacrificare*, ij iubentur, qui triſtes & ſolliciti ſunt. *Charites quot.* De numero verò & nomine Gratiarum variæ ſunt auctorum ſententiæ. Orpheus in hymnis tres recenſet, Aglaiam, Thaliam, Euphroſynã, Iouis & Eunomiæ filias, ſic:

Δεῦτέ μοι ὦ χάριτες μεγαλώνυμοι ἀγλαότιμοι
Θυγατέρες ζηνόσε καὶ Εὐνομίης βαθυκόλπου,
ἀγλαΐητε, Θάλεια, καὶ Εὐφροσύνη πολύολβε,
χαρμοσύνης γενέτειραι.

Huc agite Charites celebres, veneranda propago
De Ioue prognatæ Eunomiaq́; parentibus olim,
Aglaia, Euphroſyneq́; Thaliaq́; ſplendida, claræ
Lætitiæ matres.

Plutarchus item tres facit in lib. de diſputatione Philoſophi cum Principe: Sapiebat, inquit, qui Gratijs nomen indidit, Aglaiæ, Euphroſynæ, ac Thaliæ: ſiquidem hilarem eſſe & gaudere in conferendis beneficijs, id & maius eſt & purius. Has etiã tres inuocat Pyndarus Ode Olymp. vlt. πότνια Ἀγλαΐα, φιλησίμολπέ τ' εὐφροσύνα, Θαλία τ' ἐρασίμολπε, Θεῶν κρατίστου παῖδες. Id eſt: *O venerabilis Aglaia, amabiliterq́; demulcens Euphroſyne, amicaq́; oblectans Thalia, optimi Deum filiæ.* Quidam verò, vt ait Phornutus in lib. de Nat. Deor. duas tantum Gratias poſuerunt, innuentes aliquos benefaciendi initium facere oportere, alios autem gratiam referre. Homerus lib. 14. Iliad. vnam Gratiarum Paſitheam vocat, quam Iuno Somno Deo in matrimonium collocat. *Paſithea.* Huius

etiam

etiam meminit Statius lib.2.Theb.

No hoc Paſithea blandarum prima ſororũ.

Auſonius Gallus Leſbiam ſuam ternario Gratiarum numero adiungit, hoc epigrammate:

Tres fuerant Charites, ſed dum mea Leſbia vixit
Quatuor: vt perijt tres numerantur itẽ.

Sic & ego aliquando ex tempore muginabar in formoſam & argutam pſaltriam, dum nobis ſuauiſſimè cithara caneret.

Epigramma in Rachelem nobilem pſaltriã.

Dum ſpecto attento formoſum lumine vultum,
Tũc dico: E cœlo Cypria lapſa Dea eſt.
Melliflua cithara dũ iũgis carmina voce,
Obſtupet argutum turba nouena melos.
Purpureo dulces dum fundis ab ore loquelas,
Flexanimas Charites tunc reor eſſe rudes.
Rachel, quid dicam? Forma Venus altera; cantu
Pieris at decima es; quarta ſed ore Charis.
Pieris abde chelyn, nitidos Venus exue cultus,
Nam Charis iſta viris nuda placere poteſt.

Charites tres.

Communior tamẽ fuit ſententia, tres fuiſſe Charites, vt in eo verſu teſtatur Meleager:

Τρισσαὶ μὲν χάριτες, τρεῖς δὲ γλυκυπάρθενοι ὧραι.

Sunt triplices Charites, tres Horæ, caſta & vtraq;

Cur?

Tot autem ideo eſſe prodiderunt, quia & benefici eſſe in alios debemus, & aliorum beneficia ſuſcipere, & ijs, qui in nos fuerunt liberales, retribuere. Dare autem, accipere, & referre, tres actus ſunt inter ſe diſtincti. Alij ideo dicunt tres eſſe Gratias, quia acceptum beneficium cum fœnore reddi debet. Quapropter ſolebant ita Gratias pingere, vt vna earum auerſam faciem teneret, quaſi à nobis profectæ; duæ verò nos aſpicerent, vt duplex nobis beneficium rependi debere oſtenderent. Tradunt etiam Gratias in Acidalio fonte, qui eſt Orchomeni Bœotiç vrbe (vbi Eteocles Andrei & Euippes filius templo ædificato primus Gratijs rem diuinam feciſſe dicunt) lauari; quoniam pura eſſe beneficia oportet; & nihil ſordidum, nullam ſpem retributionis habere.

Gratijs quis ſacra primus fecerit.

Veneri aſſiſtunt.] Teſtis eſt in Aeliacis poſterioribus Pauſanias, & Cœlius lib.28. cap.18. vt ſignificaretur, quę voluntas ferret ſine pugna; citraq; contentionem vllam, & qui dat, & qui accipit, tranſigerẽt.

Gratiæ iunctæ Veneri cur.

Dominamq; ſequuntur] Hinc Veneris pediſſequæ & aſſeclæ vocantur.

Hincq; voluptates] ſuppeditant voluptatum omnium materiam.

Alimenta parant] Innuit (vt ego quidem arbitror) mythologiam Gratiarum, qua agrorum fertilitatem, frugumq; abũdantiam, quæ pacis beneficio latè proueniunt, per Gratias ſignificari quidam volunt. Vide Natal. Comit. lib.4.cap.15. Mytholog.

Agrorum fertilitas per Gratias.

Lætitiam Euphroſyne.] Notatio eſt nominum. Euphroſyne lætitiam ſonat, vel quæ hilaritatẽ facit; παρὰ τοῦ εὐφραίνειν, *latũ reddere.* Lætatur enim in beneficijs & qui dat, & qui accipit. De hac Bapt. Pius: *Geſtibus Euphroſyne blandus amor oculis.*

Euphroſyne.

Aglaia.] Splendorem, dignitatem & honeſtatem ſonat. hinc ἀγλαΐζομαι καὶ ἀγλαΐζω, *honoro, orno.* Eſt enim honeſtius dare quàm accipere: nam beneficium qui accipit, libertatem vendit. ait P. Syri mimus.

Aglaia.

Suadela eſt Pithus] Thaliam intelligit, quæ floriditatem & lætum conuiuium ſonat, παρὰ τὸ θάλλειν, quod eſt, *vireſcere, pullulare.* Hæc autem Suada ſiue Suadela, Dea perſuaſionis & eloquentię, & à Græcis πειθὼ nominatur. Cicero in Bruto: Vt hominis decus eſt ingenium, ſic ingenij ipſius lumen eſt eloquentia, qua virum excellentem præclarè tum illi homines florem populi eſſe dixerunt: Suadæque medullam, πειθώ, quam vocant Græci, cuius effector eſt orator, hanc Suadam appellauit Ennius. Eius autem Cethegũ medullam fuiſſe vult, vt quam Deam in Periclis labris ſcripſit Eupolis ſeſſitaſſe, huius hic medullam noſtrum Oratorem fuiſſe dixerit. Hæc ille. πειθὼ verò (ait Suidas) eſt ἡ πεισμονή, cui ſacrum nihil aliud quam oratio; quam etiam Græci ψυχαγωγὸν appellabant, quòd animum ducat quò velit. Eo ſenſu eloquentia flexanima dicitur Ennio. Hanc ſolam mortalibus reginam eſſe apud Euripidem Hecuba dixit: eique Aeſchylus μελιγλώσσους ἐπαοιδὰς tribuit. Huius etiam cauſa Socrates apud Quintilianum πειθοῦς δημιουργὸν.

Thalia.

Suada.

Πειθώ.

γὸν. id eſt, *perſuadendi opificem*, Rhetoricen nominauit.

Cur nudæ?] De habitu Charitum non eadem eſt omnium ſententia. alii enim nudas, alii veſtibus lucidis & fluentibus indutas fuiſſe voluerunt. Pauſanias in Bœoticis Gratias antiquitus tam à ſculptoribus, quàm à pictoribus, & à poetis cum veſtibus introductas fuiſſe teſtatur: quarum artifices Pythagoras Parius, Bupalus, & Apelles extitere; & Socrates Sophroniſci illas indutas in veſtibulo arcis Athenienſiũ collocauit. Cùm igitur antiquitus veſtibus operirentur, vel quia turpe eſſet aſpectu mulieres nudas ſine veſtibus conſpici; vel quia brumæ frigora formidarent, inciderunt in recentiores tãquam in latrones, à quibus ſpoliatæ ſunt. Quid igitur mirum, ſi hoc noſtro tempore omnes gratiæ frigeant, & nudæ algeant?

Gratiæ an nudæ.

Mentis quoniam candore] Duas affert cauſas, cur nudæ pingantur Gratiæ. Prima, quia ad acquirendum amorem & gratiam, neceſſe eſt, vt cor ipſum candidum tranſpareat, purum & abſq; vllo fictionis velo; in beneficiis itaq; vltro citroq; collocandis nihil oportet eſſe duplex aut tectũ, ſed clara omnia & ſimplicia.

Duæ cauſa cur nudæ Charites.

Atq; arcula inanis eſt Charitum.] Secunda cauſa prouerbium tangit, Σιμωνίδου μέλη. id eſt: *Simonidis cantilena*: Nam hæc de Simone retulit Stobæus: Σιμωνίδης παρακαλοῦντός τινος ἐγκώμιον ποιῆσαι, καὶ χάριν ἔχειν λέγοντος, ἀργύριον δὲ μὴ διδόντος, δύο εἶπεν οὗτος ἔχω κιβωτοὺς, τὴν μὲν χαρίτων, τὴν δ' ἀργυρίου. καὶ πρὸς τὰς χρείας, τὴν μὲν τῶν χαρίτων κενὴν εὑρίσκω ὅταν ἀνοίξω, τὴν δὲ χρησίμην μόνην. *Simonides, rogante quodam vt ſibi conſcriberet encomium, & gratiam ſe relaturum dicente, argentum autem non dante: Duas, inquit, arcas habeo, vnam Gratiarum, alteram argenti: & cùm neceſſitas exigit, Gratiarum quidẽ arcam aperiens, inanem ipſam reperio, alteram verò ſolam mihi commodam.* Quo ſignificare volebat, ſe gratis donare nolle carmina. Sic quoq; queritur Theocritus in Charitibus, qui Gratias ſuas ideo nudas ait, quòd à principibus, ad quos mittantur, indotatę remittantur. Sed hoc videri poſſet illiberale: nam libera & vltronea debet eſſe gratia, nõ coacta, aut illiberalis. Adde, quòd pulchrius (vt dictum) & magnificentius eſt beneficiũ conferre, quàm affici beneficio. Hinc.n. illud Plutarchi: ἐπίκουρος, τοῦ εὖ πάσχειν, τὸ εὖ ποιεῖν οὐ μόνον κάλλιον ἀλλὰ καὶ ἥδιον εἶναι φησί. χαρᾶς γὰρ οὐδὲν οὕτως γόνιμόν ἐστιν, ὡς χάρις. ἀλλὰ σοφὸς ἦν ὁ ταῖς χάρισι τὰ ὀνόματα θέμενος, ἀγλαΐην, καὶ εὐφροσύνην, καὶ θάλειαν. τὸ γὰρ ἀγαλλόμενον καὶ τὸ χαῖρον ἐν τῷ διδόντι τὴν χάριν, πλεῖον ἐστὶ καὶ καθαρώτερον. διὸ τὸ πάσχειν εὖ αἰσχύνονται πολλάκις. ἀεὶ γὰρ ἀγάλλονται, τῷ εὖ ποιεῖν. Hoc eſt: *Epicurus ait, non modò pulchrius eſſe beneficio afficere, quàm affici, ſed & iucundius. Nam nulla res perinde parit gaudium, vt beneficentia. Sapiebat autem qui indidit Gratijs nomina, Aglaia, Euphroſyna, & Thalia, ſiquidẽ exultatio & lætitia in dante maior eſt & purior. Itaq; multi pudore ſæpè ſuffunduntur, cùm beneficium accipiunt: ſemper autem gaudent, cùm beneficium præſtant.* Nõ mihi temperare poſſum, quin addam Ciceronis illud è 2. Offic. Aut opera fit benignè indigentibus, aut pecunia, &c. quamquam in vtroque ineſt gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur: largitioq; quæ fit ex re familiari, fontem ipſum benignitatis exhaurit.

Arcula Gratiarũ inanis.

Gratia libera eſſe debet.

Addita cur nuper] Innuit auctor nunquam depictas hactenus fuiſſe Charites pedibus alatis, ſed ſe primum hoc inueniſſe, vt talaribus illas decoratas diceret, vt locum haberet prouerbium, *Bis dat qui citò dat.* Vide ibi.

Alciatus Gratijs talaria addidit.

Bis dat qui citò dat.] Prouerbiale eſt ex Publij Mimis:

Bis eſt gratum, quod opus eſt vltrò ſi offeras.

Bis dat qui citò dat.

Itemque:

Beneficium inopi bis dat, qui dat celeriter.

Vulgatum eſt etiam in hanc ſententiam Luciani diſtichon:

ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι. ἢν δὲ βραδύνῃ,
πᾶσα χάρις κενεὴ, μηδὲ λέγοιτο χάρις.

Celeres gratiæ dulciores: ſi autem tardauerit,
Omnis gratia vana, nec dicetur gratia.

Vel, vt Auſonius reddidit:

Gratia quæ tarda eſt, ingrata eſt: gratia namq;
Cum fieri properat gratia grata magis.

Idem aliter:

Si bene quid facias, facias citò; nã citò factum

Gratū erit, ingratū gratia tarda facit.

Minimi gratia tarda preti eſt] In hanc ſententiam circumfertur verſiculus Græcus:

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους, ἄχαρις ἐςὶ χάρις.

Tardum beneficium ingratum eſt.

Sic Ouidius de Ponto 3.

Gratiaq; officio, quod mora tardat, abeſt.

Vlna.

Implicitis vlnis] Brachiis. Eſt enim vlna propriè ſpacium quantum vtraq; extenditur manus. Dicta vlna, vt placet Seruio ἀπὸ τῶν ὠλενῶν, *à brachijs.* De vlna vide diligenter Parerga noſtri Alciati lib. 1. cap. 18. & Budæum in priorib. annotat.

Gratus fœnerat] Hoc eſt, qui primus gratiam miſit, perinde fecit, ac ſi fœnori dediſſet; nam pro vna gratia duas accipiet.

Gratia ut referēda.

Remanent una abeunte duæ.] Siquidem referenda gratia nullum officium magis neceſſarium. Quòd ſi quædam acceperis vtenda ma ore menſura, ſi modò poſſis, reddere iubet Heſiodus, & imitari agros fertiles, qui multo plus reddunt quàm acceperint. Cic. 1. Officior. Grauiſſimè dictum à Valerio Max. dandi & accipiendi beneficii commercium (ſine quo vix hominum vita conſtat) perdit & tollit, quiſquis bene merito parem ſaltem referre gratiam negligit.

Charites cur Iouis filiæ.

Iuppiter ijs genitor] Charites dicunt Ioue genitas patre eſſe; quoniam à Ioue omnis procedit gratia.

Mater Charitū quæ.

Edidit Eurynome] Quænā fuerit Charitum mater, varia eſt opinio. Nam hæc fermè nomina circumferuntur, Eurynome, Eurydomene, Eurymeduſe, Autonoe, Iuno, Euanthe, Aglaia.

Eurynome.

Eurynomen dictā ait Seneca, quia latè patentis patrimonii ſit beneficia diuidere. Alii Eurynomen quaſi latipaſcuam, à ſpatioſis paſcuis interpretantur, ἀπὸ τοῦ εὐρὺ, καὶ νέμω. hoc eſt: *abundanter retribuo.*

Eurydomene.

Dicitur Eurydomene ἀπὸ τοῦ εὐρὺ καὶ δίδωμι. *abundanter do.*

Eurymeduſe.

Eurymeduſe verò ἀπὸ τοῦ εὐρὺ καὶ μέδω, quod *rego* ſignificat; quoniam qui liberales & munifici ſunt, cæteris imperare conſueuerunt. Heſiodus in Theogonia:

Τρεῖς δ' οἱ εὐρυνόμη χάριτας τέκε καλλιπαρήους.

Huius meminit etiam Homerus Iliad. 18. Vide Phornutum de nat. Deorum. cap. de Gratijs.

Charitū parentes.

Sunt qui ex Venere & Marte, alii ex Venere & Libero, alii ex Erebo & Nocte genitas dicunt. Antimachus antiquiſſimus poeta illas Aegles & Solis filias eſſe cenſuit. Conſule Nat. Comitis Mythologiam loco ſupra citato.

IV. ἀναμεμαλαίωσις dictorū.

Satis, vt opinor, explicatam dedimus Charitum mythologiam: nempe Lætitiam, Pulchritudinem, & Suauiloquentiam tres eſſe Gratias, neminem non ad ſui amorem allicientes; quas nudas eſſe oportet, ſimplices, citra ſimulationem, alienas ab omni fuco; ad obſequium promptas & celeres, ad repoſcēdum non item: amore mutuo ac benigna liberalitate coniunctas, ex bonis ingeniis ortas, affectu planè cœleſti ac diuino, deniq; omnibus gratas & acceptas. Quod ſi quis plura deſiderat ad locupletandam huius Emblematis commentationem, multa habentur apud Senecam de beneficiis paſſim; ſed in primis c. 3. libri prioris. Cum hoc coniunge nobilem Lactantii diſputationem, de vero cultu, cap. vndecimo, & præter alia c. 12. libri 9. Marſil. Ficini: ſingula enim exſcribere non vacat. Ex multis tamen, quæ paſſim obuia ſeſe offerunt è bonis auctoribus, quædam ſublegemus. Ex iure communi didicimus teneri nos ad ἀντίδωρα, l. ſed etſi. ff. de petit. hæredit. l. ſi verò non remunerādi. §. idem Pomponius. ff. mand. l. ſi non ſortem. §. libertus, de condict. indeb. In Mimo vetere:

Beneficiū qui neſcit reddere, iniuſtè petit.

Prodicus ſophiſta apud Platonem Axiocho (ſi quidē Platonis dialogus eſt) illud ſolebat in īgratos auditores flectere: ἁ δὲ χεὶρ τὰν χεῖρα νίζει, δός τι καὶ λάβε τι. id eſt: *Manus manum lauat: da aliquid, & accipies aliquid.* Benè Martialis:

Dedecus eſt ſemper ſumere, nilq; dare.

Beneficiū voluntarium eſt.

Fatemur alioqui beneficium voluntarium magis eſſe quā neceſſarium, l. qui ex cauſa. ff. de bon. libert. Et gratia ſi non accipitur gratis, non eſt gratia. Nam quod Seneca epiſt. 83. Sapientis eſt bene debere beneficium, bene ſoluere: interdum autem ſolutio eſt ipſa confeſſio. Voluntas enim ſpectanda, non facultas. Sed idem tamen ſapiens ſuo more mouet aculeos: Plus cæteris dedit, qui ſine ſpe recipiendi dedit. Nam hęc beneficii inter duos lex eſt, alter enim obliuiſci debet dati, alter accepti nunquam: nempe vt qui dedit beneficiū, taceat: memoret, qui accepit.

Beneficia non ſunt exprobrāda.

Eſt enim odioſum genus hominum officia exprobrātium, &c. Quo nomine grauiter ſuccenſet

ſet Martialis Poſthumo cuidã, qui quod donarat, impenſiùs celebrabat. Lacerat animum, & premit frequẽs beneficiorum commemoratio: quod etiam non fecit quidam libertus apud Simonem patronum, in Andria Terentii, vbi ſic:

Si tibi quid feci, aut facio quod placet,
Et gratum fuiſſe animaduertiſti, habeo gratiam:
Sed hoc moleſtum eſt, nam iſthac commemoratio,
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij.

Non diſcedo à lectione Senecæ: Beneficia dando, ait, imitamur Deum, non fœneramur. Dignus eſt decipi, qui de remunerando cogitauit. Iam quod hilares & nudæ hic Gratiæ repræſentantur, mera liberalitas, nulloq; iure cogente profecta deſignatur. Qui enim dat inuitus, nihil dat. Ergo Fabius Verrucoſus dicebat, beneficium ab homine duro aſperè datum, panem lapidoſum eſſe, quem eſurienti accipere neceſſarium eſſet, etſi acerbum. At *ἱλαρὸν δοτῆρα ὁ θεὸς ἀγαπᾷ. Hilarem datorem diligit Deus.* Et nulla ſunt maiora beneficia, quàm quę ſunt in accipientis verecundia. Nunc relegatis hinc Gratijs inuidiæ & detractioni occurrimus.

In detractores.

EMBLEMA CLXIV.



AVDENT flagriferi matulæ, ſtupidiq; magiſtri
Bilem in me impuri pectoris euomere.
Quid faciam? reddamne vices? Sed nonne cicadam
Ala vna obſtreperam corripuiſſe ferar?

Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flabris?
Negligere eſt ſatius, perdere quod nequeas.

COMMENTARII.

I. BINAS appinguntur manus, quarum altera flabello muſcas importunè advolantes abigit: altera verò cicadam, notiſſimũ inſecti genus, ala apprehenſam tenet.

II. VERAM ſcribendi huius Epigrammatis occaſionem deſumptam video è libro, cui Iuriſperitorum Nomenclatura nomen, auctore incerto. Is ergo cùm ſcripta Zaſii enumerauit, hæc quæ ſequuntur ſubiicit: Sanè multum profuit Zaſij prudentia Iuris atq; eximia doctrina, à Franciſco Florido ſugillata: in quem nomine ipſius Zaſij, Budæi, Alciati, & cæterorum titulo, *In Franciſcum Olidum*, accepimus apologeticum, quod ſic habet:

Audent flagriferi matulæ, ſtupidiq; magiſtri
Bilem in nos olidi pectoru euomere.
Reddemuſne vicem opprobrijs? ſed nonne cicadam
Ala vna obſtreperã corripere iſtud erit?
Quid prodeſt muſcas operoſis pellere flagru?
Negligere eſt ſatiùs, quæ nequeas regere.

Et quidem, vt facilè conijci poteſt, vna cũ Florido illo, alioqui docto homine, ſed certè parum verecundo, vt eius ſcripta teſtantur, malè feriati pædotribæ & inepti magiſtelli Alciato nonnihil detraxerant, adeò ſolet intabeſcere inuidia, ſucceſſus hominum videndo, vt cum Naſone loquar. Vt enim vix ſine fumo ignis emicat: ſic excellens quædam gloria comitem inuidiam vt plurimùm habet. *Gloria comes inuidia.* Qui vir certè magnus, cùm ægrè ferret ſe ab huiuſmodi literatoribus & magiſtellis importunè traduci, ſcripſit hoc Emblema, dictante indignationis affectu, quo reddit rationem cur pluribus non reſpondeat: quippè cùm exiſtimet cum ijs concertare ſibi planè indecorum eſſe, quandoquidem minorem à maiori prouocari nec iuſtum nec ingenuũ ſit. Quo in loco notanda eſt verborum energia vehemens, & Satyricæ comparationes, ſuccinctæ quidem, ſed acres admodum, & quæ plurimum neruorũ habeant.

III. *Flagriferi.* FLAGRIFERI] Flagriones, maſtigiæ. Per cõtumeliam flagriferos appellat euſmodi ſciolos & impudẽtes obtrectatores. Eodem ſenſu Plautus in Pſeudolo dixit:

——*eo enim ingenio hi ſunt flagritribæ.*

Vbi quidam legunt *Flagricibæ*, quaſi flagrorum menſæ, hoc eſt, in quorum tergũ ita flagra vbertim ingeruntur, vt cęna dubia in menſam cibi: Vel quod flagris quodammodo nutriantur. Idem talem in Perſa vocat *Subiculum flagri.* quod aſſiduè flagris ſubijciatur.

Matula] Matula & Matella vas eſt, in quod vrina excipitur, Iuuenali trulla, σκαφίον Græcis, Feſto & Varroni matellio. Nonnumquam metaphoricῶs vſurpatur pro homine fœtido, impuro, vili, inſulſo, meticuloſo, ignauo, vano: vt apud Plautũ in Perſa: *Matula.*

Numquam ego te tam matulã eſſe credidi.

Hinc etiam dicitur, *Aliquem pro matula habere.* id eſt, deſpicere, pro nihilo habere, & quaſi contemptim permeare. Plautus Moſtellar. *Pro matula habere.*

Iam hercle ego vos pro matula habebo, niſi mihi matulam datis.

Germani dicunt: *Fur einen fueslumpen halten.*

Stupidiq; magiſtri] communi ſenſu carentes magiſtelli.

Bilem euomere.] Virus acerbitatis in me euomere, libellis famoſis me proſcindere, blaterare. Allegoria ab his, qui concoquere nequeunt certos quoſdam cibos præ ſtomachi debilitate; quod prouerb. citatur ex Ariſtoxeno Muſico apud Plutarch. Sympoſ. 7. cap. 8. Terent. Adelph. *Bilem euomere.*

Ibo, ac requiram fratrem, vt in eum hæc euomam.

Quid faciam? reddamne vices?] Addubito, an par pari referam. Sic addubitare Ciceronem memini 13. ad Atticum, num ſibi contemnenda contumelia ſit à ſororis Attici filio illata, & diſſimulanter concoquenda: vel an ſit euomenda ſemel & apertè bilis omnis acerbitas. Verba eius hæc ſunt: Nunc me iuua, mi Attice, conſilio, πότερον δίκας τεῖχος ὕψιον. id eſt, vtrum apertè hominem aſpernẽr & reſpuam; ἢ σκολιαῖς ἀπάταις. vt enim Pindaro, ſic δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν. omnino moribus meis illud aptius: ſed hoc fortaſſe temporibus. Tu autem quod ipſe tibi

ſua-

ſuaſeris, idem mihi perſuaſum putato.

Cicadam ala corripere.

Cicadam Ala corripuiſſe] Reſpexit ad prouerbiũ, *Cicadam ala corripuiſti*. quod in eos dicitur, qui quempiam minimè ex vſu ſuo prouocãt. Eſt autem hoc animalculi genus miræ cuiuſdam & prodigioſæ garrulitatis, maximè Sole efferueſcente. Plinius lib. 11. cap. 26. negat ijs vocem eſſe, ſed ſtridorem contractu, eumq; ſonum emittis non alis, quemadmodum muſcæ, apes, culices, nam ijs ſtridor ſimul cum volatu deſinit: at cicadæ ſi preſſeris alas, vehementius etiam perſtrepit: Sed in pectore ait ſubeſſe duos ſpecus, attrituq; membranæ, mobili accedente ſpiritu, per hos è viſceribus ſonum edi. Ergo quemadmodum ſi cicadam natura garrulam ala prehendas, clariùs obſtrepet: ita ſi homini maledico præbeas occaſionem ſimultatis, non modò non tacebit, ſed & importuniùs obſtrepet, eſſutiet, & omnem bilem euomet, chartiſq; illinet atris. Proinde Platonem aiunt admonuiſſe, ne quis hominem poetam ſibi faceret inimicum. Et Horatius, *Genus irritabile vatum*, dixit. De cicadis vide porrò Valerian. lib 26. Hieroglyph. & Cœl. Rhodig. lib. 17. cap. 6.

Cicadæ cantus qualis.

Quid prodeſt muſcas &c.] quid iuuat μυιοσοβεῖν. Doctum virum dedecet cum imperitis & inertibus Grammaticulis concertare. Alludit autem ad Prouerb. *Muſcas depellere*. cui & illud conuenit. *Aquila non capit muſcas*. Muſcam autem importunitatis & impudentiæ hieroglyphicum eſſe ſcribit Orus Apollo lib. 1. Hieroglyph. & Pierius Val. lib. 26. eam enim vt ſæpius depellas, & à te ſubmouere contendas, tanta tamen impudentia prædita eſt, vt identidem redire, & infeſtare te minimè vereatur, nullam commodorum tuorum rationem habeat, ſiue loquaris, ſiue dormias, ſiue bibas, ſiue cibum capias, ſiue legas, ſiue ſcribas, ſemper parata aſtat, vt in faciem tuam inſiliat, infeſta, importuna, incommoda, nulli rei niſi faſtidio de ſe concitando idonea. Vnde inter Deorum prælia Homerus pertinacem muſcæ improbitatem propoſuit, vbi ferox hoſtis inſultat hoſti, neq; quietem dat vllam, donec vulnus inflixerit, & audaciæ confidentiſſimæ munus executus fuerit. Sic autem apud eum legitur:

Muſcas depellere.

Muſca quid allegoricè.

Muſcæ improbitas.

καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἐνῆκεν,
ἥτε καὶ ἐργομένη μάλαπερ χροὸς ἀνδρομένοιο
ἰσχανάᾳ δακέειν, λαρόν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Quod ſic vertit Franciſcus Sanctius:

Et muſcæ audaciæ vim illi in præcordia miſit,
Quæ quamuis de pelle hominis ſit ſæpe repulſa,
Aſſilit, exoptãs humani ſanguinis hauſtus.

Sed cur muſcæ tam impudenter ſæpe abactæ reuolent, alia ſolet aſſignari cauſa, præterquam quæ ab Homero tradita eſt; quod videlicet ſint obliuioſæ, nec ſatis meminerint quanto ex periculo paulò antè ſe ſubduxerint. Aſtipulari videtur Plutarchus Sympoſiac. Duo, inquit, ſunt animantium omnium, quæ noſtro vtuntur hoſpitio, muſca & hirundo, quæ nulla queunt arte cicurari. Muſca ne moleſti quidquam patiatur, prehenſari horret; hirundo ſuapte natura hominem odit. &c. Philon Iudæus in vita Moſis loquens de Cynomyia: Cui veram, inquit, appellationem impoſuerunt periti nominum, vt erant ſapientiſſimi, compoſita è duobus impudentiſſimis animantibus, muſca & cane: altera vincente omnes volucres temeritate, altero omnes terreſtres quadrupedes. Accurrunt enim intrepidè, & ſi quis arceat, non cedunt peruicacia, donec ſatientur carnibus & ſanguine. At cynomyia particeps amborum audaciæ, mordax & inſidioſum eſt animal: nam è longinquo cum ſtridore in teli morem, magnoq; impetu aduolat, infixaq; cuti hæret pertinaciter. Meritò igitur viro forti eſt odioſa muſca, & ſapienti atq; prouido temeritas. Quapropter Hercules muſcas de ſuo ſacello abegiſſe dicitur, Myiodem quem vocabant earum Deum imprecatus: quem Beelzebub dæmonem fuiſſe ſcribit D. Hieronymus.

Cur muſcæ ſæpius abactæ redeant.

Philon Iudæus de cynomyia.

Myiodes Deus muſcarum Beelzebub.

Operoſis flabris] Flabra propriè dicuntur de vi ventorum. Eius tamen vocabuli diminutiuum *Flabellum*, accipitur pro inſtrumẽto, quo fit ventilatio per æſtatem ad corpus refrigerandum; vel etiam muſcas abigendas. Martiali dicitur Muſcarium, Græcis μυιοσόβη. Teren. Eunucho:

Flabellũ.

Cape hoc flabellum, & ventulum huic ſic facito.

Negligere eſt ſatiùs, &c.] γνώμη. Non eſt quod laborem impendas, vel te excrucies in eo vel perſequendo vel fugiendo, quod vitare nullo modo poſſis.

IV. *Inuidi nunquã deſunt viris cordatis.*

Fit non rarò, vt inuidis linguis, & exitiali maledicentiæ veneno armati, probos ac integræ vitæ viros, non obliqua, ſed recta via, ac ratione ad honores & dignitates tendentes euertere, & omnibus bonis exuere tentent: quod forſan etiam à malè feriatis noſtro Alciato contigit. Vnde legitima cauſa motus aduerſariis ſuis breuibus, ſed aculeatis verbis reſpondet. Etenim contumelia & obtrectatio ſæpe animis trãquilliſſimis patientiam extorſit, ait Seneca. Quare ferendum eum putamus, qui pudorem ſuum purgat. Sic Comicus prologo Andriæ:

Si mihi pergat quod volet, dicere, quod non volet, audiet,
Beneficijs ſi certaſſit, audiet bene.
Deſinant maledicere, maledicta ne noſcant ſua.

Hieronymus id imitatus, ad Rufinum: Si dixeris quæ vis, peius audies. Quod meminimus vſurpatum Plauto: Contumeliam ſi dices, audies. Et quid tandem? difficile eſt iuſtum dolorem temperare, l. ſi adulteri 38. §. imperatores. ff. de adult. Quia & veterem ferendo iniuriam inuitas nouam, vt apud Gellium lib. 6. ex Mimo quodam vetere.

Qualibet extinctos iniuria ſuſcitat ignes.

ait Ouidius 3. Artis. Ingenuus animus difficulter admodum contumeliam patitur, licet leuius fiat patientia quod corrigi nõ poteſt. Verùm ſtrangulat incluſus dolor, & preſſum enecat, nec ſatis habet virium, vt par eſſe iniuriæ ferendæ poſſit. Homines certè liberaliter inſtituti cõtumeliam impotentius ferunt, quæ ſit illata à contempto quodam & inerti conuiciatore: cum quo congredi vel turpe ſit, vel indignum putetur, vt apud Ælian. in 14. Variar. hiſtor. Ariſtides Locrenſis morſus à muſtela Tarteſia, dixit, ſe dolere vt qui maximè, quòd moreretur à beſtiola tam contempta ictus: multoque honeſtiorem mortem fuiſſe, ſi id ſibi obtigiſſet ex morſu leonis vel pardalis. Itaque acerbius cauſam mortis, quàm mortẽ ipſam ferebat. Huc refero non inuitus ſectam Cynicorum, qui importunitate & impudentia muſcas perbellè exprimunt. Nam quòd moleſti eſſent contra ciuiles mores omnia deridendo, plurimorum teſtimonio clarum eſt: quod verò & impudentes, vel vnius Diogenis improbum facinus indicat, qui vel in medio foro, ſpectante populo, hominem (vt ipſe iactabat) plantare non erubuerit. Sed hæc omnium ſcriptis mandata ſunt.

Turpe eſt cum inerti congredi.

Cynici muſcis ſimiles.

Malim ex eo Emblematis argumento elicere id, quod legitur apud Plinium iuniorem, Recta ingenia debilitari verecundia, peruerſa confirmari audacia: etenim vſuuenire ſolet, vt quò quis imperitior eſt, ſit eò iactantior & ſui confidentior. Hoc Græco etiam axiomate confirmatur: *ἀμαθία μὲν θάρσος, λογισμὸς δὲ ὄκνον φέρει. Imperitia quidem audaciam, eruditã verò verum examen timiditatem affert.* Exemplum habemus ſatis notum in Zoilo Amphipolitano, Polycratis auditore, qui ob geminam maledicendi libertatem canis Rhetoricus nominatus eſt: Is enim cùm non ſolùm in Homerum, Platonem, aliosq; præclaros & magnos viros ſtylum ſtringeret, ſed vbiq; litibus & pernicioſis etiam contentionibus operam daret, rogante quodam erudito viro, quare omnibus malè loqueretur: Quoniam, inquit, malè facere cùm velim, non poſſum. Exprimit autem omnium maledicentium & detractorum perſonam Zoilus, qui dum non inueniunt, qua ratione facto lædant, dentibus caninis & lingua amarulenta in bonos inuehuntur. Nunc à muſcis ad canes.

Zoili maledicẽtia.

Inanis impetus.

EMBLEMA CLXV.



LVNAREM noctu, vt ſpeculum, canis inſpicit orbem,
Seq́ videns, alium credit ineſſe canem,
Et latrat: ſed fruſtra agitur vox irrita ventis,
Et peragit curſus ſurda Diana ſuos.

COMMENTARII.

I. IN cęlo nocturno aſtris micante Luna pleno orbe radios ſuos demittit, ſub qua canis magno impetu & latratu aſſiliẽtis forma exprimitur.

II. VNDE petitum ſit hoc Emblema, non ſatis conſtat; nihil tamen habet difficultatis. Vide adagium, *Inanis conatus.* Oryx genus quoddam canis eſt apud Aegyptios: Is, teſte Oro Apolline, Lunam exorientem allatrat, clamoreq; magno illam proſequitur: vnde pro impuritate apud ipſos Aegyptios ponitur. Plinius tamen lib. 2. Natur. Hiſtor. cap. 40. Orygen, inquit, appellat Aegyptus feram, quam in exortu (Caniculæ ſideris ſcilicet) contrà ſtare, & contueri tradit, ac velut adorare cum ſternuerit. Idem lib. 8. cap. 53. orygem inter ſemifera animalia numerat: Sunt & oryges, ſoli à quibuſdam dicti contrario pilo veſtiri, & ad caput verſo. Eius quoq; facit mentionẽ Columel. lib. 9. c. 1.

Oryx.

LVNAREM orbem] Lunam, quam canis inſpiceret vt ſpeculum; vel quæ ei videbatur vt ſpeculum. Hæc inſpectio reuo- III.

cat mihi in memoriam lepidum cuiuſdã Itali carmen, quo Solem, & Lunam comparat, Lunamq; Soli præfert, quòd ſe patiatur aſpicere, non item Sol. Sic autẽ ille:

Comparatio Solis & Lunæ.

O del Sol vaga ſuora,
Ben puoi dirti al ſuo par degna e poſſẽte.
S' egli le chiome indora,
Tu le corna inargente.
S' egli al giorno dà luce,
Tu la notte ſereni.
S' egli de l'anno e duce,
Tu'l meſe anco mantieni.
E s' egli hà l' hore ancelle,
Tu hai ſerue le ſtelle.
Ma in ciò l' auanzi e paſſi
Ch' egli abbarbaglia, e tu mirar ti laſſi.

Puto autem hic alluſum eſſe ad id, quod in Pharmaceutria Theocritus, vbi ait, canem terreri Hecate ſubterranea. Compertum eſt autem canes etiam ferociores ſpectris nocturnis terreri.

Canis qd in Hieroglyphicis.

Canis.] Canem accipi pro conuiciatore, inuido, impudenti & maledico obtrectatore notum eſt; vt etiam pro adulatore & ſcurra. Apud Homerum, ab Achille Agamemnon inceſſitur, vt κυνὸς ὄμματ' ἔχων, *qui caninis ſit oculis.* Ea enim canis natura eſt, vt eum nihil pudeat. Itaq; Iulius Pollux, Oculum is habere caninum dicitur, ait, qui nimio plus impudens eſt. Plautus Menæch. Hecubam ait ex eo appellatam canem, quòd in quoſcumq; intueretur, conuiciatrix & maledica eſſet. Itaq; & M. Tullius Oratione pro Roſcio Amerino, alios Oratores clamare ait, non etiam nocere: alios latrare, qui etiam mordere poſſint. Cur verò canis Diogenes eſt nuncupatus, niſi quòd mordax eſſet & maledicus? Hinc Cynicorum fluxit appellatio, & vox Homerica κυνώπης. Apud Terent. Eunucho, canis os durum, & impudentiam ſignificat. Catullus in quandam:

Diogenes cur dictus canis.

——ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.

Veſpaſianus Imperator (apud Suetoniũ) Demetrium Cynicum obuium ſibi, ac neque aſſurgere, neq; ſalutare ſe dignãtem, oblatrantem etiam neſcio quid, ſatis habuit Canem appellaſſe.

Seq; videns] ſuam vmbram.

Et latrat] temere latratum edit, nec minitabundus aliquid proficit.

Agitur vox irrita ventis] Sic dixit Lucretius lib. 4.

Tu fac ne ventis verba profundam.

Catullus:

Idem nunc retrahis te, ac tua dicta omnia factaq;
Ventos irrita ferre ad nebulas aerias ſinis.

Idem Argonauticis:

Irrita ventoſa linquens promiſſa procella.

Et ibid. Ariadna de perfidia Theſei conquerens, ait ſe ſperaſſe

——optatos hymenæos,
Quæ cuncta aerij diſcerpunt irrita venti.

Tibullus lib. 3. eleg. 4. ad finem:

Hæc Deus in melius crudelia ſomnia vertat,
Et iubeat trepidos irrita ferre Notos.

Surda Diana] Epitheti μεταφορά. Sed conſidera, num alluſum ſit ad prouerbiũ, *Surdo oppedere.* Dianam verò pro Luna, à Poetis poni, res eſt ſatis frequens.

IV. *Carpere facilius quã imitari.*

CARPIT æmulos quoſdam imitatores, ſeu, vt dixerim verius, obtrectatores & maledicos, qui cùm doctrinæ vberem quandam gloriam in magno aliquo & excelſo viro conſpiciant, conuiciis eum proſcindunt citius quàm imitantur. Eſt enim illud vulgò notum, πολλὰ μωμήσασθαι ῥᾷόν ἐστιν ἢ μιμήσασθαι. *In multis Momũ agere & reprehendere longè facilius quàm imitari:* vt vero verius mihi Xenophon dixiſſe videatur 2. Commentar. οὐ πάνυ γε ῥάδιόν ἐστι εὑρεῖν ἔργον, ἐφ' ᾧ οὐκ ἄν τις αἰτίαν ἔχοι. χαλεπὸν γάρ οὕτω τι ποιῆσαι, ὥστε μηδὲν ἁμαρτεῖν· χαλεπὸν δὲ καὶ ἀναμαρτήτως τι ποιήσαντας, μὴ ἀγνώμονι κριτῇ περιτυχεῖν. *Non facile eſt, ait, vt reperiri aliquod opus poſſit, in quo nihil à quoquam reprehendatur. Eſt enim arduum ita quicquam perficere, vt non alicubi pecces. Quòd ſi etiam ſine aliquo errore quidquam peragat aliquis, difficile eſt non pati, aut inuenire aliquem iniquum iudicem.* Sumpta eſt ὁμοίωσις à cane in Lunam latrante, ſuamque ipſius vmbram temerè conſpicante, ſed qui eò plus ægrè ferat, quòd ſuo latratu Lunam non deterreri, neq; inceptum curſum ſiſtere videat. Eodem prorſus modò exercendi ſunt importuni illi ſycophantæ, vt & alienę famę captatores, quos non modò animum deſpondere, ſed in rabiem agi deprehendes, cùm ab ijs, qui læſi ſunt, habentur contemptui, & eos reſponſo aliquo minimè dignãtur. Cùm enim hoc vnum in primis expetant, vt eiuſmodi aculeis afficiaris, danda tibi

Nihil eſt quod reprehendi non poſſit.

Canis orbem Lunæ conſpiciens gđ.

Amplectẽ in obtrectationẽ.

tibi eſt opera, ne ſubitus iræ impetus animum à ſua ſede & ſtatu dimoueat: ſed diſſimulandum, fingendaque vultus hilaritas, qua prę te feras, quàm minimi aut nullius planè momenti ea ſint, quæ falsò & temerè in te iaculantur. Sic enim fiet, vt tua hac tolerantia, calumniarum artifices deſinant, maledicta & noſcant ſua: vel impotenti quodam dolore perculſi rumpantur, quòd obeſſe tibi non potuerint. Inhumanum verbum eſt, & quidem pro iuſto receptum, Vltio: & à contumelia non differt, niſi ordine. Qui dolorem regerit, tantùm excuſatiùs peccat. M. Catonem in balneo quidam percuſſit imprudens (quis enim illi ſciens faceret iniuriam?) Poſtea ſatisfacienti Cato: Nō memini, inquit, percuſſum me. Melius putauit non agnoſcere, quàm vindicare. Nihil, inquis, illi poſt tantam petulantiam mali factum eſt? Imò multum boni: cœpit Catonem noſſe. Magni animi eſt iniurias deſpicere. Vltionis contumelioſiſſimum genus eſt, non eſſe viſum dignum, ex quo peteretur vltio. Multi leues iniurias altiùs ſibi demiſere, dum vindicant. Ille magnus & nobilis eſt, qui more magnæ ferę latratus minutorum canum ſecurus obaudit. Audiamus tandem conſultorem optimum in primis iuxtaq; lepidiſſimum Comicum Philemonem;

Catonis tolerantia.

ἥδιον οὐδὲν, οὐδὲ μουσικώτερον
ἔσθ', ἢ δύνασθαι, λοιδορούμενον φέρειν.
ὁ λοιδορῶν γὰρ, ἂν ὁ λοιδορούμενος
μὴ προσποιῆται, λοιδορεῖθ' ὁ λοιδορῶν.

Quod ita Latinè ſonat:

Iucundius nihil eſt, neq; etiam cōcinnius
Eſt, quàm poſſe conuiciantem ferre:
Nam qui conuiciatur, eo, in quem conuicium iacitur,
Diſſimulante taceteq; efficit ut ſibi ipſe conuicietur.

Cenſet nullam auribus iucundiorem muſicam, quàm tacere alterum, altero conuiciante. Cùm enim patienti animo, ſed & forti pectore quis maledicta perferre ac pati poteſt, efficit ille quidem diſſimulando, vt maledicus ſibi maledicat, id eſt, ſuū morbum prodat, ſed ſibi potiùs quàm alteri noceat. Cùm porrò impunè obtrectat quis, nullo præſente, qui contradicat, dicitur Græco adagio, ἑτερομόλιος δίκη, *heteromolia cauſſa*. In eo vincit ſæpe, qui pa

Heteromolia cauſa.

ti poſſit. Ita Seneca: Viri boni eſt ſcire pati, non facere iniuriam. Idē B. Hieronym. ad Euſtochium: Apud Chriſtianos, vt quidam ait, non qui patitur, ſed qui facit contumeliam, miſer eſt. Ibidem: Iraſci hominis eſt, fręnum iracundiæ imponere Chriſtiani. Contemni enim leuius eſt, quàm ſtultitia percuti, ait Mimus vetus. Nempè maledictum interpretando facis acrius, & ſi benè ſubduxeris, falſum maledictum, maleuolum mendacium eſt. Ex multis feſtiuum ſanè occurrit veteris cuiuſdam Stoici cauillum, apud Senecam, epiſt. 91. Eleganter Demetrius noſter ſolet dicere, eodem loco ſibi eſſe voces imperitorum, quo ventre redditos crepitus; nihil enim referre, an ſurſum, an deorſum ſonent. Horatij iſtud congruit 1. Epiſtolar.

Demetrij dictum.

Mordeat opprobrijs falſis, mutēne colores?
Falſus honor iuuat, & mendax infamia terret,
Quem, niſi mendoſum & mendacem?

Et Cicero 2. in Antonium: Me ijs dictis neſcit lædat an laudet. Sed Hieronymi iſta mihi placent, vt omnia, in ea, quæ eſt ad Ruſticum: Sicut ſagitta, ſi mittitur contra duram materiam, nonnumquam in mittētem reuertitur, & vulnerat emittentem: ita detractor cùm triſtem faciem videt audiētis, imò non audientis, ſed obtùrantis aures ſuas ne audiat, illicò conticeſcit, pallet vultus, hebent labra, ſaliua ſiccatur. Nempe quod Ouidius:

Conſcia mens recti famæ mendacia ridet.

Nec ſanè diſplacet locus Senecæ de ira, c. 33. Ira habet aliquam voluptatem, & dulce eſt dolorem reddere? minimè. Non enim vt in beneficijs honeſtum eſt merita meritis repenſare, ita iniurias iniurijs. Illic vinci turpe eſt: hic inhumanum vincere. Hæc ille. Meminerit ergo vir bonus, ſibi non eſſe iniurias iniurijs compenſandas, neque rabie cohibendā petulantiam: quia, quod Iuriſc. Innocentia reus purgatur, non relatione criminis, l. 16. qui, 5. ff. de publ. iudic. Quid tandem?

Dura aliquis præcepta vocet:

Sed perlegat elegantem Plutarchi diſputationem, Quomodo quis vtilitatem capiat ab inimicis, & fortaſſe amplius, quod deſideret, nihil erit.

Aliquid mali propter vicinum malum.

EMBLEMA CLXVI.



RAPTABAT torrens ollas, quarum vna metallo,
Altera erat figuli terrea facta manu.
Hanc igitur rogat illa, velit ſibi proxima ferri,
Iuncta vt præcipites vtraque ſiſtat aquas.
Cui lutea: Haud nobis tua ſunt commercia curæ,
Ne mihi proximitas hæc mala multa ferat.
Nam ſeu te nobis, ſeu nos tibi conferat vnda,
Ipſa ego te fragilis ſoſpite ſola terar.

COMMENTARII.

I. OLLAE duę à flumine rapido abreptæ feruntur, quarum altera terrea & figlina opera compacta præcedit; ſubſequitur altera ahenea. Titulus Emblematis ſumptus eſt ex Plauti Mercatore, ait enim ibi Lyſimachus:

Titulus.

Nunc ego verum illud verbum eſſe experior vetus:
Aliquid mali eſſe propter vicinum malũ.

APOLOGVS de duabus ollis Aeſopo aſcribitur, qui videtur ex Eccleſiaſtici cap. 13. expreſſus, cùm ait Sapiens: Pondus II.

ſuper

ſuper ſe tollet, qui honeſtiori communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris. Quid communicabit cacabus ad ollam? quando enim ſe colliſerint, cõfringetur. Diues iniuſtè egit & fremet: pauper autem læſus tacebit. Fabellam ſic redditam à Faerno huc adſcribam, quòd videatur admodum lepida:

Apologus de duabus ollis.

Duas trahebat amnis ollas, aneam
Vnam, alteram autem fictilem.
Sed ahena proprio prægrauata pondere,
Sibiq; porrò præcauens,
Suadere cœpit antecunti fictili,
Coniungi uti vellet ſibi,
Quò rapidum aquarum ſuſtinerent impetũ
Iunctis vtrinq; viribus.
Cui fictilis: Tua mihi, ait, vicinitas
Non admodum placet, ſoror.
Nam ſiue te mihi vnda, ſiue me tibi
Propè adnatantem illiſerit,
Vt ſoſpitem te dura præſtabit cutis,
Fragilem meam ſic conteret.
Sic, *Potentiorum ſemper eſt vicinitas*
Vitanda tenuioribus.

III. *RAPTABAT torrens ollas*] torrente in rapido duæ ollæ natabant, altera è metallo, & altera terrea. Torrens dicitur fluuius, qui non de fonte, neq; de viua aqua, ſed à pluuijs, vel de montibus in valles deſcendit, æſtate autem ſiccatur, aquis verò hyemalibus inundatur & currit. *Torrens.*

Quarum vna metallo.] Duplex hominum ſors & conditio, diuitum nempè & pauperum, totidem expreſſa ſymbolis. Quo ferè pertinet illud Auſonii:

Fercula gẽmatis cũ poneret horrida vaſis,
Et miſceret opes, pauperiemq́ ſimul.

Altera erat figuli &c.] id eſt, erat fictilis. περίφρασις. Cæterùm hac ficta deſcriptione rapidus torrens repræſentat humanæ vitæ conditionem torrentis inſtar fluxam, & celeri momẽto euaneſcentem. Etenim more fluentis aquæ labuntur tempora, vt cecinit Ouidius. Olla ænea diuites opum congerie onuſtos & graues: terrea verò pauperes ſignificat, eos quidem facilè in his vitæ huius turbulentis fluctibus enatantes, & pericula grauiora effugientes. *Torrens quid.* *Olla ænea qd.* *Olla terrea.*

Hanc igitur] terream, luteam.

Rogat illa] nempe è metallo facta.

Iuncta vt præcipites] vt coniunctæ faciliùs impetum aquarum ſiſtant.

Sunt commercia cura] tua conſuetudo & vſus. Metaphora à mercibus. Eſt enim propriè commercium libera commeandi contrahendiq; facultas, ab ijs, qui merces vltrò citroq; conuehunt, appellata. *Commercium.*

IV. INSIGNIS eſt apologus, quo admonemur cum potentioribus aut improbis non eſſe ineundam ſocietatem: quia ſi quid infortunij damnivè acciderit, in infirmiorem ſemper reclinari ſolet. Duo ergo hic ſe nobis offerunt Iuris prouerbia, quę huc pertinent. Primum eſt, *Potentioribus pares eſſe non poſſumus*. l. 3. de alien. iudic. mutand. cauſa facta, l. nam magiſtratus, de arbitr. Extat hac de re præſtantiſſima elegia Ouidii lib. 3. Triſt. eleg. 4. cuius hæc aliquot ſunt carmina: *Cum quibus nõ ſit ineunda ſocietas.* *Potentiorum familiaritas vitanda.*

Vſibus edocto ſi quidquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quãtumq; potes prælustria vita:
Sæuum prælustri fulmen ab arce venit.
Nam quãquã ſoli poſſunt prodeſſe potentes,
Nõ proſunt, potiùs plurimũ obeſſe ſolent.

Reliqua vide ibi. Idem quoq; alibi:

Viue ſine inuidia, molleſq; inglorius annos
Exige, amicitias & tibi iunge pares.
Crede mihi, bene qui latuit, bene vixit, & intra
Fortunam debet quiſq; manere ſuam.

Apud Plautum pauper Euclio recuſat affinitatem cum diuite Megadoro contrahere, his verbis:

Venit hoc in mentem mihi, Megadore, te eſſe hominem diuitem.
Factioſum, me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſim meam tibi, in mentem venit,
Te bouem eſſe, & me eſſe aſellum: vbi tecum coniunctus ſiem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, iaceam ego aſinus in luto,
Tu me bos magis haud reſpicias, natus quaſi numquam ſiem,
Et te vtar iniquiore, & me meus ordo irrideat.
Neutrubi habeã ſtabile ſtabulum, ſi quid diuortij fuat:
Aſini me mordicus ſcindant, boues incurſent cornibus.
Hoc magnum eſt periculum, ab aſinis ad boues tranſcendere.

Alterum Iuris prouerbium eſt, *Intereſt noſtra bonum habere vicinum*. l. quod ſæpe, §. fin. ff. de contrah. empt. Pindarus Nem. *Vicini boni ſumma cõmoditas.*

eid.

εἰδ. 3. docet vtilitatem maximam adferre vicinum, ſi ſit idem & amicus : contrà, ſi ſit inimicus & malus, dammum iacturamque. Quod beilè expreſſit Heſiodus :

πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.

οὐδ' ἂν βοῦς ἀπόλοιτ', εἰ μὴ γείτων κακὸς εἴη.

Dettimentum [eſt] malus vicinus, quantum bonus eſt maguum commodũ:

Neque bos perierit, niſi vicinus malus adſit.

Noxa, malus vicinus, vt eſt bonus vtilis : imò

Nunquam bos pereat, vicinus ni improbus adſit.

Demoſthenes aduerſus Calliclem de prædio, *nihil moleſtius eſſe* dicit, *quàm incidere in vicinum auarum & improbum.* *τὸ χαλεπώτερον οὐδὲν, ἢ γείτονος πονηροῦ καὶ πλεονέκτου τυχεῖν.* Magnates enim locupletiores vicinis pauperculis nunquam ceſſerint, quippè qui eos non deſinant exſugere, dum ad nihilum redegerint ; naturã cardami referentes, qui herbarum in propinquo naſcentium humorem attrahit, vnde illas arere poſtea ſit neceſſe. Quo etiam illud Virgilianum ſpectat : *Cardamus noxius vicinis herbis.*

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

quo deplorat Mantuanorum infelicitatẽ, quibus obfuit ſola Cremonenſium vicinitas, ait Seruius. Itidem euenit Chalcedonijs & Byzantinis, itemq́, Aetolis & Acarnanibus, qui finitimi mutuis armis & diſſenſionibus ſeſe confecerunt. Itaque apud noſtros vulgò circumfertur, Ei optimè cedere, qui bonum vicinum habeat. Cato ſenior (quod etiam alibi adduximus) eos, qui prædia empturi eſſent, admonebat, vt præ cęteris aduerterent ne malum haberent vicinum. Celebratur & Themiſtoclis apophthegma. Cum quis enim prædium venale haberet, iuſſit præconem adijcere, *ὅτι καὶ ἀγαθοὺς ἔχει γείτονας*. quaſi longè vendibilius eſſet vicini commendatione. Bona itaq; vicinitas optanda quidem, non ſperanda ſemper, niſi ei forte, cui permiſſa eſt electio prædij vel domicilij: nec enim parum intereſt noſtra quibuſcum hominibus, aut apud quos viuamus. Vt de cæteris ſileã, ad quid illud iactatum Græcis, *τὸν φράγκον φίλον ἔσχε, γείτονα δ' οὔ.* *Francum pro amico habe, at nõ vicinum* Nempe quia Græci Romaniq; ſuſpectam haberent Francorum veterum potentiam, cum vix pares eſſe putarent. Hoc natura, vel hominum potiùs deprauatis moribus comparatum, vt nullæ ſint rixæ acerbiores, nulla odia implacabiliora, quàm quæ inter vicinos, ac contribules agitantur: vel quia vicinus potentior inferiorem ſubtus ſe habere velit, quin nullas non ſtrophas comminiſcitur, quibus quietum vicinum deglutiat. Non ſunt nobis repetendæ Romanorum & Græcorum hiſtoriæ, cùm quidem vel domeſticæ, ac noſtræ gentis ſuppetant, ex quibus accipimus quàm fœdè ac nequiter de vicinis, à quibus nihil metuendum erat, triumphatum eſt. Sed Emblematis huius character videtur ſpecialius trahi ad eos, qui fœdus exhorrent potentiorum principum ; quo animo ſi fuiſſet rex Portugalliæ Sebaſtianus (qui infauſtam & impiam cum Mahumetano ſocietatem ad ſuum, ſuorumq́ue exitium non longè antè contraxit) felicius vixiſſet. *Sebaſtianus Portugalliæ Rex.* Memoratu dignus, ſed infauſtus, & exemplaris caſus, vt ita dixerim, Comitis S. Pauli, principis militiæ Gallicanæ ſub Lodoico XI. *Comes S. Pauli.* Is Comes res nouas molitus aduerſus principem ſuum, colludebat cum rege Anglo, & duce Burgundo, neq; triſte ſuũ fatum præſentiſcebat. Tandem enim fœdere inito inter viros principes, & ſopitis diſcordiis, Comes ille, vt Suffenus alter, ſuæ proditionis pœnas dedit. Facile mihi eſſet recolere quædam noſtri æui funeſta exempla, ſed vereor ne ea narratio bilem quibuſdam moueat, qui ſuorum infortunia, quaſi plagas vix dum bene ſanatas refricari non patiuntur. Vide in Chiliadibus adagium, *Aliquid mali propter vicinum malum.* vbi multa præclara de malo vicino ex Heſiodo & alijs reperies.

In eum

In eum, qui truculẽtia ſuorum perierit.

EMBLEMA CLVII.



DELPHINEM inuitum me in littora compulit æſtus,
Exemplum, infido quanta pericla mari.
Nam ſi nec propriis Neptunus parcit alumnis,
Quis tutos homines nauibus eſſe putet?

COMMENTARII.

I. DELPHINVM piſcem mare perfidum in littore ſicco deſtituit, quẽ vis tempeſtatis antea eiecerat.

II. *Fons Emblematis.* Hoc tetraſtichon video petitum ex 3. Epigram. tit. εἰς ἰχθύας, nempe incerti cuiuſdam hexaſticho, quod tale eſt:

κύματα καὶ τρηχύς με κλύδων ἐπὶ χέρσον ἔσυρεν
δελφῖνα, ξείνης κοινὸν ὅραμα τύχης.
Ἀλλ' ἐπὶ μὲν γαίης ἐλέῳ τόπος· (οἱ γὰρ ἰδόντες,
εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔστεψαν εὐσεβέες)
Νῦν δὲ, τεκοῦσα θάλαττα διώλεσε. τίς παρὰ πόντῳ
πίστις; ὃς οὐδ' ἰδίης φείσατο συντροφίης.

Id ſic reddere conatus eſt Minos:

Fluctus & aſpera tempeſtas ad terram traxerunt
Delphinem, externæ ſpectaculum fortunæ.
Sed in terra miſericordiæ locus [repertus eſt:] nam videntes

Statim

Statim ad tumulum me coronarunt pii [viri:].
Nunc verò quòd [me] genuit mare, perdidit. Quæ tandem ponto
Fides? qui neq; propriis parcit alũnis.
Delphinem pelagi rapidus me ad littora fluctus
Ludibrium cunctis, ſorte volente, tulit.
Præſidium at pia terra dedit: me namque videntes
Ornarunt tumulo conuenienter viri.
Me mare quod genuit, ſic ſuſtulit. Ergo age ponto
Quanta fides? natos perdit & ipſe ſuos.

Verſio Sã ctij.

Sic verò vertebat Sanctius:
Delphinum me fluctus atrox in littora adegit;
Hoſpitibus ſortis ſic documenta dabo.
Terra tamen miſero tribuit pietatis honorem,
Nã ſertis decorant noſtra ſepulchra pij.
Nunc mare quod genuit, me perdidit: hei neque parcit
Ipſe ſuis, ponto quæ ſit habenda fides?

Delphini in terra vis.

Cœlius Rhodigin. lib. 8. antiq. lect. cap. 6. ſic inquit: Ion Græcæ facundiæ auctor, vt videtur, haud ſpernendus omnino, ſicut ex Plutarcho accepimus, eiuſmodi adagium poſuit, Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. *Delphini in terra vis.* Id in eos promptum videtur, qui quod neſciunt iudicant, & in quo minus valent, toto conatu petunt, nec ſe intra pelliculam cõtinent, ſupra crepidam aliquid ambitioſiùs affectantes. Delphinorum celeritas vtiq; memorabilis eſt, adeo vt ocyor volucri, acrior telo credatur, & vt Ariſtoteles inquit: ἁπάντων δοκεῖ εἶναι ζῴων ταχύστον, καὶ τῶν ἐνύδρων, καὶ τῶν χερσαίων, καὶ ὑφάλλονται πλοίων μεγάλων ἱστούς. hoc eſt: *Omnium videtur animalium velociſſimus, non aquatilium modo, ſed & terreſtrium, ſuperſiliũt etiam malos nauigiorum maiorum.* Cæterùm tam ſtupendæ agilitatis animal, terræ tamen contactum non patitur, quin inuectũ in arenam emoritur confeſtim. Hactenus ille: qui erroris anſam è Plinii verbis (niſi fallor) arripuit, quæ verba multos etiam alios deceperunt. Locus Plinii talis eſt, cùm de delphinis agit lib. 9. cap. 8. Solent in terram incerta de cauſa erumpere, & ſtatim tellure tacta moriuntur, multoq; ocyus fiſtula clauſa. Qui locus procul dubio corruptè legitur: nam illud verbũ,

An Delphines ſtatim, vbi terram attigerint, moriãtur.

ſtatim, expungendum eſt ex contextu; aut intelligendum, ſtato tempore. Nam emori delphinos ſtatim tacta terra, falſum eſſe deprehendet, quicunq; attentè legerit epiſtolam 33. libri 9. Plinii Secundi, vbi agit de puero & delphino, qui ſubinde in arenam erumpebat, tactusq; à Solis calore iterum ſe in mare recipiebat; eius autem hæc ſunt verba: Incredibile (tam verum tamen quàm priora) delphinum geſtatorem colluſoremq; puerorum in terram quoq; extrahi ſolitum, areniſq; ſiccatum, vbi incaluiſſet, in mare reuolui. Meminit huius rei Pincianus in Plinium, & alij, imò ipſe Rhodiginus loco citato. Neq; Plutarchus (vt ad Cœlium reuertar) id vult ſignificare, delphinum illico tacta terra emori, ſed perdere celeritatem & violẽtiam illam, poſtquam in alienum elementum exceſſerit.

DELPHINEM inuitum me] me reluctantem, nihil tale cogitantem, innoxium. III.

Deſtituere.

In littora compulit.] Id vno verbo *deſtituere*, dicitur, vt admonet perſpicaciſſimi vir ingenij Fornerius: qui etiam adducit hoc Virgilianum:
Et freta deſtituent nudos in littore piſces.

Æſtus.

Æſtus] Aeſtus dicitur maris creſcentis & decreſcentis commotio. Gallice, *Le regorgement de la mer, le flot de la mer.* Fluctus maris. Hinc *Æſtuarium*, locus viciſſim æſtu maris vel nudus, vel aquis ſtagnãtibus offertus. Et Aeſtuariæ inſulæ, ex quibus Venetiæ primùm in potentiſſimã & populoſiſſimam, quæ hodie cernitur, Rempublicam coiuerunt. De reciproco maris æſtu vide Plinium lib. 2. cap. 97. Cœl. Rhodig. lib. 26. cap. 17. & 18.

Æſtuarium.

Exemplum infido.] quod poteſt exemplo eſſe, quantis infidum mare periculis, quantoq; diſcrimine ſæuiat: vel vt ἀλληγορικῶς, quot rixis & ſimultatibus laboret Reſpublica. Locus eſt huic accommodatus in 7. Controuerſ. Senecæ declamat. 1. O maria iuſtiora iudicijs, ait, ò mitiores procellæ patre, &c. *Infidum mare.* ἀνέγγυος θάλασσα. in Græco epigrammate, id eſt, cum quo nulla ſponſio aut fides poteſt intercedere. Quadrat huc elegans Lucretij locus, lib. 2.

Infidum mare.

Sed quaſi naufragijs magnis multiſq; coortis,
Diſiectare ſolet magnum mare tranſtra, carinas,

Anten-

Antennas, prorã, malos, tonſasq; natanteis,
Per terrarũ omneis oras fluitantia apluſtra
Vt videantur, & indiciũ mortalibus edãt,
Infidi maris inſidias, viresq; dolumq;
Vt vitare velint, nevè vllo tẽpore credant,
Subdola cùm ridet placiti pellacia ponti.

Nam ſi nec proprijs] Collatio maioris ad minus. Si enim mare non ſeruat eos, quos in lucem edidit & nutriuit: id eſt, ſi princeps vel populus ſuos ciues non tuetur, iiſq; non ignoſcit, ſed miſerè de medio tollit, quid reliquis fiet?

Quis tutos homines] num valde periculoſum ſe fluctibus marinis committere? quàm parum tutum eſt πολιτεύεσθαι, ſeque Reipub. ventis & fluctibus credere? Obiter moneo, alluſum hic videri ad prouerbium, *Maritimi mores.* quo vtitur Plautus Ciſtellaria.

Delphin è mari eiectus quid.

IV. TOTVM hoc ἀλληγορικῶς accipe. Delphin enim marinis fluctibus eiectus, conſultorem quendam virumque Principem, vel etiam nota aliqua probitatis inſignem, à populari turba beneficij loco iniurias, ludibria, mortemq; ipſam referentem arguit: quales fuiſſe legimus Socratem, Ariſtidem, Phocionem, Demoſthenem, M. Tullium, & alios quamplurimos, qui poſt præclarè facta innumerasq; difficultates, & pericula nomine patriæ exantlata, honoris & præmiorum vice iniuſtum exilium duramque mortem perferre coacti ſunt. Delphin eſt φιλάνθρωπος, (de quo etiam ſupra dictum) vt qui ſuis bene cõſultum velit: Pelagus ipſum, in quo piſces à piſcibus afficiantur & abſumantur, orbis huius anguſtias multiplices & damna innumerabilia refert, nimirùm in quo nemo ſibi deterius quàm ab homine nocumentum impendere videat. Hieronymus ad Demetriadem, de ſeruanda virginitate: Quæ de medio mari fumantem viderat patriam, & fragili cymbæ ſalutem ſuam, ſuorumque commiſerat, crudeliora inuenit Africæ litora. Vide reliqua. Qui locus nos admonet permultos iam olim fuiſſe viros claros, quibus ſua virtus obfuit. Memorarem Hermodorum ab Epheſijs pulſum, Ariſtidem ab Athenienſibus, imò Themiſtoclem, Periclem malè habitum, niſi nos exempla Romanorum commouerent, Coriolani, Camilli, imò Portij Catonis toties accuſati, M. Antonij oratoris exulantis, & aliorum, de quibus apud hiſtoricos. Quod

A patria ſua malè tractati.

ſi ad altiorem ſenſum trahere placet, conſidera carnis noſtræ petulantiam & ingratitudinem, quæ nobiſcum nata, educta, alita paribus incrementis, eadem cura, contubernalis, menſæ aſſecla, omnium conſiliorum particeps; audet tamen ſpiritum temerario conterere pede, ac mentis imperium infringere. Nec ſola per ſe illud attentat, ſed & fœdus percuſſit cum amico ſubſidiario dæmone, vt perdat: hic ſubſternit viuos carbones & prunas ſuſcitat, vt incaleſcat illa & vehemẽtiùs pruriat. Igne concepto, nullum genus nequitiæ tranſit intactum, impetu fertur & pleno curſu, recalcitrat, nec patitur inſeſſorem aut imperium magiſtri, vt effrænis equus aut rabidus leo, conſpecta fœmina. Hæret flamma in medullis, vrit, furit vt eryſipelas aut carbunculi morbus in membris. Palpat Sathan interim, & poppyſmatis regit, nec capiſtro, ſed iuba ducit, velut hinnulũ mango ſolet, quò vult, pinguioris ſaginæ farto ſcilicet. Hæc ars vna cicurandi indomitum monſtrum, paſtu trahitur & manſueſcit. Nouit naturam ductor, & popinis admonet primò ac lurconum conuenticulis, vnde ventrem referat inter ſartagines & cacabos vt tympanum inflatum. Prima cura crapulę ſtudium & voluptatis inſectatio, quæ radix eſt malorum; trophęũ figit, qui hic triumphat; victus in præcipitio ſtat ad interitum, & in ipſa crepidine Tartari iamiam caſurus. Non ſimpliciter malus eſt, cui ſtigma hoc malitiæ impreſſum; aperit ſemitam ad cętera, qui hoc vno laborat, patet, ſicut arx in faſtigio montis, ventis omnibus vitiorum. Corpus innutritum delicijs & tractatum molliter, Venus formoſa illa & ſæculis omnibus decantata mater luxurię inſidet cum ſuo Cupidine. Caſeus quò pinguior, eò putredini aptior eſt & vermiculationi: ita caro noſtra in ſagina vermibus ſcatet vitiorum, qui rodunt & perforant. Equi cadauer veſpas, vt aiunt, producit & crabrones; fimus bruchos, ſcarabæos, & cantharides, quodque ſemen fuit, cibus fit; paſcuntur eo, ex quo nati. Simile contingit in nobis, abdomen turgidum obſonijs & diſtentum, termites concipit libidinis, qui in copia pullulant, & roſtella mox vertunt in matrem, pungunt, mordicus inuadunt, conſumunt. Contabeſcit, dico, in ſua malitia caro, & ad interitum properat, domeſticos enim ho-

Carnis noſtra ſaginata fructus.

Dæmonis aſtutia.

Simile.

ſtes

ſtes alit in viſceribus,& lumbricos iſtos laſciuiæ ac hirudines,qui ſugunt quod ineſt ſanguinis, donec fibram ipſam cordis, vt rauca ſolet arboris, ſuccidant clanculum & demoliantur. Inteſtinum malum, eò propiùs periculo & minùs curabile; ſentit infectus,ſed curam negligit & manus medici; neſcit ſanari, quia latet vitium, vel nō vult, quia conſenuit & tranſijt in naturā. Ægrè aſſurgunt, qui ſic iacent; conclamatū penè de ſalute, niſi altior vis aliqua ſubleuet. Sic caro nutritores ſuos remunerat. Ex hoc deniq; Emblemate conſtat, veteres inter ſummas difficultates nauigationem poſuiſſe, vnde præcepta de fugiendo mari & terra incolenda. Ideoq; etiam Propertius lib. 1. exclamat:

Maris pericula quanta.

Ah pereat quicunq; rates & vela parauit,
Primus & inuito gurgite fecit iter.

Rectè itaq; dixit Ariſtagoras, ὅτι πᾶσα θάλαττα θάλαττα. id eſt, ex æquo periculoſum eſſe mare, licet appellationes habeat varias. Cui conuenit illud Comici ex Hecyra:

O fortunate, neſcis quid mali
Præterieris, qui numquā ingreſſus es mare.

Ouidius 2. Amor. eleg. 11.

Nauita ſolicitus iā ventos horret iniquos,
Et propè tam lethum, quàm propè cernit aquam.
Quòd ſi concuſſas Triton exaſperet vndas,
Quàm tibi tunc toto eſt nullus in ore color.
Tunc generoſa voces fœcunda ſidera Lunæ,
Et fœlix dicas, quem ſua terra tenet.

Anacharſis cùm rogaſſet quendam, quanta eſſet ſpiſſitudo tabularum nauticarum? Iſq; reſpōdiſſet, quatuor digitorum: Tantillum, inquit, abſunt à morte qui nauigant. Id ipſum expreſſit Iuuenalis Satyra 12.

I nunc & ventis animam cōmitte, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Idem Anacharſis cuidam roganti, vtrum arbitraretur plures eſſe mortuos quàm viuos? Nauigantes, inquit, vtro in numero ponis? Dubitans, an hi eſſent inter viuos habendi, qui vitam vndarum ac ventorum arbitrio commiſiſſent. Occurrit inſignis Propertij locus lib. 3. eleg. 7. de morte Pæti, qui argumentum hoc egregiè illuſtrat.

Locus Propertij.

Ite rates curuæ, & lethi quoque texite cauſas,
Iſta per humanas mors venit acta manus.
Terra parū fuerat, terris adiecimus vndas:
Fortunæ miſeras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
Quid meritum dicas, cui ſua terra parum eſt?
Ventorum eſt quodcunq; paras, haud vlla carina
Conſenuit: fallit portus & ipſe fidem.

Audiamus etiam Senecam lib. 14. epiſt. 91. Hominis, inquit, non ſapientis inuenta ſunt nauigia, quibus amnes, quibuſvè maria tranſimus, aptatis ad excipiendum ventorum impetum velis, & additis à tergo gubernaculis, quæ huc atq; illuc curſum nauigij torqueant: & exemplum à piſcibus tractum eſt, qui cauda reguntur, & leui eius in vtrumq; momento velocitatem ſuam flectunt. De nauigationis porrò incommodis plura hic dicere nihil attinet, ſatiùs eſt eos, qui equo ligneo (vt Plauti verbis vtar) per cœruleas vias vehūtur, experiri ſcilicet, quàm periculoſum ſit ſalutem fluctibus committere, & vocare in ſeſe fata ceſſantia, ac ſi ad mortem terra parùm latè pateat: ſiquidem, vt Aratus dicebat, modicum lignum mortem prohibeat. Non igitur iniuria in nauigantes inuehitur Socrates, miſeros eos appellans, quibus neq; dæmon, neq; Deorum aliquis vnquam diuitiarum dignam tribuerit gratiam. Quandoquidem hi leuibus freti ventis, longas nauigationes magno cum periculo ſemper adeant, homines perditi, propter quas aut lucrentur, aut pereant. Vnde rectè iudicauit Antiphanes, præſtare in terra pauperem eſſe, quàm diuitem nauigare. Deniq; qui primus nauium vſus, & quæ prima earum forma à priſcis probata fuerit, quæ item earum nomina, & quis gubernandi adminicula primus inuenerit, id expoſitum habes apud Robertum Valturium lib. 11. de re militari, cap. 5.

Nauigij origo.

Nauigationis incōmoda.

In dona hoſtium.

ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

EMBLEMA CLXVIII.



BELLORVM cepiſſe ferunt monumenta viciſſim
Scutiferum Aiacen, Hectoraq́ Iliacum.
Balthea Priamides, rigidum Telamonius enſem,
Inſtrumenta ſuæ cepit vterque necis.
Enſis enim Aiacem confecit: at Hectora functum
Traxere AEmonijs cingula nexa rotis.
Sic titulo obſequij, quæ mittunt hoſtibus hoſtes
Munera, venturi præſcia fata ferunt.

COMMENTARII.

I. ASTAT Aiax cum ſcuto ſuo, & ab Hectore gladium dono accipit, Hector verò ab illo baltheum. Quæ dona vtriq; fuerunt exitio, hinc enim Aiax gladio illi moriturus incumbit; illinc Hector currui baltheo alligatus diſtrahitur.

II. *Epigraphe vnde ſumpta.* SVMPTVS eſt hic titulus, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, ex Sophoclis Aiace flagelli-

fero, qui ait ſe, poſtquam ab Hectore inimiciſſimo accepiſſet enſem muneris loco, nihil præter damnum atrociſſimum à Græcis habuiſſe. Itaq; poſtquàm multis eſt conqueſtus, ſic poſtremò infert:

Ἀλλ᾽ ἔσ᾽ ἀληθὴς ἡ βροτῶν παροιμία,
Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κ᾽ οὐκ ὀνήσιμα.
Quin verum id eſt mortalium prouerbiũ,
Non eſſe dona, dona quæ veniant tibi
Ab hoſte, verùm inauſpicata ac noxia.

Ex hoc loco Scholiaſtes elicit, ab amicis dona quælibet, vel etiam pretij minimi, boni eſſe conſulenda: ab hoſtibus verò & inimicis ne pretioſiſſima quidem expetenda, vtpotè pernicioſa & noxia. δῶρα enim ἄδωρα, ſunt κακόδωρα, id eſt, *infelicia dona*, vt μήτηρ ἀμήτωρ. De quibus latè & præclarè agitur in prouerbio, *Hoſtium munera non munera*. Narratio eſt apud

Hectoris et Aiacis fœdus. Homerum Iliad. η. Hector & Aiax inito inter ſe fœdere, vltro citroque miſſis donis, de amicitia firmanda ſtatuere, atque Hector Aiaci gladium, Aiax Hectori cingulum militare miſit, ſed vtrique ſuum munus fuit exitio. Victus enim Aiax ab Vlyſſe (in contentione armorum Achillis) & cognitis ijs, quæ per inſaniam dixerat & fecerat, eodẽ gladio ſeipſum interemit. Hector verò per occaſionem cinguli iuxta Ilij muros ab Achille occiſus, & ter circum mœnia tractus eſt. Ex quo perſpicuum apparet veriſſimum eſſe, quod ait Euripides:

κακοῦ μὲν ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει.
Nullum iuuamen adferunt dona improbi.

Emblematis character. Totum Emblema ex Græco tractum eſſe liquet, lib. 3. Antholog. tit. εἰς ἥρωας. Eſt autem Leontij.

πικρὴν ἀλλήλοις ἕκτωρ χάριν, ἠδὲ φεράσπις
  αἴας, ἐκ πολέμου μνῆμ᾽ ἔπορον φιλίης.
ἕκτωρ γὰρ ζωστῆρα λαβὼν, ξίφος ἔμπαλι δῶκεν·
  τὴν δὲ χάριν δώρων πείρασαν ἐν θανάτῳ.
τὸ ξίφος εἷλ᾽ αἴαντα μεμηνότα· καὶ πάλι ζωστὴρ
  εἵλκυσε πριαμίδην δίφρια συρόμενον.
οὕτως ἐξ ἐχθρῶν αὐτοκτόνα πέμπετο δῶρα,
  ἐν χάριτος προφάσει μοῖραν ἔχοντα μόρου.

Acerbam inter ſe Hector gratiam atque
[illegible] ſcutifer [illegible]

Aiax ex bello pignus dederunt amicitiæ.
Hector enim cingulum cùm accepiſſet,
  enſemq; viciſſim dediſſet,
Hanc quidem gratiam donum experti
  ſunt in morte.
Gladius interfecit Aiacem inſania correptum; & rurſum cingulum
  Traxit Priamiden bigis raptatum.
Sic ab hoſtibus mortem vltrò afferentia
  mittuntur dona,
  [Quæ] ſub gratiæ prætextu fatalem
  mortem contineant.

Exitiale inter ſe Hectorq; et ſcutifer Aiax,
  Ex bello dederant pignus amicitiæ.
Cingulo enim accepto hic, tandemq; ille enſe viciſſim,
  In morte experti gratia quanta foret.
Nam ſe Aiax gladio inſanus traiecit, equuũ
  Raptatus bigis deniq; Priamides.
Sic quæ dona ſuis mittuntur ab hoſtibus vltrò,
  Sub titulo doni ſunt ea ſigna necis.

Subijciam & breuius Epigramma, eiuſdẽ omninò argumenti.

ἕκτωρ αἴαντι ξίφος ὤπασεν, ἕκτορι δ᾽ αἴας
  ζωστῆρ᾽· ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατος.
Aiaci datur enſis ab Hectore, baltheus Aiace
  Hectori; vtriq; ſuum donum erat exitio.
Hector Aiaci enſem obtulit: Hectori autem Aiax
  Cingulum, ambobus donum [fuit] vna mors.
Hector vt Aiaci dedit enſem, illi vt dedit Aiax
  Zonam, vtriq; necem munus vtrumq; dedit.

BELLORVM *monumenta*] ἐκ πολέμου μνῆμα φιλίης. vt eſt in Græco Epigrammate. Erat autem gladius & baltheus, vtrumq; militibus conueniens donum. III.

Scutiferum Aiacem] Tranſtulit illud ex Græco φεράσπις αἴας, vt φεράσπις ἀθηνῆ. *ſcutifera Pallas*, à Poetis dicitur. Et ab Ouidio in principio lib. 13. Metamorph. Aiax vocatur clypei ſeptemplicis dominus. *Aiax ſcutifer.*

Surgit ad hoc clypei dominus ſeptemplicis Aiax.

quia clypeum habuit, ſeptem boum corijs tectum. De Aiacis nomine & ſcuto diximus

ximus plura Embl. 28. & 48.

Hectoraq; Iliacum] Troianorum fortiſſimum.

Balthea] Balthea, in accuſandi caſu, quaſi à recto Baltheus, nullo modo placet, vt neq; tolerari in patria Romana poteſt. Id in Alciato noſtro peccatum, ſeu erratum potius, Grammatici noſtræ ætatis doctiſſimi obſeruarunt: ſicuti & ab Vrſino Velio, erudito ſanè viro, idem penè admiſſum notant verſu quodam de laboribus Herculis ex Anthologia Grecorum Latinis numeris expreſſo, ſic:

Alciatus erroris arguitur.

Baltheon arripuit, Thraciſq; armenta cecidi.

Sed quid? in re tam vera manus dare cogimur, verumq; fateri, quod Fabius ait initio lib. 10. Inſtitut. orat. doctos etiam viros labi aliquando, cùm & Ciceroni dormitare interdum Demoſthenes, Horatio etiã Homerus ipſe videatur: ſummi enim ſunt, homines tamen. Hæc quidem Claudius Minos: ſed quid opus Alciatum noſtrum coram Grammaticorum tribunali tam audacter reum agere? An non videbat doctiſſimus Minos & Baltheus & Baltheum dici, teſte Propertio lib. 4. eleg. 11.

Defenditur.

Præbebant caſi balthea lenta boues.

Quis dubitet igitur, Alciatum hic pluralem pro ſingulari συνεκδοχικῶς poſuiſſe? vti etiam paulò poſt, *cingula* dicit.

Priamides] Patronymicum, pro Hectore Priami filio, vt apud Homerum ſæpe legimus. Porphyrius tamen philoſophus teſtimonijs Ibici, Alexandri, Euphorionis, & Lycophronis probat, Hectorem fuiſſe filium Apollinis. Hæc ex ſcholiaſte Homeri. Iliad. 3.

Hector filius Priami.

Telamonius.] à Telamone, ad differentiam Aiacis Oilei.

Inſtrumenta ſua, &c.] Vterq; accepit ſuæ necis præſagium, vtrique fuit exitio ſuum donum Græcè, ἀμφοτέρων ἡ χάρις εἰς θάνατος. Hectoris enim cadauer baltheo circa Patrocli tumulum Achillis iuſſu tractum eſt. Aiax gladio ſibi ab Hectore donato ſeipſum confodit.

Æmonijs rotis.] Id eſt, Theſſalis, Græcis. Aemonia ſiue Hæmonia, Theſſalia eſt, vnde Achilles originem duxit; ſic dicta ab Aemone filio Deucalionis. Aemonia interdum etiam pro Græcia, συνεκδοχικῶς.

Aemonia.

Sic titulo obſequij &c.] obtentu, prætextu, facie animi beneuoli. Huic ſententiæ conſonat verſiculus quidam, cuius autor iam non occurrit:

Non ſunt dona, ſua quæ mittunt hoſtibus hoſtes.

Venturi præſcia fata ferunt] portendũt mortis euentum.

IV.

Dona hoſtium noxia.

Priscorvm ſuperſtitio ſibi perſuaſit, obſeruanda vel maximè munera, à quibus, quo animo mitterentur, propterea quod, quæ darentur ab ijs, qui nobis malè cuperent, exitio plerunq; fuiſſe conſtaret. Vt fuit pyxis illa fallax per Pandoram à Ioue Prometheo tranſmiſſa. Quemadmodum fuit & veſtis, qua Medea nouam nuptam Iaſonis donauit. Rurſus veſtis illa, quam Deianira miſit Herculi. Præſens itaque Emblema per dona mutua Aiacis & Hectoris ſignificat, viri mali dona eſſe inutilia pernicioſaque. Quod Laocoõ apud Virgilium confirmat, cùm à Troianis equum dolo relictum nequaquam in vrbẽ recipiendum cenſet, his quidem verbis:

—— O miſeri, quæ tanta inſania, ciues? Creditis auectos hoſtes? aut vlla putatis Dona carere dolis Danaum? &c.

Et deinde:

Quicquid id eſt: timeo Danaos, & dona ferentes.

Et alibi de Capy ſic:

At Capys, & quorũ melior ſentẽtia menti, Aut pelago Danaum inſidias, ſuſpectaq; dona,
Præcipitare iubẽt, ſubiectiſq; vrere flãmis.

Huic conuenit monoſtichon Græcum:

κακόν γε δῶρον ἴσον ἐστὶ ζημίᾳ.

Malum donum ſimile eſt detrimento.

Sæpe nihil intereſt, inquit Seneca, inter amicorum munera, & hoſtium vota. Quicquid illi optant accidere, in id horum intempeſtiua indulgentia impellit atque inſtruit. Benè Horatius:

Nil moror officium quod me grauat.

Et Plautus in milite:

In mala vxore, atq; inimico, ſi quid ſumas, ſumptus eſt:
In bono hoſpite atq; amico quæſtus eſt quod ſumitur.

Quadrabit & in eos, qui per artes magicas dæmonum vtuntur obſequijs. Nam ea demum exeunt in perniciem vtentium. Siquidem ſpiritus ille tenebricoſus & impoſtor, quem ſcimus eſſe ab origine terũ mendacem & homicidam, non poteſt odiũ ſuum atrociſſimum erga genus humanum

In præſtigiatores et magos.

(licet

(licet ſe ſimulet eſſe interdum ſupplicem, placatum, manſuetum, nonnunquã etiam angelum lucis) prorſus celare, quin vngues ſuos figat, & aliquo modo nocendo ſe ſe prodat. Docent enim nos ſacræ literæ, quòd natio diabolica exciderit veritate & gratia, ſitq; immobilis ad bonum. Vnde Bodinus colligit indubitatum axioma, Numquam Sathanam bene facere, niſi vt grauius ex eo redundet malum: adeo naturæ Dei, inquit, aduerſatur, qui nullum malum permittit fieri, niſi vt maius conſequatur bonum. Documento eſſe poſſunt horrenda exempla & interitus magorum. Nam vt vnam & alteram hiſtoriam modò referam, mira ſunt quæ in hiſtoria Bohemica Dubrauij Epiſcopi Olmucenſis legimus, ita enim ſcribit de VVenceslao, filio Caroli IIII. Quum filiam Ducis Bauariç Sophiam vxorem duxiſſet, nouus ſocer, vbi generum ludicris ſpectaculis & magicis prçſtigijs delectari cognouit, plauſtrum plenum prçſtigiatorum ſecum Pragam aduexit. Ibi dum artificum præſtantiſſimus ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter ſpectatores Zyto VVenceslai magus, ore vſque ad aures dehiſcente, accedensq; propius, artificem illum Palatini cum omni apparatu ſubitò deuorat, ſolos duntaxat calceos, quia luto obliti videbantur, expuens, ſeceſſumq; inde petens, ventrem inſolita eſca grauem, in ſolium aqua plenum exonerat, præſtigiatoremq; adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit paſſim deridendum, adeo vt cæteri quoq; eius ſocij à ludo deſiſterent. Et paulò poſt, vbi alias multas ludificationes & præſtigias eius recenſuit, ita concludit: Cæterùm Zyto impoſtor, ad extremũ à cacodæmone ſuperſtes cum corpore & anima de medio hominum ſublatus fuit.

Hiſtoria de Zyto mago Bohemo.

Apud nos quoq; Germanos adhuc notũ eſt, inter præſtigiatores & magos, qui patrum noſtrorum memoria innotuerunt, celebre nomen, propter mirificas impoſturas & faſcinationes diabolicas, adeptum fuiſſe Ioannem Fauſtum Kundlingenſem, qui Cracouiæ magiam didicerat, adeo vt ex plebe noſtratium propemodum nullus reperiatur, qui non aliquod documentum eius artis commemorare poſſit, illiq; eadem ludibria, quæ modò de mago Bohemo diximus, aſcribantur, vt libello Germanico idiomate vulgato patet. Quemadmodum autem horum præſtigiatorum vita ſimilis fuit, ita vterq; horrendo modo in viuis eſſe deſijt. Fauſtus enim, vt fertur, & à VViero lib. 2. cap. 4. recenſetur, in pago Ducatus VVirtẽbergici inuentus fuit iuxta lectum mortuus, inuerſa facie, & domo præcedenti nocte media quaſſata. Sic perijt infauſtus Fauſtus. Alter verò, vt diximus, viuus à ſuo magiſtro raptus eſt.

Ioannes Fauſtus magus.

Et Ioannes Franciſcus Picus Mirandulanus, ſicut à VViero introducitur, memoriæ tradidit, magum quendam, vt ipſe à ſocijs eius adhuc viuis audierit, à dæmone viuum ablatum nuſquam comparuiſſe, dum curioſo cuidam, & malè ſano principi Troiæ oppugnationem repræſentare quaſi in ſcena pollicitus eſſet, Achillemq; & Hectorem introducere præliantes.

Magus à dæmone abreptus.

De Zoroaſtro quoq; qui Meſraimi Chami filius, & primus fuit, qui artis magicæ diſciplinam tradidit, ſcribunt, quòd aſtris multùm & frequenter intentus, cupiens apud homines Deus haberi, velut ſcintillas quaſdam ex ſtellis producere, & hominibus oſtentare cœperit, quò rudes in miraculi ſtuporem traherẽtur; deſideransq; hanc de ſe augere opinionem, ſæpius iſta molitus ſit, vſq; adeo, donec ab ipſo dçmone, quem importuniùs frequentabat, ſuccenſus igne cremaretur. Hçc ſunt hoſtis generis humani dona; hæc præmia digna impiæ & ſceleratæ curioſitatis.

Zoroaſter primus magus, & eius mors.

A mi-

A minimis quoque timendum.

EMBLEMA CLXIX.



BELLA gerit ſcarabæus, & hoſtem prouocat vltrò,
Robore & inferior, conſilio ſuperat.
Nam plumis aquilæ clam ſe neque cognitus abdit,
Hoſtilem vt nidum ſumma per aſtra petat.
Ouaq́; confodiens, prohibet ſpem creſcere prolis:
Hocq́; modo illatum dedecus vltus abit.

COMMENTARII.

I. AQVILAE auium reginæ hic ſeſe audacter opponit ſcarabæus, inſecti genus volatile, multipes, cornibus longis & ſerratis præditum, quæ dentata biſulcis forcipibus in cacumine, quum libet, ad morſum coeunt. Sed nemini ignotus poteſt eſſe ſcarabæus, vt qui paſſim ſit obuius, niſi alicubi nulla omnino ſunt ſtercora.

II. *Fons Emblematis.* SVMPTVM eſt Emblema ex Oro Apolline lib. 1. Hieroglyph. Aut potius ex apologo Aeſopi, qui petitus apparet ex perpetua cõtrouerſia, quæ naturæ vi quadam intercedit inter Aquilam auium principem, & ſcarabæum viliſſimum inſecti genus. Ille. n. vt illatam ſibi ab aquila iniuriam vindicet, cũ ſe viribus haudquaquã parem eſſe norit, confugit ad dolos: clam

enim ſe in plumis Aquilæ recondit, vt eo tandem modo ad nidum aquilinum perueniat, eaq́; poſtmodum abſente oua eius omnia confodiat. Cuius fabulæ apud Ariſtophan. mentio eſt, ſic enim:

ἐν τοῖσιν Αἰσώπου λόγοις ἐξηυρέθη,
μόνος πετεινῶν εἰς θεοὺς ἀφιγμένος.
ἄπιστον εἶπας μῦθον, ὦ πάτερ, πάτερ,
ὅπως κάκοσμον ζῶον ἦλθεν εἰς θεούς.
ἦλθεν κατ' ἔχθραν αἰετοῦ πάλαι ποτέ,
ᾤ' ἐκκυλίνδων, κ' ἀντιτιμωρούμενος.
hoc eſt:
In fabulis id eſt repertum Æſopicis,
Adiſſe Diuos vnicum ex volucribus.
Haud credibilē ais fabulā pater, pater,
Adiſſe Diuos animal obſcœnum atq; olens.
Peruenit olim, inquam, ob ſimultatem aſperam,
Quæ illi fuit cū aquila, oua voluens illius,
Et expetens pœnas ab hoſte mutuas.

Vide omnino adagium *Scarabæus aquilā quærit*. vbi vires ſuas pulcherrimè extendit autor, & hunc apologum longa narratione amplificat.

III. *Scarabæus quale animal, & quæ eius ſpecies ſint.* *BELLA gerit ſcarabæus*] cum hoſte aquila. Scarabæus eſt animal ex infima inſectorum gente, aſpectu tetrum, odore tetrius, ſonitu teterrimum; alis cruſtacea vagina obtectis, quin magis totus ipſe ſcarabæus nihil eſt niſi cruſtum. Naſcitur ex animantium ſtercoribus, in iiſdem viuit, verſatur, oblectatur, deliciatur. Sed non eſt eadem omnium ſpecies. Etenim ſunt, quibus nigro quodam virore luceat cruſta. Pleriq; tetro nigrore horrent: vt qui locum prouerbio fecerunt, *Scarabæo nigrior*. Ital. *Nero com' vn calabrone*. Sunt nonnulli grandiores, prælongis, ac biſulcis armati cornibus, cacumine forcipibus dentato, ea cum viſum eſt ad morſum contrahunt ſtringuntq; Sunt item rutili, & iidem prægrandes, qui terram aridam fodiunt, atq; illic nidos ponunt. Sunt qui metuendo bombo, formidabiliq; ſtrepitu prouolent, vt imprudentem non mediocriter terrirent. Sunt & alia formarum diſcrimina, de quibus Plinius lib. 11. cap. 28. Verùm id commune omnibus, è ſterco re ortus, è ſtercore victus, in ſtercore vita, deliciumq;

Scarabæo nigrior.

Hoſtilem vt nidum] nidum aquilæ ſibi aduerſæ.

Summa per aſtra.] Per aera ſummum. Aquilam in editiſſimis & inacceſſis locis nidificare, teſtis eſt Plinius, & alij nōnulli.

Spem creſcere prolis.] Spem creſcendæ prolis. Infinitum pro gerundiuo, locutio Græca.

Dedecus.] Iniuriam & damnum.

IV. *Nullus eſt paruus hoſtis.* HOC quidem admonemur, hoſtem, quamuis infimæ fortunę, non eſſe contemnendum, nec quemquam vel omnium minimum & contemptiſſimum eſſe prouocandum, ſiquidē, vt in Mimis Publius ait: *Inimicū quāuis humilē, docti eſt metuere.* Etenim, vt ait Pindarus Iſthm. 4.

ἔστι δ' ἀφάνεια τύχας
καὶ μαρναμένων,
πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι.
τῶνδε γὰρ διδοῖ τέλος,
καὶ κρέσσον' ἀνδρῶν χειρόνων
ἔσφαλλε, τέχνα καταμάρψαισα. .i.

Eſt tamen incertitudo fortunæ vel hominum ſtrenuè pugnantium, donec ad ſummum finem perueniant: his enim qualemcumq; vult finem dat fortuna: & meliora interdum deterioribus hominibus premuntur ac ſupplantantur. Certè Magnus Alexander, quamquam potentiſſimus, dexteritatem Ptolemæi ſuſpectam habuit, Arrij turbulentiam, & Pythonis nouarum rerum ſtudium reformidabat, auctor Aelianus ſub finem 14. Var. hiſt. Huc etiam recidit, quod vulgus paſſim vſurpat: Cauendum ab iis, quibus nihil eſt, quod perdant. Ab iis enim citiùs iniuriam & damnum acceperis, quàm ab aliis, quibus aliquid eſt in loculis. Timent enim vt plurimùm aliquem prouocare, ne quid vel famæ vel fortunis detrahatur. Homunculi verò illi ſortis infimæ, ſed dolis & fraude inſtructiſſimi, improbi non minùs quàm ſcarabæi, neq; minùs putidi, neq; abiecti minùs, pertinacis ingenii malitia quadam, cùm nemini ferre prodeſſe queant, magnis tamen viris ſæpenumero faceſſunt negotium. Nam territant nigrore (quæ vna improbi animi nota) obſtrepunt ſtridore (qui nemini non moleſtus eſt) fętore ſuo commaculant obuios quoſq; circumuolitant, hærent, inſidiantur, vt non paulò ſatius ſit cum præſtantibus aliquando viris ſimultatem ſuſcipere, quàm hos laceſſere turpiſſimos ſcarabæos, quos pudeat etiam viciſſe (quæ enim victoriæ tam pudendæ moleſtæque ſpes? quod præmium? quis finis?) quoſque nec excutere poſſis, cùm maxi-

Deſcriptio improborum auerſandā tenuis fortunæ hominū.

maximè velis, neque conflictari cum illis queas, niſi diſcedas contaminatior. Peculiariter autem hic notandum, quàm ſæpe minima quæq; maximum nocumentum hoſtibus inferant: ita, vt rectiſſimè veteri dicatur adagio: ἔχει καὶ ἡ μυῖα σπλῆνα, ἔνεστι καὶ μύρμηκι χόλος. *Et muſcæ ſplenem habet, & formica bilem.* Vnde apud Plutarchũ illud Braſidæ fortiſſimi ducis Lacedæmoniorum memoratur, quem cùm ficus legentem ſorex momordiſſet: O bone Iupiter, inquit, nullum eſt tam minutum animal, quod ſui defendendi, aut periculum vitandi, cùm ſit opus, occaſiones non perquirat. Huc etiam reſpexit P. Mimus in ſuis ſententijs, vbi dicit: *Etiam capillus vnus habet vmbram ſuam.* Nihil enim tam minutum, quod non poſſit aliquid. Hinc legimus in fragmentis Varronis, cuius etiam Plinius lib. 8. c. 29. mentionem facit: à cuniculis ſuffoſſum eſſe in Hiſpania oppidum, à talpis in Theſſalia, à ranis ciuitatem in Gallia pulſam, à locuſtis in Africa, ex Gyaro Cycladum inſula incolas à muribus fugatos, in Italia Amyclas à ſerpẽtibus deletas. Sic Sapores Rex Perſarum ab obſidione Niſibis vrbis, quã nonnulli Antiochiam Mygdoniæ vocant, crabronum & culicum multitudine repulſus eſt. Quod inopinatum auxilium precibus Iacobi Epiſcopi attributum eſt. Voluit autem Deus non fulmine, ſed per exiguas beſtiolas ſuam potentiam & præſentiam in Eccleſia declarare; ſicut in Aegypto muſcas & ranas, aliaq; inſecta, non vrſos aut leones Pharaoni & ſeruis eius olim immiſit, vt rebus viliſſimis tyrannica ſuperbia domaretur.

Minima etiam nocere poſſunt.

Obnoxia infirmitas.

EMBLEMA CLXX.



PISCICVLOS aurata rapit medio æquore ſardas,
Ni fugiant pauidæ, ſumma mariſq; petant.
Aſt ibi ſunt mergis fulicisq; voracibus eſca.
Eheu, intuta manens vndique debilitas.

COMMENTARII.

I. SARDAE piſciculi ab inſequente aurata in vaſto mari deuorantur, quibus etiam deſuper mergus & fulica, aues piſciuoræ, vtrinq; aduolantes imminent, prædam capturæ. Fulicam velim nigram depingi, vt in editione Rouiliana habetur.

II. *Emblematis typus.* LICET de fonte & origine nullus commentatorum mentionem faciat, tamẽ quid ſibi velit Emblema ſatis ex titulo ſuperq; conſtat. At meo iudicio deſumptum videtur ex adagio vulgo vſitato, *Piſces magni paruulos comedunt*. Nobis Germanis, *Die groſſe fiſch freſſen die Kleinen*. M. Varro apud Nonium:

Natura humanis omnia ſunt paria.
Qui pote plus vrget, piſces vt ſæpe minutos
Magnus comeſt, vt aues enecat accipiter.

De piſcium mutua laniena loquitur, idq; torquet in intolerabilem potentiorum inſolentiam in tenuis fortunę homines, quos bonis omnibus exuere ſolent, miſereq; ſpoliare, ac deglubere. De iis eleganter, vt omnia, Polybius lib. 15. Hiſtor. Nec faciunt, inquit, hoc more tyrannico, ſed modicum aliquem dedecoris prętextum præmittũt, & confeſtim impudenter ac ferociter ſic agunt, vt atrocitas ipſorum vitæ piſcium conformari poſſit: de quibus fertur, quod cùm eiuſdem generis ſint, nihilo tamen minùs minorum perditio maiorum ſit cibus & vita. Sed huius Emblematis argumentum quodammodo cũ Martialis hoc diſticho conuenit:

Dente timetur aper, defendunt cornua ceruum:
Imbelles damæ quid niſi præda ſumus?

III. *Sarda.* *PISCICVLOS ſardas*] Sarda, quæ & Sardina, piſcis exiguus ex pelamidum genere, de quo Plinius lib. 32. cap. vlt. & lib. 9. cap. 15. Ariſtoteles lib. 8. de hiſtor. animal. cap. 3. & 13. Græci vocant τριχίας. Et hæ ſunt, quas Hiſpani *Sardinas* vocant, aut parum ab iis differunt Venetis *Sardelle*, vel vt ego arbitror, *Sardelloni*. Sunt enim hi illis multò minores piſciculi, qui in copia ibidem venduntur.

Aurata] Aurata, quæ & Orata, Græcis χρύσοφρυς, Italis *Orada*, Venetis *Oraia*. Piſcis eſt marinus, optimi ſaporis, ab auri colore dictus, quem aiunt omnium timidiſſimum, in maris reflexu ſub littoralium arborum radicibus ſeſe occultare ſolitum, ibiq; frondium agitatione exterritum facilè capi, quadam velut deditione. Martial. 13. *Aurata.*

Non omnis pretium laudemq; aurata meretur,
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Naturam huius piſcis vide apud Ariſtotelem lib. 8. de hiſtor. animal. cap. 15. Pliniũ lib. 9. cap. 16. & lib. 32. c. 5. & 11. Macrob. Saturn. 3. cap. 15. Ab hoc piſce aliqui Romanorum cognomen acceperunt, vt Sergius Orata, quia primus viuaria eorum inſtituit.

Mergis] Mergus, auis à mergendo dicta: cibum enim in aquis captans ſe aſſiduè immergit: de qua Plin. lib. 11. cap. 37. Huius auis natura eſt, vt ſæpe mergens auræ ſigna colligat, & præuidens tempeſtatem futuram, properè medio reuolet ex æquore, & ad littorum tuta cum clamore contendat, vt teſtatur Virgilius 1. Georg. Prouerbium, *Mergorum inſtar*. de inexplebili ingluuie. Et, *Mergus priùs vitabit aquas*. de re incredibili dixit Ouid. 1. de Ponto, eleg. 7. *Mergus.*

Nam priùs incipient turres vitare colũba,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.

Fulicis] Fulica, ſiue fulix, auis marina, vel ſtagnenſis, paulò ſupra columbæ magnitudinem: de qua lib. 18. c. 35. Plinius. Nomen ſumpſit à colore furuo, id eſt, nigro. Clangore matutino, & cum ludit in littore, tempeſtatem præſagit. Cicero 1. de Diuinat. ex quodam poeta: *Fulica.*

Cana fulix itidem fugiens è gurgite põti,
Nunciat horribiles clamans inſtare procellas.

VT nullo nõ loco ditiores, & qui ſunt IV.

ampliori

Diuitum ſemper tuta ſtatio, pauperũ non item.

ampliori fortuna, tutum in præſidium ſe recipiunt: ita miſeri, & aliqua parte infirmi, præcipites in infortunium ruunt, quocumque fugiant, eque Scylla, quod dicitur, in Charybdim decidunt; vt litigatoribus accidit ijs, qui nullis opibus, nulliſq; amicis fauitoribus adiuti, à iudice ad iudicem temerè fruſtraq; prouocant, non minorem ab vno quàm ab alio gratiam inituri. Sic enim dum cadere cauſſa timent, in diſpendium nocentius & grauius vt plurimum veniunt, tametſi iure diſceptent, & ex æquo bonoque, non dolo vel fraude aliqua, de ſua in integrum reſtitutione agitent. Enimuerò, quod ait Comicus, pauper dum nihil habet, quod offerat in iudicio, non ſolùm non contemnitur, ſed etiã aduerſus veritatem opprimitur. Conſidera, quæſo te, noſtra tempora.

Fori hodierni deteſtatio.

Vbi vnquam tot fuerunt vllo in ſæculo tribunalia, & minor iuſtitia? Vbi vnquam tot ſenatores ac magiſtratus, & minor Reipublicæ cura? Quando plures fuerunt leges, & cauſæ deterius terminatæ? Vbi tot iudices, ac tot aduocatorum, notariorumq; & Harpyiarum forenſium turmæ, & minus accepta cauſa pauperis, pupilli ac viduæ, eorumq; iura minùs defenſa? Denique quando vnquam lites adeò damnoſę & immortales fuere? Lites enim quædam ſunt menſtruæ, quædam annuæ, quædam bima, trima, quadrima die vix bene conſtitutæ ſunt. Quædam non tantum luſtrales, ſed etiam ſæculares ſunt, ad quas auſpicandas Neſtore adoleſcente, ad finiendas porrò ſeneſcente opus eſt, niſi hæredibus mandaturus ſis. Vnde iuſtiſſima exorta fori vituperatio. Anacharſis Scytha forum deſtinatum eſſe locum, ait, ad fallendum inuicem, atque ad dandas auaritiæ manus. Plutarchus dicit, forum eſſe ἀσεβῶν χώραν. *impiorũ regionẽ.* Sed quid dico de iudicijs & tribunali, cùm nec in abiectiſſimis angulis, & officinis acceptus ſit is, qui manum æratam non habuerit? Ecce tibi hiſtoriam.

Pauper ob amorẽ Dei raſus.

Pauper quidam ingreſſus tonſtrinam, ob amorem Dei tonderi orauit, quia nihil ſibi eſſet pecuniarum, quo operam tonſoris conduceret. Tonſor arrepta hebeti nouacula, tanta inclementia miſerum radit, vt ad ſingulos tractus lacrymæ ex oculis vbertim manarint. Interea canis in culina acerbè verberatus magno eiulatu in officinam proſilijt. Quo conſpecto, pauper ceu parem ſortis iniquitatem in animali miſertus, exclamauit: O canis, quid tibi aduerſi accidit? num & tu ob amorem Dei raſus es?

Alius ab aulicis malè tractatus.

Nihilo clementiùs exceptus fuit aliquando pauperculus quidam in aula ſui Prætoris, etenim cum famulis non aduertentibus vſq; in conclaue Prætoris ſuam cauſam dicturus irrepſiſſet, ſtatim à quodam, calce impacto de ianua eijcitur: vbi alij obuius factus, ab eodem de gradibus deturbatur. Iacentem excipit ianitor, qui eum non modò inclementer domo eijcit, ſed & longiùs verberibus proſequitur. Hic miſer ille memor prouerbij, aulicum eſſe iniurias accipere, & inſuper gratias agere, cõuerſus ad ædes inquit: Quàm bene in hac domo ſunt diſpoſita ſingula, vbi officia ſibi datatim ſuccedunt. Vides itaq; pauperem vbiq; eſſe contemptui, & vbi oratas effugerit, mergis & fulicis obijci. Ad Emblema illuſtrandum, meo quidem iudicio, huc reuocanda erit hiſtoria Hipperidis Oratoris, cuius exilium miſerum Plutarch. in vita decem Rhetorum deſcribit. Sed tympana concrepant: obmuteſco, infirmitatis propriæ conſcius.

Vel

Vel poſt mortem formidoloſi.

EMBLEMA CLXXI.



CAETERA muteſcent, coriumq́ ſilebit ouillum,
Si confecta lupi tympana pelle ſonent.
Hanc membrana ouium ſic exhorreſcit, vt hoſtem
Exanimis quamuis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziſcas, in tympana verſus,
Boemos potuit vincere Pontifices.

COMMENTARII.

I. DVO tympaniſtæ cū ſuis aſtant tympanis; quorum vnus magnum pulſat, alter verò minus, ſed cui altera manu fiſtulam iungit, more Gallico.

II. ANTEQVAM preſens Emblema explicemus, quædam ſunt à nobis prælibanda, vt Epigrammatis ipſa πρότασις apertior ſit; eſt enim ſimilitudo perelegans. *Multa re-* Multa quidem in maieſtate naturæ recondita latere concedēdum eſt, quæ ingenioſi & ſollertes homines nondum ſatis videntur excuſſiſſe. Quapropter Alexander Aphrodiſæus in Præfat. Problem. quæſtiones ait quaſdam eſſe penitus inexplicabiles, ſoli Deo cognitas, qui ſcilicet earum exiſtentiæ auctor ſit. Hæ à Medicis occultæ proprietates appellantur: de quibus cū mentio fit in ſcholis Medicorum & Philoſopho-

rū cauſſæ hominibus incognita.

Occultæ proprietates.

ſophorum, feſtiuî quidam & iocoſi homines vulgari ſcommate, Pontem aſinorum appellant. Prauè aũt nonnulli harum ſolutiones quaſdã proponunt, quę nec ratione, nec probabilitate nituntur. Earum enim cognitio excedit humani ingenij captum. Quis.n. hactenus vnquã abſq; hæſitatione veras & ſolidas rationes afferre potuit, cur palea ſuccino trahatur? Cur à ſolis corylorũ ſurculis bifidis, & non itẽ ab alijs fruticibus venæ auri argẽtiq; feraces detegantur? Cur ſanguis ex interfecti cadauere, vel mẽbris inde abſciſſis, præſente homicida, etiã diu poſt perpetratã cędem fluat? quã uis hoc ſatis veriſimiliter poſt Ariſtotelẽ, Galeotus, nec non Hieronymus Maggius, & Marſilius Ficinus præſtare conati ſint, quod etiam Bodinus notauit. Quis, obſecro, explicare poterit, quare tam ſubitò turbines & procellæ oriantur ventorum, cum ſeipſum deſperabundus aliquis infelici reſti, ſuſpenderit? Quis porrò rectè perſcrutatus eſt (licet Ioan. Baptiſta Porta, & Iulius Scaliger eruditè de hac re diſputẽt) quare magnes ab vno latere interdum ferrum attrahat, ab altero repellat? verùm ſi allio illinatur, aut fimo tegatur, vires ſuas attrahendi vel repellẽdi tamdiu amittat, donec vino abluatur? ſeſeq; in ſingulis aut verſus meridiem, aut verſus ſeptentrionem obuertat? Quare qui primùm magnetis virtutem trahẽtis ferrum agnouerit & viderit, non poteſt non illicò in admirationem rapi, quod ipſe D. Auguſtinus ſibi vſu veniſſe fatetur, lib. 21. de Ciuitate Dei, cap. 4. & 5. Neq; ſatis eſt, ſi aliqui harum rerum arcanam quandam vim tam vulgò tritam nobis obtrudant. Quomodo enim definient occultam illam vim, de qua nihil præter nomen poſſunt oſtendere? Apponere poſſumus exempla in concordia vel diſcordia multorum animaliũ, vel etiam animantium, in quibus ſentiendi facultas nõ eſt: quibus tamen (quia longum eſſet) prætermiſſis, attingam tãtum, quæ ad hunc locum propriè attinẽt, quęque auctores non pœnitendi ſcriptis mandarunt. Odium luporum & ouium tam naturale eſt, vt ſi lupina pelle tympanum conficiatur, oues ſonum exhorreſcant, ac ſi lupus prope gregem conſiſteret. Sunt etiam qui aſſeuerent, harmoniam nullam vnquam coituram ex ouis lupíque tenſis ad concentum viſceribus. Adijciunt præterea, ſi lupina pellis in ouili pendeat, oues pauore conterritas omninò paſtum negligere: vtq; leonina inficit aliorum animalium pelles, ſic ouinam à lupina exedi & conſumi dicunt. Sic aquilæ plumæ columbinis commiſtæ eas deuorare & comminuere creduntur. Plinius lib. 10. ſcribit, gallinam magnopere horreſcere accipitrem, vt etiam ſi vocem audierit tantiſper dum incubat, oua vitientur. Quod ſanè fit virtute quadam interna & nemini cognita. Quare qui rei tam abſtruſæ & inuolutæ rationem conetur reddere, nihil certè adfert, ſed vt Siſyphus verſans ſaxum, ſudabit nitendo, neq; tamen proficiet hilum. Ait itaq; Alciatus: Tympanum ex lupino corio confectum ſi pulſetur, aliud ex ouillo corio adiacens exhorreſcit, vt propemodum nullum ſonitum edat, tametſi ouis membrana lupum mortuum non ſentiat: Eodem modo Ziſcas in tympanum verſus, quibus in vita fuerat imbello formidoloſus, poſt mortem etiam eiſdẽ terrori fuit. Sed quid ad hęc? aut vnde iſte terror ipſiſſima terroris ſublata cauſa? Id quidem in opinione poſitum nemo non videt.

Magnetis miracula.

Diſſidiũ luporum & ouiũ.

CÆTERA muteſcent] Si tympanum fiat ex pelle lupina, & propè adſit aliud è pelle ouilla, conticeſcet hæc. III.

Coriumq; ſilebit.] Corium pro pelle abuſiuè, quòd pelli corium adiaceat.

Membrana.] Superior pellis. Ea & charta Pergamena dicitur, quòd eius primùm vſus Pergami, Eumene regnante, cœperit. Etenim cum Ptolemæus Philadelphus inſignem bibliothecam, in qua ingens librorum numerus, ad millia fermè voluminũ ſeptingenta haberetur, inſtitueret, vt ait Paulus Oroſius lib. 6. cap. 15. Eumenes verò (quem Ælianus & Hieronymus Attalum vocant, communi omnibus Pergami regibus nomine, ſicut Ægyptij reges omnes Ptolemæi fuerunt indigetati) æmulatione ductus, aliam, qua eum ſuperare conabatur, inſtauraret: euenit, vt Ptolemæus id reſciſcens prohiberet, ne papyrus ex territorio ſuo exportaretur, atq; vt hoc modo facultas præciſa eſſet Eumeni, chartæ inde confectæ libros conſcribendi. Verùm Eumenes id intelligens, Pergami alium conficiendæ chartæ modum inuenit. Excoriatis enim animalibus, è membranis pelle proximis chartam ſcriptioni aptam fecit

De origine chartæ Pergamenæ.

fecit

Membrana. fecit, quæ Membrana, à tactu membrorũ animalium, vel quod corium aut pellem Latini membranam dicunt, fuit nuncupata: vti & Pergamena, ab vrbe Pergamo, in qua primum fuit reperta, teſte Varrone, & Plinio lib. 13. cap. 11. Ioſephus tamen lib. 12. Antiquit. Iudaic. author eſt, Eleazarum principem Sacerdotum Biblia in ſubtiliſſimis membranis conſcripta cum ſeptuaginta duobus interpretibus ad Ptolemæum Philadelphum miſiſſe. Quod ſi ita eſt, dicamus oportet, membranam etiam ante Eumenem repertam fuiſſe quidem, ſed Eumenem magnam illius copiam præparari curaſſe, & per Aſiam & Græciam diuulgaſſe: ideoque eius authorem fuiſſe laudatum. Hæc ferè ex Pancirollo, de rebus memorab. Henricus Salmuth, elegantiſſimus Pancirolli ſcholiaſtes, membranæ originem quoque facit temporibus Ptolemæi & Eumenis priorem. Nam & Diphtheram ſunt qui interpretentur pellem ea præ, quę Iouem lactarit: in qua creditum eſt antiquitus illum omnia ſcribere, quæ fierent. Vnde quæ nec in Hiſtoricorum libris extarent, nec in hominum memoria ſeruarentur, ea velut ex Iouis Diphthera petita dicebantur. Nec deſunt, qui ſub pelle velleris aurei, quod Argonautæ ex Colchide aduexerunt, intelligant Diphtheram, hoc eſt, librum ex membranis veterum more confectum, & arcana eius artis, quam Chymiam vocant, pandentem, quo ſcilicet auri conficiendi ſcientia continebatur: meritoq; eam membranam appellatam fuiſſe auream, propter emolumẽtum, quod ex ea acquirebatur. Vide etiam Herodotum in Terpſichore, vbi Ionas pellibus vſos ob chartæ inopiam, ſcribit.

Diphthera quid ſit.

Exanimu quamuis, &c.] Licet ouis exanimata non ſentiat exanimatum lupum.

Ziſca vel Ziſcas Boemus. *Sic cute detracta Ziſcas.*] Ziſca, vel Ziſcas, dux bellicoſiſſimus, in Teutones & Boemos diu ſatis acri Marte conflictatus eſt. Itaq; Sigiſmundus Imperator, cùm videret Ziſcæ cuncta ex animi ſentẽtia proſperè ſuccedere, & iam illum eſſe vnum, ex quo res Boemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentauit. Ille opimis conditionibus ab Imperatore oblatis annuens dum ſe itineri accinxiſſet, peſte tactus expirauit. Ferunt illum, cùm ægrotaret, rogatum quo loco mortuus vellet ſepeliri, iuſſiſſe cadaueri ſuo pellem adimi, carnes volucribus ac feris obiectari, ex pelle tympanum fieri, eoque duce bella geri, indeq; arrepturos fugam hoſtes, quum primùm eius tympani ſonitum audirent. His adiecit Albertus Crantzius, feciſſe amicos quod ille iuſſerat, & reperiſſe quod promiſerat. Hoc vnum præclarè aiunt ab eo factum, quòd ſectam Adamitarum deleuerit. Notum eſt, eum partibus Huſſitarum prorſus fauiſſe; Pragæ loca ſacra templaque deleuiſſe, in Catholicos, potiſſimùm ſacerdotes, crudelem & implacabilem animum geſſiſſe, idq; Catholicis, quod Aſſur Iudæis, fuiſſe. Inſignis bellator, quãquam cęcus. Inter laudatiſſimos Principes, rei(q;) bellicę gloria illuſtres haberi poterat, niſi quædam flagitia laudem obſcuraſſent. Retulit Aeneas Syluius 3. Comment. De reb. geſtis Alphõſi, & poſt eum Cochlæus libro 5. hiſtoriæ Huſſitarum.

IV. *Amabiles poſt mortem.* V T nonnulli ob virtutum ſplendorẽ, vel etiam morum facilitatem, poſt mortem ſui memoriam acceptam poſteris & amabilem relinquunt: ſic alij morum ferocitate, & inſigni quadam crudelitate, quamquam pridem extincti ſint, ſui vnica memoria terrorem animis incutiunt: vt apud Turcas Ioannis Hunniadis ducis fortiſſimi ſuperſtitem famam permultùm formidabilem extitiſſe, hiſtoriarum monumentis proditum; huius enim nomen vſq; adeo terrificum fuiſſe dicitur, vt nutrices ad ſiſtendum puerorum vagitum Hunniadem adeſſe ſimularent. Sanè exemplum Ziſcę Boemi memorabile eſt ac ſtupendum, qui etiam poſt mortem ſuos hoſtes inſolito planè modo terrefacere & fugare potuerit. Fortaſſe ad hunc locum nõ inconcinnè referre auſim clamorem, Haronis, apud Normanos in viu pridem habitum, interdicti genus, ex eo ductũ, quod Haro dux Normanorum, tam terrificum ſuis nomen eſſe voluit, vt eius nominis acclamatione ab omni vi & incepto ceſſaretur. Sed nunc temporis ea non abit impunè acclamatio, ſi temerè fiat. Seneca 9. Controuerſ. 5. Cùm Polyxene eſſet abducta, vt ad Achillis tumulum immolaretur Hecuba dixit:

Terrifici poſt mortem.

Ioan. Hũniades.

Haro Normanorum.

——cinis ipſe ſepulti
In genus hoc pugnat.

Poterat hoc cõtentus eſſe Scaurus auctor, adiecit tamen,

——tumulo quoq; ſenſimus hoſtem.

Idem

Idē eſt in declamationib. lib. 4. 5. Et apud Tragicum Senecam Troade, conqueritur Hecuba, quòd poſtuletur ad mortem tumulo Achillis immolanda:

Adhuc Achilles viuit in pœnas Phrygum:
Adhuc rebellat.

De Achille mortuo loquitur, ſed qui tamen adhuc ſpirare videatur vltionem. Ad eum modum Cicero in Miloniana queritur de curia incenſa Clodij buſto, quam culpam omnem confert in Clodium, quaſi poſt mortem furentem & bacchantem, vt cùm in viuis eſſet: Excitate, excitate, inquit, eum ſi poteſtis ab inferis: frangetis impetum viui, cuius vix ſuſtinetis furias inſepulti? Et illud ex eadem oratione? Quid vultu extimuiſtis? quonam modo vos ille viuus affecerat, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? Nos etiam nunc vel poſt ſæculum non vnam rabiem Gothicam & Vandalicam exhorreſcimus, & πανολεθρίαν abominamur, qui ſuo funeſto tranſitu Gallias deuaſtarunt, Hiſpanias ſibi diu parere coegerunt, & Italicum ipſum ſolum impudentiſſimè poſſederūt, omniaq; incendijs ac cineribus fœdiſſimis compleuerunt; imò teterrimam barbariē inuexerunt, adeo vt ipſa barbarorum vocabula nobis terrorem incutiant. Sed placet vetera cum recentibus, vt ſeſe offerunt, aggregare, & quæ in primis faciant ad argumenti huius nō iniucundam δύλασιν. Suetonius Tranquillus: Tiberij morte (inquit) ita lætatus eſt populus, vt ad primū nuncium diſcurrentes pars Tiberiū in Tiberim clamitaret: pars terrā matrē deoſq́ue manes oraret, ne mortuo ſedem vllam niſi inter impios darent, &c. Cùm ſenatuſconſultum actum eſſet, vt pœna damnatorum in decimum ſemper diem differretur, fortè accidit, vt quorundam ſupplicii dies is eſſet, quo nunciatum de Tiberio erat. Hos implorantes hominum fidē, quia abſente adhuc Caio, nemo exſtabat, qui adiri interpellariq; poſſet, cuſtodes ne quid aduerſus conſtitutum facerent, ſtrangulauerunt, abieceruntq́ue in Gemonias. Creuit igitur inuidia; quaſi etiā poſt mortem tyranni ſæuitia permanente. Scribit Plutarchus problematis, cùm bellum eſſet inter Samios & Prienenſes, initio damnis quibuſdam ſe mediocribus affeciſſe, poſt iuſto commiſſo prælio Samios à Prienenſibus occiſos: ſeptimo poſt anno congreſſos cum Mileſiis, primos quoſque ſimul vno certamine amiſiſſe. Ergo poſt hanc acceptam cruētam cladem Prienenſes fœminæ per tenebras, quæ circa quercum erant, obteſtari ac deierare cœpiſſe, quòd liberos, parentes, maritos, chariſſima pignora eo loco amiſiſſent. Hactenus Plutarch. Nos hic de Lamiarum terricula *Lamia.*
mentis facilè ſileri patimur, de quibus quod ſit Diodori Siculi iudicium, vide lib. eius 20. Quò refero, quæ de Empuſis cre *Empuſa.*
didit antiquitas, de quibus Philoſtratus lib. 4 de Apollonij vita, & elegantiſſimè Philippus Camerarius Oper. ſuccif. cap. 70. Strabo lib. 1. putat eſſe fabulam, & Apuleius vetularum territamenta dicit, ſicut quod de Manduco priſci Romani, *Manduco*
quod nomen terrificum obiectabant ad in *Romanorum.*
cutiendum metum, vt queruli & eiulantes pueri eo ſpectro cohiberentur. Nunc quoque in Lombardia opinio credulum mulierculorum genus adeo occupauit, vt etiā ad viros quoſdam pertingat: vagari nimirum ſpectrum nocturnum, in varias formas ſe tranſmutans, eiulatus edens, & ſe in aquas præcipitans, quod ſua lingua *l'Orco* vocant. Quidquid ſit, conſtat certè *L'Orco*
olim ethnicis cordatioribus, præceptiſque *Lombar-*
philoſophicis ſolidioribus imbutis, firmi- *dorum.*
ter perſuaſum fuiſſe, viris bonis & fortibus huiuſmodi ſpectra & ſimulacra nocturna non facilè apparuiſſe: ſed pueris, mulierculis, vecordibus atq; ægrotis, qui propter animi imbecillitatem aſſidua formidine exagitantur, ij enim putant videre per hallucinationis ſpeciem phantaſmata, ad quæ rapiuntur inani & phantaſtico attractu, quæ reuera non vident, quæque etiam nuſquam ſunt. Sed ad rem. M. Tullius in Lælio: De imperio in Italia decertatum eſt cum Pyrrho & Annibale: ab altero propter probitatem eius non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem ſemper hæc ciuitas oderit. Quodammodo huc facit, quod Tullius idem queritur de ſtatua Verris erecta in curia, quæ à ciuibus ſine gemitu aſpici nō poſſet. Vide action. 2. & 4. in Verrem. Ad laudationem principis victoris pertinet hoc Lucani lib. 9.

——princeps facit omne timendum
Victor, et in nulla non creditur eſſe carina.

Et Polybius lib. 4. principum manſuetudinem tantum poſſe in ſubditos, vt nō præ

ſentes

ſentes modò, ſed etiam maximo diſparatos ſpatio quoſdam ſui amoris & beneuolentiæ igniculos hominum pectoribus immittere, atq; relinquere ſoleat. Q. Curtius lib. 5. Nomen Alexandri & fama (maximum in bello vtiq; momentum) in fugam conuertit. M. item Cicero 3. Verrina: Cùm tui nominis terror in auribus, animiſq; armatorum verſaretur. Hoc ad vituperationem Verris, cuius odioſum paſſim nomen exſecratur: nec minùs quàm Romani poſteri, quos nauſea capiebat, ſicubi audirent vſurpari nomen Heliogabali aut Baſſiani etiam mortuorum, qui memoriam ſui fœdiſſimam reliquiſſent poſteris. Contrà Vopiſcus in Probo: Tetēdit iter per Thracias, atque omnes Getulicos populos, fama rerum territos, & antiqua nominis potentia preſſos. Hæc obiter, & fortaſſe ad nauſeam vſq;

Nomen ipſum interdum formidabile.

Iuſta vindicta.

EMBLEMA CLXXII.



DVM reſidet Cyclops ſinuoſi in faucibus antri,
Hæc ſecum teneras concinit inter oues:
Paſcite vos herbas, ſocÿs ego paſcar Achiuis,
Poſtremumq; Vtin viſcera noſtra ferent.
Audijt hæc Ithacus, Cyclopaq; lumine caſſum
Reddidit. En pœnas vt ſuus auctor habet.

COM-

COMMENTARII.

I. SEDET inter ſua pecora in vaſto antro Polyphemus, immanis gigas, vnũ oculum in fronte habens, claua armatus, cui Vlyſſes ex inſidijs trabe acuminata oculum effodit.

II. *Polyphemus, & eius hiſtoria.*

VLYSSES, Troia iam excisa, cùm domum repeteret, vi ventorum in Siciliã pulſus, ad Polyphemi ſedes appulit. Hic Gigas fuit vnoculus, ingentis magnitudinis, feritate implacabili, qui hoſpites ſoleret enecare, eorumque carnibus pro cibo veſci. Vlyſſes itaq; relictis ſocijs cum naui in portu, ipſe duodecim comitatus antrum Polyphemi ſubit. Qui vbi venit è paſtu, ſaxum quod duo & viginti quadrijugi currus attollere nequirent, appoſuit oſtio. Aduenas deinde interrogat, qui ſint, vnde, & quò. Quibus cùm reſpondiſſet Vlyſſes, Cyclops duos è ſocijs arripuit, ſoloq; tanquam catulos illiſit, deuorauitque, abijtq; dormitum, quem Vlyſſes per inſidias interfeciſſet, ſi ianua potuiſſet aperiri alijs quam Cyclopis viribus. Manè antequam paſtum iret Cyclops, duos ſimiliter conſumpſit, abijtq; occluſa ianua. Tum Vlyſſes excæcandi Cyclopis cepit conſilium. Reuerſus Polyphemus, noctu de more duos cœnat. Cui Vlyſſes quaſi ſubblandiens poculum vini (vtrem enim vini Maronij generoſi ſecum è naui attulerat) porrexit, petijtq; ab eo aliquod hoſpitale donum. Ille exhauſto poculo aliud poſcit, itemq; tertium, rogauitq; Vlyſsẽ, qui vocaretur. Ille dixit, ſibi nomen eſſe Vtin. Percunctanti deinde Vlyſſi quodnam munus ſibi daturus eſſet, reſpondit Cyclops: οὖτιν ἐγὼ πύματον ἔδομαι. id eſt: *Vtin ego poſtremum deuorabo.* Sed vini naturæ neſcius alto ſomno eſt oppreſſus, ſui penitus immemor. Ibi tum Vlyſſes & ſocii oleaginum truncum præuſtum magna vi Cyclopis oculo, quem vnicum in fronte habebat, inſeruerunt, vnde acriter ille læſus, effoſſo oculo conſternatus eſt: qui vulneris acerbitate vocem cœpit attollere, vt alios Cyclopas inſolito rugitu excitaret. Hi foris ad oſtium ſtantes quærebant, quis eum percuſſiſſet: cùm ille ſubinde repeteret, οὖτις, οὖτις, (quæ vox Nullum, vel Neminem ſonat) riſerunt, eumq; velut furentem reliquerunt. Sic enim loquitur apud Euripidem;

Vlyſſis aſtus.

Excoculatus ab Vlyſſe Polyphemus.

οὖτις μ' ἀπώλεσεν.

Chorus reſpondet:

οὐκ ἄρ' οὐδεὶς ἠδίκει.

Deinde illud:

οὖτις μὲ τυφλοῖ βλέφαρον. χο. οὐκ ἄρ' εἶ τυφλός.

Manè Cyclops oſtio antri ſemiaperto pertentabat exeuntes oues. Sed Vlyſſes ita diſpoſuerat negotium, vt tres arietes veherent vnum hominem ſubtus, ipſe verò ingentem arietem ſubijt, extremusq; omniũ exiit, & ita morti eſt ſubductus. Totum hoc fuſius apud Homer. Odyſſea 9. Ouid. 14. Metam. Virgil. 3. Aeneid. Compara feſtiuum Luciani dialogum κύκλωπος καὶ ποσειδῶνος. Cicer. 5. Tuſc. Fuſiſſimè quoq; hanc hiſtoriam narrat Iſacius Tzetzes in Lycophronem, quam ne huc traducam, me prolixitas reuocat.

III. *Cyclopes vnde dicti.*

DVM reſidet Cyclops] Cyclopes Heſiodus in Theogonia ideo vocatos ait, quòd vnum tantùm oculum circularem in fronte haberent, ἀπὸ τοῦ κύκλου καὶ ὠπός. Inter hos Polyphemus viribus corporis, formæque magnitudine longè præſtabat. Hunc etiam Polyphemum Galatheam nymphã amantem feſtiuè deſcribit Ouid. lib. 13. Metamorph. De Cyclopibus vide Virgilium 3. Aeneid. Philoſtratum in Iconibus, tit. *Cyclops.* Alciatum lib. 9. cap. 12. Parerg. Natal. Comit. lib. 9. Mytholog. Tria verò Cyclopum genera agnoſcunt Græci, vnum eorum, qui Mycenas mœnibus communierunt: alterum eorum, qui cum Polyphemo memorantur: tertios intelligunt Deos. Cœl. Rhodigin. lib. 24. cap. 28.

Tria Cyclopum genera.

Sinuoſi in faucibus antri] ſpeluncę tortuoſæ Sic Virgilius dixit 6. Aeneid.

Veſtibulum ante ipſum primisq; in faucibus Orci.

Et hic noſter in Emblemate primo:

——ſinuoſi è faucibus anguis,

Achiuus.] Achiui, ἀχαιοί, Gręci: & nõnunquam pro quolibet populo ciuili. Horatius:

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Achiui.

Catull. in Argonaut.

Nam ſimul ac feſſis dederit fors copiam Achiuis.

Poſtremumq; Vtin, &c.] Οὖτιν ſe poſtremò voraturum bellè prædixerat, & οὔτινα,

οὖτις. Vtin

οὔτινα, id eſt, *neminem.* vorauit: imò ab eo, qui quanquam eſſet οὔτις, aliquis erat, exoculatus eſt. *Suppliciũ differre, graue.* Tamen ſupplicium differre diutiùs, grauiſſimum habitum: & ſtatim puniri ſcelus, beneficij loco eſt, vt in hiſtoria Machabæorum lib. 2. cap. 6. Non paruù, inquam, beneficij loco habitum, vt quis prior interficeretur: exemplum eſt apud Corn. Tacitum 1. hiſt. r. vbi Othonis facta crudelia percenſet: Titus Vinius, inquit, ad hoc tantùm maiori fratri prælatus eſt, vt prior occideretur. Idem etiam hodie obſeruatur in ſuppliciis à reis ſumendis, nam qui leuiori digni cenſentur pęna, ſemper ad ſupplicium primi ducuntur. Vide adagium, *Cyclopis donum.*

Audijt hac Ithacus] Vlyſſes, qui rex erat Ithacæ inſulæ, vt alibi dictum.

Caſſus lumine. *Lumine caſſum.*] Cæcum. Virgil. 2. Aeneid.

——*Nunc caſſum lumine lugent.*

Idem:

Nullum cũ victis certamẽ & æthere caſſis.

& Lucretius:

Nunc potis eſt cerni quod caſſum lumine fertur.

Auſonius Parentalib.

Saucius extincto corpore caſſus eras.

Sic enim poetæ interdum vſurpant lumine caſſum, & luce carentem, pro mortuo: *Lucem relinquere.* vt & lumina lucemq; relinquere. Virgil. in 4.

Quò magis inceptum peragat, lucemq; relinquat.

Catullus:

Nobis cùm ſemel occidit breuis lux.

Lucretius:

Lumina ſic etiam Solis bonus Ancus reliquit.

En pœnas vt ſuus auctor habet] γνώμη. Nec verò

——*lex eſt iuſtior vlla*

Quàm necis artifices arte perire ſua.

Fraudem in ſuum auctorem retorqueri dignum eſt, l. penult. C. de legat. Ouidius:

Diſcat in auctorem pœna redire ſuum.

Alludit autem ad alia, quę mox conſultò adferemus:

IV. *Malo malè euenit.* MONEMVR hic, ne quis ſibi perſuadeat ſceleſtus, quantumuis immanis, potens, & temerarius, ſe non tandem pœnas daturum ei, quem aliquando læſit, & ſic præmia ſuis factis digna, etiam præter expectationem accepturum: haud enim bene ſuccedunt facta improba, ſed vt quis ſementem fecerit, ita & metet; & eueniet malo malè, vt in prouerbijs eſt. Vera eſt itaq; Heſiodi ſententia, quum ait in opere, cui titulus eſt ἔργα κ̀ ἡμέραι.

οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τεύχων.

Ipſum ſe lædit, aliumq́ qui lædere quærit.

Et, quod prouerbio fertur, κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη. *Malum conſilium, conſultori peſſimum.* *Qui alijs malum ſtruit, ſibi arceſſit.* Et, Ruinam ſibi fabricat, alijs qui fabricat. De hac re habemus innumera exempla, quæ non tantùm olim, ſed noſtro tempore acciderunt. Notabile eſt illud de Baiazete I. capto à Temiro Scytha, qui vulgò Tamerlanes dicitur. *Baiazetes.* Is enim ab hoc interrogatus, ſi in eius poteſtatem veniſſet, quid facturus fuiſſet, ferociter reſpondit: Equidem te, ſi fortuna propitia meam in poteſtatem veniſſes, ferrea concluſum cauea meecum hinc inde circumducerem. Quo Temir audito, mox è ferro caueam parari iuſſit, & in eam carceris loco Baiazetem incluſit, donec contumeliarum impatiens caput ad illam illideret, & indignabundus animam efflaret, ſicut latiùs in Annalibus Turcicis refertur. Propiora tangem. Scribit Rob. Gaguinus lib. 9 cap. 8. Hiſt. Franc. de quibuſdam captis à Carolo VI. Gallorum Rege in arce quadam Selandiæ, hoc modo: *Captiui in Selandia.* Captiuis aliquot quum mortem Carolus remitteret, mori maluerunt: quorũ vnus, tametſi ſanguinis gradu alios contingeret, eos tamẽ ſupplicio afficere, ſi ſaluus euaderet, ſe obtulit. Itaq; immanis carnifex concaptiuos conſanguineoſq; necauit. Deteſtatus autem Rex hominis impietatem, pari eum pœna plecti iubet. Corn. Tacitus 6. Annal. vbi de multis ob amicitiam initam cum Seiano periclitantibus, iuſteq; damnatis: quò lætius acceptum, *Doloſi dolo capti.* ſua exempla in conſultores recidiſſe: Seneca Epiſt. 95. Ideoq; cùm multis fuerũt mali (loquitur de Alexandro, Cn. Pompeio, C. Mario) peſtiferam illi vim, qua plerisq; nocuerant, ipſi quoque ſentiunt. Claudian.

Quam bene diſpoſitum terris, vt dignus iniqui

Conſilij fructus primus auctoribus inſtet.

Chori verba ſunt apud Euripidem de Lyco interfecto ab Hercule:

——ἀντίποινα δ' ἔκτίνων

Τίλ-

Τόλμα, διδοὺς γε τῶν δεδραμένων δίκην.

Talionem perſoluens ſuſtine, dans pœnam ob patrata ſcelera. Sed properanti mihi occurrit illud Victoris Aurelij in Vitellio: Huius tempore Veſpaſianus, ait, in Oriente principatum arripuit: à cuius militibus certamine ſub muris vrbis ſuperatus, è palatio, quo ſe abdiderat, Vitellius, vinctis à tergo manibus productus circumducitur ad ſpectaculum vulgi: ac ne homo impudens, in extremis ſaltem, malorum, quæ geſſerat, rubore faciem demitteret, ſubiecto in mentum gladio, ſeminudus, mulris cœno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum eius inceſſentibus per ſcalas Gemonias trahitur, vbi Sabinum Veſpaſiani fratrem necari permiſerat, numeroſis ictibus confoſſus interijt. Hæc Victor. Manet itaq; veriſſimum id, quod olim prolatum fuit ab oraculo:

Vitellij mors.

οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξει, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.
Qualia quuq; facit, talis finis manet ipsũ.

Vix autem puto exemplum adduci poſſe, quod huic meditationi magis cõueniat, quam Maioris Amirati magni Gulielmi Siciliæ regis. Is enim dum libidine imperandi, licet ex humili genere eſſet ortus, varia conſilia interficiendi Regis tractat, tandem à Matthæo Bonello nobiliſſimo iuuene, & ſuo genero deſignato interfectus eſt. Quam hiſtoriam præ cæteris memorabilem latè & eleganter deſcribit Hugo Falcandi de Siciliæ calamitat lib. 6 cap. 5. ad quem ſtudioſum lectorem remitto. Id ipſum confirmat Aelius Lampridius, vbi de inſidijs Antonini Heliogabali contra Alexandrum Cæſarem, qui poſtea Seuerus fuit appellatus, ita ſcribit: Sed nihil agunt improbi contra innocentes: nam nulla vi quis adduci potuit, vt tantum facinus impleret, cùm in ipſum magis conuerſa ſint tela, quę parabat aliis, ab his, que ſit interfectus, quibus alios appetebat.

Amiratus Regis Siciliæ.

Verùm cùm hæc meditatio magnam cognationem cùm Emblemate ſequenti habeat, ea, quæ hic deeſſe videntur, ex illo ſtudioſus lector petere poterit. Sed huius Emblematis argumẽtum ſpecialius in eos torqueri poterit *δημοβόρυς* tyrannos, & Reipubl. peſtes infeſtiſſimas, qui diuina tandem ira vitali lumine priuantur, vel ad exitium morte grauius, aut infamiam & maximam capitis diminutionẽ præcipites ruunt, cũ interea quibus potiſſimũ terrori fuerant, rideantur & conuicijs proſcindantur. Meminit, ſed aliorſum, Brodęus Miſcellan. 2. c. 7. hoc tandẽ obiter. Seruius ad 3. Aeneid. alio torſit fabulã de exoculato Cyclope. Cyclops, inquit, vir fuit ſapientiſſimus, & ob hoc oculũ in capite habuiſſe dicitur, id eſt, iuxta cerebrum, quia prudentia plus videbat. Verùm Vlyſſes eum prudentia ſuperauit, & ob hoc fingitur eũ excæcaſſe. *Cyclops excæcatus*, adagium eſt ſcitiſſimum de potentia magna, quæ ducis prudentia, quam eſſe animæ oculum, honeſtiſſima quadam metaphora Plato dixit, exuta, & (vt ſic loquar) exoculata ſit. Prouerbij origo ab hiſtorica demanauit fide: etenim poſteaquam veneno interijt Magnus Alexander, ſicut Plutarchi doctiſſimi teſtantur monumenta, dixit Demades orator, ſiue is Leoſthenes fuerit, copias illius bellandi artibus & ſtrenuitate longè præcipuas Cyclopi excæcato videri conſimiles, quoniam robore peritiaq; præcellerent, ſed duce, qui electiſſimum exercitum ritè ductaret, forent exorbatæ. Non percurram Græcorum ſcholiaſtum allegorica placita, ſed Heraclidis Pontici dumtaxat explicationem ad Homericam Odyſſeam: qui ait, Cyclopem nominari affectum ratione priuantem:

In tyrannos δημοβόρυς.

Cyclops quid Seruio.

Cyclops excæcatus.

Κύκλωψ ὠνόμασται ὁ τοὺς λογισμοὺς ὑπολαβών.

Iuſta vltio.

EMBLEMA CLXXIII.



RAPTABAT volucres captum pede coruus in auras
Scorpion, audaci præmia parta gulæ.
Aſt ille infuſo ſenſim per membra veneno,
Raptorem in Stygias compulit vltor aquas.
O riſu res digna: alijs qui fata parabat,
Ipſe perit, proprijs ſuccubuitq́; dolis.

COMMENTARII.

I. CORVVS in ramo arboris ſedens roſtro ſcorpium tenet, qui ſtrictis armis ſuis, nempe cauda aculeata, hoſtem ſuum ferit, & veneno infuſo perimit.

II. *Coruus ſerpentē.* SIMILE eſt apud Aeſopum de Coruo cibum quæritante, & ſerpentem in aprico dormientem corripiente, à quo lethiferum ſpiculum ſentiens, iuſtam in ſe vltionem animalculi viliſſimi ſenſit. Carmen ipſum petitum eſt ex Græco Archiæ, lib. I. Græcorum Epigram. tit. *εἰς δίκην.* *Emblematis typus.*

ἔν πότε παμφαίνοντι μελάντερος αἰθέρι γυμνῶν,
σκορπίον ἐκ γαίης εἶδε θοροντα κόραξ.
ὃν μάρψας ὤρουσεν· ὁ δ' ἀΐξαντος ἐπ' ὕδας,
οὐ βραδὺς, εὐκέντρῳ πῆξαν ἔτυψε βέλει,

καὶ

κ̀ ζωῆς μὲν ἄμερσεν. ἰδ' ὅσσον ἔτευχεν
ἐπ' ἄλλῳ,
ἐκ κείνου τλήμων αὐτὸς ἔδεκτο μόρον.
Scorpius è terra prorepſerat, idq́; vidente
Coruo, qui cœlo victitat in liquido;
Corripuit viſum, fugitq; ſed hic vt humum ales
Contigerat, telo mox ferit atq; necat.
Ecce tibi, quod in hunc anus inſidioſa parabat,
Inde ſibi accinit ipſa necem miſera.
Aliquando conſpicuo in æthere nigrior ſe vibrans,
Scorpiũ è terra vidit exilientẽ coruus.
Quem correpturus irruit: at ille [ſcorpius] eius qui irruiſſet ad ſolum:
Non tardus multùm aculeata pedem percuſſit ſagitta,
Et vita eum priuauit. Ecce quantum [quiſq;] fecerit in alium,
Ex illo miſer ipſe accepit necem.
Quendam conſpicuo ſe coruus in æthere vibrans,
Scorpion intuitus qui volitabat humo eſt.
Quem dum correptum tenuit, percuſſit inermem
Raptoris corui cuſpis acuta pedem.
Atq; neci dedit hunc. In quemquam qui facit, ecce,
Illi tantundem debita fata luet.

III. *RAPTABAT volucres &c.*] Coruus dum prædam in aere quæritat, & ſcorpionem pede arreptum tenet, vt illum deuoraret. Virgil. 5. Æneid.

——iuuenis volucrem diuerberat auras.

Scorpius. *Scorpion*] Scorpio, vel Scorpius dicitur ἀπὸ τοῦ σκορπίζειν τὸν ἰόν. *ab ſpargendo venenum*: Vel παρὰ τὸ σκαιῶς ἕρπειν. id eſt, *à ſerpendo ſiniſtrè*. De quo agit Plinius lib. 11. cap. 25. Celſus lib. 5. cap. 27. A ſcorpione ſunt adagia, *Scorpius ſub omni lapide*. &, *Scorpion pro perca*.

Præmia parta gula.] Vide adagium, *Coruus ſerpentem*, quod torquetur in hominem ob edacitatem periclitantem: veluti Diogenes Cynicus comeſo polypo crudo perijt.

Infuſo ſenſim] iniecto aculeo venefico.

Styx. *Raptorem in Stygias*] coruum ad mortem adegit. Styx palus eſt apud inferos, ſic dicta ἀπὸ τοῦ στυγεῖν. *odio habere*. Vel ἀπὸ τοῦ στυγνοῦ, *à triſtitia*. Virgil. 6. Æneid.

——Stygiamq; paludem.
Dij cuius iurare timent, & fallere numen.

De ea vide cap. 2. lib. 3. Mytholog. Nat. Comitis. Tibullus lib. 1. eleg. 10.

Cerberus, & Stygiæ nauita puppis aquæ.

Proprijs ſuccubuitq; dolis] qui inſidias alteri ſtruxerat, ipſe dolo perijt. Apud paræmiographum Hebræum Prouerb. 26. Qui fodit foueam, incidit in eam: & qui lapidem vibrat, ad eum reuertetur. Cicero 2. Tuſcul. ex Poeta quodam: Qui alteri exitium parat, eum ſcire oportet, ſibi paratam peſtem, vt participet parem.

CORVVS quidem malus eſt, at ſcorpius nocentior, qui eum arcuata & venenata cauda interimit: idem quod accidit ijs, qui re flagitio parta, ſuo demùm magno malo diſcunt, malè parta malè diſperire. Et ferè fit, vt, quod vulgò dici ſolet, captores ipſi capiantur, raptoresq; ab alijs etiam viciſſim correpti decidant & illaqueentur: vt cùm gladiator incidit in homicidam, fur in latronem, luſor in aleatorem, falſarius in veneficum, fœnerator in auctionarium aut transfugam, callidus in verſipellem, impoſtor in planum; vno verbo, malus in peiorem. Quo ſpectant adagia, *Cornix ſcorpium*. &, *Suo ipſius laqueo captus*. &, *Coruus ſerpentem*. &, *Capra gladium*. &c. Sic ſæpe (teſte Ouidio 2. de Remedio) IV.

Captores ſæpe ipſi capiūtur.

Parua necat morſu ſpacioſum vipera taurum:
A cane non magno ſæpe tenetur aper.

Reſpexit huc Salluſt. in fragment. hiſtor. Praua incepta conſultoribus ſunt noxæ. Lucretius lib. 5.

Circumretit enim vis, atq; iniuria quemq;
Atq; vnde exorta eſt, ad eum plerumque reuertit.

Ouid. 1. de arte:

Fallite fallentes; ex magna parte profanũ
Sunt genus: in laqueos quos poſuere cadant.

Conſentiunt ipſæ ſacræ literæ, Sapien. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur. Sed ad hiſtorias conuertamur. Herodiadis filia cùm D. Ioannis caput petijſſet ab Herode, ſaltationis præmium, vt legitur Marci 6. ea ipſa pœna punita fuit: nam cum ei aliquando eſſet traijciendus fluuius, qui tempore brumali glacie conſtrictus congelatusq; erat, mox rupta glacie capite tenus demerſa eſt, & inferioribus

Filia Herodiadis mors.

corporis partibus ſaltare cœpit in vndis, ita vt caput à trunco non ferro, ſed cruſtis glaciei reſectum ſit. Nicephorus lib. 1. cap. 20. Cæſar Baronius Tom. 1. Annal. Eccleſ. *Neſtorij.* Neſtorius blaſphemias impudentiſſimas in Chriſtum euomuit, ideo eius lingua ſtatim vt mortuus eſt à vermibus fuit conſumpta. *Pandari.* Pandarus per linguam traiectus eſt telo, quia iuſiurandum violauit. Apud Sophoclem Laij terra libido in ſemine Oedipo horribiliter puncta eſt: *Oedipi.* ille enim à magna matre terra abſorptus eſt, quod matrem vitiauerat. *Suffetij.* Metius Suffetius diſtractus fuit in duas partes, quia colluſit cum duabus partibus, Albanis & Romanis. T. Liuius lib. 1. *Clytemneſtra.* Clytemneſtra ab Oreſte, quod ipſa maritum ſuum occidit, patrem Oreſtis, interempta eſt. Fuere qui ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violauerant, interemerunt. *Memorabile fatũ.* Suetonius in Cæſare. Quod de Cæſare memoriæ traditum eſt, hoc etiam de Gordiano Cordus eueniſſe ſcribit. Nam omnes quicunque illum gladio appetiuerũt, qui nouem fuiſſe dicuntur, poſtea interemptis Philippicis ſua manu, ſuisq; gladiis, & iiſdem, quibus illum percuſſerant, interiiſſe dicuntur. Iul. Capitolin. in Gordianis tribus ſub finem. Fuit autem is Gordianus vltimus ex Imperatoribus Gordianis, & fraude Philippi præfecti Prætorii, Arabis humili genere orindi, interfectus. Eiuſdem argumenti habemus præterea inſigne exemplum apud Liuium lib. 8. de veneficis Romanis, cuius quoque Valer. Max. *Romanæ veneſicæ.* meminit lib. 2. cap. 26. quæ cum venena præparaſſent, quibus multi ſimilibus morbis extinguerentur, neque compertum eſſet, vnde iſta venirent; tandem ancilla rei veritatem detexit, muliebri ſcilicet fraude ciuitatem premi, matronasque ea venena coquere. Negantibus autem hoc matronis, & ea medicamenta ſalubria eſſe contendentibus, ea bibere iſtas decoctiones ſunt iuſſæ. Haud abnuentibus illis bibere, epoto medicamento ſuamet ipſæ fraude omnes interierunt, ideoque extemplo reliquæ comprehenſæ, ex quibus 170. damnatæ ſunt. Huc referri poteſt (vt tandem finiã) Perillus, artifex tauri Phalaridis; *Perillus.* de quo Ouidius:

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit, infelix imbuit autor opus.

Arnutius Paterculus. Eodem modo contigit cuidam Arnutio Paterculo, qui æneum equuleum ad excruciandos homines excogitarat. Memorandum quoq; eſt illud, (vt ad recentiora deueniamus) quod Robertus Gaguinus lib. 10. cap. 19. Hiſtor. Francor. literis mandauit. Per eos dies, inquit, anno ſalutis *Ioan. Mauguius ſua machina perijt.* M. CCCC. LXXVIII. machina ingens, quam bombardam dicunt, Turoni conflata, & inde Pariſium vecta, triſte ſui ſpectaculum præbuit. Ad D. Antonij portam extra muros, cum inſtructa & compoſita prorſus à peritis eius operis eſſet, dum pila ferrea pondere quingentarum librarum in cauum machinæ deuoluitur, ignem excutit, quod pila ipſa repente depulſa, machinæ in primis auctorem, moxque quatuordecim ibi aſtantes viros, ita diſſipauit, vt per aerem membra prouecta ægrè inueniri & colligi potuerint. Lõgiùs quoq; euolans pila, aucupem auibus inſidias ponentem oppreſſit. Alij præterea ex violentia ſpiritus & ſulphuris fœtore grauem valetudinem incurrerunt. Ioannes Mauguius, qui machinam conflauerat, fruſtatim per agrum receptus apud S. Medericum ſepultus eſt. Hæc ille. Sed id ipſum Emblema video latiſſimè porrigi ad technarum, fraudumq; machinatores, qui tandem ſuam Nemeſin ſentiunt, & vt ſementem fecerint, ita & metent. Multa huc comportari poſſunt ex Plutarcho de his, qui tardè à numine puniuntur.

Eatem

Parem delinquentis & ſuaſoris culpam eſſe.

EMBLEMA CLXXIV.



PRAECONEM lituo perflantem claſſica victrix
Captiuum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excuſat, quòd nec ſit ſtrenuus armis,
Vllius aut ſæuo læſerit enſe latus.
Huic illi: Quin ipſe magis timidiſſime peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

COMMENTARII.

I. MILITES duo tubicinem, tuba velo ornata & decenti habitu inſtructum, detinent, quem videntur de exercitu abſtractum cautiſſimè ducere.

II. Ex Aeſopi apologo, de tubicine in bello capto, qui ſe inſontem prędicabat, quòd nullum occidiſſet, ſed neq; in quemquam gladium diſtrinxiſſet, qui mox audiuit: Διὰ τοῦτο γὰρ μᾶλλον τεθνήξῃ, ὅτι σὺ μὴ δυνάμενος πολεμεῖν, τοὺς πάντας πρὸς μάχην ἐγείρεις. *Sed ideò magis tibi moriendum eſt, qui cùm pugnandi ſis expers, alios omnes ad pugnam concitas.* Etenim (quod aiunt Iureconſulti) Qui agunt, &

Tubicē in bello captum, cur ſe excuſarit.

Agentes et conſen-

tientes pari pœna puniuntur. qui aſſenſum præbent, pari ſupplicio afficiẽdi ſunt: & ſatis ipſe facit, qui per alium facit.

II. Præcones. PRÆCONEM] tubicinem. Præcones dicuntur à præcinendo, quaſi præcanes, quod antè canant, & annuncient quid faciendum ſit. Sunt enim præcones propriè ij, qui iuſſu magiſtratus publicè aliquid denunciant, qui auctionem faciebant, & qui audientiam in theatris indicebant. Et quia publicæ iſtæ denunciationes plerunque fiebant præmiſſo tubæ ſono, hinc præco pro tubicine vſurpatur: nam & duces militares mandata ſua per tubicines denunciant.

Lituus quid ſit. *Lituo*] Lituus (vt Feſtus ait) appellatus eſt, quod litis ſit teſtis. Eſt enim genus buccinæ incuruæ, quo qui cecinerit dicitur Liticen. Ennius:

Inde loci lituus ſonitus effundit acutos.

Chariſius lib. 1. Lituum genus tubæ minoris fuiſſe dixit. Acron ad odam 1. Horatij: Lituus incuruus fuit, ſonumq; habuit acutũ, vt tuba grauem: Lituus equitum fuit, peditum tuba. Interim tuba & lituus non raro confunduntur. Ouidius 3. Faſtor.

Iam lituus pugnæ ſigna daturus erat.

Lucanus de bello ciuili: *Iã litui ſtrepunt.* Ammian. Marcell. 31. lib. Cumq; arma ex latere omni concuterentur, & tela lituosque Bellona luctuoſos inflaret. Eſt etiam lituus, baculus ille, quo ad augurandum priſci vſi fuerunt.

Claſſicũ canere. *Perflantem claſſica*] Claſſicum canentem, excitantem bellatores ad pugnam. *Claſſicum canere*, eſt ſignum dare, quo milites pugnare incipiant: cui opponitur, *Canere receptui.* Virgil. ad finem 2. Georgic.

Necdum etiam audierant inflari claſſica.

Hæc communis eſt opinio, ſed quid alij ſentiant videamus. Claſſicum nullius fuit ordinis militum, ſed ſolius Imperatoris; atque eo duntaxat præſente claſſicum canebatur, fuitq; inſigne imperii, vt Modeſtinus, & Vegetius lib. 2 cap. 12. tradiderunt. Hinc à Propertio lib. 3. eleg. 2. nominatur Prætorium.

Nil tibi ſit rauco prætoria claſſica cornu
Flare.

Liuius, lib. 27. Claſſico canebatur, cùm concio aduocabatur ab Imperatore; vel extremo ſupplicio in aliquem animaduertebatur. Sed alijs quoque de cauſis claſſicum canebatur. Liuius lib. 2. Prima luce claſſico ſignũ profectionis dedit. Quid autem fuerit claſſicum, haud dictu procliue eſt. Claſſicũ quid ſit. Seruius ad illa verba Virgilij 7. Æneid. *Claſſica iamq; ſonãt.* claſſicum & tubam flexilem, & ſonum ipſum, qui tuba emittitur, ſignificare dicit. Priſcian. lib. 5. de 12. verſ. Æneid. claſſicum tubam eſſe dicit, & quod ea vterentur claſſes equitum, claſſicum appellatum. Videtur conſentire Suetonius in Iulio cap 32. Rapta ab vno tuba, proſiluit ad flumen, & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus pertendit ad alteram ripam. Varro lib. 4. de lingua Latina, claſſicum cornu fuiſſe ſignificare videtur. Iſidorus quoq; lib. 18. claſſica dicit eſſe cornua, quæ conuocãdi cauſa erãt facta. & à calando claſſica appellata. Sed fortè veriſimile eſt, apud Imperatorem omnes ſimul tubicines, cornicines, liticines, cæterosque certo quodam ſono ceciniſſe, idq; appellatum claſſicum. Polybius enim lib. 14 ſcribit, Romanorũ fuiſſe conſuetudinem, vt cœnæ tempore cuncti tubicines ac buccinatores ſimul ante prætorium canerent, quod ſignum erat, vt nocturnæ vigiliæ ſuis locis diſponerentur. Dio lib. 47. ſcribit, ſub initium certaminis tubicines in orbe cõſtitutos certum modulationis genus ceciniſſe: quo milites monebantur, vt in ordine ſtarent, armaq; expedirent. Et hoc aliquis forſan claſſicum poſsit interpretari; quod quidem proximè ad communem opinionem accedit.

Victrix turba] Victrices copiæ.

Queis ille excuſat] apud quos victores excuſat ſeſe præco ille captus.

Quod nec ſit ſtrenuus armis] πολεμικὸς, ςρατηγὸς. quod nec ſit bellator, nec quemquam manu interfecerit.

Quin ipſe magis peccas] eò grauior tua culpa, qui alios ad bellum concitas. Fruſtra legis auxilium implorat, qui in legem committit. l. auxilium, 78. in fine, ff. de minorib.

Clangore æris] tubæ ſonitu. Metonymia in dictione, *æris*, pro, *tubæ*. Virgilius 6. Æneid.

Ære ciere viros, Martemq; accendere cantu.

IV. Bellorum ſuaſores. EMBLEMA in eos torquetur potiſſimum, qui oratione & conſilio Principes ad ſuſcipienda bella inflammant, cùm ipſi

pugnam

pugnam detrectent, nec vlli ſeſe periculo patriæ aut Principis nomine committant: quibus quidem certè nullus probabilis eſſe poteſt conſilii tam nefarii prætextus, cùm ipſi reuera ſint nocentiores, maiusq; detrimentum eminus lingua cæteris adferant, quàm qui cominus gladijs decertãt. Siquidem homo pernicioſus ſuſcitat lites, & peruerſus ſeparat principes, vt habetur apud Hebræum parœmiaſten, Prouerb. 16. Nulla enim fortè irreperet Martis violentia, niſi antecederet eiuſdem cõmittendi perſuaſio. Vel de iis intelligitur, qui cruore quidem manus non tingunt, at nihilominus parricidii faciendi conſilium ſuggerunt. Occurrit illud Demoſthenis de patre cuiuſdam ſacerdotis, quẽ Brauroniam appellat. Is, cùm alterum quiſpiam occideret, impellebat & hortabatur ad id facinus. Palam erat hominem mortuum ne digito quidem ab eo tactũ, ſed ab occiſore duntaxat; ita vulgò iudicabatur non teneri cædis. Sed Areopagitarum aliud iudicium fuit, qui cenſuerunt eum, qui ſuadendo iuuiſſet, eodem obſtrictum ſcelere. Nam conſtat homines audaciores fieri adhortatione: nec ſolùm manu, ſed etiam voce & proclamatione opẽ & auxilium ferri. Itaq; ille damnatus, & in exilium pulſus eſt. Ariſtot. 1. Rhet. argumẽtum citat, quo vſus eſt orator Leodamas aduerſus Calliſtratũ: dicebat enim eum, qui conſilium dediſſet, magis in culpa eſſe, quàm qui ſcelus commiſiſſet: quia ſcelus admiſſum non eſſet, niſi eius auctor & conſultor aliquis extitiſſet. Ciceronis exemplum vnum proferam ex oratione in Piſonem: Quid interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu ſenatus auctoritatem, ſalutem ciuitatis, totam Remp. prouinciæ prę mio vendidiſti? Quæ enim L. Catilinam conantem conſul prohibui, ea Pub. Clodium facientem conſules adiuuerunt. Voluit ille ſenatum interficere, vos ſuſtuliſtis: leges incendere, vos abrogaſtis: interire patriam, vos adiuuiſtis. Quid eſt vobis Coſſ. geſtum ſine armis? incendere illa coniuratorum manus voluit, vrbem: vos eius domum, propter quem vrbs incenſa non eſt. Ac ne illi quidem, ſi habuiſſent veſtri ſimilem conſulem, de vrbis incendio cogitaſſent. Huc facit M. Quintilian. declamatione 270. Satis oſtendit ipſa pœna, inquit, eum teneri, qui idem commiſerit, quod ſi occidiſſet. Neq; enim grauius quicquam aduerſus eum, qui ſua manu interfecerit, conſtituere potuit legum lator, quàm aduerſus eum, qui cauſam præſtitiſſet. Ergo & ſimilitudine pœnæ etiam crimen par exigere debetis. Hęc ille. Cæterùm cum hoc noſtro Emblemate magis conuenit quod Leodamas, de quo proximè dicebat, eum in maiore culpa eſſe, qui facinus commiſerit quàm qui conſilium dederit; conſilium enim nullius eſt momenti, niſi ſit qui illud ſequatur. Et interitus cauſam, non interitum ſpectari oportere, dixit in Miloniana diſertus orator. Vlpianus etiam, vt eſt in l. 11. de iniuriis: Non ſolùm is iniuriarum tenetur, qui fecit iniuriam, hoc eſt, qui percuſſit, verùm ille quoq; continetur, qui dolo fecit, vel qui curauit vt cui mala pugno percuteretur. Eodem recidit l. 15. ad l. Cornel. de ſicariis, vbi idem Vlpianus ait, Nihil intereſſe, occidat quis, an cauſam mortis præbeat. Ad hanc quoq; ſententiam multa alia iuris pronunciata pertinent. In l. Mela, ff. ad l. Aquil. Ferens auxilium facit delicti participẽ. Imò, quod in vetere mimo: Bis peccat, qui peccanti auxilium accommodat. Et qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur, l. qui occidit, §. pen. eod tit. ad l. Aquil. Et qui per alium facit, per ſe ipſum facere videtur, l. ita tamen, De adm. tut. C. qui per alium, de regul. in 6. Sed vnius tamen factum alios in periculum trahere non debet, l. illicitus, §. ſicut, de off. præſid. Multa quoq; Doctores in c. 1. de officio deleg. & in c. notum, 2. q. 1. & l. ſi quis ſer uo, C. de furt. Imò conſentientes grauius delinquere & puniri, quàm ipſos agentes, habetur planè in c. qui aliorum, 24. q. 3. & in c. qui conſentit, 11. q. 3. Quin idem euãgelica etiam lege editur: Non ſolùm (inquit Apoſtolus ad Roman. 1.) qui mala faciunt digni ſunt morte, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Offert ſeſe locus elegans Hieronymi epiſtola ad Celãtiam: Malitiam, odium, atq; inuidiam (quę vel maxima, vel ſola ſunt nocendi ſemina) à ſe propellat anima Chriſtiana: neque manu tantùm aut lingua, ſed corde quoque cuſtodiat innocentiam: nec opere modò, ſed voto etiam nocere formidet. Quantum enim ad peccati rationem attinet, nocuit & qui nocere diſpoſuit. Sed ne videar ſal-

Locus Demoſthenis.

Et qui facit, et qui ſuadet iniuriã, tenetur.

ſalcem in alienas meſſes longius immittere, vna aut altera noſtrorum autoritate totam rem concludam. Audi ergo Plautinam muſam: *Qui monet, quaſi adiuuat.* Lucanum:

Qui monet, adiuuat.

—Facinus quos inquinat, æquat.

Ouidium 5. Triſt. eleg. 15.

Qui monet vt facias, quod iam facis, ille monendo

Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Lælii demùm Ciceroniani ſenilis eſt ſententia: Improbis pœna ſtatuenda eſt: nec minor verò iis, qui ſecuti erunt alterum, quàm iis, qui ipſi fuerint impietatis duces. At nunc CAVE CANEM.

Alius peccat, alius plectitur.

EMBLEMA CLXXV.



ARRIPIT *vt lapidem catulus, morſuq́ fatigat,*
Nec percuſſori mutua damna facit.
Sic plerique ſinunt veros elabier hoſtes,
Et quos nulla grauat noxia, dente petunt.

COM-

COMMENTARII.

I. QVIDAM lapidibus canem petiit, & citato curſu aufugit, at canis non inſequitur proiicientem, ſed in lapidem proiectum mordicus ſæuit.

II. *Fons Emblematis.* FONS Emblematis è Pacuuio habetur, ſicuti à Marcello Nonio citatur: Nã canis quando eſt percuſſa lapide, non tam illum appetit, qui ſe icit, quàm illum ipſum lapidem, quo eã ipſa icta eſt, petit. Comparatio eadem eſt apud Platonem de Repub. 5. (vt citatur ab Ariſtotele lib. 3. Rhetor. ad Theodect. cap. 4.) quo loco in eos agit, qui ſæuiunt in humana cadauera: *ἢ οἴει τι διάφορον δρᾶν τοὺς οὕτως ποιοῦντας τῶν κυνῶν, αἳ τοῖς λίθοις οἷς ἂν βληθῶσι χαλεπαίνουσι τοῦ βάλλοντος οὐκ ἁπτόμεναι.* Non differre dicit eos à canibus, qui ſæuiunt in iactos lapides; eum verò, qui iecerit, prætermittunt. Plinius lib. 29. cap. 5. Minus hoc (inquit) miretur, qui cogitet lapidem à cane morſum vſq; in prouerbium diſcordiæ veniſſe. Sed hoc ad aliud ſpectat. Vide adagium, *Canis ſæuiens in lapidem.* &. *Vrſus cum adſit, veſtigia quæris.* &, *Cum laruis luctari.* *Cur canis lapidem miſſum mordeat.* Qua verò de cauſa lapidem miſſum canes mordere ſoleãt, tres cauſas reddit Plutarchus in libello De cauſis natur. Prima eſt, quòd canis, cùm ratione vti nequeat (id enim ſoli homini datum eſt) id quod ante oculos minaciter verſatur, inimicum putat, deq; eo ſumere vltionem parat. Secunda, cùm lapis per terram curſitat, feram putat eſſe canis, quam prius capere conatur, deinde ſpe fruſtratus hominem rurſus petit. Tertia, cùm id, quod ab homine miſſum eſt, & hominem ipſum æqualiter odio habeat, id quod proximius eſt prius inſectatur.

III. *ARRIPIT vt lapidem cautus*] vt canis corripit lapidem proiectum & emiſſũ.

Morſuq; fatigat] mordet.

Mutua damna facit] neq; par pari refert, ſcilicet illatam iniuriam. *Facere damnũ.* *Facere damnum*, in hoc ſignificatu non eſt Latinis vſitatum (verba reddo Sanctij) ſed dare damnum. Nam facere damnum, eſt iacturam facere. Ego ſic reponendum exiſtimo verſiculum:

Nec percuſſori mutua damna parat.

Hæc quidem Sanctius; ſed contra hunc ſatis calidè inuehitur Minos, hiſce omninò verbis: Reprehenditur hic Alciatus ineptæ Latinitatis à quodam, qui ſe ſuo iudicio pro docto venditat, quòd, *damnum facere*, non dicamus. Sed impetitus nugator non legerat hunc M. Tullij locum 5. act. in Verrem: Quid ſi docebo, iudices, eos, qui quadraginta millia modium lucri faciunt, damnum facturos fuiſſe, ſi tua iniquitas ſit, vt ex cohorte Recuperatores non intercederent? Sed Minois amarulentia non tanti eſt, vt à vera Sanctij ſententia diſcedamus: etenim Ciceronis auctoritas allata paſſiuè, non actiuè intelligenda eſt, ſiquidem Ciceroni *facere damnum*, eſt periclitari, damnum & incommodum ex re aliqua accipere, iacturam facere. Patet ex eodem Cicerone de claris Orat. Damnum enim illius immaturo interitu res Romanæ, Latinæq; literæ fecerunt. Et Plautus Captiu. ait:

Eſt etiam, vbi profectò damnum præſtat facere, quàm lucrum

Veros hoſtes.] Ipſiſſimos aduerſarios, à quibus orta eſt iniuria.

Noxia. Noxa. *Noxia.*] Noxia de maleficio dicitur. Noxam dixere antiqui quod nocet: & eſt detrimentum, culpa, pœna. Lege ipſummet Alciatum Commentario in tit. De verbor. & ſer. ſignific. l. 237. quem locum & nos ſupra citauimus ad Emblema 131. cuius titulus, *Remedia in arduo, mala in prono eſſe.*

Dente petunt.] Iniurijs vel conuicijs proſcindunt: quod vnum iniuſtitiæ non paruum facinus, quia iniquum eſt aliquẽ alieno odio prægrauari, ait Imperator Iuſtinianus in l. Si quis ſuo, §. legis autem, C. de inoffic. teſtam. Et Calliſtratus l. 26. ff. de pœnis: Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt, nam vnuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubijcitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur.

IV. *Impotentum hominum affectus.* PLERIQVE ſunt, qui cùm nõ poſſint ijs noxam inferre, à quibus ſe læſos putant, vt acceptam iniuriam vlciſcantur, vel pueros, vel famulos, vel etiam, ſi fieri poſſit, ſuorum aduerſariorum amicos adoriuntur, impotenti quidem & iniquo conatu. Qui mos perinde eſt ac puerulorũ, qui ſubita iracundia perculſi, virgas adurunt, quibus plexi ſunt. Eiuſmodi ſunt,

qui

qui cauſas adiuuantes, vel per ſe omninò ad agendum ineptas pro efficientibus imperitè vſurpāt, vt Medeæ nutrix, dum culpam conferret in trabes abiegnas è nemore Pelio auectas, quibus Argo nauis facta eſſet, in qua Medea cum Iaſone aufugiſſet. Sed vt ad noſtros mores ſermonem conuertam, omnibus in confeſſo eſt, quot quantaq; infortunia in dies nobis impendeant, & interdum grauiter vrgeant: quorum cauſſam inconſultò reijcimus in eos fortaſſe, qui nullo modo ſunt in cauſſa, cùm potiùs errores & lapſus noſtros agnoſcere, & pia ſinceraq; μετανοίᾳ tot contractas vitiorum ſordes eluere deberemus, nec vt canes in lapidem ſæuientes, incuſare iuſtiſſimam ſupremi & incorrupti iudicis Dei animaduerſionem. Id ſi placet ad iræ iniuſtitiam conuertere, vnà etiam Senecam audiemus ita diſputātem 1. De ira: Iam verò ſi affectus iræ damnaq; velis intueri, nulla peſtis humano generi pluris ſtetit. Et deinde: Id non eſt ira, ſed quaſi ira: ſicut puerorum, qui ſi ceciderunt, terram verberari volunt, & ſæpè neſciunt quidem cui iraſcātur, ſed tantùm iraſcuntur ſine cauſſa, & ſine iniuria, non tamen ſine aliqua iniuriæ ſpecie, nec ſine aliqua pœnæ cupiditate. Deluduntur itaque imitatione plagarum, & ſimulatis deprecantium lacrymis placantur, & falſa vltione falſus dolor tollitur. Idem Seneca eodem lib. c. 16. iram oſtendit ita impotentem eſſe, vt ſępè infeſta patrono, reum damnet: & ſi veritas oculis appareat, inquit, tamen errorem tuetur, & in malè cœptis honeſtior illi videtur pertinacia quàm pęnitentia. Apponit exemplum in Piſone quodam, qui cùm iratus duci eum iuſſiſſet, qui ex commeatu ſine commilitone redierat, quaſi interfeciſſet quem nō exhibebat: roganti tempus aliquod ad conquirēdum, non dedit. Damnatus extra vallum deductus eſt, & iam ceruicem porrigebat, cùm ſubitò ille commilito apparuit, qui occiſus videbatur. Tunc centurio ſupplicio præpoſitus, condere gladium ſpiculatorē iubet, damnatum ad Piſonem reducit, redditurus Piſoni innocentiam: nam militi fortuna reddiderat. Ingenti concurſu deducuntur, complexi alter alterum cum magno caſtrorum gaudio commilitones. Conſcendit tribunal furens Piſo, ac iubet duci vtrunque, & eum militem, qui non occidit, & eum, qui non perierat. Quid hoc indignius? Quia vnus innocens apparuerat, duo peribant. Piſo adiecit & tertium. Nam illum centurionem, qui damnatum reduxit, duci iubet; conſtituti ſunt in eodē loco perituri tres ob vnius innocentiam. Quod ſi ad vindictam publicam id protendere liceat, audiamus Arcadij & Honorii reſcriptum, ex l. 22. C. de pœnis: Sancimus ibi eſſe pœnam, vbi & noxia eſt. Propinquos, notos, familiares procul à calumnia ſubmouemus, quos reos ſceleris ſocietas non facit. Nec enim ſocietas vel amicitia nefarium crimen admittunt. Peccata igitur ſuos teneant auctores: nec vlteriùs progrediatur metus, quàm reperiatur delictum. Adiicere placet illud Senecæ de ira lib. 2. cap. 24. Nihil eſt iniquius, quàm aliquem paterni odii hæredem fieri. Cicero ad M. Brutum: Eſt acerbum parentum ſcelera filiorum pœnis lui. Lactantius non minus grauiter lib. 6. cap. 18. Qui referre iniuriam nititur, eum ipſum, à quo læſus eſt, geſtit imitari: ita qui malum imitatur, bonus eſſe nullo pacto poteſt.

Inſignes Seneca loci.

Piſonis iniuſtitia.

Inſani

Inſani gladius.

EMBLEMA CLXXVI.



SETIGERI medius ſtabat gregis enſifer Aiax,
Cæde ſuum credens cædere Tantalidas.
Hoſtia ſic tamquam ſus ſuccedanea pœnas
Pro Laertiade, pro caueaq; dabat.
Neſcit obeſſe ſuis furor hoſtibus: errat ab ictu,
Conſilijq; impos in ſua damna ruit.

COMMENTARII.

I. AIAX furibundus & armatus ſtricto gladio in gregem porcorum irruit, quorum alii interfecti paſſim proſtrati iacent, alij pedibus ſalutem quærunt.

II. *Aiacis inſania.* AIAX grauiter tuliſſe fertur, Vlyſſem ſibi iniquo Græcorum iudicio prælatum in ſucceſſione armorum Achillis, adeo vt præ dolore in inſaniam verſus ſit. Itaq; diſtricto gladio in gregem porcorũ inſiluit, exiſtimans ſeſe Græcorum copias cædere. Tum duos quoſdã maximos ſues è trabe ſuſpenſos flagris cecidit, arbitrans hos eſſe Agamemnonem atque Vlyſſem: Quorum alteri vt iudici, alteri vt victori potiſſimùm erat iratus. His igitur ſuibus ita ſuſpenſis plurimo cum riſu inſultauit, addens conuicia, quæcunque ſuggerebat ſplendida bilis. Poſtquam autem reſipuiſſet

ſet partim pudore, partim metu ſibi mortem conſciuit. Hæc ferè ex prouerbio, *Aiacis riſus*. Eſt hac dè re pulcherrima Sophoclis Tragœdia, quæ inſcribitur αἴας μαστιγοφόρος. Meminit etiam Pindarus Nem. 3. Horatius 2. Serm. Sat. 3.

—Cur Aiax heros ab Achille ſecundus
Putreſcit, toties ſeruatis clarus Atridis?
Gaudeat vt populus Priami, Priamusq́; inhumato,
Per quem tot iuuenes patrio caruere ſepulchro?
Mille ouium inſanus morti dedit, inclytum Vlyſſem,
Et Menelaum vnà mecum ſe occidere clamans.

Et paulò poſt:

—Inſanus quid etiam Aiax
Fecit, cũ ſtrauit ferro pecus? abſtinuit vim
Vxore & gnato, mala multa precatus Atridis.
Non ille aut Teucrum, aut ipſum violauit Vlyſſem.

Et deinceps:

Aiax immeritos dũ occidit, deſipit, agnos.

Hiſtoriam de Aiace pete ex Ouidio, lib. 13. Metamorph. ad quam alluſit Plautus in Captiuis, cùm quendam inſanum vellet vocare, dicens:

Armenta abſunt; Aiacem, hunc cum vides, ipſum vides.

III. *SETIGERI gregis*] in medium gregem porcorum inſilit. Sophocles, Horatius loco citato, & alij, arietes, non ſues dicũt verberaſſe Aiacem.

Enſifer Aiax] bellator. Supra Emblem. 168. vocat *ſcutiferum Aiacem*, hic *enſiferum*, ab effectu mortis vltroneæ, quæ conſecuta eſt.

Cæde ſuum.] Porcorum internecione.

Tantalidas.] Græcos, qui à Tantalo Tantalidæ dicti ſunt: eorum enim pleriq; à Tantalo Iouis ex Plota Nympha filio traxerunt originem. Iupiter Tantalum genuit: Tantalus filium Pelopem habuit: Pelops pater Atrei: Atreus Agamemnonis. Itaq; Iupiter fuit Agamemnonis abauus. Id epitheton vſurpat opportunè Ouidius oratione Aiacis, qua heros ille Vlyſſis ortum genus à Tãtalo, tamquam probrum obijcit. *Græci Tãtalidæ.*

Hoſtia ſic tãquam ſus ſuccedanea, &c.] Sues erant tamquam victimæ, quæ pœnas luebant pro Græcis iudicibus & Vlyſſe. Succedanea autem hoſtia olim dicebatur, quæ ſecundo loco fiebat. Si enim primis hoſtijs litatum non fuiſſe putaſſent ſacrificij, aliæ hoſtiæ poſt primas eductæ cędebantur duæ, quæ prioribus iam cęſis luendi piaculi cauſſa ſubdebantur. Gell. lib. 4. c. 6. ſuccidaneas, non ſuccedaneas eſſe dicendum ait, ob vocabuli compoſitionem. *Succedanea hoſtia.*

Pro Laertiade] pro Vlyſſe, Laertis filio.

Pro caueáq;] Cauea, polyſemum eſt. Hic Iudicum conſeſſum intellige. Eſt autem Metonymia, pro iudice Agamemnone. Cauea aliàs propriè ſignificat locum ſub terra vacuum & obſcurum; & quia in huiuſmodi locis eſſe cõſueuerunt ferarum cubilia, caueam etiam pro ferarum receptaculo vſurpamus; item pro ſepto illo, in quo auiculas tenemus. Significat præterea cauea aream in medio theatri, è qua populus ludos ſpectare ſolebat. Plautus Amphitr. *Cauea quid.*

Conquiſitores ſingula in ſubſellia
Eant per totam caueam.

Virgilius 5. Aeneid.

Hic totum cauea conſeſſum ingentis, et ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet.

Vbi Seruius: Per caueam plebem ſignificat: nam cauea conſeſſus eſt populi. Cicero in Lælio: Qui clamores tota cauea nuper in hoſpitis & amici mei Pacuuij fuerunt noua fabula? &c.

Neſcit obeſſe ſuis] γνώμη. Iracundus & mente captus non ijs, quos odio proſequitur, ſed ſibi nocet: non, inquam, eos, quos maximè vellet afficit iniuria, ſed ſeipſum lędit, & interdum enecat. Furioſi nulla voluntas. l. furioſi, ff. de re iudic. cùm enim ille abſentis habeatur loco. l. furioſus, de reg. iur. ſi fortè quem impetierit aut occiderit, abibit impunè; ſatis enim furore ipſo punitur furioſus. l. Diuus, ff. de offic. pręſid. l. infans, ad l. Cornel. de ſicar. l. pen. in fin. ad l. Pomp. de parricid. Quare ſi Principi maledixerit, pœnæ non ſubijcietur. Et id quidem non omnino præter rẽ, ne quis fortaſſe putet nos abuti otio. Videntur enim parùm ſanæ mentis eſſe, qui cum furioſis, aut mente captis, ſi nocuerint, ſummo iure agendum putent. Excuſat enim mentis deliquium, vt quod fit à dormitante, vel puero ſeptenni, vel quinquenni, in quem cùm dolus non cadere poſ- *Furioſi affectus.*

ſe

ſe videatur, nec pœna etiam cadere debet.

Furor qd.

Furor] Furor, mentis cæcitas definitur à M. Tullio 4. Tuſcul. ea eſt *μανία* Græcis. In paradoxo contra Clodium, exagitatur is animi morbus; quo docet omnes ſtultos furere, id eſt; cæco mentis impetu in omni ſcelere verſari: quæ perturbatio ſæpè à nimia ira proficiſcitur. Cornelius Celſus de re medica lib. 3. cap. 18. inter inſaniæ genera illud longè maximum ponit, & longiſſimum, quod vitam ipſam non impediat, idq; robuſti corporis eſſe conſueſcat. Huius ſpecies duæ: nam quidam imaginibus, non mente falluntur, qualem inſanientem Aiacem vel Oreſtem fabulæ ferunt: quidam animo deſipiunt, &c. De maniæ & inſaniæ generibus præter Medicos vide Phædonem Platonis, & *ἀπομν.* Xenophontis.

Locus ex Cornelio Celſo.

Errat ab ictu] icendo peccat, error ictu committitur, non aduertit quem feriat.

Conſilijque impos] qui deſtituitur ſano conſilio.

In ſua damna ruit] ſibi ipſi malum arceſſit, ſeſeq; impetit. Seneca Hercule furente:

——— in ſe ſemper armatus furor.

Ibidem:

——— quodque habet proprium furor,
In ſe ipſe ſæuit.

IV. *Inſania pœna in eū lapſa, vnde manauit.*

Hoc Emblemate arguitur temerarius furentum hominum impetus, qui non aduerſarijs, ſed ſibi maximè nocent, quòd iræ præcipiti omnia committant, omnemque viam rationi præcludant: vnde fit, vt, quod ait Horatius,

Vis conſilij expers mole ruat ſua.

Is enim furentis animi affectus ſic hominis animum è ſua ſede dimouet & exturbat, vt non ſecus atque Circe altera hominem in belluam ferociſſimam transformet: quo fit, qui talem hoſpitem excipiat, non aliter faciat, ac qui ſeſe vna cum ipſis ædibus incendio perdat: eoq; deterior eſt, quòd ita tumultu, caligine, fumoq; cuncta intus errore mentis compleat, vt nec cernere integrum ſit, nec eos audire, qui volunt opitulari. Id quidem ob oculos poſuit Homerus Iliad *β.* & Odyſſ. *α.* ſub perſona Achillis, cuius iram facit implacabilem: & Aiacis, de quo hic ſermo. Inter morales Philoſophos, qui affectiones animæ deſcripſerunt, ſunt Seneca & Plutarchus, qui vtriq; videntur de induſtria recreaſſe & relaxaſſe animum in deſcribenda & ad viuum efformanda ira, vt ex eius genuinis lineamentis hanc tam portentoſam belluam omnes deteſtentur. Hanc igitur nobis repræſentant tanquam alteram Megæram, furioſiſſimam, truculentiſſimam, audaciſſimam, crudeliſſimam, & ſummè omnibus terribilem, radices in ſe & ſcaturigines ſeditionum omnium, turbarum ac tumultuum continentem; litium, bellorum, homicidiorum, excidiorum, euerſionum, ac omnium malorum abyſſum, tempeſtatem, diluuium, ignem, machinam, tonitru ac peſtem, inundantem, ſubmergentem, vrentem, diruentem, fulminantem, inficientem, occidentem, ac omnia euertentem: homines, quos inuaſit, ad omne ſceleris genus præcipites agentem, è qua innumera mala, ſtupendaque tum in corpore, tum in ſpiritu contrahuntur. Exemplis agamus. Nerua Imperator valetudinarius ac ventriculi tanta debilitate laborans, vt crebrò aſſumptum cibum euomeret, cùm ſemel in quendam nomine Regulum excandeſceret, tantum pectoris dolorem ſuſtinuit, vt confeſtim febre exitiali deploratаq; correptus ſit. Idem Valentiniano Imperatori contigit, qui cùm aduerſus Sarmatas nonnumquam propter Illyricæ vaſtationem in prætorio ſæuus infremeret, & vniuerſæ genti excidium rigidus minaretur, ſanguine irrumpente animam exhalauit. Simile quid de VVenceslao Boemiæ rege refert Cromerus lib. 18. qui ira in pocillatorem ſuum percitus, cum interficere eum proprijs manibus vellet, paralyſi affectus concidit, & paucis poſt diebus vita exceſſit. Quod vtiq; ſummè mirandum eſt, ab vna ſcilicet plurioſa commotione, cuius natura feruentiſſima eſt, paralyſim poſſe generari, cuius efficientem ac materialem cauſam ad frigidam pituitam Medicorum vulgus reuocat, quę quidem cauſa naturæ bilis eſt prorſus contraria. Plura huiuſmodi exempla habes apud Cęlium Rhodigin. lib. 17. in principio in Officina Textoris lib. 2. cap. 60. Audiamus ipſum Senecam lib. 2. De ira, cap. 36. Videndum illud, quàm multis ira per ſe nocuerit. Alij nimio feruore rupere venas & ſanguinem: ſupra vires elatus clamor egeſſit, & luminum ſuffudit aciem: in oculos vehementiùs humor egeſtus, & in morbos ægri recidere: nulla celerior ad inſaniam

Ira effectus.

Nerua Imperator.

Valentinianus Imperator.

VVenceslaus Boemiæ Rex.

Locus Senecæ.

via

via eſt. Multi itaq; continuauerunt iræ furorem: nec quam expulerāt mentem, vnquam receperunt. Aiacem in mortem egit furor: in furorem ira. Mortem liberis, egeſtatem ſibi, ruinam domui imprecātur, &c. Hæc Seneca. Quare rectè monuit Menander:

ἐχθροὺς ἀμύνου, μὴ ἐπὶ τῇ σαυτοῦ βλάβῃ.
Vlciſcere hoſtes, ſed abſq; tuo damno.

Si ſaperent ſtomachoſi homines, & furibundi illi Aiaces, talia ſibi ſemper animo verſanda, & oculis perpetuò intuenda proponerent, vt à tam infelici exitu, & effectis crudeliſſimæ perturbationis ſibi metuerent atq; cauerent. Ad illuſtrationem argumenti huius commodè referes, quæ de impatientia & vindictæ appetitione doctè Lactantius diſputat libro 6. Diuin. inſtitut. c. 18.

Pax.

EMBLEMA CLXXVII.



T*VRRIGERIS humeris, dentis quoque barrus eburni,*
Qui ſuperare ferox Martia bella ſolet,
Suppoſuit nunc colla iugo, ſtimuliſq; ſubactus,
Cæſareos currus ad pia templa vehit.
Vel fera cognoſcit concordes vndique gentes,
Proiectiſq; armis munia pacis obit.

COM-

COMMENTARII.

I. ELEPHAS animalium terreſtrium maximum,& aſpectu horrendum, à magiſtro ſuo (quem Ariſtoteles elephantiſten, Plutarchus elephantarchen appellat) ſub fręno ducitur, verberibusq; impetitur: nihilominus currum ille triumphalẽ trahit, ſcutum,& cętera arma proiecta pedibus, conculcans.

II. ELEPHANTORVM in bellis vſum olim fuiſſe celeberrimum, ſupra Emblemate 124. diximus, & aliàs notius eſt, quàm vt confirmare opus habeam: vnde apud plerosque pro belli ſymbolo poſitos reperio, vt hic etiam pro pace, diuerſa tamen ratione & fine: Elephantus enim, qui equis in acie terrorem incutiebat, qui ſui horrendo ſpectaculo milites ipſos conturbabat, quiq; eburneo dente pugnãtum hominum equos corripiebat, pace parta, collum iugo ſuppoſuit, & Cæſaris currum triumphalem ad templum vehit, quaſi agnoſcens initam inter populos concordiã, ideoq; ad pacis munia obeunda ſeſe ſubijciens. Cæterùm non prætermiſero Græcum, hexaſtichon φιλίππου, quod habetur lib. 1. Antholog. tit. εἰς πόλεμον, & hic Alciatus Latio reddit, ſed περιφραστικῶς.

Vſus elephantorũ in bellis.

Elephantus in triũpho.

Typus Emblematis.

οὐκ ἔτι πυργωθεὶς ὁ φαλαγγομάχας ἐπὶ δῆριν,
ἄσχετος ὁρμαίνει πυριόδους ἐλέφας,
ἀλλὰ φόβῳ στείλας βαθὺν αὐχένα πρὸς ζυγοδέσμους,
ἄντυγα διφρεύει καίσαρος οὐρανίου.
ἔγνω δ' εἰρήνης καὶ θὴρ χάριν, ὄργανα ῥίψας
ἄρεος, εὐνομίης ἀντανάγει πατέρα.

id eſt:

Non iam turritus phalangibus pugnans in certamine
Indomitus irruit candentes habens dentes elephas:
Sed metu contrahens humilem ceruicem ad lora ſubiugia
Currum trahit Cæſaris diuini.
Nouit autem pacis etiam fera gratiam, inſtrumentis deiectis
Martis, ęquitatis viciſſim vehit patrem.

Non iam turritus, nec iam certando phalange
Indomitus dentes irruit hic elephas.
Contracta at ceruice metu, currumq; trahendo
Cæſareum, ſubdit mitia colla iugo.
Ergo bonum pacis nouit fera, namq; reiecto
Marte, æqui & iuſti nunc vehit illa patrem.

TVRRIGERIS humeris] Expreſſit epitheton πυργωθείς, *turribus oneratus*. id eſt, πυργοφόρος. Lege Plinium lib. 8. cap. 7. Liuium lib. 7. decad. 4. III.

Dentis quoque barrus eburni] eburneis dentibus. Supra Emblemate 124. cuius epigraphe, *In illaudata laudantes*. mota eſt quæſtio, vtrum dentes, quibus ab vtraque oris parte armatus eſt elephas, rectiùs dentes, an cornua dici deberent. Certè ſi locum Plinij diligenter perpendamus libro 8. cap. 6. vbi dicit, Elephantos, quum Pyrrhus Rex primùm in Italiam duxiſſet, & in Lucanis viſi eſſent, boues Lucas appellatos. apparet pro cornutis, ſicut boues, eos eſſe habitos. Inueni quoq; apud Pierium lib. 2. Hieroglyph. quòd nulli animalium maiora neq; ſpecioſiora cornua quam elephanto tribuat. Probat autem ex Pauſania, qui omnino elephantum cornutum facit, tum aliquorum animalium exemplo, quibus aut in ſupercilio, aut in naribus cornua naſcantur: tum quòd per aliquot annorum periodos corrupta decidant, & noua ſuppullulent, igneq; molliantur, quod in dentibus haudquaquam fit; & quod in cranio oriantur. Sed hæc rerum naturalium indagatoribus excutienda relinquimus. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 13 cap. 18. Plinium lib. 8. cap. 10.

Elephanti an cornua, vel dentes habeant.

Barrus] Cur elephas dicatur barrus, abundè ſuprà diximus, emblem. citato.

Qui ſuperare ferax] cuius vis maxima in bellis. Explicatius in Græco ὁ φαλαγγομάχας ἐπὶ δῆριν ἄσχετος ὁρμαίνει. *phalangibus pugnãs, indomitus impetuosè irruit ad pugnam cum phalangibus in acie ſtans*.

Cæſareos currus] currum imperialem in triumpho vehit, ſubiugatus, & verbere conductoris ſui adactus. Quando primũ fuerint iuncti elephanti, docet Plinius lib. citato, cap. 2.

Vel fera cognoſcit, &c.] bellua quamquam vaſta & terrifica, ſe paci accommodat, vt olim belli vſibus ſe dediderat. De particula, *vel*, quædam Alciatus noſter ad l. 96. de verb. ſignific. §. prædia. Ponitur enim hoc loco pro etiam; quod Ciceroni familiare

Vel, particula.

miliare eſt: Vel pro nam, vt explicat Budæus locum Terentij Andr.

Vel hoc quis non credat, qui norit te abs te eſſe ortum?

IV. *Duces feroces mãſueſacti.* Hoc quidquid eſt ſymboli intelligi licet de ferociſſimis quibuſque, & fortiſſimis belli ducibus, qui truculentos ipſi mores, & ferociam bellicam redempta pace deponunt: eoq; fit, vt ſeſe poſtea conuertant ad ea, quæ ad religionem, vel publicam ciuitatis adminiſtrationem pertinẽt: quæ quondam inter arma vel ſilebant, vel conſopita peneq; oppreſſa miſero ſitu iacebant. Caſſiodorus Variar. formul. lib. 3. epiſt. 1. populorum ferocia corda longa pace molleſcunt. Hæc quidem ita enarrari velim, niſi malis Epigrammatis huius literam referri ad Iulij Cæſaris triumphum, de quo Suetonius agit. *Iulij Cæſaris triũphus.* Ait enim eum aſcẽdiſſe Capitolium ad lumina quadraginta elephantis dextra atque ſiniſtra lychnuchos geſtantibus, idque in ſignum pacis bello partæ. Elephantis etiam Pompeium Magnum triũphaſſe teſtatur Plin. lib. 8. quod priùs Iudia victa à Libero patre factũ memoratur. *Seneca locus.* Seneca De vitæ breuitate cap. 14. ait, Metellum victis in Sicilia Pœnis triumphantem, vnum omnium Romanorum ante currum centum & viginti captiuos elephantos deduxiſſe. Et Capitolinus de Gordiano iuniore: Quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ ſunt, vtpotè qui Perſas viciſſet, triumpho Perſico triumpharet. Cæterùm quoniam de bellua illa, quæ quàm proximè ad humanam rationem accedit, adeo vt non putem eam ab vllo alio animali bruto hac in parte ſuperari, mentio incidit, quod nimirum pacem gentium cognoſcat; omiſſis veterum teſtimonijs, quæ de elephãtorum docilitate, fidelitate, diligentia, clementia, & ſi licet dicere, de illorum religione & pietate, alijsq; affectibus propemodum humanis extant, vnum afferam exemplum, quod omnem hiſtoriæ fidem ſuperat, de Hannone elephanto ab Emanuele Luſitaniæ Rege Leoni X. dono miſſo, de quo ita Pierius: *Iucunda de Hannone elephanto hiſtoria.* Minimè hoc loco diſſimulandũ, quod ſuper eiuſdem Hannonis ingenio Michael Siluius Regis ſui ad ſummum Pontificem Orator, ſummæ, vt noſti, vir integritatis, fideiq; ſanctiſſimæ, atq; alij narrauere, remque multorum teſtimonio comprobauere. Cùm deſtinaſſet Rex Emanuel eum Romam Pontifici Maximo donum ire, naui quam inſcenderet iam inſtructa parataque ad profectionem, nullo vnquam pacto per aliquot dies fieri potuiſſe, vt Hanno vel duci ſe ad nauim, vel ſi quo modo adductus fuiſſet, eam vellet inſcendere, vſq; adeò auerſabundus profectionem huiuſmodi reformidabat. Cumque Rex ſuper ea re ſolicitus admodum eſſet, magnisque pollicitationibus vnumquemque inuitaret, qui deducendi aſportandiq; Hannonis negocium ſuſcepiſsẽt, neq; quiſquam nomẽ profiteretur ſuum; inſuſurratum demùm eſt regijs aúribus, eius belluæ magiſtri dolo hęc fieri, quippe qui puellæ cuiuſdam amore perditus ægrè ferret, ſe in tam longinquas regiones ablegari, proindeq; Hannoni perſuaſiſſet, ne ſe abduci pateretur: abuehendum quippe eum in loca ſterilia, inamœna & barbara, vbi ludibrio contumelijsq; omnibus, tãquam hoſticæ terræ animal afficeretur, neq; victui, neq; ornatui eius vel neceſſaria, vel commoda ſuffectura: longum adhæc iter & incommodum, & vaſtum maris æquor arandum, vt ſatiùs eſſet, in qua tunc erat terra quàm primùm contrucidari, quàm per tot viarum difficultates ad ærumnoſiſſimam deniq; vitam peruenire. Rex hac re cognita, magiſtrum Hannonis ad ſe quàm primùm accerſiri iubet, ſeq; dolos eius comperiſſe dicit: ageret itaque vt intra triduum Hãno in nauim imponeretur, idq; ni properè fieret, interminatus eſt actutum ſe hominem extremo ſupplicio affecturum, vt alijs exemplo eſſet, qui mandatis regijs fucum facere auſi eſſent. Hac Regis aſperitate territus elephanti magiſter, cum nullam in cunctatione ſalutem intueretur, diſcipulam belluã aggreditur, docet ſe maleuolorum quorundam fraude ſubornatum, qui & felicitati vtriuſq; inuiderẽt, & Regi optimo malè obtemperantes eſſent; longè autem ſecus rem habere, quàm illi mentiti eſſent. Siquidem non ad immania & effera loca profecturi eſſent, ſed ad vrbem orbis terrarum dominam, amœno loco ſitam, vbi rerum deliciarumq; omnium, quotquot vel auidiſſimi cuiusque cupiditate expeti poſſint, copia fertiliſſima redundaret: ibi eſſe Principem, cui totus penè terrarum orbis aſſurgeret, apud quem is in delicijs habendus eſſet, & tanquam luſciniæ pullus

lus lauticiarum blanditiarumq; affluentia nutricādus: proinde bono animo eſſet, ſecumq; primo quoque tempore lætus & alacer nauem inſcenderet, affuturos nauigationi Deos, & curſum omnem incredibili felicitate proſecuturos. Ita Hannonē ab eodem magiſtro in aliam ſententiam deductum, vbi ſigna data ſunt, vltrò nauem conſcendiſſe, neque vlla vnquam imperia toto itinere detrectaſſe. Hactenus Pierius. *Elephanto cor duplex eſt.* Sanè Mauri affirmant, cor duplex Elephāto eſſe, altero quidem iraſci, altero ad lenitatem induci; atq; hoc illud eſt, quod horum vtrumq; munus ſupra modum exequitur. Nemo itaq; miretur in tam prudenti animali ſenſum pacis ineſſe, ſiquidē *Pacis cōmoda.* pace nulla res melior, vtilior, & iucundior eſſe poteſt: hæc omnia conſeruat, præſtatque incolumia ac ſalua, auget, & bonis multiplicibus complet. Hæc verè illa eſt, quæ opes, diuitias, vitam deniq; ipſam & parat, & nutrit atq; educat. Et quid multis opus? Nullum eſt bonum in terris pacis bono præſtantius, neq; optabilius. Pax enim (vt Auguſtinus ait) eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis. Hęc eſt, quæ ſimultates tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos concordat; cunctis eſt placida, neſcit extolli, neſcit inflari: hanc qui acceperit, teneat; qui perdiderit, repetat; qui amiſerit, ſummo ſtudio exquirat.

Ex bello pax.

EMBLEMA CLXXVIII.



EN galea, intrepidus quam miles geſſerat, & qua
Sæpius hoſtili ſparſa cruore fuit:
Parta pace apibus tenuis conceſſit in vſum
Alueoli, atque fauos, grataq́ mella gerit.
Arma procul iaceant: fas ſit tunc ſumere bellum
Quando aliter pacis non potes arte frui.

COMMENTARII.

I. PINGITVR galea ſeu ærea caſſis criſtata, circa quam apes in mellificio occupatæ aliæ auolant, aliæ aduolant.

II. VNDE ſumptum ſit Emblema non anxiè diſquirendum eſt, videtur enim commune argumentum, & fortè ipſius Alciati eſt inuentio. Eiuſdem materiæ diuerſa & contraria poſſunt eſſe inſtrumenta, vt cum ex galea, enſe, vel ægide militari conflantur falces aut ligones agricolis idoneis quibus etiam pacis tempus intelligitur: quod κατὰ προσωποποιΐαν de falce ex enſe Martialis exprimit in Apophoretis:

Signa redempta pacis.

Pax me certa ducis placidos curuauit in vſus:
Agricolæ nunc ſum, militis antè fui.

At Virgil. bellum ſignificans, ait Georg. 1.
Et curuæ rigidũ falces curuãtur in enſem.

Ouid item Faſtor. 2.
Plus erat in gladio, quàm curuo laudis aratro.

Idemq; alio loco:
Bella diu tenuere viros: erat aptior enſis
Vomere: cedebat taurus arator equo.
Sarcula ceſſabant, verſiq; in pila ligones,
Factaq; de raſtri pondere caſſis erat.

Et deinde pacẽ alloquitur his ſequẽtibus:
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum deſunt hoſtes, deſit quoq; cauſſa triũphi:
Tum ducibus bello gloria maior erit.
Sola gerat miles, quibus arma coerceat arma,
Canteturq; fera nil niſi pompa tuba.

Claudianus de bello Getico huc reſpexit, ſigna partæ pacis memorans:
Non iam delectus miſeri, nec falce per agros
Depoſita, iaculum vibrans ignobile meſſor:
Non tentat clypeum proiectus ſumere raſtris.

Bacchylidis Lyrici venuſtus locus.

Occurrit & illud Bacchylidis Lyrici Poetæ, ex Stobæo & Plutarcho:
Τίκτει δὲ θνατοῖσι εἰρήνα μεγάλα πλοῦτον.
Pax magna hominibus affert diuitias.

Et deinde ſequitur:
Ἐν δὲ σιδαροδέτοισιν πόρπαξιν αἰθᾶν ἀράχναν
ἱστοὶ πέλονται, ἔγχεά τε λογχωτά,
Ξίφεά τ' ἀμφάκεα εὐρὼς δάμναται. χαλκέων
Οὐκέτι σαλπίγγων κτύπος, οὐδὲ συλᾶται μελίφρων ὕπνος
Ἀπὸ βλεφάρων ἀμὸς, ὃς θάλπει κέαρ. i.
At in reuinctis ferro clypeis nigrorum araneorum
Telæ ſunt, haſtæq; cuſpidatæ.
Et enſes ancipites arugo conſumit: æreatũq;
Non amplius tubarum clangor, neq; ſubripitur mellitus ſomnus
A palpebris, noſtrum qui cor fouet.

Simile & conueniens problema legimus in veteri inſtrumento libro Iudic. cap. 14. ab eximio & intrepido Samſone Philiſtheis propoſitum, quod ipſi ſoluere non potuiſſent, niſi ab iniqua muliere reuelatum eis fuiſſet: De comedente, inquit, & vorace exiuit cibus, & de forti atq; immani egreſſa eſt dulcedo. *Samſonis ænigma.* Is enim rapaciſſimum prædatorem, frendẽtem leonem ſibi fortè occurrentem oppreſſerat, & diſcerpſerat; paulò verò poſt in eius cadaueris ore apum examen, dulces fauos, mellisque cibos reperit, & comedit iucundiſſimos. Condigna ſanè tanti laboris præmia. Huc etiam referam Eſaiæ vatis illud: Contundent, inquit, gladios ſuos in ligones aut vomeres, & lanceas haſtasq; ſuas in falces; neq; vltra aut bellũm addiſcent, aut prælio aſſueſcent. Sic Caſſiodorus in quadam ad Valerianum præfectum prætorio epiſtola lib. 12. Variar. Arripiant ferrum, inquit, ſed vnde agros excolant: ſumant cuſpides, boum ſtimulos, non furoris. Quæ ideò adduximus, vt non modò Emblematis ἐπιγραφὴν, ſed & duo priora diſticha, per ſe alioqui clara, explicemus apertiùs. His enim oſtendit temporis quandam conuerſionem & viciſſitudinem, cùm ex bello

ſo pacem arguit ſub galeæ ſymbolo, quæ belli tempore ſæpiùs hoſtium ſanguine tincta, nunc demùm pace, in apum aluearium commutaretur. Eodem fermè modo Marius Molſa de roſtris naualibus, cuius carmen propter affinitatem aſcribere non piget:

Marij Molſa lepidū epigramma.

Ferrea roſtra olim preſſis erepta carinis,
Quæ Nili fractas teſtificantur opes:
Ecce apibus paruas pandas præpandimus aulas:
Congeſta redolēt (quis putet?) ara thymo:
Cæſaris hac ingens laus eſt, quo vindice, pacis
Iucundos fructus arma inimica ferunt.

III. *Miles vnde dictus.* *INTREPIDVS quam miles*] animi maximi miles. Vnde dicatur miles, viſum fuit huc afferre, eò quod Laurentius Valla non ſatis intellexit Vlpiani verba, l. 1. ff. de mil. teſt. Miles, inquit appellatur vel à malitia, id eſt, duritia, quam pro Republica ſuſtinet: aut à multitudine; aut à malo, quod arcere milites ſolent. Aut à Græco verbo χίλιοι, *mille*. vnde χιλιασὺς tractum eſt: nam ita Græci τάγμα, & mille hominum numerum appellant, quaſi milleſimum quemq; dicas: vnde quoque ducem χιλίαρχον appellant. Ælius militem à mollitia per antiphraſin dictum putat, eò quòd nihil molle, ſed potiùs aſperum quid gerat.

Parta pace] redempta. Lucan. lib. 10.

——Pax parta duci.

Tenuis Alueoli] ceſſit in vſum aluearij.

Atq; fauos grataque mella gerit] Sic ex pace vbertas, quod ſequenti emblemate dicetur: vt colligas omnium fructuum prouentum ex pace, contrà ex bello vaſtitatem omnem & calamitatem. Quò pertinet etymologia Grammaticorum, qui *πόλεμον, vnde dictum.* πόλεμον, quaſi ἀπὸ τοῦ τὰς πόλεις, ἢ τοὺς πολλοὺς μειοῦν ἢ ὀλλύειν. *quod ciuitates, multosq; homines concutiat, perdat, labefactet.*

Arma procul iaceant] contineamus nos ab armis, faceſſant arma.

Cur bella ſuſcipienda. *Fas ſit tunc ſumere bellum, &c.*] Poſtremum hoc diſtichon ex Ariſtotele deſumptum videtur, qui lib. 10. Moral. ad Nicomach. cap. 7. ſic ait: Negotia enim ſuſcipimus, vt in ocio ſimus, & bella gerimus ob eam cauſam, vt in pace viuamus. Cicero 1. Offic. Quare ſuſcipienda quidem bella ſunt, vt in pace ſine iniuria viuatur. Et Vegetius lib. 3. cap. 1. Qui deſiderat pacem, præparet bellum: qui victoriam cupit, milites imbuat diligenter. Ad hæc ſcripſit Ariſtoteles, τὸ τοῦ πολέμου τέλος εἰρήνην εἶναι. *Pacem eſſe finem belli.* Cicero 8. Philipp. Nec ego pacem nolo, ſed pacis nomine bellum inuolutum reformido. Quare ſi pace frui volumus, bellum gerendum eſt: ſi bellum omittemus, pace numquam fruemur. Caſſiodor. lib. 3. Variar. epiſt. 1. Tunc vtile ſolum eſt ad arma concurrere, cum locum apud aduerſarium iuſtitia non poteſt inuenire.

RECTE hoc agalmate notatur, ea quæ ob nefandos bellicos impetus crudelia, pernicioſa, acerba & luctifera ſunt, in pace omnino blanda, vtilia, ſuauia & læta fieri. Pax itaq; omnibus viribus ſedulò amplectenda, & perpetuò, ſi fieri poteſt, retinenda. Quanta enim emolumenta, quis bonorum aceruus & copiæ cornu ex ſuauiſſima pace mortalibus reſultent, in ſequēti dicetur, & paſſim ex Philoſophis, Hiſtoricis, & Poetis, colligitur. Huc præclarus ſeſe locus offert ex Panegyrico, qui Conſtantino Auguſto Conſtantij filio dictus eſt, & Claudio Minoi tranſmiſſus incerto nomine. Hunc enim locum quia puto gratum fore ſtudioſis rerum antiquarum, totum aſcribam. Sic itaque: Quid egeras Imperator? in quæ nos fata proieceras? niſi te diuina virtus tua vindicaſſet. Quæ hæc eſt impatientia? aut quò tibi manus noſtras, ſi verſa vice pugnas ipſe pro nobis? Hæc ego non dicerem, Imperator, neq; ab alijs dicta memorarem, niſi beneficio tuæ lenitatis tutior eſſet noſtra in verbis, quā tua in armis audacia. Noua enim quadam varietate naturæ, confuſoq; virtutum temperamento, idem es in prælijs ferociſſimus, & parta ſecuritate mitiſſimus. Cùm enim dato obſeſſis tempore pœnitendi, Aquileiam quoq; de legatis eorum ac ſupplicibus recepiſſes, cunctiq; ſe tibi dediſſent, quod obſidendo ſeruaueras, ignouiſti omnibus, & vitam quam deſperauerant, reddidiſti, & quidem iuſſiſti arma deponere, vt multo tutius victoris pietate tegerentur. Vt tamen pertinaciæ ſuæ merita ſentirent, corripi eos vinciriq; iuſſiſti, non ad ſupplicium, ſed vitam, ne conſcientiæ timore diffugerent, grauiterq; delinquerent, conſeruariq; iterum non mererentur, ſi ſeruati non fuiſſent. Sed vnde tanto

IV. (margin, beside "RECTE hoc agalmate")

Locus è Panegyrico Cōſtantini. (margin, beside "Conſtantino Auguſto")

hominum numero tot vincula, quæ continere militares, & paulò antè armatas manus poſſent? Stupere milites, qui producendos ſuſceperant, & cuſtodiæ curam abnuere, & prorſus neſcire quid facerent. Ipſi etiam, qui tibi in conſilio erant, ipſe etiam Præfectus hærere, cùm tu diuino monitus inſtinctu, de gladijs eorum gemina manibus aptari clauſtra iuſſiſti, vt ſeruarent deditos gladij ſui, quos non defenderant repugnantes O pulcherrimum, & qui omnium oculis ſubijci debuiſſet, triumphum virtutis & clementię tuæ? Cuius enim potentiæ fuit hoſtibus arma diripere, eius humanitatis deditos ad impunitatem ſuis armis alligare, atq; etiam vincere. Vt eos ferri illius, quod contra te geſſerant, quotidie pœniteret, gladius ille, quem in te diſtrinxerat hoſtis infeſtus, ipſe domini ſui manus tenuit, & paratus ad cædem, cuſtos factus eſt ad ſalutem. Magnus Poeta, dum bellorum toto orbe ſurgentium diſcurſum apparatumq; deſcribit,

Et curuæ, inquit, *rigidum falces conflantur in enſem*.

Locus hic cum Emblemate noſtro mirè conſentiens.

Triſte nimium tempus id, cum inſtrumenta cultui pecudum præparata, in cædem hominum verterentur. At nunc rigidi illi mortiferiq; mucrones in ſalutaria vincla curuantur, & exarmatum hominem non interimunt, ſed coercent, deditosq; hoſtes gladij ſui colliſi obtuſiq; tutantur, qui nihil illis prodeſſe integri acutiq; potuerũt. Omnium ergo armorum miniſteria ad diuerſos effectus arbitrio tuo ſeruiunt, Imperator, tibi vincunt gladij, tibi ſeruant, te pugnante feriunt, te ignoſcente cuſtodiũt. Vt Deus ille mundi Creator & Dominus eodem fulmine ſuo nunc triſtes, nunc lætos nuncios mittit: ita eadem ſub numine tuo tela inimicos, aut ſupplices tuos, pernicie aut conſeruatione diſcernunt. Idem porrò Emblema bellum diſſuadet, nec arma omnino ſumenda eſſe vult, niſi alia ratione in pace ac quiete viuere nõ poſſimus.

Quanta debeat eſſe cautio in bellis ſuſcipiendis.

Rectè Cicero dixit temerè in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam, & belluarum ſimile: ſed cùm tempus neceſſitasq; poſtulat, decertãdum manu eſſe, & mortem ſeruituti turpitudiniq; anteponẽdam. Certè bellum non tam facilè ſuſcipiendum, quàm putant quibus, inexpertis potiſſimùm, dulce: nec de vlla re alia magis deliberandum eſt, neque religioſius conſultandum, aut maturius aliquid ſtatuendum quàm de bello: cuius alea vt anceps & dubia, & in quo bis peccare non licet, ſic damnoſa maximè, & omni parte periculoſa: quandoquidem & qui vicit, & qui victus eſt, ſuo damno de ſuo gradu decidit: ille quidem magno fortè ſui ſuorumq; diſpendio victoriam eſt mercatus: hic, quòd ſpes irrita ceciderit, quàm ægrè ferat, quantoq; dolore contabeſcat, omnibus coniectandum relinquo. Principes itaq; magnates, aut etiam magiſtratus, nunquam niſi tamquam ineuitabili neceſſitate preſſi, aleam belli mouere vel minimùm debent, ſed omnibus primùm tentatis remedijs, ſic ſe gerant, vt de ſuo iure quicquam decedat potius, quàm ſua auctoritate tale aliquid committatur. Notum eſt illud Africani Scipionis, turpe eſſe in re militari dicere, Non putarã, quòd inemendabilis error ſit, qui violentia Martis committitur. Facillimum eſt enim arma ſumere, at eadem ſumpta deponere, non æquè facile. Nec verò vt inficias iuerim belli principium penes Principes eſſe, ſic exitus ſanè à diuina prouidentia pendere certò dixerim. Quòd ſi quiſque, vt decet, per ſe conijceret, quàm interſit leui de cauſſa bellum mouere, agnoſceret quã periculoſus ſit Principum ludus, quibus tam parui eſt momenti clades & ſtrages, populi multitudine innumerabilis, ruina, vaſtitaſque: ſed & indigna locorum permultorum vaſtitas, ſolitudo, conflagratio.

Principũ ludus periculoſus.

Herodotus in Clio ait: *ὐδεὶς ὕτω ἀνοητός ἐςιν, ὁ πόλεμον πρὸ εἰρήνης αἱρέεται. ἐν μὲν γὰρ τῇ οἱ παῖδες τὺς πατέρας θάπτουσιν. ἐν δὲ τῷ οἱ πατέρες τὺς παῖδας.* id eſt: *Nullus adeò inconſideratus eſt, qui bellum pro pace eligat: in hac enim liberi parentes ſepeliunt: in illo autem parentes liberos.* Valeant itaque, quibus tam placet belli fortuna, cuius etiam vel proſperè geſti euentus ipſum pœnitere Principem decet, ſi modò vel minimum ſapiat, aut niſi ab humanitate prorſus abhorreat. Addam etiam & illud, nullum regnum, nec vllam Remp. diu manere incolumem potuiſſe, quæ arma crebrò mouerit. Meminerint quibus dulce bellum eſt, quoties in extremum diſcrimen venerint Atheniẽſes, quondam feliciſſimi & potentiſsimi, tot tantiſq; bellis attriti, & poſtmodum deleti, quorum nempè ciuitas à Perſis incendio

Atheniẽſium bella exitioſa.

cendio perdita, à Laconibus affecta ſæpiſſimè, ac mœnibus ipſis exuta, à Philippo Alexandri patre fatigata, ab altero Philippo afflicta, à Rege Ponti Mithridate cædibus & cruore infecta, à Sylla propemodum concuſſa & diruta. Quid Lacedæmonij? quamquam diu ſatis floruiſſe viſi ſunt, idem tamen, quod aliæ florentiſſimæ monarchiæ, & oligarchiæ, ſunt experti; quarum quidem exitium non ab externis, ſed certè inteſtinis potiſſimùm odijs atq; diſsidijs eſt profectum.

Lacedæmoniorū bella inteſtina.

Nihil illa inclyta Roma clarius aut admirabilius, vt quæ

Imperium terris, animos æquauit olympo.

cuius tamen quantò alijs gloria & præcellens dignitas eminentior fuit, tantò ruina caſusq; grauior & periculoſior. Si verò tanti imperij labefactati cauſſam inueſtigemus, bellorum aleæ acceptum eſſe referendum citra negotium æſtimabimus.

Romanorū bella.

Ea enim Romana ciuitas primùm à Porſena obſeſſa, à Pyrrho territa, ab Annibale idētidem cōcuſſa, à Tatio capta, à Brenno expugnata, & à Gallis incenſa: denique viribus ipſa ſuis miſerè proſtrata, & penitus fracta, quid reliqui habuit, quod poſteris Gothis aut Vandalis labefactandum aut concutiendum daret? Credibile eſt tantum imperium tam citò non fuiſſe lapſurum, ſi primores ipſi, quique Reipubl. clauum tenebant ijs temporibus, in iis, quæ parta erant, conſeruandis potiùs elaboraſſent, quàm alienas tanto impetu & ardore animi prouincias inuaſiſſent, vel in exteros, aut etiam ſeipſos ferrum ſtrinxiſſent.

Breuis catalogus bellorum Romanorum.

Sed nos pueri contumaces & diſcoli ſine verberibus nō ſapimus, in pace bellū, in bello pacem quærimus, neq; vnquam niſi bello afflicti pacem vel noſcere incipimus, vel amare; eamq; vt perditam flemus, ſic mox redditam pari leuitate contemnimus, donec nos iterum atq; iterum amiſſa perdoceat bona noſtra non ſpernere, mala noſtra non cupere, deniq; non ineptire, non furere. Sæpiſſimè idem nobis audiendum, nec audiſſe ſat eſt, ſæpiſſimè videndum & experiendum; dicam apertè: vt diſcamus aliquid, ſæpiſſimè vapulandum eſt.

Cōſidera, quæſo, noſtra tempora.

Quare ijs, qui bella ſuſcipiunt, niſi ſeram pœnitentiam incurrere velint, ſemper finis propoſitus eſſe debet, quem ſola prudentia & rerum experientia oſtendere poteſt. D. Auguſtinus Epiſt. 1. ad Bonifac. in c. Noli exiſtimare. c. 23. q. 1. Pacem habere voluntatis eſt: bellum autem debet eſſe neceſſitatis, vt liberet Deus à neceſſitate, & conſeruet in pace. Non enim pax quæritur vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur vt pax acquiratur. Eſto ergo bellando pacificus, vt eos, quos expugnas, ad pacis vnitatem vincendo perducas. Idem can. Apud veros. eod. c. & q. Apud veros Dei cultores, inquit, etiā ipſa bella pacata ſunt: quæ non cupiditate aut crudelitate, ſed pacis ſtudio geruntur, vt mali coerceantur, & boni ſubleuētur. Ariſtoteles Politic. 7. c. 9. ait, neceſſe eſſe arma domi neceſſariò poſita in armamentario ijs, qui Reipub. pręſunt, tum propter eos, qui detrectāt imperium; tum propter exteros, qui iniuriam conantur inferre. Reperio & apud Cornel. Tacitum, lætiorem fuiſſe Tiberium Imperatorem, quia pacem ſapientia firmauiſſet, quàm ſi bellum per acies confeciſſet. Addam hoc poſtremò, dignum certè memoria exemplum. Vitruuius cap. 7. lib. 2. ait, veteres Hetruſcos quò ciuibus ſuis perſuaderent, arma inueniſſe, vt ijs aduerſus hoſtes, non ad ciuilem diſcordiam vterentur, qui ædem Martis ad campum, & extra vrbem, non, vt aliorum Deorum, intra mœnia conſecrarunt. Sed nunc vberrimi pacis fructus nos alliciunt.

Belli finis quis eſſe debeat.

Ex pace vbertas.

EMBLEMA CLXXIX.



GRANDIBVS ex ſpicis tenues contexe corollas,
Quas circum alterno palmite vitis eat.
His compta Alcyones tranquilli in marmoris vnda
Nidificant, pullos inuolucresq́; fouent.
Lætus erit Cereri, Baccho quoque fertilis annus,
AEquorei ſi rex alitis inſtar erit.

COMMENTARII.

1. IN edito ſcopulo, marinis fluctibus vndiq; cincto, pullos ſuos excludit alcyō, in nido ſpicis & vitium palmitibus contexto. Sed ad picturam illuſtrandam alcyonem & nidum eius ex Ariſtotele, Plinio, & Plutarcho deſcribemus Ariſtoteles lib. 9. de nat. animal. cap. 14. ſic deſcribit Alcyonem: Alcyon non multò maior eſt paſſere, colore & cœruleo & viridi, tum etiam leuiter purpureo, & reliqua. Ibidem de ſpecie nidulationis & partu eiuſdem leges. Plinius, qui omnia ex Ariſtotele deſumpſit, lib. 10. c. 32. ſic ait: Ipſa auis paulò amplior paſſere, colore cyaneo ex parte maiore, tantùm purpureis & candidis admixtis pennis, collo gracili & procero. Nidum verò huius auis quod attinet, variant ſententiæ; quidam enim ex ſpinis aculeatis, alij ex ſpicis ſegetum, & vitium pāpinis eum eſſe confectum volunt, vt hic

Alcyon.

Nidus alcyonis.

noſter

noſter Alciatus. Plinius eum ſic depingit loco citato: Nidi earum admirationem habent, pilæ figura, paulùm eminenti ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine: ferro intercidi non queunt, franguntur ictu valido, vt ſpuma arida maris. Nec vnde confingantur, inuenitur: putant ex ſpinis aculeatis, piſcibus enim viuunt. Plutarchus de amore parentum in filios, mirè deſcribit alcyonis nidum; atq; adeo ipſius verba apponam: Alcyonē fac, quæſo, cōtemplere, quæ cum ſe grauidam ſentit, piſciculi marini (quem Græci bellonam vocant) ſpinas in nidi ſtructuram congerit, quas tanto artificio inter ſe connectit, vt neq; ferro, neque ſaxis pertundi queat. Nidi forma vndiq; rotunda, inſtar piſcatoriæ naſſæ in longum exædificatur: At verò ipſum nidi os omnem admirationem ſuperat; ita ad corporis magnitudinē ſeruata proportione, vt nullum animal, licet alcyone minus ſit, ingredi queat. Idem Plutarchus in lib. de induſtria animal. hoc prolixiùs exequitur.

II. *Emblema è Baſilio tractum.* CARMINIS huius fontem lubens repeto è Baſilij Magni Hexaemero, quãquam ſciam, idem apud alios certè veteres legi: ſed mihi admodum placet viri huius ſanctiſſimi doctrina & eloquentia. Sic enim ille Oratione 8. in Hexaem. *ἀλκυών ἐςι θαλάττιον ὄρνεον. αὕτη παρ' αὐτοὺς νοσσεύειν τοὺς αἰγιαλοὺς πέφυκεν, ἐπ' αὐτῆς τὰ ὠὰ τῆς ψάμμου καταθεμένη. καὶ νοσσεύει κατὰ μέσον που τὸν χειμῶνα, ὅτε πολλοῖς καὶ βιαίοις ἀνέμοις ἡ θάλασσα τῇ γῇ προσαράσσεται ἀλλ' ὅμως κοιμίζονται μὲν πάντες ἄνεμοι· ἡσυχάζει δὲ κῦμα θαλάττιον, ὅταν ἀλκυὼν ἐπωάζῃ τὰς ἑπτὰ ἡμέρας. ἐν τοσαύταις γὰρ μόναις ἐκλεπίζει τοὺς νεοττούς· ἐπεὶ δὲ καὶ τροφῆς αὐτοῖς χρεία, ἄλλας ἑπτὰ πρὸς τὴν τῶν νεοττῶν αὔξησιν, ὁ μεγαλόδωρος θεὸς τῷ μικροτάτῳ ζώῳ παρέσχετο, ὥστε καὶ ναυτικοὶ πάντες ἴσασι τοῦτο, καὶ ἀλκυονίδας τὰς ἡμέρας ἐκείνας προσαγορεύουσι. ταῦτα σοὶ εἰς προτροπὴν τοῦ αἰτεῖν παρὰ θεοῦ τὰ πρὸς σωτηρίαν, διὰ τῆς περὶ τὰ ἄλογα τοῦ θεοῦ προνοίας νενομοθέτηται. τί οὐκ ἂν γένοιτο τῶν παραδόξων ἕνεκέν σε, ὃς κατὰ εἰκόνα γέγονας τοῦ θεοῦ· ὅπου γε ὑπὲρ ὄρνιθος οὕτω μικρᾶς, ἡ μεγάλη καὶ φοβερὰ κατέχεται θάλασσα ἐν μέσῳ χειμῶνι γαλήνην ἄγειν ἐπιταχθεῖσα.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: *Alcyon auis eſt, quæ mare accolit: quæ cùm ſit in maris littore parere ſolita, deponit oua in arena, & media hyeme nidum componit, quo maximè tempore ventorum impetu mare tempeſtuoſum eſt. Sed tum venti ſe remittunt, compeſcitur ipſum mare, cùm alcyō ſeptem diebus incubat: excludit enim pullos totidem. Qui cùm cibum appetunt, ſeptem alios dies ad pullorum incrementum minutiſſimo animali liberalis Deus elargitur. Omnes itaq; qui ſe mari committunt id obſeruant, eoſque dies Alcyonios nominant. Quæ tibi conceſſa ac tradita ſunt à diuina prouidentia, cuius etiam vis eluceſcit in iis animalibus, quæ rationis expertia ſunt, vt te commonefacerent ad ea petenda ab eo, quæ tibi ad ſalutem conferrent. Quidnam etiam, quæſo, vel quod fidem excedat alioqui, non eſt tua paratum cauſſa, qui ad Dei factus imaginem ſis; cum propter eam tam minutam auem vaſtum illud ac terrificum mare ſedetur, & hyeme media Dei iuſſu coerceatur?* Hæc ille. Quæ pleraq; videntur ex Ariſtotele lib. 5. de nat. animal. cap. 8 petita. Sic enim ille ibi: Genus auium ex parte plurima vere ac ineunte æſtate coit & parit, excepta alcyone, quæ circa brumam parere ſolita eſt. Quamobrem quoties bruma ſerena exiſtit, dies Alcyoniæ appellantur: ſeptem ante brumam, & ſeptem à bruma, vt Simonides quoque ſuo carmine tradidit: vt cùm per hibernum menſem prudenter conſtituit Iupiter dies quatuordecim, fugamq; ventorum tempus illud vocant mortales, ſacram nutricem variegatæ alcyonis. Tranquillum verò tantiſper efficitur, ſi ita euenerit, vt bruma Auſtrina Vergilijs Aquilonijs fiat; ſeptem primis diebus nidum conficere fertur, reliquis ſeptem parere atq; educare. Dies Alcyonios fieri circa brumam non ſemper in noſtris locis contingit: at in Siculo mari penè ſemper id euenit. Parit alcyon circiter quinq; oua. Vide etiam, ſi placet, caput ſequens. Plinium lib. 10. cap. 32. Plutarchum libro, quo diſputat, vtra animalia prudentiora, terreſtrianè an aquatilia. Meminit etiam huius Aeſopus in fabulis, Lucianus in dialogo, cui titulus ἀλκυών, Aelianus lib. 15. c. 19. Hiſtor. animal. Cauſam verò huius nidulationis hibernæ quærit Albertus, eam eſſe ſuſpicatus, quòd ea auicula adeò rara ſit textu-

Alcyonis ſollertia.

Ariſtoteles de alcyone.

Cur alcyon hyeme pariat,

ra, vt æſtate propter nimiam corporis ariditatem progenerare nequeat, hyeme verò obturatis præ frigore poris, humidioreq; effecto corpore, fiat ad conceptum idonea.

III. *GRANDIBVS ex ſpicis, &c.*] conſice coronam è ſpicis, quos circumdet pampinus alterno palmite, ad ſimilitudinem nidi alcyonum, id erit ſymbolum vbertatis ex pace.

His compta] ornatæ, venuſtę, ſuaues, gratæ. Vel ad nidum, vel ad tranquillitatem refer. Plutarchus alicubi dixit, bonam valetudinem idem eſſe voluptatibus, quod cœli tranquillitatem alcyonibus, quoniam eis concedit vt tuto & ſecurè incubent.

Alcyon, an Halcyon ſcribendum. *Alcyones*] Variè ſcriptū reperitur hoc nomen: alij enim ſcribunt ἀλκύων, ſpiritu tenui: alii ἅλκυων, ſpiritu craſſo. Grammatici Halcyones deducunt ab ἅλς καὶ κύειν, quod in mari pariant, id eſt, παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν. Sed contrà ſtat auctoritas Euſtathij, qui ait verbum alcyonas non recipere flatilem in prima; etiam canone ſubiecto, quoniam α, ante λ, ſi ſequatur κ, flatilem nō admittat. Parum itaq; refert, Halcyon, vel Alcyon ſcribas.

Fabula de alcyonibus. Fabula de Alcyone ſic narratur à Seruio in illud Virg. 1. Georg.

Non tepidum ad ſolem pennas in littore pandunt
Dilectæ Thetidi halcyones.

Ceyx, inquit, filius Luciferi, habuit vxorem Halcyonem; à qua cùm prohibitus iſſet ad conſulendum Apollinem de ſtatu regni, naufragio perijt. Cuius corpus cū ad vxorem delatum fuiſſet, illa ſe pręcipitauit in pelagus. Poſtea miſeratione Thetidis & Luciferi conuerſi ſunt ambo in aues marinas, quæ Halcyones vocantur. Hanc quoq; fabulam multis verbis enarrat Ouidius lib. 11. Metamorph. Verùm Alcyones filias fuiſſe Alcyonei gigantis, Pauſanias prodit, & eſt ab Apoſtolico in

Alcyonū nomina. Ionia repetitum; Phthoniam, Athen, Methonen, Alcippam, Pallenen, Drimo, Aſterien, quæ à patris obitu ex Pallenes promontorio in mare ſe præcipites dederint. Sed ab Amphitrite in auitiam gentem ſunt cooptatæ. Hæc auis Latinis dicitur

Alcedo. Alcedo; ſolent enim aliquando Romani Græca nomina corrumpere, quemadmodum Nilus Latinè dicitur Melo; Atlas Telamon; Ganymedes Catamitus: ſic etiam Alcyon Latinis eſt Alcedo, vt auctor eſt M. Varro lib. de ling. Lat. 3. ne quis Plautinum verbum deprauatum putet, quando dicit in Pœnulo:

Iam hercle tu periſti, niſi illam mihi tam
tranquillam facis,
Quàm mare eſt olim, cùm ibi alcedo pullos
educit ſuos.

Ab alcyone deducitur etiam τὸ ἀλκυόνιον. quod eſt marina ſpuma, qua nidum congerunt halcyones, ait Dioſcorides in 5. c. 136. Theophraſt. lib. 1. cap. 8. περὶ φυτῶν ἱστορίας, Vide Plinium lib. 32. cap. 8. *ἀλκυόνιον.*

Tranquilli in marmoris] id eſt, in marmoreo vel ſaxeo ſcopulo, quò aqua marina alluit: vel marmor potiùs pro mari pellucente & æqualiter ſtrato accipitur. Sic Virgil. 1. Georgic.

Vt quando infidū remus impellere marmor
Conueniat.

Intelligit autem hic Alciatus dies illos ſerenos & tranquillos, quibus alcedo fœtificat, vnde illi à re ipſa nomen inuenere ἀλκυονίδες καὶ ἀλκυονίτιδες. Ariſtoteli lib. 5. hiſtor. animal. cap. 8. dicuntur αἱ εὐδιειναὶ ἡμέραι. Varro lib. 6. de ling. Lat. Alcedo Græcè ἀλκύων. Hæc hyeme quòd pullos dicitur tranquillo mari facere, eos dies Alcyonios appellant. Vnde Pacuuius: *Dies alcyonij.*

Halcyonis ritu littus peruolgans furor.

Ouidius 11. Metamorph.

Perq; dies placidos hiberno tempore ſeptem
Incubat alcyone pendentibus æquore nidis.

De Alcyonidum verò numero mira inter Græcos eſt diſceptatio: quinq; modò eos ſtatuenti Symonidi calculū adiicit Ariſtoteles. Samio verò Demagora ſunt ſeptem, nouem autem Philochoro, aliis deniq; etiā quatuordecim, vt ſeptem intelligantur ante excluſum fœtum, totidemq; poſt. Nec me fallit, eſſe inter claſſicos, qui tradant octauo Calendas Martias eſſe Alcyonios dies, quibus in Atlātico quidem mari ſumma notetur tranquillitas. Cœl. Rhodig. lib. 14. cap. 11. *Alcyonidum dierū numerus.* Huc quodammodo refertur, quod quidam alcyonem pro iuſtitiæ forenſis hieroglyphico ponunt. Qua ratione à Plauto in prologo Caſinæ dicitur: *Iuſtitiā forenſe.*

——Alcedonia ſunt circum forum.

Id enim aptiſſimè intelligitur de intermiſſis fori procellis & turbinibus: quo alluſit Horatius, cùm dicit, & merſari ciuilibus vndis. Ita dies Alcyoniæ dicuntur, quibus fora conticeſcūt. Iulius Scaliger ſæpe quoque in ore habuiſſe dicitur tale dictū: Fatū meum eſt mare hibernum, in quo non eſt alcyon. *Iulij Scaligeri dictum.*

alcyō. Vide adagium, *Alcedonia ſunt apud forum*.

Innolucres. *Pullos innolucres*] nondum potentes ad volatum, impuberes. Gellius lib. 2. cap. 29. Pulli etiam tunc inuolucres erant. Politian. in Ruſtico:

——auſcultat an intus
Pipiat innolucer pullus.

Lætus erit Cereri, Baccho quoq;] Prouentus & vbertas annonæ erit maxima. Per metonymiam verò dixit Cererem pro frugibus, Bacchum pro vino, ſicut Terẽtius: Sine Cerere & Baccho friget Venus. *Ceres vnde dicta.* Ceres autem dicta eſt, quaſi Geres, à gerendo, quod terra ferat omnia. Porrò annona ponitur inter res eas, quæ ciuitati maximè neceſſariæ ſunt: cui diligenter eſſe prouidendum Principibus & Magiſtratibus ſapientes monent, ut victuus annuus ciuitati *Annona Romana.* deſit. Noti ſunt populares Romæ tumultus ob annonæ caritatem; itaq; frumẽtum ſæpe aduehebatur ex Africa, Sardinia, Sicilia: quas tres prouincias, tria Rom. populi frumentaria ſubſidia Cicero appellat in ea, quæ eſt pro lege Manilia. Idem quarta Verrina, Siciliam nominat cellam penariã Reip. nutricem Romanæ plebis. Et præfectus annonæ creabatur, qui frumentum vndiq; coemendum curaret, & in vrbem aduectum iuſto pretio venire iuberet.

Aequorei ſi Rex alitu inſtar erit.] Si ſeſe habeat in ſuos Princeps quilibet ac Alcedo marina in pullos. Eſt enim Principis virtus maxima nõ modò noſſe, ſed & tutari ſuos.

IV. NATVRALEM hanc hiſtoriam accommodat Alciatus ingenioſè ad pacis optimæ prouentum, qui in optimi Principis *Officium boni Principis.* regimine cõſiſtere videtur. Significat enim optimi Principis officium in id incumbere penitus debere, vt populum in ſuis regionibus & prouincijs neceſſario prouentu inſtructis foueat & tuetur, habita primùm ratione tempeſtatum, earumque calamitatum, quæ ſolent in dies accidere: ſinatque ventos remittere, & tandem procellas ebullientes hoſtium conquieſcere, vt ſecurius in pace poſtea viuatur: idq; alcyonum more, quæ in medio mari nidum conficiunt admirabili quadam ſolertia: quibus tam benigna ſors eſt, vt ſtatim cum oua ponãt, omnes venti ac procellæ miteſcant; quos dies etiam nautæ accuratè obſeruant. Hęc licet perſpicuæ ſint omnibus, illuſtrandæ tamen huius pulcherrimæ ſententiæ cauſſa, reperam grauem ſanè & cordatam Dionis Chryſoſtomi diſputationem de regno, *Dionis Chryſoſtomi præclarus locus.* qua Regum officium & conditionem ponit ob oculos. Sic ergo primùm: Principẽ continuis laboribus & vigilijs intẽtum eſſe decet. Nam in naui licet vectoribus abſque cura plerumque deſidere, & ne aſpicere quidem marinos fluctus, imò verò neque ſcire, quod aiunt, vbinam terrarũ ſint. Sic enim permulti hoc modo Pontum ſecuri traijciunt, talis ludunt, canunt, conuiuantur totos dies, & tempeſtate ipſa vndique imminente inuoluti expectant euentum: alij oppreſſi altiſſimo ſomno non antè ſurgunt, quàm ad portum appulerunt. At gubernatori neceſſe eſt mare ipſum continuò obſeruare, aerem cœlumque intueri, ad terram aſpicere: neque ignorare quæ in fundo ſunt, niſi velit allidere ad ſcopulos, qui in aquis lateant. Neque verò ille vnus noctu dormit, alijs altè ſtertentibus: interdiu autem ſi breuem ſomnum aliquãdo ſuffuretur, tamen dubius hæret, neque præſenti animo id facit, vt ſæpè ſuos adhortetur aut contrahenda vela, aut clauũ ſiſtendum, aut quidpiam tentandum aliud, vt etiam inter dormiendum nihilo ſegnius officium faciat, cùm alijs impunè ſomnũ capere liceat. Eadem ratio eſt expeditionũ: militum quiſq; ſui dumtaxat curam ſuſtinet. At ducis munus longè maius eſt atque difficilius, nempè vt omnes & ſinguli bene armati ſint, habeantq; veſtium ſatis; nec modò vt illis ciborum ſatis ſit, ſed & vt equi diligenter inſtructi ſint. Quod ſi ſecus videat, quàm par ſit, maiore triſtitia ille afficitur, quàm ſi quibus ipſemet indigeret: quippè qui ſuorum ſalutem nõ minoris æſtimet quàm ſuam ipſius. Et quidem reliqua pulchra reuera ſunt: lege, ſi placet. Cæterùm fertilitatem & mille com- *Ex pace quanta cõmoda prouenniant.* moda ex pace proſilire auctores omnes vno ore teſtantur. Ouidius 1. Faſtor.

Sub iuga bos veniat, ſub terras ſemen aratas:
Pax Cererem nutrit, pacis alũna Ceres.

Et pluribus canit Tibullus lib. 1. eleg 10.

——Pax candida primùm
Duxit araturos ſub iuga curua boues.
Pax aluit vites, & ſuccos condidit vuæ,
Funderet vt gnato teſta paterna merũ.
Pace bidens, vomerq; vigent: at triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Baptiſta

Baptiſta Mantuan. de pace:

Pax plenũ virtutu opus, pax ſũma laborũ,
Pax belli exacti pretiũ eſt, pretiumq; pericli.

Nec minus eleganter Græcorum muſa pacis commoda commendat. Euripides poeta tragicus, Supplicibus, vbi multa pacis commoda percẽſentur à præcone, Theſeum monente ne bellum moueat in Thebanos.

ὅσῳ τε πολέμυ κρεῖσσον εἰρήνη βροτοῖς;
ἣ πρῶτα μὲν μούσαισι προσφιλεςάτη,
ποιναῖσι δ᾽ ἐχθρὰ, τέρπεται τ᾽ εὐπαιδίᾳ,
χαίρει δὲ πλούτῳ. ταῦτ᾽ ἀφέντες οἱ κακοὶ
πολέμυς ἀναιρούμεσθα, κ̀ τὸν ἥσσονα
δουλούμεθ᾽ ἄνδρες ἄνδρα, καὶ πόλις πόλιν.

Quanto bello potior pax mortalibus?
Quæ primùm quidem Muſis gratiſſima,
Cruciatibus verò inimica, delectatur felice ſobole:
Diuitijs etiam abundat. Hac tamen nos relinquentes improbi
Bella ſuſcipimus & minus fortem
Subigimus viri virum, & ciuitas ciuitatẽ.

Citantur & iſti Menandro ſenarij:

Εἰρήνη γεωργὸν κᾂν πέτραις τρέφει καλῶς,
Πόλεμος δὲ κᾂν πεδίῳ κακῶς ἔτυ.
Alit colonum pax vel in ſaxis bene:
At bellum in ipſo noxium campo quoque.

Sed audiamus etiam Ariſtophanem Romana lingua canentem:

O ſtulte, ſtulte, hæc omnia paci inſunt,
Vt ruri aliquis in prædio habitet,
Immunis à forenſibus negotijs,
Proprium poſſidens iugum boum.
Balantes & audiat oues,
Capræq; vocem ad mulctram emulgenda.
Obſonijs autem vtatur conchis & turdis;
Neq; expectet in foro venales piſciculos
Triduanos, magni precij, contrectatos
Piſcium venditoris iniquiſſima manu.

Adijcerem huc elegantiſſimum pacis encomium ex cap. 53. Stobæi, niſi putarem ſatis eſſe ea de re ſtudioſos admonuiſſe. Hæc dum altiùs mecum perpendo, non incommodè ſubit pulcherrima vrbs Venetiarum, quæ quia pacis eſt ſtudioſa, licet in medijs vndis ſita, agrorum & hortorũ penè expers, omnium tamen rerum annona vberrimè abundat: ibi enim ſemper plena ſunt granaria, plenæ cellæ, plenum vbique forum rebus omnibus, quas vel cupidus optare auſit; adeò vt hanc vrbem non immeritò Alcyonum nido conferre poſſim, vbi ſub clementia ſolertis Principis & prudentis Senatus dies verè Alcyonii aguntur. Verte aciem oculorum quocunq; libet, vndiq; obuia ſunt ſigna meram pacẽ & tranquillitatem ſpirantia. Non hic chlamys aut ſagum cingit milites, ſed purpurea toga condecorat patres: non cincinnatos capillos premit criſtata galea, ſed venerandam canitiem tegit libertatis index pileolus: non raucus tubarum clangor horrendum reboat claſſicum, ſed aures mulcet ſuauis tibiarum ſymphonia: non quatiunt campum equorum vngulæ quadrupedante ſonitu, ſed ſedato nauigiorum ductu vndas ſulcat remigium: non acutus hinnitus bellicum terrorem incutit equiti, ſed feſſos remiges reficit aſſa vox celeuſmatis. Ecquid hoc aliud quàm tranquilla libertas, & libera tranquillitas? vnde rerum omnium copia & abundãtia profluit. Quis igitur, ò inclita Reſpublica Veneta, ſine linguæ torpore, ſine mentis ſtupore dignis te celebret encomiis? quæ par tuis laudibus inueniri poſſit eloquentia? cuius totus orbis *veneratur maieſtatem*; *ſtupet miracula*; *ſuſpicit excellentiam*. *Veneratur maieſtatem*, ſiquidem tu, ceu nouum aliquod Pantheon, omnia in te contines numina, quæ credula finxit antiquitas, & vana perſuaſit opinio. In tuo enim Patauio ſedem ſtabilem fixit docta Pallas: victricem Bellonam tua colit Vincentia: gaudet Delphicis Apollinis oraculis vera vna Verona: officinam ſuam Vulcanus artifex aperuit Brixiæ: dona & bona ſua Flora colligit Salodij: fœcunda Pomona fructus ſuos explicat circa litus Benaci: robur inuicti Herculis defendit Cremam: Triptolemus vomere ſulcat læta & lata ingera Bergomi: regina Deum Iuno diuitias ſuas oſtentat Taruiſij: Pan cum Faunis vagatur per cædua nemora Iſtriæ: Cererem veneratur frugifera Dalmatia: lætitię datorem Bacchum habet Creta inſula: te vaſtum mare ſuum agnoſcit Neptnnũs: te inſtructiſſimum nauale Martem prædicat: theſauro diuite Plutonem poſſides; Veneris æmula es pulchritudine: certas cũ Luna fœcunditate: Atlanti non cedis fortitudine: Mercurius in te ſuum habet gymnaſium: æquitati Rhadamanti æquipollẽt tua iudicia: Saturnus es ſenili conſilio: Iupiter ipſe in ſupremo Senatu. *Stupet verò mira-*

Venetiarum encomium.

Pacis ſtudioſa Venetia.

Venetæ Reipub. laus, à maieſtate.

Ab admirandis. *miracula*, ſiquidem ciuitas es, cuius naues ſunt arces mobiles; cuius triremes ſunt oppida volatilia; apparatus bellicus, ſalutis conſeruatio; patentes vndæ, campi victoriæ & caſtrorum areæ; vadoſæ lacunæ, mœnia fortiſſima & muri inexpugnabiles; canales reflui, turres munitiſſimæ; arenę moles, firmiſſima propugnacula: in te pacificę togæ ſunt ornamenta militaria; ſuperba palatia ligneis innixa baſibus, ſunt de ſolido marmore operoſæ moles; fora ſterilia diuite beātur cornucopiæ: in te ſplendida ædificia delineata ſunt in *ἀσυνασίᾳ*, & fun-datain inconſtantia: tui populi in quiete ſunt formidoloſi, in pace bellicoſi; ciues in togis geſtant clypeos, haſtas in epomide; iuuenes in flore ætatis decerpunt maturos fructus ſenilis prudentiæ; ſenes in canitie continent viuidum vigorem, & in debilium mēbrorum infirmitate validum robur intellectus: in tuo Senatu multitudo ſuffragiorum obtinet vnionem ſententiarum. *Suſpicit deniq; excellentiam*, quandoquidem *Ab excellentia.* tu, ò Veneta vrbs, aſylum es tranquillum libertatis, ſelecta legio nobilitatis, inexhauſta auri & argenti fodina, expeditum machinarum bellicarum promptuarium, celebris officina Martis, perita magiſtra militiæ, nutrix ſtrenuórum ducum, receptaculum fortiſſimorum militum, genitrix pulcherrimarum victoriarum, gladius & ſcutum Chriſti fidelium, tutus portus totius Italiæ, auguſtum templum pacis, potens regina maris, ornatum pulchritudinis theatrum, feſtiua pompa artium, rarum naturæ miraculum, Sol nitidus illuſtrium vrbium, glorioſa ſuperbia ſubditorum po-pulorum, lucidus orbis ocellus, dilectum Europæ corculum, capaciſſimum diuerſorium omnium gentium, ampliſſimum forum mundi, idea moderati imperij, verum cœli ſimulacrum: deniq; tota es miraculum, imò compendium & breue complementum miraculorum, quæ vaſto ambitu orbis totius claudit machina. Plura addidiſſem, niſi garrula hirundo & ſtridula cicada ſequētis Emblematis, ſermonem abrupiſſent.

Doctos doctis obloqui nefas eſſe.

EMBLEMA CLXXX.



QVID rapis heu Progne vocalem ſæua cicadam,
Pignoribuſq́; tuis fercula dira paras?
Stridula ſtridentem, vernam verna, hoſpita lædis
Hoſpitam, & aligeram penniger ales auem?
Ergo abiice hanc prædam: nam muſica pectora, ſummum eſt,
Alterum ab alterius dente perire, nefas.

COMMENTARII.

I. SVB tecto ruinoſi & vetuſtate labentis ædificij nidus conſpicitur hirundinis, quæ arreptam cicadam roſtro ferens verſus nidum ſuum volat.

II. *Character Emblematis.* ET hoc ἄδηλον ex 1. Græcorum Epigrammaton tit. εἰς ὄρνεις, traxit. Sic enim habet Græcus:

ἀτθὶ κόρα, μελίθρεπτε, λάλος, λάλον ἁρπάξασα
τέττιγα, πτανοῖς δαῖτα φέρεις τέκεσιν·
τὸν λάλον, ἁ λαλόεσσα· τὸν εὔπτερον, ἁ πτερόεσσα·
τὸν ξένον, ἁ ξείνα· ἀρινὸν ἡ ἀρινά.
οὐχὶ τάχος ῥίψεις; οὐ γὰρ θέμις, οὐδὲ δίκαιον
ὄλλυσθ' ὑμνοπόλους ὑμνοπόλοις στόμασιν.

O Attica decenti forma, cantu nutrita,
[cur] vocalis vocalem diripiens
Cicadam, pennatis in prædã fers pullis?
Garrulam garrula, & volucrem plumis prædita:
Hoſpitam hoſpita, vernam verna?
Non cita conflicteris? non enim fas, neque iuſtum [eſt]
Perdere canoros canoro ore. [id eſt, vt animalia canora deglutiant, & abſumant ea, quæ ſunt ore vocali & canoro]

Cur agedũ in prædam fers pullis ore cicadã
Attica, forma decẽs, carmine ſueta leui?
Garrula garrulam adhuc, volucrem plumata canoram,
Vernam verna etiam, tuq́; auis hoſpes auem?
Quin age ſiſte precor, neq; enim fas inuere canoros
Tam diris animis ora canora vorent.

Epigramma facile eſt, & pulcherrimis antithetis refertum. Sed illud permultum illuſtrabit quæſt. 7. Sympoſ. 8. Plutarchi, quę eſt de nota ſeu ſymbolo Pythagorico, quo hirundinem hoſpitem recipi vetabat Samius ille ſenex. *Carnem depaſci ſolet hirundo, inquit, venaturq́; ſacras illas Muſis canoras cicadas.* σαρκοφάγος γάρ ἐστιν ἡ χελιδὼν, καὶ μάλιστα τοὺς τέττιγας ἱεροὺς, καὶ μουσικοὺς ὄντας ἀποκτίννυσι, καὶ σιτεῖται. Vide reliqua ibi, & adagium, *Hirundinem ſub eodem tecto ne habeas.*

III. *QVID rapis heu Progne*] hirundo, de qua dictum eſt Emblemate 70. ex Ouidio 6. Metamorph.

Vocalem ſæua cicadam] canoram: vnde vulgatum prouerbium; *Cicada vocalior.* Sed de cicada diximus ſupra Emblemat. 137. & 164. & dicemus paulò infra Emblemat. 185.

Pignoribus] pullis tuis.

Stridula ſtridentem] garrula garrulam. In Græco eædem ſunt πολυπτώσεις: nam τὸν λάλον ἁ λαλόεσσα. reddit ſtridula ſtridentem. cicadas enim ſtridere, non canere ſupra Emblemat. 164. ex Plinio probauimus. Ceterũm verſus iſte antea incipiebat: *Ac ſtridula ſtridulam.* idq; pulchriore figura; quia verò non patiebatur carminis lex, ideo lectio fuit immutata: *ſtrideo*, enim primam producit.

Vernam verna] ἀρινὸν ἡ ἀρινά tu quæ veris tempore canis, volucrem etiam vernam corripis. Hirundines hyemis exules refert Plinius lib. 18. cap. 31. pariter & cicadas æſtiuas eſſe, & frigoris tempore euaneſcere, idem lib. 11. c. 26. Vtræq; etiam ſuo aduentu æſtatem præſagiunt. Hinc Ouidius 2. Faſtor. *Hirundo et cicadæ hyeme exulant.*

Fallimur, an veris prænuncia uenit hirũdo?

Hoſpita lædis Hoſpitã] τὸν ξένον ἁ ξείνα. domeſtica domeſticam. vtraque enim non abhorret ab hominum hoſpitijs; altera prope lares patrios nidificat, altera vel in hortulis noſtris exauditur. Hoſpes verò dicitur & qui recipitur & qui recipit, & qui recipitur hoſpitio: vnde duplex poteſt eſſe ordo in expoſitione. Tu hirundo, quæ aduena es, læ- *Hoſpes.*

dis

dis illam, quę te excepit; nam cicada αὐτόχθων. id eſt, *indigena* eſt, vt diximus Emblem. 137. Vel tu aduena lædis aduenam, quaſi etiam cicadæ poſt æſtatem commigrent, alio tempore non comparentes. Neſcio an huc adijcere auſim elegātiſſimum Martialis carmen de hirundine ab aliis dilaniata, eò quod apud nos manſerit hyemis tempore.

Martialis epigrāma de hirundine.

Hibernos peterent ſolito cùm more receſſus
Atthides, in nidis vna remanſit auis.
Deprehendere nefas ad tempora verna reuerſa,
Et profugam volucres diripuere ſua.
Serò dedit pœnas; diſcerpi noxia mater
Debuerat, ſed tunc cùm lacerauit Itym.

Aligeram penniger ales] τὸν εὔπτερον ἁ πτερόεσσα. pennata pennatam.

Abice hanc prædam[Syncope, pro Abiice, captam cicadam.

Nam muſica pectora] Gręcus dixit ὑμνοπόλους, id eſt, canentes, ſtridorem emittētes cicadas. Muſica autem pectora dixit, interpres, quia pleriq; docent, omnes aues canoras dici Muſarū volucres: Cicadas verò ob cantū Apollini ſacras eſſe volūt iuxta Ariſtophanis Scholiaſtē ἐν νεφέλ. οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ ἀπόλλωνι. Et Troianos oratores cicadis comparauit Homer. Iliad. γ. Hoc loco muſica pectora, pro literatis hominibus iisq; qui sūt liberalibus artibus politi, vſurpari liquet. Omninò veteres quidquid eruditum & ſuaue eſſet, muſicum appellabant, ipſiſque Muſis aſſignabant. Confirmat id Budęus: Muſicæ appellatione, inquit, priſci humanitatem literarum ſignificarunt, in qua ingenuos homines docebant ocium conterere, animumq; recreare. Eo ſenſu hac voce non rarò vtitur Auſonius; & Symmachus epiſt. 4. Nos (inquit ad Promotū) muſicę facundię inopiam confitemur.

Muſica pectora quid.

Summum eſt nefas] iniquum eſt, eos hoſtili odio diſſidere, inter quos ſumma debet eſſe concordia. γνώμη hic eſt, qua innuit abſurdum eſſe, & fermè impium, eiuſdem ordinis viros ſeſe mutuò conficere: Tum enim vel maximè periculoſa eſſe ferunt tempora, quibus lupus lupinam eſt. Et quamquam, vt loquitur Iuſtinus lib. 26 aſſiduum inter pares diſcordię malum ſit, tamen id locum habere non debet inter doctos & ſtudioſos Muſarum cultores, inter quos vna & conſtans animorum conſenſio & concordia neceſſaria eſt.

IV. *Rixæ & contentiones à ſtudioſis aliena.*

INCREPAT hirundinem, quę cicadam ad paſtum corriperet. Quo orationis inuolucro doctos mutuò ſeſe prouocantes arguit: his enim rixis & contentionibus ferè fit, vt nullum aliud pernicioſius malum ſuboriri poſſit. Si quo conuicio docti ab ignaris & rerum inſcijs impetantur, nō debet haberi nouum aut inſolens, cùm vt plurimùm audax eſſe ſoleat ignorātia, qua nullum aliud malum aut intractabilius aut difficilius. At cùm doctus doctum, & Chriſtianum Chriſtianus iniurijs, contumelijs, clamoſis diſputationibus, vel etiam famoſis libellis impetit, quod bonis literis & Reipublicæ malum atrocius aut exitialius eſſe poteſt? quæ clades, imò quod naufragium præſentius, cùm in medijs fluctibus irato mari concertatio naſcitur inter nauis ductores, aut etiam gubernatores ipſos, à quibus eorum, qui ſunt in eadem naui, vel vita, vel mors pendeat? Nullum certè miſerius accidere detrimentum ſocietati humanæ poteſt, quàm cum eruditi eruditos (à quibus certè pendere debet popularis multitudo, vt eorum ductu ſeſe in officio contineat) nigro dente conuellunt: quo fit interdum, vt diutius altercando veritatem opprimant. Num verò abſurdū & odioſum maximè omnibus videri debet, eos, quos par eſt inter ſe omninò conuenire, mutuisq; officijs animos innicem ſibi deuincire, nimirum quòd ijſdem ſacris initiatos ad vtilitatē communem liberales diſciplinas excolere ex officio decet, quas tanquam communi quodam vinculo, & quaſi cognatione inter ſe contineri nemo neſcit: nonne, inquam, prorſus ridiculum eſt, eos ſeſe mutuis iniurijs proſcindere, in vitam moresq; debacchari, & falſis criminationibus æmulos onerare, qui alios coercendi ius habent, quoties aliqua vel leui occaſione rixantur & decertant? Quę ſanè contumeliæ eò nocentiores ſunt, quò in plures deriuantur: ex ijs enim non minimum famæ detrahitur, eorum potiſſimū, qui, vt loquitur Horatius, hoc ſucco lolliginis, & ærugine mera tinguntur? Non inuitus quidem fatebor in concertationibus eiuſmodi quædam certè, nec obſcura ingeniorum videri ſpecimina, id tamen generis eiuſdem ſemper indicaui non tam laborioſæ quàm pericuoſæ plenum opus aleæ, in quo ſæpenumerò, vbi quis commenda-

Nimium altercando veritas amittitur.

Nullus è maledictis famā capias.

mendationem nominis aucupatur, neſcio quo fato famæ iacturam facit. Certè, vt hoc adijciam, neminem vnquam fuiſſe credo, qui maledictis & conuitijs in alium iactis honeſtiorem famam mercari vnquam potuerit. Quæ porrò cæcitas, in hiſce decertationibus ad iudicem confugere omniũ corruptiſſimum & iniquiſſimum, nempe turbam popularem? cùm dubium non ſit, quàm non videat, quamq; cæcutiat, vt videre non poſſit

Ædibus in proprijs quæ recta aut praua gerantur.

Itaq; qui fieri poſſit, vt ſano mentis oculo, quæ captum excedũt ſuum, intueatur? Id quidem (quod tamen grauatè dicam) temporibus noſtris exulceratiſſimis ſæpenumero vidimus, non modò in ijs diſciplinis, quæ ad humanitatem pertinent, ſed & in diuinis omninò ſcriptis, atque pietatis Chriſtianæ oraculis; quorum auctoritati apud quàm plurimos non parum detractum eſt, quòd de ijs importunè & intempeſtiuè doctores pleroſq; digladiari viderint. Ex quibus mutuis diſſidijs nihil certè rei literariæ fructus, aut ornamenti acceſſit, ſed de pietate & bonis moribus non minimum deceſſit, dum non eſt qui velit ingenio cedere. Sit aliqua inter ſtudioſos contentio, ſed abſit à maledictis, à contumelijs, à rixis: & vt ſunt expertes inuidentiæ Muſarum fores, quemadmodum ex veteribus pleriq; dixerunt, ſic ne admittãt quidem iurgia, vel animorum diſtractionem aliquam inducant. Scitè Chryſippus: Qui ſtadium currit, inquit, contendere & eniti debet quàm maximè poſſit, vt vincat; at eum, cum quo certet, aut ſupplantare, aut manu depellere, nulla ratione debet: ſic tota animi contentione licet ex literis indefeſſo curſu ſplendorem, & nominis celebritatem aucupari, ſed ſocij aut riualis curſum dolo quodam malo remorari, aut eius mores impetere, vel etiam doctrinam (niſi prorſus mala ſit) mordaci aceto conſpergere, quò vel deſiſtat, vel habeatur contemptui, non modò hominis eſt diſſoluti & inuidi, ſed & animi puſilli & planè illiberalis. Inter pares tamen inuidia ſæpe ſolet innaſci, quod præter cæteros notat gloſſographus Accurſius, auctor non pœnitendus, ad l. ſi exceptione, 14. §. eo qui, ff. quod met. cauſa. hi dicuntur Luciano lib. de calumnia, *ὁμότεχνοι*, inter quos propter artis eiuſdem communitatem per acres ſimultates & iurgia nonnunquam implacabilia exardeſcunt, vel occaſione ſperatæ gloriæ, aut lucri captati, cùm nemo artifex ſe libenter poſtponi patiatur, aut contemni. Sed tamen dignum eſt, vt qui ſimilem cum alijs vitam ſuſcipiunt, ſimilem cum alijs ferant diſciplinam, c. recolentes, de ſtat. monachor. Imò qui ijſdem ſacris initiati ſunt, artium meliorum concordi pace ligentur, vt meminerint Muſas dici Græco verbo *μούσας*, quaſi *ὁμοιούσας*, id eſt, ſimiles, inter quas ſumma ſit cõcordia, quamquam inter tonos diſpares. Vnde bene Themiſtius oratione quadam, quo loco ait Muſas inter ſe numquam rixari, ſed optimè illis cum Apolline conuenire: ita etiam poetas minimè à poetis debere diſſidere. Græcè ita: *καὶ αἱ Μοῦσαι ἐννέα συγχορεύουσιν ἀλλήλαις καὶ τῷ Ἀπόλλωνι, καὶ οὐδεμία αὐτῶν ἀγανακτεῖ πρὸς τὰς ἄλλας, ὅτι μὴ μόνη σοφία ἐστὶ, μηδὲ αὐτῇ μόνῃ προσεύχονται οἱ ποιηταί.* Veriſſimè ille, ſiquidem omnium honeſtarũ diſciplinarum inter ſe magna ſimilitudo & concordia eſt, quæ omnes ad humanitatis ſeſe cultum comparent. Solemne eſt, ſi *κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων, figulus figulo inuidet, & faber fabro*, vt ait Heſiodus, ſed inhumanum eſt, & nullo ferendum pacto, ſi Grammaticum inceſſat Grammaticus, ſi Rhetorem Rhetor, ſi Logicum Logicus; quia cenſemus inanẽ eſſe artium meliorum vſum, niſi cum litterarum ſucco mores inſtituantur, vitæque ratio conformetur, qui finis eſt eruditionis omnis ac doctrinæ. Eloquentia malè ſine moribus diſcitur, ait Plinius Secundus. Æuo ſuperiore maiores noſtri viri ſani patienter audiuere rixas, quæ in Italia per aliquantum temporis ortæ ſunt inter Robertellum, Maioragium, Nizolium, Sigonium, quarum contentionum veſtigia libris editis poſt auctorum mortem ſuperſunt. Et in Pariſienſi quoq; ſchola diu non ſine rixis ac cauillis contenderunt eruditi viri Antonius Goueanus, & Ioachimus Perionius in Petrum Ramum: quos proximè ſecuti Adrianus Turnebus, Iacobus Carpentarius, Leodegarius Quernus, diutius de re litteraria contenderunt, ſed quanto cum fructu, videriní qui ea de re iudicare ſobriè poſſunt. Vide adagium, *Canina vellitans, cynocephalum oppugnas.*

Elo-

Deteſtatio litigiorũ hodiernorum.

Inuidia inter pares.

Doctorũ virorum contentiones.

Eloquentia fortitudine præſtantior.

EMBLEMA CLXXXI.



ARCVM læua tenet, rigidam fert dextera clauam,
Contegit & Nemees corpora nuda leo:
Herculis hæc igitur facies? Non conuenit illud
Quòd vetus, & ſenio tempora cana gerit.
Quid quòd lingua illi leuibus traiecta catenis,
Queis fiſſa faciles allicit aure viros?
Anne quòd Alciden lingua, non robore Galli
Præſtantem populis iura dediſſe ferunt?
Cedunt arma togæ, & quamuis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

COMMENTARII.

1. HERCVLES pingẽdus eſt cano capillitio, pelle leonina indutus, ſiniſtra manu arcum, at dextera nodoſam ſuã clauam gerens; cuius lingua traiecta eſt multis catenulis, quæ ad aures copioſæ turbæ ducuntur, eamq; quaſi trahere videntur, ſicut ſcitè ſingula deſcribemus ex Luciano. Sed hanc figuram hic cælator per ſummam inſcitiam deprauauit, aut ẽ fiſſam Herculi linguam auditoribus cate-

na traiectam exprimens, per turpiſſimum ὕστερον πρότερον.

11. *Typus Emblematis ex Luciani Hercule.*

HAEC ἀνδριαντογραφία Herculis expreſſa eſt Luciani quadam præfatione, qua oſtēdit Celtas, id eſt, Gallos, olim Herculem ὄγμιον nominaſſe, eumq; eloquentiæ ſapientiæq; Deum exiſtimaſſe. Apud quos ita effingebatur, vt ſenex, caluus & rugoſus, inculto capite & glabro, cuiuſmodi ſeniores nautas marinos videmus: adhęc leonino tergore indutus, dextera clauam tenens, arcum ſiniſtra, pharetram ex humero pendulam habens; cōfertiſſimam quandam hominum multitudinem trahens catenulis ex auro & electro tenuiſſimis, linguæ ſuæ extremitate perforata inſertis, eamq; non inuitam, ſed vltrò ſequentem, imò etiam hilares omnes, nec vllo modo reſtitantes, vt huic aſſentiri videas, ducentem ſe Deum laudibus efferentes. Id nihil aliud indicabat, quàm Herculem eloquentia & fortitudine præſtantem, diſſipatos olim Gallos & efferatos, ad iuſtitiam, & mitiorem vitam viuæ viribus eloquentiæ reduxiſſe: cuius facti tam inſignis hiſtoriam mendax Græcia figmentis eſt perſecuta, & ad armorum ſtupenda facinora poſtea conuertit, atq; ad ſuum Herculem Iouis ex Alcmena filium retulit, quod Herculi Gallo, diuinæ cuiuſdam naturæ viro, propter ſagacitatem, prudentiam ſingularem, & admirabilem eloquentiam peculiare fuit.

Quid Hercules ille Gallicus.

Putant nonnulli ex philologis, auctores haudquaquam aſpernandi, Gallos veteres fuiſſe φιλέλληνας, hoc eſt, vt Minos interpretatur, Græcæ non modò linguæ, ſed & doctrinæ peritos: idque primū ex C. Cæſare confirmant, priuatim publiceque Græcis literis vſos olim Gallos: & in caſtris Heluetiorum tabulas repertas Græcis elementis cōſcriptas. Maſſilieſes quidem loquutos Græcè, Strabo Geographus primi nominis teſtatur, quo tempore incorrupta eſſet minimèque confuſa Phocenſium colonia. Nec verò prętermittunt Druidas illos veteres religionis Gallicę antiſtites, quos iiſdem fuiſſe diſciplinis imbutos atque ſophos Græciæ, memorāt. Imò etiam coniecturis quibuſdam nō inanibus aſſeuerant, diſciplinam Semnotheorum, Druidarum, Bardorum, Saronidarum, vetuſtiſſimorum in Gallia doctrinæ omnis liberalis profeſſorum, multis ante ſeculis apud Gallos floruiſſe, quàm Cadmus è Phœnicia veniſſet in Græciam: quam ad re probandam citant Ariſtotelem in Magico, qui ait Philoſophiam à Celtarum Semnotheis duxiſſe initium, & Galliam fuiſſe magiſtram Græciæ. Ioannes quoque Annius in Beroſum (niſi me nomen Beroſi fallit) de regibus Babyloniæ, tradit Græcos à Gallis literas habuiſſe: apud quos quàm domeſtica fuerit eloquentia, pluribus contendit Budæus 1. De aſſe, & maximè Commentariis in Pandectas ad l. 1. De ſeru. corrupt. §. Quod ait prætor. Lōgum eſſet percenſere, quàm doctis & eloquentiſſimis hominibus iam olim Gallia multiſq; ſeculis abundarit: hoc vnum adiicio, quòd nullū numen maiore quondā religione cultū apud Gallos, quam Pitho fuerit, quæ Suada ſiue Suadela eſt Romanis, illa vna non temerè dicta Ennio *flexanima*, id eſt, ψυχάγωγος. Colligimus etiam ex vetuſtioribus literarum monumentis, priſcos Gallos doctrinæ & facundiæ gloria fuiſſe inſignes, eos inquam, qui floruere temporibus priorum Galliæ principum, Samothis, Magi, Saronis, Bardi, Lōgonis, Celtis, Herculis, Galatis, Albonii, Lugdi, Belgii: ii enim memorantur inter eos, qui legibus & moribus populum Gallicum excoluerunt. Et id quidem de Gallorum veterum cultu & diſciplina eò eſt ignotius quò à paucioribus traditum fuit, quia vel nihil aut parum admodum poſteris reliquerūt maiores illi Galli; aut quia ſuam doctrinam non ſcriptis, ſed per manus conſultò tradi voluerunt.

Galli veteres ſapientia Græca periti.

Galli eloquentiæ ſtudioſi.

Sed nunc audiamus ipſum Lucianum ſua loquentem lingua: Τὸν ἡρακλέα οἱ κελτοὶ ὄγμιον ὀνομάζουσι φωνῇ τῇ ἐπιχωρίῳ. τὸ δὲ εἶδος τοῦ θεοῦ πάνυ ἀλλόκοτον γράφουσι. γέρων ἐστὶν αὐτοῖς ἐς τὸ ἔσχατον, πολιὸς ἀκριβῶς, ὅσαι λοιπαὶ τῶν τριχῶν, ῥυσὸς τὸ δέρμα, καὶ διακεκαυμένος ἐς τὸ μελάντατον, οἷοί εἰσιν οἱ θαλαττεργοὶ γέροντες. ἀλλὰ καὶ τοιοῦτος ὤν, ἔχει ὅμως τὴν σκευὴν τοῦ ἡρακλέους. καὶ γὰρ τὴν διφθέραν ἐνῆπται τὴν τοῦ λέοντος, καὶ τὸ ῥόπαλον ἔχει ἐν τῇ δεξιᾷ, καὶ τὸν γωρυτὸν παρήρτηται, καὶ τὸ τόξον ἐντεταμένον ἡ ἀριστερὰ προδείκνυσι. καὶ ὅλως ἡρακλῆς ἐστι. καίτοι τὸ παραδοξότατον οὐδέπω ἔφην τῆς εἰκόνος. ὁ γὰρ δὴ γέρων ἡρακλῆς ἐκεῖνος ἀνθρώπων παμπολύ τι πλῆθος ἕλκει, ἐκ τῶν ὤτων ἅπαντας δεδεμένους. δεσμὰ δ' εἰσὶν οἱ σειραὶ λεπταί, χρυσοῦ καὶ ἠλέκτρου εἰργασμέναι, ὅρμοις

Locus Luciani de Hercule Gallo.

ὅρμοις ἐοικυίαις τοῖς καλλίστοις. καὶ ὅμως ἀφ' οὕτως ἀσθενῶν ἀγόμενοι οὔτε δρασμὸν βουλεύουσι, δυνάμενοι ἂν εὐμαρῶς, οὔτε ὅλως ἀντιτείνουσιν, ἢ τοῖς ποσὶν ἀντερείδουσι, πρὸς τὸ ἐναντίον τῆς ἀγωγῆς ἐξυπτιάζοντες, ἀλλὰ φαιδροὶ ἕπονται, καὶ γεγηθότες, καὶ τὸν ἄγοντα ἐπαινοῦντες, ἐπειγόμενοι ἅπαντες, καὶ τῷ φθάνειν ἐθέλειν τὸν δεσμὸν ἐπιχαλῶντες, ἐοικότες ἀχθεσθησομένοις, εἰ λυθήσονται. ὃ δὲ πάντων ἀτοπώτατον εἶναί μοι ἔδοξεν, οὐκ ὀκνήσω καὶ τοῦτο εἰπεῖν· οὐ γὰρ ἔχων ὁ ζωγράφος, ὅθεν ἐξάψειε ταῖς σειραῖς τὰς τῶν δεσμῶν ἀρχάς, ἅτε τῆς δεξιᾶς μὲν ἤδη τὸ ῥόπαλον, τῆς λαιᾶς δὲ τὸ τόξον ἐχούσης· τρυπήσας τοῦ θεοῦ τὴν γλῶτταν ἄκραν, ἐξ ἐκείνης ἑλκομένους αὐτοὺς ἐποίησε, καὶ ἐπιστρέφεταί γε εἰς τοὺς ἀγομένους μειδιῶν. ταῦτ' ἐγὼ μὲν ἐπὶ πολὺ εἱστήκειν ὁρῶν καὶ θαυμάζων, καὶ ἀπορῶν, καὶ ἀγανακτῶν. κελτὸς δέ τις παρεστὼς οὐκ ἀπαίδευτος τὰ ἡμέτερα, ὡς ἔδειξεν, ἀκριβῶς ἑλλάδα φωνὴν ἀφιείς, φιλόσοφος, οἶμαι, τὰ ἐπιχώρια, ἐγώ σοι, ἔφη, ὦ ξένε, λύσω τῆς γραφῆς τὸ αἴνιγμα. πάνυ γὰρ ταραττομένῳ ἔοικας πρὸς αὐτήν. τὸν λόγον ἡμεῖς οἱ κελτοί, οὐχ ὥσπερ ὑμεῖς οἱ ἕλληνες, ἑρμῆν οἰόμεθα εἶναι, ἀλλὰ ἡρακλῆ αὐτὸν εἰκάζομεν, ὅτι παρὰ πολὺ τοῦ ἑρμοῦ ἰσχυρότερος οὗτος. εἰ δὲ γέρων πεποίηται, μὴ θαυμάσῃς. μόνος γὰρ ὁ λόγος ἐν γήρᾳ φιλεῖ ἐντελῆ ἐπιδείκνυσθαι τὴν ἀκμήν, εἴ γε ἀληθῆ ὑμῶν οἱ ποιηταὶ λέγουσιν, ὅτι αἱ μὲν τῶν ὁπλοτέρων φρένες ἠερέθονται· τὸ δὲ γῆρας ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον. οὕτω γέ τοι καὶ τοῦ νέστορος ὑμῖν ἀπορρεῖ ἐκ τῆς γλώττης τὸ μέλι, καὶ οἱ ἀγορηταὶ τῶν τρώων τὴν ὄπα τὴν λειριόεσσαν ἀφιᾶσιν, εὐανθῆ τινα· λείρια γὰρ καλεῖται, εἴ γε μέμνημαι, τὰ ἄνθη. ὥστε εἰ τῶν ὤτων ἐκδεδεμένους τοὺς ἀνθρώπους πρὸς τὴν γλῶτταν ὁ γέρων οὗτος ἡρακλῆς, ὁ λόγος, ἕλκει, μὴ δὲ τοῦτο θαυμάσῃς, εἰδὼς τὴν τῶν ὤτων καὶ γλώττης συγγένειαν. οὐδ' ὕβρις εἰς αὐτόν, εἰ ταύτῃ τετρύπηται. μέμνημαι γοῦν, ἔφη, καὶ κωμικῶν τινων ἰαμβείων, παρ' † ἡμῖν μαθών. τοῖς γὰρ λάλοις ἐξ ἄκρου ἡ γλῶττα πᾶσίν ἐστι τετρυπημένη. τὸ δ' ὅλον, καὶ αὐτὸν ἡμεῖς τὸν ἡρακλέα λόγῳ τὰ πάντα ἡγούμεθα ἐξεργάσασθαι, σοφὸν γενόμενον, καὶ πειθοῖ τὰ πλεῖστα βιάσασθαι. καὶ τά γε βέλη αὐτοῦ, οἱ λόγοι εἰσίν, οἶμαι, ὀξεῖς καὶ εὔστοχοι, καὶ ταχεῖς, καὶ τὰς ψυχὰς τιτρώσκοντες. πτερόεντα γοῦν τὰ ἔπη καὶ ὑμεῖς φατὲ εἶναι.

† al. ὑμῶν.

Hoc eſt: Herculem Galli Ogmion lingua propria nominant: eius autem Dei ſimulacrum monſtroſum & abſurdum repræſentant. Apud eos ſenex eſt, inculta glabraque canitie, obrugata cute, & nigro admodum colore, ut marinos nautas eſſe compertum habemus: atq; eiuſmodi cùm ſit, tamẽ Herculis cultum gerit. Amictus enim eſt tergore leonis, dextera clauam tenet, pharetram humeris aptatam, ſiniſtra protenſum arcum prætendit, denique omni ex parte Hercules eſt. Verùm quod in imagine admirandum maximè mihi viſum eſt; ſenex ille Hercules confertiſſimam quandam hominũ multitudinem trahit, omnes auribus vinctos: Vincula ſunt tenues quædam catenulæ auro electrove fabrefactæ, ſpirulis collaribus pulcherrimis ſimiles. At hi certè tam exilibus vinculis ducti, ne de fuga quidem cogitant, tametſi facilè poſſint: nec omninò reſiſtant, aut pedibus in diuerſum renituntur quaſi reſupinantes, ſed hilares lætiq; ſuum ductorem laudant, ſponte feſtinantes omnes, ut ſtudio præueniendi laxa etiam vincula relinquant, perinde ac triſtes futuri ſi eiuſmodi vinculis eximantur. Quod autem abſurdiſſimum mihi viſum eſt, non pigebit referre. Cùm enim pictori reliquum iam nihil eſſet, unde catenarũ extremitates innecteret, dextera nempè claua ferenda occupata, ſiniſtra verò arcu tenendo, ſummam Dei linguam perterebratam eſſe voluit, ex eaq; religatis catenis eos trahi fecit: ipſe nimirum ad eos qui ducebantur, ſe conuertendo arridebat. Hæc ego quidem cùm diu conſiſtendo eſſem contemplatus, admirabundus, hæſitans & indignans, Gallus quiſpiam, qui tum fortè aderat, haud quidẽ ignarus rerum noſtrarum; ut qui linguam Græcam exactè doctus eſſet, Philoſophus, ut opinor, ex iis, qui in Gallica ſunt regione: Ego tibi, hoſpes, inquit, picturæ huius explicabo rationem: videris enim nonnihil hac in re conturbari. Nos itaque Galli ſermonem & orationem non, ut vos Græci, dicimus eſſe Mercurium, ſed Herculi eam tribuimus, quòd hic Mercurio longè robuſtior fuerit. Quòd autem ſenex fingatur, non eſt quod mirere. Solet enim eloquentia in ſenectute demum ſuum omnem vigorem† oſtendere, ſi modò vera ſunt quæ Poetæ veſtri dixerunt: Iuniorum mentes inſtabiles & volucres eſſe, ſene-

Gallus Hercules Philoſophus, lingua Græca gnarus.

Hercules apud Gallos, orationis numen.

† al. *exerere.*

Senectus eloquentior iuuẽtute.

Eutem autem doctius ſcire dicere, quàm iuuentus ipſa poſſit. Hinc certè ex Neſtoris lingua fluere mel à vobis dicitur, et Troianorum Oratores floridam quandam vocem emittunt, id eſt, lirioeſſam: nam liria, quãtum commemini, vocantur flores.

Homines vincti auribus.

Proinde quòd ab auribus homines ad linguã vinctos trahit ſenex ille Hercules, id eſt ſermo, non eſt quod mireris, cùm ſcias linguæ auriumq; eſſe cognationem. Neq; verò ad contumeliã illius hoc dicitur: memini enim, ait, iambos quoſdam comicos è veſtris didiciſſe: Loquacibus extrema in parte omnibus lingua eſt pertuſa.

Herculis eloquentia.

Cæterùm opinamur Herculem oratione omnia perfeciſſe, virum quidem ſapientem, qui perſuadendo facundia quamplurima ſubegerit: ſiquidem tela ipſius acutos, certos, celeres, & animas ſauciãtes ſermones interpretamur: hinc enim pennata verba vos etiam dictitatis. Et hæc Lucianus. Idem paulò alijs verbis redditum reperi apud Sanctium, imò pluribus quàm hic Græcus contextus habet; quæ omnia huc adijcere viſum (quanquam nõ dubito tædioſum fore) ne quis labore ſuo fruſtratum conqueri poſſit.

Alia verſio.

Herculem Galli lingua gentis vernacula Ogmiũ vocant: porrò Deum ipſum noua quadam atq; inuſitata figura depingunt. Decrepitus eſt apud illos, recaluaſter, reliquus capillis ſi qui reliqui ſunt, planè canis, cutis rugoſa, & in aterrimum exuſta colorem, cuiuſmodi ſunt nautæ iſti ſenes. Charontem potiùs aut Iapetum quempiam ex ijs, qui apud inferos verſãtur, diceres. In ſumma quiduis potiùs quàm Herculem eſſe coniiceres ex imagine. *Atq; tali ſpecie cum ſit, tamen Herculis ornatum gerit, vt qui tum leonis exuuium indutus ſit, tum clauam dextra teneat, tum pharetram humeris aptatam portet, tum arcum tenſum læua prætendat, deniq; modis omnibus Hercules eſt.* Hęc equidem arbitrabar in Græcanicorũ Deorum contumeliam perperam facere Gallos, quum eum eiuſmodi fingerent effigie, quo nimirum illum talibus picturis vlciſcerẽtur, quod olim in regionem ipſorum prædam agens id temporis, cum Geryonis armenta veſtigans, occidentalium gentium pleraſq; regiones peruaſtaret. *At nondum etiam dixi id, quod erat in imagine maximè nouum & mirandum: ſiquidem Hercules ille ſenex ingentem admodum hominũ multitudinem trahit, omnibus ab aure reuinctis: porrò vincula ſunt catenulæ tenues auro electroque confectæ, pulcherrimis iſtis monilibus adſimiles. Atqui cùm vinculis vſq; adeo fragilibus ducantur, tamẽ nihil de fugiẽdo cogitant, cùm alioqui commodè poſſent; neq; prorſus obnituntur, aut pedibus aduerſus trahentem obtendunt, ſeſe reſupinantes, verùm alacres ac læti ſequuntur, ducẽtem admirantes, vltrò feſtinantes omnes, & laxatis funiculis etiam anteuertere ſtudentes, perinde quaſi grauiter laturi, ſi ſoluerentur vinculis. Nec illud quidem pigebit referre, quod mihi videbatur omniũ abſurdiſſimum. Etenim cùm non inueniret pictor, vnde catenularũm ſummas anſas necteret, videlicet dextera iam clauam, læua arcum tenente, ſummam Dei linguam perterebrauit, atq; ex hac religatis catenulis eos trahi fecit: ipſe nimirum ad eos, qui ducebantur, vultum & oculos conuertebat arridens. Hæc ego cùm diutiùs aſſiſtens eſſem contemplatus, admirans, hæſitans, indignãs, Gallus quiſpiam, qui propiùs aſtabat, noſtratium literarum nõ indoctus* (id quod declarauit, quùm Græcanicam linguam abſolutè ſonaret) *philoſophus, opinor, ex eo genere philoſophorum, quod apud eos eſſe fertur: Ego tibi, hoſpes, inquit, picturæ iſtius ænigma explicabo: nam videre vehemẽter ad eam attonitus & ſtupefactus. Orationem nos Galli nequaquam arbitramur eſſe Mercurium, quemadmodũ vos Græci, verùm Herculi illam tribuimus, propterea quod hic Mercurio lõgè robuſtior extiterit. Nam quod ſenex fingitur, nihil eſt quod mirere: ſiquidem vna facundia conſueuit in ſenectute demum abſolutum vigorem oſtendere, modò verum veſtri dicant poetæ:*

Facũdia in ſenecta.

Obduci iuuenum denſa caligine pectus:
Contra ſenectam poſſe quiddam dicere
Rudi iuuenta melius ac præclarius.

Hinc videlicet apud vos & Neſtoris lingua melle profluit, & Troianorum concionatores liroeſſam edunt, videlicet quandam vocem; nam liria, ſi ſatis commemini, flores appellãntur. Proinde quòd ab auribus, vinctos ad linguam trahit ſenex hic Hercules, qui non aliud, quàm ipſe eſt ſermo, nec id quidem debes admirari, qui quidem non ignores, linguæ cum auribus eſſe cognationem. Neq; verò ad contumeliam illius illud pertinet, quod ea pertuſa eſt: nam memini, inquit, & iambicos quoſdam verſiculos è comœdijs apud vos diſcere:

Siqui-

Siquidem viris loquacibus
Extrema lingua perforata eſt omnibus.
Quin de eodem in ſumma hanc habemus opinionem, vt quidquid egit, id oratione facundiaq; confeciſſe putemus, vtpote virum ſapientem, ac perſuadendo pleraq; ſibi ſubegiſſe: iſta tela illius nimirum rationes ſunt acuta, miſſiles, cita, atq; animam ſauciantes: vnde pennigera dicta vos quoq; nominatu. Hæc ille. Refert quoq; Cœl. Rhodigin. lib. 6. antiq. lect. cap. 7. & fuſius Budæus in Pandectas priores.

XII. *ARCVM laeua tenet &c.*] Idem omnino cultus, eademq; figura ac Herculis illius, quem poetæ Græci leonis exuuio, claua, & aliis armis inſtructum faciunt.

Leo Nemeaus ab Hercule occiſus.

Contegit & Nemees leo] corpus autem indutum eſt leonis Nemeæi pelle. In inſula Nemeęa leonem occidit Hercules, cuius pellem aiunt vice thoracis induiſſe; vt dictum eſt Embl. 138. Eo autem indumento eum fuiſſe vſum, & talem fingi, vt homines antiqui cultus admonerentur, ait Feſtus lib. 14. Sed hæc parerga.

Hercules cur pingatur nudus.

Corpora nuda] Ideo Herculē finxerunt nudum, ad virtutem eius demonſtrandam: etenim Virtus à veteribus ſemper nuda depingitur: ea enim non deſiderat diuitias & opes, ſed immortale nomen, gloriam & honorem; idque apparet ex antiquiſſimo monumento, in quo talis eſt inſcriptio: *Virtus nudo homine contenta eſt.*

Non conuenit illud] non bellè videtur quadrare. Huius abſurdi & ἀπορήματος cauſam repete ex Luciano.

Quod vetus] quòd ſit nimium annoſus Hercules.

Tempora cana gerit] caput canum. Effecta ſenii.

Quid quod lingua &c.] cur illi lingua eſt catenis tenuibus perforata, quibus auditores ſuos retentat auribus captos?

Alcides.

Alciden] Herculem, ab ἀλκῆς, id eſt, *robore*, vt dictum alibi.

Lingua, non robore] viribus eloquentię, non corporis, robore.

Iura dediſſe] leges poſuiſſe, barbaras nationes ad ciuiliorem cultum reuocaſſe.

Eloquentia vis.

Cedant arma toga &c.] γνώμη & ἐξήγησις τῆς προσωποποιΐας, nimirū quòd Hercules hic noſter (& Orator quiſque inſignis) non quidem viribus corporis, ſed eloquentiæ laude auditores trahat quò velit. In eo enim ſunt armatis togati præſtantiores, quòd perſuadendo vincāt: adeò vt eloquens flectat vel maximè refractarios. Id Cicero locis quamplurimis confirmat. Nam & Orpheum aiunt citharæ dulciſonæ modulo feras & ſaxa mouiſſe: quod eſt referendum ad vim eloquentię, quam Euripides reginam, & Ennius flexanimam appellauit. Lege Valer. Max. 8. c. 9. & 10 Eſt autem hoc hemiſtichium Ciceronianum, quo ſe Orator ipſe δημοτικὸς, pacis ſemper fuiſſe ſtudioſum declarabat, de quo orat. in Piſonem, & 2 in Antoniū. Verſus hic,

Verſus Ciceronis à multis reprehēſus.

Cedāt arma togæ, concedat laurea linguæ. à permultis obtrectatoribus reprehenſus eſt, quo nomine Cicero laborauit inuidia. Sed apologia hæc fuit Oratoris ex oratione contra Piſonem: Non vlla tibi, inquit, Piſo, nocuit inuidia, ſed verſus tui. Nimis magna pœna, te Conſule, conſtituta eſt, ſiue malo Poetę, ſiue libero. Scripſiſti enim verſus, *Cedant arma togæ.* Quid tum? hęc res tibi fluctus illos excitauit. At hoc nuſquam opinor ſcriptū fuiſſe in illo elogio, quod, te Conſule, in ſepulchro Reipubl. inciſum eſt, Velitis, iubeatis. vt, quòd M. Cicero verſum fecerit, ſed quòd vindicarit. Verumtamen quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim Grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verſum, ſed Poetam armis proſequare: ſcire cupio, quid tandem in iſto verſu reprehendas, *Cedant arma togæ.* Tu ædicis, inquit, togæ ſummum imperatorem eſſe ceſſurum. Quid nunc te, aſine, literas doceamus? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus. Nō dixi hanc togam, quā ſum amictus, nec arma, ſcutum, & gladium vnius imperatoris; ſed, quod pacis eſt inſigne & otij, togas contrà autem arma, tumultus, atq; belli, more Poetarum locutus, hoc intelligi volui, bellum atq; tumultum paci atque otio conceſſurum. Quære ex familiari tuo, Græco illo Poeta: probabit genus ipſum, & agnoſcet, neq; te nihil ſapere mirabitur. At in illo altero, inquit, hæres, *Concedat laurea linguæ.* Imò mehercule habeo tibi gratiam. Hæterem enim, niſi tu me expediſſes. Nam cùm tu timidus ac tremens tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam è cruentis faſcibus lauream ad portā Eſquilinam abieciſti, indicaſti, non modò ampliſſimæ, ſed etiam minimæ laudi lauream conceſſiſſe. Atqi iſta ratione hoc tamen in-

Locus ex oratione in Piſonem.

telligi, ſcelerate, vis, Pompeium inimicum mihi iſto verſu eſſe factum: vt, ſi verſus mihi nocuerit, ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi pernicies eſſe quæſita. Omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum: non fuiſſe meum, quem, quãtum potuiſſem, multis ſæpè orationibus ſcriptisq; decoraſſem, hunc vno violare verſu. Sic Cicero. Huc reſpexit Lucanus, dum ait:

Armorumq; decus præcede forenſibus actis:
Sic etiã magno iam nunc Cicerone vigẽte,
Laurea facundis ceſſerunt arma togatis.

Toga ſignum pacis.

Togam verò Romanis ſignum fuiſſe pacis, notius eſt, quàm vt probatione egeat; quoniam in pace tantùm vſus togæ erat, nam in bello depoſita toga chlamydem ſumebant, aut lænam, aut ſagum. Vſum etiam togæ antiquiſſimum eſſe conſtat, cũ ipſemet etiam Romulus ea vſus fuerit, vt ſcribit Plutarchus. Eius tamen variæ fuerunt ſpecies.

Prætexta.

Nam Prætexta toga puerilis erat: vnde puerilem ætatem paſſim videas prætextatam nominari. Vnde & prætextatorum nomen apud Gellium lib. 1. c. 26. & Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 8. Solebat autem prætexta etiam purpura circumdari, ita tamen vt plebeia purpura à patricia eſſet diſtincta; erat enim illa fuſca, & obſoleta, non murice & cocco, ſed herbarum ſuccis infecta. At verò purpura illis prætexebatur, quorum patres magiſtratus ciuiles & inſignes geſſerant honores, vt eſt apud Alex. ab Alexand. lib. 5. Genial. dier. c. 18. Ideo verò purpurei coloris prætextam fuiſſe Macrobius docet lib. 1. Saturn. cap. 6. vt ex purpuræ rubore, ingenuitatis pudore regerentur, & admonerentur pueri, verecundiam in omnibus dictis factisq; adamandam. Quod ſi nuptiarum ſolennitatibus, de quibus apud Catullum, adhiberentur ad aliqua petulantius dicenda, prætextam in id tempus deponebant, vt ſcilicet, prætextæ iure minimè violato, Feſcennina locutione, hoc eſt, laſciuo ſermone atque licentioſo vti ipſis liceret. Pierius lib. 40. Hieroglyph.

Virilis toga.

Depoſita puerili prætexta, induebatur toga Virilis, quæ totum corpus tegebat, & in dextero humero fibula connectebatur aurea aut argentea, prout facultates cuiusq; ferebant. Hanc puberes iam effecti vt plurimùm accipiebant: nullum enim certum tempus eius ſumendæ erat conſtitutum, dummodo poſt pubertatem id fieret, quippe Octauius Auguſtus annorum ſedecim, & Caius Cæſar in vndevigeſimo, Nero autem vix pubeſcens togã virilem ſumpſit, quo maturior imperiõ videretur. Atq; hanc quidem magna cum ſolennitate ſumebant, inuitatis ad eum actum cõcilio ciuitatis, amicis & cognatis: ac quilibet vnum aut duos largiebatur denarios, quod tanquam regium quoddam munus habebatur, vt Plinius Nepos narrat in quadam epiſtola ad Traianum ſcripta. Et Seneca: Tenes vtiq; memoria, quantum ſenſeris gaudij, cùm prætexta poſita ſumpſiſti virilem togam, & in forum deductus es. Ducebantur enim in forum, indeq; in Capitolium à patre & proximis. Atque hi Tyrones, quemadmodum & dies, quo deductio fiebat, Tyrocinium dicebatur. Turnebus lib. 12. Aduerſar. cap. 6.

Toga pura.

Erat & toga Pura, quam à forenſibus tyronibus ſumi, & albentem amictum Papinio nominari deprehendimus:

Nec ſaltem teneris oſtrum iuuenile lacertis
Exuit, albentiq; humeros induxit amictu.

Dicta toga pura, quod nullo purpuræ prætextu diſtincta eſſet.

Toga picta.

Poſtremò erat & toga Picta ſummorum magiſtratuum. Vſque adeo verò toga Romanorum fuit propria (quemadmodum Græcorum pallium) vt qui iure ciuitatis Romanæ donarentur, togati eſſe inciperent: per togam ſiquidem ciuis Romanus indicabatur. Portabant autem communiter togam cœruleam, aut alterius coloris, numquam verò atram vel pullam, niſi in funeribus: albam verò tum in primis, cùm ad ſpectacula accederent: quo colore & Senatores vtebantur, vnde & ordo candidatus dicitur: & ij, qui magiſtratum petebant, vnde candidati dicti.

Veneti Nobiles togati.

His togæ vſus reliquus adhuc videtur in Veneta nobilitate, eo excepto, quod purpura apud eos in vſu non ſit, ſed ex nigro panno vt plurimùm; purpura enim non niſi magiſtratibus ibi conceditur, hiſq; inſignioribus. Nuptialibus quoq; & cùm primi honores, quos Procuratorios vocant, alicui deferuntur, tunc conſanguineis & cognatis & affinibus licet per aliquot dies vti purpura, in lætitiæ gratulationiſque ſignificatum.

IV.

Ex dictis facile colligere eſt, quis finis, & quæ huius Emblematis ſit intentio, adeo vt pluribus id amplificare videatur ſuperfluũ: nihilominus nolim tranſilire quæ-

dam

dam, quæ ad rem facere iudicaui; & primò id quod Seruius annotat 6. Aeneid. ad illud:

Locus Seruij.

Tartareum ille manu cuſtodem in vincla petiuit.

Quo loco ait, Herculem à prudétioribus mente magis quàm corpore fortem habitum, adeò vt duodecim eius labores ad aliquod excellens virtutum opus referendi eſſe videantur. Huc pertinet quod de Porphyrio eloquenti homine dixit Eunapius Sardianus libro De vita ſapientum, quo loco ſumit catenam Mercurij, pro facundi & diſerti hominis lingua, his planè verbis: ὁ πορφύριος ὥσπερ ἑρμαϊκή τις σειρὰ ϗ πρὸς ἀνθρώπους ἐπινεύουσα διὰ ποικίλης παιδείας πάντα ἐς τὸ εὔγνωστον ϗ καθαρὸν ἐξήγγελλεν. *Porphyrius, vt catena quadam Mercurialis ad homines tracta, produxit omnia clarè pureq; varia doctrina arcana.* Porrò hanc video armorum & litterarum ſicuti reipub. adminiſtrandę rationem eſſe crebrò vſurpatam apud auctores bonos. Tull. 1. de Offic. Non minorem vtilitatem adferunt, qui reipubl. præſunt, quàm qui bella gerunt: itaq; eorum conſilio ſæpe aut ſuſcepta, aut decreta bella ſunt. Quare expetenda magis eſt decernendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Temerè enim in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, immane quiddam eſt, & belluinum. Idem de aruſpicum reſponſis vocat arma iudiciorum atque legum. Et quidem nihil æquè valet ad muniendam ciuitatem, & tuendum principum dominatum. Nec abs re laudati imperatores, qui tam Iuriſconſultis quàm ſatellitibus ſtipendia præbuerunt, vt Hadrianus Cæſar, qui Iulio Celſo, Saluio Iuliano, Priſco, atque Neratio plurimum vſus eſt. Antoninus Pius, qui Valentem, Martianum, Marcellum, Iabolenum coluit: & Antoninus philoſophus, qui Scæuolæ conſuetudinem præcipuè amauit. Itemque Alexander Seuerus, qui frequenter apud ſe habuit Sabinum, Paullum atque Vlpianum, vt refert Lampridius: ideò ſummus fuit imperator, quòd Vlpiani conſilio rempub. adminiſtraret. Pertinet huc illud Horatij in Arte:

Imperatores Iuriſconſultorum opera vſi.

Quantum poſſit vir eloquens.

Silueſtres homines ſacer interpresq; Deorũ
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus:
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones.
Dictus & Amphiõ Thebanæ conditor vrbis
Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blãda
Ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam.

Idem lib. 1. Carm. ode 10.

Mercuri, facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formaſti catus, & decoræ
More palæſtræ.

In appendicibus Virgilianis:

Threicius quondam vates fide creditur canora
Mouiſſe ſenſus acrium ferarum,
Atq; amnes tenuiſſe vagos,
Et ſurda cantu concitaſſe ſaxa,
Suauiſonos què modos teſtudinis arbores ſecuta
Vmbram feruntur præbuiſſe vati:
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigauit,
Doctaq; vitam voce temperauit.
Iuſtitiam docuit, cœtu quoque congregauit vno
Moresq; agreſtes expoliuit Orpheus.

Ouidius 13. Metamorph. vbi multa introducit, quæ Vlyſſes in commendationem eloquentiæ contra fortem Aiacem affert, tandem concludit:

Mota manus procerum, & quid facundia poſſit
Tunc patuit, fortisque viri tulit arma diſertus.

Verinus:

Nil tam difficile eſt, quod non perſuadeat, & non
Efficiat docti lingua diſerta ſenis.
Ancipiti eloquium lõgè penetrantius enſe,
Hoc rabie motam ſedat, & arma mouet.

Concludit hęc omnia illud Salomonis: Vbi eſt ſapientia, ibi eſt fortitudo. Vide Xenophont. lib. 2. de factis & dictis Socratis.

Facundia difficilis.

EMBLEMA CLXXXII.



ANTIDOTVM Æaea medicata in pocula Circes
Mercurium hoc Ithaco fama dediſſe fuit.
Moly vocant: id vix radice euellitur atra,
Purpureus ſed flos, lactis & inſtar habet.
Eloquij candor facundiaq; allicit omnes:
Sed multi res eſt tanta laboris opus.

COMMENTARII.

I. VLYSSI ſedenti Mercurius deſuper volans talaribus & caduceo ſuo inſtructus, herbam Moly porrigit. *Moly.* Moly verò herbam ſic deſcribit Plinius lib. 25. c. 4. Naſci eam hodie circa Pheneum, & in Cyllene Arcadiæ, tradunt, ſpecie illa Homerica, radice rotunda, nigraq; magnitudine cepæ, folio ſcyllæ; effodi autem difficulter. Græci autores florem eius luteum pinxere, cum Homerus candidum ſcripſerit.

HOMERVS Odyſſ. κ. moly herbam à Mercurio Vlyſſi datam ait, tanquam amuletum præſentiſſimum aduerſus omnia veneficia. Herbam hanc ſic deſcribit Homerus; II.

Ῥίζῃ

Herba moly Ῥίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε, γάλακτι δ' εἴκελον ἄνθος,
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί, χαλεπὸν δὲ τ' ὀρύσσειν,
Ἀνδράσι γε θνητοῖσι, θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.

Sic vertit Chiliadum auctor:

Atra quidem radix ſuberat, ſed lacteolus flos,
Moly vocant ſuperi, mortalibus ardua res eſt
Euulſiſſe viris: cœleſtes omnia poſſunt.

Radix quidem nigra erat, lacti ſimilis flos;
Moly autem ipſum vocant Dij, difficile verò [eſt] effodere
Viris mortalibus: dij autẽ omnia poſſunt.

Flos ſimilis lacti, & nigra radice, ſed ipſum
Moly vocant ſuperi, quam vix hominum genus vnquam
Effoderet vel conando; ſed Dij omnia poſſunt.

Vide adagia, *Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem.* &, *Neq; mel, neq; apes.*

III. *ANTIDOTVM*] Remedium, ex ἀντὶ καὶ δίδωμι. datur enim contra venenum.

Circe cur Ææa. *Ææa Circes*] De Circe ſatis dictum eſt Emblem. 76. Vocatur autem Circe Ææa ab Ææa inſula Phaſidi fluuio propinqua, in Colchica regione: quam tamen inſulam nonnulli eſſe in freto Siculo crediderunt, vt Mela lib. 2. Hermolaus in c. 4. lib. 5. Plinij ait: Ææa vrbs eſt Colchica, vnde Circen Ææam cognominãt. Apollonius Rhodius lib. 4. Argonaut. Ææam inſulam in Italia apud Tyrrhenorum agrum eſſe ſcribit. Virgilius 3. Æneid.

Infernique lacus, Ææaq; inſula Circes.

Seruius putat Ææam dictam Circen à vocibus eorum, quos in bruta animalia conuertebat.

Medicata in pocula] venenata. Sic Silius lib. 7. tela medicata veneno, dixit.

Mercurium hoc Ithaco] Vlyſſi. Plutarchus in libello de vita Homeri: Prudens, inquit, vir: id eſt, Vlyſſes, non poteſt huiuſmodi incantamentis irretiri, eò quòd à Mercurio, id eſt, ratione acceperit pharmacum. Videtur autem hoc effictum ex diſticho Laurentij Lippij:

Accipias Moly (magno ſi credis Homero)
Nec ludent animum Theſſala philtra tuum.

Moly vnde dicatur. *Moly vocant*] Pleriq; deflectunt παρὰ τὸ μωλύειν τὰς νόσους, à ſedandis morbis. quod tradit Apuleius lib. de viribus herbarum, cap. 48. Homeri Scholiaſtes loco citato: μῶλυ βοτάνης εἶδος παρὰ τὸ μωλύειν ὅ ἐστιν ἀμαυρίζειν τὰ φάρμακα. Id eſt: *Moly herba genus eſt dictum ab eo, quod medicamenta valeat hebetare.* Plinius lib. 25. cap. 4. citato, ſic de Moly loquitur: Laudatiſſima herbarum eſt Homero, & inuentionem eius Mercurio aſſignat, contraque ſumma veneficia demonſtrat. Et paulò poſt, cùm formã illius deſcripſiſſet: Inueni è peritis herbarum medicis, qui & in Italia naſci illam diceret, afferriq; è Campania mihi aliquot diebus effoſſam inter difficultates ſaxeas, radicis triginta pedes longæ, ac ne ſic quidem ſolidæ, ſed abruptæ. Hæc Plinius. Vide Dioſcorid. lib. 3. & Ouidium 14. Metamorph.

Radice euellitur atra] ea herba eſt nigræ radicis, difficiliſq; inuentu, & euulſu.

Eloquij laus. *Eloquij candor &c.*] pulcherrima res eloquentia, quæ omnes in ſui amorem & admirationem allicit, & quaſi conſtrictos trahit. Vnde illud Ouidij in laudem eloquij:

Non formoſus erat, ſed erat facundus Vlyſſes,
Et tamen æquoreas torſit amore Deas.

Sed multi res eſt tanta laboris opus] licet eloquentia res ſit pulcherrima, tamen multo labore indiget. Vnde M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum ſuorũ tribuebat ætas, diſertos dicebat ſe vidiſſe multos, eloquentem omnino neminem.

IV. *Moly herba quid deſignet.* HOC Homericum de moly figmentũ non rarò intelligitur de virtute, omnique eruditione, ad quam primus aditus arduus eſt, ac ſudoris plenus, ſed ſuauiſſimus omnium fructus. τὰ γὰρ χαλεπὰ τὰ καλά, *difficilia quæ pulchra.* vt habet vetus adagium. Hic autem eloquẽtiam primò quidem abſtruſam & difficilem, deinde multo labore & diligentia partam, iucundiſſimos adferre fructus, hominéſq; ſui candore allicere intelligitur. Certè nihil eſt inter omnes diſciplinas, quod plus laboris ſibi expetat, quàm ſit orãdi facultas: id quod Cicero ipſe 1. de Orat. fuſiſſimè & eloquentiſſimè docet. *Difficultas eloquentiæ.* Quis non iure miretur, inquit, ex omni ætatum memoria, vt temporum, ſic & ciuitatum, tam exiguum oratorum numerum inueniri? Sed nimirum maius eſt hoc quiddam, quàm homines opinantur. &c. Vult autem M. Tullius eloquen-

tiam omnium difficillimam videri, quia conſtet rerum pulcherrimarum ſcientia, compoſitione apta verborum, motuum cognitione, iocorum & facetiarum eruditione, ſubtilitate reſpondendi & laceſſendi, vrbanitate, hiſtoria, prudentia iuris, actione, memoria. Eandem difficultatem eloquentiæ ipſemet oſtendit alijs locis, ſed in ea maximè pro Cælio: An vos aliam cauſſam eſſe vllam putatis, cur in tantis præmijs eloquentiæ tam pauci ſint ſemperq; fuerint, qui in hoc labore verſentur? Omittendæ ſunt omnes voluptates: relinquenda ſtudia delectationis, ludus, iocus, conuiuium, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus, quæ res in hoc genere homines à labore ſtudioq; dicendi deterret. Cato oratorem definit virum bonum dicendi peritum. Cicero eloquentiam nil aliud eſſe dicit, niſi copioſè loquentem ſapientiam. Ex quibus manifeſtè apparet, ad oratoris & eloquentiæ eſſentiam, & bonitatem, & ſapientiam exigi; nec tamen ſufficere, niſi & peritia adſit & copia. Ita vt primæ illæ duæ virum bonum ſapientemq; duntaxat, hæ autem ſolæ nec bonum, nec ſapientem, nec eloquentem quidem efficiant, ſed loquacem: omnes verò coniunctæ perficiant oratorem, eiusq; artificium, quod profectò rarius atq; altius eſt, quàm putent, qui in multiloquio & volubilitate verborum ſitum ſperant. Quiſquis ergo oratoris nomen, & eloquentiæ veram laudem quærit, virtuti & ſapientiæ primùm ſtudeat neceſſe eſt, quarum quidem radices ſunt amaræ, ſed fructus dulces.

Requiſita ad perfectam facundiã.

Antiquiſſima quæque commentitia.

EMBLEMA CLXXXIII.



PALL.

P*ALLENAEE ſenex, cui forma eſt hiſtrica, Proteu,*
Qui modò membra viri fers, modò membra feri:
Dic age, quæ ſpecies ratio te vertit in omnes,
Nulla ſit vt vario certa figura tibi?
Signa vetuſtatis, primæui & præfero ſæcli,
De quo quiſque ſuo ſomniat arbitrio.

COMMENTARII.

I. PROTEVM quacunq; forma pinxeris, non erraueris, relinquitur enim cuiusuis arbitrio pingendi & fingendi, ſicut ipſi tranſmutandi. Noſter hic non malè effictus eſt, vt qui in marinis fluctibus tridente armatus de homine, equo, dracone, & piſce participet. Hunc ſi in curru à phocis vecto locaueris, Virgilium habes autorem lib. 4. Georg.

Eſt in Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus, magnum qui piſcibus æquor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.

II. *Proteus.* PROTEVS Deus marinus, Neptuni filius (vt ſcribit Iſacius Tzetzes in Lycophronem) genere Ægyptius, ex Thracia Phlegram veniens, quę Pallenes ciuitas eſt, Toronem Ægyptiam duxit vxorem, ex qua liberos ſuſcepit Tmylum & Telegonum, qui ob crudelitatem, qua in hoſpites vtebantur, ab Hercule ſunt obtruncati. Proteus cognita cęde filiorum neq; lacrymas emiſit, quia nefarij eſſent homines; neq; riſit, quod eſſent filii, vt ſcripſit Theopompus lib. 8. rerum Græc. Creditus eſt *Proteus paſtor phocarū.* paſtor phocarum, & vaticinij periti ſſimus, ſed niſi coactus nulla dans reſponſa, vt docet Homerus Odyſſ. 4. & ex ipſo Virgil. 4. Georg. Herodotus in Euterpe longam contexit de Proteo, & Paride, & Helena hiſtoriam, quam breuitatis cauſa omiſi. Philoſtratus in vita Apollonij in multis ſuffragatur Herodoto. Diodorus Siculus lib. 2. multò aliter quàm Herodotus ſentit. Cū Ægyptus rege careret (ait ille) ex dignioribus quidam in regem aſſumptus eſt, quem Ægyptij Cetea, Græci Proteum appellant, qui Italici belli tempore extitit. Hunc artium peritum fuiſſe tradunt, & in varias formas ſe vertere ſolitum, vt nunc animal, quādoq; arbor, aut ignis, aut quid aliud videretur. Conſuetudo autem regibus Ægyptijs tradita, Gręcis cauſam huiuſmodi tranſmutationis præbuit: nam regibus Ægyptijs mos erat leonis, tauri, vel draconis priorem partem ferre in capite, principatus inſignia: quandoque verò arborem, aliquando ignem, nonnunquam redolentia ſupra caput vnguenta, & aquas: hæc enim ſpectabant ad ornatum, tùm ſtuporem ac ſuperſtitionem quandam inſpicientibus inijciebant. *Fabula Protei occaſio.* Alij ſunt, qui hanc transformationem cōuertant ad variarum diſciplinarum peritiam. Interpres Arati Proteum φυσικῶς aerem eſſe dicit, ideoq; apud Homerum, in ignem atque aquam conuerti. *Proteus aer.* At Platonici exponentes illud Orphei de Proteo, πρωτέα κικλήσκω πάντα κληῖδας ἔχοντα. volunt Proteum eam eſſe mentem, à qua formæ defluant. *Claues* enim *ponti*, generationem rerum eſſe volunt. Certè Ponticus Heraclides ſub Protei fabula informem rerum materiam à Poetis συμβολικῶς ſignificari ait: cuius verba huc referam vel obiter. *Materia prima, ſecundum Heraclidem Ponticum.* εἰ δ' ἡ πολυπρόσωπος εἰς ἅπαντα ἃ βούλεται πρωτέως μεταμόρφωσις ποιητικοὶ καὶ θεράσιοι μῦθοι δοκοῦσιν, εἰ μὴ τὶς οὐρανίῳ ψυχῇ τὰς ὀλυμπίας ὁμήρου τελετὰς ἱεροφαντήσειε. τὴν οὖν προμήθορα τῶν ὅλων ὑφίσαται γένεσιν, ἀφ' ἧς τὸ πᾶν ῥιζωθὲν, εἰς ὃ νῦν βλέπομεν, ἥκει κατάστημα. παλαιοὶ γὰρ ἦσαν ποτὲ χρόνοι, καθ' οὓς ἀτύπωτον ἢ ὑπόλιμνον ἦν, οὐδέπω κεκριμένοις χαρακτῆρσιν εἰς τέλειον ἥκουσα μορφῆς. οὔτε γὰρ γῆ τῇ τῶν ὅλων οὐσίᾳ κέντρον ἐπεπήγει βέβαιον, οὔτε οὐρανὸς περὶ τὴν ἀΐδιον φορὰν ἱδρυμένος ἐκυκλεῖτο· πάντα δ' ἦν ἀνήλιος ἠρεμία καὶ κατηφοῦσα σιγὴ, καὶ πλέον οὐδὲν ἦν ἢ κεχρυμμένης ὕλης ἄμορφος ἀργία, πρὶν ἢ δημιουργὸς ἁπάντων καὶ κοσμοδόκος ἀρχὴ σωτήριον ἑλκύσασα τῷ βίῳ τύπον, τὸν κόσμον ἀπέδωκε τῷ κόσμῳ. διεζεύγνυτο μὲν οὐρανὸν γῆς, ἐχώριζε δὲ τὴν ἤπειρον θαλάττης. τέτταρα δὲ στοιχεῖα τῶν ὅλων.

ὅλων ῥίζα καὶ γέννα, ἐν τάξει τὴν ἰδίαν μορφὴν ἐκομίζετο. τούτων δὲ προμηθῶς κιρναμένων ὁ θεὸς μηδεμιᾶς οὔσης διακρίσεως περὶ τὴν ἄμορφον ὕλην. πρωτέως δὲ θυγάτηρ εἰδοθέα δικαίως εἴδους ἑκάστου γενομένη θέα. διὰ τοῦτο μία τὸ πρὶν ὢν φύσις ὁ πρωτεὺς, εἰς πολλὰς ἐμερίζετο μορφὰς ὑπὸ τῆς προνοίας διαπλαττόμενος.

ἤτοι μὲν πρώτιστα λέων γένετ' ἠϋγένειος,
αὐτὰρ ἔπειτα δράκων, καὶ πάρδαλις, ἠδὲ μέγας σῦς.
γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ, καὶ δένδρεον ὑψιπέτηλον.

Διὰ μὲν οὖν τοῦ λέοντος ἔμπυρον ζῶον, τὸν αἰθέρα δηλοῖ. δράκων δ' ἐστὶν ἡ γῆ. τὸ γὰρ αὐτόχθων αὐτοῦ καὶ γηγενὲς, οὐδὲν ἄλλο πλὴν τοῦτο σημαίνει. δένδρον γε μὴν ἅπαν αὐξανόμενον, καὶ τὴν ἀπὸ γῆς ὁρμὴν μεταρσίαν ἀεὶ λαμβάνον, συμβολικῶς εἶπεν ἀέρα. τὸ μὲν γὰρ ὕδωρ εἰς ἀσφαλεστέραν ὧν προῃνίξατο δήλωσιν ἐκ τοῦ φανεροτέρου παρέστησεν εἰπών, γίνετο δ' ὑγρὸν ὕδωρ. ὥστε εὔλογον τὴν μὲν ἄμορφον ὕλην πρωτέα καλεῖσθαι, τὴν δ' εἰδωλοπλαστήσασαν ἕκαστα πρόνοιαν, εἰδοθέαν, ἐξ ἀμφοῖν δὲ πᾶν διακριθὲν, εἰς τὰ συνεχῆ καὶ προσακτικὰ τῶν ὅλων σχισθῆναι. πιθανῶς δὲ καὶ τὴν νῆσον, ἐν ᾗ ταῦτα διέπλασεν, φάρον ὠνόμασεν· ἐπειδήπερ ἐστὶ φέρσαι, τὸ γεννῆσαι. καὶ τὴν γῆν ἀφάρωτον, ὁ καλλίμαχος εἶπε τὴν ἄγονον, ἀφάρωτος οἷον γυνή. φυσικῶς οὖν τὸν ἁπάντων πατέρα χῶρον ὠνόμασε φάρον, ἐκ τῆς γονίμου προσηγορίας, ὃ μάλιστα ἐβούλετο, σημήνας. Pontici Heraclidis locum ex interpretatione Geſneri apponam, ne ſtudioſos noſtra paraphraſi remoremur. *Narratur multiformis, in quaſcumque res voluiſſet, Protei mutatio: quæ omnia Poetica & monſtroſa fabula videntur, niſi quis diuina Homeri myſteria, veluti ſacra, mente cœleſti tractet. Etenim hæc fabula primigeniam vniuerſi originem cōſtituit, qua omnes mundi partes confirmata, illam quam nunc videmus, ſpeciem eſſe cœrunt. Erat enim olim mundus informis & cœnoſus, nondum diſcretis rerum notis integritatem ſua forma adeptus. Nam neq; dum tellus centrum ſuum pro fundamento rerum omnium ſtabilierat, neque cœli perpetuus motus certa ſede voluebatur; ſed omnia ſine Solis vſu immota, triſtiq; ſilentio depreſſa languebant: aliud extabat nihil,* — *Chaos.*

quàm informis diffuſa materia ſegnities; antequam principium illud, à quo producta & conſtituta ſunt omnia, ſalubrem vitæ modum depromēs, mundum mundo redderet, cœlumq; à terra, & pelagus à continente diſtingueret: quo tempore primùm elementa quatuor, ex quibus ſeu radice ac generis principio nihil non gignitur, ordinem ſuum & formam propriam acceperūt. Hæc igitur cùm diuina prouidentia diſpoſita ſint, numen illud, quod informem prius indiſcretamq; materiam certis formis obſignauit, ab Homero Protei filia Eidothea nominatur, idq; meritò, vt quæ εἴδους ἑκάστου θέαν, *hoc eſt, idea ſeu forma cuiuſuis inſpectionem exhibuerit. Quocirca Proteus, qui vna prius natura fuerat, in multas deinde ſpecies à prouidentia formatus diuiditur.* — *Eidothea filia Protei.*

Principio eſt viſus ſpeciem ſubiiſſe leonis,
Mox aper, inde draco fieri, fera pardalis inde.
In latices etiam ſe vertit, & arbore formā
Mutauit priſcam ramis ac frondibus alta.

Per leonem, animal igneum, ætherem indicat. Draco tellus eſt, vtpotè indigena & è terra natus. Arbor autem quæuis cùm augeatur, & à terra ſemper in ſublime natiuo motu feratur, ſymbolum aeris eſt. Aquā verò, vt clarius ænigmatis vim demonſtraret, ſuo nomine manifeſtò vocat, inquiens: — *Leo quid. Draco quid. Arbor quid. Aqua.*

In latices etiam ſe vertit.

Proinde conuenit informem materiam Proteum appellari. Eidotheam verò prouidentiam, quæ ſingulis formam effigiemq; ſuam addidit, & vniuerſam molem ab vtriſque diſcretam in continuas ſibi & perficientes mundum partes diuiſam eſſe. Probabiliter verò & inſulam, in qua hæc facta ſunt, Pharum appellauit. Nam φέρσαι, *generare ſignificat: & Callimachus ſterilem terram,* ἀφάρωτον *dixit,* ἀφάρωτος οἷον γυνή. *id eſt, ceu mulier ſterilis. Itaque naturaliter locum parentem rerum omnium, nuncupauit Pharum, per vocis etymologiam à fœcunditate ductā, quid ſibi vellet inſinuans.* — *Proteus, materia informis.*

Hæc Heraclides Ponticus. Clemens Alexandrinus Pædagog. 3. c. 1. retulit Proteū ad cupiditatem animi humani in varias ſeſe mutantem formas, plus quàm olim Proteus, inquit, marinus dæmon, &c. Iulianus Epiſtola quadam ad Iamblichum de ſapiente quodam, qui ſuam eruditionem tegeret, intelligi maluit: — *Clemētis Alexād. locus.*

πρω-

Iāblichi locus. πρωτέα μὲν δὴ τὸν αἰγύπτιον φασὶ ποικίλαις μορφαῖς ἑαυτὸν ἐξαλλάττειν, ὥσπερ δεδιότα μὴ λάθῃ τοῖς δεομένοις, ὡς ὢν σοφὸς, ἐκφήνας· ἐγὼ δὲ εἴπερ ἦν οὗτος σοφὸς πρωτεὺς, καὶ οἷος πολλὰ τῶν ὄντων γινώσκειν, ὡς Ὅμηρος λέγει, τῆς μὲν ὢν ἤδη φύσεος αὐτὸν ἐπαινῶ, τῆς γνώμης δὲ οὐκ ἄγαμαι. διότι μὴ φιλανθρώπου τινὸς, ἀλλ' ἀπατεῶνος ἔργον ἐποίει κρύπτων ἑαυτὸν, ἵνα μὴ χρήσιμος ἀνθρώποις ᾖ. id eſt. *Aiunt Proteum illum Ægyptium ſe in varias formas commutaſſe, quaſi qui vereretur ne per imprudẽtiam hominibus requirentibus ſapientem ſe eſſe demonſtraret. Si autem verum eſt eum fuiſſe ſapientem, & vt qui multa animo perceperit (vt præter cæteros Homerus teſtatur) ſcientia quidem nomine laudari mihi poteſt, ob ingenium verò minimè. Nõ enim viri boni, & liberaliter inſtituti, ſed impoſtoris improbi partes agebat, cùm ita ſe fingeret occultando, ne hominibus prodeſſe poſſet.* *Baſilij Magni locus.* Baſilius Magnus oratione πρὸς νέους, ad inconſtantiæ fugam conuertit. φευκτέον οὖν, inquit, τῷ σωφρονοῦντι τῷ πρὸς δόξαν ζῆν καὶ τὰ τοῖς πολλοῖς δοκοῦντα περισκοπεῖν, καὶ μὴ τὸν ὀρθὸν λόγον ἡγεμόνα ποιεῖσθαι τοῦ βίου. ὥστε κἂν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀντιλέγειν, κἂν ἀδοξεῖν, καὶ κινδυνεύειν ὑπὲρ τοῦ καλοῦ δέῃ, μηδὲν αἱρεῖσθαι τῶν ὀρθῶς ἐγνωσμένων παρακινεῖν. τὸν γὰρ μὴ οὕτως ἔχοντα τί τοῦ Αἰγυπτίου σοφιστοῦ φήσομεν ἀπολείπειν, ὃς φυτὸν ἐγένετο, καὶ θηρίον, ὁπότε βούλοιτο, καὶ πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ πάντα σχήματα. Quorum verborum hic eſt ſenſus: *Cauẽdum igitur ſapienti homini, ne ad opinionem viuat, & ad ea quæ populo placent, ſed rectam rationem, vitæ ducem, referat. Si ergo ſe omnibus opponere, ſi malè audire, ſi periclitari oportuerit pro honeſto, nec vlla vnquam ratione abducatur à vera ſententia. Quod ni ita fecerit, quid ni dicemus eum ſimilem eſſe ſophiſtæ illi Ægyptio, qui modò in arborem, modò in feram, aliquando in ignem & alium quempiam habitum ſeſe transformabat?* Alii ad alia referunt, vt Iſacius Commentariis in Lycophronem. *Proteus ſophiſta.* Plato in Euthydemo Proteum ait Aegyptium fuiſſe ſophiſtam, qui præſtigiis incautos falleret. *Orator.* Alii dixerunt fuiſſe virum dicendi peritũ, qui facile poſſet in quoſuis animorum motus homines impellere. Plerique eundem vatem arbitrabantur, quia multa ex ſiderum obſeruatione, & ea præteritarum rerum memoriæ prædiceret. *Vates.* Alii crediderunt per artes magicas Proteum in prędictas formas ſe mutaſſe. *Magus.* Ioannes Tzetzes (alius ab eo, quem iam citauimus) diuinatorem per pelues fuiſſe dicit, aut rhetorem eximium, aut naturalem philoſophũ, qui poſſet de feris, arboribus, aquis, & igne diſputare. *Philoſophus.* Lucianus in dialogo de ſaltatione, ſaltatorẽ eximium ait fuiſſe, ad effingendum in primis docilem, vt nunc humectã liquidamque exprimeret aquæ vim, nunc ignis celeritatem motus vehementia, nunc leonis feritatem, aut etiam pardalis impetum furoremve, poſtremò etiam virgulti flexum, & quidquid omnino collibuiſſet. *Saltator.* Idem in dialogo qui Nauigium inſcribitur, nauigandi peritum hominem videtur exiſtimaſſe. *Nauta.* Valerius Probus Proteum tyrannum facit, quem propter inſignem crudelitatem Buſirim nominatum ait. *Tyrãnus. Buſiris.* Sed iã ſatis; imò verò plus ſatis. Certè vt id poſtremò, quæ antiqua ſunt, & extra hominum memoriam aut certè coniecturam poſita, quę inquam παλαιὰ, non malè Proteum Pallenæum referunt, de quo varii varia καὶ παλαιὰ καὶ ποικίλα referunt. Sed haſce tam varias & prodigioſas opiniones recenſere, nihil hic aliud mihi videretur, quàm Proteum quendam nouum affingere, ſeu ſomniare. Si qui Proteum deniq; ad πρώτην ὕλην reuocant, ſentiunt cum Heraclide: ſi qui ad probabilem hiſtoriam, cũ Diodoro libro 2. Quò pertinet adagium, *Pellenæa tunica*, & *Proteo mutabilior*. Vide Nat. Comit. lib. 8. Mytholog. cap. 8.

III. *PALLENÆE*] Probus Proteum facit Aegyptiũ, quamuis Virgilius Pallenæum dicat, cum inquit:

Hic nunc Æmathiæ portus, patriãq; reuiſit
Pallenen.

Ad eam enim reuerſus fertur, cùm ipſius filii, Tmylus & Telegonus, ab Hercule fuerunt occiſi ob ſcelera. Legendum verò hic *Pallenæe*, cùm *a*, in prima, non cum *e*. Nam Pallene in Thracia eſt iuxta Macedoniam, ſoli tam patentis (inquit Mela) vt quinq; vrbium ſedes ſit, atq; ager. *Pallene.* Vide Plinium lib. 4. cap. 9. Pellana verò ſeu Pellene vrbs eſt Arcadiæ, de qua Plinius lib. 4. cap. 6. & Ptolemęus tab. 10. Europæ. *Pellene.* Aliter interpres Apollonii lib. 1. Pellene, inquit, per *e*, ciuitas Achaię (conſentit

ſentit Strabo lib. 8.) alia eſt Arcadię, & per *α*, ſcribitur, Pallene. Nos hic de Pallene Thraciæ loquimur, quę antiquo nomine Phlegra dicebatur; non de Pellene Achaię, quam perperam Protei patriam facit Chiliadű auctor, in prouerb. *Pellenaa tunica*.

Senex] Alluſio ad Emblematis epigraphen, & ad nominis Pallenęi etymon. Nam *παλαιὸν*, *antiquum* ſignificat.

Cui forma eſt hiſtrica] Varia & multiplex, qualis hiſtrionum, qui pro rei, quam fingunt, varietate varium cultum aſſumunt. Eſt enim hic *Hiſtrica*, poſſeſſiuum ab *hiſtrio*, non ab *hiſtrix*, vt imperiti putãt & interpretantur. Nam ſenſus eſt: O Proteu, qui ſoles agere hiſtrionem, dum modò in hominem, modò in feram, modò in aliquid aliud transformaris. Sic Plautus loquitur in Pœnulo:

Audire iubet vos imperator hiſtricus.

Etenim Proteus fiebat modò

——aper, modò auis, modò ſaxum, & cùm volet, arbor.

Proteus mutabilis. inquit Horatius Satyra 3. lib. 2. Quin & Virgil. 4. Georg.

Tum varia illudẽt ſpecies, atq; ora ferarũ:
Fiet enim ſubitò ſus horridus, atraq; tigris,
Squamoſusq; draco, et fulua ceruice leana;
Aut acrem flammæ ſonitum dabit, atq; ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapſus abibit.

Huc refer illud Luciani de ſaltatione, & multa quę cecinit Homerus de Proteo lib. 4. Odyſſ. quæ omnia trãſtulit Virgilius in 4. Georg. Vide etiam Ouidium 1. Faſtor. Hic viſum fuit addere, quinam præter Proteum fuerint, quibus ſe in varias figuras mutandi permiſſa fuerit poteſtas. Et hi equidem ſunt, quos memini me legere. Thetis, Metra, Vertumnus, Periclymenus, Achelous, Empuſa: de quibus ſingulis pauca dicemus. De Thetide agit Ouidius lib. 11. Metamorph.

In varias formas mutabiles.

Thetis.

Sed modò tu volucris, volucrem tamen ille tenebat;
Nunc grauis arbor eras, hærebat in arbore Peleus;
Tertia forma fuit maculoſæ tigridis.

Metra. Metra ſiue Triopeis Eriſichthonis Theſſali filia fuit, quæ cùm pater totum patrimonium ob aſſiduam famem diuinitus immiſſam deglutiſſet, ſeſe tamdiu in varias formas vertebat, quamdiu à patre venderetur, vt eius fami ſuccurreret, vendita ſtatim ad patrem redibat. De hac Ouidius 8. Metamorph.

Nunc equa, nunc ales, modò bos, modò ceruus abibat.

Res verò ſic habet. Fuit Metra meretrix liberali forma, ad quam cùm commearent adoleſcentes, corporis copiam non aſſequebantur, niſi equos, boues, aliaq; munera deferrent; gemmatum enim vſus tunc temporis nondum fuerat repertus. Hinc Theſſali per iocum dicebant, Metram Eriſichthonis verti in ea omnia, quę illi ab amatoribus donabantur. Vnde fluxit prouerbiũ, *Mutabilior Metra Eriſichthonis*, in eũ, qui ſecum non conſtat. Vertumnus quoq; in omnigenas ſpecies ſeſe variabat, vnde & nomen apud Latinos reperit. Hinc adagiũ, *Vertumno inconſtantior*. De hoc habetur integra elegia apud Propertium lib. 4. eleg. 2. & meminit Ouidius 14. Metamorph. & 1. Faſtor. ait: *Vertumnus.*

Ille ſuã faciẽ transformat, & alterat arte;
Mox domitus vinclis in ſua membra redit.

Periclymenus Nelei filius ac frater Neſtoris, teſte Homero Odyſſ. 11. Huic à Neptuno auo conceſſum omnia fieri, ſiue in vrſum, ſiue formicam, ſiue apem ſe vertere, vt Apollonius teſtatur; item & Heſiodus, cuius verſus ſic redditos Latinè reperi: *Periclymenus.*

——volucres inter, fit namq; volucris;
Tum fit rurſus apis, rurſus (mirabile viſu)
Formica apparet, fit rurſus frigida ſerpens.

Huius hiſtoriam deſcribit Ouidius lib. 12. Metamorph. vbi hi leguntur verſus:

Mira Periclymeni mors eſt, cui poſſe figuras
Sumere quas vellet, rurſusq; reponere ſumptas
Neptunus dederat.

Achelous dimicans cum Hercule, pro Deianira, cùm ſe videret multo inferiorem viribus, in ſerpentem primò, deinde in taurum, poſtremò in fluuium ſeſe transformauit, vnde apud Ouidiũ 9. Metamorph. ſic loquitur: *Achelous.*

Inferior virtute, meas diuertor ad artes,
Elaborq; viro longum formatus in anguẽ.

Habuit deniq; etiam Empuſa hanc ipſam facultatem conuertendi ſe in quæcunque libuiſſet, de qua ita ſcripſit Ariſtophanes in Ranis: *Empuſa.*

καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία θηρίον μέγα.

ποῖον

*ποῖον τί; δεινόν· παντοδαπὴ γοῦν γί-
γνεται.
τότε μὲν βοῦς, νυνὶ δ' ὄρνις, τότε δ' αὖ
γυνὴ
ὡραιοτάτη τίς· ποῦ ἐστι; φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴω,
ἀλλ' οὐκ ἔτ' αὖ γυνή ἐστιν, ἀλλ' ἤδη κύων.
Atqui profecto maximam video feram.
Qualem? Nouam, quæ in cuncta mutatur
ſtatim:
Nunc mula, nunc bos ſitq; rurſum fœmina
Valde venuſta. Vbi eſt? Ad eam me cōfero.
Sed rurſus illa haud mulier, at iā ſit canis.*

Sic etiam Epicharmus in nuptijs Hebes:

*ἔμπουσα δ' ἔνδρον, βοῦς, ὄχιδνα γίγνεται,
λίθος τε, μυῖα, καὶ γυνὴ δ' ὡραία τις,
ἥ τι αὖθις ἄλλο ὅ, τι ἂν ἐπιθυμῇ.
Empuſa planta, bos ſit, atq; vipera,
Lapisq; muſca, pulchra & illa fœmina,
Quidquid cupit, vel deniq; illi conferat.*

Empuſæ etiam Euagrius meminit lib. 6. cap. 21. hiſtor. Eccleſ. dum ſcribit Mauritij Imperatoris matrem narrare ſolitam, ſæpe Lamiam, quam Græci Empuſam vocant, infantem de loco in locum mouiſſe, tanquam illum voraturam, minimè tamē ei nocere potuiſſe. Et ſcribit Lilius Gyraldus Syntag. 15. quòd audiuerit ex ijs, quibus noſtro hoc tempore Empuſæ vel phantaſmata muliebria apparuerint, ſeq; legiſſe, qui putarent, illud Regis Dauidis dæmonium meridianum, huiuſcemodi terriculamentum ſignificare. In Suidæ hiſtorijs legimus, Empuſam ſeu Onocolen eſſe ſpectrum diabolicum ab Hecate immiſſum, calamitoſis apparens: inde dictum, quòd vno pede incedat, alterum verò habeat æneum aut aſininum. Putabatur, inquit, etiā in meridie apparere, cùm defunctis inferiæ ferrentur. Sanè Ruſſi adhuc dæmonem meridianum metuunt. Ille enim, quùm iā maturæ reſecantur fruges, habitu viduæ lugentis ruri obambulat, operarijsq; vni vel pluribus, niſi protinus viſo ſpectro in terram proni concidant, brachia frangit, & crura. Empuſas autem à veteribus Lamias & Marmolycias quoque nuncupatas eſſe ſcribit Philoſtratus in vita Apollonij. Vide plura de Empuſis apud Cœlium Rhodigin. lib. 11. cap. 16, & lib. 29. c. 5. Philip. Camerarium Oper. ſucciſ. cap. 70. Alex. ab Alexan. genial. dierum lib. 2. cap. 9. Sed hæc hactenus.

Empuſa quid ſit.

Protei etymon.

Proteu] nominis etymon videtur conſentaneum Heraclidis Pontici ſententiæ, qui Proteum materiam primam voluit ſignificari, quæ cùm cerni tangiq; non poſſit, in innumeras tamen formas tranſit: dicitur enim Proteus, quaſi τὸ πρῶτον ὄν, *primum exiſtens*.

Signa vetuſtatis &c.] ego præ me fero ſymbolum veteris hiſtoriæ, quæ ſit extra omnem hominum memoriā, de qua quiſque ſuum adfert ſomnium.

IV. CONVERTIT Protei πολυμορφίας fabulam in ſcriptores quoſdam rhapſodos, & rerum antiquiſſimarum, quæque extra omnium memoriam poſitæ ſunt, narrationem è varijs & ſæpe pugnantibus inter ſe petitam concinnantes, qui cùm ſibi non conueniant, & pro arbitrio ſomnient de rebus à ſe remotiſſimis, & ingenij humani captum excedentibus, pro germana naturali rerum veritate, tenebras quaſdam fabularum offundunt, & portentoſam hiſtoriæ formam è varijs petitam, ſeu, vt dixeris veriùs, indigeſtam quandam miſtam, et nullaque penè ſibi parte cohærentem farraginem nobis obtrudunt, vt renera Proteum quendam in eiuſmodi ſcriptionibus effingere velle videantur. Referam Arnobij verba ex libro 1. contra Gentes, quæ mirè huc quadrant. Falſitatis, ait, arguitis res noſtras: & nos veſtras arguimus falſitatis. Sed antiquiora, inquitis, noſtra ſunt, ac per hoc fidei & veritatis pleniſſima: quaſi verò errorum non antiquitas pleniſſima mater ſit, & nō ipſa pepererit res eas, quæ turpiſſimas Dijs notas ignominioſis cōcinnauerunt in fabulis. Ante millia enim annorum decem non potuerunt falſa & audiri, & credi? aut non ſimillimum veri eſt, fidem vicinis & finitimis, quàm ſpatiorum ineſſe longinquitate diſtantibus? Teſtibus enim hæc, illa opinionibus aſſeruntur: & procliuius multò eſt, minus eſſe in recentibus fictionis, quàm in antiqua obſcuritate ſubmotis, &c. Gentes enim pleræque & nationes ignaræ vetuſtatis, & veræ perpetuæque ſeriei temporum, fabuloſas quaſdam origines confinxerunt: vt Theſſali, qui ex lapidibus ortum ſuum repetebant: Arcades hunc ſe antiquiores exiſtimabāt: Athenienſes αὐτόχθονες eſſe ſe cūm oſtenderent, gloriabantur ſuum genus Ionica gēte, quæ originem habuit a Iapheth Noeì filio, vetuſtius, ideoque celebrius. Quàm fallax verò & dubia olim fuerit in rerum originibus indagādis gentilitas, vel

Scriptores rhapſodi taxantur.

Arnobij locus.

Gētilitas falſa & fallax.

Plu-

Plutarchus auctor eſt libr. de placitis philoſophorum; ſed melius & purius Euſebius Pamphil. libris de euangelica præparatione, Theodoretus, de curandis Græcis affectionibus, Iuſtin. Martyr, Athenagoras, Tacianus, Firmicus Maternus, de erroribus Gentilium, & alij nonnulli. Quotus enim quiſq; qui non videat, Herodotum & Diodorum Siculum (vt de alijs taceam) initio ſuorum librorum caliginoſa quædam fabulamenta nobis & offucias obijcere? T. Liuius, multò verecundior, cùm Romanæ vrbis, adeoque Romuli, Remique recenſet incunabula, alioqui fateri cogitur veterum ſcriptorum commenta, qui magnas auctoribus ſuas ciuitates commendarent: ſed hanc veniam tamen putat antiquitati dandam, & communiter receptæ opinioni. Nulla eſt hiſtoria paganica, quæ non aliquid in ſe fęcis habeat: & nulla penè certa rerum antiquarum primordia, niſi quę in libris diuinis leguntur: imò multa nos fugiunt propter ignorationem linguæ primigeniæ, vel quia multa temporum longa ſerie ſint obruta. Nec mirum, cùm & in iis, quæ noſtra ætate, vel nonnunquam nobis videntibus accepta ſunt, pleriq; ſcriptores vel recitatores obliquè contorqueant, & ipſi ſibi mera ſomnia fingant. Sunt qui putent Proteum eſſe veritatem ipſam, quæ quia latet, ac alta premitur rerum caligine, ideo traditum à mythicis, ſenem Proteum in antro obdormiſcere. Porrò ipſe hic in varias tranſit effigies, & vt poeta omnium maximus ſcienter canit,

Proteus veritatis ſymbolũ.

Omnia transformat ſeſe in miracula rerũ,
Ignemq; horribilemq; feram, fluuiumq; liquentem.

Siquidem dum ratione ducitur ingenium ad veritatis indaginem, variæ tunc oriuntur rerum formæ, quæ veritatis ſpeciem oſtentantes, animis noſtris fallaciarum nubila obiectant. Multa enim putamus vera ac bona, quæ non ſunt: itaq; Protei confirmatio imaginum falſarum rationem continet, quibus deludimur. Sunt enim qui in voluptate ſummum bonum ſtatuant; hanc per ſuem exprimi concipimus: Alius expleuiſſe iram, crudelitatis côceptaculum, inter optanda maximè opinatur: tunc in tigridem demutatio recognoſcitur. Draco autem eorum nobis errores innuit, qui terrena pulchritudine felicitatem metiũtur. Inuenias qui ambitione & ſuperbia, id exprimit leo; nam flamma etiam iræ typum habet. Fluuij liquentis nomine intelligo eos, quorum ſententia animę poſt mortem corpoream tribuit nihil, ſed vita hac fluxa & inconſtanti, qua ſingulis momentis in decliue, hoc eſt, ad euidentiſſimum interitum ducimur, totum hominem metiuntur. Verùm quò plures ingerunt ſe nobis obices, eò inſtãdum acrius, & toto (vt Græci dicunt) pede eatenus enitendum obnixiùs, donec ſuæ ſe figurę reddat ambagioſus Proteus, vt veritas demum illuceſcat: quam magno & excellenti ingenio viri enixè peruestigare adorti quidem ſunt, ſed conatus omnium ceſſiſſe in irritum res ipſæ docent; cederentq; etiamnum, niſi Saluator præpotens Chriſtus ex ſacris æterni Patris fontibus tanti arcani promſiſſet oracula. Intellectus quidem humani ſubtilis eſſe & acuta, multiplex item, & diffuſa operatio, volubilis, incitatus atq; igneus vigor, qui nunquam ſiſtit aut torpet ſitu, cupidine veritatis explorandæ, & cauſis rerum atque conſecutionibus expedito ac celeri motu diſquirendis: vacillat tamen etiam vt reliqua hominis, à fatali illo ictu & communi vulnere. Tenui & obtuſa luce naturas rerum intuetur; & quod caligantibus oculis ſæpe contingit, vt truncum arboris Petri nomine indigetent aut alterius: hoc idem intellectui humano, vt aberret iudicio & hallucinetur turpiter, ebrioſo aut cæco ſimilis, in medijs tenebris palpitans. Hæret paſſim & labitur, nec extricat ſe implicitus opinionũ inuolucris, quæ torquent & turbinant velut in gyrũ, vt neſciat figere aciem, & ſtare ſolido (vt ſic dicam) pede. Sicut nauis agitatur fluctuum verbere, nunc in hoc, nunc in illud latus, nec momento conſiſtit: ſic mentis illa vis, quæ in ſcrutinio rerum ſe continenter fatigat, & quaſi procellis errorum huc illuc funditur. Conglomerant ſe conceptus, & rationum telis mutuò conficiunt, pendente & dubia victoria: interim veritas ipſa procul à conſpectu in ſinu naturę abdita deliteſcit, & ridet argutias ingeniorum, & bellas illas concertationes, quibus doctorum pulpita perſtrepunt. Collimant omnes & iaculantur, longius propius, ſed ad limbum ſcopi appingunt, nec feriunt clauum; ſtringunt oram & radunt leuiter, nemo cor aut centrum circuli. Qui in pa-

Veri indagatio difficilis.

Intellectus humani caligo & error, vnde ſit.

Diſputationes ſcholaſtica quales.

læſtram

læſtam hanc deſcendunt athletæ, pangũt areas quaſdam primò metandis caſtris, & munitionibus vallunt, quas ſi tormentum aliquod grandius ab aduerſario immiſſum concuſſerit, ruit ſtructura, & in anguſtijs ſunt qui propugnant. Notetur rixantium vehementia, quàm acri ſæpe conflictu con grediantur, & mutuis aſſultibus collidant cornua: vocale quoddam & incruentum bellum dicas. Negant, affirmant, partiuntur, colligunt, diffundunt, conglobãt, curuant, ſtringunt, torquent vt volunt, dum veriſimile aliquid, & tanquam nucleum è cortice eliciant. Audies ibi fremitus, clamores, comploſiones manuum, cauillationes & ſcommata, vt ad tribunal interdum prouocare neceſſe, aut alium honorarium arbitrum, qui litem componat. Totius controuerſiæ huius radix duplex: hebetudo intellectus, & rerum obſcuritas; quamuis hæc ſurculus ſit ab illo corrupto, ſubtracta enim ibi luce, hic tenebræ. Serenum & purum illud, quod ſubſtantijs incorporeis originis dignitate proximum, obturbat hæc corporea maſſa, qua veſtitur, nec fulgorem ſuũ per operculum hoc clarius exerit, quàm per oppanſum velum lampas. Hinc continuatos annos & ſecula, ſudoribus & vigilijs fracta tranſmittit lucubrantium ſolertia: nunquam peruenitur ad metam, incitato licet & volucri paſſu; nec de palma gloriari quemquam auditũ hactenus, cùm ea ſubſit difficultas, quam nedum conatu, ſed ne ſpe quidem aut voto vlli fas vincere: ſemper ab ignorantiæ craſſiori fuligine aſperſum aliquid hæret, quod retundat aciem mentis aut ſiſtat. Quod febricitantibus accidit, vt ſubſidente paroxyſmo toto corpore langueant, & vix ægrum trahant ſpiritum: hoc animæ poſt acceptum primum vulnus, infirmatur adhuc labefactis viribus & decuſſo vigore, nec aſſurgit ad priſtinum robur, tota in marcore; nihil quod ſplendorem illum natalium & primogeniam maieſtatem referat, reliquum. Quid ergo mirum, oculum eius interiorem, intellectum inquam, ſic caligare, & perſtringi rerum intuitu? læſus eſt & lippit, collyrio indiget è cæleſti illo myrothecio.

Vnde difficultas rerum inueſtigandarum.

Inſignia Poetarum.

EMBLEMA CLXXXIV.



GENTILES clypeos ſunt qui in Iouis alite geſtant,
Sunt quibus aut ſerpens, aut leo, ſigna ferunt.
Dira ſed hæc vatum fugiant animalia ceras,
Doctaq; ſuſtineat ſtemmata pulcher Olor.
Hic Phœbo ſacer, & noſtræ regionis alumnus:
Rex olim, veteres ſeruat adhuc titulos.

COMMENTARII.

I. IN clypeo ramis arboris alligato depictus eſt olor, auis cãdida, anſere maior: quibus ſi placet alios cygnos in proxima palude natantes adiungere, tui eſt arbitrij.

II. *Inſignia poetarũ olor.* CYGNVS, Poetarum ſtemma, Phœbo ſacer, candidus, pro Rege habitus, repræſentat conditionem Poetarum, qui ſuos labores omnes ad litteratum Præſidẽ Phœbum, id eſt, diſciplinarum liberalium principatum referunt: quorum pura & candida debet eſſe Muſa, aliena ab omni fuco & ſpurcitie: qui non minus ordinatis beneq; cultis verſibus in animos hominum imperium obtineant, atque reges ipſis armatis copijs. Atq; hinc puto ſolui allegoricè poſſe nodum illum, quem Sabellius circo-ſis proponit, nempe quid ſibi velit Virgilius lib 1. & 12. Aeneid. & Homerus lib. 15. Iliad. circa finem, cum fingunt aquilis morem eſſe cygnos inſectari, atque vnguibus rapere: cũ Ariſtoteles lib. 9. de hiſtor. animal. c. 12 dicebat, cygnum in certamina prouocatum aquilis ſolere negotium faceſſere, huic ſæpius vincit. Sed hæc quia parum ad rem ſpectant, non inuitus alijs diſquirenda relinquo. Cæterùm hoc totum in annulum ſignatorium excogitauit Alciatus, vt ex verbo [*ceras*] animaduertere poſſumus. Serpens autem fuit inſigne Vicecomitum, Leo Sfortiarum, qui Mediolani rerum potiti ſunt. De reliquo Emblema facile eſt & elegans; addemus nihilominus aliquot paſſim teſtimonia, vt omnia ſint explanatiora.

Cur aquila cygnos inſectentur.

Paræmiographus in Tragœdias Euripidis. Chiliadum auctor in Tragœdiis Euripidis à ſe cõuerſis ita cauit:

Scitè poetas doctus appellat Maro
Cygnos, Guilielme præſulum eximiũ decus.
Res mira dictu: vt cuncta conſenſu nouo
Vati atq; olori congruant diuinitus.
Niueus vtriq; candor: alter lacteis
Plumis, amico candet alter pectore.
Muſis vterq; gratus, at Phœbo ſacer,
Et limpidis vterq; gaudet amnibus.
Pariter canorus vterq; tum potiſſimùm
Vicina ſeram mors ſenectam cùm premit.
Sed qui tenent arcana naturæ, negant
Audiri olorem, ni ſonent Fauonij.
Nil ergo mirum, barbaro hoc ſi ſæculo
Canorus olim obmutuit vatum chorus;
Cùm tot procaces vndiq; obſtrepant Noti,
Boreæq; triſtes inuidorum & pinguium,
Nulli fauentem prouocent Fauonij.
Quod ſi bonis clementer ingenijs tua
Benignitatis blandus aſpiret fauor,
Ita vt fauit nota ſtatim Britannia
Vates videbis exoriri candidos
Adeò canoros atq; vocales, vti
In alta fundant aſtra cygneum melos,
Quod ipſa & ætas poſterorum exaudiat.

Politiani epiſtola. Huic accinit epiſtola elegantiſſima Politiani ex lib. 7. Cygno, inquit, poeta ſimilis: vterq; candidus, vterq; canorus, vterq; fluuios amans, vterq; Phœbo gratus. Sed negatur canere cygnus, niſi cùm Zephyrus ſpirat. Quid igitur mirum, ſi taceo tãdiu tuus poeta, cùm tu tamdiu non ſpires meus Zephyrus? Plura in progreſſu.

III. *Aquila in ſtemmatis.* *GENTILES clypeos*] Sunt, qui in clypeis gentilitiis aquilam gerant, vt Pertinax. Antoninus Pius, Iuſtinianæa familia, Herculiani Iuniores, qui ſub magiſtro militũ Præſentiali militabant; Herculiani ſeniores, id eſt, Illyricæ legio; & Iouiniani, alia legio: ex quibus hęc ſub Maximiano, illa ſub Diocletiano meruit; aliiq; multi. Videtur autem hic Minoi eſſe Hypallage, pro, *Alitem Iouis in clypeis geſtant.* Sed mihi magis arridet Pignorii ſententia, qui ait: Gentiles clypeos in Iouis alite geſtare, eſt Aquilam complecti & ambire alis expanſis clypeorum oras, vt videmus ſcuta domus Auſtriacæ, & aliarum è prima nobilitate.

In Iouis alite] aquila. Cur autem aquila dicatur Iouis ales, alibi dictum.

Sunt quibus aut ſerpens.] De quo ſymbolo ſatis primo diximus Emblemate.

Aut

Leo in nummo. *Aut leo.*] In Antonini nummo facies Leonis horridè iubata conſpicitur, in morem hiſtricis concitatæ. Traiani verò fortitudinem ita voluit exprimi, vt claua leonino capiti inſideret: quo etiã ſpectat imago fortitudinis in C. Publicij nummo: Leo enim cernitur ſuffocatus, claua à pedibus ſtrata, pharetra cum ſagittis interpoſita. Nota eſt hiſtoria Lyſimachi, qui coniectus ab Alexandro in clauſtrum ferocientis leonis, belluam quamquam maximè terrificam ſtrãgulauit: quæ res admirationi fuit ipſi Alexandro, dedítq; anſam pictoribus id in clypeis & tabulis exprimendi. Prætermitto alia multa, quæ paſſim leguntur apud auctores. Vide omninò Pierium Val. lib. 1. Hieroglyph.

Symbola debent aptã rebus eſſe. *Dira ſed hæc vatum fugiant.*] Signa hęc ἄρσενα, ſymbola, notæ rerum, hieroglyphica debent hominum moribus, quibus tribuuntur, aut etiam rebus, quarum cauſa pinguntur, vel finguntur, conuenire. Quæ enim mitia ſunt & quieta, non debẽt terrificis & truculentis ſpeciebus repræſentari. Et quidem rectè colligit Aelian. lib. 12. & 14. hiſtor. variæ, nullum neq; pictorem aut ſtatuarium auſum fuiſſe Muſas Iouis filias efformare falſis & alienis imaginibus: neque opificem fuiſſe repertum hactenus adeò rationis expertem, qui eas armatas expreſſerit. Nempe veteres illi ſcitè voluerunt oſtendere vitam eam, quæ ſtudijs liberalibus impenditur, facilem, pacatam, & quietam ab omni Martis ſtrepitu eſſe debere. Sic poetis, quorum omnis vita eſt in otio literario, rectè tribuitur olor pro ſymbolo.

Ceris] Imagines cera expreſſas. Iuuenal. Sa yra 8.

Tota licet veteres exornent vndiq; ceræ
Atria.

Ouidius:

Perlege diſpoſitas generoſa per atria ceras.

Vide Suetonium in Galba cap. 2. Plinium lib. 35. c. 2. Porro de veterum imaginibus cereis hæc addere placet, quanquam memini ſupra Emblemate 137. & ſtatim in principio Operis plura ea de re fuiſſe annotata. *Vſus imaginum.* Vſus imaginum nobilitatis inſigne fuit: quo honore donabantur olim qui aliquo geſto magiſtratu, ſuam virtutem Reipubl. probaſſent: quod quidem ius non ita tranſibat ad poſteros, vt eo ipſi poſſent vti: nec qui familię ſuę imaginem inſeruerat, aliud efficiebat, quàm vt in ſuo funere, & ſuorũ gentilium ſua imago efferretur: quemadmodum hodie apud nos conſuetudo inualuit inſignia militaria præferẽdi, pharetroque & ſepulchris effigendi, ſed eorum inprimis, qui aut nobilitate donati, aut ſplendore generis, aut munere aliquo inſignes extiterunt. Eiuſmodi autem veterum imagines cera, aut ære, ſeu etiam ligno, ſaxo vè efformabantur. Prudentius in Symmachũ lib. 1. ad eum morem alluſit:

Quamuis illuſtres meritis, & ſanguine clari
Præmia virtutũ titulis & honoribus aucti
Ardua retulerint, faſtorum que arce potiti
Annales proprio ſignarint nomine chartas,
Atque inter veteres ceræ numerentur &
ære.

Appianus lib. 2. bell. ciuil. vbi agit de funere Iulij Cæſaris, ait à Marco Antonio quaſi lymphato veſtem à pectore abſciſſam, eaq; accinctum manuum dexteritate lectum ſub tentorio poſuiſſe. Et deinde: Sic furente turba, cum ad manus ſe accingeret, quendam ex caſtris lecto imaginem eius extuliſſe cera fabricatam. Hic mos de cereis imaginibus in pompa funebri latè, pridem exoleuit apud eos, qui nomẽ Chriſtianæ religioni dederunt, ob aliquam non ferendam ſuperſtitionis & eidolomaniæ opinionem; inque eius locum ordinis ornamenta reſtituta.

Olor vnde dictus. *Pulcher olor.*] Alluſio ad nominis etymon, quod quidam deducunt παρὰ τὸν ὅλον ἡ ὡραῖον, quaſi totus pulcher. Alij verò oloribus fortè nuiſi, ab olero deductũ volunt: citantq; vocem Græcam κύκνος, quam Euſtathius dictam vult ἀπὸ τοῦ κυκᾶν *à cano agitando*, quod dum olor alimentum inueſtigat & perſcrutatur, omnia miſceat. Cur autem olores dicantur ab Horatio purpurei, conſule Cruquium, & Petrum Gualterium Chabotium in 1. Od. lib. 4. Horatij:

Cygnus ſacer Phœbo. *Hic Phœbo ſacer*] Cygnum Apollini dicatum eſſe declarat Callimachus in hymno Deli, his verbis:

ἡ μὲν ἔφη, κύκνοι δὲ θεοῦ μέλποντες ἀοιδοὶ
μηόνιον πάκτωλον ἐκυκλώσαντο λιπόντες.
ἑβδομάκις περὶ Δῆλον. Id eſt:

Sic ait illa, Dei tunc cygni dulceſonantes
Meonium Pactolũ linquunt, terq; quaterq;
Circumdant Delum.

Et paulò poſt:

ἔνθεν ὁ παῖς τόσσας ἐν χέλυϊ ἐνεδήσατο χορδὰς
ὕστερον ὁσσάκι κύκνοι ἐπ' ὠδίνεσσιν ἄεισαν.
Tum puer in cithara tot digerit ordine chordas,
Quot flerunt matris partu modulamina olorum.

Euſtathius in Iliad. α. ſic de cygno: Καὶ κύκνοι, δὲ τῷ ἀπόλλωνι, οὐ μόνον διὰ τὸ ᾠδικὸν καὶ μαντικὸν ἀφιέρωται, ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ λευκόν. Hoc eſt: *Cygnus non ſolum auis Apollini conſecrata, quia ſit canora & futuri præſaga, ſed etiam quia candida & alba.* Idem teſtatur etiam Plato: ἀλλ' ἅτε οἶμαι τοῦ ἀπόλλωνος ὄντες, μαντικοί τε εἰσι, καὶ προειδότες τὰ ἐν ᾅδου ἀγαθὰ, ᾄδουσι καὶ τέρπονται ἐκείνην τὴν ἡμέραν διαφερόντως, ἢ ἐν τῷ ἔμπροσθεν χρόνῳ. *Quia Phœbo ſacri ſunt, vt arbitror, diuinatione præditi præſagiunt alterius vitæ bona, adeoq; cantant alacrius, geſtiuntque ea die, quam ſuperiori tempore.* Succinit quoq; Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. Cygni, inquit, non ſine cauſa Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo diuinationem habere videantur, quia prouidentes quid in morte boni ſit, cum dulciſſimo cantu & voluptate moriantur. Phœbus, id eſt, Apollo, filius eſt Iouis & Latonæ, creditus Deus ſapientiæ, Muſarum præfectus, auctor carminum & Muſicæ, vaticinij præſes: pingitur cum cithara, quam à Mercurio fertur accepiſſe; à poetis veneratur, quorum præcipuum eſt numen. Dicitur autem Phœbus, φοῖβος, id eſt, *purus*, *lucidus* vel quaſi φώβιος, à φῶς & βίος, *lux vitæ*. quia pro Sole ponitur in cœlo, in terra Liber pater appellatur, apud inferos verò Apollo. Vnde etiam triplicem ei adſcribunt poteſtatem, eiusq; ſimulacro tria appingebant; lyram, quæ nobis cœleſtis harmoniæ imaginem monſtrat; clypeum, qui terrenum numen oſtendit; & ſagittas, quibus Deus infernus indicatur & noxius. Perpetuam quoq; ei tribuebant iuuentutem. Eidem Apollini non ſolùm cygni, ſed & boni poetæ conſecrati ſunt, qui ob ſimilitudinem cantus & numinis rectè cygnis comparantur, vt mali poetæ obſtreperis anſeribus. Certè poetę μουσᾶν ὄρνιθες dicũtur Theocrito. Et poetæ etiam Latini cygnos pro poetis non raro ſolent accipere, vt in Eclogis Virgilius:

Phœbus Apollo.

Vnde ſic dictus.

Poeta boni cygnis cõparati.

Cantantes ſublime ferent ad ſidera cygni.

Qua ratione Pindarum, Dircæum cygnũ appellat Horatius, quo ſenſu luſciniam Muſarum, ἀηδόνα μουσῶν, Palamedẽ Euripides dixit. Sed hæc obiter. Non vereboᵉ Octauij Cleophili, qui ad Ouidianam venam proximè acceſſit, lepidos eade re verſus apponere, è lib. de Poetarum cœtu:

Interea niueos liquidũ prope flumen olores
Audio cœleſtes edere voce ſonos.
Hanc volucrem Phœbo fertur ſacraſſe vetuſtas,
Quod referat cantus Delphice magne tuos.
Candida fama viget nullo violabilis æuo,
Nec mors huic nigras inijcit atra manus.
Tu famã vates candorem tereuolucrum,
Atque ideò vates concinit inter auis.

Nec ſolum Phœbo ſacer eſt cygnus, ſed etiam Veneri, fingitur enim Veneris currus à cygnis trahi. Vnde Statius lib. 3. Silu.

Cygnus Veneri ſacer.

——Et molles agitat Venus aurea cygnos.

Et Ouidius lib. 10. Metamorph.

Illa quidem monuit, iunctiſque per aera cygnis
Carpit iter.

Et paulò poſt:

Vecta leui curru, medias Cytherea per auras
Cypron olorinis nondum peruenerat alis.

Rex olim, veteres &c.] Cygnus Ligurum Rex, in Gallia tranſalpina, Muſicæ clarus: qui cum deceſſiſſet, ab Apolline in ſui nominis auem mutatus creditur, ait Pauſanias in Atticis. Aliam cauſſam 2. Metamorph. Ouidius adſcribit, nempe Cygnum Stheneli filium, Regem Ligurũ, iuxta Padum Italiæ flumen in olorem verſum, ob dolorem ex morte Phaethontis amiciſſimi conceptum. Sic enim ille ibi:

Cygni Regis hiſtoria.

Affuit huic monſtro proles Stheneleia Cygnus;
Qui tibi materno quamuis à ſanguine iunctus,
Mente tamen, Phaethon, propior fuit. Ille relicto
(Nam Ligurum populos, & magnas rexerat vrbes)
Imperio, ripas virides, amnemq; querelis
Eridanum implerat, ſiluamque ſororibus auctam:
Cùm vox eſt tenuata viro; canæq; capillos

Diſſi-

Diſſimulant plumæ, collumq; à pectore lõgè.
Porrigitur, digitoſq; ligat iũctura rubẽtes.
Penna latus velat, tenet os ſine acumine roſtrum.
Fit noua Cygnus auis, nec ſe cœloq; Iouiq;
Credit, vt iniuſtè miſſi memor ignis ab illo:
Stagna petit, patuloſq; lacus; ignemq; peroſus,
Quæ colat, elegit cõtraria flumina flãmis.

Sed audiamus etiam Maronem Æneid. 10. hæc eadem canentem, ſumpta occaſione à Cupauone Cygni filio, qui pennas olorinas in galea geſtabat, ad inſigne paternum demonſtrandum. Sic verò ille:

Non ego te Ligurum ductor fortiſſime bello
Tranſierim Cygne, & paucis comitate Cupauo:
Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ,
Crimen amor veſtrum, formæq; inſigne paternæ.
Namq; ferunt luctu Cygnum Phaethontis amati,
Populeas inter frondes, vmbramq; ſororum
Dum canit, & mæſtum muſa ſolatur amorem,
Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,
Linquẽtem terras, & ſidera voce ſequentẽ.

Cygnus alter. Eſt & alter Cygnus Neptuni filius, omni ex parte inuulnerabilis, cum quo Achilles belli Troiani tempore congreſſus, quum fruſtra eum iaculis impetiiſſet, tandem re intellecta, eum humi proſtrauit, genibusque collo innixus animam eripuit; cumq; cadauer ſpoliare vellet, arma vacua inuenit; Cygnumq; in auem ſui nominis vidit mutatum, Vide Ouidium 12. Metamorph. Plura de cygno habes apud Lucianum dialogo, qui inſcribitur Cygnus; & apud Nat. Comitem lib. 7. cap. 5 Mytholog.

IV. *Inſignia varia quid notent. Olor inſignia poetarum.* CONGRVIT inſignia poetarum cum aliis ſtemmatis & ſymbolis gentilitiis, ceu κατ᾽ ἐναντίωσιν καὶ ἀντίθεσιν. Sunt enim qui aquilam circumferant, ſunt, qui vulturem, alii draconem, & alia eiuſdem generis, quibus animorum diritas, immanitas, rapacitas apertè declaratur. At Poetis olor eſt candidus, Phœbo ſacer, quique Regi quondam nomen dedit, animi puritatem repræſentat, qualis in Poeta ſacro debet eſſe, qui ſuos omnes labores ad Phœbum literarum Præſidem, &, vt loquuntur Græci, μουσαγέτην referre debet, vt cantus dulcedine poſteritatem ſibi deuinciat, nec minus in admirationem rapiat, ac cygni paulò ante mortem cantio, de qua illud Martialis lib. 13. Epigr.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Locus Platonis de cygno ante mortem canente. Nec minus hoc Socratis ex Platonis Phædone, ὡς ἔοικε, τῶν κύκνων δοκῶ φαυλότερος ὑμῖν εἶναι τὴν μαντικήν· οἳ ἐπειδὰν αἴσθωνται, ὅτι δεῖ αὐτοὺς ἀποθανεῖν, ᾄδοντες, καὶ ἐν τῷ πρόσθεν χρόνῳ τότε δὴ πλεῖστα καὶ μάλιστα ᾄδουσιν γεγηθότες, ὅτι μέλλουσι παρὰ τὸν θεὸν ἀπιέναι, οὗπερ εἰσὶ θεράποντες. hoc eſt: *Vt apparet, ad diuinandũ videor vobis eſſe cygnis deterior: illi quidem quando ſe breui morituros agnoſcunt, tũ magis admodum, & quidem dulcius modulantur quã antea conſueuerint, & quòd ad Deũ, cuius erant famuli, tunc ſint migraturi, congratulantur.* Vnde ortum prouerbium Græcum κύκνειον ᾆσμα. *Cygnea cantio.* Quòd Cicero 3. de Orat. vſurpauit: Illa tam cygnea fuit diuini hominis vox & oratio. *Cygnea cantio.* Diuus Hieronymus in quodam eloquentiam ſenilem laudãs, commemoratis aliquot ſcriptoribus: Hi omnes, inquit, neſcio quid cygneũ vicina morte cecinerunt. Ælianus lib. 14. cap. 23. de nat. animal. ſic ait: Cygnus à natura præclariſſimum donum eſt conſecutus, tanta enim eius animi eſt tranquillitas in extremo vitæ ſpiritu, vt ſibi tanquam nænia canat. Idem lib. 1. var. narrat. author eſt, audiſſe quandoq; ſe canentem cygnum εὐφωνότατον καὶ ᾠδικώτατον, voce cantuq; præcipuè præſtantem. *Cur cygnus ante mortẽ canat.* Nec deſunt Philoſophi, qui rei huius cauſam etiam addere conantur, affirmantque id accidere propter ſpiritus per collum procerum & anguſtum erumpere laborantes. Sunt qui aſſerant præ lætitia tum cygnum cantare, cùm proſpiciat quantus bonorum cumulus ſit in morte? vel certè, quãtam moleſtiarum molem ſit relicturus. Alii contrà dicunt huiuſmodi cantus eſſe doloris argumentum, quem ex morte aduentante concipiat. In qua opinione fuiſſe videtur Lucretius, dum ait lib. 4.

Vallibus & cygni nece torti ex Heliconis
Cùm liquidã tollunt lugubri voce querelã.

Qui negent cygnum an- Sed hæc cygnorum morte inſtante cantio tam omnium litteris eſt celebrata, quàm vix vlli vel cõperta, vel credita. Nam Lucianus negat, ſe vel vidiſſe cygnos, cùm in Pado flumine nauigaret. Ælianus 1. ποι-

te mortē canere.

xix. iſop. & lib. 2. cap. 32. hanc modulationem commenticiam & fictam ait eſſe, & ita ferè iudicatā à Socrate in Phædone: quāuis aliter à vetuſtiſſimis quibuſq; poetis ſæpe celebratā. Ariſtoteles lib. 1. Hiſt. animal de cygnis ait: Canori quidē ſunt, ſed maximè ſub vitæ finem. Non equidem tamen vllum canentem audiui, neq; fortaſſe quicquam alius. Itaq; vulgo iſtud perſuaſum eſt, ſicuti hoc, quòd dicitur ipſe tum maximè quidem vocalis & canorus eſſe, quum poſtremo vitę actui proximus eſt. Idem affirmat Plinius lib. 10 c. 23. Olorum morte narratur flebilis cantus, falsò, vt arbitror, aliquot experimentis. Sed hanc controuerſiam decidere non eſt noſtri inſtituti. Illud potius adnotandum, Aegyptios cùm ſenem muſicum & poetam ſignificarent, cygnum pinxiſſe: nā vt cygni ſenio confecti argutioribus ob gutturis exilitatem organis effectis, ſuauiorem ſimul & vocaliorem emittunt vocem; ita etiam boni poetæ, quo per ætatem magis profecerunt, ſcribere itidem ſolent elegantius. Sic Oedipus Coloneus opus omnium ſuorum operum cultiſſimum ſcripſit ea ætate, qua propter ſeniū deſipere videbatur. Et Iſocrates (vt & oratores huc admittamus) Panathenaicam orationem omnium, quas antea ſcripſiſſet, luculentiſſimam poſt octogeſimum ætatis annum elucubrauit. Sic Pontanus Vraniam & Meteorica, Syncerus Actius pleraq; poemata, Aurelius Augurellus Chryſopœiam, & alij plerią; noſtra ætate bene literati viri eò ſuauius cygneum hoc melos modulati ſunt, quò magis viſi ſunt conſeneſcere. An verò Platonem diſſimulare poterimus, quem annum circiter octogeſimum agentem ſcribendo vita functum aiunt? Vt fabuloſum minimè videatur, quod Socratem perhibent exiſtimaſſe, nouellum ſe cygni pullum inter genua tenere, qui plumis repentè ſumptis euolauerit in ſublime, ætheraq; omnem ſuauiſſimo clangore compleuerit; poſtridieq; Platonem ab Ariſtone patre ei commendatum in inſtitutionem, viſoque ſtatim puero dixiſſe Socratem ferunt, eam eſſe auiculam, cuius imago nocte proxima ſibi per ſomnium fuerat obuerſata. Sanè Plato ipſe Aegyptiæ doctrinę nunquam immemor, cùm felicem illam ciuitatem conderet, illic fermè ait Orpheum Calliopes filium, cùm à mulieribus fœdè diſcerptus exceſſiſſet è vita, homine, quod erat, derelicto, in cygnum emigraſſe mutata ſpecie; vt qui inſignis muſicus fuerat, Muſicam eandem perſeuerantius exerceret. Inde fortè eſt, quod Horatius in fine 2. Carm. vertitur in olorem, cum ſic canit:

Cygnus muſici & poeta ſenis hieroglyphicū.

Orpheus.

Non vſitata, nec tenui ferar
Penna biformis per liquidum æthera
Vates; neq; in terris morabor
Longius: inuidiaq; maior
Vrbes relinquam.

Et paulò poſt ode ead.

Iamiam reſidunt cruribus aſperæ
Pelles, & album mutor in alitem
Supernè: naſcunturq; leues
Per digitos humerosq; plumæ.

Platoni ea ſuper Orpheo ſcribenti adſentitur Aeneas Philoſophus, qui quidem vbi ex Chaldæorum, Aegyptiorum & Græcorum opinione defunctorum animas euocari poſſe docet, Orphea cygni ſpecie euocandum ait, Homerum luſciniæ. Quin & Pierius hac aue animi candorem, & Apollinem fidicinem deſignari ſcribit lib. 23. Hieroglyph. Hoc idem quoq; poetæ commune cum cygnis habet, quod gloriæ ſtudio trahantur, fauoriſq; & laudationis ſint auidiuſculi,

Poetæ laudis cupidi.

Nec petitur ſacris niſi tantū fama poetis.

Cygni quoq; tunc ſuauius canunt, cum Fauonius eos ad cantum viſus fuerit inuitare. Artemidorus (vt poſtremò id adnotem) lib. 2. De ſomnijs, Cygno virum ait muſicum ſignificari, atq; adeò Muſicam ipſam: occulta is detegit, coloris ratione, &c. Commodè ergo muſico ipſam nunc Muſicam ſubiungimus.

Socratis de Platone ſomnium.

Muſicam

Muſicam Dijs curæ eſſe.

EMBLEMA CLXXXV.



L*OCRENSIS poſuit tibi Delphice Phœbe cicadam*
Eunomus hanc, palmæ ſigna decora ſuæ.
Certabat plectro Spartyn commiſſus in hoſtem,
Et percuſſa ſonum pollice fila dabant.
Trita fides rauco cœpit cùm ſtridere bombo,
Legitimum harmonias & vitiare melos.
Tum citharæ argutans ſuauis ſeſe intulit ales,
Quæ fractam impleret voce cicada fidem:
Quæq; allecta, ſoni ad legem deſcendit ab altis
Saltibus, vt nobis garrula ferret opem.
Ergo tuæ vt firmus ſtet honos, ò ſancte, cicadæ,
Pro cithara hic fidicen aneus ipſa ſedet.

COMMENTARII.

I. IMAGO huius Emblematis cernitur in veteri gemma ſarda inciſa, apud D. Laurentium Pignorium, quam Romæ nactum ſe, cum alijs plerisq; venerandæ antiquitatis cimelijs, aſſerit; proinde hanc ita hic appingi curauit, ſecus quam habent cęteræ editiones. Verùm quia de Muſica incidit mentio, vt aliquid de inſtrumentis muſicis dicamus, pictura hæc requirere videtur. *Inſtrumẽta muſica triplicia.* Inſtrumenta itaq; muſica ſunt triũ generum, vt in Protheoria in Pſalmos ſcribit Chryſoſtomus: Vel ἐμφυσώμενα, Athenæo, ſiue ἐμπνευστὰ, quæ flatu complentur: Vel ἔντατα, ſiue ἔγχορδα, quæ neruis intenduntur: Vel denique κρουστὰ, quæ pulſantur. Primi ordinis ſunt tuba, tibia, fiſtula, claſſicum, buccina, cornu, lituus. Secundo ordini debentur lyra, cithara, teſtudo, pſalterium, naulium, ſambuca, panduta, pectis, barbiton. Ad tertium referuntur tympanum, ſiſtrum, & cymbalum. Noſtram citharam (de qua nunc agimus) ex ſecũda claſſe inſtrumentorum eſſe vt non eſt dubium, ita quodnam illud ſit in tanta varietate maximè controuerſum. Nos de ſingulis illis aliquid dicemus, quò liberum quiſq; de eo poſſit ferre iudicium. *Lyra.* Lyræ itaq; & citharę non paruum eſt diſcrimen, quamuis Grammatici ferè confundãt, inter quos eſt Euſtathius, qui ſic ſcribit: χέλυς cithara dicta eſt, eò quòd teſtudinis teſta iugo addita, fidibusque tenſa, lyram deformauit. Et rurſus: Chelyn, hoc eſt, lyram, è teſtudinis teſta factam ſcribit. Cui ſententiæ videri poteſt ſubſcribere Horatius, qui Mercuriũ curuæ lyræ parentem nominat lib. 1. Odarũ, at lib 3. teſtudinem illi attribuit. Diuerſas facit Plato. Quid, quo Diodorus lyram trichordon fuiſſe inſimulat, ad citharam ſiue teſtudinem ſeptem neruis inſtructam Horatius? quo modo φόρμιγγα ἑπτάγλωσσον, id eſt, ſeptenos edere ſonos Pindarus ait. Diſertis quoq; verbis Lucanus in carmine ad Piſonem (quod non ſine manifeſta iniuria poſſeſſum hactenus ab Ouidio auctori ſuo reſtituit Hadr. Iunius) *Chelys.* edocet illud diſcrimen: nam chelyn ſiue teſtudinem digitis aut pectine pulſabant, lyram pellebant. Verſus eius ſunt:

Siue chelyn digitis, & eburno verbere pulſas.

Et mox:

Nec pudeat pepuliſſe lyram.

Seneca etiam chelyn plectro verberari: D. Clemẽs πλήκτρῳ κρούεσθαι, id eſt, plectro pulſari dicit. Cithara Platoni dicitur ψάλτιγξ, Suidæ φόρμιγξ, Homero χέλυς, à χελώνης, id eſt, teſtudinis teſta; Ciceroni *Cithara.* teſtudo, à forma; Virgilius periphraſticè citharam *cauam teſtudinem* dixit. Euſebius lib. 10. φόρμιγγα à cithara aliquantulum diſcrepare indicat, non tamen explicat. *Teſtudo.* Nebriſſenſis Hiſpanicè *Vihuelam* exponit. Alij citharam putant Harpam eſſe noſtram, Hieronymi fortè verbis perſuaſi, qui citharam deltoti figura deſcribit, cum chordis vigintiquatuor: ad quam accedit inſtrumentum illud, quod vulgò Virginale, & Clauecymbalũ nominatur, *Clauecymbalum.* Gallis *Eſpineta*. Pſalterium muſicum eſt inſtrumentum ab Hebræis Nebel, aut (vt Chryſoſtomus annotat in librum Pſalmorum) ναῦλα. ψαλμοκίνητον λύραν quidam dixit in illis verſibus: *Pſalterium.*

—— τοῦ πνεύματος
τὰ θεῖα τέξα καὶ βέλη τείνας
ὁ Δαβὶδ ψαλμοκινήτῳ λύρᾳ.

Deſcribit autem Chryſoſtomus in Protheor. ad Pſalmos ita: Pſalterium inſtrumentorum vnum eſt, quæ fidibus tenduntur, ſed erectum (eam enim ὀρθίαν μελῳδίας, quam Plutarchus Terpandro inuentori tribuit, ſignificationem eſſe cenſet Iunius, quę rectis, non iacentibus aut obliquis fidibus editur) cuius ſonus altrinſecus è ſuperiore parte redditur. Habet autem decem verticilla, quæ in iugo ipſius vertuntur, totidemq; chordas ſono diſpares: (hinc decachordi pſalterij fit mentio in Pſalmis) dextra autem plectrum tractabat, læua altrinſecus chordis oberrans per interualla, digitosq; frequenter tranſponens, vel grauem, vel acutum, miſtumque ſonum excitabat. Hactenus ille. D. Hieronymus Pſalterium in modum Δ literæ compoſitum ait. D. Auguſtinus ſcribit, Pſalterium habuiſſe ſuperiore in parte ſonorum lignum, quaſi tympanum, cui neruorum ſeries incumbat, vt meliorem ſonum reddat, quod lignum in cithara inferius ſit. Hinc fere ſtatuere licet Pſalteriũ eſſe Harpam, *Harpa.* tametſi pluribus hæc inſtructa ſit chordis. Alij inſtrumentum illud, quod

quod eodem ferè vocis ſono Pſalteriũ aut Pſalterinum vocatur, eſſe exiſtimarunt. *Nauliũ.* Porrò νάβλιον, ſiue νάβλαν, vt Clemens, & ex eo Euſebius ſcribunt, vel ναῦλα, vt apud Plutarchum eſt, Heſychius ambiguè & citharam & pſalterium exponit. Rurſus organi genus muſici aſpero ſono, quod Cappadocum inuentum eſſe voluerunt, vt Sidoniorum Sopatrus, Naulium dixit Ouidius illo verſu:

Diſce etiã duplici genialia vertere palma
Naulia, cõueniunt dulcibus illa modis.

Sãbuca. Sambuca triquetrum inſtrumentum, imparibus longitudine fidibus, σαμβύκη Athenæo, Nebriſſenſi Hiſpanicè vocatur *Campona*. Athenæus inſtrumentum eſſe acuti ſoni & argutum, tetrachordum ſcribit. Italicè *Sampogna*. German. *Leyre*. *Pãdura.* *Pectis.* Pandura inſtrumentum eſt triplicibus fidibus tenſum. Pectis inſtrumentum muſicum cum Pſalterio commune quiddã habens, vſq; adeo vt pſalterium interpretatus ſit Apollodorus, Lydorum inuentum, teſte *Barbitõ.* Anacreonte. Barbiton ſiue barbitos lyricum inſtrumentum, plectro percuti ſolitum: cuius inuenti gloriam Terpandro tribuit Pindarus, vt Anacreonti Neanthes & Antipater. Martianus Felix multiforme barbiton dixit, ob varietatem, non formæ quidem; ſed fortè ſonorum. Strabo lib. 10. ſambucam cum barbito eandem eſſe ait. Halicarnaſſeus βάρβιτα κέρκειν dixit, pro barbita plectris radijsq; percurrere. Quale nunc hoc, quòd hic depictum cernitur, ſit ex his enumeratis inſtrumentis, quiſq; augurari poteſt: mihi ſanè videtur pſalterium.

II. STRABO lib. 6. Geographiæ refert, Rhegimum agrũ à Locrenſi dirimi fluuio, cui nomen Alex. *Cicada Locrẽſes.* Cicadas autem, quæ in Locrenſi verſantur ripa, ſonantiùs ſtridere, cùm in Rhegino ſint mutæ. Huius rei hanc eſſe cauſam coniectat, quòd Rheginorum regio cùm ſit vmbroſa atq; opaca, *Cicada Rheginẽſes cur muta.* cicadarum pelliculas humore torpeſaciat. Eaſdem in agro Locrenſi, quòd ſit apricus, Solis areſactas æſtu, ſtridorẽ aptiùs emittere. Solinus c. 8. de Italia, aliam reddit cauſam fabuloſam: Cicadæ, ait, apud Rheginos mutæ, nec vſquam alibi. Quod ſilentium miraculo eſt; nec immeritò, cũ vicinæ, quæ ſunt Locrenſium, vltra cæteras ſonitent. Cauſas Granius tradit: cum obmurmurarent illic Hercule quieſcente, Deum iuſſiſſe, ne ſtreperent. Itaq; ex eo cœptum ſilentium permanere. Hæc Solinus. De hac taciturnitate cicadarum vide etiam Plinium lib. 11. c. 27. & Pauſan. lib. 2. de reb. Eliacis. Auget autem miraculum Rheginenſium cicadarum, etiam fabuloſè celebrata vocalitas vicinarum. Nam idem Strabo Timæum citat auctorem, quondam in Pythiorum certamine Eunomum Locrenſem, & Rheginenſem Ariſtonem in canendi certamen veniſſe, Ariſtonem Apollinem inuocaſſe Delphicum, vt ſibi canenti foret auxilio, quòd à Delphis olim Rheginenſes eſſent profecti. *Fons Emblematis ex Strabone.* Eunomus reſpondit, Rheginenſibus ne certandum quidem omnino de muſica, apud quos cicada vocaliſſimum animal voce careret. Vtriſq; certantibus cũm in Eunomi cithara vna inter canendum chorda frangeretur, cicada ſuperuolans aſtitit, & vocem alioqui defuturam ſuo cantu ſuppleuit. Atq; ita victor declaratus, ſtatuam citharœdi poſuit, cùm cicada citharæ inſidente. Sed cur non audimus ipſum Strabonem ſua lingua loquentem? Sic enim ille: ἐδείκνυτο δ' ἀνδριὰς ἐν τοῖς λοκροῖς εὐνόμου τοῦ κιθαρῳδοῦ, τέττιγα ἐπὶ τὴν κιθάραν καθήμενον ἔχων. φησὶ δὲ τίμαιος πυθίοις ποτὲ ἀγωνιζομένοις τοῦτον τὲ καὶ ἀρίστωνα ῥηγῖνον ἐρίσαι περὶ τοῦ κλήρου. τὸν μὲν δὴ ἀρίστωνα δεῖσθαι τῶν δελφῶν ἑαυτῷ συμπράττειν· ἱεροὺς γὰρ εἶναι τοῦ θεοῦ τοὺς προγόνους αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀποικίαν ἐνθένδε ἐστάλθαι. τοῦ δ' εὐνόμου φήσαντος ἀρχὴν μηδὲ μετεῖναι ἐκείνοις αὐτοῖς τῶν περὶ φωνὴν ἀγωνισμάτων, παρ' οἷς καὶ οἱ τέττιγες εἶεν ἄφωνοι, τὰ εὐφθογγότατα τῶν ζώων, ὅμως εὐδοκιμεῖν, μηδὲν ἧττον τὸν ἀρίστωνα καὶ ἐν ἐλπίδι τὴν νίκην ἔχειν. νικῆσαι μέν τοι τὸν εὔνομον καὶ ἀναχθῆναι τὴν λεχθεῖσαν εἰκόνα ἐν τῇ πατρίδι, ἐπεὶ κατὰ τὸν ἀγῶνα μιᾶς τῶν χορδῶν ῥαγείσης, ἐπιστὰς τέττιξ ἐκπληρώσειε τὸν φθόγγον. id eſt: *Oſtenditur apud Locros Eunomi citharœdi ſtatua, quæ inſidentem citharæ cicadam habet.* *Statua Eunomi.* *Scribit autem Timæus, aliquando in Pythiorum certamine illum vnà cum Ariſtone Rhegino veniſſe in contentionem, vter præmium ſortiretur. Ariſtonem fuſis precibus Delphorum ciues rogaſſe, vt ſibi adeſſent: maiores enim ſuos ipſi Deo Apollini conſecratos, & à Delphis Rhegiũ miſſam coloniam norat. Eunomum autem di-*

 xiſſe

xiſſe illis, numquam de muſica ab eorum primordio certamina fuiſſe, cum quidem apud eos cicada cunctorum animalium cantu ſuauiſſima omninò ſonum non habe rent. Nihilominus Ariſtonem ſpe victoriæ ad laudem aſſequendam ſtrenuum: Eunomum tamen victorem declaratum, ſtatuã, quam diximus, in patria collocaſſe. Cùm enim inter certandum chorda vna fracta defeciſſet, cicada ſuperuolans adfuit, quæ ſupplementum vocis faceret. Hactenus Strabo. Certè hoc Epigramma Latio donatum, & aliquot verſibus ab Alciato coercitum, legere eſt in ſectione quarta Græcorum Epigram. titulo εἰς κιθαρῳδοὺς, quod huc aſcribam.

Typus Emblematis.

Εὔνομον, ὦ Φοῖβε, σὺ μὲν οἶσθά με, πῶς ποτ' ἐνίκων
σπάρτιν ὁ λοκρὸς ἐγὼ· πευθομένοις δ' ἐρέω.
αἰόλον ἐν κιθάρᾳ νόμον ἔκρεκον· ἐν δὲ μεσεύσᾳ
ᾠδᾷ μοι χορδὰν πλᾶκτρον ἀπεκρέμασεν.
καί μοι φθόγγον ἑτοῖμον ὁπανίκα καιρὸς ἀπῄτει,
εἰς ἀκοὰς ῥυθμὸν τὠτρεκὲς οὐκ ἔμενεν·
καί τις ἀπ' αὐτομάτω κιθάρας ἐπὶ πῆχυν ἀνασὰς
τέττιξ, ἐπλήρου τὠτρεκὲς ἁρμονίης.
νεῦρα γὰρ ἐξετίνασσον· ἄθ' ἑβδομάτας δὲ μελοίμαν
χορδᾶς, κἀν τούτῳ γῆρυν ἐκιχράμεθα.
πρὸς γὰρ ἐμὰν μελέταν ὁ μεσαμβρινὸς ὤρεσιν ᾠδὸς
κῆνο τὸ ποιμενικὸν φθέγμα μετηρμόσατο·
κἠ μὲν ἴαχα φθέγγοιτο, σὺν ἀψύχοις τόκα νευραῖς,
τῷ μεταβαλλομένῳ συμμετέπιπτε θρόῳ.
τοὔνεκα συμφώνων μὲν ἐγὼ χάριν. ὅς δὲ τυπωθεὶς
χάλκεος, ἁμετέρας ἕζεθ' ὑπὲρ κιθάρας.

Eunomum, ò Apollo, tu quidẽ noſti me, quando vincebam
Patria Locrenſis ego, interrogantibus autem dicam.
Æolium in cithara modum reſonabam: at in medio
Cantu, mihi chordam plectrum ſuſpendit [i. fregit.]
Et mihi ſonum verum [i. paratum] quando occaſio poſtulabat,
Ad aures numerorũ non verè reddebat.
Atq; [tunc] quædam vltrò citharę ad cubitum [ſiue iugum] exurgens
Cicada complebat veram harmoniam.
Neruos enim pulſabam; quando ſeptimæ curam haberem
Chordæ, huius voce vtebamur.
Ad meum enim cantum meridiana è montibus cantatrix
Illum paſtoriciũ ſonũ accommodauit:
Et quidem cùm ſonaret, vnà cùm inanimatis neruis
Mutato ſimul congruebat ſono.
Huius rei cauſſa congruam habeo gratiam: ſic autem formata [i. expreſſa cicada]
Ære, noſtra ſedet ſuper cithara.

Eunomus hic ego, ſcis quo vici tempore, Apollo,
Locrenſis: referã ijs, qui mea noſſe uolent.
Æolio vt modulo reſonabam, in pectine tenta
Conticuit medio carmine fracta fides.
Me lyra deſtituit cũ non foret ergo neceſſe,
Et mihi legitimos non dedit illa ſonos.
Attamen ad cithara cubitum mihi ſponte cicada
Adfuit, vt veram redderet harmoniam.
Chorda fatigabat me ſeptima, quando repentè
Vox mea ſupplebat quomodocunque ſonum.
Sed mihi cãtatrix venit de mõtibus altis,
Obtulit atq; ſuum meridiana ſonum:
Egregiè reddens modulos, flectebat eoſdem,
Exanimes neruos quodq; referret, erat.
Ergo habeo grates meritò; hincq; expreſſa cicada
Spectatur conſtans ære ſuper cithara.

Sãctius ſic vertit, tantũ vt intelligi poſſet: *Verſo 33 & iij.*

Eunomus vt Parthin Locrenſis carmine vici
Delphice ſcis: dicam ijs, qui mea facta rogant.
Aeolico cithara reſonabam pectine cantũ,
Concentu in medio deſilit vna fides.
Inde per attentas non ibat dulciter aures,
Legitimusq; mihi non erat ille ſonus.
Tum cythara cubito ſedit ſic forte cicada,
Vt dulcem cantum conderet harmonia.
Fracta namq; fide rhythmum meditabar eundem
Supplere, & netes æquiparare vicem.

Ecce mihi vexit cantor de montibus altæ
Æſtiuus, dulces concinuitq; modos.
Extinctis qui voce leui ſua carmina neruis
Aptabat, reparans qui periere tonos.
Propterea grates ſoluo tibi Delphice; noſtraq;
Æneus hic cantor deſidet in cithara.

Epigramma Pauli Silentiarij. Extat & aliud epigramma eiuſdem ferè argumenti lib. 6. Antholog. tit. ἀπὸ κιθαρῳδῶν, autore Paulo Silentiario, quod tale eſt:

τὸν χαλκοῦν τέττιγα λυκώρει λοκρὸς ἀνάπτει
Εὔνομος, ἀθλοσύνας μνᾶμα φιλοστεφάνου.
ἦν γὰρ ἀγὼν φόρμιγγος· ὅδ' ἀντίος ἵστατο πάρθυς.
ἀλλ' ὅκα δὴ πλήκτρῳ λοκρὶς ἔκρεξε χέλυς,
βραγχὸν τετρηγυῖα λύρας ἀπεκόμπασε χορδά.
πρὶν δὲ μέλος σκάζειν εὔποδος ἁρμονίης,
ἁβρὸν ἐπιτρύζων κιθάρας ὑπερίζετο τέττιξ,
καὶ τὸν ἀποιχομένου φθόγγον ὑπῆλθε μίτου.
τὰν δὲ πάρος λαλαγεῦσαν ἐν ἄλσεσιν ἀγρότιν ἠχὼ,
πρὸς νόμον ἁμετέρας τρέψε λυροκτυπίης.
τῷ σε μάκαρ λητῷε τεῷ τέττιγι γεραίρει,
χάλκεον ἱδρύσας ᾠδὸν ὑπὲρ κιθάρας.

Quod ferè ad verbum ſic ſonat; verſu autem hic expreſſit ipſe Alciatus:

Æream cicadã Lycorei Locrenſis ſuſcitat
Eunomos, monimentum certaminis coronarum cupidi [id eſt, victoriæ aſſueti]
Erat autem certamen citharæ: & contrarius ſtetit Parthys.
Sed cùm plectro pulſata reſonaret Locrenſis chelys,
Chorda lyræ ſtridens raucum ſonũ edidit.
Hic claudicabat melos harmoniæ prius integros pedes habentis. [id eſt, perfectæ]
Delicatum admurmurans citharæ inſedit cicada,
Et abſentis fidis ſonum ſubiuit.
Namq; in ſaltibus reſonabat ruſticã echo,
Secundum legem pulſus lyræ noſtræ mutabat.
Te, beate Latonæ fate, tua cicada ornat,
Æreum collocans cantorẽ ſuper cithara.

Cęterùm de Eunomo Antigonus, Strabo, & Clemens Alexandrinus initio ſtatim orationis, qua Gentes hortatur ad pietatẽ. Repete etiam prouerbia, *Acanthia cicada.* &. *Chorda vice.* &. *Ad fractam canu.* &. *Cicada vocalior.* Vide inſuper Pierium lib. 26. Hierogl.

III. *LOCRENSIS Eunomus*] Locris regio proxima Phocidi, cuius populi Locri, ſiue Locrenſes dicuntur. *Locrus.*

Delphice Phœbe] A Delphis Phocidis ciuitate Phœbus Delphicus dictus eſt, in qua nimirum oraculum fuit toto orbe celeberrimum. *Phœbus Delphicus.*

Palma ſigna] victoriæ ſuæ teſtem. Palmam ſignum eſſe victoriæ diximus alibi, & notius eſt quàm vt hoc loco repetatur. Plutarchus cauſam reddit: In certaminibus, ait, palmam ſignum eſſe placuit victoriæ, quoniam ingenij eiuſmodi lignũ eſt, vt vrgẽtibus opprimentibusq; non cedat. *Palma ſignum victoriæ.*

Certabat plectro] Inſtrumento, quo fides plectuntur, hoc eſt, percutiuntur. Martialis:

Exornent docilem garrula plectra lyram.

Spartyn commiſſus in hoſtem] In aduerſarium Spartanum, id eſt, Ariſtonem. *Spartyn,* Græcus accuſatiuus. Græcum epigramma, vt habent vulgati codices, ſecutus Alciatus, in errorem potuit impingere. Quòd eò dico, quia vox, σπάρτιν vide ri ſuſpecta non temere poteſt. Certè Sanctius ex ſecũdo hic adducto epigrammate emendat, *Parthyn.* Sic legendum putat Nicolaus Gulonius, literarum Gręcarum profeſſor Regius:

πατρίδ' ὁ λοκρὸς ἐγὼ, &c.

pro eo quod diceremus, κατὰ τὴν πατρίδα ὁ λοκρός. ſic enim recta erit carminis ſententia, Eunomus enim Locrenſis erat, non Spartanus: niſi fortè putet aliquis σπάρτιν, ſiue πάρθυν eſſe cognomen vel agnomen quoddam, atq; citharœdum illum fuiſſe binominem; quod neſcio an debeam probare.

Trita fides] frequenti tactu attrita, & tandem rupta chorda.

Cœpit cum ſtridere] diſſonare. Strideo ſeu ſtrido propriè eſt funium, cùm ſonũ edunt: interim tamen frequenter ad alia transfertur. Horat. lib. 2. Serm. Sat. 8. *Stridere.*

Stridere ſecreta diuerſos aure ſuſurros.

Embo]

Bombus.

Bombo] ſono. Bombus ſonus propriè, quem edunt apes. Transfertur etiam ad alios diuerſos ſonos, vt tubæ apud Lucretium lib. 4.

Cùm tuba depreſſo grauiter ſub murmure mugit,
Et reboat raucum retrocita barbara bōbū.

Bōbarda.

Eſt autem factum per onomatopœiam ex ſono βὸμ βὸμ. Hinc deducitur etiam Bōbarda, quaſi bombizatio vel bombus ardens, vt Robertus Valturius putauit, lib. 10. de re milit.

Argutans] ſuauiter canens. Cicadas ſtridere, & quaſi cantus vocem ſonoram edere, præſertim Sole æſtuante, nemo non nouit. De his Virgilius in Culice:

Argutu & cuncta fremūt ardore cicadu.

Cicadis cur tributa canendi ſuauitas.

Suauis ſeſe intulit ales] Tribuunt antiqui poetæ cicadis canendi ſuauitatem, neſcio ob quā cauſam: nam noſtris locis & temporibus ſtreperum & inamabilem edunt ſonum. Homerus Troianos Oratores cicadis cōparat 3. Iliad. Et apud Theocritum in 1. Eidyl. paſtor, qui Thyrſin commendare vult à carminis ſuauitate, meliùs cum canere quàm cicadas, ruſtica & paſtorali ſimplicitate dixit. Quod ſi coniecturæ locus, illud ex fabula antiqua ortum trahere autumo: nam Philoſtratus in Apollonij Tyanei vita, & Plato in Phædro, à Muſis cantum habuiſſe cicadas ſcribunt, dicente ſic Socrate: Fertur olim

Cicadarum fabula.

cicadas homines fuiſſe ante Muſas; natis deinde Muſis, cantuq; monſtrato, illorum nonnullos voluptate cantus vſq; adeò delinitos fuiſſe, vt canentes cibum potumq; negligerent, imprudenterque perirent: ex quibus deinceps cicadarum genus ſit natum, cui Muſæ hoc munus dederunt, vt alimonia non indigeat, ſed abſque cibo potuq; quamdiu vixerit canter, poſtea verò ad Muſas proficiſcatur, quam quis hominum Muſam hic colat renunciaturum: illaſq; gratas reddit mortalibus, prout huius vel illius fuerint ſtudio mancipati: Sicut amantes Erato, ſaltatores Terpſichoræ, philoſophos Vraniæ, & ſic deinceps. Meminit Cœl. Rhodigin. lib. 17. cap. 6. & Pierius lib. 26. Hieroglyph.

Quaq; allecta] illicio ſcilicet Muſicæ.

Soni ad legem deſcendit] aptauit ſeſe ad inſtrumenti muſici concentum.

Ab altis Saltibus] à ſiluoſis locis venit opem latura mihi Eunomo, relictis nemoribus, in quibus potiſſimùm frequentia eſt cicadarum.

Cicada Apollini ſacra.

Ergo tua cicada] tibi ſacra. Cicadas ob cantum Apollini ſacras eſſe docet Ariſtophānes in Nebulis, vbi ſcholiaſt. οἱ τέττιγες μουσικοὶ ὄντες ἀνάκεινται τῷ Ἀπόλλωνι: id eſt: *Cicadæ propter muſicam Apollini conſecrantur.* Tradunt nonnulli aues omnes canoras Muſarum volucres appellari. Sed hæc iam dicta fuerūt Embl. 180.

O ſancte] Phœbe.

Vt firmus ſtet honos] Ne tanti miraculi memoria temporis vetuſtate deleretur, citharam Apollini cum cicada ænea inſidente conſecrauit Eunomus; citharam enim Apollini ideo appingi, quod Muſicę & carminum auctor ſit, paulò ante diximus. Val. Flaccus lib. 5. ſic:

Muſarum chorus & cithara pulſator Apollo.

Ad finem huius Emblematis Græci particulam poſtremā ita corrigit Gulonius:

τέττιχα συμφώνων μὲν ἔχω χάριν.

quæ lectio, vt facilior probatur.

Pro cithara] Ordo huius vltimi diſtichi eſt: *Ergo ò ſancte* Apollo, *vt honos tua cicada ſtet firmus*, id eſt, ſit perpetuus; *ipſa*, ſcilicet cicada, *ſedet hic aneus fidicen*, id eſt, ex ære fuſus fidicen, hoc eſt, tanquam fidicen: *pro cithara*, id eſt, ſuper citharam. Nam voluit exprimere Græca ὑπὲρ κιθάρας. id eſt, *ſuper citharam.* Vel expone *pro*, id eſt, ante, quod vſitatius eſt apud Latinos. Cicero 2. Philip. Haſta poſita pro æde Iouis ſtatoris. Idem pro Milone: Illa præſidia, quæ pro templis omnibus cernitis.

HVIVS narrationis ἐξήγησιν continet ἐπιγραφὴ, nimirum *Muſicam Dijs curæ eſſe*: quod etiam ſignificat Homerus Iliad. 1. cum induxit Deos citharæ vtentes poſt contentionem de Achille. Certè non modò paganorū ſcripta teſtantur, ſed maximè libri ſacri continent, quanta fuerit lege diuina Muſicæ commendatio, vt 1. Reg. 16. & apud Regium Pſaltem varijs in locis. Conſule D. Auguſt. de Ciuit. Dei 17. cap. 14. Nam præterquam quòd ipſius IV.

Muſica commendatio.

origo cœleſtis eſt, ſemper habita fuit ars conſummatiſſima, vt quæ corporis habitudines, animiq; affectus, ac mores hominum componit, ideoque tam turpe olim fuit Muſicam neſcire quàm literas. Interponebatur enim non modò ſacris, ſed &

omnibus

omnibus ſolennibus, omnibusq; lætis vel triſtioribus rebus. Nam vt in veneratione diuina pſalmi & hymni, ita in nuptijs hymenæi, & in rebus mœſtis threni ſiue lamentationes canebantur. Vnde etiam à ſanctis Patribus in Eccleſia Dei hodie piè inſtitutum, imò obſeruari præceptum eſt, c. perlectis, 25. diſtinct. vt diuinæ laudes in celebrandis ſacris cantu & pſalmis, ſuauibusq; inſtrumentis peragerentur, nempe iuxta Dauidis exhortationem, qui vult regni & exultationis ſuæ nos eſſe participes: Sumite, inquit, pſalmum, & date tympanum, pſalterium iucundum cum cithara. Sed ad quid? Vt laudetis Dominum in tympano & choro, in chordis & organo: Laudate eum in cymbalis bene ſonãtibus. Idem Pſalmiſta cùm miniſteria domus Domini ampliaret, cantores inſtituit. 1. Paralip. c. 6. cantu ſiquidem fidelium deuotio excitatur, cùm huiuſmodi conſonãtiæ auditum demulceant, & pſallentium Deo animos torpere non ſinant. Extrauag. Docta ſanctorum, de vita & honeſt. cleric. Laudes enim diuinæ præcipuus Muſicæ finis eſſe debet, cui alter annectitur, animũ demulcere, & humanas ſollicitudines exuere, quibus ſubinde depoſitis expeditius animus ad diuina transfertur. Siquidem Muſica penè infinita eſt, nec vllo ingenio exhauriri poteſt, quippe ea cœleſtia temperantur, mundana ſiue humana reguntur, animus eleuatur, & à curis eximitur, exterminantur ſollicitudines, & participatione lætitiæ & quietis exultatione quadam in Deum mentes humanæ ad Angelorum ſocietates traijciuntur. Senſibus voluptatem conciliat, naturę harmoniam, & intellectui beatitudinem quandam elargitur. Sanè laborum quoddam ſolatium & lenimentum Muſicam eſſe, ecquis eſt, qui inficias ire poſſit? Nam & ipſi agricolæ rudes & calloſi, æſtiuo Sole labores alioqui intolerabiles ſiluestri muſa & cantu attenuant, & ruſtica anus, quę antelucanis horis nere aut lanam ducere numquam ceſſat, cantando omnia facit leuiora. Ipſa etiam Muſica poſt imbres & turbulentiſſimas tempeſtates, fluctuantibus nautis portus, peregrinantibus & feſſis meta ac requies, vinctis & carcere concluſis pro libertate eſt. Sed & ipſis etiam infantibus Muſices vſum à natiuita inſitũm videas, cũ horum vagitum ad nutricis cantum ſeda-

Muſica vires.

Muſica laborũ lenimen.

ri certum ſit. De Muſicæ porrò vtilitate, excellentia & laudibus plura habentur apud Athenæum lib. 12. cap. 4. & lib. 14. c. 11. Macrobium lib. 2. in ſomnium Scip. Ciceronem 1. Tuſcul. quęſt. Caſſiodorum Variar. 2. epiſt. 40. Scripſit etiam Plutarchus elegantem commentarium de Muſica: cuius vires quoque attingit poſteriore de fortuna & virtute Alexandri, & de cohibenda iracundia. Ex neotericis conſule Chaſſanæum in catalogo gloriæ mundi part. 10. conſid. 51. Philip. Camerarium Oper. ſucciſ. cap. 18. Balthaſar. Caſtilionium in ſuo Aulico, lib. 1. Lilium Gyraldum de hiſt. poet. dialog. 1. Guidonem Pãcirollum Rerum memorand. lib. 1. & omninò Rodericũ à Caſtro in ſuo Medicopolitico lib. 4. cap. 14. 15. & 16. Hiſce adde, quæ de Muſica, & in quo eius cum re militari ſit commercium, Robert. Valturius tradidit lib. 2. de re milit. c. 4 Si quis plura volet, ad illuſtrationem huius Emblematis conduxerit fortaſſe legere Plutarchi tractatum de Animæ procreatione, ad finem. Sed vide num huc conciliare poſſis Strabonis illud ex lib. 10. εὖ μὲν γὰρ εἴρηται καὶ τῦτο, τὺς ἀνθρώπυς μάλιϛα μιμεῖσθαι τὺς θεὺς, ὅταν ἐυεργετῶσιν· ἄμεινον δ' ἂν λέγοι τις, ὅταν ἐυδαιμονῶσι. τοιῦτον δὲ τὸ χαίρειν, καὶ τὸ ἑορτάζειν, καὶ τὸ φιλοσοφεῖν, καὶ μυσικῆς ἅπτεσθαι. *Rectè quidem dictum eſt, mortales tum maximè Deos imitari, quando benefici ſunt: rectius verò quis dixerit, cùm beati fuerint. Quod ipſum eſt gaudere, feſtos dies agere, & philoſophari, & Muſicam attingere.* Sed nimis fortaſſe verboſè hactenus: finio, vbi priùs breuiſſimè tetigero documẽta, quæ nobis præſens ſuppeditat Emblema. Et primùm quidem, apud veteres Muſicam in magna laude habitam fuiſſe, & eius vſum in magnis quibusq; conuentibus, conuiuijs, ſacrificijs proſecutum. Deinde illos, quamquam vera Dei cognitione deſtitutos, putaſſe tamen quædam eſſe numina, quorum opem in rebus aduerſis ſe ſperabant impetraturos: vtq; hominum multæ variæq; conditiones eſſent, ſic peculiares eſſe Deos, credidiſſe. Præterea ijs, qui temeraria quadam proteruia contenderẽt, & ſuis æqualibus debitam omnem laudẽ eripere conarentur, ſæpenumero malè cedere: ijs verò, qui modeſtè de ſe ſentirent, Deum vltrò frequenter occurrere, adeò

Aceruus documentorũ, quædã ex hoc Emblemate eruuntur.

vt præter omnium ſpem de fortioribus victores euadant. Adhæc prodigia quædam & quaſi arcanorum ſuorum receſſus, Deum in rebus penè omninò deſperatis oſtendere, vnde memoria ſempiterna tranſmeet ad poſteros. Multò etiam plura ſunt reconditioris ſenſus in hoc Emblemate, ſi ſingula diligentiùs appendi liceat: nempe æmulationem rerum honeſtarum incendere vires ingenij ad gloriam aucupandam. Inter pares porrò æmulationem inflammari, cùm nemo ſit, qui ingenio velit cedere; & nonnunquam inter eos, qui patria ſunt diſpares, vehementius excitari ſtudium. Inſuper garrulam & ſtridulam cicadam garrulo fidicini opem inſperatam tuliſſe, & fiduciam iuuiſſe. Denique pro impetrata ope Deo grates habitas, vt in caſu ſanè difficili. Claudius Minos id opportunè flectit in diſcordes ac funeſtas procerum Galliæ rixas, ſpecie religionis excitatas; nam poſt occiſionem Principis, non cicadæ è ſolo natæ, ſed vnanimis nobilium cętus harmoniam ſuppleuit impeditam & interturbatam, fidemq; concordem dedit, qua ſaluti Galliarum & nutanti imperio ſuccurreretur. Vnde idem exclamat: *Gallia diſcors pacificata.*

——Deus nobis hæc otia fecit:
Namq; erit is nobis ſemper Deus.

Littera occidit ſpiritus viuificat.

EMBLEMA CLXXXVI.



VIPEREOS Cadmus dentes vt credidit aruis,
Seuit & Aonio ſemina dira ſolo:
Terrigenum clypeata cohors exorta virorum eſt,
Hoſtili inter ſe qui cecidere manu.

Euaſerò

Euaſere, quibus monitu Tritonidos armis
Abiectis data pax, dextraq́; iuncta fuit.
Primus Agenorides elementa, notaſq́ magiſtris
Tradidit, ijs ſuauem iunxit & harmoniam.
Quorum diſcipulos contraria plurima vexant,
Non niſi Palladia quæ dirimuntur ope.

COMMENTARII.

I. VIR habitu militari conſpicuus, è ſeniſcinctio ſuo dentes draconis, iuxta ſe occiſi & proſtrati ſeminat in agrum aratum, ſuſpenſo aratro. Sed vide mihi hic & ride proportionem dentium & draconis; cornua dicas potius.

II. *Titulus Emblematis.* TITVLVS Emblematis ſumptus eſt ex D. Paulo 2. epiſtola ad Corinthios, cap. 3. τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ. id eſt: *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat.* Cuius ſententiæ variæ ſunt expoſitiones. Sunt enim qui literam interpretentur veterem legem, ſpiritum verò nouam. D. Auguſtinus librum ſcripſit de ſpiritu & litera. Nos verò ſubmiſſius incedemus, & totum epigramma pingui (quod aiunt) Minerua exponemus. *Spiritus & litera quid.* Literam pro ipſa ſcriptura accipio, ſpiritum pro ſenſu in ſcriptura comprehenſo. Pinguius adhuc dicam. Literam voco illos, qui nullam ſcientiam degustarunt, nullis ſe optimis diſciplinis tradiderunt excolendos, ſed Grammaticis nænijs armati de conſtructione verbi vel aduerbij horrendas mouent tragœdias, & circa literam ipſam digladiantur. Spiritum verò intelligo illos, qui non tantum quid verba ipſa ſonat, quantum quid habeant myſterij, mentis acie conſiderant, qui verè docti ſunt & ſapientes. Sed quia poſtea plura hac de re dicenda ſunt, nunc Cadmi fabulam enarremus. *Cadmi hiſtoria.* Is Agenoris Phœnicum regis filius, à patre miſſus in remotas terras Europam ſororem quæſiturus, iuſſuſq; Phœniciam nõ redire prius quàm illam vnà ſecum reduceret, Apollinis oraculum dicitur adijſſe, vt quid ſibi eſſet agendum, certò noſſet; eumq; reſponſum habuiſſe, vt indomitæ bouis ductum ſequutus, ibi tandem ſiſteret, ſedemq; figeret, quo loco illa procumberet. Itaque oraculo paruit, Thebas Bœotias condidit, Harmoniam Martis ex Venere filiam duxit vxorem, Draconem Caſtalij fontis cuſtodem Marti ſacrum interfecit, cuius dentibus (ſuaſu Palladis) humo, vt ſata quædam mãdatis, armatorum militum legiones prodiere, quæ ſe mutuò confecerunt, demptis quinq; reliquis, qui Palladis conſilio fœdus & pacem inierunt: quibus ita tandem conciliatis, & quaſi aliquo certo fœdere ſociatis, auxilium Cadmo tulerũt in Thebis inſtaurandis. Ex quo factum, vt poſt aliquantum temporis in numeroſum populum excreuerint, totamq; Græciam ſuo genere & præclarè geſtis compleuerint. Sed de fabula plus ſatis. Hiſtoriam fuſius 3. Transformationum Ouidius eſt proſecutus: itẽ Parœmiographus in adagio, *Bœotica auris.* & in doctiſſimo libello de recta Latini Græciq; ſermonis pronunciatione. Sic igitur ille ibi: Narrãt Cadmum literas à Phœnicibus primum inuexiſſe, eam rem fabula notatam, quæ fingit illum ſerpentis extincti dentes in terram ſeminaſſe, ex hac ſemente ſubitò duas galeis & haſtis armatas acies exortas, quæ ſe mutuis vulneribus cõfecerint. Atqui demiror, quid hæc fabula faciat ad literas. Vr. Dicam, niſi moleſtum eſt. L. Imò percupio, ſi graue non eſt. Vr. Inſpexiſtine vnquam os ſerpentis? L. Nec cupio quidem. Vr. Mortui inquam. L. Ne mortui quidem. Vr. Si inſpicias, numereſque ſupernos & infernos dentes, tot reperies, quot literas primùm attulit Cadmus. L. Quot? Vr. Sedecim, ni fallor. Otioſæ ſunt autem ſicut natæ ſunt ordine poſitæ, diſſipantur, ſeminantur, atq; ita demum plures numero, varieq; digeſtæ viuunt, agũt, pugnant. *Cadmi mythologia.* Id ſi non credis, conſidera qua ſtrage ſe viciſſim conficiunt hodie, qui literas profitentur. Et ſermonem à ſerendo dictum aiunt Grammaticorum filij. Habes Cadmeæ ſerpentis allegoriam: nunc excutiam ſcrupulum, qui, vti coniecto, v-

nit

rit te. Tonorum ac ſpirituum notulas imaginarias eſſe lanceas & galeas exercitus. L. Rectè diuinas. Vr. Imò partes elementorum ſurſum eminentes talium rerum ſpeciem præbent. Et ſi diligentius contemplere, videbis illic non ſolùm lancearios ac leuis armaturæ milites, verùm etiam cataphractos, clypeis, enſibus, ac balliſtis inſtructos. Verùm harum rerum imagines melius exhibent Hebræorum elementa, à quibus profectas fuiſſe literas noſtras cũ ipſis figuris, non ab urdè quibuſdam videtur. Hactenus Parœmiographus. Non hic mihi tacendus eſt Auſonij elegantiſſimi poetę nodus de Cadmi filiabus, qui ſic canit:

Auſonij ænigma.

Aut adſit interpres tuus,
Ænigmatum qui cognitor
Fuit meorum, cùm tibi
Cadmi nigellas filias
Melonis albam paginam,
Notaſq; furuæ ſepiæ,
Cnidioſq; nodos prodidit.

Cadmi filias literas vocat: Melonis paginam papyrum Niloticam, (nam Nilus dictus fuit Melo veteribus Latinis Græcæ linguæ nondum aſſuetis, vt ſuprà monuimus) notas ſepiæ atramentum, Cnidios nodos calamum: quæ ſingula latiùs explicat Politianus Miſcell. cap. 39.

III. *VIPEREOS dentes &c.*] ex quo tempore Cadmus dentes inſeuit, vel humo tanquam ſemen mandauit. Vipereos autem dentes dicit, pro ſerpentinis, συνεκδοχικῶς ſpeciei pro genere. Totam verò hanc narrationem eleganter retulit Ouidius lib. 3. Metamorph. vt dictum.

Aruum. *Credidit aruis*] mādauit ſolo. Propriè, aruum enim dicitur id quod aratum, nec dum eſt ſatum, debuit autem prius arare terram, quàm dentes diſſeminare.

Aonia. *Aonio ſolo*] in Græcia. Aonia dicta Græcia ab Aone Neptuni filio, rege Bœotiæ.

Semina dira] pernicioſa. Vel quia progerminatura exercitum in ſe ſæuientem: vel quod ij dentes ſocios Cadmi aquatum profectos lacerаſſent. Ouidius vocat *mortalia ſemina.*

Terrigenum clypeata cohors &c.] inde bellatorum armis inſtructorum cohors prodijt, qui ſe mutuis vulneribus confecerunt. Sic Ouidius:

—— *creſcitq; ſeges clypeata virorum.*

Monitu Tritonidos] ſuaſu Palladis. Ouid.

Is ſua iecit humi monitu Tritonidis arma.

Cur verò Pallas dicatur Tritonis, vel Tritonia, dictum eſt Emblem. 1.

Primus Agenorides &c.] Agenorides, id eſt, Cadmus Agenoris filius, qui è Phœnicia in Græciam literas attuliſſe fertur. Lege Plinium lib. 7. cap. 56. Solinum cap. 13. Cæterum de literarum inuentoribus ſatis controuerſum eſt à ſcriptoribus. Communiter creditum eſt à Phœnicibus primùm has fuiſſe inuentas, vt Antonius Thyleſius refert lib. de colorib. cap. 13. idque nõ obſcurè innuere videtur Lucanus lib. 3. vbi ita canit: *Literarũ inuentores qui.*

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Ob id etiam Zeno in epigrammate:

Οἶδε πάτρα φοινίασσα τίς ὁ φθόνος; οὐ καὶ Κάδμος
Κεῖνος ἀφ' οὗ γραπτὰν ἑλλὰς ἔχει σελίδα.

Nouit patria Phœniſſa quænam inuidia, vbi & Cadmus
Ille, ex quo ſcriptam Græcia habet paginam.

Plinius quoq; lib. 5. c. 12. & 19. Syriphœnicibus quinq; hæc eximia videtur accepta ferre, nempe literas, ſiderum cognitionem, nauigandi induſtriam, militiæ diſciplinam, & frequentem vrbium extructionem. Scribit tamen Alexander ab Alexandro lib. 2. Genial. dier. cap. 30. Phœnices animalium figuras literarum loco lapidibus inſculpſiſſe, per eaſdē & Ægyptios mentis ſuæ ſenſus effinxiſſe primùm, & antiquiſſima monumenta mandaſſe literis. Quo etiam alluſiſſe videtur Lucanus lib. citato, illis verſibus: *Ægyptiorum literæ.*

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Nouerat, & ſaxis tãtum volucreſq; feraſq;
Sculptaque ſeruabant magicas animalia linguas.

Alij Aſſyrios, nonnulli Iones, alij alios earum auctores faciunt. Cornelius Tacitus lib. 11. Annal. meminit Cadmi vt literarũ inuentoris apud Græcos. Alluſit etiam Plutarchus ad fabulam Cadmi, qua dicitur ſerpentis dentes proſeminaſſe, initio diſputationis, Cur oracula dare Pythia deſierit. Sed fortaſſe conduxerit ſtudioſos euoluere eiuſdem Sympoſiac. 9. quæſt. 3. & 4. quo loco quærit, cur A, literarum prima

ma ſit accepta. Vide Politian. Miſcel. cap. 39. & doctiſſimum opuſculum Otthonis Heurnij de barbaricæ Philoſophiæ antiquitate, lib. 1.

Elementa notaſq;] literas.

Iis ſuauem iunxit & harmoniam] fecit vt conſonantes cum vocalibus ingenioſo & ſuaui concentu inter ſe iungerentur, & quaſi ſociarentur, ad enunciandas quaſdam mentis notiones. Vel, vt disciplinę liberales haberent inter ſe commune quoddam vinculum, vt quaſi mutuum auxilium ſibi præſtarent: eſt enim omnium artium præclara quędam harmonia, quamquam ſingulæ præceptis diſtinguantur. Alluſit autem procul dubio hic Alciatus ad Harmoniam Cadmi coniugem, Martis ex Venere filiam, de qua Heſiodus in Theogon. *Harmonia Cadmi uxor.*

ἁρμονίην θ' ἣν κάδμος ὑπέρθυμος θέτ' ἄκοιτιν.

Harmoniam Cadmus iunxit ſibi fœdere lecti.

Quorum diſcipulos] Intelligere videtur Philoſophorum principes, ex quorum diſputationibus hauſta eſt omnis liberalis doctrina.

Contraria plurima vexant] altercãtur inter ſe, diſſentiunt opinionum conflictu, ſeq; contrarijs ſententijs oppugnant.

Non niſi Palladia &c.] quarum contentionum nullus finis, niſi Palladis interuentu, id eſt, ſapientiæ ope, quæ iſthęc diſſidia omnia facilè tollit & componit.

IV. EPIMYTHION eſt elegantiſſimũ, quo literatorum æmulationem, quæ ſæpenumero rixarum plena eſſe ſolet, permultas vnà ſecum aduehere difficultates, & contentionum tricas arguit. Id quia non minus varium quàm ingenioſum ſit, Cadmi fabulam per partes explicemus. Sati dentes labore Cadmi, literæ ſunt per totam Græciam primùm ſparſæ, quas ille ingenioſus & induſtrius admodum artifex Græcis ipſis primus tradidit. Quod omninò vel de ſermone literarum monumentis comprehenſo, vel de contentionibus hominum literatorum eſt accipiendum. Draconem primum *παρὰ τοῦ δέρκεσθαι*, id eſt, *acutiſſimè videre*, nominatum aliàs admonuimus: quo ſapientiam intelligimus, & diſciplinarum circulum literarum contentum monumentis. Nemo enim eſt qui neſciat, liberalem omnem doctrinam ſermone vt plurimum & ſcriptis quacunque lingua communicari. Sermonem quidem à ſerendis verbis eſſe dictum Grammatici nos admonent; qui ſermo, qua parte literis continetur, ſedecim primùm characterum notis conſtabat, tot enim Draconis eſſe dentes aſſeuerant, qui naturæ arcana inueſtigarunt: & ij quidem characteres non modò parum inter ſe conſentiunt, ſed & ſeipſos mutuò quaſi tollunt: id eſt, coaleſcere, aut ſignificare quicquam nõ poſſunt, niſi quinque vocales adfuerint, quarum ope ac beneficio redeunt in gratiam, id eſt, articulatam orationem faciunt. Armatorum haſtas & gladios poſſumus transferre ad accentuum vel ſpirituum ſedes ſiue notas, quæ non niſi Palladis, id eſt, intelligentiæ beneficio, bene inter ſe componi & conciliari queunt. Vel hæ armatorum copiæ ex ijs dentibus ortæ, ſtudioſorum quorundã factiones oſtendunt, qui liuore quodam, & æmulatione grauiore moti, ſibi mutuam inferunt internecionem, dum ſcriptis vltro citroque editis, vel etiam verborum cõcertationibus, id eſt, *λογομαχίαις* nixantur, ſuorum *συνδρόμων*, & eorum, qui verſantur in eodẽ circo, laboribus detrahunt, eorumque doctrinam importunius vellicant. Vidit plus quàm ſatis eſt eius rei exempla noſtra ętas, quæ vt politiorem conciniorem q; non modò artium, ſed totius philologiæ tradendæ viam ac rationem ſummo Dei beneficio reſtitutam habuit; ſic certè plura, & quidem nocentiora eo monſtra parturijt, adeo vt vero verius dictum ſit, *Vbi mel, ibi fel*: &, *Vbi vber, ibi tuber* ſuccreſcere. Porrò numerus perexiguus à Minerua ſapientiæ Præſide in gratiam redire iuſſus, & qui tandem in infinitum numerum excreuerit, ſtudioſorum conditionem notat, qui cùm ſe mutuò iuuant, vberrimum doctrinę prouentum referunt: ſed quàm pauci ſint, qui animi candore & ingenuè id faciant, non eſt meum hoc loco dicere. Hanc fabulam ingenioſè & lepidè traducit Anulus in typographos Lugdunenſes, refertq; dentes ſerpentis ad ſedecim literas, quæ tot primùm fuerunt Cadmi tempore: ex quibus conſonas ſeſe interficere ait, quòd nihil virium habeant ſi ſingulæ ſpectẽtur, quinque vocales, quę per ſe vocem faciunt, quæque alijs ſoni vim communicant, referre quinq; milites,

Sati dentes quid. *Draco vnde dictus, & quid ſignificet.* *Sermonis de dicatur.* *Haſta, & gladij quid.* *Inuidia literatorum.* *Bartholomaus Anulus.*

qui

qui mutuò in pacem conſpirarunt: poſtremò typographum elementorum typos, quaſi Cadmum ſerpentis dentes diſſeminare, quibus barbari ad vitæ cultum & humanitatem perueniant. Carmen Auli hoc eſt:

Cui iaculum, iaculoq; animus præſtantior omni.
Atque leoninum vis erat exuuium:
Cadmus Agenorides præſtans facundia, & armis,
Vt iaculum penetrans, vt leo magnanimus,
Vexit in Europã literas Phœnicibus ortas,
In quibus humana circulus eſt Sophia:
Quarum quinq; (alijs ſe collidentibus vltro)
Plena vocales integritate manent:
Ac terreſtribus has animus inſeuit, et artes:
Ciuiles homines fecit & ex rudibus.
Fictus ob hoc vigilis dentes ſparſiſſe draconis,
Exq; ſatis natos dentibus eſſe viros:
Qui ſe occiderint per mutua vulnera, tantùm
Poſt reliquos caſos, quinq; ſuperſtitibus.
Ex quibus eſt hominum poſt multiplicata propago.
Qui primi Thebas incoluere nouas.
Huius ad archetypum, literas qui ſpargit in vrbe,
Quæ nomen, vires, ſtemma leonis habet,
Quiq; libris homines ſapientes perficit: an non
Iure pari poſſit dicere chalcographus?
Semino ſerpentis dentes in pelle leonis;
Hoc eſt Lugduni, qui Leo Gallicus eſt.

Quamquam ſatis multa de ſeminatis à Cadmo dentibus adduxerim, vt nihil ſit, quod ſtudioſos remorari poſſe videatur, quia tamen iam ab inſtituta hac commentatione mihi propoſuerim, nullam illuſtrandi Alciati materiam prætermittere, adijcio hic quod apud Iſacium legitur, in hunc ferè ſenſum: Cadmus cùm draconem Martis interfeciſſet, aquam ad filiã *portantes, euulſos illius dentes ſeminauit, ex quibus procreati ſunt armati viri: & à quibus aiunt Thebanos ſuum genus duxiſſe; quæ tamen fabuloſa eſſe conſtat. *Mythologia de ſeminatis à Cadmo dẽtibus.* Palæphatus Stoicus (frigidè quidem; ſed tamen allegoricè) tradit Cadmum è Phœnicia venientem dentes elephantum habuiſſe, quibus humo mandatis, ſuppetias illi aduerſus fratrem tulerunt. Sed Androtion hiſtoricus ſcribit, Cadmum cum quibuſdam palantibus veniſſe Thebas. Exiſtimat tamen idem Iſacius, draconem illum prædonem fuiſſe, vel præfectum quendam inſidiatumque ſacra facienti Cadmo, & aliquot ex ſuis ſocijs ſuſtuliſſe: deinde Cadmum inſtructis militum ordinibus eundẽ draconem, & draconis ſocios interfeciſſe, quos dentes nominat, eò quod mordaces eſſent: ex ijs autem multos fudit, alios ſibi affinitate iunxit. Porrò ſi hoc totum ad vim & virtutem Spiritus Dei xtraduxeris, nihil, meo iudicio, abs re feceris; is enim ſæpiſſimè vnico interiore afflatu id efficit, quod nulla humana argutia, nulla literata diſputatio, nullæ Philoſophorum rationes efficere vnquam poſſunt: argumenta enim argumentis refelluntur & refutantur, Spiritui autem diuino nemo reſiſtere valet. *Spiritui diuino nemo reſiſtit.* Refertur in hiſtoria Tripartita, aliquot Epiſcopos cum quodam inſigniter erudito contuliſſe, hoc agentes, vt illi Baptiſmum perſuaderent. Cumq; in longum produceretur diſputatio, nec philoſophicis, nec argutis vllis rationibus quidquam proficeretur aduerſus hominem ijſdem armis inſtructum, quidam ex Epiſcopis, vir pius, ſed parum eruditus, aſſurgens breui ſermone ſic ait hominem: Quid, inquit, credis ne Dominum Ieſum pro nobis factum hominem & crucifixum? Cùm reſpondiſſet, ſe credere. Quid igitur, inquit, terimus tempus ſuperuacaneis cauillationibus? quin potiùs initis ad baſilicam, & illic accipis inſignia principis & redemptoris tui? Aſſenſus eſt, itum ad Baptiſmum, & diſputatio verſa in profeſſionem. Poſtea rogatus, quomodo tam facilè ceſſiſſet vni imperito, qui à tam multis eruditis non poterat flecti? Donec, inquit, audiebam rationes humanas, humanis rationibus repugnabam: verùm vt ſimul atque audiui ſpiritum loquentem, ceſſi ſpiritui. Hanc denique de Cadmo fabulam aliò traduxit Dio Chryſoſt. orat. 25. quẽ conſule, ſi vacat, nos enim ad ſapientes feſtinamus.

Dicta

Dicta ſeptem Sapientum.

EMBLEMA CLXXXVII.



HAEC habeas, ſeptem ſapientum effingere dicta,
Atque ea picturis qui celebrare velis.
Optimus in rebus modus eſt, Cleobulus vt inquit:
Hoc trutina examen, ſiue libella docet.
Noſcere ſe Chilon Spartanus quemque iubebat:
Hoc ſpeculum in manibus, vitraq; ſumpta dabunt.
Quòd Periander ait, fræna adde, Corinthius, iræ:
Pulegium admotum naribus efficiet.
Pittacus, at ne quid, dixit, nimis: hæc eadem aiunt,
Contracto qui gith ore liquefaciunt.
Reſpexiſſe Solon finem iubet: vltimus agris
Terminus haud magno ceßerit ipſe Ioui.
Heu quàm vera Bias, eſt copia magna malorum:
Muſimoni inſideat effice Sardus eques.
Ne præs eſto, Thales dixit: ſic illita viſco
In laqueos ſociam parra, meropsq; trahit.

COMMENTARII.

I. SEPTEM ſapientum decantata apophthegmata totidem figuris exprimere licet, nempe Cleobuli mediocritatem, ſtatera: Chilonis cognitionem ſuiipſius, ſpeculo: Periandri moderationem iræ, pulegio: Pittaci prohibitionem luxus, gith ſemine minuto: Solonis conſiderationem finis vitæ, termino: Biantis copiam malorum, Sardo equite muſimoni inſidente (quod eſt muli genus ex Corſica, non maius capra, verùm iniquæ mentis beſtia) Thaletis dehortationem à ſponſione, merope illaqueata, quæ cæteras aues in retia allectet.

II. *Septem Græciæ ſapientes.* TANTA olim fuit ſeptem Græciæ ſapientum auctoritas, vt quicquid dicerent, haberetur pro oraculo. Quòd enim ſapientiam omnem, quam profitebantur, actionibus honeſtis, laudeque dignis exercerent, omnia ſuæ ſapientiæ capita paucis verbis ſunt complexi, non longo diſputationum circuitu, quam malebant rectè agendo perficere. Eorum ergo quæ vulgò circumferuntur, ſymbola & apophthegmata certatim ab omnibus doctis excepta, ſic ſunt tranſmiſſa poſteris, vt nulla lex ſanctior, nulla vitæ regula probatior videatur. D. Auguſtinus de ciuit. Dei 8. & 18. eos ait claruiſſe poſt poetas Theologos, & vitæ genere laudabilia quædam hominibus præſtitiſſe, nullumq; monumentum, quod ad literas attinet, poſteris reliquiſſe, niſi quod Solon quaſdam leges Athenienſibus dederit. Thales verò Phyſicus ſuorum dogmatum libros reliquerit. Horum apophthegmata permulti doctè copioſeq; ſermonibus illuſtrarunt. In Græcorum Epigrammatũ collectaneis octoſtichon extat de ſeptem horum ſententijs inſignioribus, & de cuiuſq; nomine & patria, quod hic propter concinnitatem aſcribere non grauabor. Adde quòd eædem ipſæ ſint, quas Alciatus illuſtrat ſymbolis, vt Emblematis naturæ & decoro inſeruiat.

Emblematis prototypus.
ἑπτὰ σοφῶν ἐρέω, κατ' ἔπος πόλιν, ὄνομα, φωνήν.
μέτρον μὲν, κλεόβουλος ὁ λίνδιος εἶπεν, ἄριστον.
χίλων δ' ἐν κοίλῃ λακεδαίμονι, γνῶθι σεαυτόν.
ὃς δὲ κόρινθον ἔναιε, χόλου κρατέειν περίανδρος.
πιττακὸς, οὐδὲν ἄγαν, ὃς ἔην γένος ἐκ μιτυλήνης.
τέρμα δ' ὁρᾶν βιότοιο, σόλων ἱεραῖς ἐν ἀθήναις.
τοὺς πλέονας κακίους δὲ, βίας ἀπέφηνε πριηνεύς.
ἐγγύην φεύγειν δὲ, θαλῆς μιλήσιος ηὔδα.

Nomina, dicta, vrbes ſeptem canimus ſapientum.
Optima menſura eſt, Cleobulus Lindius inquit.
Te cognoſce ipſum, Lacedæmonis incola Chilon.
Quiq; Corinthius eſt, iram rege, ait Periander.
Pittacus at, ne quid nimis, effatur Mitylenis.
Atticus hinc Solon, vitæ, inquit reſpice finẽ.
Plena malarum cuncta, Bias canit vrbe Priene.
Non ſpondere, Thales Mileſius vtile cẽſet.

Auſonius idem epigramma ſic vertit, ſed vno tranſpoſito in ordine verſu:

Septenis patriam ſapientum, nomina, voces
Verſibus expediam, ſua quemque monoſticha dicent:
Chilo, cui patria eſt Lacedæmon, Noſce teipſum.
Periander, Trepidum moderare Corinthius iram.
Et Mitylenæis, Nimium nil, Pittacus oris.
Menſuram optimum, ait Cleobulus Lindius, in re.
Expectare Solon finẽ docet, ortus Athenis.
Plures eſſe Bias prauos, quẽ clara Priene.
Mileti fugiſſe Thales vadimonia alũnus.

Apud eundem Auſonium ſapientum apophthegmata plura habentur, quæ partim infra afferemus, partim inde repete, vbi etiam ludum eorundem ſapientum videre eſt. Nunc ſingula percurramus.

OPTIMVS in rebus modus eſt.] ἄριστον μέτρον ἐν πᾶσιν. *Optima menſura*, vel, *optimus modus in omnibus*. Phocylides: III. *Modus optimus.*
πάντων μέτρον ἄριστον. *Omnium modus optimus*. Pindarus etiam in Pythijs hanc ſententiam expreſſit: χρὴ δὲ καθ' αὐτὸν αἰεὶ παντὸς ὁρᾶν μέτρον. Idem habet & Heſiodus ἐ ἔργοις:
μέτρα φυλάσσεσθαι, καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος.
Menſuram ſerua, modus in re eſt optimus omni.

Cleo-

Cleobulus. *Cleobulus*] Cleobulus ſiue Cleobolus Euagoræ filius, ex vrbe Lindo Rhodi inſulæ, robore & pulchritudine corporis eximius, è Lindo in Ægyptum philoſophandi gratia profectus fertur. Extat breuis eius epiſtola ad Solonem, apud Laertium. Filiam habuit Cleobulinam, virginem doctam. Deceſſit annos natus 70. Diogen. Laertius & Suidas.

Hoc trutinæ examen] Ad deſignandum συμβολικῶς modum eſſe optimum in rebus omnibus, trutina vel lanx adhibetur, ea enim quæq; ponderantur. Perſius Satyra 1.

——*examenve improbum in illa*
Caſtiges trutina.

Examẽ. Eſt autem examen trutinæ ſtylus in lance ſiue ſtatera, qui eò exit, quò pondus vergit: aliàs dicitur bilancis lingua ſeu lingula, aliis æquamentũ, aliis libramentum, aliis æquilibrium & trutina.

Noſce teipſum. *Noſcere ſe*] Sententia eſt Chilonis, γνῶθι σεαυτόν. *Noſce teipſum.* Hanc tribuit Æſopo Plutarchus ad finem Sympoſii ſeptem ſapientum. Ouidius ad Pythagoram auctorem refert. Platonicus Socrates ab Apolline profectã arbitratur. Diogenes Thaleti tribuit. Apud eundem Antiſthenes Phemonoæ aſcribit, cæterum Chilonem vſurpaſſe. Sunt qui ex Homero, tanquam Oceano, ſumptam exiſtiment. Meminit huius Cicero lib. 3. ad Q. Fratrem. Vide Plinium lib. 7. cap. 32. & adagium, *Noſce teipſum.*

Chilon. *Chilon*] Lacedæmonius fuit Ephorus, qui magiſtratus à tribunatu plebis Romanõ non multum differebat. Fuit pauciloquus, in ſermone conciſus, quod ei fuit patrium. Hinc enim Laconiſmus. Elogio proditum eſt, ſeptem aliorum fuiſſe ſapientiſſimum. Eius funus, cum victore Olympiæ filio, gaudio expiraſſet, tota Græcia proſecuta eſt.

Hoc ſpeculum in manibus] Apophthegma *Noſce teipſum*, per ſpeculum oſtẽditur. Sed quid ſpeculum cum ſui cognitione? Inuenta ſunt ſpecula, inquit Seneca 1. quæſtionum naturalium, c. 17. vt homo ſe ipſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta: primò, ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium: formoſus, vt vitaret infamiam: deformis, vt ſciret redimẽdum eſſe virtutibus quicquid corpori deeſſet: iuuenis, vt flore ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi: ſenex, vt indecora canis deponeret, & de morte aliquid cogitaret. At hoc rerum natura facultatem nobis dedit noſmetipſos videndi. Hæc ille.

Speculi vtilitas.

Periander. *Quod Periander ait*] Periander Corinthiorum tyrannus, Cypſelo patri in regno ſucceſſit, regnauit annos quadraginta. Crudeliter, & in magna ſuſpicione agebat, ſtipatus ſemper militibus, ocioſos & oſcitantes in foro vſq; formidans. Quapropter aſſiduè erat in bellis, præſertim naualibus. Dicitur & Iſthmum voluiſſe perfodere: & vxorem adeò dilexiſſe, vt etiam cum mortua concubuerit. Vnde ob inceſtus, & immodicam iracundiam, quodq; ciuitatem auro ſpoliarit, plerique negant hunc fuiſſe vnum è ſeptem ſapientibus, ſed alterum quendàm nomine Periãdrum, Ambraciæ natum.

Iram frena. *Pulegium admotum naribus*] Periãder Corinthius in ore habebat, τῆς ὀργῆς ἀπέχεσθαι. *abſtinendum ab ira.* Quod fręno ori admoto intelligi datur apud quoſdam ſcriptores. Sed hic pulegium adhibetur, quod per inferiores partęs bilem purgat, & admotum naribus medetur lipothymiæ. Vide Plin 20. cap. 14. & lib. 26. c. 9. & ea, quæ de pulegio diximus Emblemate 16.

Pittacus. *Pittacus*] Hiradio patre Thrace natus, vir amans libertatis, iuſtiſſimus & fortiſſimus.

Ne quid nimis] Pittaci Mitylenæi dictum egregium eſt, μηδὲν ἄγαν. *Ne quid nimis.* &, γνῶθι καιρόν *Noſce tempus.* quorum altero mediocritatem, altero tempus eſſe cognoſcendum, id eſt, temporis habendam eſſe rationem admonebat. Hoc dictum, *Ne quid nimis.* Diogenes Pythagorę aſcribit, Ariſtoteles 3 Rhetor. Bianti. Sunt qui Thaleti, ſunt qui Soloni id tribuant. Plato quodam loco ex Euripide citat. Vide prouerbium, *Ne quid nimis.*

Ne quid nimis.

Gith. *Qui gith ore liquefaciunt*] Symbolum mediocritatis eſt gith, ſemen nigerrimum optimumq; odoris excitatiſſimi, quo minimo ſumpto in cibis, dat ſaporis gratiam, largiùs autem venenum exhibet. Gith, & nigella, & papauer nigrum pleriſque Latinis idem ſunt, Græcis Melanthion & melanſpermon, à nigro ſeminis colore. Vide Plinium lib. 19. cap. 8. & lib. 20. cap. 17. Dioſcorid. lib. 3. Columel. lib. 7. Offi-

cinæ (inquit Ruellius lib. 3. cap. 51.) Nigellam Romanam appellant, rura noſtra Poyuretam, quaſi piperacem dicunt, quod odorata piperis modo referat acrimoniã, aut quia piperis vice in multis vtantur. Ibidem plura, vbi contendit gith non eſſe, quam nigellam (Hiſpani Neguillam, & Axenus) cognominant: in qua opinione etiam eſt Anton. Nebriſſenſis in ſuis Quinquagenis. Nam nigella eſt in zizaniorum genere, gith verò inter fruges numeratur. Vnde Auſonius in monoſyllabis:

Eſt inter fruges morſu piper æquiparans gith.

Cùm igitur gith piperis ſaporem reddat, non poteſt ita facilè in ore contineri, pręcipuè liquefactum, nam corrugare facit os & nares. Vnde Plautus in Rudente:

Os calet tibi num gith frigidefactus?

Solon. *Solon.*] In Salamine inſula natus, quæ iuris erat Athenienſium, parentibus nobiliſſimis ortus, leges Draconis ſanguine, non atramento ſcriptas mitigauit, alijs promulgatis certè mitioribus, toto orbe celebratis. Florebat tunc in Repub. Piſiſtratus, Solonis æmulus: illius igitur eloquẽtia plus potuit apud populum, quàm huius ſapientia. Ceſſit ſponte Solon tyrannum fugiens, primùm in Ægyptum, deinde in Cyprum, poſtremò ad Crœſum, inde in Ciliciam profectus eſt. Deceſſit in Cypro annorum 80. mandauit oſſa Salaminem transferri, ibique per regionem proijci ac diſſipari, ne Athenas inferrentur; quoniam diſcedens iureiurando ciues adegit, non antiquaturos leges ſuas donec rediret. Vide Plutarchum & Diogenem, & quæ Emblemate 158. de Solone dicta ſunt.

Reſpice finem. *Reſpexiſſe finem*] Τέλος ὁρᾶν μακρῦ βίου. *Finem longæ vitæ ſpectandum.* Nullum ante mortem beatum dicendum, ſed expectandum vitæ finem dicebat, quod Ouid. 3. Transformat. retulit his verbis:

—— ſcilicet vltima ſemper
Expectanda dies homini, dicique beatus
Ante obitũ nemo, ſupremaq; funera debet.

Vide adagium, *Finem vitæ ſpecta.*

Vltimus agri terminus] Dictum Solonis effigie termini deſignatur, de quo ſatis multa diximus Emblemate 158. quo nimirum pacto ſolus in Capitolio Ioui noluerit concedere locum.

Bias. *Heu quàm vera Bias*] Bias Prienis vrbe Ioniæ natus, cuius integritas in iudicandis cauſſis in prouerbium abijt, vt dicatur: δικάζεσθαι βίαντος τῦ πριηνέως κρείσσον. *In iudicando præſtantior Biante Prienenſi.* Cùm patriam captam fugeret, nihilque vt reliqui exportaret, roganti cauſam illud celebratum apud Cicer. in Paradox. reſpondit: Omnia mea mecum porto. Diogenes Laertius lib. 1. Val. Maxim. lib. 7. & Gellius lib. 5. cap. 11.

Eſt copia magna malorum] πλείονες οἱ κακοὶ. *Plures mali.* quo taxabat Bias vitiorum inter homines omni parte ſcatentium multitudinem: quod figuratur per Sardum hominem muſimoni inſidentem. Plures mali.

Muſimoni inſideat] Muſimones, aſini, muli, aut equi breues, vt inquit Nonius, Vnde Lucillius: Muſimò.

Pretium emit qui vendit equũ muſimonẽ.

Naſcitur id animal in Hiſpania, ſed maximè Corſica inſula, non longè à Sardinia diſtante, non abſimile eſt pecori, caprino villo, infirmiſſimo capite: quamobrem auerſum à Sole paſci cogendum. Vide Plinium lib. 8. cap. 49.

Sardus eques] Sardi deprauati & nefarij, ſunt habiti. Conſule prouerbium, *Sardi venales.* Quanquam Sanctio non placet in illo prouerbio doctiſſimus alioqui vir. Nam Sardos Sanctius non intelligit illos, qui habitant Sardis vrbem Aſiæ, ſed qui in inſula Sardinia (quam Σαρδὼ appellat Stephanus) quę peſtilens eſt, propterea quòd editiſſimos habeat à Septẽtrione montes, qui Boreæ flatus prohibeãt. Inde eſt quod Cicero monet Q. Fratrem, vt meminerit ſe etiam cùm rectè valeat, in Sardinia eſſe. Idem Cicero in 7. Epiſtol. volumine, ad Gallum ſcribens de Tigellio Sardo: Id ego, inquit, in lucris pono, non ferre hominem peſtilentiorem patria ſua. Et in eadem epiſtola: Habes Sardos venales, alium alio nequiorem. Comparat etiam Martialis Sardiniam Tyburi, peſtilentem ſaluberrimo loco ſic: Sardinia.

Nullo fata loco poſſis excludere; cùm mors
Veneris, in medio Tybure Sardinia eſt.

Peſtilentem verò Sardiniam intelligunt propter Salpugam, formicæ genus venenatum, & Sardoniam herbam, quæ ſi edulio admiſceatur, neruos veſcentibus contrahit, & diducit ora rictu, ſic vt morientes ridere videantur. vnde *Riſu Sardonius*, eſt in prouerbio. Præterea eſt in ca. vis taxi, Sardinia cur peſtilens.

vnde

vnde mel inficitur. Cœl. Rhodigin. lib. 12. cap. 16. & lib. 20. cap. 19. in fine, in aerem noxium id referre oportere contendit. Cui apertè ſuffragatur Sillius Italicus:

Serpentum tellus pura, ac viduata veneno,
Sed triſtis cœlo, & multa vitiata palude.

Ex dictis, meo iudicio, rectè interpretabere Horatium in 3. Satyra libri 1. cum inquit:

——Sardus habebat Ille Tigellius hoc.

niſi intelligas in nomine, *Sardus*, riſum ſubeſſe: nec fruſtra nomen addidiſſe patriæ poetam. Nam & Gloſſularij ciuilis ſapientiæ celebrant neſcio quæ brocardica, vt hoc: Bonus præſumitur, qui eſt bonæ nationis: malus, qui malæ. Et illud,

Sæpe ſolet ſimilis filius eſſe patri,

ad l. quod ſi nolit, 31. §. qui mancipia, ff. de ædil. edict. Et Horatius puellam commendans à genere, ait,

Crede non illam tibi de ſceleſta
Plebe delectam, neq; ſic fidelem,
Sic lucro aduerſam potuiſſe naſci
Matre pudenda.

Sic igitur (vt ad rem) Sardus eques, id eſt, malus & improbus vir, inſideat muſimoni, peſſimo iumento, erit depicta copia magna malorum.

Sponde, noxa præſto eſt.

Ne præs eſto] ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. *Sponde, noxa enim præſto eſt.* Qui enim ſe vadem ſtatuit, ſibi ſeruitutem, alteri libertatem parat. Clemens Alexandrinus 6. Stromat. Sponſionem eſſe noxæ filiam dicit (ex Thalete) ſponſionis verò mulctā: id eſt, ἐγγύα ἄτας θυγάτηρ, ἐγγύας δὲ ζαμία. Vide adagium, *Spond. noxa præſto eſt.*

Thales.

Thales dixit] Thales nobiliſſima ortus familia Mileti, Geometriæ & Aſtrologiæ peritiſſimus. Ab illo Ionica fluxit diſciplina, ſicut à Pythagora Italica. Exceſſit Olympiade 58 dum gymnicum certamen ſpectaret, æſtu ac ſiti lapſus, iam ſenex.

Parra.

Parra, meropsq; trahit] Symbolum apophthegmatis Thaletis eſt parra, vel merops. Parra quidem auis eſt inauſpicata, de qua Horatius lib. 3. Carm.

Impios parra recinantis omen
Ducat.

Merops.

Hæc alio nomine dicitur galerita & alauda. Oriente Syrio non apparet, donec occidat. Plinius lib. 11. cap. 37. & lib. 18. c. 29. Merops, qui & apiaſter, quod apes comedat. Vnde & Cretenſibus dicitur *Meliſſophago*, quaſi apium gurges; & Neapolitanis *Lupo delle api*. Plinius lib. 10. cap. 33. Hæ itaq; aues religatæ viſco aut retibus ſolent garritu cæteras ſui generis aues allicere: quæ cùm fauere cupiant, illigantur & ipſæ, & capiuntur ab aucupe. Tales ſunt etiam debitores, qui vt ſeſe explicent irretitos, alios quos poſſunt fideiuſſores aucupantur.

IV. QVIA hoc Emblema ſeptem ſapientum dictis dicatum eſt, nihil ab inſtituto exorbitare videor, ſi plurima alia eorum apophthegmata, quæ paſſim leguntur, huc quaſi in faſciculum congeram, vt vno intuitu tot oraculorum (cur enim non appellem oracula ſententias plenas prudentiæ & indubitatæ veritatis?) copiam ſtudioſus lector habere queat. Ordine igitur iam poſito incedemus, à Cleobuli ſententijs exorſi.

Cleobuli Lindij ſentētia.

Cleobulus Lindius. Virtuti proprium eſt omnem odiſſe nequitiam. Intende animum in res honeſtas. Hominum pleriq; imperitiam, verborumq; vanitatem ſectantur. Noli eſſe ſuſpicioſus. Multos libentiùs audias, quàm ipſe multa loquaris. Multarum artium ſtudioſus eſſe malis, quàm per omnem vitam rudis & expers literarum viuere. Pietatem cole. Nihil eſt precatione dignius. Parentes revereri æquum eſt. Non iure, ſed patientia fortè à parētibus iniuriam vinces. Delectus arbiter, ex æquo & bono iudicabis, omnemq; ex animo oderis iniuſtitiam. Ad Remp. vbi acceſſeris, quæ optima & conſultiſſima putabis, in medium conſules. Quæ tibi nolis fieri, alteri ne feceris. Non aliter ſuſcepta à te amicorum negocia curæ erunt, quàm ſi tua res agatur. Ne per animi impotentiam violentiamque quid facias. Contractas inimicitias maturè depone. Aetate, eruditione, vel opibus te inferiorem ne contempſeris. Noli iniuſtè appetere quæ ſunt aliorum. In ea demum Repub. bene viuitur, vbi ciues infamiæ potiùs, quàm legum & ſuppliciorum metu officium ſuum faciunt. Siue quis ex ſuo arbitrio, vel certis legibus Rempub. gubernat, modò nemini ſuorum familiariū temerè credat, gloriam non pœnitendam paraturus videtur. Verborum leuitatem auerſabitur, qui circumſpectus & ſapiens cenſeri vult. Mendax criminatio ſeu calumnia totam labefactat Rempub. Caue

ſis in alium proteruè maledicus. De quibusvis bene loquaris & ſentias. Noli vulgò contemptis inſultare, ne te illi viciſſim odio proſequantur. Corpus & animum moderatis ſtudijs oblectabis. Nullum periculum honeſtis in rebus detrectabis. Qui Reipub. aduerſatur, eiuſdem quoq; & hoſtem credito. Fortunæ viciſſitudines æquo perferre animo noris. Ne proſperis fortunæ ſucceſſibus efferaris, vel aſperis caſibus fractus, animum abijcias. Cæcos ad voluptatem animi impetus coerce. De bonis bene merere. Amicum tibi beneficio adiungere oportet, vt te impenſiùs amet: inimicum verò ſic tractabis, vt eum tibi aliquando amicum ſperes; cautio tamen hic adhibenda erit, vt illorum calumniam, horum verò inſidias vitemus. Beneficij accepti memor eſto. Optimè in ea viuitur familia, in qua plures dominum colunt quàm metuunt. Vt nemo auro onuſta naui vectus mergi malit, ita in magnifica & ſplendida domo nemo libens manſerit, vbi anxiè nimium, ſummoq; cum diſcrimine neceſſe ſit viuere. Domus tuæ curam geres. Profecturus aliquò, expende primùm quid acturus decedas: domum verò reuerſus, actorum rurſus dictorumq; à te rationem exige. Vxorem genere & opibus parem delige, ne ſi potentiorem duxeris, pro affinibus dominos tibi ſortiaris. Ne blandicijs, neue iurgio vxorem apud familiares excipias; eò quòd illud ſtoliditatis, hoc verò amentiæ ſpecimen præ ſe ferat. Summa beneuolẽtia liberos complexus erudi. Filias domi habere, & inſtituere parentes æquum eſt, vt eaſdem adultas ætate virgines, & prudentes aliquãdo matresfamilias habere queant. In famulum ebrium non animaduertes, ne & tu quoque ebrius & parum ſanè mentis habearis. Auſonius hæc etiam attribuit Cleobulo:

Quanto plus liceat, tam libeat minus.
Fortuna inuidia est immeritus miſer.
Felix criminibus nullus erit diu.
Ignoſcas alijs multa, nihil tibi.
Parcit quisq; bonis, perdere vult malos.
Maiorum meritis gloria non datur.
Turpis ſæpe datur fata minoribus.

Chilonis Lacedæmonij dicta.

Chilon Lacedæmonius. Ne rerum futurarum prædictiones oderis. Interrogatus, quibus rebus eſſet occupatus Iupiter? Superbos, inquit, humiliat, & humiles exaltat. Ne te mortalium rerum pœniteat. Noli cupiditate tua quod fieri nõ poteſt, perſequi. Coram cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis. Legibus obtempera. Sapientia in rebus obeundis vtare. Animi habitum, indolem, moresq; aliorum explora. Ne quem deſpicito. Interrogatus, quomodo periti differrent ab imperitis? Bona, inquit ſpe. Difficile eſt arcanum ſilentio premere, otium rebus honeſtis impendere, & illatam iniuriam æquo animo tolerare. Fratri publicis honoribus apud Lacedæmonios functo, ſed iniquius ferenti, cur & ipſe quoque ſe inter Ephoros, publicæ dignitatis & magiſtratus genus, conſcribi non pateretur: Ego, inquit, iniurijs affici poſſum, tu verò non. Iuſtè tibi quod paraſti, iuſtè poſſideas. Conciliare his, qui iniurijs afficiuntur. Calumnias oderis. Cauebis ne quid inſolenter aut turpe facias. Se ſuosque obſeruet quis potius quàm alienos. Interrogatus aliquando, quid eſſet difficillimum? reſpondit, ſeipſum noſſe; ſinguli enim plerunq; proprio amore decepti, ſibi plus æquo tribuunt. Cos arguit quale ſit aurum, purumne an adulterinum; & aurum viciſſim qualis ſit cuiusq; animus. Ne cui malè miniteris, muliebre enim eſt. Homini ingenuo inſultare præter decorum eſt. Ne lingua præcurrat mentem. Linguæ tuæ vbiq; ſed potiſſimùm in conuiuio moderaberis. Ne inter pocula multũ loquaris, fieri alioqui nequeat quin pecces. Caue in vicinos dicas quæuis, ne & tu viciſſim quod nolis audias. Hominem vita functum ne inſecteris, quin potiùs omnibus ereptum vitæ calamitatibus, felicem beatumq; prædica. Rerum alienarum ſtudioſos auerſare. De ſuis infortunijs cuidam grauiter perturbato: Mitius, inquit, tua feres, ſi tibi illa eſſe cum reliquis mortalibus communia perpenderis. Libentius amicum infelicem, quàm felicem inuiſes. Ad amicum conuiuantem rarius, ad afflictum verò frequentiùs accedes. Cum infelice luctantem fortuna ne irriſeris; ea enim omnibus æqualiter impendet. Animi bilisq; efferueſcentiam coerce. Eſto modeſtus & temperans. Damnũ turpi lucro præferas; illud enim breuem dolorem, hoc verò perpetuum cruciatum adfert. Tempori parce. Deſertus ab omnibus, boni conſule. Ne odio

tuo

tuo alios libenter offendas. Morum comitate placeas multitudini. Si vir fortis eſſe voles, dabis operam, vt miti placidoq; ſis ingenio, quo te vicini colant potiùs quã metuant. Greſſum ne habeas præ alijs concitatiorem & celeriorem. Ne inter loquendum geſticuleris digitis, vecordium enim eſt. Optimè regno præeſt, qui dat operam, ne vulgo terrori ſit. Ea demum habetur felix Reſpub. in qua magiſtratus potiùs audit leges, quàm quid facundi & ingenioſi Rhetores poſtulent. Familiæ tuę ſumma vitæ integritate præeris. Ab Auſonio hæc quoq; Chiloni aſcribuntur:

Nolo minor me timeat, deſpiciatq; maior.
Viue memor mortis, vti ſis memor & ſalutis.
Triſtia cuncta exuperans aut animo, aut amico.
Tu bene ſiquid facias, non meminiſſe fas eſt.
Quæ bene facta accipias, perpetuò meméto.
Grata ſenectus homini, quæ parilis iuuẽta.
Illa iuuenta eſt grauior, quæ ſimilis ſenectæ.

Periãdri Corinthij apophthegmata.

Periander Corinthius. Meditare quidvis, exerce te in omnibus. Bona ſpe vtaris. Pietatem cole. Cogita te mortalem. Arcanum cela. Cum res & locus poſtulat, loquare. Tacenda ne elimines. Sapientum familiaritate vtitor. Loquere vera. Audi quæ te deceant. Filios erudi. Sic te in vita geres, ne quid te tuisq; progenitoribus indignũ admittas. Seniorem reuerere. Si quid te perperam feciſſe ſenſeris, id quã primùm mutabis. Interrogatus, quid in re minima maximum eſſe cenſeret? In humano, inquit, corpore ſapientiam. Voluptates fluxæ fragileſque ſunt, virtus demùm clara æternaq; habetur. Rogatus, quid eſſet libertas? Bona, inquit, conſcientia. Quod rationi conſentaneum eſt facito. Iuſtitiam ſectare. Ne facias pridie, cuius te poſtridie pœniteat. Opportunitatem expecta. Contumeliam ſeu ferociam oderis. Ne prior iniuriam inferas. Morere pro patria. Tempori ne nimium tribuas. Illic largiaris, vbi aliquid vtilitatis expectes. Noli ad gratiam loqui. Opera amicorum libenter vtaris. Amicis eris oblectamento. Amico pauperi tam æquus eris, quàm diuiti. Sic oderis tanquam amaturus (A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. cap. 3. id Chiloni aſcribere videtur) Illos, qui de te bene meriti ſunt, honore affice. Beneficium repende. Tempera te à maledicentia. Ne ſis animo tam abiecto, vt quacunq; re angaris. Ne quid auarè opum ſtudio facias; oportet enim æquè vt tu, qui lucratus es aliquid, alios quoque aliquid lucrari. Quæſtus ex re turpi res peſſima, naturæ crimen, & theſaurus odioſus eſt. Mortuum ne irriſeris. Calumniam oderis. Sic viuas, vt lauderis; ſic morere, vt te beatum omnes prædicent. Satius eſt hominem auarum mori, quàm in egeſtate viuere. Ne tibi dolores cumules. Tui tuorumq; curam habe. Contentiones oderis. Bonos honore affice. Quæ honeſta ſunt laudabis. Caue gloria efferaris. Bona tè ſpes habeat, ſed mortalem te eſſe crede, & rebus tuis comparces tanquam immortalis. Omnibus placeto. Omnium moribus te accommodato. Concordiã foue. Comem te & affabilem præbe. Quiete & modeſtè viuere in primis laudabile habetur, intemperãter verò & temerariè, periculoſum eſt. Supplicem tibi in gratiam recipe. Principem reuerere. Quod vel pactus, vel pollicitus es ſemel, ſeruato. Quem certò cognoueris improbum, in familiaritatem non admittes. Contine in officio oculos. Infamiam fuge. In rebus proſperis eſto modeſtus, in aduerſis compoſitus. Si quid præter ſententiam acciderit, celato, ne inimicum tuum exhilares. Legibus antiquis, obſonijs verò recentibus vtare. Non tantùm animaduertendum eſt in eos, qui peccant, ſed & illi, qui nocere iam parant, coercendi ſunt. Da libera & innocua conſilia. Maioribus cede. Magiſtratui obtempera. Tyranni de melior eſt populi principatus. Bene ſeſe habet reſpub. in qua cæteris paribus virtus laudatiſſima, improbitas verò maximè deteſtabilis cenſetur. Qui regnum ſibi ſtabile & firmum eſſe volet, huic neceſſe eſt beneuolentia ſibi potiùs, quàm vi & armis populum adiungere. Interrogatus, cur imperium non deponeret? Quoniam, inquit, voluntaria imperij abdicatio, ei qui neceſſitate coactus imperat, periculum creare ſolet. Ex bene natis & verè generoſis liberos ſuſcipito. Auſonius hæc Periandro tribuit:

Numquam diſcrepat vtile à decoro.
Plus eſt ſollicitus magis beatus.
Mortem optare malum, timere peius.
Faxis vt libeat, quod eſt neceſſe.
Multis terribilis, caueto multos.

Si fortuna iuuat, caueto tolli.
Si fortuna tonat, caueto mergi.

Pittaci Mitylenæi ſententia.

Pittacus Mitylenæus. Difficile eſt pietatem colere. Nihil vſpiam firmum eſt, ac ſtabile permanet. Bene aliquid & ſolidè noſſe difficile eſt. Phonaico dicenti, virum alibi quærendum eſſe frugi & bonũ: Erũ, inquit, diligenter quæſiueris, vix illum inuenies. Ante omnia Deum ſumma religione cole. Pietatem exerce. Parentes reuerere. Eiſdem quouis officij genere, omniq; obſequio non pudeat inſeruire. Cum parentibus non contendes, etiamſi id ſummo te iure facere poſſe confidas. Cùm hortaretur filium, vt patris arbitrio litem dirimeret, his verbis vſus eſt: Si cauſam ſuſtinebis in iudicio deteriorem, damnaberis: ſin pro te contra patrem valebit ſententia, vel ob hoc ipſum dignus eris qui condemneris. Prudentis viri eſt, multò antequam ingruant pericula præuidere; fortis autem, quæ nunc adſunt mala, infracto præſentique animo perferre. Interroganti, quid ſibi obſcurum videretur? Quod futurum eſt, inquit. Cùm præclari quid inſtituis, nemini prædicito, ne ſi quid obſtaculi interciderit, quò minus perficias, rideare. Rebus quibuſdam aliquandò fruſtratus: Dimidium, inquit, plus toto. Multa & multos libenter audias. Optima quæq; & diſcas & doceas. In ſermone veritatem & fidem, in rebus autem obeundis experientiam, dexteritatem, beneuolentiam, & ſedulitatem adhibeas. Rogatus aliquando, quid in vita eſſet optimum? Quod eſt, inquit, boni conſulere. Stabilis eſt terra, inſtabilis verò & infida res mare. Ne quid illaudatum & improbum aut ipſe deſignes, aut in alijs probes. Ne quibuſvis temerè credideris. Victoriam oportet ſine cæde & ſanguine parare. Quod pignoris loco apud te depoſitum eſt, bona fide reſtitue. Si ſponſor fias, haud longè aberit infortunium. Ne ſis feſtinus ad loquendum. Interrogatus quid eſſet iucundiſſimum & gratioſiſſimum? Tempus, inquit. In amicum, neque etiam in inimicum fueris vnquam maledicus. Miſera quædam res eſt & triſtis inertia, perniciosa incontinentia, intolerabilis autem literarum inſcitia. Ignauiam fuge. In vincula coniectum Alcæũ, quod rebellem filium à ſe occiſum fateretur, liberum abire permiſit, his verbis; Venia vltione eſt potior. Verecundiam ſectare. Coniugatus ne ſub imperio viuas vxoris. Vicini ſi te læſerint, ſufferto. Diſſimula. Cùm Crœſus illi magnam vim pecuniæ daret: Non accipiam, inquit; nam quod mihi frater abſque liberis deceſſerit, duplo plus opũ, quàm vnquam optarim, poſſideo. Paupertatem nemini exprobrabis, diuinam vltionem veritus; nec ſi opibus abundes, te miſerum eſſe ſimules, ne vulgo odioſus fias. Si quid deliquerit ebrius, duplici mulcta puniatur, vt ex eo cæteri in liberali conuiuio ſibi ab ebrietate temperent. Inter amicos non eris arbiter. Magiſtratus virum arguit. Neceſſitati ne Dij quidem reſiſtunt. Interrogatus à Crœſo, imperiorũ omnium quod eſſet maximum? reſpondit, ligni picturati, leges innuens. Ea demum vrbs optimè ſe habet, in qua malis infamibusq; viris ad Rempub. accedere non licet. Summa cum laude in Repub. princeps erit, qui ſedulò operam dabit, vt ſibi potiùs quàm ſe omnes ciues metuant. Optima illic eſt diſciplina familiæ, quæ nullis rebus ſuperfluis eget, rebusq; neceſſarijs non indiget. Auſonius de Pittaci ſententijs:

Loqui ignorabit, qui tacere neſciet.
Bono probari malo, quàm multis malis.
Demens ſuperbus inuidet felicibus.
Demens dolorem ridet infelicium.
Pareto legi, quiſquis legem ſanxeris.
Plures amicos re ſecunda compara.
Paucos amicos rebus aduerſis proba.

Solonis Salaminij præclarè dicta.

Solon Athenienſis. Virtutem in pretio habe. Diſce quod iuſtum eſt. Deum honora. In rebus agendis voluntatem diuinam tanquam oraculum conſule. Reuerere parentes, quos qui non aluerit, rebusque omnibus neceſſarijs iuuerit, fortunis euerſis per omnem vitam inglorius viuet. Ne ius tuum aduerſus parentes imperioſius vrgeas. Interrogatus, cur in parricidas lata lege non animaduertiſſet? Quia, inquit, nunquam credideram tam atrox crimen in Rempub. poſſe cadere. Ne conſueſcas iurare. Aequalitas contentiones dirimit. Studijs rebusq; honeſtis incumbito. Veritatem tuearis. Ne vnquam mentiaris, ſed quod res eſt dicito. Plus ad fidem faciendam morum probitas quàm iuſiurandum valet. Sanam mentem in rebus agendis ducem ſequere. Quod noſti, ne temerè effutias. Verba tua

tantiſper

tantiſper ſilentio premes, donec commoda loquendi ſemet offeret occaſio. Incerta certis fac iudicijs aſſequare. Quæ tibi compereris, ne ſtatim prodas. Interrogatus à Periandro, cùm inter pocula fortè pauca loqueretur, num ob ſtultitiam, an verò quòd nihil haberet, quod diceret, ſic obmuteſceret? Atqui, inquit, nemo vnquam fatuus inter pocula ſilere potuit. Amicos religiosè colas, illiſq; adiumento & ornamento fueris. Ne ſtatim quoſuis in intimam familiaritatem admittas; & quos admiſiſti ſemel, ne temerè abijcias. Deteſtare voluptates, illæ enim calamitates pariunt. Magnarum opum facultas ſaturitatem, ſaturitas demùm ferociam parit. Ne te immodicè efferas. Nemini inuideto. Mortuis ne quis malè precetur. Diſce prius, quàm imperes, alterius imperio parere: nemo enim bene imperat, niſi qui imperio obſequi didicerit. Populo auctor eris non vt ſuauiſſima, ſed vt optima eligat. Iudex pro tribunali reo non ſedebis, niſi condemnatum perpetuò tibi inimicum habere voles. Neq; ad imperium, neq; ad conſilium iuuenis admodum admittatur, tametſi optimo ille ingenio videatur. Interrogatus, quo tandem pacto in repub. à maleficijs potiſſimùm temperari poſſe crederet? Si illi, inquit, quibus nulla illata eſt iniuria, iniuſtis perinde offendantur, quàm illi, qui læſi ſunt. Interrogatus, in qua demùm ciuitate ſumma cum tranquillitate quis degere poſſet? In ea, inquit, vbi qui læſi non ſunt, non minus quàm illi, qui grauiter læſi ſunt, iniquos deferunt & vlciſcuntur. Interrogatus, quam potiſſimùm rempub. optimè conſtitutam cenſeret? Eam, inquit, vbi ciues magiſtratui libenter, magiſtratus autem legibus conſtanter obtemperat. Ea demũ reſpub. floret, in qua boni honore, mali verò ſupplicijs afficiuntur. Eſt quidem Tyrannis præclara regio, ſed exitum non habet. Glorioſus erit quiſq; ſiue Rex, ſiue tyrannus, qui vnius in repub. poteſtatem in popularem potentiam conuerterit. Qui apud tyrannos auctoritate valent, ſimiles ſunt calculis ſupputatorijs, quorũ vnusquiſq; pro libidine ſupputantis aut plus valet, aut minus: ita tyranni quem modò ſummis honoribus cumulãt, eundem paulò poſt contemptum, notatumq; infamia dimittunt. Domeſticis tuis placidus eris & mitis. In ea demùm familia verè viuitur, vbi opes nulla parte iniuſtitia, & abſq; metu aſſeruatæ, in vſus neceſſarios ſine querela erogantur. Sententias Solonis enarrat Auſonius ita:

Dico tunc beatam vitam, quum peracta fata ſunt.
Par pari iugator coniux: quidquid impar diſſidet.
Nõ erunt honores vnquã fortuiti muneris.
Clam coarguas propinquum, quem palam laudaueris.
Pulchrius multò parari, quã creari nobilẽ.
Certa ſi decreta ſors eſt, quid cauere proderit?
Siue ſint incerta cuncta, quid timere conuenit?

Bias Prieneus. De Deo ſemper, vt ipſa meretur diuinitas, loquare. Quidquid *Biantis* in vita laudabile feceris, id omne Deo acceptum feras. Antequam incipias, conſule. Multa audies, pauca loqueris. Cùm aliquando cum his nauigaret, qui ob vitæ nequitiam Dijs hominibusq; inuiſi erant, naui iam ferè tempeſtatibus obruta, Deorum quiſque maximis clamoribus opem implorabat, quibus ille: Silete, inquit, ne Dij vos hic nauigare perſentiſcant. Interrogatus ab homine impio, quid eſſet pietas? ſiluit: Sciſcitatus deinde ſilentij cauſam: Quia me, inquit, de eo, quod ad te nihil attinet, interrogas. Filio ſuo in Aegyptum profecturo, & interroganti, qua in re potiſſimùm poſſet patri gratificari? reſpondit: Si commeatum tibi ad ſenectutem comparaueris: virtutem innuens. Commeatum ad ſenectutis ſubſidium in iuuentute tibi compara, ſapientiam videlicet & eruditionem; nulla ſiquidem poſſeſſio hac vna certior eſt & ſtabilior. Eſto circumſpectus & prudens. Res tuas omnes fortiter feliciterque obeas, dum adhuc ætas in flore eſt, quæ vbi iam defloruerit, prudenter ſapienterq; te geras. Illi, qui in nauibus & mari degunt, neq; inter mortuos, neq; inter viuos cenſentur. Tãquam in ſpeculo tuas ipſius actiones contemplare, vt quæ honeſtæ ſunt indies abs te ornentur magis, turpes verò virtutis ſtudio contegantur. In obeundis rebus memoriam, ad temporis opportunitatem captandam ſollicitudinem adhibe; mores ſint ingenui, labor moderatus, metus religioſus; opibus amicos para, in dicendo eloquen-

Biantis Prienei apopthegmata.

tiam

tiam, tacendo motum vrbanitatem obſerues; in ferenda ſententia æquitatem, in audiendo, peruerſisque ſuſtinendis fortitudinem, poſtremò in reipub. munijs obeũdis auctoritatem, in gloria animi præſtantiam obtineas. Interrogatus, quid in vita ſine metu eſſet? Bona, inquit, conſcientia. Morum honeſtatem ſectare. Potior mortalium pars impia eſt. Ama tanquam oſurus (vide A. Gellium lib. I. cap. 3.) Moribus neq; nimium facilis eris, nimiumq; difficilis. Facilè imponitur bonis. Cum gratia impetres, non vi extorqueas. Quod facturus es ſemel, lentè incipias, ſed vbi inceperis, conſtanter exequare. Optatius eſt inimicis quàm amicis ius dicere: nam ex amicis alterum tibi hoſtem, ex inimicis verò alterum tibi amicum feceris. Virum indignum non commendabis. Expetere ea, quæ conſequi queas, & alterius nolle inſania frui, grauem animo cruciatum parit. Corporis robur naturæ eſt beneficium, magnarum opum affluentiam fortuna paſſim vel indigniſſimo cuique donat; cæterùm rempub. poſſe conſilio prudentiaq; iuuare, ab omni bono ſapientiaq; proficiſcitur. Ne ſis ad loquendum præceps; virum enim parum ſanæ mentis arguit. Interrogatus, quid hominibus in primis ſuaue eſſet? Spes, inquit. Et qua re potiſſimum gauderent? reſpondit, lucro. Et quid eſſet difficile? Forti, ait, infractoq; animo fortunæ inconſtantiam tolerare. Is demùm verè infelix eſt, quicumq; ſine animi perturbatione aduerſam fortunam ferre non poteſt. Diuitem vir pauper non incuſabit, niſi fortè ex eo emolumentum ſibi paratum ſperet. Ne quid per ſtoliditatem & intemperantiam admittas. Sic in vita te geras, tanquam longo, aut ſanè non ita longo tempore victurus. Ad mortem condemnaturus aliquem, plorabat, interroganti cauſam: Neceſſe eſt, inquit, naturæ mutuum affectum, & legibus congruam ſententiam dare. Rex ille in primis clarus videtur futurus, qui regni ſui legibus ante omnes obtemperat. Optima iſtic eſt familiæ diſciplina, in qua dominus propter ſe ipſum talis eſt domi, qualis propter decorum eſt alibi. Biantis ex Auſonio ſententiæ:

Quænam ſumma boni? Mens quæ ſibi conſcia recti.

Pernicies homini quæ maxima? Solus homo alter.

Quis diues? Qui nil cupiat. Quis pauper? Auarus.

Quæ dos matronæ pulcherrima? Vita pudica.

Quæ caſta eſt? De qua mentiri fama veretur.

Quod prudentis opus? Quum poſſit, nolle nocere.

Quid ſtulti proprium? Non poſſe, & velle nocere.

Thaletis Mileſij preclara ſentẽtia.

Thales Mileſius. Deus eſt rerum omnium à nullo creatarum principium. Rogatus, quid eſſet Deus? Initio, inquit, & fine carens. Interrogatus, num vt homines, perinde quoq; Deum lateat, qui in vita ſint flagitioſi? Imò, inquit, ne ea quidem, quæ in animo cogitant, ignorat. Rogatus, quid eſſet difficile? Seipſum, inquit, noſſe. Et quid facile? Alium reprehendere. Res in primis ardua eſt, prænoſſe futura. Rogatus, quantum abeſſet à veritate vanitas? Quantum, inquit, ab auribus abſunt oculi. Eadem à filijs ſenex expecta, quæ ipſe aliquando tuis parentibus præſtiteris. Interrogatus quem verè felicem crederet? Qui corpus habet ſanum, inquit, animum verò virtutibus & liberalibus artibus rectè imbutum. Nihil ſapientius tempore, quod inuenerit omnia. Nihil eſt neceſſitate potentius, donat enim vniuerſa. Loco nihil eſt capacius, quod omnia in ſe concludat. Nihil humana mente velocius, quæ minimo temporis ſpacio remotiſſima quæq; percurrit. Nihil eſt pulchrius orbe terrarum, fabrica ſiquidem Dei eſt. Cura liberos tuos inſtitui. Diſciplinam domeſticam, liberales artes, & in Deum, parentes, patriam, atq; adeo omnes homines pietatem cole. Probitatem morum ſectare. Vitæ tuæ curam habe. Nemini quidquam facilè promiſeris. Interrogatus, quonam modo quis leuius fortunam aduerſam ferat? Si, inquit, hoſtes ſuos grauiùs afflictos ob oculos ponat. Interrogatus, quomodo optimè ſanctiſſimeq; queamus viuere? Si, ait, quæ in alijs reprehendimus, ipſi non perpetremus. Amici quo ingenio ſint, explora. Non aliter de abſentibus quam præſentibus amicis ſentiendum & loquendum eſt. Hominem infelicem ne deſpexeris, ne te quoq; Nemeſis corripiat & affligat. Triplici nomine Fortunæ gratias, inquit, ago: primũ,

quòd

quòd me hominem, non brutum; deinde, quod virum, non fœminam; poſtremò, quod Græcum, non barbarum naſci voluerit. Vicinos amore proſequere. Abſtine à nequitia. Quæ iuſtè in alio reprehendis, ea cauebis ipſe committere. Opportunitatem in omni re ſpectabis. In rebus honeſtis conſtans, tuique ſimilis continenter maneas. Non pinges fuco adſcititio faciem, verùm in moribus, vitæq; inſtituto honeſtus eris & elegans. Officioſè alijs obſequare. Ama concordiam. Inſolentia ne te ciuibus odioſum facias. Rebus neceſſarijs vtere. Rogatus, quænam rerum omnium maximè communis videretur? Spes, inquit; hæc enim ſola, cùm aliud nihil reliqui eſt, ſolatio afflictis eſſe poteſt. Felicem principem in repub. fuiſſe credas, qui ingraueſcente demùm ætate, naturæ fatisq; conceſſerit. Interrogatus, quid viſu eſſet hominibus in vita rariſſimum? Senex, inquit, tyrannus. Principem honore afficito. Gloriam ne contemnas. Bene ſe habet Reſpub. in qua ciues nec opum nimia ſaturitate inſoleſcunt, nec egeſtate premuntur. Non peſſimè in ea viuitur domo, in qua patrifamilias à labore abſq; vllo rei familiaris detrimento pluſculum feriari datur. Cùm mater illum ad ducendam vxorem interpellaret: Certè, mater, inquit, nondum tempus eſt. Seriore poſt ætate ab eadem rurſus ad ducendam vxorem admonitus: Imò, inquit, ne nunc quidem vxore mihi opus eſt. Interrogatus, cur non genuiſſet liberos? Quia, inquit, eorum deſiderio & amore non teneor. Virum garrulum & futilem domo tua eijce. Auſonius ſententias Thaletis ſic recenſet:

Turpe quid auſurus, te ſine teſte time.
Vita perit, mortis gloria non moritur.
Quod facturus eris, dicere ſuſtuleris.
Crux eſt, ſi metuas, vincere quod nequeas.
Quum verè obiurgas, ſic inimice iuuas.
Quum falſo laudas, tunc & amice noces.
Nil nimium ſatis eſt. Ne ſit & hoc nimiũ.

Ne reliquum ſpacium paginæ huius vacaret, apponere placuit dicta quædam veterum, quæ prima facie externum quid ſignificare videntur, ſed tamen arcanum ſenſum ſub cortice latentem continent. Hæc quia pleraq; Pythagoræ attribuuntur, ſuperius ſub initio libri in ſymbolis Pythagoræ fuerunt explicata; partim alibi habentur. Sunt autem hæc: Salem apponito. Panis non frangendus. A fabis abſtineto. Piſces ne edito. Melanurum ne guſtes. Cor non edendum. Ab animalibus abſtinendum. Animalia γαμψώνυχα ne nutrias. Elixum ne aſſes. Cibum ne in ſcaphium mittas. Non comedendum ex curru. Quæ menſa deciderint, ne colligas. Molochen ſerito, non tamen edito. Dexteram ne cui temere inijcias. Dextrum pedem priùs induito, ſiniſtrum priùs attollito. Annulum arctum ne geſtato. Coronam ne decerpas. Ne ad lucernam ſpeculum ſpectato. Gladium acutum auerte. Ignem gladio ne fodias. Vnguium, criniumq; præſegmina lotio ne aſpergito. Cubitu ſurgens lectum componito, & ſtragulum conuoluito. Meridie non dormiendum. Non oleo ſella abſtergenda. Via publica ne incedito. Cùm ad terminum veneris, ne reuertitor. In via publica ligna ne ſecato. Ligna cupreſſina ne colligas. Iugum ne tranſilias. In chœnice non ſedendum. Onus ſimul tollito, ne ſimul deponito. Domeſticas hirundines ne habeto. Non frangendi dentes. Ollæ veſtigia in cinere confundito. Aduerſus Solem ne mingito, neq; loquitor. Carminibus ad lyram vtendum. Mitem arborem nec violato, nec cædito. Locum, vbi ſanguis humanus fuſus eſt, lapidibus obruito. Non propter opes ducenda vxor. Iniuſſu imperatoris ſtationem ne deſerito.

Dicta veterũ ſenſum myſticũ continentia.

Submo-

Submouendam ignorantiam.

EMBLEMA CLXXXVIII.



QVOD monſtrum id? Sphinx eſt. Cur candida virginis ora,
Et volucrum pennas, crura leonis habet?
Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia: tanti
Scilicet eſt triplex cauſſa & origo mali.
Sunt quos ingenium leue, ſunt quos blanda voluptas,
Sunt & quos faciunt corda ſuperba rudes.
At quibus eſt notum, quid Delphica littera poſſit,
Præcipitis monſtri guttura dira ſecant.
Namq; vir ipſe bipeſq; tripeſq; & quadrupes idem eſt,
Primaq; prudentis laurea, noſſe virum.

COMMENTARII.

I. *Forma Sphingis.* SPHINX monſtrum fingitur mulie-bri facie ac pectore, pedibus & cauda leonis, pennis autem volucris. Clearchus caput & manus puellæ, corpus canis, vocē hominis, caudam draconis, leonis vngues, alas auis illam habuiſſe ſcripſit. Aſt aliter

eam

eam deſcribit apud Nicephorum Philoſtorgius: Sphinx, inquit, de ſimiarũ genere eſt, pectore ad collum vſq; glabro, reliquo corpore hirſuto, vbera muliebria habet, facies pluſculum rotunda eſt & acuminata, à muliebri ſpecie non abhorrens, vox humana ſed ſtridula, nec articulata; beſtia indomita, maligna, aſtuta. Noſtra hic ſatis eleganter expreſſa eſt. Plura de eius forma paulò poſt.

II. *Sphinx ignorantiæ ſymbolum.* QVIA hic Sphinx adhibetur pro typo ignorationis, id certè primò videtur eſſe tractum ex tabula Cebetis Thebani, cuius ipſiſſima verba huc traduco ad maiorẽ fidẽ: ἔστιν ἡ ἐξήγησις ἐοικυῖα τῷ τῆς σφιγγὸς αἰνίγματι, ὃ ἐκείνη προὐβάλλετο τοῖς ἀνθρώποις. εἰ μὲν οὖν αὐτὸ συνίῃ τις, ἐσώζετο· εἰ δὲ μὴ συνίῃ, ἀπόλλυτο ὑπὸ τῆς σφιγγός. ὡσαύτως δὲ καὶ ἐπὶ τῆς ἐξηγήσεως ταύτης. ἡ γὰρ ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις σφὶγξ ἐστίν. αἰνίττεται δὲ καὶ τάδε, τί ἀγαθὸν, τί κακὸν, τί οὔτ' ἀγαθὸν, οὔτε κακόν ἐστιν ἐν τῷ βίῳ· ταῦτ' οὖν ἐὰν μή τις συνίῃ, ἀπόλλυται ὑπ' αὐτῆς οὐχ εἰσάπαξ, ὥσπερ ὁ ὑπὸ τῆς σφιγγὸς καταβρωθεὶς ἀπέθνησκεν, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ἐν ὅλῳ τῷ βίῳ καταφθείρεται, καθάπερ οἱ ἐπὶ τιμωρίᾳ παραδιδόμενοι. ἂν δέ τις γνῷ, ἀνάπαλιν ἡ μὲν ἀφροσύνη ἀπόλλυται, αὐτὸς δὲ σώζεται, καὶ μακάριος καὶ εὐδαίμων γίγνεται ἐν παντὶ τῷ βίῳ. Id eſt: *Hæc expoſitio eſt eius ænigmatis, quod à Sphinge proponebatur hominibus. Qui enim illud intellexerat, ſalutem quidem conſequebatur; qui verò minimè, in exitium incidebat. Eo modo ſe habet ea explicatio. Sphinx enim eſt hominibus inſipientia. Hæc autem proponit quid bonũ, quid malum; quid neq; bonum, quid neque malum ſit in vita. Quæ ſi quis minus intellexerit, ab ea interimitur: neq; id ſemel, ſicut is, qui depaſtus à Sphinge moriebatur, ſed per omnem vitam paulatim abſumetur, vt qui perpetuis ſupplicijs addicti ſunt: contrà verò ſi quis agnouerit, occiſa tãdem inſipientia, ſalutem ipſe conſequitur, & beatus & felix per totum vitæ curriculum euadit.* Hæc ille. Vt autem minùs prouectis aliquantiſper cõſulamus, paulò altiùs huius Emblematis argumentum repetemus, ex ſententia Diodori Siculi, Sophoclis, Strabonis, & aliorum.

Oedipodis vita, & fatũ. Rex Thebarum Laius Labdaci filius, Iocaſtam Creontis Thebani filiam ſumpſit in vxorem: quam cùm ingrauidaſſet, conſuluit de prole oraculum. Cui ſic reſponſum fuit:

Inclite Labdacida felicia pignora poſcis.
Accipies natum, ſed nati occũbere dextra
Te tua fata volunt, lucẽq; relinquere vitæ.
Sic Pelopis diris aſſenſit Iupiter vltro,
Quem tu deuouis, natum quòd ademeris illi.

Accepto Laius oraculo, volens obſtare periculo, puerum recens natum paſtori dedit interficiendum. Ille miſericordia motus non interfecit illum, ſed perforatis ei pedibus vimine ex arbore ſuſpendit, & in Cytherone reliquit. Sed Melibœus paſtor regius procul vagitus audiens, puerum accepit, eumq; ad regem ſuum Polybum detulit: qui cum liberis careret, pro filio curauit educãdum, & à tumore pedum Oedipodem nominauit, ἀπὸ τοῦ οἰδεῖν τοὺς πόδας. *Oedipus vnde ſic dictus.* Cùm adoleuiſſet iam corpore robuſtus & animo forti, ſui generis ignarus, Apollinis oraculum de patre conſuluit. Cui oraculum in hanc ſententiam reſpondit: *Fuge templa hæc, inuiſa proles, qui patris tui tua occiſi manu thalamos aſcẽdes: vtero rurſus matris moleſtus, fratres tibi ex ea generabis.* Oedipus oraculo territus, ne Polybum aliquo caſu occideret, Corinthum r. petere noluit; viamque ingreſſus, qua Thebas proficiſceretur, obuium parentem Laium habuit, à quo, quòd ſuperbus iuuenis nõ ceſſiſſet, ſceptro fuit percuſſus, mox Oedipus arrepto ſtipite & Laium & aurigam interfecit. Regio Thebana tunc temporis infeſtata erat cladibus & latrocinijs Sphingis. Mõſtrum id erat ex Echidna & Typhone parentibus ortum, ore virgineo, muliebri pectore, pedibus & cauda leoninis, auis pennis præditum. Quod ab irata Iunone Thebanis immiſſum, cùm ænigmata à Muſis didiciſſet, in Phyceo monte conſedit, captis & in præcipitium addictis ænigma proponens, eoſque qui id neſcirent diſſoluere, de ſaxis præcipites dabat. Hoc verò tale fuiſſe traditur ænigma: *Ænigma Sphingis.*

ἔστι δίπουν ἐπὶ γῆς, καὶ τετράπον, οὗ μία φωνὴ,
καὶ τρίπον. ἀλλάσσει δὲ φυὴν μόνον ὅσσ' ἐπὶ γαῖαν
ἑρπετὰ κινεῖται, ἀνά τ' αἰθέρα, καὶ κατὰ πόντον.
ἀλλ' ὁπόταν πλείστοισιν ἐρειδόμενον ποσὶ βαίνῃ,
ἔνθα τάχος γυίοισιν ἀφαυρότατον πέλει αὐτοῦ.

Quod ſic vertit Parœmiographus:

Eſt bipes in terris, & quadrupes, haud eadem vox,
Et tripes; immutat ſpeciem hoc ex omnibus vnum,
Quæcunq; in terris reptãt, aut æthera circũ,
Perq; mare: aſt vbi iam pedibus compluribus auctum
Accelerat greſſum, victis tum maxima membris
Segnities ac torpor adeſt, minimũq; vigoris.

Sic verò Natalis Comes:

Eſt bipes & quadrupes in terris, ſolaq; vox huic,
Atq; tripes: mutat vocem ſolum, omnia campis
Inter quæ ſerpunt, quæ cœlo & fluctibus errant.
Aſt vbi contẽdit pedibus iam pluribus, illi
Deficiunt vires, & lentis robora neruis.

Hoc idem ænigma Auſonius bellè complexus eſt in Gripho ternarij numeri, his verbis:

Ille etiam thalamos per trina ænigmata quærens:
Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes, omnia ſolus.
Terruit Auſoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx; volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Porrò Thebanis oraculo renunciatum fuerat, tum Sphingis incommodo ac detrimento fore liberos, cùm ęnigma ſoluiſsẽt. Interea vniuerſos, quid illud eſſet, rogabat; quod cùm minimè reperirent, abreptum ab omnibus vnum occidebat, eaq; de cauſa pleriq; ſubinde peribant. Ac poſtremò ad eundem modum Aemone Creontis filio perempto; Creon huiuſmodi ænigma ſoluturo & regnum, & Laij vxorem ſe traditurum, præconis voce renunciari iubet. Hac itaque fama excitatus Oedipus, ad montem Sphintium profectus, ænigma ſoluit, deque humanæ vitę partibus interpretatus eſt. Homo enim quadrupes infans, propter corporis imbecillitatem: ætate ineunte, bipes: ſenex autem tripes, quòd ſæpiùs vtendum baculo ſit ea ætate, quæ aliquid victum habet & caducum. Soluto ergo problemate Sphinx doloris impatientia ſe ex edito monte præcipitem dedit: Oedipus verò Thebas intrauit, vbi filius Polybi creditus Iocaſtam matrem duxit, liberosq; ex ea genuit. Sed orta Thebis lethali peſte, reſponſum acceperunt Thebani, non ceſſaturam peſtem, donec Laij occiſor puniretur, inceſtuoſumq; Iocaſtæ coniugium purgaretur. Dum quæritur Laij interfector, ecce paſtor, qui Oedipodem ſeruauerat, nunciat Polybum obijſſe diem, veniat Oedipus, & regnum patris accipiat. Sed dum ſermones vltrò citròq; ſparguntur, intellexit Oedipus ſe patrem interfeciſſe, matriq; ſe coniunxiſſe. Tum ſibi oculos eruens perpetuis ſe damnauit tenebris. Iocaſta ſe gladio peremit. Ipſe ducente filia Antigone Athenas abijt, vbi Theſeum exorauit, ne cineres ſuos aut ſepulchrum Thebanis indicaret. Hanc hiſtoriam vel potiùs fabulam prolixiùs aſcribere volui, cùm ſciam, illam varijs modis à ſcriptoribus traditam reperiri. Heſiodus in Theogonia Sphingem narrat ex Chimęra genitam. Et teſtatur Cœl. Rhodigin. lib. 14. cap. 8. Meminit Sphingis Statius lib. 2. Thebaid. his verbis:

Oedipodis inceſtus.

Locus Statij de Spinge.

——Contra importuna crepido
Oedipodioniæ domus alitis. Hic fera quondam
Pallentes erecta genas, ſuffuſaq; tabo
Lumina, cõcretis infando ſanguine plumis
Relliquias amplexa virũ, ſemeſaq; nudis
Pectoribus ſtetit oſſa premẽs; viſuq; tremẽti
Colluſtrat campos, ſi quis concurrere dictis
Hoſpes inexplicitis, aut comminus ire viator
Audeat, & diræ cõmercia iungere linguæ.
Nec mora: quin acuẽs exertos protinus vngues,
Liuenteſque manus, fractoſque in vulnere dentes
Terribili applauſu, circum hoſpita ſurgeret ora.
Et latuere doli, donec de rupe cruenta
Heu ſimili deprenſa viro, ceſſantibus alis
Triſtis inexpletam ſcopulis affligeret aluũ.

De Sphinge agit Plinius lib. 8. cap. 21. & lib. 10. cap. 72. & lib. 36. cap. 12. ex quibus locis petendam eſſe veram Sphingis deſcriptionem pleriq; cenſent. Meminit etiam Apollodorus lib. 3. de orig. Deor. Solinus cap 40. Polyhiſt. ſcribit, Inter ſimias habentur & Sphinges, villoſæ comis, mammis prominulis ac profundis, dociles ad feritatis obliuionem. Huic ſuffragari videtur Albertus Magnus 22. de animal. Cõfirmat Diodorus Siculus lib. 4. Sphinges, inquit, & apud

Sphinx quale animal.

& apud Troglodytas Aethiopesque naſcuntur, forma haud ei diſſimili, qua pinguntur, ſed paulò pinguiores. Naturam habent manſuetam, & pluribus exercitijs diſciplinisq; deditam. Et affirmat Pierius Valer. lib. 6. Hieroglyph. ſe harum vnam Veronae vidiſſe, mammis illis & glabris & candidis à pectore propendentibus, quam circumducebat circulator quidam Gallus ex ignotis antea inſulis aduectam. Erat, inquit, toto pectore glabello, facie & auribus humanis propioribus, dorſo hiſpido ſupra modum, fuſco & oblongo admodũ pilo, eoq; denſiſſimo. Rector laeuum brachium, quo catenam, cui erat alligata, regebat, ferrea manica obarmatum habebat, dextra baculum gerebat, quem in faciem animalis identidem praetendens, bipedem ſecum ambulare, & loco etiam ſaltare interdum, & obgannire faciebat, multamq; hinc à ſpectatoribus ſtipem aucupabatur. Hęc & plura Pierius. Sed miror, quòd neque Luſitani, neq; Hiſpani, alijvè, qui non ſolùm in remotiores & antè incognitas Indiae & Libyae partes atq; inſulas penetrauerunt; ſed etiam propemodum immenſi Oceani angulos omnes ſuis nauigationibus perſcrutati ſunt, de Sphingibus iſtis nullam (quod ego quidem ſciam) mentionem faciant: ſi enim totae inſulae, ſecundum quorundam opinionem, ab eiuſmodi monſtris occuparentur, vix eorum exactã indagationem effugere potuiſſent.

III. *Sphinx vnde ſic dicta.*

SPHINX eſt.] Sphinx nomen ſortita eſt ab effectu, ducitur enim à verbo *σφίγγειν*, (vt ait. Moſcopulus) quod eſt conſtringere, vel vincire: eò quod omnes problemate propoſito ligaret.

Candida virginis ora &c.] Deſcriptio monſtri ſecundum fabulam poeticam, quę illi faciem puellarem, corpus plumis auiũ obſitum, & pedes leoninos tribuit.

Hanc faciem aſſumpſit rerum ignorantia] Sphinx etſi plura apud Mythologos ſignificet, vt paulò poſt dicemus: hic tamẽ pro typo & ſymbolo ignorantiae capitur, vt ſupra ex Cebete Thebano diximus. *ἡ γὰρ ἀφροσύνη τοῖς ἀνθρώποις σφὶγξ ἐςίν.* id eſt: *Eſt enim Sphinx hominibus inſipientia.*

Triplex ignorantia cauſa.

Triplex cauſa.] ignorantiae triplex eſt cauſa efficiens: leuitas animi, voluptas, & ſuperbia.

Sunt quos ingenium leue] ſunt, qui laborant animi leuitate & inconſtantia: quae prima cauſa eſt ignorantiae, cum aue comparata, quae vis per omnia diſcedit à ſtabili firmoq; ſcientiae fundamento.

Sunt quos blãda voluptas] ſunt, qui voluptatis illecebris deliniti à ſtudijs abſtrahuntur. Altera cauſa eſt libido ſeu voluptas, puellari forma depicta, quę cùm animum occupat, nunquam poteſt obcaecata mens cognitionis & ſcientiae bono perfrui.

Corda ſuperba rudes] aliqui ſunt tumidi, inflati, ſuperbi, *φίλαυτοι*, qui potuiſſent ad ſcientiam peruenire, niſi putaſſent ſe iã perueniſſe, ait Seneca. Et hęc eſt tertia ignorantiae cauſa, nempe arrogantia ſuperbiaq; leoninis pedibus adumbrata, quae *φιλαυτίαν* in ſe habet pernicioſiſſimam, & rerum meliorum contemptum, quam neceſſariò ſequitur craſſa & exitioſa imperitia, & ſui ignorantia.

Delphica litera.

Quid Delphica litera poſſit] Delphicam literam vocat illud nunquam ſatis laudatum oraculum, *γνῶθι σεαυτὸν*. Nam Plato in Charmide, & Plutarchus varijs locis tradunt aſcriptum fuiſſe pro foribus templi Apollinis Delphici, literis aureis, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ. id eſt: NOSCE TEIPSVM, in quo omnis ſapientiae neruos eſſe ſitos permulti auctores tradiderunt: quod Alcibiadi apud Platonem Dialogo de Natura hominis, omniũ difficillimum videtur, eiuſque difficultatis rationem explicat Auton. Zimara lib. Problematũ. Hanc ſententiam diuino beneficio in terram ad homines delapſam pleriq; exiſtimarũt, vt Iuuen. Sat. 11. Thaletis eſſe vult Laertius lib. 1. Chilonis verò Plinius lib. 7. cap. 32. Eadem ſententia perbellè declaratur à Xenophonte 4. Comment. ſub perſona Socratis. Plato in Philoebo: *τῆς πάσης πονηρίας ἐςὶ τὐναντίον πάθος ἔχον, ἢ τό λεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐν δελφοῖς γραμμάτων. τὸ γνῶναι σεαυτὸν λέγεις, ὦ Σώκρατες.* Philemon Comicus:

Τὸ ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ, ἐ *μάτην*
εὖ ἴσθ' ὅτι
Τὸ *ῥῆμα τῦτο δόξαν ἐν Δελφοῖς ἔχει.*
COGNOSCE TEIPSVM, *iure verba hac optimo*
Celebritatem adepta Delphis maximam:
Τὸ *γνῶθι σαυτὸν, πανταχῦ 'ςι χρήσιμον.*
Cognoſce teipſum, monitum vbiq; commodum.

Apollo

Apollo ipſe apud Ouidium 2. Artis de ſuo templo:

Eſt ibi diuerſum fama celebrata per orbem
Littera, cognoſci quæ ſibi quemq; iubet.

Auſonius eidyllio 4.

Quanquam difficile eſt ſe noſcere, γνῶθι σεαυτὸν,
Quàm properè legimus, tam citò negligimus.

Lege Platonem in Amatoribus, Stobæi ſermonem περὶ τῦ γνῶθι σεαυτὸν. Macrob. 1. Saturn. cap. 6 Adagium, *Noſce te ipſum.* Ciceronem locis mox citandis & adducendis, multoſq; alios, qui auream hanc cœleſtemq; gnomen ſcriptis commendarunt, & quantum habeat in mortalium rebus momenti, explicuerunt.

Monſtrum præceps. *Præcipitis monſtri.*] Ignorantiæ, quæ eſt reuera θηρίον ἄλκιμον, καὶ δυσπέλαστον κακὸν, vt loquitur Sophocles περὶ ἀμαθίας. *Fera robuſta, & non adeundum malum.* Præcipitis monſtri, id eſt, deiecti, deturbati, ruentis. Vel monſtrum præceps, idem eſt atque periculoſum, eò quòd in præcipitijs ſaxorum vel mõtium pericula maiora eſſe putentur.

Guttura dira ſecant] tollunt è medio. Qui enim ſe ipſum nouit, detracta omni libidine, fœdaque voluptate, auulſis inconſtantię plumis fugacibus, & omni arrogantia, intelliget quid ſit homo: id eſt, problema Sphingis explicabit, ſuam ipſius naturam intuebitur, primò quidem quadrupedum penè ſimilem conditioni, deinde hominis firmitate conſtantem, & poſtremò imbecillam, propter concreti partes infirmas: ita vt monſtrum arrogantię turpiſſimum ſeipſum conficiat, & hominem ſui cõpotem relinquat; qua victoria nulla alia eſt excellentior, nulla vtilior, aut illuſtrior.

Namq; vir ipſe bipeſque, &c.] Tres hic notantur ætatis humanæ partes, infantia, virilis ætas, & ſenectus. Alij aliter diſtribuunt, vt fuſius diximus in Præfatione Emblematum pag. 3.

Primaq; prudentis] Primus ſapientiæ gradus à veteribus celebratiſſimus, S E I P S V M N O S S E; vltimus N O S S E D E V M, vt rectè pièq; monuerunt quidam Philoſophi Chriſtiani.

Laurea.] Victoria, gloria. Martialis 7. lib. 4.

——inuidet hoſti
Roma ſuo, veniat laurea multa licet?

In ſecundo verò:

Quæ datur ex Dacis laurea tota tua eſt.

Auſonius Eidyllio 9.

Hæc profligati venit modò laurea belli.

Noſſe ſeipſum quã vim habeat. *Noſſe virum.*] Oraculum illud, γνῶθι σεαυτὸν, eiuſq; vires vt copioſè, ſic & eruditè tractat M. Tullius De legibus 1. circa finem: Philoſophia, inquit, nos cum cæteras res omnes, tum quod eſt difficillimũ, docuit, vt noſmetipſos noſceremus. Cuius præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, vt ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur. Nam qui ſe ipſe norit, primũ ſe aliquid habere ſentiet diuinum, ingeniumq; in ſe ſuum, ſicut ſimulacrum aliquod dedicatum putabit, tantoq; munere Deorum ſemper dignum aliquid & faciet & ſentiet: & cùm ſeipſe perſpexerit, totũque tentarit, intelliget quemadmodum a natura ſubornatus in vitam venerit, quantaque inſtrumenta habeat ad obtinendam, adipiſcendamque ſapientiam: quemadmodum principio rerum omnium, quaſi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit, quibus illuſtratus, ſapientia duce, bonum virum, & ob eam ipſam cauſſam cernat ſe beatum fore. Nam cùm animus cognitis perceptiſq; virtutibus, à corporis obſequio indulgentiaq; diſceſſerit, voluptatemq; ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnemq; mortis dolorisque timorem effugerit, ſocietatemque carnis exercerit, tum omnibus ſe natura con iunctum duxerit, cultumque Deorum & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam vt oculorum, ſic ingenij aciem ad bona eligenda, & reijcienda contraria: quę virtus ex prouidendo eſt appellata prudentia: quid eo dici aut cogitari poterit beatius? Idemq; cùm cęlum, terras, maria, rerumq; omnium naturam perſpexerit, eaque vnde generata, quò recurrant, quando, quomodo obitura, quid in his mortale & caducum; quid diuinum æternumque ſit, viderit, ipſumq; ea moderantem & regentem penè prehenderit, ſeque non vnis circundatum mœnibus popularem alicuius definiti loci, ſed ciuem totius mundi, quaſi vrbis vnius agnouerit, in hac ille magnificentia rerum, atq; in hoc conſpectu, & cognitione naturę, Dii immortales, cùm ſe noſcet (quod Apollo præcepit Pythius) quàm contemnet, quàm deſpiciet, quàm pro

pro nihilo putabit ea, quæ vulgò dicitur ampliſſima? Atq; hæc omnia quaſi ſepimento aliquo vallabit diſſerendi ratione, veri & falſi iudicandi ſcientia, & arte quadam intelligendi, quid quamq; rem ſequatur, & quid ſit cuique contrarium. Idem Cicero 1. Tuſcul. Eſt illud vel maximũ, ait, animo ipſo animum videre: nimirùm hanc habet vim præceptum Apollinis, quo monet, vt ſe quiſq; noſcat: non enim, credo, id præcipit, vt membra noſtra, aut ſtaturam, figuramve noſcamus: neque nos corpora ſumus, neque ego tibi hæc dicens, corpori tuo dico. Cùm igitur, Noſce te, dicit, hoc dicit, Noſce animum tuũ. Nam corpus quidem quaſi vas eſt, aut aliquod animi receptaculum: ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hunc igitur noſſe, niſi diuinum eſſet, non eſſet hoc acrioris cuiuſdam animi præceptum, ſic vt tributum Deo ſit, hoc eſt ſeipſum poſſe cognoſcere. Hactenus Cicero. Idem præter cæteros explicat Plutarch. libello De diſcrimine adulatoris & amici: quo loco ait, Deum ſequi, & ſeipſum noſſe, ſalutis eſſe ſummam. Et Clemens Alexandr. ſtatim initio 3. lib. cui Pædagogo nomen indidit, pulcherrimam & maximam diſciplinarum omnium ait eſſe, ſeipſum noſſe: quia qui ſeipſum norit, Deum cognoſcit, &c. vide reliqua. Nemo inſipientium (inquit Dio Chryſoſt. 4. Orat. de regno) ſeipſum nouit. Neque enim id Apollo præcepiſſet in primis, niſi cuiq; difficillimum viſum eſſet. Nonne putas inter morbos nullũ magis pernicioſum inſipientia? eũque, qui ſit inſipiens, ſibi ipſi nocentiſſimũ? aut etiam plurimorum cauſſam malorum alijs eſſe? Et Macrobius in ſomnium Scipionis comment. 1. tradit, cuidam Delphi cum oraculum conſulenti, quonam itinere ad felicitatem peruenire poſſet, reſponſum ad hunc modum: Si teipſum cognoueris. Vt igitur ſumma ignorantia eſt ſeipſum ignorare; ita prima prudentis laurea, vt Auctor innuit, noſſe virum, id eſt, ſe ipſum, atque etiam cæteros. Hæc ergo

Sphinx ignorantia eſt. Sphinx ignorantiæ omnes præcipitat præter ſapientes, qui ſeipſos norunt. Clariùs dicam. Sphinx interrogat mortales, quid ſit homo verè & propriè. Cumq; huic tã difficili quæſtioni pauci reſpondere poſſint; id eſt, cùm pauciſſimis datum ſit, noſſe ſeſe, nihil mirum eſt, ſi tam multos præcipitet ignorantia. Huic interpretationi Sanctius palmam dat, & ſe magnificè hic effert.

IV. Sphingis mythologia.

DEVENIMVS tandem ad mythologicam tractationem. Sphinx triformis, vtpote quæ puellari forma ſit, plumis tecta vt auis, & leoninis pedibus, ignorãtiam arguit, in editiſſimo huius vitæ monte, & quaſi theatro locatam, infinitam hominũ multitudinem ſua feritate opprimentem, non alia de cauſſa, niſi quòd ſeſe non agnoſcant, id eſt, ſe homines eſſe ignorent. Triplex autem monſtri forma refertur ad tres primarias cauſſas efficientes ignorantiæ. Nam virginea facies voluptatem repræſentat, fœdamq; libidinem, quæ hominem ita excæcat & afficit, vt eum ab humanitate degenerem in belluinam fermè naturam commutet, quo fit vt ab omni vera diſciplina rectaq; inſtitutione penitùs abhorreat. *Virginis facies in Sphinge.* Plumæ volucres, quibus totum corpus occupatur, & quaſi obſidetur, leuitatem & inconſtantiam animi ſatis apertè declarant, quæ quidem cùm rationis principatum, vel naturę vel conſuetudinis vitio præripuit & occupauit, quid in homine reliqui eſt, quod firmum aut conſtãs eſſe vel videri poſſit? *Plumæ Sphingis.* Ceterùm pedes, quales ſunt leonis, indicant ſuperbiam arrogantiamq; quæ cùm falſam de rebus opinionem habeat, ſeq; ſcire putet, quod neſcit, non mirum eſt ſi turpiter impingat, & longiſſimè abſit à perfecta rerum cognitione. *Leonini pedes.* Prima itaq; ignorationis cauſſa eſt ingenij leuitas, vel temeritas, quæ quid maximè ſe deceat, non videt. *Ingenij leuitas.* Altera eſt corporis voluptas, primo quidẽ aſpectu blandiens, ſed aſperrima, triſtiſque, poſtquàm guſtaueris: De qua ſic ante, Emblemate 83. *Voluptas corporis.*

——meretricius ardor
Egregijs iuuenes ſeuocat à ſtudijs.

Tertia cauſſa omnium pernicioſiſſima, & ad nocendum imprimis efficax, eſt animi elatio & arrogantia: de quibus ſingulis, quia iam in ſuperioribus paſſim dictum eſt, nolo eſſe longior. *Superbia.* Pauſanias in Bœoticis ad hiſtoriam hæc refert, inquiens: Inde ſi proceſſeris, mõtem videbis, à quo Sphingem aiunt deſilijſſe, quæ ad perdendum captiuos quęſtiones proponebat obſcuras. *Hiſtoria Sphingis.* Dicunt nonnulli, nauali eam potentia inſtructam latrocinij cauſa oberraſſe, & ad mare circa Anthedonem appuliſſe. Hoc autem monte occupato, rapinis fuiſſe

Eee inten-

intentam, donec Oedipus eam confecerit, obrutam exercitus multitudine, quem Corintho eduxerat. Strabo lib. 9. & Phanodemus 5. rerum Attic. Dicitur item Laij notha fuiſſe filia, & edocta à Laio per beneuolentiam, quod Cadmo datum erat oraculum Delphicum. Priuſquam autem reges fierent, ſcire aliud nihil oportebat quàm oraculum. Quoties itaque de regno quis litē Sphingi intenderat (nam & Laio ex pellicibus liberos fuiſſe procreatos aiūt, & oraculum Delphicum ad Epicaſten ſolummodo & Epicaſtę filios ſpectabat) hac Sphingem aiunt aduerſus fratres vſam eſſe fraude, vt Laij de ſtirpe ſi eſſent procreati, quod datum fuerat Cadmo oraculum proferrent. Qui reſpondere non poterāt, eos morte mulctabat, vt qui immeritò & de genere, & de imperio diſceptarent. Oedipus verò in ſomnis oraculum edoctus, Sphingem acceſſit. Palæphatus quoq; qui à Lilio Gyraldo allegatur, hiſtoriam de Sphinge ſic exponit: Cadmus vxorem Sphinga habens Amazonida Thebas profectus eſt, vbi interfecto Dracone regno potitus eſt, ducta vxore Harmoniæ Draconis ſorore. Id Sphinx iniquo animo tulit: quare ſeductis nonnullis ciuibus & cane, quam à velocitate pedum Græci ποδάκυν vocant, Sphicium ſeu Sphincium (vtroq; enim modo legimus) occupauit, incurſionibusque ac inſidijs, quæ à Thebanis indigeno ſermone ænigmata dicuntur, Cadmū ipſum, & qui illum ſequebantur, infeſtauit. Tandem propoſito præmio ab Oedipode ſuperatam fuiſſe. Sabellicus principio Ennead 7. lib. 1. credit Sphingem pernicioſum quendam hominem fuiſſe, qui calliditate multos peruenerit. Natalis Comes Mytholog. lib. 9. cap. 18. per Sphingis fabulam id ſignificatum fuiſſe ab antiquis ſapientibus credit, ſuam cuique fortunam æquo animo eſſe ferendam: quam tamen ſi quis ægerrimè ferat, omninò ferre neceſſe ſit. Nam quid ſignificant alæ? an non fortunæ inconſtantiam? Aut cur vngues in prędam flexę illi tribuuntur? nonnè quod vndecunq; libuerit omnia poteſt auferre? Cur humana eſt facies? quia humanum eſt ſubijci calamitatibus & viciſſitudinibus fortunæ. Leonina pars forti animo eſſe ferenda aduerſa ſignificat, quæ vel vi omninò ſunt ferenda: ſi quis enim miſerias prudenter ſuſtinere nequiuerit, aut niſi ſe ſapienter inter aduerſa cuſtodierit, ille ab ipſa Sphinge crudeliſſimè torquetur & laniatur. Atq; vt ſummatim dicam, nos monere per hanc fabulam ſapientes voluerūt, aut prudentia & Mineruæ conſilio fortunæ iniquitatem eſſe ſuperādam: aut ſi minus illud fecerimus, nos ab illa ſuperari oportere. Nam quid agitur in ſuperiore ænigmate Sphingis? an non de humana imbecillitate, cùm nihil naſcatur homine debilius aut calamitoſius. Sanè Romæ aliquot Sphinges marmoreæ, quæ ex Aegypto allatæ dicuntur, in Capitolio & alibi hodie adhuc conſpiciūtur. Aegyptij enim ideo Sphinges ante templa poſuerūt, quod myſtica dogmata, pręcepta & inſtitutiones ſacras, per ænigmatum nodos à profana multitudine inuiolata, cuſtodita, & in arcanis tantùm tractari voluerunt. Ideo putant Octauium Auguſtum ob taciturnitatem Sphinge loco ſigilli aliquandiu vſum fuiſſe; quæ etiam adhuc ante oſtium ponti Euxini, quo in Boſphorum ſeſe exonerat, in altera Symplegadum inſula, in columna veteri ex albo marmore conſpicitur, cum hac inſcriptione: DIVO CAESARI AVGVSTO L. CLANNIDIVS L. F. CLA. PONTO. ſicut Leuenclauius tanquam αὐτόπτης notauit. Syneſius tamen aliam affert rationem. Mercurij, inquit, numinis duplicem ſpeciem effingūt Aegyptij, iuuenem ſtatuentes propter ſenem. Quod hoc ſibi vult; eum, qui alijs cum laude præfuturus ſit, eſſe & mente & robore præditum oportere. Eamque ob cauſam ab ijſdem & Sphingis effigies in veſtibulis lucorum conſecratur, nota illa quadam diuinæ duarum virtutum copulæ, ſignificante robore beſtiam, prudentia hominem. Nam robur expers ductus prudentię, attonitum fertur, res omnes miſcēs ac turbans; & mens deſtituta manuum miniſterio, ad actiones eſt inutilis. Vide adagium, *Manu ignauus, mente præſens*. Item, *Sphingis ænigmata diſſoluit*. Pieriū Val. lib 6. Hieroglyph. Sed & Amaſis Aegypti rex Sphingem ex vnico ſaxo elaborauit, cuius longitudo erat pedum 143. altitudo à ventre ad ſummum apicem in capite 62. capitis ambitus pedes 102. colligebat. Amaſin regem in eo conditum volunt. Plinius libro 36. Natur. hiſtor. c. 12. Cæterùm (quod nolim prætermiſſum) Clemens Alexand. 5. Stromat. Sphingem

Sphinx Laij filia notha.

Sphinx typus fortunæ.

Cur Aegyptij Sphinges præ foribus tēplorum ſtatuerent.

Sphinx Amaſis regis.

retulit

retulit ad ingenij ſollertiam, & robur corporis, ob humanam faciem & leoninum corpus. Attigit Aelian. de hiſtoria animal. lib. 2. cap. 7. Retulit ad iuſtitiã Dio Chryſoſtom. Orat. 10. ſub finem, & torquet ad ſophiſtarum genus. Non omittendum poſtremò eſt, olim quoſdam meretrices ex

Megarica Sphinges.

Megara Sphinges appellatas fuiſſe, quòd humano capite manſuetudinem prę ſe ferrent, verùm corpore reliquo leonino rapacitatem & imperium, quod in miſeros amantes exercent, indicarent, de quibus verſiculus veteris cuiuſdam dici poteſt:

Ἴσον λεαίνης ϗ γυναικὸς ὠμότης.

Par eſt leanæ & fœminæ rapacitas.

Vide Pierium lib. 1. & adagium, *Megarica Sphinges*. Nos cum vulpe formam contemplatum imus.

Mentem, non formam, plus pollere.

EMBLEMA CLXXXIX.



INGRESSA vulpes in Choragi pergulam,
Fabrè expolitum inuenit humanum caput,
Sic eleganter fabricatum, vt ſpiritus
Solùm deeſſet, cæteris viuiſceret.
Id illa cùm ſumpſiſſet in manus, ait:
O quale caput eſt: ſed cerebrum non habet.

COMMENTARII.

I. ASSIDET in pergula vulpecula, & perſonas humanas hinc inde pēdentes contemplatur, & manibus contrectat. Verſus ſunt Senarij Iambici.

II. *Apologus Æſopi.* SVMPTVM eſt ex fabulis Aeſopicis, ſed præcipuè ex fabulis Gabriæ, de vulpe & capitis humani ſimulacro, quod cùm offenderet, artem quidem & vultus efficti laudauit elegantiam, ſed nihili eſſe duxit, quia cerebro careret. Apologum ita ſcitè redditum huc apponam:

Mimi ingreſſa domum vulpes, dum ſingula rerum
Viſendi ſtudio, ſcenæ inſtrumēta reuoluit,
Formoſi laruam ſimulacrum repperit oris:
Inque manu ſumens, animoque & lumine luſtrans;
O quàm inſigne caput, ſpecie quam, dixit, honeſta,
Sed rationis inops, caſſoq; informe cerebro.
Sordet honos formæ, niſi cui ſapientia iuncta eſt.

Breuius Phædrus lib. 1. fab. 8.

Perſonam tragicam fortè vulpes viderat:
O quanta ſpecies, inquit, cerebrum non habet.
Hoc illis dictum eſt, quibus honorē & gloriā
Fortuna tribuit, ſenſum cōmunem abſtulit.

III. *INGRESSA vulpes*] id eſt, aſtutus quidam & feſtiuus homo, id enim ἀλληγορικῶς accipe.

Choragus. *In Choragi pergulam*] in ſtatuarij officinam. Choragus ad verbum eſt dux chori, & ſuppeditator inſtrumenti ludicri, & expenſarum, inquit Budęus. Vnde & Choragium, locus vnde omnia promuntur ad ludos neceſſaria. Et hunc fortè reſpexit Pignorius, dum figuram hanc noſtram curauit exprimi, nempe vulpem inter laruas & perſonas ſedentem, ſecus quam habent aliæ editiones, quæ vulpem inter ſtatuas & imagines locant. Plautus in Perſa:

Sed πόθεν ornamēta? Abs chorago ſumito.

Caſaubonus in Suetonij Auguſtum, cap. 70 inquit: Choragos vocant hodie eos, qui pecunia ſua chorum conducunt & inſtruunt: ac primitus χορηγὸς dicebatur is, qui erat verè ἡγεμὼν τοῦ χόρου. cuius erat officium, videre ne imperitia chori aut laſciuia vetus Muſica corrumperetur, ſed pura ac ſincera ſeruaretur. Quid aūt ſit Pergula, ſatis explicatū Emblemate 122.

Fabrè. *Fabrè expoſitum*] id eſt, affabrè, ingenioſè, artificio quodam ſingulari, δαιδαλέως. Plautus in Sticho, Act. 4. Sc. 1.

Vt Apologum fecit, quàm fabrè

Idem in Pœnulo, Act. 3. Sc. 1.

Baſilicè exornatus incedit, & fabrè ad fallaciam.

In Menæchmis verò ſic:

Hoc lepidum eſt, hoc factum eſt fabrè.

Sed iā ab vſu receſſit, & eius loco vtimur, *Affabrè.*

Vt ſpiritus ſolus deeſſet] ita ad viuum erat expreſſum, vt ei ſolus ſenſus & vox deeſſe videretur.

O quale caput eſt] Vulpes, id eſt, cautus, & veterator ſpectato artificio hominis, ita prouūciauit: ὢ καλὴ κεφαλὴ, ἀλλ' ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. id eſt: *O pulchrum caput, ſed cerebrum non habet.* Græcè lepidius:

IV. *Forma nihil ſit ſola forma.* TORQVETVR πρὸς ἄνδρας μεγαλοπρεπεῖς μὲν τῷ σώματι, κατὰ δὲ ψυχὴν ἀλογίστους. Vel in quoſdam formoſulos & elegantiore cultu adoleſcentes, cætera verò prorſus obtuſos, nulliusque frugis, qui certè nihil aliud circumferūt, quàm quod prouerbio dici ſolet, *in eburnea vel aurea vagina gladium plumbum,* & Σαπρὸν σίλουρον ἀργυροῦς πίναξ ἔχων. Vnde conqueſtus eſt neſcio quis Græcorum his quidem verbis:

πολλοῖσι θνητῶν ἡ μὲν ὄψις εὐγενὴς,
ὁ νοῦς δ' ἐν αὐτῇ δυσγενὴς εὑρίσκεται.

id eſt:

Multis mortalium aſpectus liberalis,
Mens autem in ſe ignobilis deprehenditur.

Rectè admonuit Thales, laborandum non eſſe in facie exornanda, ſed potiùs in actionibus & ſtudijs honeſtis pulchritudinem eſſe quęrendam. Lubens apponerem exemplum Nirei ex Homero Iliad. γ. qui κάλλιστος ἀνὴρ ὑπὸ Ἴλιον ἦλθεν, eorum *qui ad Ilium venerunt formoſiſſimus*: ſed, vt ille ſubijcit, ἀλαπαδνὸς ἔην, *imbellis erat*, & in cæteris inutilis: cuius ſemel dumtaxat Homerus meminit in nauium catalogo, vt *Nireus formoſiſſimus.* perſpicuè oſtenderet, eam corporis formā ad res excellentes, & quę laude dignæ sūt, minimè idoneam. Sola enim pulchritudo & nitor corporis non ſufficit, nec prodeſt, niſi etiam animi bona accedant, ita vt decoræ corporis diſpoſitioni mores non aduerſentur,

ſentur, ſed omninò etiam animi candor & forma eluceat. Præſtat enim, longeque ſatiùs eſt deformem fœdumque aſpectu, ſed ſapientia & ingenij dotibus præditum eſſe, quàm elegãtem, venuſtum, & habitu corporis excellentem, mente autem, conſilio, & virtutum ornamentis deficere, nec quidquam tantæ membrorum pulchritudinis expectatione dignum præſtare. Eſt itaq; operæ precium, iuxta Socratis præclarum monitum, quemque virtutis & honeſti ſtudioſum τὴν ἑαυτοῦ μορφὴν ἐν κατόπτρῳ θεασάμενον, εἰ μὲν καλὸς εἴη τὴν ὄψιν, ἀσκῆσαι τοιαύτην εἶναι καὶ τὴν ψυχὴν, ἄτοπον ἡγησάμενον ἐν καλῷ σώματι ψυχὴν αἰσχρὰν οἰκεῖν. εἰ δ' αἰσχρὸς αὐτῷ φαίνοιτο τὴν τοῦ σώματος ἰδέαν εἶναι, τοσῷδε μᾶλλον ἐπιμελητῆναι τῆς ψυχῆς id eſt: *ſuam ipſius formam in ſpeculo debere conſpicere, vt ſi forma bona ſibi videatur, exerceat eam vnà cum animo, & faciat quæ forma digna ſunt: vt putet admodum abſurdum eſſe in pulchro corpore animum deformem continere. Quòd ſi deformis ſit in ijs, quæ corporis ſunt, eo magis curandum ſibi nitendumq; vt pulchritudinem animi conſequatur.*

Socratis ſapiens dictum.

Cicero in Oratione, quæ non extat, in Clodium & Curionem: Credo poſtquam tibi ſpeculũ allatum eſt, longè te à pulcris abeſſe ſenſiſti. Iocatur Tullius in Clodij formam, & ad cognomen familiæ Pulchrorum alludit. Eos proditum eſt fuiſſe prudentes, ſobrios, continentes, modeſtos, reiq; publicæ ſuo tempore perſtudioſos, à quibus longè aberat Clodius. Sed quia de forma corporis mentio incidit, huc conferre placet dictum Iuliani Imperatoris, quod vt memorabile laudatur à Marcellino lib. 25. hiſtoriarum: Turpe eſſe ſapienti cum habeat animum, captare laudes ex corpore. Egregiè Seneca epiſt. 66. Errare mihi videtur, qui dixit:

Locus mordax Ciceronis in P. Clodium.

Gratior eſt pulchro veniẽs è corpore virtus.

Non enim vllo honeſtamento eget ipſa, at ſui magnum eſt decus, & corpus ſuum conſecrat. Claranum noſtrum cœpi intueri: formoſus mihi videtur, & tam rectus corpore quàm eſt animo. Poteſt ex caſa vir magnus exire, poteſt ex deformi humiliq; corpuſculo formoſus animus ac magnus. Quoſdam itaq; videtur mihi in hoc natura tales generare, vt approbet virtutem omni loco naſci. Si poſſet per ſe nudos edere animos, feciſſet. Nũc quod amplius eſt, facit: quoſdam enim corporibus impeditos, ſed nihilominus perrumpentes obſtantia. &c. Succurrit Galeni ſeu Menodoti non inuenuſtus πρὸς τέχνας locus, vbi de Nireo, de quo paulò ante. Quid enim gratia formæ, niſi adſit cultus animus? Video ſæpe & rideo ſtultam multorum in cura pulchritudinis vanitatẽ. Hem quot ſuſcipiunt labores? quot delectabilibus abſtinent? quot ſibi inferunt ſupplicia, vt formoſiores non quidem ſint, ſed appareant, vnius formæ ſtudio & valetudinis & voluptatis immemores? Quantum verò tempus inter comendum abſumitur? quot honeſta, quot vtilia, quot interim neceſſaria negliguntur? Sed neſcis, ô Veneris pulle, quid mali alas; habes hoſtẽ tuum domi, & quod peius eſt, blandum ac delectabilem: habes raptorem quietis & temporis, perpetuumque tortorem; habes materiam laboris, vberrimam diſcriminum cauſam, fomenta libidinum, nec minorem quærendi odij quàm amoris aditum. Eſto: fies forſan amabilis mulierculis, ſed odioſus viris, aut certè ſuſpectus. Quid igitur, formoſule, de forma gloriaris, quæ ad breuiſſimum tempus erit? Cadet flaua cæſaries, reliqui capilli albeſcent, tenerarum genarum purpuram pallor fœdabit, ſerenam frontem ſquallentes arabunt rugæ, lætas oculorum acies & lucida ſidera mœſta teget nubes, læue dentium ebur ac candidum ſcaber ſitus obducet atque atteret, recta ceruix atque agiles humeri curueſcent, guttur planum criſpabitur, aridas manus & recuruos pedes ſuſpicaberis tuos non fuiſſe. Quid multa? veniet dies quo te in ſpeculo nõ agnoſcas. Veris igitur & permanſuris bonis delectari conuenit, non falſis ac labentibus. Eſt enim & ſua animo pulchritudo multò ſuauior certiorq; quàm corporis, & ipſa quoq; ſuis legibus, decore, ordine, ac apta ſuarum partium diſpoſitione ſubſiſtens: illam optare, illi operam impendere dignum erit, quam nec dies longa deteret, nec morbus extinguet, nec ipſa mors. Cæterum (vt ad caput noſtrum reuertamur) Philoſophi permulti animæ ſedem in cerebro, tamquam in arce ſumma poſuere: vnde vecordes & inſipidi vulgò dicuntur cerebro vacui. Iuuenal. Satyr. 14.

In cõptulos, et forma ſtudioſos.

Sedes animæ cerebrum.

Cùm facias peiora ſenex, vacuumq; cerebro

Iampridem caput hoc ventoſa cucurbita quærat?
Quò ſpectat illud Cleanthis: ἀπαιδεύτους μόνῃ τῇ μορφῇ θηρίων διαφέρειν. Vide prouerbium, *Caput vacuum cerebro*. dum nos arietem inducimus.

Diues indoctus.

EMBLEMA CLXXXX.



TRANAT aquas reſidens pretioſo in vellere Phryxus,
Et flauam impauidus per mare ſcandit ouem.
Ecquid id eſt? Vir ſenſu hebeti, ſed diuite gaza,
Coniugis, aut ſerui quem regit arbitrium.

COMMENTARII.

I. IVVENIS inequitãs arieti aureo vellere tecti, magna ſpe & hilari vultu vaſtum mare traijcit.

II. *Vnde petitũ Emblema.* FONTEM Emblematis ex Galeno ſumo, in ſuaſoria ad artes oratione, quam in principio ſuorum Operum poſuit. Ibi enim Diogenis apophthegma citat, qui dicebat, indoctum diuitem eſſe arietem in aureo vellere. Verba ipſa Galeni quia ſupra Emblemate 73. poſuimus, hic non repetimus, eò lectorem amandantes. Phryxi autem fabula ſic habet. Athamas Æoli filius, Thebanorum Rex, ex Nephele vxore, vel vt Pindarus in Hymnis prodidit, ex Demotice, vel vt Hippiæ placuit, ex Gorgopide, vel vt ait Pherecydes Syrus, *Fabula Phryxi.*

ex

ex Themiſto duos ſuſcepit liberos, Phryxum ſcilicet & Hellen. Dimiſſa autem, quæcunq; ex his fuerit, priore vxore, lege repudij, ſiue vt Apollonij ſcholiaſtes vult, defuncta, alteram, cui nomen Ἰνώ, duxit Cadmi filiam, quæ ininſtarum nouercarũ more priuignos odio proſequens Aeolicis fœminis perſuaſit, (vt etiam teſtatur Nonnus in 1. Dionyſiacῶn) vti frugũ ſemina, priuſquam terræ mandarentur, inſcijs viris torrerent. Quare cùm terra redderetur infœcunda, fameq; tota ea opprimeretur regio, legatisque ad Apollinis oraculum decretis, vt duriſſimi anni eius temporis cauſam inquirerēt, eos Ino corrupit munèribus, monuitq; vt cũ reuerſi fuerint, Apollinis nomine Phryxum & Hellen in victimas flagitarent. Horum mendacijs fidem habens Athamas, vtrumque arę, vt tanquam victima mactarētur, impoſuit. Sed Nephele mater eos rapuit, & auream ouem à Mercurio captam illis dedit, qua per aëra auecti fuerunt. Cùm verò ad id freti perueniſſent, quod eſt inter Sigæum & Cherſoneſum, Helle maris vaſtitate perterrita in mare decidit, quod ab ea poſtea dictum fuit Helleſpontus, vel Athamantidis, vt ait Aeſchylus in Perſeis, Apollodorus in 1. Bibliothec. Lucianus in dialogis mortuorum. Aſtipulatur Ouidius his verbis in epiſtola Leandri, vbi etiam fabulam attingit:

Helleſpōtus ab Helle dictus.

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixq; manet portu tuta carina ſuo.
Hoc mare, cum primùm de virgine nomina merſa
Quæ tenet, eſt nactum, tale fuiſſe puto.
Eſt ſatis amiſſa locus hic infamis ab Helle,
Vtq; mihi parcat, crimine nomē habet.
Inuidea Phryxo, quem per freta triſtia tutũ
Aurea lanigero vellere vexit ouis.

Phryxus amiſſa ſorore incolumis in Colchidem peruenit, ibiq; Ioui Phryxio cognomine, arietem immolauit, pellemq; illius in luco Martis in eius honorem ſuſpendit; quam poſtea à dracone ſeruari ſolitam fabulati ſunt. Valer. Flaccus in Argonaut. Manilius libro 4. Aſtron.

——teſtis tibi laniger ipſe,
Cum vitreum findēs aurato vellere Pontũ,
Orbatumq; ſua Phryxum per fata ſorore
Phaſidos ad ripas & Colchida regna reuexit.

Fabulam de Phryxo, deque Helle copioſe narrat Iſacius Tzetzes in Lycophronem, & paſſim auctores. Vide Natal. Comitem Mytholog. lib. 6. cap. 9. Ouid. 3. Faſtor. in fine. Pontanum in Vrania, cùm loquitur de Ariete: & Hyginum de Ariete. Idem narrat pulcherrimis carminibus Hiſpanis Ioannes Mallara Hiſpalenſis in ſuo Hercule, cantu 4. Phryxi quoq; meminit Annal. 6. Tacitus: Parthi ferunt ſe Theſſalis ortos, qua tempeſtate Iaſon poſt auectam Medeam, genitoſq; ex ea liberos inanem mox regiam Aeetæ, vacuoſque Colchos repetunt. Multaq; de nomine eius, & oraculum Phryxi celebrant. Nec quiſquam ariete ſacrificauerit, credito veniſſe Phryxum: ſiue id animal, ſeu nauis inſigne fuit. Sic ille. Etenim aliqui arbitrati ſunt nauē fuiſſe, quæ pictum in prora arietem haberet, qua Phryxus & Helle per mare vecti ſunt: verum cum Helle è prora in mare deſpiceret, in mare decidiſſe ac perijſſe, vt ſcripſit Hellanicus. Palæphatus affirmat, Arietem vocatum nutritorem, cuius opera & conſilio ſint liberati. Alij aliter interpretantur, vt videre eſt apud Nat. Comitem, & nos etiam aliquid afferemus.

Taciti locus de Phryxo.

PRECIOSO in vellere] De vellere aureo Ouidius 7. Metamorph. Iuſtinus in Trogum lib. 42. III.

Et flauam ouem] id eſt, auream Obſeruandum eſt, quam varijs nominibus aureum vellus poetæ nominauerint. Euripides, πάγχρυσον δέρας. Orpheus & Apollonius δέρας, & κῶας χρύσειον. Pindarus, χρύσεον νάκος κριοῦ. δέρμα κριοῦ βαθύμαλλον. κῶας αἰγλᾶεν χρυσέῳ θυσάνῳ. & δέρμα λαμπρὸν. Poeta quidã apud Ciceronem, Auratum arietem Colchorum. Catullus, auratam pellem. Ennius, inauratam pellem arietis. Ouidius, Phryxeam ouem, Phryxea vellera, Ouem fuluo vellere conſpicuam, Vellera nitido villo radiantia, Aries aureo villo ſpectabilis. Val. Flaccus, Pecoris Nephelei vellera. Phryxeam pecudem, pellem rutilam, pellem ſidereis villis comantem, vellera radiantia. Sic noſter Alciatus hic, Pretioſa vellera, & flauã ouem vocat.

Varia nomina velleris aurei.

Impauidus per mare ſcandit] non horret marinos fluctus & turbines, quanquã horrificos.

Vir ſenſu hebeti] imperitus, ſtolidus, qualis eſt ouis, animal inſipiens & ſtultũ.

vt dicemus. Vnde illud προβατίυ βίον ζῆν. & προβάτων ἦθος. Pierius lib. 10. Hieroglyph.

Gaza. *Diuite gazæ*] opulentus, locuples. Gaza, dictio eſt Perſica, ſignificans opes, ſuppellectilem, & generaliter quidquid poſſidemus, vt ait Seruius in 1. Æneid. Põp. Mela: Gaza, inquit, Perſæ ærarium vocãt. Curtius lib. 3. circa finem: Pecuniam regiam (gazam Perſæ vocant) cum precioſiſſimis rerum efferri iubet.

Vxor ſub ſit non imperet. *Coniugi aut ſerui quem regit arbitriũ.*] Is aptè dicitur à Græcis γυναικοκρατέμενος, ἢ δελοκρατέμενος. Philæmon Comicus rectiſſimè ſcripſit, vxoris probę partes eſſe, vt ſe non ſuperiorem marito putet, ſed dicto audientem: adiungit enim, magnum eſſe malum ſi mulier viro dominetur, eumq; ſuperet: Ita ille:

Ἀγαθῆς γυναικός ἐςιν, ὦ Νικοςράτη,
Μὴ κρείττον' εἶναι τἀνδρὸς, ἀλλ' ὑπήκοον:
Γυνὴ δὲ νικῶσ' ἄνδρα κακὸν ἐςιν μέγα.

id eſt:

Proba vxor, ò Nicoſtrata, marito ſuo
Non debet eſſe ſuperior, ſed obſequens.
Nam graue malum vxor eſt ſuperans virum ſuum.

Huc ſpectant verſus iſti Euripidis in Andromache:

οἰκία δ' ἐν ᾗ πάντα πρωτεύει γυνὴ
ὐκ ἔςιν ἥτις πώποτ' ὐκ ἀπώλετο.

Haud vna ſalua manſit vnquã familia,
Partes priores vxor in qua geſſerit.

Memoratur & hoc recẽtiorum cuiuſdam dictum in eandem ſententiam, iocoſam allegoriam habens: Nõ placet mihi domus, in qua gallina cantat, gallus tacet. Galli dicunt: *Tout ſe porte mal, ou la femme parle plus haut que le mari.*

IV. Aries in aureo vellere. ARIETE aurei velleris hic notantur potiſſimùm locupletes illi, qui cùm ſint hebeti & obtuſo prorſus ingenio, ducuntur trahunturque pro vxorum arbitrio, vt eorum negotia è famulorum ductu regulaque pendeant: nec ſecus ac infantes anniculi è nutricis amplexu, illi quid loquantur, quidq; ſtatuant, non habent, quòd illos animus & rationis copia deficiat. In quos hoc Palladæ torqueri ſolet:

Πλῦτον μὲν πλυτοῦντος ἔχειν, ψυχὴν δὲ πένητος,
Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλύσιε, σοὶ δὲ πένης.

Diuitias locupletis habes, animum ſed egeni;
O ſucceſſori diues, egene tibi.

Serui homines ob imperitiam. Xenophontis locus 4. Comment. ſatis eſſe poteſt ad id Emblema illuſtrandum: nempe ὅτι ἄνθρωποι δῦλοι δι' ἄγνοιαν, κἂν πλύσιοι. quæ Socratis diſputatio eſt cum Euthydemo. Ea enim miſera cenſenda eſt ſeruitus, quæ non à fortuna, ſed ab animi imperitia naſcitur, quæ in ſumma etiam copia non poteſt non eſſe alijs mancipata. Non dedecet aliquando rebus ſerijs iocos immiſcere non inurbanos. Sic ludunt quidam in famulorum conditionibus:

Miles habet ſeruum monachus, clerusque ſodalem:
Plerumq; & ſociũ ſtultus, vterq; tenet.

Nempe qui ſeruit militi, verè non ſimulatè obſequitur: at clerici & monachi ſæpe pro ſeruis dominos ferunt, & ad eorum mores ſeſe nimis aliquando ſupinè accommodant. Ferunt ergo pudendam δυλοκρατίαν, digni ſeruire magis, cùm nulla turpior ſeruitus quàm voluntaria. Nec deſunt de muliebri imperio vulgò trita dicteria, veluti;

Hunc fatuum fateor, quem calceus vrget & vxor.

Et illud:

Fœmina quem ſuperat, nunquam viuit ſine pœna,
Libertate caret dura conſtrictus habena.

Cum Diogenis apophthegmate, de quo ante, conſentit illud Caij Cæſaris, quod à Corn. Tacito memoratur lib. 13. Annal. Iulium Silanum auream pecudem appellabat C. Cæſar ob ſegnitiem, vel vecordiã potiùs. Aries ſimpliciſſima & ſtolidiſſima eſt pecus, bono tamen corporis habitu, & conferto lanæ mollis tegumento: aurum diuitias, puer aut ſeruitutem, aut iuuenilẽ ætatem ſignificat. Quare Phryxus aurei velleris ariete Pontũ tranſuectus, aut vxor eſt, aut ſeruus, aut puſio virum aut dominum, diuitem quidem, ſed ſtolidum, ſuo arbitrio quocũq; velit transferans. Certè ouis in Hieroglyphicis tum felicitatem, tum ſtulticiam arguit. Felicitatem quidẽ ex oue portendi olim Hetruſca diſciplina docuit. Virgilius felicitatem aurei ſæculi ſub Auguſto reuiuiſcentis attingens: — Iulius Silanus aurea pecus. Oues felicitatis hieroglyphicum.

Ipſe ſed in pratis aries iam ſuaue rubenti
Murice, iam croceo mutabit vellera ſucco.

Sed felicia illa portendi ex euentis comprobatum, tunc præcipuè cũ agnus natus eſſet vellere in fronte purpureo in villa

Anto-

Antonini cuiuſdam plebeij viri, eo die atque hora, qua Geta, Antoninus inde nuncupatus, Mediolani natus eſt. Verùm is, in cuius ædibus agnus editus fuerat, cum imperium Antonino ex hoc portendi audiuiſſet ab aruſpice, de ſe dictum putans, ne fatum propalaretur, agnum ſtatim occidit; quod omen fuit Getam, qui & Antoninus vocabatur, ab Antonino fratre necandum eſſe, vt ſubſecutū eſt; quod apud Ælium Spartianum, & alios habetur. Eædem oues Diadumeno imperium portendere, cum in agris patris oues purpureæ duodecim natæ eſſent, quarum vna tantum varia fuit. Quod verò ad ſtultitiam attinet, notum eſt vulgo, ouium cognomento inſipientes appellari. Et Accius in Somnijs poſuit ouilem fœtum in Tarquinium Superbum concitatum, tanto impetu irruentem, vt regem ſolo proſterneret: quod Brutum indicabat, quē Rex ille hebetem, & quaſi pecudem exiſtimabat. Fabius etiam Maximus, cùm prima ætate communi hominum iudicio putaretur hebetior, Ouiculæ cognomine appellatus eſt. Vide adagium, *Ouium mores*. & Ariſtotelem lib. 9 de nat. animal. Socrates etiam diuites indoctos vocabat aurea mancipia; & equos argento circumtectos. Sed redeamus ad aureum noſtrum vellus. Non obſcurum eſt, veteres ea dixiſſe aurea, quæ magnum ſuppeditarent emolumentum & reditum, ſiue agri bonitate, ſiue pecore aut lanificio. Hinc Martialis de Beti fluuio:

Item ſtultitia.

Aurea, quæ lucroſa.

Betis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Quocirca factum eſt, vt pecudes ipſæ aureas pelles habuiſſe ferantur: qualis fuit Argis Atrei, quam ſibi Thyeſten ſubduxiſſe conqueritur. Sic in Colchide Aæta Rex, ad cuius arietis pellem Iaſon profectus eſt & ſocij Argonautæ, regij ſanguinis & animi, qui regionem gregibus & opibus nobilem inuaſerunt, ſi Varroni credimus lib. 2. de re ruſt. c. 1. quem laudat & ſequitur Forcatulus lib. 1. de Imp. & Philoſ. Gall. à quibus etiã ſtare videtur Cœl. Rhodigin. lib. 25. cap. 1. Oues ſanè tanto in honore habuerunt veteres, vt ex iis ſolummodo opes fieri exiſtimarint; & pecuniam atq; peculium omne à pecudibus & gregum numero olim cenſuerint. Ea de cauſa Maronianus Corydon diuitias ſuas oſtentaturus, dicit:

Diuitiæ olim in pecore.

Mille meæ Siculis errãt in montibus agnæ.

Similiter cùm Hercules ex Aphricana victoria nihil præter oues abegiſſet, aurea mala ſecum aſportaſſe fabuloſè dictus eſt: μῆλον enim & ouē & pomum ſignificat. Sed vellus aureum alij malunt intelligi magnam auri vim, quæ apud Colchos eſſet, à principibus quibuſdam viris congeſtam. At verò Colchica regio propter vicinitatem Caucaſi montis, auro abundabat, vel teſte Strabone, qui ſcribit multos fontes ex Caucaſo manare, ſcaturientes arena aurea, tam tenui, vt oculorum aciem effugiat, eamq; colligi ab incolis, pellibus quibuſdam lanoſis in aquam iniectis. Hinc enim ſuſpicari poſſumus locum eſſe fabulæ datum: pelles enim, ſubſidente in ijs arena, ſpeciem aurei velleris præ ſe ferunt. Locum Strabonis ex 10. lib. huc trãsferre non pigeat. παρὰ τούτοις δὲ λέγεται καὶ χρυσὸν καταφέρειν τοὺς χειμάρρους, ὑποδέχεσθαι δ' αὐτὸν τοὺς βαρβάρους φάτναις κατατετρημέναις, καὶ μαλλωταῖς δοραῖς ἀφ' οὗ μεμυθεῦσθαι καὶ τὸ χρυσόμαλλον δέρας. Meminit Corn. Tacit. 6. Annalium. Sed dum alios pleroſq; auctores voluo, occurrit id quod de aureo vellere plurimi referunt, ex Suida potiſſimū, explicantque de arte, quam χημείαν Græci appellant. Etenim inueniuntur auctores non pauci, qui aurei velleris pellem interpretentur fuiſſe librum quēdam veterum more in pelle conſcriptum, in quo auri conficiendi ſcientia traderetur: cuiuſmodi libros cùm Diocletianus ſumma diligentia perquiſiuiſſet apud Aegyptios (qui huius peritiſſimi cenſebantur) omnes flamma conſumpſiſſe fertur, ne diuitijs ita comparatis Aegyptij Romanis inferre bellum auderent: atque ex eo tempore artem hanc publico Cæſaris edicto ſemper habitam fuiſſe flagitioſam. Sed quia de Chymia ſiue Alchymia incidit mentio, æquus lector non ægrè ferret, ſi de eius certitudine & difficultate ea, quæ partim ex probatiſſimorum auctorum lectione, partim etiam virorum doctorum commerſatione, & colloquio hauſi, hic loci vel hiſtoricè ſaltem paulò prolixiùs exponam, interim haud inuitè permittens, vt ſuo quiſque abundet ſenſu, & de his pro arbitrio ſtatuat. In primis in confeſſo eſt, artem tranſmutandi metalla in aurum & argentum eſſe veru-

Aurea mala.

Aureum vellus.

Chymia per vellus aureum notata.

Alchymia veritas.

vetuſtiſſimam, quam omnes vendicant cuidam Hermeti Aegyptio, ſeu Mercurio Triſmegiſto. *Hermes Triſmegiſtus.* Is enim fuit, qui poſt diluuium omnium artium & diſciplinarum tam liberalium quàm mechanicarum primus fuit inuentor & editor; qui Moſi coætaneus creditur. Moſis autem natiuitas cadit in annum M. 2373. qui eſt antè natum Saluatorem noſtrum 1598. Argonautarum expeditio circiter annum M. 2740. ante natum Chriſtum 1231. vt ſupputat Abrahamus Bucholz. in Indice Chronico. Diocletianus verò Imperator floruit circiter annum 284 poſt Chriſtum natũ. Vltra ergo mille octingentos annos viguiſſe hanc artem in Aegypto ante Diocletianam librorum chymicorum deuaſtationem, de qua Suidas, rectè poteſt colligi. Ab Hermete Chymia quaſi per manus tradita eſt & propagata, non ad Græcos, non Latinos, ſed Arabes. Quid multis? Sat antiqua eſt, ſi ſat vera. *Alchymiæ veritas.* Verùm de huius artis veritate diſputanti non poſſunt firmiora argumenta eſſe, quàm quæ à ſenſu ſeu experientia, & ratione ducuntur: inde enim alia omnia robur capiunt, quæ in vtramq; partem diſceptantur, non tam in hoc, quàm omni alio negocio. Qui veritati ſe oppoſuerunt, vt Agricola, Cardanus, Scaliger, Carrerius, Fenottus, Eraſtus, Aubertus, Seidelius, & nuperrimè Moreſinus Scotus (prætereundas enim cenſeo quotlibetarias infinitorum ſcholaſticorũ, & huius fæcis quæſtiones) cùm aut negare debuiſſent experientiam & ſenſum: aut, vt ait Libauius in Syntaxi metall. Theſ. 40. & 43. modum, quem poſuere artifices; in genere per rationes Logicas, hoc eſt, ex mera phantaſia deſumptas, aggreſſi ſunt oſtendere, non poſſe fieri artificiale metallum. Quantò rectiùs illi, cùm omnes ſint Peripatetici, audiſſent ſuum magiſtrum & principem Ariſtotelem præclarè monentem, in ijs, quæ ſenſilia ſunt, non rationem, ſed ſenſum, iudicem omni exceptione maiorem, eſſe conſulendum? Qui etiam, quando diſputat contra eos, qui omnia dicebant moueri, 8. Phyſ. t 22. neglecto ſenſu rationem quærere, imbecillitatem mentis meritò cenſet: & abſurdum, præter rem imaginationi ſeu rationi credere. 3. Phyſ. t. 37. *Experientia oſtenditur, aurum fieri poſſe.* Senſu enim & experientia multiplici, & teſtimonio indubitato conſtat, & factum eſſe aurum (nam de hoc potiſſimùm lis eſt) & factum eſſe ea arte, quam norunt veri artifices, profitentur ſophiſtæ fraude multiplici. Ioannes Andreæ, celebris Iuris Pontificij interpres, ſcribit, Arnaldum de Villa noua in Curia Romana, præſentibus multis Cardinalibus æs in virgulas auri commutaſſe, mox diſcedentem permiſiſſe, vt omni probationi ſubijceretur. Refert Pancirollus Rer. memorab. lib. 2. tit. de Alchymia. Cornelius Agrippa lib. 1. de occulta Philoſ. c. 14. affirmat, ſpiritu auri, aut potiùs eiuſdem forma & parte puriore, imperfecta metalla & argentum viuum in argentum verti poſſe, ſeq; id vidiſſe & nouiſſe. Ioan. Franciſcus Picus lib. 3. cap. 2. de Auro, plurimas accumulat experientias, quas breuitatis cauſa omitto. Multæ etiam leguntur apud Hieron. Rubeum lib. de deſtillat. ſect. 4. cap. 1. & 2. Libauium lib. 2. Alchym. tract. 1. cap. 19. Gebrum, Hermetem, Comitem Bernhardum, & alios, in primis apud Robertum Vallenſem, qui ex profeſſo ſcripſit de artis huius certitudine & antiquitate. Fernelius quoq; *lib. 2.* de abdit. rerum cauſ. cap. 18. de veritate & ratione artis atteſtatur. Recentiſſima exempla ſi deſideras, pete ex Evvaldi de Hoghelande hiſtorijs Coloniæ excuſis; Anno 1604. Quid? quòd ego ipſe hiſce oculis vidi, hiſce manibus contrectaui maſſam auri à quodam mihi ſatis noto, & familiari confectam, & in Archiducali Academia Friburgi Briſgoiæ publicæ diſputationi, quæ fieri id poſſe negabat, illatam & oſtenſam. *αὐτοψία.* Adeo etiam clara veritatis huius lux eſt, vt ex ipſis aduerſarijs aliqui eam non diffiteantur. Narrat Cardanus lib. 6. de Subtilit. coram Principe & Senatu vrbis Venetæ argentum viuum in aurum fuiſſe conuerſum à pharmacopola Taruiſino. Et cur tot præſtantes viri diuerſarum gentium, tot tamq; præclara de hac arte edidiſſent volumina? an in nugis ſuæ famæ & gloriæ præſidium apud poſteros quærebant? *Chymicæ artis ſcriptores.* Sunt Aegyptij, ſunt Arabes, ſunt Chaldæi, Germani, Hiſpani, Angli, quos quis enumeret? Multos Hermolaus Barbarus, vir dignitate generis & gradus, & omni doctrinarum genere ornatus, nominatim protulit: ego plures proferam, ſed tantùm inſigniores; delectũ enim ſeruabo. Itaq; χυμευτικὰ ſcripſit Oſthanes, Hermes, Chanes, Roſinus Alexandrinus

nus ad ſororem Theoſebiam, Olympiadorus Alexandrinus, Agathodæmon, Democritus, Orus, Chryſorichius, Pebichius, Comerius, Apuleius, Petaſius, Pelagius, Africanus, Theophilus, Syneſius, Stephanus ad Heraclium Cæſarem, Heliodorus ad Theodoſium, Geberus, Callides Rachaidibus, Veradianus, Rhodianus, Canides, Merlinus, Lullius, Arnoldus Villanouanus, Auguſtinus Panthes Venetus; fœminæ tres, Cleopatra, Virgo Taphûtia, Maria Iudæa. Quibus ſi annumerarem recentiores, Deum immortalem, quantus eſſet teſtium numerus? Laurentius Ventura libro de Arte chymica, gloriatur ſe 250. volumina in nobilem Bibliothecam Comitis Palatini intuliſſe, & præter illa quinquaginta adhuc alia habere. In iudiciis, vbi de cenſu, capite, fama agitur, duobus aut tribus teſtibus tam lege diuina, quàm ciuili credendum eſt: & ita difficiles ſumus erga viros tot doctiſſimos & integerrimos, quorum ſcripta proſtant, propter paucorum ratiunculas, quibus toties reſponſum eſt?

Chymicæ artis defenſores contra aliorum ratiunculas.

Vniuersè quidem à Gebro, Ventura, Petro Bono Ferrarienſi. Nominatim verò Quercetanus eruditiſſimè reſpõdet Auberto; Eraſto Muſettus, Seuerinus, Rubeus, Penotus; & Gaſto Claueus ſubpræſes Niuernenſis, in libello, qui inſcribitur, Apologia Chryſopœiæ & Argyropœiæ. Omnibus Libauius in Syntaxi ſua metallica altera, Alexandro quidem Carrerio Patauino Theſi 46. Eraſto Theſi 93. Fenotto Theſi 98. Scaligero Theſi 106. Auberto cum Fenotto Theſi 107. Moguntinis Baccalaureis Theſi 116. Cardano Theſi 119. Solus reſtat Thomas Moreſinus Scotus, qui nuper auſus eſt reſumere cauſam Auberti contra Quercetanum: ſed qui & hũc compeſcat, forſan in mundo erit. Hæc quoad certitudinem.

Alchymiæ difficultates.

Difficultas verò artis huius eſt maxima; eſt enim lapis Philoſophorum, non cerdonum aut ruſticorum. Præclarè Rogerius Baccho: In quibus Deus magnam virtutẽ poſuit, in iiſdem etiam magnam difficultatem collocauit. Difficultates iſtas ſingulari libro expoſuit Theobaldus Hoghelande, quem antè citaui. Sunt autem hæ tum in diſcendo, tum in exercendo. In diſcẽdo aliæ à diſcente, aliæ à docentibus libris.

In diſcente.

Diſcens à Deo hoc donum petendo impetret oportet, & vt poſſit, ipſe ſeſe præbeat timentem Dei, à peccatis abhorreat, humilis ſit, prudens, doctus, Latini ſermonis peritus, Philoſophus, naturæ principia ſciens, laborioſus & induſtrius, conſtans, non iracundus, patiens, liber, vacuus à curis, ſecreti tenax, abſtinens à Sophiſtis, non prodigus, non auarus, cautus in declinandis diaboli illuſionibus, ſufficienter locuples, librorum copiam habens, ſtudioſus, faciat experimentum, ſanus, hoc eſt, corporis, animi & fortunæ bonis inſtructus, quos rariſſimos ait eſſe Pancirollus.

In libris docentibus.

At maior difficultas eſt quę ſequitur, propter libros, ex quibus petenda ars, intellectu difficiles: vel enim ars in iis diſperſa eſt, vel inuoluta ænigmatis, allegoriis, & ſimilitudinibus, tum ab elementatis, homine, animalibus, eorumq; partibus vegetabilibus, figuris, metallis; tum ab elementis, diſſimilitudinibus, æquiuocationibus, contradictionibus, nominibus inuſitatis, characteribus, literarum tranſpoſitionibus, prauis tranſcriptionibus, ſtyli varietate, impoſſibilibus.

In exercitatione.

Tertio denique eſt difficultas, quæ oritur in exercitatione, tum ex parte materiæ, quæ vt fundamentum operis aſſumenda; tum ex parte regiminis, quibus inſtrumentis tractanda. Vbiq; incredibilis obſcuritas & perplexitas. Hæc, hæc illa, non autem (vt putatur) artis incertitudo cauſa eſt, quod adeo multi, & tãtùm non omnes, qui huic arti indulgent nimium, non ſolùm oleum & operam, ſed & diuitias, imò valetudinem & famam perdant, vt meritò dicere poſſimus, Chryſopœiam eſſe caſtam meretricem, quę multos inuitat, & ferè neminem admittit. Hæ difficultates ſunt acquiſitionis & incommoda: at longè difficilior eſt adeptæ fortè poſſeſſio, nunquam certè tuta profeſſio. Præſtò enim ab aliis ſunt inſidiæ, & mille pericula: ſiquidem difficile cuſtoditur quod placet multis, quid, quod omnibus? Cum igitur toties, & tam anxiè à tã multis ingens illud bonum, quod ars iſta pollicetur, fuerit indagatum, at rariſſimè à quàm pauciſſimis inuentum, adeo vt non deſint, qui Chymiſtas ſubiiciendos eſſe exiſtiment acerbæ illi Agenoris Sidoniorum Regis legi, qualem filio Cadmo præſcripſerat, ne niſi inuenta ſorore vnquam rediret; itaq; aut inueniendam, aut pereundum eſſe: hinc factum eſt, vt non pauci hanc artem procaci linguæ petulan-

Agenoris lex.

tia

Contra Chymicos.

tia proſciderint. Iul. Cæſar Scaliger affirmare non dubitauit, Exercitat. 23. ſe Chymiſtas odio odiſſe plusquam Vatiniano: Sunt enim, inquit, noctuæ ad aucupia crumenarum, à quibus aurum, quod poſtea alijs pollicentur, ſibi captent prius. Alius Alchymiam ſophiſticam quandam impoſtutam nominabat: alius dæmonis præſtigias; Petrarcha mentiendi & fallendi artẽ, ex qua nulli alij ſucceſſus ſperandi ſint, præter fumum, cinerem, ſudorem, ſuſpiria, verba, dolos, ignominiam; quibus inopem nunquam ad diuitias euectum, at multos à diuitijs ad inopiam redactos ſæpe vidimus. Notatumq; eſt, aliquos cæteroquin prudentes, hac inſania laborare; quoſdam opulentiſſimos hac vanitate conſumptos, dumque opulentiores fieri ſtudent, & fœdo quæſtui inhiant, bene parta prodigere, cenſuq; omni diu ſuperuacuis effuſo, tandem neceſſariis etiam fuiſſe deſtitutos: nõnullos deniq; amiſſis primùm animi luminibus, in hoc exercitio corporeos inſuper oculos amiſiſſe. Magna quidem promittunt Alchymiſtæ, ſed ea ſibi præſtare debebant, quæ promittunt aliis, primùmq; ſuam pellere inopiam. Eſt enim ferè mendicum genus hominum; cumq; ſe pauperes fateantur, ditare alios volunt, quaſi aliena illis quàm propria moleſtior ſit paupertas. Aduerſus has fuliginoſas Chymicorum fallacias extant Natalis Comitis verſus non ineruditi, lib. 2. Mytholog. cap. 6. ſed optimè apud dictum Hoghelande in principio ſui libri, quem vide: nos plus æquo prolixi fuimus, aureus enim iſte aries nos vltra Colchidẽ non inuitos tranſuexit; nam vbi rem poſſidere non datur, etiam verba profundere parui eſt.

In fidem vxoriam.

EMBLEMA CXCI.



ECCE puella, viro quæ dextra iungitur: ecce
Vt ſedet, vt catulus luſitat ante pedes.
Hæc fidei eſt ſpecies: Veneris quam ſi educat ardor,
Malorum in læua non malè ramus erit.
Poma etenim Veneris ſunt. Sic Scheneida vicit
Hippomenes, petyt ſic Galatea virum.

COMMENTARII.

I. PVELLA blanda viro aſſidet, eique dextera iungitur, ante cuius pedes canicula luſitat; pomus autem, quam à læua requirit Emblema, hic deſideratur.

II. *Argumentum Emblematis.* AD fidem vxoriam quatuor hic ſpectanda proponuntur, dextrarum coniunctio, ſeſſio, canis ſymbolum, pomi inſitio ſeu donarium. Dextra pro nota fidei, vti iam ſupra monuimus Emblemate 39. Puella viro aſſidet, quod ad conſtantiam in amore refertur; ſedes enim notam habet ſtabilitatis. Canis animal hero fidum, fidei aliam rationem habet. Malus arbor Veneri ſacra, vt patet ex poetarum ſcriptis. Egregium eſt Emblema, nullum verbum otioſum habens, ſed omnia ſenſu tincta.

III. *Puella.* *ECCE puella*] vxor marito dextram iungens. Nam puellæ appellantur etiam eæ, quæ matrimonio iunctæ, vel vterum ferunt, vel etiam pepererunt. Horat. 2. Car. 22.

laborantes vtero puellæ.

Sic Penelope apud Ouid. ſe puellam vocat, cum Vlyſſi iam olim Telemachum peperiſſet. Faſt. 2.

——*iubet viduas ceſſare puellas.*

Id eſt, à maritorum complexibus abſtinere. Sic & Scæuola IC. puellam vocat, quæ erat vidua, & poſt alteri nupta. Gellius lib. 12. c. 1. puellam bis vocat puerperam.

Vir. *Viro*] Vir plura ſignificat: nam reſpectu ſexus marem ſignificat, Plin. lib. 10. c. 63. viros auidiores Veneris hyeme, fœminas æſtate, Heſiodus prodidit. Reſpectu ætatis ſignificat eum, qui iuuentutem exceſſit. Dicitur præterea vir, homo fortis excellenti & præſenti animo. Curt. Exurgite aliquando, ſi viri eſtis, atque arma capeſſite. Sumitur deinde vir, pro marito, vti hoc loco, & apud Ouid. 1 Metamor.

Imminet exitio vir coniugis, illa mariti.

Et apud Plautum conqueritur de mariti importunitate Alcmena:

dedecoris à viro argutam meo.

Ponitur & pro capite & præfecto, Virg.

Vir gregis ipſe caper.

Interdum accipitur vir pro membro virili, vt videre eſt apud Plautum in Aſin.

——*domi ſerui qui ſunt caſtrabo viros.*

& apud Catull.

Itaq; vt relicta ſenſit ſibi mẽbra ſine viro.

Dextra iungitur] Dextera fidei eſt ſymbolum, vt dictum alibi. Cicero 2. Philipp. dexteram fidei teſtem vocat.

Vt ſedet] ſtabilitatis nota, ne leuitatis appareat indicium, ſedent enim quieti & graues. Vide Emblem. 145.

Catulus] canis, catellus. Quamuis catulus pro omni animalium fœtu ſumatur, exceptis auibus, hoc tamen loco pro cane ſumitur, qui etiam fidei notam præſefert; nam quàm fidum hoc ſuo hero animal ſit, vſq; adeo etiam, vt ei ſæpe auxilium præſtitiſſe, à latronibus defendiſſe, atq; aduerſus eiuſdem inimicos pugnaſſe, inter alios illuſtres viros, quorum hæc teſtimoniis confirmantur, plurima exempla recenſet Plinius lib. 8. c. 40. citat etiam nonnulla Plutarchus in libello de Induſtria animal. Hinc ſibi proprium habet epitheton, fidelis. Horat. lib. 1. car. *Catulus.*

Ceu viſa eſt catulus ceruæ fidelibus.

Hinc eſt quod Socrates per canem iurat, cùm obſequium & fidem putat præſtandam iis, qui rerum habenas in ciuitatibus tenent. Et in C. Mamilii numo, qui aliquando SC. præfectus eſt limitibus metandis, eſt canis allatrans, qui notat fidem eſſe præſtandam ei, qui eiuſmodi operæ præficitur. Pierius in Cane, lib. 5. Non omittendum quod Michael Voſmerus de fidelitate, & ſi liceret dicere pietate, canum refert. Mirum, inquit, quod de canibus venaticis tradunt annales, qui dum caperetur herus (is fuit Florentius V. Hollandiæ & Selandiæ Comes, qui inter venandum plus viginti vulneribus confoſſus fuit) teſtes ipſi aderant, captum comitabantur *De canum fidelitate hiſtoria.*

bantur

bantur in arcem Mudam, anectum inde, atq; in fuga à proditoribus ſeu coniuratis trucidatum mœſti cuſtodiebant. Demum amicis corpus vrgentibus, vt Alcmariam deferrent, in eandem nauem canes cõſcendebant, ab omni cibo & potu mordicus alieni. Funus in templum elatum proni venerabantur, ibiq; aſſiduo deſiderio ſui domini, donec vi abſtraherentur, ægrè vitam ſuſtinebant. Simile exemplum Corſici canis venatici erga dominum ſuum, recenſet Cæſar Scaliger Exercit. 202. in Card. vbi addit: Huic equidem cani Mauſoleũ cum elogio libentiùs condiderim, quam Sultano Solymano. Altera quoq; hiſtoria, quam de cane Gallico ibidem refert, non minus notabilis quam elegans eſt. De canum porrò fidelitate & ſagacitate vide omnino Oper. ſuccifiu. Camerarii cap. 24. Pierium loco citato; habet etiam hac de re elegantiſſimum epigramma Iacobus Micyllus, quod ita incipit:

Inter quadrupedes canis fidelis,
Inter quadrupedes canis voluptas,
Inter quadrupedes canis patronum
Cognoſcit, veneratur & tuetur. &c.

Fidei eſt ſpecies] fidelitatis expreſſa imago.

Veneris quam ſi educat ardor] quam fidem ſi mutua coniugis vtriuſque copula

Ardor.

confirmet. Ardor ſumitur ſæpe pro amore vehementi & deſiderio; ſicut & ipſum verbum Ardeo. Virg. 2. Eclog.

Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin.

Huiuſmodi ardore correptum adoleſcentem feſtiuè exprimit Plautus in Mercatore:

Sumne ego homo miſer, qui nuſquam bene queo quieſcere?
Si domi ſum, foris eſt animus: ſin foris ſum, animus domi eſt.
Ita mihi in pectore atq; in corde facit amor incendium;
Ni oculos lacrymæ defendant, iam ardeat credo caput.

In laua] parte ſiniſtra non inconcinnè malus fructifera ſtatuetur.

Malum Veneri ſacrum.

Poma etenim Veneris ſunt] Mala amoris ſunt ſigna, quia Veneri ſacra. Vide adagium, *Malis ferire.* & Philoſtratum in Iconibus, tit. Amores.

Hippomenes vicit Atalantam.

Schœneida vicit Hippomenes] Atalanta Schœnei regis filia, pulcherrima puella, cui Deorum reſponſum datum fuit, vt nulli viro nuberet; ideoq; procis eam ambientibus huiuſmodi legem propoſuit, vt ſecum curſu pedum certarent, & qui eam currendo ſuperaſſet, eius ſe coniugem futuram; victi verò morte plecterentur. Cumq; multos poſt terga reliquiſſet (mira enim pedum agilitate præſtabat) & nece affeciſſet, tandem Hippomenes adoleſcens nobilis, ex Neptuni progenie, cum eam impenſo amore proſequeretur, nec mortem certaminis periculo abhorreret, Venerem implorauit, vt ſibi auxilio eſſet; quæ ſtatim ei tria aurea poma donauit, ea ille inter currendum ſenſim ante virginem per vices proiecit. Illa verò auri cupiditate allecta (vt mulierum genus auariſſimum eſt) dum ea auida colligeret, retardata metam tardius attigit: & ſic arte victa fuit, vt lepidiſſimè Ouid. in fine lib. 10. Metamorph. Fabulam eandem breuiter habet Theocritus in Amaryllide:

Ἱππομένης ὄκα δὴ τὰν παρθένον ἤθελε γᾶμαι,
μᾶλ᾽ ἐν χερσὶν ἑλὼν δρόμον ἄνυεν· ἁ δ᾽ Ἀταλάντα
ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη, ὡς ἐς βαθὺν ἅλλετ᾽ ἔρωτα.

Virginis Hippomenes thalamos vbi fortè petiuit,
Mala tenens manibus currebat: vt hæc Atalanta
Vidit, vti periijt, magno correpta vt amore eſt.

Galatea.

Petijt ſic Galatea virum] Galatea Nympha marina à Polyphemo adamata, de qua Ouid. 13. Metamorph. Sed potiùs hoc intelligendum de ea, quam Virgilius 3. Ecloga celebrat:

Malo me Galatea petit laſciua puella,
Et fugit ad ſalices, & ſe cupit ante videri.

Et ante ipſum Theocritus Eidyll. 3. 6. & 11. & quod Theocritus eſt μηλοβολεῖν, id Virgilio eſt *Malo petere*, id eſt, ad Venerem ſolicitare. Hinc dicitur, poma, nuces

Poma legere quid.

legere, verecundè ab hortis ad rem voluptatis tranſlata voce. Vide Lipſium lib. 3. Antiq. lect. Vide item Prouerbium, *Malis ferire.*

IV. *Vxoris probæ munus.*

HORTATVR hoc Emblema fœminas, quæ ad viri nuptias ſe contulere, vt in fidelitate erga maritos catellorum naturam ſuperent, eiuſque ſolum moribus inſeruiant, cui ſe æterno vinculo colligarũt. Neq; vnquam à domo & maritis ſuis oculos

los (ne dicam pedes) dimoueant: quibus non tantum noctes,ſed etiam dies debent. Non enim ſolùm crimine eas , ſed omni criminis ſuſpicione vacare oportere, Cęſar Dictator rectè exiſtimauit. Dicerem profectò pleraſquę omnes ita probas, modeſtas,& in fide vxoria pręclaras eſſe, vt nulla prorſus eis monitione aut exemplis opus ſit,niſi illud Eccleſiaſt. nunc occurreret,dicentis: Virum de mille vnum reperi,mulierem verò ex omnibus non inueni. Quapropter legumlatores etiam de bonis mulieribus non eſſe faciendam legem exiſtimarunt , quia paucæ ſunt: de malis autem omnino ſanciendam , quæ multæ ſunt. Notatur in l.ex his. ff.de leg. Sed rara quædam fidei coniugalis exempla huc illuſtrandi Emblematis gratia adducere non pigebit. Notum in primis eſt Lucre-

Lucretia. tiæ exemplum, quæ licet animus inuiolatus ex violento concubitu Sex. Tarquinij manſiſſet, amplius ſuperſtes eſſe noluit , ſed in conſpectu mariti & amicorum ſe gladio transfixit, cuius monumentum in Epiſcopatu Viterbienſi tale conſpicitur: *Collatinus Tarquinius dulciſſimæ coniugi, & incomparabili Lucretiæ pudicitiæ decori, mulierum gloriæ. Vixit ann. XXII. Menſ. III. Dies VII. Proh dolor, quę fuit*

Mallonia. *cariſſima.* Mallonia quoq; illuſtris fœmina Romana æternam memoriam ſuæ cõſtantiæ & pudicitiæ poſteritati reliquit. Ea enim , vt refert Suetonius , quum ad Tiberium , libidinoſiſſimum ſenem eſſet perducta,neq; adduci potuiſſet,vt cupiditatibus ipſius obſcœnis obſequeretur, inſtinctu eius delatoribus fuit obiecta,quam cùm nec reã interpellare deſineret,ecquid pœniteret ; ipſa pro tuenda pudicitia ſua derelicto iudicio domum ſe abripuit, ferroq; transegit,obſcœnitatem oris hirſuto atq; olido ſeni clarè exprobrans . Vnde audire à vulgo coactus fuit, Hircum vetulum capris naturam ligurire. Simile aliquid , idque inſigne recenſet Bernard. Scardeonius in antiquit. Patauin. lib. 3.

Blanca Rubea virtus. claſ.14. de Blanca Rubea inuictæ virtutis & rariſſimi exempli fœmina. Hæc enim quum Baſſanum municipium Patauinum ab Acciolino circa annum ſalutis 1253. proditione occupatum eſſet,eiuſq; maritus,dum hoſtibus irruentibus fortiter reſiſteret , occubuiſſet, & ipſa viriliter pugnando capta,armiſq; exuta, vi ante conſpectum tyranni attracta eſſet,neq; precibus,neq; precio à victore eius pulchritudine capto expugnari potuit,vt ipſius impuris cupiditatibus aſſentiretur . Verùm cùm is animaduerteret, eius animum caſtum delinimentis expugnari non poſſe , ratus eſt violentia efficere poſſe id, quod ſponte captiua facere recuſaſſet. Dum igitur vi eam attrectare conatur,illa captata occaſione , de feneſtra ſeſe præcipitem dedit,malens vel ſic fortiter vitam cum iam mortuo marito,quàm turpiter pudicitiã cum impio tyranno perdere . Sublata autem de terra, vt erat deturpata ſanguine, & ſemimortua,in lecto reponitur,& diligenter curatur. At poſt non multos dies, vbi tandem conualuit, rurſum adducta ad tyrannum , cum conſtanter in ſuperiore continentię propoſito perduraret, nec aliter Acciolinus potiri ea ſe poſſe ſperaret , ligata per ſeruos , vt nullatenus reſiſtere poſſet,ab improbo, nefario,& crudeli tyranno pudica fœmina ſtupratur. Qua contumelia & labe (quamuis non ignoraret, corpus,niſi conſenſu accedente, violari vel corrumpi non poſſe) illata , ita commota eſt, vt noluerit diutiùs ſuperuiuere. Quare aliquamdiu diſſimulato dolore , impetrauit ab amicis,ad leuandum mortui mariti deſiderium, & ad ſedandum aliquantiſper animi mœrorem , vt mortuum ac iam fœtentem maritum cerneret. Aperto itaq; ſepulchro vbi iacebat,ea magno cum eiulatu ſupra mariti cadauer ſeſe repente proiecit,& repagulo,quo lapis ſepulturæ ſuſtinebatur, reuulſo, fracta ſub lapide ceruice, vnà cum marito, quaſi in vltionem pudicitiæ fortiter & intrepidè mortua,& vt optabat, eodem tumulo ſepulta eſt virago. Hæc Blanca in hodiernum diem mirificè ab Italicis hiſtoricis & poetis celebratur , quæ an ſua fidelitate erga mari-

tum , Arriæ Cecinnæ Pæti vxori , de qua *Arria.* extat memorabilis epiſtola Plinij ad Nepotem lib.3.epiſt.16. poſtponenda ſit,aliorum eſto iudicium. Diuerſum ſanè & longè aliud fuit ſæculum,& minus caſtus animus mulierculárum Inſubriæ tempore Galeacij Sfortiæ. Ita enim ſcribit Iouius in Elog.lib. 3. Ea tum erat ex multo otio luxuriantis ſæculi conditio,in ipſis præcipuè nobilioribus matronis, vt totum pudicitiæ decus ab humanitate aulæ alienum prorſus & ſubagreſte putaretur: ideoque

princeps

princeps ad licentiam libidinis proclinatus, & iuuentæ vigore venuſtateq; oris ſupra omnes ſpectatu digniſſimus, procacibus fœminarum oculis & deſiderijs cupidiſſimè deſeruiret. Erat enim vulgatum inter fœminas, nullam ex principis concubitu fieri impudicam, earumque maritos, qui ineptis hirci videri poſſent, ita excellere aureis cornibus, vt dignitate cunctos anteirent. &c. Memorabile præterea eſt, quod Val. Maximus, & alij de Minyiarum vxoribus tradunt. Cùm enim mariti eorum propter affectatum regnum Spartæ cuſtodiæ publicę incluſi capitali ſeruarentur ſupplicio, quod vetere Lacedæmoniorum inſtituto nocturno tempore paſſuri eſſent; eæ ex illuſtri ſanguine natæ; velut allocuturæ perituros maritos, impetrato à cuſtodibus aditu, carcerem intrarunt, commutataque veſte per ſimulationē doloris velatis capitibus eos abire paſſæ ſunt. Dignæ profectò quibus Minyiæ nuberent. Penè ſimilis extat hiſtoria, quæ paſſim ex Nauclero allegatur. Cùm enim Conradus III. Imperator Guelfum Bauariæ Ducem, poſtquā ſæpius ancipiti Marte pugnatum eſſet, in oppidum VVeinsburgum, cui amœna vinea nomen dederunt, compuliſſet, nec vllis conditionibus à propoſita ſuſceptaque oppidi euerſione deduceretur; ad extremum victus nobilium fœminarum precibus permiſit, vt illi uiolatæ abirent, ea lege, vt nihil ex oppido, niſi quod humeris poſſent, exportarēt. Tum illę confidentia maiore dicam an pietate? Ducem ipſum, maritos, liberos, parentes ab humeris ſuſpenſos geſtare cęperunt. Ex quo Imperator tantam voluptatem cepit, vt effuſis præ gaudio lacrymis, non modò feritatem & iracundiam ex animo penitus depoſuerit, verùm etiam oppido pepercerit, & amicitiam cum hoſte omnium acerrimo contraxerit. Quare nō eſt audiendus Simonides ille, vel quiſpiam alius, cùm ſua definitione ſanè ſtolida. Interrogatus enim quid eſſet vxor? Viri, reſpondit, naufragium, domus tempeſtas, quietis impedimentum, vitæ captiuitas, pœna quotidiana, pugna ſumptuoſa, beſtia contubernalis, canis ornata, malum neceſſarium. Vel vt alius Philoſophus interrogatus de muliere, reſpondit: Eam eſſe hominis confuſionem, inſatiabilem beſtiam, continuam ſolicitudinem, indeſinentem pugnam, quotidianum damnum, ſolitudinis impedimentum, viri naufragiū, adulterij vas, pernicioſum prælium, animal peſſimum, pondus grauiſſimum, aſpidem inſanabilem, humanum mancipium. Huc etiam reſpexit Chryſoſtomus in Matthæum cap. 19. Quid eſt, inquit, mulier aliud, niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum? Cæterùm vt hæ deſcriptiones locum habere poſſunt aduerſus malas & impudicas mulieres, quæ in ſacris literis quoque exoſæ ſunt, vt patet ex prouerbijs Salomonis, c. 21. & alibi: ita pia, bona & induſtria mulier longè aliter paſſim deſcribitur. Dicit enim idem Salomon: Inueniens vxorem, inueniet bonum, & hauriet voluptatem à Domino. Item: Mulier proba, bona eſt portio, & datur tanquam portio eorum, qui timent Dominum. Et: qui parat vxorem, is conſtituit principium fortunarum, auxiliatricem ſecundum ſe, & columnam requietis. Rectè itaq; & piè dicitur, Tria ſpecioſa videri in conſpectu Dei & hominum: Concordiam inter fratres: amicitiam inter vicinos: virum & mulierē in ſocietate & fide mutua perſeuerantes. Suffragatur huic ſententiæ nutrix illa apud Euripidem dicens:

Minyiarum vxores.

Mulieres oppidi VVeinsburgi.

Quid ſit vxor Simonidi.

Tria ſpecioſa in conſpectu Dei.

ὑπερμεγίστη γίγνεται σωτηρία
ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ.
Quam maxima exiſtit ſalus
Quum vxor cum viro non diſſidet.

Multò autem rectiùs & elegantiùs Homerus:

——οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον,
ἢ ὅθ' ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
ἀνὴρ ἠδὲ γυνή, πόλλ' ἄλγεα δυσμενέεσσι,
χάρματα δ' εὐμενέτῃσι. id eſt:
Nihil enim hoc potius & melius
Quàm cùm concordes animis domum habitant
Vir & vxor; multi dolores inimicis,
Gaudia autem amicis.

Hos & aliorum auctorum verſus & dicta refert Tiraquellus in 5. lege connubiali, & addit: Felicem ergo Macrinum illum fuiſſe arbitror, ſiquis felix vnquam fuit, quem cum vxore 39. annis vixiſſe, ſine iurgio, ſine offenſa, ſcribit Plinius. Reperitur etiā Romæ, ſicut in Appiani antiquitatibus legimus, talis inſcriptio: *Q. Canius Seuerus*

Rutilia

Rutilia monumētum.

Rutilia primitiua coniugi ſua dulciſſima, cum qua vixit annis 20. ſine bile. Viſum fuit coronidis loco adiungere aliud planè diuerſum epitaphium, quod Romæ legitur, ex quo apparet, quàm pauci gloriari potuerint, ſe ſine bile & lite in coniugio vixiſſe. Eſt autē hęc inſcriptio ſatis lepida: *Heus viator; miraculū. Hic vir et vxor non litigant: qui ſimus non dico. At ipſa dicā: Hic Bebrius ebrius me Bebriam ebriam nominat. Non dico amplius. Heu vxor, etiam mortua litigas?* Huc referri poteſt pactum Pithęci, quod, vt in Suidæ hiſtoricis refertur, in prouerbium abijt, & tale fuit: Continenter cum vxore iurgans coram amicis pepigit, ſe neq; verberare, neque vapulare; neq; mordere, neq; morderi; neq; mulierem capillis trahere, neque ab ea teſticulis trahi velle. Quamquam aliquando etiam viri ipſi ſunt in culpa, dū aut pecuniæ cupiditate, aut ambitione capti, præcipitantur in nuptias, neſcientes, nobilitatis & amplæ dotis duo peſſima mala ſocia eſſe, vxoris ſuperbiam, & viri ſeruitutem, de qua re alibi.

Lepidum epitaphium.

Pithęci pactum.

Reuerentiam in matrimonio requiri.

EMBLEMA CXCII.



CVM furit in Venerem, pelagi ſe in littore ſiſtit
Vipera, & ab ſtomacho dira venena vomit:
Muranamq; ciens ingentia ſibila tollit,
At ſimul amplexus appetit illa viri.

Maxima debetur thalamo reuerentia: coniux
Alternum debet coniugi & obſequium.

COMMENTARII.

I. VIPERA in litore ore aperto virus euomit, ad quam adnatat ex propinqua aqua muræna. *Viperæ conſideratio.* Eſt autem vipera nequiſſimum ſerpentis genus, longitudine cubitali, & ſæpe prolixiore, colore ſubflauo, pluribus conſperſa maculis rotundis. *Mas.* Mas Græcis dicitur ἔχις. caput habet anguſtum & acutum, collum craſſius & reliquum corpus tenuius quàm fęminæ. Paulatim illi cauda gracileſcit, aliarum ſerpentum ritu, non aceruatim vt fœminæ, quæ ἔχιδνα dicitur. Squamas habet ad extremum caudæ aſperiores, quas ira percitus ſubrigit, non aliter quàm gallinaceis iratis plumę inter pugnandum rigent. Illi etiam dentes canini ſunt duo, fœminæ plures. Eidem adhuc eſt meatus in cauda, ventri propinquior, contrà quàm in fęmina, cui ille ad extrema caudæ propius accedit; inceſſus quoq; mari alacrior. *Fœmina.* Viperæ fœminæ ſubrufæ ſunt, elata ceruice, oculis ſubrubentibus & lucentibus, inuerecundi & feri intuitus. Caput habent latiuſculũ, caudam breuem & excarnem, & ſquamis durioribus aſperam, nec paulatim gracileſcentem, ſed ſimul & vniuerſim: meatumque ſuum habent ad caudam propius accedentem, ventrem prominulum, & inceſſum tardiorem. *Muræna.* Muræna verò, lampetræ (quæ à lambendis petris hoc nomine appellatur) forma figuraq; corporis eſt affinis, licet magnitudine impar; piſciculus eſt lubricus, longo tereti q; corpore, minutis anguillis aſſimilis, ſeptem foraminibus læua parte diſtincta. An itaq; tam vipera quã muræna hic probè ſint expreſſæ, reliqui iudicent.

II. *Fons Emblematis.* BASILIVS Magnus in Hexaemero Oratione 7 ita fermè ex anguis & murænæ congreſſu, quales coniugum mores eſſe debeant, oſtendit: Vos ô viri, coniuges veſtras diligite, etſi locis longinquis ſemoti in coniugij ſocietatem conueniſtis, naturæ vinculum legibus ac benedictione obſtrictum, vnio ac iugum diſtãtium eſto. Vipera genus ſerpentum omnium exitioſiſſimum, murænæ marinæ nuptias expetit, & ſibilo ſuo ſignificat præſentiã, eamque è gurgite vaſto inuitat ad nuptiales complexus; illa autem obtemperat & coit cum venenato. Quid hæc mea ratio vult? quid portendit? Siue aſper eſt cuiuſpiam coniux, ſiue feris moribus, perferat illum vxor neceſſe eſt, nec vllam prorſus ob cauſam ſocietatem vinculumq; diſſoluere patiatur. Ferit ne, verberat, eſtq; percuſſor? At vir tamen tuus. Temulentus? At tibi eſt natura coniunctus. Durusne? moroſus & implacidus? At membrum iam tuum eſt, & membrorum præſtantiſſimum. Audiat & ipſe vir accommodatam, ſeq; decentem admonitionem. Vipera virus ob nuptiarum venerationem euomit: tu duritiem animi, tu ferocitatem, tu crudelitatem ob vnionis reuerentiam non deponis? Græca ſi quis malit, propter viri tanti autoritatem huc placet adijcere: *Vipera & murænæ congreſſus.* ἔχιδνα τὸ χαλεπώτατον τῶν ἑρπετῶν, πρὸς γάμον ἀπαντᾷ τῆς θαλασσίας μυραίνης, καὶ συριγμῷ τὴν παρουσίαν σημήνασα, ἐκκαλεῖται αὐτὴν ἐκ τῶν βυθῶν πρὸς γαμικὴν συμπλοκήν. ἡ δὲ ὑπακούει καὶ ἑνοῦται τῷ ἰοβόλῳ. τί βούλεταί μοι ὁ λόγος; ὅτι κἂν τραχὺς ᾖ κἂν ἄγριος τὸ ἦθος ὁ σύνοικος, ἀνάγκη φέρειν τὴν ὁμόζυγα. καὶ ἐκ μηδεμιᾶς προφάσεως καταδέχεσθαι τὴν ἕνωσιν διασπᾶν. πλήκτης; ἀλλ᾽ ἀνήρ. πάροινος; ἀλλ᾽ ἡνωμένος κατὰ τὴν φύσιν. τραχὺς καὶ δυσάρεστος; ἀλλὰ μέλος ἤδη σόν, καὶ μελῶν τὸ τιμιώτατον. ἀκουέτω δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τῆς προσηκούσης αὐτῷ παραινέσεως. ἡ ἔχιδνα τὸν ἰὸν ἐξεμεῖ αἰδουμένη τὸν γάμον· σὺ τὸ τῆς ψυχῆς ἀπηνὲς καὶ ἀπάνθρωπον οὐκ ἀποτίθεσαι αἰδοῖ τῆς ἑνώσεως; ἢ τάχα τῆς ἐχίδνης ὑπόδειγμα καὶ ἑτέρως ἡμῖν χρήσιμον, ὅτι μοιχεία τίς ἐστι τῆς φύσεως ἡ τῆς ἐχίδνης καὶ μυραίνης ἐπιπλοκή; διδαχθήτωσαν οὖν οἱ τοῖς ἀλλοτρίοις ἐπιβουλεύοντες γάμοις, ποταπῷ εἰσιν ἑρπετῷ παραπλήσιοι. Id Muſculus ita vertit: *Vipera, infeſtiſſimum animal eorum, quæ ſerpunt, cum marina muræna congreditur, ſibiloq; ſe adeſſe ſignificans, ex profundo eam ad concubitum euocat: hæc autem morem gerit, & cum venenata beſtia copulatur. Quorſum hæc ſpectat oratio? Vt intelligamus, ſi duru & feris moribus*

bus ſit vir, eum eſſe uxori ferendum, nec coniugium vlla ex cauſſa dirimendum. Obiurgator eſt? at vir: vinolentus? at natura lege coniunctus: durus & moroſus? at iam membrum tuum eſt, atq; omnium præſtantiſſimum. Audiat etiam vir monitionem, quæ ad ipſum pertinet. Vipera virus euomit, reuerentia coniugij: tu animi inclementiam & inhumanitatem, coniugalem copulam reueritus, non depones? An aliam etiam nobis vtilitatem adfert vipera exemplum, quòd adulterium quoddam eſt natura vipera atq; murænæ concubitus? Diſcant igitur ij, qui in aliena coniugia inuadunt, cuiuſmodi beſtiæ ſint ſimiles. Hæc ferè Baſilius. Orus Apollo ſic ait: Hominem cum alienigenis coeuntem ſignificare volentes, myrænam piſcem pingunt. Hæc enim è mari egreſſa viperis admiſcetur, ac ſtatim ad mare recurrit. Confirmant hanc opinionem grauiſſimi auctores, Oppianus lib. 1. Halieutic. Athenæus lib 7. Ælianus lib. 1. de animal. cap. 50. & lib. 9. cap. vlt. & lib. 12. cap. 5. & 23. Plinius lib. 9. cap. 23. Cœl. Rhodigin. lib. 6. cap. 13. & 16. & Nicander in Theriacis, vbi multa hac de re ipſius ſcholiaſtes.

Orus Apollo.

III. *CVM furit in Venerem*] cum rapitur ardore coitus, dum coitum appetit, æſtuque libidinis agitur.

Se in litore ſiſtit] ad litus progreditur. Quod tamen quibuſdam ambiguum fit. Vide Cœl. Rhodigin. lib. 6. cap. 16.

Vipera.] A vi pariendo dicta, vel vt alij malunt, quod viuum pariat: vt Græcis Echidna, παρὰ τοῦ μὴ ἔχειν ἐν ἑαυτῇ τὴν γονὴν ἄχρι θανάτου. Refert enim Herodotus in Thalia, quòd in concubitu mas in os fœminæ caput inſerit: at illa poſt rem peractam illud præcidit, mox paritura diſrumpitur: nec niſi effractis lateribus erumpunt nati, quos paritura eſt. Nam non oua, vt plerique ſerpentes, ſed catulos fermè viginti parere dicitur. Ergo non niſi parentum cæde fœtus in lucem prodeunt. Ferunt autem ita cauiſſe naturam, ne tam noxij animalis ſpecies ſupra modum augeſceret. Ait enim Solinus viperam inſanabili eſſe morſu, eiuſq; venenum, vt vult Albertus, apprimè calidum eſt, ideoque magis noxium. Lege Plin. lib. 10. c. 62. Ariſtotelem 5. de hiſtor. animal. vbi habetur viperã oua quidem procreare piſciũ ouis ſimilia, ſed intra ſe tantùm, tantumq; vi-

Vipera partus & fœtus qualis.

nos catulos parit membranis inuolutos. Euenit autem aliquando, vt poſteriores quærentes exitum, & impatientes moræ diuturnioris, erodant vterum & latera matris, ſicq; matricidæ prodeunt. Rarò tamen id contingit; vt nunquam accidiſſe certum eſt, marem in coitu caput in os fœminæ inſerere, eamq; illud voluptatis dulcedine vehementiùs commotam truncare. Vide Cœl. Rhodig loco citato.

Ab ſtomacho dira venena vomit] hoc eſt, omnem iram & indignationem deponit.

Murænamq; ciens.] De muræna Plinius lib. 9. quo nomine lampetram intelligi pridem exiſtimauerat Minos, ſecutus quorundam opinionem: à qua eum facilè reuocauit ipſius amicus Ioan. Frater vir exacti iudicij; ſiquidem lampetra, muræna fluuiatilis appellatur, ſed propter ſimilitudinem, quam habet cum Plinia na muræna, non quòd eadem ſpecie dici debeat: nemo enim vnquam in dubium reuocauit, quin mas eſſet in lampetrarum genere; & cum fœminis non difficiliùs & rariùs capi. Is verò captus, nunquam viſus eſt dentes habere extra os, quod vult Ariſtoteles. Itaq; id intelligendũ de murænis carniuoris, præſertim cùm Plinius c. 23. lib. eiuſdem 9. tradat in murænis documentum ſæuitiæ Vedium Pollionem Romanum inueniſſe, qui viuarijs murænarum damnata mancipia immergeret, ac ſi ad id terrarum feræ non ſufficerẽt. Quod lampetræ non poteſt accommodari. Neq; etiam idem nomen vtriq; conuenit, nam Muræna dicitur etiam Myræna, & Smyræna, Latinis Fluta, Hiſpanis *Morena*, Belgis *PricKen*, quibus hi exiccatis & accẽſis facis aut tædæ ardentis vice vtuntur, vt ſcribit Lemnius de occult. natur. miracul. lib. 4. cap. 11. Sed lampetra, etiam muſtela, & myræna fluuiatilis vocatur, vt probat auctor Cornucopiæ; Hiſpanis *Lãprea*. Verba Pliniana ſunt hæc ex lib. 32 cap 2. Licinius Macer, murænas tantùm fœminei ſexus eſſe tradit, & concipere è ſerpentibus, ob id ſibilo à piſcatoribus tanquam ſerpentibus euocari & capi (quod in lampetris non contingit.) Quam ipſe ſententiam refutarat antè lib. 9. his verbis: Muræna quocunque tempore parit, cùm cæteri piſces ſtato tempore pariant. In ſicco littore elapſas vulgus coitu ſerpentium

Muræna & lampetra non ſunt idē.

Murænas ſibilo allici et capi.

impleri putat. Ariſtoteles Myrum marem appellat, qui generat: diſcrimẽ eſſe, quòd Muræna varia & infirma ſit, Myrus vnicolor & robuſtus, denteſque extra os habeat.

Sibilus. *Sibila tollit*] Sibilus in ſingulari maſculinũ eſt, in plurali plerumq; neutrum, & eſt oris ſonus, qui compreſſis dẽtibus, & labris parum diductis fieri ſolet.

Maxima debetur thalamo reuerentia] Imitatus eſt illud Iuuenalis è Satyra 14.

Maxima debetur puero reuerentia, ſi quid
Turpe paras.

Cõiunx, & cõiux. *Coniunx*] Nomen coniunx à Priſciano ſcribitur coniunx, à coniungo: Phocas expungit n, ante x, & ſcribit Coniux, à verbo Coniugo. Sic etiam Feſtus Coniuges vocat, quaſi eiuſdem iugi, ὁμόζυγοι. & tã de viro, quàm de vxore dicitur. Vxor verò eſt nomen dignitatis, inquiebat alio ſenſu l. Verus Aug. Et hinc vxores dominæ dicebantur, honorifica in ſpeciem appellatione. Epictetus Enchiridij cap. 62. Iuriſconſulti alicubi. Virgilius in 6.

Hi dominam ditu thalamo deducere adorti.

Alternũ debet. &c] Idipſum eſt quod ait D. Paulus: Vxori vir debitum reddat, & vxor viro. Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: itemq; vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vxor. Diſputant auctores canonum, de reddendo à cõiugibus mutuo debito, tit. de diuortijs, lib. 4. Decretal. Martialis egregiè ac cordatè:

Scire ſuos fines matrona & fœmina debet,
Ne vagus à thalamu cõiugu erret amor.

At illud feſtiuè nimis, vt opinor:

Vxor, vade foras, vel moribus vtere noſtris. &c.

IV. *Amor cõiugalis qualis eſſe debet.* AMOR coniugum ita mutuus ac purus eſſe debet, vt quanquam quidpiam ſit in altero quaſi virulentum, & alter nonnihil in animo rixarum alat, propter tamen ſacram coniugij copulam ab altero debet euomi, & penitus eijci, prudentis ſerpentis exemplo, qui cum muræna congreſſurus priùs venenum euomit, ea verò ſibilo euocanti paret, & ad eum mox adnatat. Sic & coniugatos oportet cum amoris connubialis reuerentia mutua conuenire & coire, omni prius affectu malo ex animis eiecto, & ſimul cum veſtimentis depoſito. Si enim id obſeruent inſtinctu aliquo naturæ animalia ratione carentia, pudeat homines in hoc eſſe deteriores. Trebell. Pollio in triginta tyrannis, vbi de Zenobia: *Zenobia.* Huius ea caſtitas fuiſſe dicitur, vt ne virum quidem paſſa ſit, niſi tentandis conceptibus. Sic enim Minos mauult legi, non vt in vulgatis: niſi tentatis conceptionibus. Claudianus lib. 2. de laudibus Stiliconis, qui alienus ab omni illicito complexu ſola coniuge vſus ſit:

Hinc fuit vt primos in coniuge diſceret ignes,
Ordiriq; virum non luxuriante iuuentæ,
Sed cum lege thori, caſto cum fœdere vellet.

Apud Clementem Alexãdrinum vxor dicitur βόηθος τῆς οἰκουρίας. *ſocia & adiutrix operæ domeſticæ*, & ſortis vtriuſq; particeps. Et quid tam humanum, ait Vlpian. quàm fortuitis caſibus mulieris, maritũ; aut contrà viri vxorem eſſe participem? Hoc etiam apud veteres Germanos vſitatum fuit, qui vxores tanquam laborum periculorumq; ſocias duxerunt. *Germanorum coniugia.* Fęmina autem viciſſim, vt Cornelij Taciti verbis vtar, vnum accipit maritum, quomodo vnum corpus, vnamq; vitam, ne vlla cogitatio vltrà, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, ſed tanquam matrimonium ament. Hoc etiam Theogona vxor Agathoclis apud Iuſtinum lib. 23. conſiderauit. Cùm enim ægrè à marito diuelleretur, nubendo ſe non proſperæ, inquit, tantùm, ſed omnis fortunæ iniſſe ſocietatem. Hinc eſt illud ænigma de coniugio:

Sunt duo quæ duo ſunt, & ſunt duo quæ duo non ſunt,
Quæ duo ſi non ſunt, ſunt duo nulla duo.

Video hîc in quæſtionem venire poſſe, an expediat vxorem cædere? *An expediat vxorem percutere.* Quam quidem quęſtionem ſoluit Chryſoſtomus Homil. 27 in 1. Corinth. 11. vbi multa præclarè diſſerit de vxorum carnificibus. Mea ſic eſt ſententia, probæ matronæ non opus eſſe maiore faſte, quàm mariti ſubaſpero verbo, aut contracto ac perturbato vultu, ſi ſic neceſſè ſit. Vbi iſta nihil proficiunt, ſed ad verbera deueniendum eſt, væ domui; nec vnquam vir prudens, me ſuaſore, huc deſcenderit. Danda tamen nõ ſunt fræna impotenti naturæ, & vt Cẽſorius Cato dicere ſolebat, indomito animali; nam vt ſemel pares eſſe cœperint noſtra indulgentia, exemplo ſuperiores erunt. Quod ſi vxor ſæpius monita, obiurgata, conuicio impe-

imperita, duriorem adhuc ſe exhibeat, quàm flecti vt poſſit modò integre habeat pudicitia,feratur, nec rumpendus eſt arcus nimium tendendo. Vult enim Deus ſic tuam patientiam exerceri ad incrementa virtutum: tum etiam reputes eam conſortem tanquam ſortem tibi obueniſſe, in qua ſorte vt ſine querela acquieſcas, fas iusq; eſt. Quidam pro non exiguo illud beneficio habent,dulce illud fel non guſtare,quod ij,qui glutierunt, teſtentur, ita eſſe miſtum & temperatum,vt vni mellis guttæ fellis ſint ſexcentæ infuſæ. Auguſtus Imperator Iulias filiam & neptem relegarat,poſt etiam Agrippam,prius adoptatam, poſt ob flagitia & ferox ingenium abdicatam: ad omnem harum mentionem ſolebat exclamare verſu Homerico:

Maritorũ de vxoribus querele.

αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.

O vtinã cælebs vixiſſem,orbusq; perijſſem.

Nec aliter illos appellabat, quam tres vomicas, ſeu tria carcinomata ſua: ſuorum enim mortem leuius ferebat quàm dedecora. Quin & teſtamento cauit,ne ſi quid accidiſſet Iuliæ filiæ,& nepti, ſepulchro ſuo inferrentur. Vt nunc nihil dicam de Ciceronis ad Atticum querelis frequentiſſimis. Narrat Pontanus lib. 3. de ſerm. c.17. cùm quidam aliquando ad amicum diuertiſſet,& illius vxorem diutiùs vociferantem rixantemq; cum ancillis parum æquè ferret,conuerſus alter ad hoſpitem: Ecqua,inquit,amicè, impatientia eſt tua? duos & triginta annos huius clamores dies ac noctes æquiſſimè ipſe perfero, tu verò ne dieculæ quidem ſextantem ferre iam potes? Quo dicto & hoſpitem lenijt, & vxorem ab ira reuocauit, ad riſumque conuertit. Sic quidam (vt refert Æneas Siluius lib. 3. de geſt. Alphonſi) cùm ex Cæſaris comitatu domum reuerſus in itinere in amicum incidiſſet, qui vxorem ſuam viuere & bene valere diceret: Si viuit vxor,inquit,ego ſanè obij. Innuens moroſam vxorem mariti mortem eſſe. Neq; enim omnes mariti induere Socratem poſſunt; neque ducendæ vxoris is finis eſt viro, vt patientiæ aſſueſcat tolerandisque clamoribus. Nihilominus ducta ſemel, tenenda & ferenda eſt. Tu ſi conſilium audis, principijs obſtabis, & caſtam morigeramque ab impudica & peruicaci diſcernere diſces. Præit Iacobus Bilius Antholog. 5. lib. 2.

Diſcrimẽ inter bonam & malam mulierẽ.

Qua proba dignoſci poſſet, qua fœmina nequam,
Temporibus priſcis cùm nota nulla foret:
Id tulit indignè Dominus: Nam perfida caſta,
Caſtaq; iudicio perfida plebis erat.
Errorem hunc igitur tollens, his ora pudore
Illeuit, quibus eſt chara pudicitia.
At quibus eſt ſtudio Veneris ſcelerata voluptas,
Fecit vt his toto deſit in ore pudor.

Emblematis autem character videbatur trahendus ad illicitam commiſtionẽ, quia muræna & vipera ſint ſpecierum diuerſarum, quamquam vtraq; è ſerpentum numero. Sed nos id torquere poſſumus ad nuptias, quæ contrahuntur cum exteris; vel ijs, qui ſunt cultus, ſectæque diſparis, quod tamen non permittitur niſi ſub certis conditionibus: ſcilicet Chriſtiano homini minimè conceditur Iudæam ducere, niſi abiurata primum ſuperſtitione Iudaica, & initiatam ſacris Chriſtianorum, lotãque ſacro Baptiſmi fonte. Id enim eſt euomere virus impietatis. Certè ad contrahendum legitimum coniugium non parui momẽti eſt religionis diſparitas, quod præter cæteros videtur expreſſiſſe Tertullian. ad vxorem lib. 2. Vide Pierium lib. 29. in Muræna. De matrimonij etiam cultu conſule D. Paulum 1. Corinth. 7. & Lactantium 6. diuin. inſtitut. 23.

Diſpar ſecta in matrimonio conſideranda.

In fœcunditatem ſibi ipſi damnoſam.

EMBLEMA CXCIII.



LVDIBRIVM pueris lapides iacientibus, hoc me
In triuio poſuit ruſtica cura nucem:
Quæ laceris ramis, perſtrictoq́; ardua libro,
Certatim fundis per latus omne petor.
Quid ſterili poſſet contingere turpius? Eheu
Infelix, fructus in mea damna fero.

COMMENTARII.

I. NVX arbor notior eſt, quàm vt deſcriptione egeat; hanc pueri vndiq; lapidibus & fuſtibus impetunt, fructus vt inde decutiant.

II. PROSOPOPOEIA eſt nucis arboris, de pueris & viatoribus conquerentis, quòd vndiq; lapidibus obruatur, propter vberem ſuarum nucum prouentum: vnde colligit noxæ & diſpẽdio ſibi fertilitatem eſſe. Alciati Emblema tractum apparet è Græco Antipatri, aut, vt alii volũt, Platonis, vel Stratonis, 1. Antholog. Græc. tit. εἰς δένδρα, ex quo etiam pulcherrima Ouidii Elegia de Nuce videtur ſumpta. Sic enim habet Græcus:

εἰνοδίην καρύην με παρερχομένοις ἐφύτευσαν Typus
παισὶ λιθοβλήτου παίγνιον εὐστοχίης. Emblematis.
πάντας

πάντας δ' ἀκρέμονάς τε, καὶ εὐθαλέας ὀροδάμνες,
κέκλασμαι, πυκιναῖς χερμάσι βαλλομένη.
δένδρεσιν εὐκάρποις οὐδὲν πλέον. ἦ γὰρ ἔγωγε
δυσδαίμων ἐπ' ἐμὴν ὕβριν ἐκαρποφόρουν.

Præter Alciati verſionem, hę mihi quondam non pęnitendæ occurrebant:

Quid me quiſq; petit, cur in me deſtinat ictum?
Hei mihi, quòd fuerim tam propè iuncta viæ?
Sunt mihi rami omnes, ſunt & viridantia fracta
Germina, tam crebris obruta miſſilibus.
Quid mihi profuerit, quòd ſim fœcunda parensq;
Me miſeram! fructus in mea dāna tuli.

Viæ iunctam nucem me prætereuntibus ſeuerunt
Pueris ludibrium, lapidum iaculatricis peritiæ [qua nempe petitur ſcopus, id enim ſonat εὐστοχία]
Omnes autem ramos & virentes ſurculos
Fracta ſum, crebris lapidibus dū petor.
Plantarum frugiferarum nihilo melior eſt conditio: nam ego quidem
Miſera, in mei noxam fructum retuli.

Nux ego iuncta viæ, lapidum iactu vna iuuentæ
Ludibrium, à populo prætereunte petor.
Ramos fracta omnes paſſim, frondesq; virentes,
Iactibus aſſiduis miſſilibusq; teror.
Non eſt ſors melior plātarum frugiferarū:
Ergo mei in noxam fructum ego planta tuli.

Emendatur epigrāma. Sanctius monet, non rectè legi in penultimo verſu Græco, εὐκάρποις, id eſt, *bene fructificantibus*, ſed legendum ἀκάρποις, vel ſimile aliquid, vt ſonet, *ſterilibus*. Fertur autem proprium eſſe huic arbori nucis, vt quo magis & frequentius verberibus cędatur, eo plures melioresq; fructus procreet. Hinc ſunt illi verſiculi:

Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligati.
Hæc tria nil rectè faciūt ſi verbera ceſſent.

III. *LVDIBRIVM pueris*] me ruſticus quidam inſeuit in hoc triuio, vt ſcilicet vndique poſſent concurrere; ludibrium viatoribus & pueris lapides hinc inde proiicientibus. Hic verſus alicubi legitur hoc modo:

Ludibriū pueris lapides iacientibus in me.

Ruſtica cura] ruſticus laborioſus, vt Horatius 2. Carm. dixit:

Iuuenumq; prodis publica cura.

Quæ laceris ramis] excuſſis, deiectisq; frondibus.

Ardua] Altiſſima, ingens.

Perſtrictoq; libro] cortice etiam percuſſo ſæpius & impetito, rupto, ſciſſo. Librū enim vſurpat hic in primaria ſignificatione, nempe pro parte corticis interna, quæ arbori adhæret. Vide Caſſiodor. lib. 11. epiſt. 38. Variatum. Alibi hoc carmen habet, *Perfrictoq; libro*. *Liber.*

Fundis] iaculis, balliſtis, inſtrumentis ad lapides eiaculandos. Funda inſtrumentum ex fune factum, quo funduntur, hoc eſt, iactantur lapides. Hinc Funditores, milites qui funda dimicant. *Funda.*

Petor] lapidatoribus vndiq; conficior, dilapidor. Sic Ouidius:

A populo ſaxis prætereunte petor.

IV. *Molliter educati liberi dānum parentibus arceſsūt.* TRANSFERTVR in parentes, qui liberos habent vſq; adeò perditos & profligatos, vt damnum atrociſſimum & infamiam ijs arceſſant, à quibus ſunt molliter educati. Eſt quidem liberorum generatio naturalis lætitia, verùm pernicioſa & pœnitenda, quoties parentum ruinæ, infamiæ, aut mortis cauſa ſunt. Quemadmodum nucis fructus in cauſa eſt, vt arbor, de qua productus eſt, ſaxis ſudibusq; petatur, ramiq; eius diſtringantur. Tales ſunt, quos vitæ improbitate, vel crimine aliquo inſignes cenſura corripit, aut coercet magiſtratus, non ſine parentum dolore incredibili. Hinc tam frequentes multorum parentum de ſuſceptis liberis queſtus, à quibus nonnunquam conijciuntur in extremas ærumnas & vitæ diſcrimina; vnde illos non immeritò pœnitet, ſe liberos tam nefarios & improbos ſuſcepiſſe. Talis inde vox eſt ſub perſona matris apud Ouidium, de Nuce:

Locus è Nuce Ouidiana.

Nunc vterus vitio eſt, quæ vult formoſa videri,
Raraq; in hoc æuo eſt quæ velit eſſe parēs.
Certè ego ſi numquam peperiſſem, tutior eſſem:
Iſta Clytæmneſtra digna querela fuit.

Itemque:

Fructus obeſt, peperiſſe nocet, nocet eſſe feracem;
Quæq; fuit multis, hæc mihi præda malo.

Heroum filij noxa.

Huc refero prouerbium, *Heroum filij noxa.* Etenim veteribus illud obſeruatum fuit, præſtantium virorum filios multum à progenitorum moribus abfuiſſe. Manet & hodie paſſim vulgatus iocus: *Ex ſapientiſſimis patribus ſtultiſſimos propagari liberos.* Declarat hoc argumentum Aelius Spartianus in Seuero Cæſare, multis exemplis probans, ita ferè vſu veniſſe, vt viri ſeu virtute, ſeu literis, ſeu fortunæ indulgentia inſignes, aut nullos omnino liberos habuerint, aut tales reliquerint, vt magis ex vſu rerum humanarum fuiſſet, illos abſq; liberis diſcedere. Illuſtrant hoc Emblema, quæ è collectan. Stobæi commodè huc transferri poſſunt, Serm. 74. Præterea hoc frequentiſſimè vſu venire videmus, vt qui plus emolumenti reipub. afferunt, & vberrimos fructus in publicum producunt, ij ab omnibus laceſſantur, ludibrio ſint vulgo, perſecutiones incredibiles, & mille mala patiantur. Viciſſim verò deperditi ac nullius frugi homines (ſi modò hominis nomine digni) ſua ignauia, ignorantia, (ne dicam malitia) & ſordida ſterilitate, non ſolum ſecuri viuunt, ſed etiam ad ſummum honoris & opum culmē facilè prouehuntur.

Viri frugi afflicti.

Amor filiorum.

EMBLEMA CXCIV.



ANTE diem vernam boreali cana palumbes
Frigore nidificat, præcoqua & oua fouet:
Mollius & pulli vt iaceant, ſibi vellicat alas,
Queis nuda hiberno deficit ipſa gelu.

Ecquid

Ecquid Colchi pudet, vel te Progne improba? mortem
Cùm volucris propriæ prolis amore ſubit?

COMMENTARII.

I. IN nido ſuper arbore, folijs ex hiberno frigore viduata, conſtructo, ſedet palumbes, ceu pullos fotu à frigore defendẽs. Palumbes columba eſt ſilueſtris, cuius naturam deſcribit Plinius lib. 10. cap. 35.

II. *Amor pullorum in palũbe.* MAGNVM & ſingularem amorem erga prolem oſtendunt palumbes, quæ hyemis vehementiſſimo frigore, brumali nimirum tempore, quod circiter 12. diem menſis Decemb. contingere ſolet, die breuiſſimo, niue, glacie, & imbribus horrido, Sole tunc in Capricorno exiſtente, contra volucrum fermè omnium naturam nidificantes, oua ſua magna cura & ſolicitudine fouent: vtque pulli mollius & calidius iaceant, ipſa mater ſibimet plumas euellit & nido imponit, nuda interim quaſi & moritura, frigora extrema ſufferens. Propoſito itaq; harum auicularum exemplo, in quibus natura duce, ſummus amor, curaque deprehenditur erga ſuos fętus, arguitur matrum quarundam immaniũ barbara & pluſquàm ferina crudelitas, quæ ſuis vitam adimunt, edoctæ ab aue palumbe, quo affectu in eos eſſe debeant. Cæterùm ex Alphei Græco tranſlatum eſt Alciati hoc hexaſtichon, lib. 1. Anthologi.

Typus Emblematis.

Χειμερίαις νιφάδεσσι παλυνομένα τιθὰς
ὄρνις
Τέκνοις εὐναίας ἀμφέχεε πτέρυγας.
Μέσφα μιν οὐράνιον κρύος ὤλεσεν. ἦ γὰρ
ἔμεινεν
Αἰθέρος οὐρανίων ἀντίπαλος νεφέων.
Πρόκνη, ϗ μήδεια κατ' ἄιδος αἰδέσθητε
Μητέρες, ὀρνίθων ἔργα διδασκόμεναι.

Sparſa niue, hiberno cicur: alas tempore, vulſis
E plumis, pullis molle cubile parat.
Donec ab aerio tabeſcat frigore, ni ſors
Permaneat victrix frigoris aerij.
Annè vllo affecta Progne & Medea dolore
Matres? nempe auiũ ſunt ea facta licet.

Hibernis niuibus conſperſa, cicur auis,
Pullis cubitorias circũfundit plumas,
Donec ipſam aerium frigus peremerit; ſiquidem permanſit
Aeris reluctatrix cœleſtium imbrium.
Progne & Medea, cum pudore pudeat vos,
Matres, auium affectus addiſcentes.

Sic vertit Alphonſus Nunius Mitylenenſis, egregia indole iuuenis: *Verſio Alphonſi Nunij.*

Gallina hibernis niuibus cooperta, cubili
Cõpacto ex plumis pignora chara fouet.
Donec eam ſæuũ frigus malè perdidit, atq;
Ætheriis manſit nuda parens niuibus.
Sit pudor, ò Medea ferox, atque improba
Progne:
Et matres volucrum diſcite nunc opera.

Vertit etiam eadem carmina Fernandus Sanctius Franciſci frater, ſed velut paraphraſticè ſic: *Fernãdi Sanctij.*

Canus December, brumaq; ſæuiens
Montes & agros texuerat niue,
Gallina pullos mitis ales
Frigore non poterat tueri,
Nec fata charis filiolis valet
Auferre: verùm nidificat ſuis
Plumis, & alas ponit, & quam
Perdiderant reparat ſalutem.
Aſt ipſa vitam perdidit & tulit
Mortem libenter Progne aliter tamen
Colchisq; fœdare vtraq; audax
Paſſa manus proprio cruore.

Eiuſdem aliter:

Bruma fremebat atrox, pennas gallina reliquit,
Frigus vt à natis pelleret, atq; obijt.
Hinc Medea ferox, hinc Progne diſcite: namq; hæc
Bis vitam pullis præbuit, ac moritur.

III. ANTE *diem vernam*] ante vernum tẽpus, ipſo hyemis ſæuientis frigore. Palumbes poſt ſolſtitium parere Plinius docet lib. 10. Natur. hiſtor. cap. 35.

Palũbes vnde dictæ. *Cana palumbes*] cuius plumę canitiem referunt. Albertus Palumbes ſic dictos putat, quod *pareant lumbis*. Nam qui frequentiori vſu eos in cibum ſumptitare conſueuerint, in Venerem hebetiores redduntur. Quare non inſcitè illud de his auibus dixit Martialis 13. Epigram. 64.

Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbes;
Non edat hanc volucrem qui cupit eſſe ſalax.

Boreali frigore] ſæuiente Aquilone, qui frigidiſ-

frigidiſſimus eſt.

Præcoqua & oua fouet] quæ ſatiùs foret in tempus vernum poni, lapſo rigore hyemis. Præcoquus idem quod præcox, quod ante ſolitum tempus matureſcit. Martial.

Præcoquus.

Vilia maternis fueramus præcoqua ramis &c.

Sibi vellicat alas] euellit ſibi plumas, vt pullis mollius nidificet.

Queis nuda deficit] quibus plumis ipſa deſtituta moritur.

Medea.

Ecquid Colchi pudet?] Num te pudet Medea, quæ liberos ſuſtuliſti? ἀποστροφὴ ad Medeam & Prognen, quarum illa liberos, quos ex Iaſone ſuſceperat, interfecit, vt annotauimus Emblemate 54. Meminit huius Virgil. Eclog. 8. Ouidius, de remedio Amor. lib. 1. & de Triſtib. lib. 2. & 3. Metamorph. 7. Flacc. lib. 6. 7. & 8.

Progne.

Progne improba] Progne Ityn filium ex Tereo ſuſceptum trucidauit, & patri comedendum appoſuit, vt pluribus enarrauimus Emblemate 70. Habetur apud Sidon. & Statium pluribus in locis: pulcherrimè verò apud Ouidium. 6. Metamorph. De vtraque verò Iuuenalis Satyr. 6.

Credamus tragicis quidquid de Colchide torua
Dicitur, & Progne.

IV. *Matrum quarundam in fœtus impietas.*

HVC (vt dictum) ſuſceptum eſt in quaſdam ferreas & abhorrentes ab omni humanitate matres, quæ fœtus enecant, aut etiam incuria perire ſinunt: quas certè tanti flagitij vel eò magis pudere decet, cùm quæ rationis expertia ſunt, id numquam admittant, certumq́; ſit ex ijs aliqua, &, vt veriùs dixerim, præter admodum pauca, ferè omnia, tanta cura paruulos educare & tutari, vt ſe non foueant accuratiùs. Nemo eſt profectò qui neſciat, tantam non eſſe belluarum feritatem, ac quorundam hominum, qui ſua pignora relinquere non verentur, aut etiam perdere non exhorrent, quæ communis omnium parentis inſtinctus & pietas ſeruare iubet, iiſdemq́; curare, quæ ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt. Quibus itaque verbis, aut quibus, quæſo, diris deuouebimus eiuſmodi flagitium, non dicam parẽtum, ſed carnificum impiiſſimorum, qui naturæ ius, vel etiam honeſti repagulum præcipuum diſſoluerunt, quibus in animum cadere potuit tam infandum ſcelus, tantumq́ue flagitium, vt vitam innocentibus adimant; non dicam ignotis aut exteris, ſed iis qui quaſi ſui corporis membra ſint, imò reuera expreſſiſſima, non muta aut adumbrata, vt ſic dixerim, ſimulacra? Id fortè fit, vt famæ conſulatur, & ne ob hanc labem culpamq́ue teterrimam apud eos, quibuſcum viuunt, ruborem contrahant. Sed tamen

Summum crede nefas animam præferre pudori,
Et propter vitam viuendi perdere cauſſas.

Etenim quæ hæc vita eſſe poteſt, quæ aſſiduò ſibi malè conſcia nocte dieq́ue ſuum portet in pectore teſtem? Tantum verò abeſt vt immanitas ea in belluis deprehendatur, quæ etiam pueros à matribus aut relictos, aut eiectos, vberibus interdum aluerint, & pro viribus immunes à damno fecerint: cuius rei teſtes habemus hiſtorias tum Græcorum, tum Romanorum. Hic autem exemplum proponit palumbis, quæ ſæuiente frigore nidificãs, & partum emittens, ſibi plumas haud grauatur auellere, vt paruuli mollius incubent: quo fit, vt ipſa ſæpè mater gelu contabeſcat. Sulpicius Seuerus ait: lege diuina qui partum non deformatum mulieri excuſſerit, extremo ſupplicio puniendum: Quid igitur mulier, quæ audet, partum elidere, quæ ſua ipſius viſcera (horrendum dictu, factuque impium) euiſcerat? Succurrit ad hanc rem grauiſſimum Tertulliani teſtimonium: Cùm nobis homicidium ſemel interdictum ſit, etiam conceptum vtero, dum adhuc ſanguis in hominem delibatur, diſſoluere non licet. Homicidii feſtinatio eſt, prohiberi naſci: nec refert natã quis animam eripiat, an naſcentium diſturbet. Homo eſt & qui eſt futurus: & fructus hominis iam in ſemine eſt. Qua ratione mulier quędam Mileſia quòd medicamentis partum abegiſſet, damnata eſt capitis: quanquam enim eum, qui nondum eſſet homo, expuliſſet, ſuſtulerat tamen ſpem parentis, memoriam nominis, ſubſidium generis, hæredem familiæ, deſignatumq́ue ciuem Reipub. vt Cicero in Cluentiana. Ouidius alicubi deteſtatur facinus idem matrum, quæ in ſuos fœtus ita crudeles ſunt, vt vel abortiuos, vel etiam recens editos vita priuent. Sic enim ait:

Palũbes ſe ad fouendos fœtus explumat.

Sulpicij Seueri locus.

Tertulliani locus.

Quæ prima inſtituit teneros auellere fœtus,

Militia

Praeclarus Ouidij locus in matres conſultò abortientes, aut fœtũ enecãtes.

Militia fuerat digna perire ſua.
Si mos antiquis placuiſſet matribus idem,
Gens hominum vitio deperitura fuit.
Quid plenam fraudas vitam creſcentibus vuis,
Pomaq; crudeli vellis acerba manu?
Sponte fluent matura ſua: ſine creſcere nata:
Eſt pretium partus non leue vita mora.
Veſtra quid effoditis ſubiectis viſcera talis,
Et nondum natis dira venena datis?
Colchida diſperſam puerorum ſanguine culpam,
Atq; ſua caſum matre queruntur Ityn.
Dicite quis Tereus, quis vos irritet Iaſon,
Figere ſollicita corpora veſtra manu?
Hac neque in Armenijs tigres fecere latebris,
Perdere nec fœtus auſa leæna ſuos.

Lactantij locus.

Huc facit quod eleganter Lactant. lib. 6. cap. 20. in cruentiſſimos infantum occiſores ait: Ne illud quidem concedi aliquis putet, vt recentes natos liceat oblidere, quæ vel maxima eſt impietas. Ad vitam enim Deus inſpirat animas, non ad mortẽ. Verùm homines, ne quod ſit facinus, quo manus ſuas non polluant, rudibus adhuc, & ſimplicibus annis abnegant lucem, non à ſe datam. Exſpectet verò aliquis vt alieno ſanguini parcant, qui non parcũt ſuo? Sed hi ſine vlla controuerſia ſcelerati & iniuſti, qui illi quos falſa pietas cogit exponere? non poſſint innocentes exiſtimari, qui viſcera ſua in prædam canibus obijciunt: & quantum in ipſis eſt, crudelius necant, quàm ſi ſtrangulaſſent. Quis dubitet quin ſit impius, qui alienæ miſericordiæ locum non tribuit, qui etiam ſi contingat ei quod voluit, vt alatur, addixit certè ſanguinem ſuum vel ad ſeruitutem, vel ad lupanar. Hæc ille. Cicero 2. de Oratore: Feræ partus ſuos diligunt, & nos in liberos noſtros vti debemus indulgentia. Item 5. Tuſcul. Beſtiæ pro ſuo partu ita propugnant, vt vulnera excipiant, nullos impetus, nullos caſus reformident. Is vehementiſſimus in filios amor, potiſſimùm in Pelecano, aut Ægyptia, celebratur, quæ ſe neci potiùs dedere ſoleat, quàm paruuli capiantur. Ea igitur viatores fallit, eoſque tranſuerſos ſeducit: femora etiam vellicat, vt excuſſo ſanguine filij paſcantur aliquandiu. Imò in ardentem ignẽ ſe conijcit, ſeque torreri citiùs in rapida flamma ſuſtinet, quàm vt ſuos fœtus ſe ſuperſtite ſibi abripi patiatur.

φιλοστοργία.

Pelecani auis pietas in ſuos.

Cæterùm quanta ſit, eaque naturalis in liberos στοργὴ parentum, doctè Xenophon diſputat, 2. Commentar. in colloquio Socratis cum filio Lamprocleo. Euripidis citatur illud: Ἅπασιν ἀνθρώποισιν ἡ ψυχὴ, τέκνα. *Cunctis hominibus liberi ſunt anima.* Philoſtratus ſic: ζώοισιν ἡ ψυχὴ, τέκνα. *Animalibus liberi ſunt animæ inſtar.* Grãmatici porrò veteres filium, quaſi φίλιον vocant, quia nullus amor paternum vincit, in l. cùm furioſus, 7. C. de curat. furioſi & l. iſti quidem, 8. ff. quod met. cauſſ. Ex quo illud Poetæ in 1. Æneid.

Filius vnde dictus.

Omnis in Aſcanio cari ſtat cura parentis.

Et Cicero ad Atticum: Filiola tua te delectari gaudeo: probo enim, vt qui maximè, τὴν στοργὴν φυσικὴν πρὸς τὰ τέκνα. Et celebrata ſapientibus ἡ φιλοστοργία, de qua egregie Plutarch. Elegans apud eundem poetam locus 4. Æneid. quo Anna ſoror Didoni ſuadet nuptias iterare πρὸς τὴν παιδοποιΐαν, his omnino verbis:

Solane perpetua mærens carpere iuuenta?
Nec dulces natos, Veneris nec præmia noris?

Apud Gratianum, 2. q. 2. Pudor eſt fœminis nuptiarum præmia non habere. Quare & in fictitio argumento, lepido tamen, 1. Æneid. Iuno pollicetur Æolo ſe daturam pro præmio nympham formoſam, fecundam, certo connubio ſociandam:

Quarum quæ forma pulcherrima Deiopeiam
Connubio iungam ſtabili, propriamq; dicabo:
Omnes vt tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulcra faciat te prole parẽtem.

Sed hoc generalius. In Pandectis iuris ciuilis animaduertimus id eſſe verũ, quod natura omnium parens ſingulis noſtrum animis inſeuit, pro affectu parentes magis torqueri in perſona liberorum, l. 8. Quod metus cauſa. Vnde leges ſtatuunt, in quæſtionibus habendis prius filium quam patrem, ſed eo præſente vel ſciente torturæ ſubijciendum: ſic enim durius filij quam ſuiipſius pœna affectum, facilius ad veritatis confeſſionem compelli. Ad id nobile eſt Arſinoes exemplum, quæ à Ptolemæo fratre inſidijs & fraude decepta, cùm eſſet conſpicata immiſſos percuſſores in filios impuberes, complexa eos ad ſe fugientes, ea parte, qua vulnera filijs intendebantur, diu

Pater ex pœna filij torquetur.

Arſinoes mira in liberos pietas.

dia corpus ſuum cædendum oppoſuit, multisque ita vulneribus acceptis, eorum ſaluti conſulere non potuit, ſed vna cum ijs eſt miſerrimè confoſſa. Legimus in expeditione Cyri minoris apud Xenophontem lib. 4. à puero quodam, Dracontio nomine, per imprudentiam puerum interemptũ fuiſſe, quamobrẽ in exilium pulſus quamquã puer & imprudens. Sed iudices non tã quidem iniuriã, quę non poteſt eſſe ſine animo nocẽdi, quàm parentũ incuriã in filio vindicauerunt. Poſſet idem Emblema multis exemplis inſignis parentum amoris illuſtrari, quæ quia peti poſſunt ex Val. Maximo lib. 5. Sabel. lib. 3. Æliano, & alijs, nolo longiori ſermone lectorem detinere, ſed pium Æneam filijs exemplum ſtatuere pietatis in parentes paro.

Pietas filiorum in parentes.

EMBLEMA CXCV.



PER medios hoſteis patria cum ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus:
Parcite, dicebat: vobis ſene adorea rapto
Nulla erit, erepto ſed patre ſumma mihi.

COMMENTARII.

1. PIVS Æneas armatus patrem Anchiſen ſenio confectum, humeris ſuis exceptum baiulat, & per mediam flammam incenſæ Troiæ ereptum defert.

ÆNEAS potiſſimum commendatur ob ſummam in patrem Anchiſen pietatẽ, Ilio II. *Aeneæ pietas.*

Ilio enim expugnato, & iamiam conflagrãte, ille cunctis alijs facilè neglectis, Deos penates abduxit, & patrem humeris è media flamma ſuſtulit. Quod hoſtes Græci cùm vidiſſent, moti pietate tam inſigni, ei, quod ſibi dari poſtulabat, conceſſere, & abeundi quò vellet, facultatem non interclusere, fatentes illi quidem hoſtilitatis remitti iura, & manſuetudinem eſſe adhibendam, aduerſus eos potiſſimùm, qui ita verecundè ſe in Deos & parentes gerant. Refert Aelian. 3. ποικίλ. ἱςορ. Virg. 2. Aeneid. Ouidius 13 Metam. Hoc autem extulit è Græco auctoris innominati, quod eſt lib. 1. Epigram. εἰς φιλοςοργίας.

Typus Emblematis. ἐκ πυρὸς ἰλιακοῦ, δοράτων μέσον ἥρ πάσεν ἥρως

αἰνείας, ὅσιον παιδὶ βάρος πατέρα.
ἔκλαγε δ' ἀργείοις, μὴ ψαύετε, μικρὸν ἐς ἄρη
κέρδος ὁ γηραλέος, τῷ δὲ φέροντι, μέγα.

Sic conatus eſt aliquando reddere Claudius Minos:

Ex incendio Iliaco, telorum per medium eripuit heros
Aeneas pium filio pondus, patrem;
Acclamabat autem Argiuis: Ne tangite: exiguum ad Martem
Lucrum ſenex; at [mihi] ferenti magnum.

Suſtulit Æneas Graium per tela, per ignes
Inualidi ſanctum quando parẽtis onus:
Parcite ei, dixit: nihil hoc è Marte lucelli,
At mihi ſublato gloria ſumma patre.

Marullus lib. 3. eodem omnino argumẽto.

Cum ferret medios proles Cytheræa per hoſtes
Impoſiti collo languida membra patris:
Parcite, ait, Danai, leuis eſt ſene gloria rapto;
At non erepto gloria patre leuis.

Cum quo Epigrammate non inuitus conferre velim lepidum Actij Sinceri, Itali Poetæ reuera politi & elegantis carmen, quòd in gemmam ſcripſit è Sinueſſæ ruinis erutam: qua in gemma ſculptus Aeneas Anchiſen patrem & Aſcanium humeris ſuſtollens conſpiciebatur. Id eſt eiuſmodi:

Epigramma Sannazarij. *Hac mihi quæ roſeos iuſſit ſordere hyacinthos,*
Et nitet articulis vnica gemma meis:
Ciuilis in exiguo ductor ſtat Troicus orbe,
Anchiſesq; ſenex, Aſcaniusq; puer
Quis credat? veteres inter neglecta ruinas,
Et vili latuit ſemiſepulta ſolo.
Tu tamen obrueras, nec te Sinueſſa pudebat
Hoc decus, heu, terris occuluiſſe tuis?
Scilicet Aeneam, natumque patremq; gerentem,
Ignibus ereptos obrueresq; Deos?
Parcere debueras, cui iam pia flamma pepercit,
Nec te tam turpi dedecorare nota.
Et dubitem Belgasq; feros, rigidoſque Britannos
Hac comite ignotos & penetrare ſinus?
Hac eſt Iliacos pietas ſpectanda per ignes,
Cum verita eſt profugos lædere flamma Deos.

Huc facit pulcherrimus Senecæ locus 3. de Beneficijs, vbi ait: Hoc agite, optimi iuuenes, propoſita eſt inter parentes ac liberos honeſta contentio. Sumite modò animum qualem decet, & deficere nolite, vt vincatis optantes. Nec deſunt tã pulchro certamini duces, qui ad ſimilia vos cohortentur, ac per veſtigia ſua ire ad victoriam ſæpè iam partam ex parentibus iubeant. Vicit Aeneas patrem ipſe, cuius infantia leue tutumque geſtamen, grauem ſenio, per media hoſtium agmina, & per cadẽtis circa ſe vrbis ruinas ferens, cùm complexus ſacra ac penates Deos religioſus ſenex non ſimplici vadentem ſarcina premeret, tulit illum per ignes: & quid non pietas poteſt? Hæc Seneca. — Pulcher Senecæ locus.

III. *PER medios hoſtes*] Per medios Græcorum militum copias.

Patria] Ilij ſiue Troiæ.

Ferret ab igne] ab incẽdio. Prouerbium ſapit, quo vſus eſt Ariſtides in Apellæ genethliaco: ἐκ μέσου, φασὶν, πυρὸς τὸν ἄνδρα σώζειν. *E medio, quod dicitur, incẽdio ſeruare virum*; pro eo quod eſt, è maximo periculo liberare.

Dulce parentis onus.] Sic ferè Ouid. 2. Faſtor.

Deq; viri collo dulce pependit onus.

de Lucretio loquitur. Catullus ad Manlium:

Ingratum tremuli tollo parentis onus.

Adorea.] Gloria, victoria bellica. Horat. 4. Carm. Ode 4. — Adorea quid.

Qui primus alma riſit adorea.

Plinius cap. 3 lib. 18. Gloriam ipſam à farris honore adoream appellabant, quia glorioſum eum putabant veteres, qui farris

copia

copia abundaret, vt tradit Feſt. Pompeius, Ammian. Marcell. 20. Laborum factorum que vehens adoreas celſas. Sidonius Apollinar. Epiſt. 7. Pollet triumphalibus adoreis familiæ tuæ defatigari? Apuleius Aſini aurei 3. Iam & ipſe poſſum mihi primam iſtam virtutis adoream numerare. & 7. Vt, quod aiunt, domi foriſque fortibus factis adorea plenè gloriaret. Mamertinus Panegyrico: Cùm honorem meum adoreis militaribus cumularet: Claudian. de laudib. Stiliconis in fine:

Hac omnes veterum reuocauit adorea laurus.

Marcellinus lib. 25. Hiſt. Catilina claras gloriarum adoreas ſempiternis maculis obumbrauit.

Rapto, erepto.] Obſerua diſcrimen ſignificationis inter ſimplex & compoſitũ; vt illud eſt in ſuperioribus, Emblemate 90.

Viris rapimur, piſcibus eripimur.

IV. *Pietatis exẽplum Æneas.* SCRIPTORES plerique graues, vt oſtenderent longè pulcherrimum pietatis in parentes ſimulacrum, Æneam inſigni pietate virum, & qui è medio patriæ incendio ſenio confectum patrem humeris ſuſtulerit, repræſentari voluerunt. Etenim vna pietas eſt, quæ hominem maximè commendat, vel quæ iratiſſimos hoſtes ad manſuetudinem lenitatemque cogat, manuſque continere iubeat. Quare hoc loco monemur, quanta obſeruantia, quanto q; amore debeamus proſequi parentes, à quibus ſecundum Deum vſuram vitæ communis accepimus. Sunt enim parentes *viua quadam veraque imagines cõmunis omnium parentis Dei*, ἀγάλματα τῦ πάντων πατρὸς Διός, teſte Proclo: dixitque Hierocles τοὺς γονέας εἶναι τοὺς δευτέρους καὶ ἐπιγείους τινὰς θεούς, Stobæus retulit ſer. 77. neq; vllus eſt, qui Deum rectè colere & obſeruare poteſt, qui in parentes fuerit impius: θεοὶ μέγιστοι τοῖς φρονοῦσιν οἱ γονεῖς. *Parentes ſunt inſtar Deorum certè maximorum apud prudentes.* Platonis non malè quadrabit oraculum hoc loco; ſic enim 11. Leg. *Cuius pater materve, aut horum parentes ſenio confecti, quaſi theſaurus aliquis, domi iacent, is putet numquam aliud ſibi tale ſimulacrum vel magis efficax domi affuturum, ſi rectè, vt decet, ab eo colatur.* Id eſt: πατὴρ οὖν ὅτῳ καὶ μήτηρ, ἢ τούτων πατέρες ἢ μητέρες ἐν οἰκίᾳ κεῖνται κειμήλιοι, ἀπειρηκότες γήρᾳ, μηδεὶς διανοηθήτω ποτε ἄγαλμα αὐτῷ τοιοῦτον ἑδραῖον οἴκημα ἐν οἰκίᾳ ἔχων μᾶλλον κύριον ἔσεσθαι, ἐὰν δὴ κατὰ τρόπον γε ὀρθῶς αὐτὸ θεραπεύῃ ὁ κεκτημένος. Hanc ſanè vel iure naturæ filij parentibus pietatem debent, vt poſthabitis diuitijs, rebusq; caducis omnibus, illis in primis, etiam cum diſcrimine vitæ libentiſſimè ſubueniant, eos nutriant & venerentur obſeruantiſſimè. Numeratur & inter Decalogi præcepta vnicum, cui præmium annectitur, longæua nimirum in terris vita, Exodi 20. Exemplum inſigne pietatis præter noſtrum Æneam habemus iuuenem Pineſem, cui Plutoni cognomen erat. Hic tanto animi corporiſve robore armatus fuit, vt (teſte Val. Maxim. lib. 5.) cum obſeſſæ vrbis ſuæ clauſtris præſideret, & Romanus Imperator patrem eius captiuum in conſpectu ipſius conſtitutum, diſtrictis militum gladiis circumdediſſet, occiſurum ſe minitans, niſi irruptioni ſuæ iter præbuiſſet, ſolus è manibus eorum ſenẽ rapuerit: duplici pietate memorãdus, quod & patris ſeruator, nec patriæ fuit proditor. Quid Cimon Athenienſis? qua & ipſe pietate cenſendus? Qui vt Milciadem patrem publicè damnatum vinculis eximeret, vltrò ſe carceri obtulit, mortem (vt credere æquum eſt) libens oppetiturus, modò patrem à periculo ſeruaſſet. Illuſtrantur hæc memorabili hiſtoria, quæ à Fazello recenſetur, lib. 3. cap. 1. prior. Decad. Duorum, inquit, fratrum ſepultura & pietate Catana celebrata eſt, quos Catanenſes quidem Anapium & Amphinomum; Syracuſani verò, qui de eorum patria contendunt, Emanthium & Critonem vocant. Hi Ætna quondam latè incendiis graſſante, parentes ſenio confectos, & ad ſui ab igne fluente liberationem impotentes, vt eorum vitæ conſulerent, patrem vnus, matrem alter humeris ſufferentes ab incendii loco quàm celerrimè aſportarunt. Cumq; parentum preſſi pondere tardius (vt par erat) iter conficerent, à vicinis & inſequentibus ignibus viſi ſunt opprimi: qui tamen cum ab incepto pio opere ob periculi metum non deſiſterent, ardentium ignem fluenta, cùm ad eos peruenisset (mirum viſu) iuxta illorum pedes in duas partes ſunt diſiecta, ac ipſos cũ parentibus adoleſcentes, nullo eis illato æſtu

Marginal notes: *Locus Platonis de pieta-* (left, at Plato quotation); *te filiorũ in parentes.* (right); *Plutonis, iuuenis cuiuſdam pietas.*; *Cimonis.*; *Anapij et Amphinomi pietas.*

æſtu neq; incommodo prætierunt. Sed poſt eos, vt res mira dilucidiùs appareret, rurſus flammæ in vnum corpus coierunt. Qua virtute ac miraculo commendatis adoleſcentibus poſt obitum eorum Catanenſes monumentum regia magnificentia erexerunt, regium perpetuum nomen indicentes; Piorum namque campum eum appellarunt; ac ſtatos ſolennesq; honores perpetuò illis impendendos dedicarunt; quos quolibet anno ætate etiam ſua Pauſanias magna pompa perſolutos fuiſſe docet. Hinc videmus Deum verum Ethnicos quoq; ſingulari miraculo erudiiſſe, quod liberi poſthabito proprio periculo, curam parentum habere, omniq; ratione illis opitulari tenerentur. Magna ſunt hæc virilis pietatis opera, ſed neſcio an his omnibus valentius & animoſius Claudiæ Veſtalis virginis factum, quæ cùm patrem ſuum triumphantem è curru violenta Trib. plebis manu detrahi animaduertiſſet, mira celeritate vtriſq; ſe interponendo, ampliſſimam poteſtatem inimicitijs accenſam depulit. Igitur alterum triumphum pater in Capitolium, alterum filia in ædem Veſtæ tulit; nec diſcerni potuit, vtri plus laudis tribueretur, cui victoria, an cui pietas comes aderat. Sed ad viros declinamus. Oppium à triumuiris proſcriptum (dum ad ſupplicium quæreretur) filius humeris extulit, & incolumem peruexit in Siciliam. Refert Tacitus lib. 3. Hiſtor. Sub Vitellij nefarij hominis principatu mirum dictu accidit, & non poſtremæ pietatis exemplum. Iulius Manſuetus ex Hiſpania rapaci legioni additus, impuberem filium domi liquerat. Is mox adultus inter Septimanos à Galba conſcriptus, oblatum forte patrem vulnere ſtratum, dum ſemianimem ſcrutatur, agnitus, agnoſcenſque, & exſanguem amplexus, voce flebili precabatur piatos patris manes, neve ſe vt parricidam auerſarentur: publicum id facinus: & vnum militē, quotam ciuiliū armorum partem: ſimul attollere corpus, aperire humū, ſupremo erga parentē officio fungi. Aduertere proximi, dein de plures, hinc per omnē aciem miraculum, & queſtus, & ſæuiſſimi belli execratio. Sic Tacitus. Sed audiamus diuinum Platonem verbis efficaciſſimis paternam venerationem inculcantem. Ergo (inquit in libris de legibus) fas eſt, parentibus prima & maxima debita, omnium antiquiſſima debitorum perſoluere. Putare enim quisque debet, omnia quæ poſſidet, eorum eſſe qui genuerunt & educarunt: ita vt illis hæc omnia pro viribus miniſtrare debeat; primum quidem externa bona, deinde etiam corporis, poſtremo quæ ad animum pertinent. Verbis quin etiam per totam vitam parentes maximè venerari decet: leuium enim volatiliumq; verborum grauiſſima imminet pœna. Nam omnibus præpoſita eſt Nemeſis, iudicij angelus, huiuſcemodi inſpector omniū. Oportet itaq; iratis, animumq; explentibus cedere, ſeu verbis ſeu rebus id faciat. Quod ſi ita exactius ſeruarimus, digna à Dijs cæteriſque natura noſtra ſuperioribus præmia referemus, plurimum bona cum ſpe viuentes. Hæc Philoſophi placita qui altiùs certiùsq; imbiberit, in eam, opinor, ſententiam pedibus ibit, in Galatam altius hauſerit. Lemnio etiam ſcelere imbutus, nulla eloquij facultate, nulla præſtantis ingenij ſolertia exprimi poſſe, quam laudabile, quàm omni excipiendum plauſu feſtiſq; vocibus, ſi quem audias parētibus obſequentiſſimum filium, & in eo vno contumacem, ne beneficiis vincatur. Quod eſſe certamen omnium ſpecioſiſſimum quis ambigat? in quo feſſis, etiamſi ad triarios res redeat, ſubinde tamen reſtituenda ſit acies, ſucclamādumq; Felices qui vicerint, felices qui vincentur. Porrò de filiorum in parentes pietate vide Valeriū Maxim. lib. 5. cap. 4. Ariſtotelem in lib. de Mundo ad Alexandrum, in ipſo fine, & Herodotum in 1. Hiſt. de Bithone: Nobis ad mulieres reuertendum eſt.

Claudia Veſtalis pietas.

Oppij pietas.

Mira pietas in filio erga parētem.

Platonis ſcita de parentū cultu.

Mulieris

Mulieris famam, non formam, vulgatã eſſe oportere.

EMBLEMA CXCVI.



DIALOGISMVS.

ALMA Venus, quænam hæc facies? quid denotat illa
Teſtudo, molli quam pede Diua premis?
Me ſic effinxit Phidias, ſexumq́ referri
Fæmineum noſtra iuſſit ab effigie:
Quodq́ manere domi, & tacitas decet eſſe puellas,
Suppoſuit pedibus talia ſigna meis.

COMMENTARII.

I. VENVS nuda, cum ſuo Cupidine ſolitis armis inſtructo, iuxta lectum genialem aſtat, pede vno teſtudinem premens.

II. TITVLVS huius Emblematis ſunt verba Euripidis, vt teſtatur ipſe Alciatus in libro de verb. ſignific. Sed & illa habet Plutarchus in eo, quem de mulierum virtutibus ſcripſit libello; ſic enim ibi: περὶ ἀρετῆς γυναικῶν, ὁ τὴν αὐτὴν τῷ Θουκυδίδῃ *Titulus Emblematis.*

τὴν γνώμην ἔχομεν. ὁ μὲν γὰρ, ἧς ἂν ἐλάχιστος ᾖ παρὰ τοῖς ἐκτὸς ψόγου πέρι ἢ ἐπαίνου λόγος, ἀρίστην ἀποφαίνεται, καθάπερ τὸ σῶμα καὶ τοὔνομα τῆς ἀγαθῆς γυναικὸς οἰόμενος δεῖν κατάκλειστον εἶναι καὶ ἀνέξοδον. ἡμῖν δὲ κομψότερος μᾶλλον ὁ Γοργίας φαίνεται, κελεύων μὴ τὸ εἶδος, ἀλλὰ τὴν δόξαν εἶναι πολλοῖς γνώριμον τῆς γυναικός. Id eſt: *Longè aliter ego de mulierum virtute ſentio quàm Thucydides. Is enim eam in primis laudandam eſſe mulierem vult, de qua minimus aut in bonam aut in malam partem rumor. Etenim cenſet optimè vt corpus, ita & famam ſapientis fœminæ domi eſſe inclusam, neq; in publicum exire debere. At mihi hac in parte concinnior videtur Gorgias, qui mulieris non formam, ſed famam vult multis eſſe notam.* Hæc Plutarchus. De ipſo verò Emblemate Pauſanias in Eliacis poſterioribus ſic ſcripſit: Area templo ſacrata ſub diuo, non longè abeſt. Quæ ibi colitur, Cœleſtem Venerem vocant. Eius ex auro & ebore ſignum eſt, Phidiæ opus: altero pede teſtudinem premit. Area ipſa maceria eſt circumſepta, intra maceriam crepido, ſuper qua Veneris (quam Populärem nominant) ſignum ex ære capro inſidet, ex eadem fabricato materia, Scopę opus. Quę vel teſtudinis, vel capri ratio ſit, quibus hæc perſcrutari curæ eſt, quærendum relinquo. Hæc Pauſanias, qui nobis indicare noluit, quare teſtudinem calcaret Venus. Quare Plutarchum adeamus, ex quo totum Emblema ſumptum videtur. Is igitur in præceptis connubialibus refert, Phidiam Elienſibus Venerem ita finxiſſe, vt teſtudinem calcaret: tacitè ſignificans, vxoribus domi manendum eſſe, ſilendumq; Refert Stobæus ſermon. 72. Hoc etiam agalma Phidiæ eodem penè modo lepido Emblemate expreſſit Hadrianus Iunius, rariſſimum Galliæ Belgicæ decus: pingit enim recto corporis ſtatu mulierem, dextra clauium faſcem præ ſe tenentem, læua ori oppoſita, qua ſpecie Angerouia Dea, ſilentij præſul obſignato ore figurabatur apud priſcos. Quibus indicat ternas præcipuas vxoris dotes, nimirum reſidem domi ſuæ operam, deinde mariti induſtria quæſitarum opum cuſtodiam, poſtremò linguæ continentiam. Eſt autem numero 50. cum inſcriptione, *Vxoria virtutes.*

Emblema unde petitum.

Iunij Emblema.

Teſtudo premitur pede, clauem dextra retentat,
Vacat abſtruſis dentibus ſopita altera:
Ne lingua diſcurſet coniux; neu futilis eſto,
Ipſumq; cura opum tuendarũ addecet.

Idem Iunius Emblemate 24. pingit Venerem nudam, ſerto myrteo redimitam intercurrentibus roſis, caſto, hoc eſt, baltheo vario & pulcherrimo infra pectus ambiente, dextrâ tenentem tria mala aurea, læua columbam, pedibus teſtudinem calcãtem: ſymbolicè nuditate ſimplicitatem & apertum pectus vxoris demõſtrat, per columbas puritatem & blanditias, per aurea mala (de quibus nos paulò ante Emblem. 191.) caſti amoris illicium, per ceſtum coniunctionem deuinctionemq; animorũ, per teſtudinem & ſilentium, & anxiam rei familiaris curam. E regione opponit Mineruam virginis ſpecie, oculis acribus & glaucis, haſtam dextra, clypeum læua tenentem, cuius vmbo Gorgonis anguicomę caput haſtã attingat: ita enim ferè à Pauſania in Atticis, & à Cornuto depingitur. Epigraphe talis eſt: *Virginem pudicitia, matronam domus ſatagere.* Epigramma vero:

Aliud eiuſdem Emblema.

Cernuus armiſona præbet draco colla Mineruæ;
Domiportã at exterit Venus teſtudinẽ.
Virgo ſui ſatagit decoris bene prouida: at vxor
Frugi ſilet, nec limen excedit domus.

Proditum enim eſt à Plutarcho lib. de Iſide, Phidiam, clariſſimi nominis ſtatuariũ, finxiſſe Palladis ſimulacrum, pedibus draconem prementis; & alterũ Veneris apud Eleos, pede calcantis teſtudinem: argumento in illa cuſtodiæ ſui, quæ virginẽ deceat (vt nos pluribus Emblemate 22. diximus) in hac ſilentij curæq; rei domeſticę, quæ matronam deceat. Meminit etiam eiuſdem Pierius lib. 28. Hieroglyph.

III. *ALMA Venus*] Virgilius 1. Aeneid.

Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam.

Venus amorum, luxuriæ, & libidinis fautrix atq; magiſtra, eas enim prima & adinuenit & edocuit. Idcirco in Deorum numerum relata, & mater geminorum Cupidinum dicitur. De qua ſic Mantuanus:

Venus.

Mater adulterij Venus eſt, ſtuprìq; repertrix:
Quin & luxuria nutrix, & mater amorũ.

Nec vllum fermè numen veterum Deorum maioribus ſacris & cæremonijs, fre-

quentioribusq; locis honoratam legitur. Colebatur & à Cois, vbi Apelles eius effigiem vſq; adeo feliciter inceptam, ſed moriens imperfectam reliquit, vt deinde reperiri nemo potuerit, qui ſupremam manũ tam egregio operi auderet imponere. Cic. lib. 3. Offic.

Quanam hac facies?] effigies, ſtatua.

Teſtudo. *Teſtudo*] à tegendo, vel quod teſtu tecta ſit, ait Varro. Animal mutum, tardè incedens, nunquam domo ſua egreditur, ſed illã vbiq; ſecum circumfert, vt habet apologus Aeſopicus de cochlea. Hinc φερέοικον, id eſt, *domiportam* appellat Heſiodus 2. ἔργων. Cicero 2. de diuinatione ex Pacuuio citat hoc ænigmaticum:

Ænigma de teſtudine.

Sanguine caſſa, domiporta, terrigena traditur,
Quadrupes, tardigrada, agreſtis, humilis, aſpera,
Capite breui, ceruice anguina, aſpectu truci,
Euiſcerata, inanima, cum animali ſono.

Et alius quiſpiam alludens ad noſtrum Emblema:

Tardigrada, herbigrada, domiporta, & ſanguine caſſa,
Sub pedibus Veneris Cous quam pinxit Apelles.

Vide etiam Petrum Crinitum lib. 11. c. 7. Elegantiſſimum verò de Teſtudine ænigma aliquando legi Italico idiomate, quod huc non grauabor apponere, vt varietas delectet.

Io ſon negro di gola, ed hò il gauazzo.
Copro la teſta, e non hò alcun capello.
Saglio in aria talhor, ne ſon augello.
Sono innocente, ed i poeti ammazzo.
Vo pè campi, e ſto ſempre al mio palazzo,
Ch'è dipinto di fuor ſenza penello.
Non attendo nè à guerra, nè à duello,
E com'un caualier m'armo e incorazzo.
Genero con lo ſguardo i figli miei.
Paſco l'herbette, e pecora non ſono.
Non ſon ſerpente, e n'hò la teſta e i piei.
Viua mi taccio, e poi morta riſono.
Anzi nel tempo de gli antichi Dei,
S'un Muſico cantaua, io facea il ſuono.
Meco hò quant'hò di buono.
E talhor, poi che moro, il mio caſino
Diuenta un fiaſco, in cui non ſta mai vino.

Aliud. Sed quia ad ænigmata diuertimus, vno & altero adhuc ænigmate nos teſtudinis tarditas detinebit.

Tarda gradu lento, ſpecioſo prædita dorſo;
Docta quidem ſtudio, ſed ſæuo prædita fato:
Viua nihil dixi, quæ ſic modò mortua cãto.

Alterum de pluribus de ſe loquentibus:

Non tecti cupimus, nunquam extra tecta vagamur,
Quin etiã grata quo gerimur gerimus.
Nec vox, nec ſine voce ſumus, dum viuimus, edunt
Mortua concordes corpora noſtra ſonos.

Mulier unde dicta. *Molli quam pede*] delicatulo. Alluſio tacita ad mulieris nomen, quod à mollicie ductum volunt. Ego potiùs à malitia, etiam repugnãte toto Grammaticulorum ſenatu.

Phidias. *Effinxit Phidias*] Phidias pictor & ſtatuarius inſignis, præſertim ex ebore, à Plinio nominatur artifex nunquam ſatis laudatus. Hic præter Palladis & Veneris ſtatuas, quas diximus, etiam effinxit Iouem Olympicum tanto artificio, vt omnes ſe imitari poſſe deſperarent. De alijs operibus præſtantiſſimis repete, quæ habet *Plinius lib. 34. cap. 8. & lib. 36. cap. 5.* In hoc verò verſu *(vt obiter) nomen Phidias,* fortè eſt diſſyllabũ, propter priorem longã.

Venus, vocabulum polyſemum. *Sexumq; referri Fœmineum.*] Venus pro vxore, amica, & matre familias alicubi reperitur. Virgil. 3. Eclog.

Parta meæ Veneri ſunt munera.

Macrob. etiam Satur. 1. pro generandi facultate accipit, vt apud Pompeium Feſtũ, Cypris vel Cypria Venus, quia parientibus præſideat, quòd Græcè κύειν parere ſit, vt alibi dictum.

Quodq; manere domi] agere quæ ſunt matrisfamilias Columella initio lib. 12. de re ruſtica.

Tacitas] taciturnas.

IV. DVO præcipuè ſunt, quibus hoc loco commẽdat honeſtam matremfamilias Alciatus, ſilentium ſcilicet & familiæ procuratio. Vt enim nullum vitium citius fœminam dedecorat, quàm loquacitas; ſic hæ probro ſolent affici, quæ hac illacque curſitant. De vtroque aliquid dicendum. *Silẽtium mulierẽ decere.* Quantum ergo attinet ad mulieris ſilentium, Epicharmus aiebat ſermonis parcitatem in muliere probitatis eſſe argumentum: Nicoſtratus, caſtitatis pignus: Democritus, ornamentum pulcherrimum. Illud quę Sophoclis prouerbiale celebratur à doctis:

γυναιξὶ

γυναικὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
Silentium addit fœminis decus.

Contrà verò, vt eſt apud Euripidem, quæ apud viros tacere non poſſunt, ſeſe dedecore aſpergunt. Silentium vxoris ego neq; ſuſpectum habeo, neq; timeo (ait declam. 280. Quintilianus) decet hoc matronalem pudorem: & ſi ducta fuerit ad magiſtratum, hoc illã maximè facturam arbitror, vt taceat. Theano Metapontinę, vati & virgini doctiſſimæ, magnum fœminæ ornamentum eſſe placuit, ſilentium, quo caſtitas & prudentia ſuauiſſimè condiantur. Illa demùm fœmina facundiſſima eſt, cui cùm verba erunt ad viros facienda, rubore ſuffundatur, turbetur animus; & verba non ſuppetant, quæ non fluxo & pertuſo ſit corde, vt inter pares omnia, & aliena & ſua effutiat, nihilq; penſi habeat, quid loquatur. Hæc quidem difficillima, ſed & pulcherrima erit virtus fœminæ, coercere linguam, quod non erit operoſum efficere, ſi ſe habuerit in poteſtate, ne quibuſvis perturbationibus ſe permittat. Equidem linguam tum demum optimam eſſe armaturam cum Gellio lib. 1. cap 15. crediderim, quando vinculis quibuſdam in imo pectore gubernatur. Vide adagium, *Mulierem ornat ſilentium*. Obſeruatum quondam fuit, mulierem propriam cauſam in foro dixiſſe, ideoq; perterritum ſenatum miſiſſe Deos conſultum, quidnam ea res ciuitati portenderet: ita exoſa fuit fœminę eloquentia, ne dicam garrulitas. Noſtrates quoq; fœminæ totam ſupellectilem, & vniuerſam armaturam in lingua habẽt; hac vice ſcuti vtuntur *γλωσσάσπιδες*: hanc vt gladium ſtringunt, vnde ſæpius ipſis vagina, hoc eſt, os percutitur. Nam vbi lingua res geritur, ne ſeptem quidem viri vni fœminæ pares ſunt. De hac verboſitate fœminarum ſcribit Iuuenalis Sat. 6.

Fœmina quæ facunda.

Lingua mulierũ gladius.

Vna laboranti poterit ſuccurrere Lunæ,
Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas
Pulſari.

Et nos Germani:

Drey VVeiber, drey Gens, drey Frœſch
darbey,
Machẽ ein IarmarcKt mit irem geſchrey.

Quod ſic Latinè ſonat:

Ranæ tres, & anus totidẽ, tres inſuper aucæ,
Poſſunt immenſum voce replere forum.

Fœmina cur garrula.

Sed quid mirum? Sunt enim fęminæ prima ſua creatione ex oſſibus compoſitæ, nempe ex coſta Adæ: quare ſi colligantur coſtæ in ſacco & collidantur, ſonũ edunt, quod non facit terra: ita mulieres ſunt loquaciores viris, qui de terra facti ſunt in Adamo. Veniam ad alteram partem, ad rei domeſticæ nimirum adminiſtrationem, de qua multa apud Plutarchum lib. de præceptis quibus coniuges inſtituuntur. Interea tamen alia adferam, & in primis id Columellæ è proęmio 12. de re ruſtica: Cum & operam & diligentiã ea, quæ propoſuimus, deſiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi cuſtodiri oporteret, iure à natura comparata eſt mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam. Itaq; viro calores & frigora perpetienda: tum etiam itinera & labores pacis ac belli, id eſt, ruſticationis & militarium ſtipendiorum diſtribuit. Mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignauerat, idcircò timidiorem reddidit quàm virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Plutarchus in præceptis connubialibus ait, mulieres à Luna oportere diuerſas eſſe, quæ quo à Sole ſpectatur remotior, eò apparet eſſe clarior: eadem cũ Sole nullum habere videtur lumen. Nam vxor modeſta & ſapiens præſente tantum viro à cæteris conſpici, eodem abſente, domi ſe debet continere. Quod rectè in Heraclidis admonuit Euripides:

Mulier à natura curæ domeſticæ data.

Pudica mulieris officium.

γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
κάλλιστον, εἴσω δ᾽ ἥσυχον μένειν δόμων.

Docuerunt etiam illud permulti, qui de œconomia & officio matrisfamilias ſcripſerũt. Sed illud Propertij ſubinde occurrit:

Felix Admeti coniux, & lectus Vlyſſis,
Et quæcunq; viri fœmina limen amat.

Sic Maro 2. Georg.

Caſta pudicitiam ſeruat domus.

In lege vetere Romuli, viri conſors mulier, ſacrorumque ſocia. Dionyſ. Halicarnaſſ. in 2. *γυναῖκα γαμετὴν κατὰ νόμους ἱεροὺς συνελθοῦσαν ἀνδρὶ κοινωνὸν ἁπάντων εἶναι χρημάτων τε καὶ ἱερῶν*: dominus rerum mariti, diuinæ & humanæ domus ſocia, in l. 1. ff. rer. amot. l. 1. de rit. nupt. l. 4. C. de crim. expil. hęredit. Vnde materfamilias dicta veteribus *οἰκοδέσποινα*. Clementi Alexãdrino, *τῆς οἰκουρίας συμβιοτὴς*,

Vxor viri ſocia.

βιοτῆς adiutrix operum rei domeſticæ. Valerius Maximus eſt teſtis, quoſdam ſuas vxores repudiaſſe, quod cum alijs fuiſſent collocutæ. Putabant enim non ſatis dignum matrisfamilias nomine, ſi in publico verſaretur. Quamobrem Conſtantinus, l. Nemo. C. de off. diuer. iud. vetuit, ne materfamilias in publicum protraheretur, nempe ob verecundiam ſexus, l. 2. §. 1. C. de his qui ven. ætat. imp. Sed & mulieres virorum cœtibus immiſceri non conuenit, ait Bonifacius, in c. Mulieres, De iudicijs, in 6. Succurrit exemplum nobile & graue imprimis Sulpicij Galli, qui vxorem dimiſit, quod eam aperto capite foris verſatam cognouerat. Lex enim, inquit, tibi meos tantùm præfinit oculos, quibus formam tuam approbes. His decoris inſtrumenta compara, his eſto ſpecioſa, horum te certiori crede noticiæ. Vlterior tui conſpectus ſuperuacua irritatione acceſſitus, in ſuſpicione & crimine ſubhæreat neceſſe eſt. Val. Max. lib. 6. capu De ſeueritate.

Sulpicij ſeueritas.

Locus Ariſtotelis. Ariſtoteles in Œconomicis, ne veſtium elegantiam nitoremque, neo auri pretium aut magnitudinem tantum habere momenti ad mulieris commendationem ait, quantum modeſtia valeat & probati mores. Hinc illud Propertij matronas veteres laudantis:

Non illis ſtudiũ vulgò conquirere amãtes:
Illis ampla ſatis forma, pudicitia.

Aegyptiæ mulieres. Porrò didicimus ex veterum hiſtorijs mulieres olim teſtudineas imagines geſtare ſolitas, quas Veneri conſecrarent. Apud Aegyptios tanta fuit pudicitiæ muliebris cura, vt patrio inſtituto calceorum vſus eſſet interdictus mulieribus, ne tam ſæpe palam conſpicerentur, ſed tanquam teſtudines in ſua cochlea manere cogerentur. Ex quo intelligimus, non poſtremam fuiſſe matronarum laudem, ſi domo non niſi neceſſariò excederent, operaq́; muliebria tractarent. Legi epitaphium quoddam vetus pudicæ cuiuſdam matronæ Romanæ, quod ita ſe habet:

Pudica matrona epitaphium. V. Briſſ. formul. fol. 796. & Embl. 12. Iunij, & Tiraquel leg. connub. fol. 259.

Hoſpes quod dico, paulum eſt, aſta, ac perlege.
Heic eſt ſepulchrum haud pulchrum pulchrai fœminæ.
Nomen parentes nominarunt Claudiam,
Suom maritom corde dilexit ſouo.
Gnatos duos creauit, horunc alterum
In terra linquit, alium ſub terra locat:
Sermone lepido, tum autem inceſſu commodo:
Domum ſeruauit, lanam fecit. Dixi, abei.

Veterum ritus. Quæ poſtrema verba mihi in memoriam reuocant veterum morem, quo nouam nuptam in pelle lanata iubebant conſidere: quo geſtu polliceri videbantur marito, ſe adductas ad præſtandam lanificij operam. Sed & hodie in pleriſque locis Italiæ poſtero die quàm mulier eſt ingreſſa mariti domum, illi è geniali thoro prodeunti manè propinqui obuiam veniunt, eique offerunt fuſum, colum, lanam, acum, forficẽ, omneque vas domeſticum, vt cuiq; promptum eſt: quò admoneatur officij mulieris, ſeque non ad delicias, ſed ad ea curanda, quæ domi neceſſaria ſunt & accommoda, vocari ſtatim intelligat. Auſon. Parentalib. in Aemilia Aonia matre:

Morigeræ vxoris virtus cui cõtigit omnis,
Fama pudicitiæ, lanificæq; manus,
Coniugijq; fides, &c.

De Lucretia Ouid. 2. Faſtor.

Item in Verta Liceria:

Huius ſi probitas, ſi forma & fama, fidesq;
Morigeræ vxoris, lanificæq; manus.

Nal[?]machius ita de officio matrisfamilias:

λεῖπε δὲ οἱ τάδε ῥηφι τὰ χεὶ δύναται ποιέεσθαι,
σοὶ δὲ τὰ οἰκοφελῆ μελέτω, μεγαρόν τε φυλάσσειν
μηδὲ μιν ἐξερέεινε, τὰ μὴ θέμις ἐστὶ γυναῖκας.

Relinque illi (hoc eſt, viro) externa, quæ conficere negotia poteſt,
Tua cura ſit rei familiaris, & cuſtodia:
Nec ipſum percontare de rebus, quas nefas eſt mulieres noſſe.

Egregiè ille quidem & veridicè: ſed non illibenter adiungerem elogia longè præclara bonæ matrisfamilias apud parœmiographum Hebræum, niſi eſſet in omnium manibus: & quæ de Aſpaſia retulit Aelianus libris hiſtoriæ variæ. Thucydides ſic probam mulierem deſcribit, de cuius laude vel vituperio minimus ſit ſermo. Lacedæmonij non ferebant vxores ab alijs laudari, quod oporteret illas ſolis maritis eſſe notas. Simonides vxorẽ laudat, quæ ſimilis eſt apiculæ, caſta, frugalis, ſincera operi, non vagabunda, fouens ſobolem. Sic Lacæna quædam captiua cum interrogaretur, quid bonæ rei ſciret? Probè, inquit, regere domum. Et hæc non vulgaris ars eſt in muliere. Verùm quia contrarium oppo-

oppoſitum contrario magis elucet, apponam cuiuſdam tetraſtichon in quandam.

De fœminis vagabũdis.

Fœmina, quæ loquitur multum, paſſimq́; vagatur,
Saltat & in cunctu deſidioſa locis;
Quæq́; vel ignotos nimis ambitioſa ſalutat,
Si quid agat, quæras: appetit illa mares.

Cùm enim mulier ſit mobilis, inconſtans, vaga, garrula, vana, bilinguis, teſte Mantuano in Buccol. plurimùm deſiderat euagari. Quod ſi huc illuc diſcurrere prohibeatur, feneſtram certè, vt dilectam amicam, frequentat & amplectitur diligentiſſimè: Hinc illud:

Sedibus occultis meretrix vult nulla latere.

Et illud, quod nobis Germanis inter dicteria familiaria:

Stroh im ſchuech, Spindel im ſacK, Huer im haus,
GucKen immerdar heraus.

Latinè ſic:

Nec fuſum ſaccus, nec ſtramen calceus, vlla
Nec ſcortum potis eſt occuluiſſe domus.

Omitto iam perpetuum ornatum, faciei & veſtium compoſitionem, rerumq; fortuitarum appetitionem: quæ omnia difficilem mihi & dubiam pariunt probitatis opinionem. Hinc non queo ſatis mirari quod pleræq; fœminæ, quæ præ cæteris ornatiores videri volunt, facie fucata ſuperbire ſoleant, ita vt naturalem formam, ſi qua præſtant, de induſtria inficiant.

In fucatas mulieres.

Audiamus de his D. Hieronymum epiſt. 8. Illæ oculos Chriſtianos ſcandalizant potiùs, quæ purpuriſſo & quibuſdam fucis ora oculoſque depingunt; quarum facies nimio candore deformes, Aegyptiaca idola mentiuntur; quas nec numerus annorũ poteſt dicere, quòd vetulæ ſint, quæ capillis alienis verticem ſtruunt, & præteritam iuuentutem in rugis anilibus poliunt. Erubeſcat mulier Chriſtiana, ſi naturam cogat in decorem, ſed carnis curam facit in concupiſcentijs. Idem quoq; D. Auguſtinus admonuit, vbi dicit: Quanta amentia eſt effigiem mutare naturæ, picturam quærere? Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina ſunt: ibi enim pudicitia, hic natura adulteratur. Et D. Ambroſius: Deles, inquit, picturam Dei mulier, ſi vultũ tuum materiali candore obleuiſti. Eodem modo & olim Ethnici fucatas illas mulierculas deriſerunt, vt ex Plauti Moſtellaria apparet, vbi ſic:

Mulier rectè olet, vbi nihil olet.
Nam iſtæ veteres, quæ ſe vnguentis vnctitant, interpoles,
Vetulæ, edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulunt,
Vbi ſe ſudor cum vnguentis conſociauit, illicò
Itidem olent, quaſi quom vnà multa iura confundit coquus.

Hinc apparet liquidò, licet olim quoque fucus muliebris vſitatus fuerit, tamen nunquam caruiſſe reprehenſione. Optarem illis fucatis idolis, & perſonatis mulierculis, vt ſæpe in conuiuium Phrynæum introducerentur, quod fuit eiuſmodi.

Conuiuiũ Phrynæũ.

Phryne (cuius etiam ſupra meminimus) fœmina formoſiſſima, vel vt quidam voluerunt, ſcortum nobile olim apud Græcos, in conuiuio quodam, cui complures aderant nobiles fœminæ, cùm iuxta morem ioci conuiualis, quod vnuſquiſq; faceret, idem omnes facere cogerentur; prior manum bis aquæ immerſam admouit fronti. Quoniam autem reliquę erant facie fuco infecta, aqua per lituram fucorum defluens, rugarum ſpecie vultus omnium deformabat, cum ipſa interim Phryne, quæ naturali forma pollebat, ſpecioſior etiam appareret diluta facie. At nunc ipſum pudicitiæ exemplar Penelopen adeo.

In Pudoris ſtatuam.

EMBLEMA CXCVII.



PENELOPE deſponſa ſequi cupiebat Vlyßem,
Ni ſecus Icarius mallet habere pater.
Ille Ithacam, hic offert Sparten: manet anxia virgo;
Hinc pater, inde viri mutuus vrget amor.
Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos:
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognouit Vlyßem,
Hocq; Pudori aram ſchemate conſtituit.

COMMENTARII.

1. SEDET honeſta matrona in medio duorum virorum, hinc ſenis Icarij, inde iuuenis Vlyſſis, & ad Vlyſſem conuerſa velo faciem tegere parat. *Statua Pudoris ex nummis.* Statuam pudoris nobis nummi vetuſti repræſentant. In nummo, cuius inſcriptio, SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG. ab altera parte Dea ſedet velo faciem coopertа, digito dexteræ indice ad iugulum admoto, cuius inſcriptio, PVDICITIA. In alio quodam Herenniæ ſigillum muliebre ſedens cum conto in læuam vlnam iacente,

te, dextera velum ante faciem obducit: huius inſcriptio, PVDICITIA AVG. In eo quoq; cuius literæ ab vna parte sũt, MARCIA OTACIL. SEVERA AVG. ab altera ſigillum eſt, quod velum in faciem prætendit, cum ſimili inſcriptione, PVDICITIA AVG. In altero eiuſdem Otacillæ cum eadem inſcriptione & ſpecie, quæ velum eodem modo prætendit, læua radium tenet; ſed nomen ita ſcriptum eſt, MARTIA OTACIL. SEVER. AVG. cum in altero Marcia per c, literam habeatur; quod quidem oſtendit, eo quoq; tempore eandem fuiſſe pronunciationem literæ T, quę nunc eſt, cum poſt i, vocalis altera ſubſequitur. Sed hæc obiter.

II. *Fons Emblematis.* ID ſumptum eſt ex Pauſaniæ 3. qui Laconica inſcribitur, vbi agit de Pudoris ſimulacro, quod Icarij patris Penelopes donum fuiſſe ferũt; eius autem verba hęc ſunt: Abeſt à Sparta ſtadia circiter triginta Pudoris ſimulacrum, Icarii donum eſſe ferunt, & hanc celebrant dedicationis cauſam: Cùm Icarius Vlyſſi Penelopē filiam nuptum dediſſet, Vlyſſis animum tentauit, numquid Lacedæmone domicilium habere vellet. Quæ ſpes vbi hominem fefellit, filiam orare cępit, ne ſe dereliqueret, atq; vt ſecum permaneret. Quin & Ithacam iam proficiſcentem in curru proſecutus, multis eam ſolicitabat precibus. Vlyſſes tandem victus hominis importunitate, puellæ optionem dedit, vel vt ſe ſequeretur, ſi id mallet; vel cum patre Lacedæmonem rediret. Ibi illam, aiunt, nihil ſanè reſpondiſſe, ſed faciem tantùm velaſſe: Icarium, cùm ſibi propè noſſe videretur quid illa animi haberet, vt cùm Vlyſſe abiret, permiſiſſe. Signum verò pudoris ea in viæ parte dedicaſſe, quò Penelope cùm faciem velaret, peruenerat. Hęc ille. Huius rei meminit Gyraldus Syntagm. 1. hiſtor. Deorum; Pierius Val. lib. 40. Hieroglyph. Eiuſdem etiam ſtatuæ mentio eſt apud Lucianum in Imaginibus. Videtur huc referendum quadam ex parte, quod Ouidiana Penelope ad Vlyſſem ſcribere fingitur, his verbis:

Me pater Icarius viduo diſcedere lecto
Cogit, & immẽſas increpat vſq; moras.
Increpet vſque licet, tua ſim, tua dicar oportet:
Penelope coniux ſemper Vlyſſis ero.
Ille tamen pietate mea, precibuſq; pudicis
Frangitur, & vires temperat ipſe ſuas.

III. *Penelope vnde ſic dicta.* PENELOPE] Penelope Icarij filia & Vlyſſis vxor: ſic dicta creditur ab auibus, quæ penelópes dicuntur, cum prius Arnea vocaretur, quaſi abiecta & repudiata. Etenim in mare abiectam ab Icario Peribœaq; parentibus, ferunt educatam à penelopibus.

Ni ſecus Icarius] ſed eam, vt ſecum maneret, pater retentabat. Icarius pater Penelopæ, princeps Spartę fuit, Vlyſſes verò Ithacæ Rex. Iſte verſus alibi incipit, *Ni ſecum Icarius*. quod mihi magis arridet. *Icarius.*

Ithacam.] Vlyſſis patriam, inſulam in mari Ionio; vnde ipſe Ithacus & Ithacenſis cognominatur à Poetis. *Ithaca.*

Sparten.] Id eſt, Lacedęmonem, ex qua fuit Icarius, pater Penelopes.

Manet anxia] ancipiti cura, cogitatione ſolicita, quem maximè ſequeretur.

Virgo] Penelope, quod vocabulum nõ ita ſtrictè accipitur, vt ſomniant plerique. Lege Vallam lib. 6. & apud Iuriſconſultos, virgo pro fœmina viri potente accipitur, vt l. Mulieris, ff. de verbor. ſign. Apud Virgil. Eclog. 6. Paſiphae virgo appellatur, quæ iam trium liberorum mater fuit. Sic & Euripides in Io, παρθένον, pro corrupta dixit. Et Terentius in Adelph. mulierem poſt partum virginem vocat. Virginem enim à viridiore ætate ita dictam autumat Seruius. *Virgo pro muliere quauis.*

Velat vultus] velum obducit faciei. Præclarè Septimius Florens, qui non ſolùm velum virginum & mulierum, armaturam pudoris appellat, verecundiæ vallum, ſexus fœminei murum, qui nec ſuos emittat oculos, nec admittat alienos; verũ etiam modum præſcribit, ad quem veli huius forma produci debeat. Sic enim ille: Quantum reſoluti crines occupare poſſunt, tanta eſt velaminis regio, vt ceruices quoq; ambiantur; & quę ſequuntur. Adducit deinde exemplum fœminarum Arabiæ, quę non caput, ſed faciem quoque ita totam tegunt, vt vno oculo liberato contentę ſint dimidiam frui lucem, quàm totam faciem proſtituere: mauult enim fœmina videre quàm videri. Pierius lib. 40. Hieroglyph. Vide etiam quę dicta ſunt Embl. 22. de virginibus Patauinis & Venetis velatis. *Velũ virginum, pudoris armatura, &c.*

Obnubit ocellos.] Hoc ſimpliciter refer

ri poſſe videtur ad verecundiam pudicæ mulieris, quę recta viros non aſpiciat, ſed cùm loqui neceſſe habet, demittat: qualis apud Poetam Dido *κατὰ τὸ πρέπον*, lib. 1. Æneid.

Tũ breuiter Dido vultũ demiſſa profatur.

& in 3. de Andromache:

Deiecit vultum, & demiſſa voce locuta eſt.

Vnde dictum olim, pudorem in oculis eſſe, ait Ariſtot. 2. De arte dicendi. Vide adagium, *Pudor in oculis.* Sed coniicio noſtrũ hunc non temerè verbo *obnubit*, vſum fuiſſe, vt alluderet ad veterem nuptiarum ritum: dictę enim nuptię ſunt à nuptu, hoc eſt, opertione; nubere eſt velo tegere; mulier enim nupta, id eſt, obuoluta, & tecta velamine ducebatur in viri domum. Sic Neptunus, ait Varro, dictus eſt, quòd terras & mare obnubat, vt cęlum nubes. Id probant apud Feſtum Pomp. Cęlius & Curtius, quòd nubentis caput flammeo obuolueretur. Id lutei coloris erat, ne virginis pudor proderetur; aut ſi quid animaduerteretur in facie ruboris, is color è velo, non è genis emicare videretur. Hinc Claudianus lib. 2. de raptu Proſerp.

Nuptiæ unde dictæ.

Color flãmei.

——Vultibus addunt
Flammea ſolicitum prælatura pudorẽ.

Et Martianus Capella lib. 9. de nuptiis Philologię:

Flammea virgineum, quæ obnubere ſueta pudorem,
Regina deme pronuba.

De colore verò teſtatur Lucanus lib. 2.

Non timidum nupta leuiter tectura pudorẽ
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

Eſt ergo hic pulchra ethopęia honeſtę fęminę, vel quali habitu eſſe illam deceat, pręcipiente D. Apoſtolo. Quem ad locum non videtur alienum traducere flammei nuptialis ritum, de quo Iſidorus lib. de offic. referente Gratiano, cap. fœminę, 3. q. 5. Fęminę, ait, dum maritantur, velari ſolent, vt ſe meminerint ſemper maritis ſubditas, ac humiles: item quòd nubẽtes poſt benedictionem vitta inuicem, quaſi vno vinculo copulantur: videlicet id eò fit, ne compagem coniugalis virtutis diſrũpant: at verò quòd eadem vitta candido, purpureoq; colore permiſcetur, hoc ideò eſt, quòd candor ſit ad mundiciem vitæ, purpura ad ſanguinis adhibetur poſteritatẽ, vt hoc ſigno continentia, & lex continendi ab vtriſq; ad tempus admoneãtur: & poſt hoc, reddendum debitum non negatur. Itẽ quòd in primis nuptijs annulus à ſponſo datur ſponſę, fit nimirum vel propter futuræ ſignum dilectionis, vel propter id magis vt eodem pignore eorum corda iungantur; vnde & quarto annulus digito inſeritur, quòd in eo vena quædam, vt fertur, ſanguinis ad cor vſq; perueniat. Hæc Iſidorus. Dicimus igitur nuptias à nubendo, hoc eſt, velando dictas, vel propter flãmeum iam dictum: vel quod in nuptijs primas tenere partes verecundia debeat, quã cuſtodem ac comitem virtutum omnium Cicero vocat in Partition.

Ritus nuptialis apud antiquos.

Queis ſibi prælatum] nouit Icarius Vlyſſem maritum ſibi prælatum eſſe.

Hoc ſchemate.] hac figura, hoc cultu vel habitu, hac imagine. *σχῆμα, παρὰ τῶ ἔχειν, ἔσχημαι.* Schema, habitũ, colorem, figuram Rhetoricam, & alia permulta ſignificat. Vide Turnebum.

Schema.

AGNOVERVNT vel ipſi paganæ ſuperſtitionis aſſectatores, quàm *ſancta & neceſſaria* eſſet matrimonij rectè inſtituti copula, qua vxor admoneretur maritum etiam parentibus ipſis eſſe præferendum, & contra. Debet enim mulier magnam parentibus gratiam & pietatem, ſed maritum tenetur præ cæteris ſequi & obſeruare: quod & ſacræ literæ præcipiunt, ſiquidem homo relinquat patrem & matrem, & vxori adhæreat eſt neceſſe, ſintq; duo in carne vna. Ex D. Paulo ad Epheſ. 5. & Petri 3. diſcimus, quod mulieres ſubditas eſſe viris oracula ſacra præcipiant. Quod etiam ſubnotant Canones, c. ſatis. c. mulierem. 33. q. 5. & eſt ordo, de pœnit. diſtinct. 5. in l. alia. 15. §. elegãter. ff. ſolut. matrim. Quanquam tamen dicatur vxor ſocia diuinæ & humanæ domus, l. aduerſus. 4. C. de crim. expil. hæredit. Huc pertinet illud Quintiliani Declamat. 259. Virgo ad patrem, nupta ad maritum pertinet. Cui fortè non eſt diſſimile quod ſcribit Euſtathius interpres Homeri: *ἔχειν γυναῖκα λέγεται ὁ ἀνὴρ, ἔχεσθαι δὲ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρὶ.* Sed etiam ad rem facere videtur, quod Vlpian. l. 1. §. ſi quis filiam, ff. de lib. exhib. Si quis, ait, filiam ſuam, quæ mihi nupta eſt, velit abducere, vel exhiberi ſibi deſideret, an aduerſus interdictum exceptio danda, ſi fortè pater concordans matrimonium, & fortè liberis ſubnixum velit diſſoluere: certo iure vtimur, ne bene

IV. Mulier maritum parentibus præferre debet.

coue-

concordantia matrimonia iure poteſtatis patriæ turbentur: quod tamen ſic erit adhibendum, vt patri perſuadeatur, ne patriã poteſtatem exerceat. Hãc poteſtatem viri probe cognouit Lacæna illa fęmina, de qua Plutarchus in apophthegm. Lacon. Hęc enim cùm à quodam miſſo nuncio ſolicitaretur num aſſentiretur, vt ſui faceret copiam, reſpondit: Cùm eſſem puella, parenti obedire didici, idque feci: mulier autem facta, viro. Itaq; ſi me inuitat ad honeſta, viro meo primum rem aperiat. Habent & hinc honeſtæ matronæ documentũ, quanta pudicitia in publicum prodire debeant, cum Turcæ ipſi hunc morem obſeruent, apud quos nefas eſt vxores in publico aperta facie conſpici, vel cum viro aliquo colloqui. Videmus ergo, quod non ſine ratione Lycurgi inſtitutum de veſtitu & exercitijs puellarum cum adoleſcentibus, tanquam fomes libidinis à multis reprehenſum ſit, inter quos eſt Euripides, ſicut ex elegantiſſimis eius verſibus conſtat, qui ſic Romano idiomate ſonant:

Lycurgi inſtitutũ reprehenſum.

——Neq; ſi velit quapiam
Caſta eſſe, queat Spartana puella.
Quæ cum iuuenibus relinquentes domos,
Nudis femoribus, & tunicis diſſolutis,
Curſus palæſtrasq; non tolerabiles mihi
Communes habent. Et tamen admirabile
videtur,
Si non caſtas mulieres educatur.

Ob eandem cauſam etiam Plato ab Euſebio & alijs Eccleſiaſticis ſcriptoribus reprehenditur, quòd ſecutus conſtitutiones Lycurgi, in libris ſuis de Repub. & legibus, iuſſerit mulieres non ſolùm iuuenes, ſed etiam anus, in gymnaſijs cum viris nudas luctari, adoleſcentulas nudas cum nudis iuuenibus tripudiare in ſolẽnitatibus, equis & curſu certare. Nihil iam dico de multorum locorum conſuetudine, vbi ſub prætextu pudoris teguntur quidem vultus, cum interim papillæ & pectus ſeminuda virorum aſpectui pateant. Certè quod ad muliebrẽ pudicitiam attinet, viri doctiſſimi ſententiam eſſe ſcribit Hieronymus, pudicitiam in primis eſſe retinẽdam, quoniam ea amiſſa omnis ruat virtus, & in ea decoris muliebris eniteſcat principatus. Hęc pauperem commendabilem facit, diuitem extollit, deformem redimit, exornat pulchram. Viros quidem conſulatus illuſtrat; effert in æternum nomen eloquentię claritas; militaris gloria, & ex deuictis gentibus acceptus triumphus parem quodammodo Deo facit. Multa porrò ſunt, quæ ingeniorum fertilitati nobilitatem adoptent inſignem; at propria mulieris virtus pudicitia cenſetur. Hæc Lucretiam Bruto æquauit, neſcio an etiam prætulerit, quoniam Brutus non poſſe ſeruitutem pati à fœmina commonitus edidicit. Hæc æquauit Corneliam Gracchos: hęc parem alteri Bruto Portiam fecit: notior eſt marito ſuo Tanaquil. Verùm quia in ſuperioribus, præſertim Emblem. 22. plura de caſtitate & pudicitia diximus, hic longiori ſermone ſuperſedendum arbitramur. Hoc vnum pudicæ mulieri commendatum eſſe volumus, quod ait quidã: Nil fœmina tortum habeat in oculis, nil procax in verbis, nil in actu inuerecundũ; non ſit geſtibus fractior, non ingreſſus ſolutior, non vox petulantior, vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum ſit mentis & figura probitatis. Sed audio puellam cum iniquo patre expoſtulantem; eo litem compoſitum.

Lacena eu iudã pudicitia commendatio.

Nupta

Nupta contagioſo.

E M B L E M A C X C V I I I.



DII meliora pijs, Mezenti. Cur age ſic me
Compellas? Emptus quòd tibi dote gener,
Gallica quem ſcabies, dira & mentagra perurit:
Hoc eſt quidnam aliud, dic mihi ſæue pater,
Corpora corporibus quàm iungere mortua viuis,
Efferaq; Etruſci facta nouare ducis?

C O M M E N T A R I I.

I. IN excelſo & regali ſolio ſedet Rex, ſceptro regio, mandata daturus; in cuius conſpectu nudus homo mortuo cadaueri iungitur & alligatur à miniſtris.

II. *Puella querela de patre inhumano.* CONQVERITVR hic puella ingenua de patre perquàm difficili & inhumano, qui eam locauerat viro cuidam turpiter inquinato ac miſerè fętenti, mentagra, morbo Gallico, & alia ſimili lue conſumpto. Quod facinus illi ſimillimum eſſe dicit, quod fuit olim ſolemne ac familiare μισανθρώπῳ Mezentio Tyrrhenorum Regi, Deorum & hominum contemptori: qui crudelitate omni & inaudita ferocitate ſolebat viua corpora mortuis colligare, vt fœtore & intolerabili tabe ſenſim animam exhalarent. De hoc Virgilius 8. Aeneid.

Quid memorem infandas cædes, quid facta tyranni *Crudelitas Mezentij.*

Efferã?

Efferat? Dij capiti ipſius, generiq; reſeruent.
Mortua quin etiam iūgebat corpora viuis,
Componensq; manibusq; manus, atq; oribus ora,
Tormenti genus, & ſanie taboq; fluentes
Complexu in miſero, longa ſic morte necabat.

III. *Dij meliora.* *DII meliora pijs*] Verba ſunt puellæ deſponſatæ ad patrem, quem figuratè vocat Mezentium. Cui reſpondet pater: Cur me compellas hoc inſolito nomine. Eſt autem hæc formula optandi per apoſiopeſin. Sumptum id ex 3. Georg. Virgil.

Dij meliora pijs, erroremq; hoſtibus illum.

Græci ſic efferunt, ἔξω κακὸν, *Malum foras*: &, εὐφήμει ὦ ἄρες, apud Lucianum. Cicero Antoniana 8. Dij meliora: id enim ipſum agimus, ne quis poſthac eiuſmodi quicquam poſſit polliceri. Ouid. Epiſt. Helenes:

Dij melius: ſimilis non fuit ille tui.

Idem 15. Metamorph.

——procul, à procul omnia, dixit,
Talia Dij pellant.

Et epiſtola Laodameiæ Proteſilao:

Dij, precor, à nobis omen remouete ſiniſtrū.

Amorum 2. Eleg. 10. idem:

Hoſtibus eueniat vita ſeuera meis.
Hoſtibus eueniat vacuo dormire cubili.

Et 3. eiuſdem operis:

Eueniat noſtris hoſtibus ille pudor.

Tibullus 3.

Dij meliora ferāt, nec ſint inſomnia vera.

Liuius lib. 9. Oratione Poſthumij (qui Conſul ſub iugum miſſus ad Caudinas furcas, diſſuadebat fœdus à ſe ictum cum Samnitibus) Quid tandem? ſi ſpopondiſſemus vrbem hanc relicturum populum Romanum, ſi incenſurum, ſi ſub regibus futurum? Dij meliora. Quæ loquendi formula plena eſt affectus & energiæ, vt facilè apparet ex ijs, quos modò citaui, locis.

Mezenti] dure pater, Mezentio ſimilis.

Cur age ſic me compellas?] ſunt verba patris, non puellæ. Cur me hoc nomine Mezentij appellas?

Emptus quod tibi dote gener] Emptus gener, vt apud Virgil. 1. Georg.

Teque ſibi generum Thetys emat omnibus vndis.

Matrimonij ſpecies coemptio. In quo alluſum ad matrimonij ſpeciem, quæ veteribus coemptio dicebatur: de qua Cicero in Topic. & Seruius. Quintilian. declamat. 257. Secutus ſis pater: periti ſumus, empti ſumus.

Gallica ſcabies. *Gallica quem ſcabies*] Morbus eſt nouus ante annum 1493. in Europa non viſus, qui nec lepræ, nec elephantiaſi, nec lichenibus, nec podagræ, nec mentagræ cedat, ſi res in certamen veniat. Hanc luem ex Indis profectam tradunt auctores, cum qua in illa Hiſpanienſi India, præſertim in inſula S. Dominici, infantes naſcuntur, ibique eſt tam familiaris, quam apud nos papulæ, ſcabies, & morbilli.

Illic namq; ferunt æterna labe per omnes
Id morbi regnare vrbes, paſſimq; vagari
Perpetuò cœli vitio, atq; ignoſcere paucis.

vt Syphilides lib. 1. cecinit Hieron. Fracaſtorius. Neq; eius contagium magnopere quis ibi reformidat. Alij aliunde ortam hanc luem exiſtimant. Sed certo conſtat in has regiones non multo abhinc tempore inuectam, ignota ſiquidem fuit ante gloriosam, ſed parum felicem expeditionem Neapolitanam ſub Carolo 8. Gallorum Rege. Eius autem propagatio ſic ſe habet. Rediens ex profectione Indiæ Chriſtophorus Columbus, quam conquirendi noui orbis cauſa ſuſceperat, præter mulieres Indicas, etiam milites Neapolim deduxit, vbi tum rex Catholicus Fernandus erat, aduerſus Galliæ Regem Carolum, cognomento Magno capite, belligerans. *Morbi Gallici origo.* Milites illi non tam auro onuſti quàm morbo, quem ex ſtupri conſuetudine cum Indis mulieribus habita contraxerant, quæ ijs ſimul & pudenda & pudendum morbum communicarunt, partem mercis ijs tribuerunt, qui in Italicis expeditionibus ſtipendia faciebant. Tum Hiſpani milites callidiſſimi, & non tam armis quàm arte hoſtem offendere gnari, noctu egrediebātur, propria relinquentes prędia, & puteos veneno inficiebant. Neq; ſatis hoc illis erat, ſed & Italos piſtores aduerſi exercitus precio corrumpebant, vt gypſum pani admiſcerent. Denique cum vim contagioſi mali nuper eſſent experti, & ob annonæ caritatem neceſſum eſſet inutilem & imbellem gētem ab vrbe excludere, clam etiam ſcorta, & quidem formoſiſſima, cæterùm eadem lue inquinata expulerunt. Galli mulierum pulchritudine ducti, lubentiſſimè eas exceperunt; ſicq; euenit, vt luxuriātibus cum eis infrenibus iuuenibus, morbus iſte non modò totum illum exercitum

citum infecerit, ſed etiam per orbem vniuerſum fuerit deriuatus. Id quod præter Nicolaum Monardis etiam Gabriel Fallopius tradidit, lib. de morbo Gallico, cap. 1. qui, vt alij paſſim, labem hanc conſiſtere putant in contagione vnius ad alium. A qua tamen ſententia diſcedit Fracaſtorius lib 2. de morbis contagioſ. c. 12. Tametſi enim maxima mortalium pars è cõtagione morbum hunc contraxit; obſeruatum tamen eſt (inquit) innumeros alios ſine vlla contagione per ſe infectionem eam perpeſſos fuiſſe. Impoſſibile prçterea fuiſſet, tam paruo tempore contagionem, quæ per ſe ſegnis eſt, nec concipitur facilè, tantum terrarum peragraſſe, ab vna claſſe ad Hiſpanos primum delatam; quandoquidem conſtat, aut eodem tempore, aut ferè eodem, & in Hiſpania, & in Gallia, & Italia, & Germania, & tota ferè Scythia viſam fuiſſe. Adde, quod prædixiſſe illam Aſtronomos certis ante annis, non paruum indicium eſt, aliud ſubeſſe illi principium quàm ſimpliciter cõtagionem. Nec etiam mirum videri debet, nouos atq; inſolitos morbos certis temporibus apparere, non quidem delatos ab vna regione ad aliã, ſed ſuis cauſis exortos. Quod exemplis quibuſdam demonſtrat idẽ Fracaſtorius. Hic morbus nondum ſuum vnicum nomen ſortitus eſt. Itali à Gallis exiſtimantes veniſſe contagium, morbum Gallicum nuncuparunt. Quos ob id multo ſale perfricat Renodæus in ſua Pharmacopæia: Itali (inquit) in Gallos turgidi & irati, ſuum morbum in vindictam Gallicum vocant; atq; ridiculam eorum libri præ ſe ferunt vltionem, cum maritos ignorantiæ, & vxores meretricij notent: illos, quòd Venereæ luis originem neſcierint: has, quod à Gallis iniri cupierint. Forſan huius iniuriæ in parentes illatę memor Braſauolus, libellum quendam de ſuo morbo, quem Gallicum vocat, conſcripſit, in quo eiuſdẽ 234. differentias aſſignauit. Certè ſi eo loci ineptire non viſus eſt bonus vir, credo tot eius affines aut vicinas, primo Italici morbi aduentu à militibus Gallis compreſſas: atq; vt harum nuptiarum ſignum aliquod in æternam memoriam relinqueret, eiuſmodi hieroglyphica poſteritati reliquit. Hęc Renodæus lib. 2. Antidot. ſect. 4. cap. 20. Galli contrà morbum Italicum & Neapolitanum vocarunt, quod Neapoli, vnde precioſam hanc mercem, tãquam parta victoriæ præmium in regiones ſuas detulerunt, primùm cum eo conflictari cœperint. Germani ex Hiſpanorum contubernio hanc ſcabiem ad ſe manaſſe videntes, Hiſpanicam appellarunt. Alij Serpiginem Indicam, & quidem proprijſſime, cùm inde prima ſit huius mali origo. Sũt quibus hic morbus Paturſa dicatur, nomine fortaſſis Indis proprio & genuino: quod à quibuſdam morbus magnus & violentus, ab aliis turpis paſſio interpretatur, quod generaliter omnes deturpare ſoleat. Quidam Pudendagram vocant, quòd pudẽda plerunq; primùm inficiat. Idioma Hiſpanicum *Buuas* vocat. Fracaſtorius Syphilida nominat, quia ex amore & coniunctione Veneris inter hominem vt plurimũ ſuboriatur: atq; ita Syphilis, quaſi concordiæ atque amicitiæ Venereæ partus ſit, ex Fallopii interpretatione. Io. Almenar Hiſpanus de morbo Gallico, c. 1. morbum hunc Saturnium vocat, quia à Saturno, propter eius ingreſſum in arietem, aliis cœli diſpoſitionibus coadiuuantibus, originem traxit. Cui ſententiæ & Gaſpar Torralla ſubſcribit in Tract. de Pudendagra. De quo etiam conſule Ioan. Langium lib. 1. epiſt. 42. & lib. 2. ep. 14. Ex hoc morbo ligni Guaiaci vſus primum nobis innotuit. Nam magnis doloribus morbi Gallici, quem ab Inda muliere nactus erat, Hiſpanus quidam torquebatur; eius famulus Indus in prouincia ea medicinam faciens, aquam Guaiaci ei propinauit, quæ non ſolùm magnis illis cruciatibus eum liberauit, ſed & priſtinæ ſanitati reſtituit. Quod exemplum alii quoq; Hiſpani, eodem morbo infecti, cùm ſecuti eſſent, ſimiliter fuerunt curati. Eaq; cura Hiſpali mox euulgata eſt ab iis, qui ex India redierunt, hinc per totam Hiſpaniam, & inde per orbem vniuerſum, quem hæc ſcabies occupatat. Sicq; Deo viſum eſt, vt vnde manauit morbus, inde etiam remedium eius afferretur: ſiquidẽ in hoc curando nullum medicamentum Guaiaco reperiatur præſtantius aut certius. Nã ſi, vt decet, rectè inſtituatur, atque procedat curatio, & ſuo tempore aqua iſta propinetur, certiſſimum eſt, ei morbo ſanitatem perfectam comparari, nec recidiuam eum pati, qui eo laborabat, dummodo in idem cçnum non ſe prouoluat denuò.

Quòd

Morbi Gallici cauſa.

Venereæ luis varia nomina.

Serpigo Indica.

Paturſa.

Pudendagra.

Syphilis.

Lignum Guaiacum.

Quod ſi Hieron. Capivaccium audire volumus, non debet vtiq; Medicinæ ſtudioſos laborum & diligentię pęnitere, quam in morbo iſto tam frequenti, & perequè lucroſiſſimo cognoſcendo adhibuerint. Nam & citra iactantiã dicere ſe ait, quod è Gallicę luis curatione vltra octodecim millia coronatorum fuerit lucratus, lib. de lue Venerea, c. 12. in fine, ne habeat, quo tantopere glorietur Medicus ille, cui Manlius Cornutus Legatus Cæſaris in Aquitania, mentagrę morbo fœdo correptus, H-S CC. ſe curandũ elocauit, tãtus erat rei medicę quęſtus, vel viri dignitas, vt eſt apud Plinium lib. 26 c. 1.

Mentagræ.

Dira & mentagra] Morbus eſt à mento & ἀγρεύειν, id eſt, expiſcari ſeu venari, quod mentum venetur, ſic dictus. Nam à mento per faciem, collum, pectus & manus, fœdo & inſolito quodam furfure dilatatur, Plinius cap. 1. lib. 26. Grauiſſimũ, inquit, ex his lichenas appellauere Græco nomine: Latinè, quoniam à mento ferè oriebatur, iocularí primum laſciuia (vt eſt procax natura multorum in alienis miſerijs) mox & vſurpato vocabulo, mentagram, occupantem in multis totos vbique vultus, oculis tantùm immunibus, deſcendentem verò in colla pectuſque ac manus fœdo cutis furfure. Hac quoq; ratione dicitur Chiragra, Podagra, Pudendagra, &c.

Corpora corporibus] Imitatio Virgilij ex 8. Aeneid. vbi de Mezentio:

Mortua quin etiam iũgebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atque oribus ora.

Hetruria.

Efferaq; Etruſci &c.] reuocare facinora Mezentij truculentiſſimi ducis Etruriæ, ſeu potius Hetrurię cum aſpiratione; quæ eſt regio Italiæ mari Tyrrheno adiacens. Sic dicta, quod eius fines olim tendebãtur vſq; ad ripam Tyberis; & quaſi ἑτερουρία, & per ſyncopen ἑτρουρία: nam ἕτερος eſt *aliter*, & ὅρος *finis* vocatur. Roma enim antea vnam tantum Tyberis ripam tenebat.

IV. *parentes* [illegible]*les, Mezentij.*

MEZENTII non iniuria vocabuntur crudeles illi patres, qui ſuas filias egregia forma, integras, & bona valetudine, matrimonio (à quo diſſolui poſtea nefas) copulare nõ horrent hominibus lepra & podagra confectis, & ſępiùs Neapolitana ſcabie corruptis, iis quidem viuis cadaueribus, quin mortuis eo quoq; peiores, quòd eorum fœtor & cruciatus ad vitæ vſque, & interdum etiam diuturnæ finem maneat: illorum verò celerius animum debilitãdo enecet. Eiuſmodi cõiugium tam impar vt eruditè, ita & feſtiuè depinxit Parœmiographus in Dialogo, cui titulus eſt ἄγαμος γάμος: ex quo placet huc transferre quæ ad rem faciant. Sic autem primùm nobilẽ puellam deſcribit. GA. Quid ego tibi depingam puellam non incognitam, quamquam plurimum gratiæ addidit ornatus natiuo decori? Mi Petroni, dixiſſes Deam quampiam eſſe: nihil illam nõ decebat. Interim nobis prodit beatus ille ſpõſus, trunco naſo, alteram trahẽs tibiam; ſed minus feliciter quàm Sutzeri ſolent, manibus ſcabris, habitu graui, oculis languidis, capite obuincto; ſanies & è naribus & ex auribus fluebat. Alii digitos habent anulatos, ille etiam in femore geſtat anulos. PE. Quid parentibus accidit vt talem filiam tali portento committerẽt? GA. Neſcio, niſi quòd hodie pleriſque videtur adempta mens. PE. Fortaſſe prædiues eſt. GA. Eſt affatim, ſed ære alieno. PE. Si puella veneno ſuſtuliſſet ambos auos & auias, quod grauius ſupplicium de illa ſumi poterat? Si minxiſſet in patrios cineres, ſatis pœnarum datura fuerat tali monſtro vel oſculum dare coacta. Mihi ſanè factum hoc crudelius eſſe videtur, quàm ſi illam nudam obieciſſent vrſis, aut leonibus, aut crocodilis. Nam aut feræ pepercißent tam inſigni formæ, aut ſubita mors finiſſet cruciatum. Mihi planè videtur hoc factum Mezentio dignum, qui *mortua*, vt inquit Maro,

Parœmiographi locus è dialogo, cuius titulus, Coniugium impar.

——iungebat corpora viuis,
Componens manibusq; manus, atque oribus ora.

Quamquam nec Mezentius, ni fallor, tam immanis erat, vt tam amabilem puellam cadaueri iungeret. Nec vllum cadauer eſt, cui non iungi malis quàm tam putido cadaueri. Siquidem hoc ipſum quod ſpirat, merum venenum eſt: quod loquitur, eſt peſtis: quod contingit, mors eſt. Hæc ille. Vide prouerbium, *Malè coniugati*. Ad huius Emblematis ſententiam puto ſpectare illud Senecæ ex 4. de Benefic. c. 27. Malè conſulit ille filiæ, qui illam contumelioſo & ſæpe repudiato collocauit. Sanctiſſima coniugii copula non eſt temerè quibuſcumque permittenda, ſed ſanis tantùm corpore, animoque valentibus.

Senecæ locus.

Quid

Quid enim iure canonum prohibita lepro ſorum coniugia, niſi quòd inhumanum viſum ſit, contagione infecti corporis ac carioſi, ſanum ac viuidum corpus turpi lue infeſtare? Sed auaritiæ tetra labes omnia iura naturæ & humanitatis violat, nec minus inſanè committit, quàm qui olim viuos homines ad aram Saturni, vel Dianę Tauricæ mactarent: vel qui miſeros reos ad latumias deiicerent. Melius & decentius, vt apud Plinium Secundum lib. 1. epiſt. 14. formoſus ac decorus ſponſus elocatur puellæ ingenuæ. Eſt illi, ait, facies liberalis, & ingenua totius corporis pulcritudo, & quidem ſenatorius decor; quæ ego numquam putem negligenda. Debet enim hoc caſtitati puellarum quaſi præmium dari. Et hæc ille de Minutio Aciliano. Occurrebat illud Ouidianum:

Quàm malè inæquales veniunt ad aratra iuuenci.

Et quid tam dominatur in coniugijs, quā conſenſus, ac concors animus? Nec enim tam concubitus & corporum miſtio nuptias facit, quàm conſenſus animorum & voluntatum, vt rectè Iureconſulti. Illud adijci placet ex Plutarcho, dictum Democriti, qui generum nactus erit commodū, inueniſſe filium: qui verò incommodum, perdidiſſe & filiam. Non malè aggero Plinianum id ex lib. 8. epiſt. 18. de vxore Domitij Tulli: Mulier, inquit, natalibus clara, moribus proba, ætate decliuis, diu vidua, mater olim, parum decorè ſecuta matrimonium videbatur diuitis ſenis, ita perditi morbo, vt eſſe tædio poſſet vxori, quā iuuenis, ſanuſque duxiſſet: quippe omnibus membris exhauſtus, & fractus, tantas opes ſolis oculis obibat: ac ne in lectulo quidem ab alijs mouebatur. Quinetiam fœdum, miſerandumque dictu, dentes lauandos, fricandosq́; præbebat. Auditum eſt frequenter ab ipſo, cùm quereretur de contumelijs debilitatis ſuæ, ſe digitos ſeruorum ſuorum quotidie lingere. Viuebat tamen, & viuere volebat, ſuſtentante maximè vxore, quæ culpam inchoati matrimonij in gloriam perſeuerantia verterat. Simile quid narrat Ludouicus Viues lib. 2. Chriſtianæ fœminæ, de præſtantiſſima quadam fęmina Burgenſi in Belgio, quæ licet maritum valetudinarium nacta eſſet, mira tamen conſtantia & incredibili patientia eundem ſuſtinuit, atque vt vxores inde exemplum ſibi ſumant, vitia maritorum, & viciſſim mariti vxorum tolerandi, totam hiſtoriam, licet longiuſculam, huc tranſcribam. Clara Ceruenta Bernardi Valdaurę coniux, cùm virgo tenerrima & formoſiſſima Brugas eſſet ad ſponſum deducta, iam plus 40. annos natum, prima nuptiarum nocte crura eius faſcijs inuoluta vidit, deprehenditq; maritum ſibi ægrum & valetudinarium obueniſſe. Nihil tamē illum ob id auerſata, non cępit eum odiſſe, cùm præſertim nondum poſſet videri amare. Incidit nō multò poſt Valdaura in grauiſſimum morbum, de cuius ſalute & vita Medici omnes deſperabant. Ipſa cum matre tanta cura & aſſiduitate circa lectum ægri verſabatur, vt ſex totis hebdomadibus ambæ nec ſe exuerint, niſi vt mutarent ſupparos; nec vlla nocte ſupra vnam aut alteram horam quieuerint, idq; indutæ, multis noctibus traductis inſomnibus. Erat radix morbi Indici, quem Gallicum vocant, ſæui & contagioſi. Diſſuadebant Medici, ne ſic eum contrectaret, ne tam propè accederet: idem conſulebant neceſſarii. Tum æquales fęminæ in religionem adducebant, non eſſe tam anxia cura diuexandum (ita enim loquebantur) hominem iam fatis debitum, & magna mortis parte in corpus recepta, proſpiciendum eſſe animæ; de corpore nihil cogitandum aliud, quàm vbi conderetur humo. Quibus vocibus adeò illa abſterrita non eſt, vt curarit quidem quæ ad animum ſpectabant, ſed ipſa culinæ ſorbitionibus, quæ remedium afferrent, ipſa pānis ſubinde mutandis (nam ſoluta erat maiorem in modum aluus, & alijs locis pus tetrum dimanabat) eſſet intentiſſima, ſurſum deorſum toto die curſitaret, animo corpuſculum fulciens, laboribus impar, ni tanta vis affectus ſubueniret. Ita diſcrimen maximum Valdaura euaſit, iurātibus Medicis, è manibus Orci violentia coniugis ereptum eſſe. Alius facetiùs quàm Chriſtianius, Decreuiſſe, dixit, Deum Valdauram occidere, vxorem verò obſtinaſſe è manibus ſe illum non dimiſſuram. Cępit ei, fluente quodam ardentiſſimo ex capite humore, arrodi interior narium caruncula, Medici puluiſculum dederūt, quo ſubinde reſpergeret vlcus, tenui per fiſtulam aut calamum flatu. Quumq; nullus inueniretur, qui non eum laborem recuſaret,

Democriti dictū.

Hiſtoria fœminæ Belgicæ, maritum valetudi-

narium magna conſtātia ſuſtinētis.

ret, omnibus rem auerſandam exhorrentibus, ſola coniux hoc præſtitit. Scatentibus per genas ac mentum papulis morbi, quum nullus raſor commodè poſſet eius barbam radere, nec vellet, vxor forficulis octauo quoq; die dexterrimè attondebat. Collapſus deinde in alium morbum longiſſimum, ſeptem fere annorum, ipſa infatigabili diligentia & cibum ei parauit, cùm pediſſequas haberet duas, & filiam grandeſcentem: ipſa eadem tum fęda illeuit vlcera, tum & crura putidiſſima vndique ſanie diffluentia contrectauit quotidie, turundas & malagmata impoſuit, ac faſcijs deuinxit, vt muſcum eam diceres contrectare, non rem fętoris intolerabilis. Quin & anhelitum, quem nemo nō etiam ad decem paſſus auerſabatur, ipſa ſuauiſſimum iurat fuiſſe. Et quidem feriò ſuccenſuit, eum fętere dicentibus; aiebat enim ſibi videri ceu fragrantiam maturorum & dulcium malorum. Atq; hoc toto morbi tempore, cum eſſent quotidie magni faciēdi ſumptus, in ea domo, ad quam multis iam annis nulla ex re quæſtus aliquis redierat, nec annuos haberet prouentus; ipſa ſe annulis, ipſa torquibus aureis, ipſa monilibus, ipſa veſtibus, ipſa abacum ſuum vaſis argenteis libentiſſimè ſpoliabat, ne quid marito deeſſet, contenta quauis menſa, modò marito ſuppeteret, quod tam afflicto malis corpori conduceret. Sic ille vitam traxit vxoris cura, cadaueroſo corpore, ſeu ſepulchro verius, decem annis à primo illo morbo. Quo tempore ipſa duas ex eo proles ſuſcepit, cum antea ſex genuiſſet, viginti annis nupta, nunquam cōtagioſiſſimo mariti morbo, nec vlla omnino ſcabie infecta, non modò ipſa, ſed nec vllus liberorum, corporibus omnium ſaniſſimis & mundiſſimis. Ex quo liquidum fit, quanta ſit virtus, quanta ſanctitas earum, quæ vero ac toto pectore maritos (vt congruum eſt) amāt, quemadmodum illis Deus præſentem quoq; gratiam referat. Obiit tandem ſenex ægrotus, ſed non obijt, ſed abiit verius, & exijt iugem cruciatum, tanto tamen dolore Claræ, vt qui illam norint, faterentur, nunquam adoleſcentem maritum, integro corpore, formoſum, diuitem, tantum reliquiſſe chariſſimæ vxori deſiderium, męrorem, luctum. Multi gratulationē citius putabant eſſe opus, quàm conſolatione, quos illa propemodum execrabatur, optans vt maritus, qualisqualis erat, ſi fieri poſſet, ſibi redderetur, etiam cum liberorum omniū, quos quinq; habebat, iactura. Cumq; eſſet integra ætate, nunquam ſtatuit nubere, quod ſe alterum Bernardum Valdauram inuenturam negaret. Hæc & plura Viues. Eant nunc delicatulæ illę mulierculæ, quæ ob mariti vel pedum ſolùm fętorem, vel impuriorem aliquem ſcreatum, vel fonticulum, amorem coniugalem in adulterium conuertunt, & coniuges ſuos in familiam Corneliam (ſic ſalsè iocantur Itali, ob cornuum decus) aſſerunt, dum ſeſe aliis permolendas ſubiiciunt. At nunc viridarium intremus.

Vis amoris coniugalis.

DE ARBORIBVS.

A methodo, quam hactenus in ſingulis Emblematis ſumus ſecuti, paululùm deflectere cogimur, re ſic exigente. Nam cum quædam epigrammata ex his diuerſos habeant fines, & argumenta, ideo diuerſam requirunt tractationem. Nihilominus quoad fieri poterit ad tritam iam viam appropinquabimus, ita vt numerus I. in margine appoſitus deſcriptionem & hiſtoriā arboris. II. originem Emblematis, quæ vt plurimùm ex proprietate arboris deſumitur. III. Epigrammatis, ſiue vnum ſit, ſiue plura, explicationem. IV. doctrinam morum, ſiue ad vnum, ſiue ad diuerſum finem reſpiciat, contineat.

Cupreſſus

Cupreſſus.

EMBLEMA CXCIX.



INDICAT effigies metæ, nomenq́ Cupreſſi,
Tractandos parili conditione ſuos.

ALIVD.

FVNESTA eſt arbor, procerum monumenta Cupreſſus,
Quale apium plebis, comere fronde ſolet.

ALIVD.

PVLCHRA coma eſt, pulchro digeſtaq́ ordine frondes:
Sed fructus nullos hæc coma pulchra gerit.

COMMENTARII.

I. *Cupreſſus.* PROCERA arbor Cupreſſus eſt, caudice longo ſurrecto, faſtigio acuminato, ramis compluribus in orbem cingitur, qui non in amplitudinem diffunduntur, ſed ſecundum caudicem aſſurgunt, cacumen tamen non attingentes, coni ſimilitudinem effingunt. Sed quia tria per cupreſſum hic ſignificantur, æqualitas liberorum, funus, & inutilis pulchritudo: ideo ea totidem ſymbolis hic appictis denotantur, ſtatera, pyra, & perſona.

VT ex naturis animantium, rerumq; II.

aliarum

Cupreſſus tria ſignificat. aliarum ſpectata proprietate, ſumitur aliquod ſymbolum ad aliquid deſignãdum, ita ex plantis & arboribus : vt Cupreſſus hic ad tria accommodatur. 1. *Æqualitatem in ſuos.* Primò ad ęqualitatem inter ſuos ſignificandam, quod ea arbor & in foliis & fructibus videatur aliquam æqualitatem obſeruare. Vnde Caſſius Dionyſ. lib. 11. c. 5. Cupreſſi duplex nomen habent: & Charites, hoc eſt, Gratię appellantur ad delectationem : Cupreſſi verò, ſiue (vt Græci rectiùs appellant) Cypariſſi, quòd ferè pariles geſtent & producant tum ramos, tum fructus. Ambroſius Serm. 4. in Pſal. 118. de Cupreſſo verba faciens: (quid enim me pudeat auctorem tam pium & doctum huc aduocare?) Genus hoc arboris, ait, numquam amittit viriditatem ſuam hyeme. Iuxta ver & æſtatem comam paſcit, nec diuerſo colore mutatur. Solam hanc arborem ventus ſuo numquam honore deſpoliat: ſola nũquam vetere exuitur amictu, aut nouo flore veſtitur. Sic Apoſtolica quoque gratia neſcit defectũ, ſed vetuſtate ſui floret.

2. *Symbolũ mortis.* Cupreſſus etiam ſymbolum mortis præfert, quia, vt inquit Feſtus Pompeius lib. 3. Cupreſſi mortuorum domibus ponebatur ideo, quia huius generis arbor exciſa non renaſcitur; ſicut ex mortuo nihil iam eſt ſperandum. Quam ob cauſam in tutela Ditis patris eſſe putabatur. Hæc Feſtus.

3. *Res pulchras, ſed inutiles.* Denique cupreſſus ſignificat res dictu quidem magnificas ac præclaras, ſed inutiles : quod profluxit à natura huius arboris, quam natu moroſam eſſe, fructu ſuperuacuam, baccis toruam, foliis amaram, odore violẽtam, ac ne vmbra quidem gratioſam, ſcribit Plinius lib. 16. cap. 33.

III. 1. *Meta.* *INDICAT effigies metæ*] Meta, ſtrues in acutum tendens, Græcis κῶνος. Virgil. 5. Æneid.

Hic viridem Æneas frõdenti ex ilice metã
Conſtituit.

Idem alibi, Aerias quercus, & coniferas cypariſſos appellat. Citat & iſtud ex Ennio Nonius :

Capitibus nutantes pinos, rectosq; cupreſſos.

Eſt etiam meta terminus cuiuscunq; rei. Et metaphoricè terminum accipimus pro certo aliquo regimine & fine.

Cupreſſus unde nominatus. *Nomenq; cupreſſi*] Multi Cypariſſum vocatam aiunt διὰ τὸ κύειν καὶ φέρειν παρίσους κλάδους τε καὶ καρποὺς, à fructuum *æqualitate, pariterq; ramorum, quos producit.* Siquidem Cupreſſus ab radice ad ſummitatem recto ſtipite conſurgit; ſuaq; brachia omnia pari æqualitate in coni figurã ad faſtigium protendit. Cupreſſum autem à Cypariſſo puero nomen habuiſſe, eo quidem Telephi filio, ab Apolline adamato, & in arborem ſui nominis commutato, fabulatur Ouidius in 10. Metamorph. At Didymus refert, Cypariſſos Eteoclis fuiſſe filias, quæ cum tripudio ad Dearum æmulationem ſubſilirent, extra choream conuolutæ, in profundum puteum conciderunt. Quarum caſum Tellus miſerata, inde arbores puellis ſimiles ad oblectamentum & memoriam rei protulit. Vnde Cypariſſi etiam Charites appellantur, vt dictum eſt. *& eius natura.*

FVNESTA eſt arbor] Secundi epigrammatis ſenſus eſt : Cupreſſus diuitum & magnatum monumenta & ſepulchra exornat, quemadmodum & apium plebis monumenta fronde ſua comit & exornat. 2. Vnde Lucanus in 3. dixit :

Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus.

Eſt autem cupreſſus arbor funeſta ob cauſam iam dictam, quia ſcilicet Diti ſacra, ideoq; pro ſigno funebri ad domos poſita. *Cupreſſus cur arbor funeſta.* Vel vt Varro ait, pyras cupreſſo circũdari ſolitas fuiſſe, ne propter grauem vſtrinæ odorem populi circumdantis corona offendatur. Ad quem morem reſpiciens Virgil. 6. Æneid. ait :

Ingentem ſtruxere pyrã, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupreſſus
Conſtituunt.

Statius lib 6.

Triſtibus interea ramus, teneraq; cupreſſo
Damnatus flamma torus, & puerile pheretrum
Texitur.

Ideo etiam Horatius Ode 5. Epod. cupreſſos appellat funebres. Ouidius 3. Triſt. eleg. 13.

Funeris ora mihi ferali cincta cupreſſu
Conuenit.

Claudian. 2. de raptu Proſerp.

Quercus amica Ioui, tumulos tectura cupreſſus.

Virgilius 3. Æneid.

——ſtant manibus aræ
Cæruleis mœſtæ vittis, atraq; cupreſſo.

Quod idem teſtatur Ouidius 10. Metamorph.

Lugebuq; alios,aderuq; dolentibus,inquit.

Apium in ſepulchru. *Quale apium*] Videmus enim aliquando in magnatum ac nobilium ſepulchralibus,& pollinčturis ſpargi cupreſſi frondes: ſed iſte tamen ritus apud omnes noſtrates non æquè celebratur. Plebei,dum parentant,ſaluia, hyſopo, mentha, buxo, & nonnunquam apio vti ſolent, non alia ratione crediderim,quàm ad olentem mephitim auertendam,& tetram cariem mortıcinæ. Vide adagium, *Apio opus eſt*. Et Alexandrum ab Alexandro lib. 2. cap. 7. qui etſi vera dicit de apio, locum tamen Ciceronis nimis putidè interpretatur; cùm Cicero de Appio Pulchro intelligat.

Como. *Comere fronde.*] Ornare. Hinc comptũ dicimus ornatum. Hic μεταφορικῶς. Propriè Plautus: Dum poliuntur, dum comuntur,annus eſt. Claudian. in laude Serenæ:

Non illo nitidos vnquam bellante capillos.
Comere.

3. *Phocionis in Leoſthenem dicte rium.* *PVLCHRA coma eſt*] Huc refer dictũ Phocionis in Leoſthenem Oratorem multis & magnificis promiſſis Athenienſes ad bellum concitantem: eius enim orationem cupreſſis eſſe similẽ aiebat, quæ cùm pulchræ ſint & proceræ, nullum tamen fructum referant. Dicitur autem in eos, qui cùm membris ſint elegantibus & apprimè comptis, nullius tamen frugis ſunt, neque ſuis alicui commodo eſſe poſſunt. Refer huc Adag. *Cypariſſi fructus*.

IV. 1. *Æqualitas in hæreditate ſeruãda.* FORTE ſufficere potuiſſent, quæ de his tribus Emblematis dicta ſunt, tamen methodi ratio paulò latiùs diffundi deſiderat. Suadetur ergo primò hoc epigrammate ἰσομερία, id eſt, æqua in liberos hæreditariæ ſucceſſionis diuiſio, de qua B. Ambroſius lib. de Ioſepho Patriarcha, cap. 2. Iungat liberos, inquit, æqualis gratia: lucrum pietas neſcit pecuniæ, in quo pietatis diſpendium eſt. Quid inanius, ſi propter fundum aut domum oriantur inter fratres iurgia, quando propter tunicam inter ſancti Iacob filios exarſit inuidia? *Charicles & Antiochus.* Hæc ille. Proditum memoriæ Chariclem & Antiochum, fratres Ponticos, cùm paterna inter ſe bona diuiderent, poculum argenteum conſcidiſſe, veſtemq́; mediam diſſecuiſſe, vt neuter altero ditior, opulentiorq́; rediret. Vnde illa Tragica deteſtatio apud Plutarc. in Pyrrho. * θηκτῷ σιδήρῳ δῶμα διαλαχεῖν τὺς ἀδελφὺς. A. *cuto ferro diuidant fratres domum*. Sanè ij & ſimiles fratres adeò pertinaciter æqualitatem ſectati ſunt, vt vel ficus non paterẽtur indiuiſas, ex vetere verbo, σῦκα μερίζειν, *ficus diuidere*. Ex quo Martialis locus in quinto:

Calliodorus habet cenſum (quis néſcit?) equeſtrem,
Sexte, ſed & fratrem Calliodorus habet.
Quadraginta ſecat, qui dicit, σῦκα μέριζε,
Vno credis equo poſſe ſedere duos?

Hoc ipſo admoneri poteſt Magiſtratus & Princeps, vt in Repub. & prouincijs ſibi ſubiectis æqualitatem ſeruent atq; tueantur. *Princeps æqualitatem tueatur.* Meminerit etiam optimus quiſq; paterfamilias ſuorum liberorum æquam habere procurationem, cùm ſint omnes æquè legitimi: quod tamen in pleriſq; Galliæ prouincijs iure patrio non obſeruari palam eſt. Deniq; quod hic ſcribit Alciatus de æqualitate quæ patribus in liberos obſeruanda ſit, illuſtrari non minimum poteſt his Ambroſij citati verbis in Hexaem. lib. 5. c. 18. *Locus D. Ambroſij.* Quis docuit, niſi homo, filios abdicari? quis reperit tam immitia patrum iura? quis inter naturæ fraternæ conſortia fratres impares fecit? Vnius diuitijs filij diuerſa ſorte eduntur. Alius totius paternæ ſortis adeptione inũdatur, alius opulentæ hæreditatis patriæ deplorat exhauſtam atque inopem portionem. Nunquid natura diuiſit merita filiorum? Ex pari omnibus tribuit, quod ad naſcendi atq; viuendi poſſint habere ſubſtãtiam. Iſta vos docẽt non diſcernere patrimonio, quos titulo germanitatis æquaſtis. Etenim quibus dediſtis communiter eſſe quod nati ſunt, non debetur his, vt id communiter habeant, quod à natura ſubſtituti ſunt inuidere. &c. Ariſtoteles Politicor. lib. 2. c. 2. ſcribit, vbique ferè propter inæqualitatem oriri ſuſpiciones. Idem cap. ſeq. multa in idem confert argumentum. Suppetunt multa ex Iuriſconſultis, ſed nos aliò properamus.

Secundum epigramma mortis ſymbolum per cupreſſum ſignificatum præ ſe fert: hæc enim procerum magnatumq́ue, ſicuti apium plebeiorũ ſepulchris imponebatur, quòd putredinem auerteret cerneretur: quorum vtrumque ſimili propemodum folio, colore, odore, facultate, naturaq́; ſit. Sunt autem qui ramos cupreſ-
2. Cupreſſa adhibita funeribus.

ſinos

finos ante defunctorum ædes poni ſolitos velint, ne quis per imprudētiam ingreſſurus pollueretur. In funeribus autem adhibebatur, quòd ſemel exciſa nunquam renaſcatur: vel vt humanum corpus ab anima & animo iam relictum diutiùs ſeruaretur, atq; incorruptum remaneret. Varro putat hunc morem inductum, ne cadauerum odor nares offenderet, interea dum vrerentur. Vide Cupreſſum Pierij, id eſt lib. 52. Quin & pueris, puelliſq; morte raptis exhibentur flores, & corollaria, fortè ad vitæ præcipitis marcorem innuēdum. Cur verò Cupreſſus funeraria? an ob pariles ramos, (vnde illi Græcū nomen) an quod mors æquo pulſat pede pauperum tabernas, regumq; turres? Hæc enim dominos ſeruis, & ſceptra ligonibus æquat. Quin ſeſe in omnes habet Arithmetica proportione, vt quæ nullam ferat *προσωποληψίαν*,

Diſſimiles ſimili conditione ligant.

quod argutus notat Lucianus dialogis mortuorum. Illud pridem mihi obuium erat Martialis, lib. 6.

Sed mihi perpetua nunquam moritura
Cupreſſo.

Id quicquid eſt opellæ dum concinnare pergo, non verebor, fretus bona ſtudioſorum venia, traducere carmina duo, quæ ſcripſit in maiore otio Cl. Minos. Primū illud ad viri Principis epicedium:

Quam tibi cura ſalus patriæ fuit, optime
Princeps, *Epigrammata duo Minois.*
Hoc tua ſtrenuitas claraq; geſta ſca-
nant.
Nempe tibi conſtanti animo dum vita
maneret,
Propoſitum fuerat vincere, ſiue mori.
Perpetuas ergo inferias tibi magne ſacra-
mus:
Signaque conſpicuè, palma, cupreſſus, e-
runt.

Alterum verò *γνώμην* habet non inuenuſtam, meo quidem iudicio:

Principio exili magnū capis incrementū.
Semine vti minimo proceras creſcere plan-
tas,
Et patulas altè luxuriare comas;
Vt penè vmbriferam videas aſſurgere ſiluā;
Magna parens rerum ſcilicet edit opus:
E ſententiola multos emergere ſenſus
Noueris; egregium cernis & iſtud opus.

Reperio etiam pinum & myrtum pro mortis ſymbolis accipi ſolitas à veteribus. Pinus, quia ſemel exciſa nunquam reuiuiſcit, aut etiam repullulaſcit. Myrtus etiam funeſta, cuius folijs Thebani vtebantur ad tumulum Iolai herois maximi, vt ſcribūt ſcholiaſtæ Græci. *Pinus & Myrtus, pro mortu[is] ſymbolis.*

Tertium epigramma in eos torquetur, qui quamquam pulchrum neſcio quid præ ſe ferant, nullos tamen ex ſe fructus educunt. Detorqueri etiam poteſt in viros bene formatos; aut mulieres pulchrè comatas, cæterùm nullius frugis. De his talibus nos Germani dicimus; *Schœn iſt ihr Krag, ſonſt vvie ſie mag.* Feſtiuè quoq; Itali: *Bella'n viſta, Dentro triſta.* Vel lepidius: *3. Formoſi, ſed inutiles.*

Ell' è fatta come la caſtagna,
Bella di fuori; & dētro hà la magagna.

ἔνδοθεν ἡ ἑκάβη, ἔκτοθεν ἡ ἑλένη. Intus Hecuba, foris Helena, Nazianzen. aduerſus mulieres fucatas: *ἐν ἐλεφαντίνῳ κουλεῷ τὸ μολύβδινον ξίφος*. id eſt: *In eburnea vagina plumbeus gladius.* Vide Emblema 189.

Quercus.

EMBLEMA CC.



GRATA Ioui eſt quercus, qui nos ſeruatq́; fouetq́;:
Seruanti ciuem querna corona datur.

Aliud.

GLANDE aluit veteres, ſola nunc proficit vmbra:
Sic quoque ſic arbor officioſa Iouis.

COMMENTARII.

I. *Quercus deſcriptio.* QVERCVS arbor nota, glandifera, in magnam altitudinem aſſurgit, frequenter ingentium ramorum armamentis belliſſimè patet. Folia lævia ſunt, duriuſcula, lata, oblonga, ambitu ſinuoſa, ſuperna parte viridiora. Glandes oblongę, ſingulæ ſuis inhærent calycibus, foris aſperiuſculis, & membraneo cortice conteguntur. Et quia olim ob ciuem ſeruatum quercina corona dabatur, hic duo rami ad ſe inuicem inflexi, cum inſcriptione & nummo appinguntur.

II. 1. *Quercus ſalutis ſymbolũ.* DVO hic ſuper quercu proponuntur Emblemata. Quercus enim primò ſalutis eſt ſymbolum, quia qui Romanum ciuẽ in bello ſeruabat, coronam quernam accipiebat, quæ Ciuica vocabatur. Cauſas reddit Plutarchus in problematis: quod ſcilicet vbiq; in expeditionibus facilè ſit quercum inuenire. Vel quod Ioni & Iunoni, quos Vrbi præſidere putabant, corona conſecrata eſt. Vel mos ab Arcadibus eſt acceptus

ceptus, quibus eſt cum hac arbore quædam cognatio: Vt enim primi homines ex terra Arcades; ſic quercus prima ex omnibus plantis nata. Hæc Plutarchus. Vide Plinium lib. 16. cap. 5. & 4. Vide etiam adagium, *Multorum feſtorum Iouis glãdes comedit*.

2. Secũdo quercus ſymbolum erit illius, qui multa geſſit præclara facinora, ſed iam nomine tantùm & fama durat, qualis deſcribitur à Lucano Cn. Pompeius in 1. Pharſal.

—ſtat magni nominis vmbra!

III. *Quercus Ioui ſacra.* GRATA *Ioui eſt quercus*] Quercus Ioui ſacra, qui Deus habebatur Opt. Max. in eã enim reddebat oracula in Dodona ſilua. Virgil. 2. Georg.

—nemorumque Ioui quæ maxima frondet

Æſculus, atq; habitæ Graijs oracula quercus.

Claudianus 2. de raptu Proſerp.

Quercus amica Ioui.

Vide adagium, *Annoſam arborem tranſplantare*.

Seruator ciuium. *Seruanti ciuem*] Lucanus in 1.

Seruati ciuis referentem præmia quercum.

Fiebat enim è fronde querna ciuica corona, quam ciuis ciui, à quo ſeruatus eſſet in prælio, tanquam vitæ teſtem, ſalutisque perceptæ monimentum dabat. Fiebat etiã ex ilice: quod genus ſuperiori non admodum diſſimile eſt. Gellius cap. 6. lib. 5.

Querna corona] De coronis, quibus olim milites donabantur, vide Gellium lib. & cap. iam citatis, Panciroll. lib. 1. rerum memorabilium.

2. *Glandes, cibi veterum.* GLANDE *aluit veteres*] Veteribus quernæ glandes victum præbuerunt, nunc verò arbor ipſa ſola vmbra prodeſt: ſic rerum omnium ſua ſunt tempora. Ouidius 4. Faſtor.

Poſtmodo glans nata eſt: bene erat tum glande reperta,

Duraque magnificas quercus habebat opes.

Nam glandibus veſcebantur priſci ante frumenti vſum.

IV. 1. *Ciuica corona donati qui.* DICTVM eſt, coronã ciuicã, quæ ex querna fronde conſtabat, ciuem donari conſuetudinem olim obtinuiſſe: cuius rei cauſam iam ex Plutarcho attulimus. Sed confirmat hoc idem Cornelius Tacit. 12. Annal. M. Oſtorius (inquit) ſeruati ciuis decus meruit. Et in 15. Si ſingulis manipularibus præcipua ſeruati ciuis corona Imperatoria manu tribueretur, quod illud, & quantum decus, vbi par eorum numerus adipiſceretur, qui attuliſſent ſalutem, & qui accepiſſent? Sed quia fortè nota omnibus non ſunt, quæ & quanta tribui ſolita eſſent ijs, qui ciuicam meruiſſent, adijcere placet. Ea primum corona *Corona ciuica dignitas.* vtebantur in ſpectaculis: indueuti aſſurgi etiam à Senatu moris erat, & Senatui proximus erat aſſignatus locus. Ipſi munerum vacatio, patrique & auo paterno dabatur, quod filium Reipub. ſalutarem genuiſſent. At ne temerè daretur, leges latæ ſunt arctiores, nempe vt ciuis, qui ſeruatus eſſet, ſeruatum ſe eſſe fateretur: teſtes enim adhiberi nihil proderat; neque ſi aliquem alium, quàm Romanum ciuem ſeruaſſet, quamuis Regem. Ciceronem ciuica donãdum Gellius cenſuit, quod eius opera eſſet atrociſſima Catilinæ coniuratio detecta, vindicataq; atq; ità non vnus ciuis, ſed vniuerſa Romana ciuitas ſeruata, meritoque, vt ait ille,

Roma patrem patriæ Ciceronẽ libera dixit.

Is igitur honos quia in maximis eſſet, eum affectarunt principes Romani, non probi modò, ſed & ſcelerati, adeoq; ſuis numiſmatis exprimi curarunt. Vt enim de ijs *Nummi cum corona ciuica.* taceam, quibus merito is tributus honos fuit; in C. Caligulæ numo ciuica cum glandibus ſpectatur, cum literis his S. P. Q. R. PP. OB CIVES SERVATOS. Numus verò Galbę Imperatoris ciuicam habet cum inſcriptione, S. P. Q. R. OB C. S. Eadẽ in Vitellij Germanici, in cuius medio hæ literæ, S. P. Q. R. OB CIV. SER. In numo aureo, & alijs quibuſdam, ciuicam etiam Neroni ex S. C. dedicatam fuiſſe obſeruatur. Eodemq; S. C. Antonino nummus datus eſt cum porca fœta, & natis ſub ubere, quibus imminet quercus, quòd animal id dubio procul glande vt plurimùm paſcatur, vnde antiqui omninò cibi admoneamur. Claudianus de laudib. Stiliconis 3.

Mos erat in veterũ caſtris, vt tẽpora quercu
Velaret, validũ fuſo qui viribus hoſte
Caſurum potuit morti ſubducere ciuem:
At tibi quæ poterit moriturũ ciuica reddi
Mœnibus, aut quæ te penſabunt facta corona?

Querna etiam corona coronabantur victo

 res

Agon Capitolinus. res in agone Capitolino, quem Ioſ. Scaliger lib. I. Auſon. lection. cap. 10. ait inſtitutum fuiſſe à Domitiano, vt die duodecimo eius & Sergij Cornelij Dolabellæ conſulatu, cùm poetæ, tum hiſtriones, ſcenici, & omne genus artificum in eo ludorum Olympicorum exemplo certarent. Vnde illam coronam Iuuenalis vocat Capitolinam;

An Capitolinam ſperaret Pollio quercum?

Martialis Tarpeiam, eodem ſenſu:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus.

Auſonius Olympiam vocat, quod, vt dixi, ludorum Olympicorum exemplo agon iſte eſſet inſtitutus.

2. Secundum Emblema torqueri poteſt vel ad hominem, vel ad rem, quæ olim magno in honore fuerit, ſed nunc nihil aliud ſit, quam magni nominis vmbra. Idē etiam conuerti poteſt ad veterem illam legem populo Iudaico à Moſe propoſitam, qua ęterni Patris Filius & Seruator noſter CHRISTVS expectabatur: cuius quidem ſpei fidem certiſſimam cùm nobis Christianis dederit, poſſumus atq; priſci illi ſubinde repetere, ἅλις δρυὸς, reperta tandem, vel potius cuique noſtrum gratis conceſſa fruge omniū optima diuiniſſima quę, quam ab Euangelio decerpimus. In eam ſententiam luſit aliquando Epigrammate Claudius Minos: *Lex Iudaica.*

Glande patres aluit quercus, fagusque vetuſtos:
Sed modo non cibus eſt, proficit vmbra tamen.
Glandibus antiquus tantùm fuit vſa vetuſtas:
Frugibus inuêtis vtimur: at quid id eſt?
Tradidit in ſacro quæcumque volumine Moſes,
Glans erat, & veterum pabula priſca patrum.
At largitor opum fruges inuenit IESVS,
Et miſſa palea plurima grana dedit.
Vmbra licet nobis lex ſit vetus atq; Propheta:
Sed noua lex CHRISTI verior eſſe cibus.

Vidi aliquando non improbum, ac ne quidem inficetum hominem, qui hoc flecteret ad veteres monaſteriorum bibliothecas, quæ ſuperioribus ſæculis habebantur in pretio, quo tempore nondum typographi ſuam nobis artem commendaſſent: nunc enim membranæ veteres, & codices manuſcripti exoleſcunt, & ferè ſola ſe oſtentatione venditant antiquitatis. Malim ad corruptas traduci diſciplinas, in quibus patrum æuo, omiſſo puriore bonarum artium ſucco, ſoli diobolares in ſcholis terebātur, Holcotus, Bricotus, Anſelmus, Buridanus, Floretus, Perchetus, Alexāder de villa Dei, alijq́ue id genus tenebriones, qui quaſi glandibus vſi, veras diſciplinas ac puriores fruges excerpere non potuerunt, reuocati ſuorum temporum barbarie. Sed hæc fortaſſe πάρεργα. Et placet ad finem adijci Minois qualecumq; de quercu & oliua carmē, ſi quis tamē hoc quoq; ſi quis captus amore leget. Id ſic habet: *Bibliotheca.* *Diſciplina corrupta.*

Quercus amica Ioui, potitur bona Pallas oliua:
Illius fructus, huius & vmbra placet.
Glans iuuat, vmbra placet, prodeſt & fiſſile lignum;
Frondibus iſta viret, ſic quoque fragrat odor.
Vtraq; delectat noſtris accommoda rebus,
Vtraq; ſecura ſymbola pacis habet.

Adijcit idem Minos & alterum grauioris argumenti, non tamen oſtentationis gratia, ſed illud committit candidis lectoribus: eo autem diſcrimen inter Eccleſiam & dominatum temporarium complexus eſt: *Eccleſiaſticum & temporarium dominium.*

Non bene conueniunt quercus, oleaq; nec vna
In ſcrobe plantantur, ſiue ſerūtur humo.
Si facias, vnam necat altera cōſcia cauſa,
Natura id verum ſcilicet eſſe docet.
Cœlica miſceri numquā terreſtribus aquū
Noueris: incaſſum, qui facit iſta, facit.

Salix

Salix.

EMBLEMA CCI.



QVOD frugiſperdam ſalicem vocitarit Homerus,
Clitoriſ homines moribus adſimilat.

COMMENTARII.

I. SALIX arbor caudice mediocriter craſſo, in altitudinem non minorem aſſurgit, quam aliæ maiores arbores, ſi non initio & citò à ſatione præciſa illi ſumma pars fuerit. Folia habet oblonga, minora & anguſtiora quam Perſici, ſuperiore parte virentia ac glabra, auerſa verò molliora & albidiora.

II. HOMERVS Odyſſ. κ. ſalicem ὠλεσίκαρπον appellat: vt etiam Theophraſtus 3. de plantis, cap. 2. Salicem, inquit, celeriter fructum (antequam in plenum craſſetur, percoquaturq;) dimittere aſſeuerant. Idem lib. 2. cap. 13. de cauſis, ὠλεσίκαρπον γένος vocat, quod ſemen ocyſſimè amittat, antequam omnino maturitatem ſentiat, vt enarrat Plinius lib. 16. c. 26. Aſſerit Caſſius Dionyſius lib. 11. cap. 13. tritum & in potu acceptum ſalicis fructum, homines ſteriles efficere. Et citat Homeri verſiculum, qui talis eſt:

Salix ſemen amittit.

μακραί τ' αἴγειροι καὶ ἰτέαι ὠλεσίκαρποι.

Populus & ſalices plantæ fructum perimentes.

Retulit idem ex Homero Stobæus Serm. 100. ex Porphyrio, qui cum Plinio ſentit, ſalicis fructum cum vino propinatum, ſteriliſ-

Salix ſterilitatem inducit.

ſterilitatem inferre, genitale ſemen extinguere, ac libidinis impetum marcore afficere. Pierius Hieroglyph. 52. idem omuinò, & alia quædam de ſalice notauit: vt Ælianus de hiſtor. animal. 4. cap. 22. Cæterum quod de ſalice hic notauit Porphyrius apud Stobæum Serm. 98. de quo & Marcellus Virgilius in Dioſcoridem lib. 1. c. 121. Itemq; Hieronym. in Eſaiam c. 16. ad torrentem ſalicum ducent eos, vt ſcilicet nullus in eis fructus remaneat. Hanc enim ſeminis earum arborum eſſe naturam, vt qui illud in poculo hauſerit, liberis careat. Vnde & ſancti qui propter peccata in confuſione mundi huius eſſe cœperunt, ſalicibus Babyloniorum fluminum ſuſpendunt organa ſua, Pſalm. 36.

III. *QVOD frugiſperdam*] frugiſperdam, pro frugiperdam; ita exigente metri ratione.

Salix vnde dicta. *Salicem*] Salix à ſaliendo dicitur, vel quod ſata, vel caſu terræ impacta ſaliat & ſurgat.

Lacus Clitorius abſtemios facit. *Clitorijs homines moribus*] Qui vino non vtuntur. Plinius enim 31. c. 2. Clitorium lacum Arcadiæ aquam tali virtute imbutam habere dicit, vt qui ex ea biberint, vinum aſpernentur. Ouid. 15. Metamorph.

Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit,
Vina fugit, gaudetq; meris abſtemius vndis.

De hoc Clitorio fonte vide Vitruuium lib. 8. cap. 3. & Philandrum ad eundem. Itaque homines clitorijs moribus appellamus abſtemios. Memini quidem κλειτοριάζειν, ſeu potiùs κλειτορίζειν, obſcœnum verbum idem eſſe ac τὰ τῶν γυναικῶν αἰδοῖα ψηλαφίζεσθαι, ἢ ταῦτα καθάπτεσθαι, muliebria contrectare.

κλειτορίζειν quid. Nā κλειτορὶς, vt traditur ab Heſychio, eſt τοῦ γυναικείου αἰδοίου ἡ ὑποδερμὶς (mendosè ὑποδορὶς, vt legitur in vulgatis Heſychij exemplaribus) καὶ νύμφη, καὶ μύρτον, καὶ κλειτορὶς; caruncula quædam muſculoſa in media parte τῶν αἰδοίων γυναικείων.

κλειτορὶς. Huius partis inuentionem ſibi arrogat Fallopius, Columbus ſibi tribuit, cum tamen eius mentionem fecerint Auicenna, Albucaſis, Ruffus, Pollux, & alij. Hanc alij nympham vocant, alij tentiginem, alij virgam vel penem muliebrem; tum quia peni ſimilis eſt ſitu, ſubſtantia, compoſitione, ſpirituum repletione & erectione; tum quia in quibuſdā excreſcit in magnitudinē penis, adeo vt penis virilis loco clitoride aliquando abutantur mulieres nonnullæ, & mutuò coeant, quas tribades ſeu confricatrices vocant. Vnde hæc pars etiam contemptus virorum dicitur. Columbo vocatur dulcedō amoris, & œſtrum Veneris; quia in parte hac ſedes eſt delectationis in congreſſu, licet Aquapendens vſum clitoridis eſſe putet, vt collum veſicæ in coitu ſuſtentet. Itaq; qui immoderatius muliebria contrectant, dicuntur κλειτοριάζειν, nempe nō tam ἀκρατεῖς ἀφροδισίων, vt ſalaces, quā τὸ σπέρμα διαφθείροντες, qui Venere licentius abutuntur, proindeque ad generandum inepti fiunt. Quem ego cum Minoe germanum puto huius diſtichi ſenſum.

IV. *Abſtemij.* B R E V E quidem eſt epigramma, ſed multo ſucco refertum. Primò enim ſymbolum eſſe poteſt hydropotarum & abſtemiorum, in quos illud quadrat, *Aquam bibens nihil boni pariat*. Etenim à poetis nihil præclarum, aut poſteritate dignum, aut venuſtum proficiſci poteſt, ſi aquam biberint, hoc eſt, ſi pauperes fuerint & tenui victu. Ergo

Vina bibant homines, animantia cætera fontes;
Abſtemius hominum peſtis potet aqua.

Vide quæ hac de re dicta fuerunt ſupra Emblem. 23. Deinde non malè in eos fortaſſe torſeris, qui laborant gonorrhœa, id eſt, impuro ſeminis effluuio, quos adeo ſeminifluos ait D. Bernardus, & Canoniſtæ. Sed propter obſcœnum verbum κλειτοριάζειν, malim in eos conuertere, qui licentiùs Venere abutuntur, quos ideo meritò frugiperdas, & ſeminiperdas appellaueris. Poteſt & in eos flecti, qui ſtudijs inanibus delectantur, & nihil vnquam profuturis; vt qui ad meram voluptatem referunt omnia: aut qui nefandis artibus ad ſterilitatem venena propinant, non coniuges, ſed fornicarij, vt ait D. Auguſtinus apud Gratianum in c. aliquando. 32. q. 2.

Sanctius temerè à Minoe reprehenſus. Sanctius, quem Minos iactabundum & impudentem plagiarium, ſuppreſſo tamen nomine, vocat (ſic ego iudico, ob inteſtinū odium, quo ſe Galli & Hiſpani proſequuntur) eò quod commentariorum horum bonam partem ante aliquot annos audacter & impunè (ſic loquitur Minos) ſibi vindicarit: is, inquam, κλειτοριάζειν verbū ad Venerem maſculam retulit, Parœmiographi auctoritate ductus: ſed in eo tamen dubius eſt ipſe Parœmiographus, neque id

perſpi-

perſpicuè aſſerit, vt qui dumtaxat ſuum coniectaneum afferat. Pace tamen tua, doctè Minos, dicam, non adeo à ſcopo aberraſſe ſententiam, quam tam calidè impugnas: ſi enim hę puſſarię feles, & quibus officioſa manus (ô ſcelus) non iure dicendi ſunt ἀλλοτριοχειροτονοῦντες καὶ κλειτοριάζοντες, neſcio quos alios hoc nomine indigetem. Probat idipſum turpiſſimum vulgari petulantia iactatum prouerbium, Italico idiomati familiare, quod ſanctus pudor & caſtæ aures hic efferri prohibent. Ergo ad abietem abeo.

Abies.

EMBLEMA CCII.



APTA fretis Abies in montibus editur altis:
Eſt & in aduerſis maxima commoditas.

COMMENTARII.

I. *Abietis conſideratio.* ABIES excelſa admodum & procera eſt arbor, pinum altitudine ſuperat, caudex eius rectus, inferius enodis, creſcendo in altitudinem progreditur, naturali contractura peræquata ad cacumen vſq; circa quod ramos promit, ex eadem caudicis parte ſimul quaternos, ex aduerſo ita ſitos, vt decuſſim imitentur, è quatuor caudicis lateribus erumpentes, tali ad faſtigium vſq; ordine obſeruato: ab his verò ramis & alii exeunt, ſed bini tantummodò laterales, ſibi mutuò oppoſiti, qui ſubinde deorſum mutant, reliquis ſurſum magis reclinatis. Folia ramulos ac eorum propa-

propagines nullo ordine digeſta circumdant, oblonga, teretia, & leuiter mucronata, anguſtiora albidioraq; quàm pictæ.

II. A B I E S imperitè dicitur Hiſpanis, *la haya*. Nam propriè quædam ſpecies pini eſt, quæ Hiſpanis *Abeto* dicitur: ex hac olim fabricabantur naues. Vnde etiam pinus pro naui vſurpatur. Symbolum igitur præfert abies commoditatis in rebus aduerſis, ducta ſimilitudine à maris tempeſtate, & ab ipſa naui, in qua ſeruamur. Quare non malè in hac noſtra pictura naues, triremes, & rates appinguntur. Pinus enim ex altis montibus in ima flumina, melioris vſus gratia, deturbatur: leuis enim viſcoſaq; eſt, materiaq; nauigijs fabricandis aptiſſima. Locum igitur plerisque mutare expedit, & ab eminentiore ſtatu ad humiliorem deuolui vtilitatis cauſa.

Symbolū abietis.

III. *APTA freti Abies*] nauigiis. Claudianus 2. de raptu Proſerp.

Apta fretu abies, bellis accōmoda cornus.

Virgil. 2. Georg.

——etiam ardua palma
Naſcitur, & caſus abies viſura marinos.

Idem 8. Aeneid.

Labitur vncta vadis abies.

id eſt, nauis abiegna. Statius quoq; 6. Thebaid. Abietem audacem vocat, quod ex ea fiant naues, quibus quid audacius? Sic autem ait:

Hinc audax abies, & odora in vulnere pinus.

In montibus editur altis] Sic Maro 7. Eclog.

Fraxinus in ſiluis pulcherrima, pinus in hortis,
Populus in fluuijs, abies in montibus altis.

Et Plinius lib 16. cap. 10. In montibus editiſſimis naſcitur abies, ceu maria fugeret.

Eſt & in aduerſis.] Locis contrariis: dū enim abiete fit nauis in aquis fluctuans, videtur locum habere ſibi contrarium. Sic Plinius: Abies nauigiis expetita; ſitus in excelſo montium, ceu maria fugerit, nec forma alia: materies verò præcipua trabibus, & plurimis vitæ operibus. Non piget Ambroſii ea de re huc ſententiam è 3. Hexaemeron cap. 11. Adiicere: Abies, inquit, non contenta terrenis radicibus atq; aerio vertice, etiam caſus maritimos tuto ſubitura remigio: nec ſolum ventis, ſed etiam fluctibus certatura proceſſit.

Ex abiete naues fiunt.

A B I E T I S ſchema poteſt accommodari iis, qui quanquam in loco ſatis commodo verſentur, tamē ad ampliorem quæſtum faciendum, & vt maiorem mercedem conſequantur, ſeſe periculis obiicere non reformidant. Interim tamen in rebus aduerſis ſæpe clareſcit virtus. Nam vt Ouidius canit 4. Triſt. 3. IV.

Virtus in aduerſis clareſcit.

Ardua per præceps gloria vadit iter.
Hectora quis noſſet, felix ſi Troia fuiſſet?
Publica virtuti per mala facta via eſt.
Ars tua Typhi iacet, ſi non ſit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua Phœbe iacet.
Quæ latet, inque bonis ceſſat non cognita rebus,
Apparet virtus, arguiturq; malis.

Idem 5. Triſt.

Scilicet aduerſis probitas exercita rebus
Triſti materiam tempore laudis habet;
Si nihil aduerſi patiens vidiſſet Vlyſſes,
Penelope felix, ſed ſine laude foret.

Nota eſt Plutarchi ſtudioſa diſputatio, quomodo quis ab inimicis vtilitatē capiat. Sic eſt: in natura hominum res aduerſæ docent, proſperæ ſæpius efferunt. παθήματα, μαθήματα. & nocumenta fiunt documenta. In aduerſis robur mentis ſeſe aperit; virtuti contraria opponas neceſſe eſt, quæ laceſſant aut prouocent, ſi exploranda; languet non tentata, & torpet ſitu. In pace ſit generoſa mēs, & rerū ſucceſſu proſperrimo, rideat fortuna, nec aſſibilet interdum aſperiore flatu, quis fortitudinis hic mihi laudem commendet? Nō conſtat virtus eductæ molis, ſi nondum percuſſa vento, reſiſtat procellis neceſſe eſt ac frangat turbinem, ſi ſtabilis creditur ac patiens æui. Cùm fluctus illidunt cauti, reſiliunt, nec cedit ſaxum: ſic in hominem conſtantem quando incidunt motus iſti turbationum ac verberant, obnititur ac retundit fractos animoſo conatu ac virili. Nec verò alio clypeo opus niſi patientiæ, quę ſola tropheum figit in cęleſti illo Capitolio: hoc fulcrum eſſe debet ac baſis in omni huius vitæ lucta, ſpes coronæ ſcilicet; qua ſubtracta, fieri non poteſt quin ſuccumbamus. Potes huc traducere, quę priùs dicta ſunt de Perſico arbore, translatu facta meliore, Emblem. 143.

Virtus in tentata, languet.

Picea.

EMBLEMA CCIII.



AT Picea emittat nullos quòd ſtirpe ſtolones,
Illius eſt index, qui ſine prole perit.

COMMENTARII.

I. *Picea deſcriptio.* PICEA arbor eſt procera, multis ramis luxurians, non ſolùm quidem circa verticem, ſed multò inferius, ac infra caudicis medium, qui reflexi terram verſus nutantes non rarò dependent. Folia anguſta ſunt, non qualia pini, ſed breuiora latioraq; abietis ſimiliora, quibus tamen nigriora, latiora, molliora, tenerioraq; quę etiam non orbiculariter, vt abietis, teneriores virgulas conueſtiunt, ſed è duobus tantummodò ſibi oppoſitis lateribus, frequentia admodum denſeq; exeunt, veluti taxo, cuius folia ſatis æmulantur. Conus huius oblongus eſt, & abiegno ferè ſimilis. Iam & πιτυοκάμπαι vix in alia vlla arbore, quàm in ſola picea reperiuntur; teſte Bellonio: ſic vt non temerè pityocampæ, ac picearũ erucæ vocentur (quas hoc loco appictas vides) tametſi plerique interpretes pinorum erucas nominent. Aſinus quid hic ſibi velit, nõ ſatis perſpicio, niſi forſan ſterilitatem muli indicet. *Pityocampa.*

II. SCHOLIASTES Homeri Iliad. 1. ait: καὶ γὰρ ἡ πεύκη κοπεῖσα οὐκ ἀνίησι βλαστὸν· καὶ τὸ δάκρυον αὐτῆς ἐστι πικρὸν, ἡ πίσσα. Hoc eſt: *Picea ſucciſa non remittit ſtolonem: & lacryma eius eſt amara, quæ eſt pix.* Quapropter admiratione *Picea ſucciſa non ſuccreſcit.*

tione non caret. Herodotum ſcribere, vnã, ſolamq; arborum pinum reciſam non ſuccreſcere amplius, verùm interire funditus, vel (vt ipſe ait) πανώλεθρος. nata inde parœmia, vt exteri dicantur pinus modo, quæ prorſus intercidant: cùm manifeſtum fiat, piceam & cupreſſum idipſum pati, ſed & pleraq; alia, niſi fortè cognationem aliquam inter haſce arbores intellexit, proptereaque vno pinus nomine accipiendas conſtituit. Quod ad piceam attinet, ſciendum, Euſtathio tradente, id Homericum ἐχεπευκὲς, inde profluxiſſe, ac pro mortifero interpretari, etiamſi ad amaritudinem referunt alij. Vide adagium, *Pinus in morem*.

III. *Stolo.* STOLONES] Stolo, virgultum eſt ex arborum radicibus aut trunco productũ. Quid ſit ſtolo declarat his verbis Varro lib. 1. de re ruſt. cap. 2. Nam Stolonis lex illa, quæ vetat plus quingenta iugera habere ciuem Romanum, & qui propter diligentiam culturæ Stolonum confirmauit cognomen, quòd nullus in eius fundo reperiri poterat ſtolo, quòd effodiebat circum arbores è radicibus, quæ naſcerentur è ſolo, quos ſtolones appellabant. Plinius lib. 17. cap. 1.

Illius eſt index] ſymbolum.

IV. *Picea ſymbolũ.* PICEA itaque, quæ nullos emittit è ſua ſtirpe ſtolones, hominem arguit, qui ſine liberis decedit: aut referetur in eos, qui nullum ſui monumentum relinquunt, ſed eorum vita ac mors iuxta æſtimatur, vt ait Salluſtius. Niſi noſter hic malit alludere ad conſuetudinem iam olim receptam in medijs quorundam monachorũ clauſtris, in quibus videre eſt proceras quaſdam piceas coniferas, quæ ſunt pini ſpecies, perpetua viriditate conſpicuas, quæ nec fructus, nec ſtolones educant, ſed ſola vmbra ſe commendant. *Cur plerunq; picea in monaſterijs.* Ego (dicit Minos) cùm aliquando rogarem cauſſam, cur potius hanc plantam monachi in loco clauſtrorum conſpicuo, quàm alias quaſdam frugiferas conſererent, docuit me vir minimè malus, ſed qui tamen neque nare, neque litteras noſſet, id habere arcani aliquid: nempe cum ad preces antelucanas cucullati ſodales ſummo manè accincti prodirent, ſi arborem eam primò conſpexerunt, rei omnis Venereæ cogitatione immunes toto die fore. Quam ſuauem profectò & nimis dilutam opinionem viderint etiam ipſi cœnobitæ. Ac puto id citiùs in morem veniſſe, vt arbor ea index eſſet orbitatis, qui nomen dedere, qui vitam religioſam profitentur. At abſit inuidia dicto, id referre quodammodo vitam quorundam monachorum crediderim, qui, vt piceæ, neque fructum ferunt, neq; ſtolones, ſed ſola vmbra (quid enim ijs longè multis, præter vmbram?) proficiunt. Imò rides, & nimis vnceis naribus indulges, ait aliquis. Certè, nam & ridendo dicere verum nil vetat, & interdum arrepto miſcemus ſeria ludo. At ea non fuit Alciati mens, neque conſilium, vt bonos illos ſodales ſale iſto aſpergeret. Credo non id voluit: quãuis eundem non puto fuiſſe ἀγέλαστον. Quare id potiùs trahimus ad orbitatis ſymbolum, vt picea eos deſignet, qui ſine prole, ſine poſteritatis ſpe decedunt: quos vt felices pronunciem, obſtat vulgò concepta opinio. Certè alacriores & expeditiores mori debent, nihil poſt tergum relinquentes, quod eos vellicet: *Commoditas orbitatis.* ille ingens dolor ceſſat, ex commiſeratione oriens deſerendæ prolis, immaturæ præſertim, & paterno præſidio indigentis, perquè ætatem inopiamq; conſilij iniurijs & caſibus multis expoſitæ. Quod ſi in illis (vt vulgo dicitur) ſeruari ac perpetuari ſuum nomen optabant, ipſi quoq; vulgariter fallebantur: ſiquidem filiorum obſcuritas creberrima, nec illuſtrare ipſa vtique nec ſeruare poteſt paternum nomen. At perrara filiorum claritas vt ipſos filios ſemper claros facit, ſic parentes interdum vicinitate obtegit obſcuratq; quaſi Sol minora ſidera: quod nuſquam euidentius, quàm in Iulij Cæſaris patre cognoſcitur, quem penè ignotum filij ſplendor fecit. Et ad ſummam; quiſquis in filio ſui nominis ſpem reponit, rem pertenuem labilemq; in vaſe fictili locat ac ruinoſo, quodq; eſt inconſultius, non ſuo, rem maioris apud vulgus, quàm apud doctos precij, neutris tamen contemnendam, ſed cùm honeſtius, tum certiùs locandam in ſuis incorruptibilibus vaſis ac ſolidis in virtute propria, in rebus geſtis, in literis.

Cotonea.

EMBLEMA CCIV.



POMA nouis tribui debere Cydonia nuptis
Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.
Grata ori & ſtomacho cùm ſint, vt & halitus illis
Sit ſuauis, blandus manet & ore lepos.

COMMENTARII.

I. *Mali Cydonea cõſideratio.* MALVS Cotonea haud magna eſt arbor, ſed humilis, frequenter etiam inſtar fruticis naſcitur, cortice veſtitur aſperiuſculo, ſquamas quaſdam quandoq; dimittente: ramos explicat aliarum arborum modo, circa quos folia ſubrotunda, veluti vulgaris pomi, ſuperna parte virentia & glabra, prona verò mollia & albicantia. Flores ex purpureo candidi ſunt; fructus, de quo ſolùm hic ſermo, pomo ſimilis, niſi inciſuris quibuſdam quandoque criſpetur; tenui pubeſcit lanugine, colore auri lutei, odore fragranti. Appinguntur hic etiam, hinc Amor, poma Cydonia geſtans; illinc Hymenæus, nuptiarū præſes.

II. *Cotonea cur à nouis nuptis edātur.* PLVTARCHVS in γαμικοῖς παραγγέλμασιν ita ſcribit: Ὁ Σόλων ἐκέλευε τὴν νύμφην τῷ νυμφίῳ συγκατακλίνεσθαι μῆλον κυδώνιον κατατραγοῦσαν, αἰνιττόμενος ὡς ἔοικεν, ὅτι δεῖ τὴν ἀπὸ στόματος καὶ φωνῆς χάριν εὐάρμοστον εἶναι πρώτην καὶ ἡδεῖαν. Solon iubebat.

bat ſponſam cum ſponſo concubituram, prius edere malum cotoneum: innuens ea re, primam, quæ ore & voce initur, gratiam concinnam debere eſſe & ſuauem. Idem ferè in Problemat. 65. tradit. De Coroneis Plin. 15. c. 11. & 17. de eorum ſapore & odore eiuſdem lib. c. 28. Hæc enim cor reficiunt, & ſuauem halitum ori inſpirant. Vnde non immeritò olim neogamis pro munere de more oblata admonebant, vt coniux erga coniugem mundo corde, puris affectibus, ore odorato, pudicaq; verba, & honeſtos mores ſpiranti foret.

Mala Cydonia.

III. *POMA Cydoniq*] Mala Cydonia, à Cydone vrbe Cretæ, quæ etiam Cotonea, Struthea, & lanata dicuntur à lanugine, qua veſtiuntur, Hiſpanis *Membrillo*. Germanis, *Kuetten*. De his vide Plinium lib. 11. cap. 17.

Nouus nuptus] νεογάμοις.

Conſtituiſſe, Solon] Plutarchus in principio præceptorum connubialium, & 65. Problem.

Lepos.

Manet & ore lepos] Lepos & lepor venuſtas & voluptatis quædam amœnitas, quæ potiſſimùm verbis fit. Vnde tritum illud:

In ſilua lepores, in verbis quære lepores.

Bonis auſpicijs res inchoãda.

IV. BENE & ſapienter illi videntur ſenſiſſe, qui bonis auſpicijs vtendum monuerunt: alioqui quæ malo ſint cœpta principio, vix eſt vt bono peragantur exitu, vt apud Gratianum in c. principatus. 1. q. 1. Et plurimum intereſt, ait Val. Maximus, quibus auſpiciis inchoetur negotium, & quo fine claudatur. Quare honeſtus amor coniugalis ſuam debet inprimis habere Suadelam, iucundos ac concinnos ſermones, affabilem conuictum, & vitare quicquid conſuetudinem animorum ac voluntatum poſſit offendere. Hinc olim Solon lege ſanxit, nouis coniugibus cotonea dari, quod ea cor reficiant, ſuauemque halitum ori inſpirent, vt admonerentur, cõiugibus primo illo congreſſu omnia corde puro, ore, linguaq; odorata & pudica eſſe tranſigenda. Bene quidem Plutarchus ἐν γαμικοῖς παραγγέλμασι ſcribit, veteres Mercurium vnà cum Venere coluiſſe, quo innuerent, maritalem coniunctionem maximè indigere ſermonis & orationis vſu ac miniſterio. Non niſi grauis offenſa, quæ ſtatim initio committitur, nec bene vnquã coaleſcunt animi, niſi ſinceris illicijs, & affectu candido conſocientur. Hæc quidem omnia veteribus ἀλληγορικῶς accepta. Cæterùm neminem puto fugere, varia olim fuiſſe vſitata ſolemnia nuptiarũ, quæ comparata videntur ad morum inſtitutionem: ſed nimis longum foret ſingula recenſere, præcipua tamen paulo fuſius enarrabimus, freti lectoris patientia.

Mercurius cum Venere cur cultus.

Tres nuptiarum legitimi dies.

Primò itaq; tres dies legitimos conſidero. Primus à Græcis dicebatur προαύλια, Scaliger pater Deſponſalia reddidit, in eo enim deſpondebatur virgo; veteribus enim ſtipulari & ſpondere vxores futuras moris erat.

Spõſalia.

Hinc à ſpondendo ſponſi ſponſæque nomen, vt & ſponſalia, quæ auſpicato fiebant: optimè à turture & cornice, ſi par integrè apparuiſſet.

Arrha.

In argumentum autem & pignus contractorum ſponſalium, à ſponſo ſponſæ dabantur arrhæ, vt ex l. ſi quis officium, 38. ff. de rit. nupt. & l. 3. C. de Sponſal. colligitur: cuiuſmodi erat annulus, quem Tertullianus propterea pronubum vocat, lib. de cultu femin.

Annulus pronubus.

Aurum, inquit, nulla norat, præter vno digito, quẽ ſponſus oppignoraſſet pronubo annulo. Et quamuis annulum illum Tertullianus aureum fuiſſe innuit, eundem tamen ferreũ, & quidem ſine gemma ſponſæ, mitti ætate ſua conſueuiſſe Plinius lib. 33. cap. 1. auctor eſt.

Ferreus.

Gemma aberat, vt rei deſcriberet ſimplicitatem, materia ad conſtantiam ſpectabat, forma annuli ad perpetuam vinctionem. Poſt auſpicia iſta, ſacra fiebant Dijs Deabusq; pluribus, ſed

Iuno matrimonij præſes.

Iunoni ante omnes, cui vincla iugalia curæ.

vt canit Virgil. 4. Aeneid. In ſacris autem iſtis faciendis hoſtiæ exemptum fel circa aram proijci ſolitum, cæteræ partes adoleri: quod expectationem faceret futuræ inter coniuges tranquillitatis.

Sacra nuptialia.

Fel enim iracundiæ & bilis putatur ſedes. Secunda dies dicebatur ἐπαύλια, Latinè non ineptè Decubationem dixeris. Eo die ſponſus in domum ſoceri deducebatur à paranympho, ſi futura vxor virgo eſſet: ſin vidua, deducebatur mulier ad ſponſum à nymphagogo ſeu promneſtria, quam Latini pronubam nominant.

Igni & aqua c… à Spon… tacta.

In limine domus ignis & aqua ponebatur, vtrumq; ſponſus & ſponſa manu tangebat, ipſaque nupta eiuſdem aquæ aſperſione luſtrabatur. Cuius rei variæ ſunt rationes. Nempe quòd priſci putarent aquam rerũ omnium ele-

mentum

mentum eſſe, ignem verò formam; vt ita rerum formas ex aqua per admixtionem ignis produci veteres rectè exiſtimarint, & exinde ignis atq; aquę ſacramento nuptiarum fœdera auſpicatiſſimè ſanciri. Sunt qui ex aquæ & ignis tactione coniugij cõmoda ſignificari putent, quæ ex vxoria conſuetudine & vnanimi concordia percipiuntur, cum nihil ferè ſit in rerum natura igni iucundius, nihil vtilius aqua. Taceo de horum elementorum neceſſitate, quandoquidem ſine his vita hæc ſuſtineri nequeat. Quanquam tactu illo etiam participationem & communionem bonorum & fortunarum omnium inter coniuges adumbratam fuiſſe, non improbabiliter quis dixerit, vt ſcilicet aliarum rerum omniũ, non ſecus atque ipſius aquæ & ignis vſus communis ipſis eſſe debeat. De hoc ritu ignem & aquam tangendi quidam hoc feſtiuo luſit epigrammate:

Eius rei cauſa.

Quærebam noua cur nupta olim tangere flammam
Ardentẽ, et liquidam iuſſa fuiſſet aquã?
Quærenti triplicem ſenior mihi Scæuola cauſam
Reddidit, attollens triſte ſupercilium.
Igneus humori mixtus calor omnia gignit,
Quæ terra, & pontus, vaſtus & æther habet.
Tangit aquam, rutilos ignes noua nuptaq; tangit,
Fiat vt auſpicio hoc fertile coniugium.
Ignis & vt purus cenſetur, puraq; lympha,
Sic purum ingreditur fœmina pura thorum.
Tum velut vſus aquæ nobis communis & ignis,
Sic cõmune bonũ fœmina virq; tenent.
Scilicet omne bonum hoc melius, communius eſt quo,
Id quondam iuris quod docuere ſophi.
Si tamen inuitos nullos communio cogit,
Cogimur vxores cur retinere malas?

Sponſa haſta cælibari comebatur.

Sed cætera videamus, & quidem de ſponſæ cultu prius. Huius comam haſta diſcriminabant, quam Feſtus cælibarem vocat, quę in corpore gladiatoris ſtetiſſet abiecti, occiſiq; vt quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, ſic ipſa cum viro ſit.

Flãmeo velabatur.

Poſthæc virginis facies velo, quod flammeum dicebant, tegebatur, de quo Emblem. 197.

Toga recta.

Toga nouæ nuptæ induebantur recta, qualem primùm Caia Cæcilia texuit, vt ſcribit Plinius lib 8. c. 48. Atq; id ex felici textricis, optimæ matrisfamilias coniugio in vſum veniſſe dubitandum non eſt, cùm & nomen huius in ritibus nuptialibus boni ominis cauſa vſurpatum fuiſſe conſtet: ſiquidem hæc ſolennia in nuptijs verba ſponſa proferebat: *Vbi tu Caius, ego Caia.*

Cingebatur cingulo laneo.

Cingebatur inſuper ſponſa cingulo, quod ex lana ouis erat contextum (vt ſicut illa in glomis ſublata, coniuncta inter ſe eſt, ſic vir ſuus ſecum vinctus cinctusq; eſſet, vt Feſtus interpretatur)

Id nexũ nodo Herculano.

& eo nexum nodo, qui Herculanus vocabatur: propterea quod heros ille fœcundiſſimus ab antiquis creditus ſit, quippe cui ſeptuaginta liberi ſuperſtites fuiſſent, quique ſeptem diebus quinquaginta Theſtiæ filias è virginibus mulieres feciſſet.

Aſſes tres expendebat.

Exornata hoc modo virgo, ferreum à ſponſo accipiebat annulum, & trium illorum aſſium, quorum vnum in manu, alterum in pede, tertium in ſacciperio ferebat; primum ſponſo dabat, quaſi eum ſibi illo precio coemptum eſſet habitura; alterum in foco Dijs Laribus deponebat, quem & igni luculento & corollis ſua manu (alia nõ licebat) plexis, vt ait Plautus, augebat; tertium in vicino compito fodiebat.

Cœna. Hymenæus. Thalaſſio.

Inde cõuiuium & nuptialis cœna apparabatur; mox Hymenæus dicebatur cum choreis, quamquam Thalaſſionem quoque in nuptiis Romanos non ſecus atque Græcos Hymenæum inclamare conſueuiſſe conſtat. Atque eum morem inde inoleuiſſe Liuius putat, quòd in Sabinarum raptu virgo vna longè ante alias ſpecie & pulchritudine inſignis, à globo cuiuſdã Thalaſſii rapta fuerit multisq; ſciſcitantibus, cuinam eam ferrent deducendam, ne quis eam violaret, Thalaſſio ferri clamitatum. Qua de cauſa Thalaſſionis vocem nuptialem factam, & ad poſteros quoq; inde manaſſe, teſtatur Plutarchus in Romulo.

Sponſã & pronuba ad genialem thorum ducebatur. præeuntibus faciferis.

Finita illa cęna, & vbi iam ſatis eſſet & cantuum & ſaltationum, pronuba ſponſę manu apprehenſa ad genialem lectum eam ducebat. Alii pueris patrimis & matrimis id attribuunt. Pompam hanc antecedebat puer prætextatus facifer, facem ex ſpina præferens, quę, ſi Plinio credimus, nuptiarum facibus fuit auſpicatiſſima. Faciferos comitabantur alii duo, qui colum cum lana, & fuſum ferrent cum ſtamine, tanquam operis, in quo futura eſſet, auſpicia.

Erant

Erant & alii, qui mundum muliebrem ferebant, & alia, quæ præter dotem dicuntur Iuriſconſulto in l. donatio, 31. §. 1. ff. de donation. & parapherna in l. ſi ego, 9. §. cæterum, ff. de iure dot. Ad hunc igitur modum ſponſa deducta, à ſponſo detegebatur, à quo etiam eius detectionis cauſa dona accipiebat, de quibus apud Cuiacium in Feudis. *Lucerna peruigil.* Mox pronuba, accepta vna ex facibus, lucernam coniugalem peruigilem pernoctemq; ſucu tam accendebat: & cum dicto faces extinguere mos erat. Eas verò ne ſub lecto conderent, neuè ſeruatas ad rogum ſtruendum deferrent, pro lege auſpicatiſſima habebatur. *Zona ſoluebatur.* Solebat etiam tum pronuba cunctabundæ puellæ zonam ſiue cingulum illud laneum duobus digitis ſoluere, atq; Dianæ, ob id Cinxiæ cognominatæ, dicare: quanquam cingulum id à ſponſo in ipſo lecto ſolutum fuiſſe Feſtus ſcribit, & Arnobius confirmat lib. 3. aduerſ. Gent. citaturq; à Nonio hic Varronis verſus: Nouus maritus is ſoluebat cingulum. *Cuſtodes foribus additi.* Vbi omnes diſceſſiſſent, ſponſus clauſa ianua diſponebat cuſtodes foris, quorum opera mulierculárum importuna vel pietas, vel ſimulatio à foribus arceretur, ſi qua cõmoueretur virginis clamore, cùm intus vim pateretur. *Nuces ſparſa.* Quemadmodum etiam in hunc finem nuces à nouis maritis iaci & pueris ſpargi conſueuiſſe putant, quod iactæ illæ tripudium faciant, & earum ſtrepitu virginis gemitus in illa vi obrui poſſe fuerit creditũ. Alii hunc morem ideo obſeruatũ tradunt, quòd nuces putamine, cute, teſta, corio medullam tegant, vti pari munimento à coniugibus protegantur fœtus. Plinius lib. 15. cap. 22. Alii, quos Scaliger & Pancirollus ſequuntur, ea id gratia factum opinantur, vt ſe puerilibus omnibus ludis renunciare, & iuuenilia cuncta ludicra relinquere maritus eo indicio teſtaretur. *Verſus Feſcennini.* Inter hos ſtrepitus verſus mollicie ac laſciuia diffluentes impuni licentia occinebantur, etiam à pueris prætextatis, depoſita tamen in id tempus prætexta, vt ſuperius monui. Atq; hi verſus Feſcennini vocabãtur, ſiue quòd ex vrbe Feſcennina allati eſſẽt, ſiue quod faſcinum arcere putabantur. Et hæc de ſecundo nuptiarum die. Supereſt vt de tertio & vltimo quoq; aliquid dicamus. *Repotia.* Eum Græci dicebant ἐπαύλια, Latini à nouis & iteratis epulis Repotia. Eo namq; die ſponſi affines conuiuium inſtaurabant, eodemque vxor in domum mariti ducebatur. *Nupta nõ tangebat limen.* Qua in re obſeruatum fuit, vt nupta paterna domo egrediens pedes tolleret, ne limen attingeret; religioni enim habebatur, ſi in tranſgrediendo mulier limen contigiſſet. Huius rei variæ traduntur rationes à Plutarcho, Varrone, Iſidoro, aliis. Mihi Scaligeri propior vero videtur, & ad rem quoq; accommodatior, ne ſcilicet magicis pharmacis lædi poſſet, quę ſub limine ad deſtruendam coniugum vel concordiam, vel vim genitalem defodi ſolent à veneficis. *Etiã curru vecta.* Ditiores etiam curru nuptiali ad mariti domũ vectas fuiſſe video. Et in eo quidem tres tantum vectari ſolitos Pauſanias tradit, ſpõſam ſcilicet, quæ ſederet in medio, tum ſpõſum & paranymphum. *Eius axis cõbuſtus.* Ac in more fuit Gręcis, vt nuptialis illius currus ſiue rhedæ axis pro foribus combureretur, argumento conſtantiæ atq; moderationis, ne coniunctionis alienæ, neve noui coniugii fluctuantem animũ occuparet cogitatio, ne ve hac illac euagandi, quod vitium maximè familiare eſt fœminis, caperet impetus. *Munera nuptialia oblata.* Conſtitutæ ita in mariti domo nouę nuptę non tantùm munera à cognatis & propinquis mittebantur, quæ ob id nuptialia munera dicuntur Iureconſultis in l. 1. §. præterea. ff. de tutel. & ration. diſtrah. l. tutor. 13. ff. de adminiſt. tut. *Et claues.* ſed & claues ei mox dabantur à marito, vel vt intelligeret, quod ius in mariti familia eſſet habitura: vel ad ſignificandam partus facilitatem, vt Feſtus explicat in dict. Clauium. Sanè traditionem clauium cuſtodiam rerum deſignare, expeditum eſt l. cum pater. 77. §. pater pluribus. 12. ff. de legat. 2. *Claues adimere quid.* Quemadmodum autem clauibus traditis, ipſa quoque rerum domeſticarum cura vxori tradita ſignificabatur: ita & iis ademptis, adempta quoq; illi intelligebatur earundem adminiſtratio. Id quod in diuortio fieri ſolebat. Hinc Cicero 4. Philipp. Ille ſuas res ſibi habere iuſſit, claues ademit, foraſq; exegit. Inter cæteros quoq; nuptiales ritus apud Q. Curtium lib. 8. lego: Rex, inquit, medio cupiditatis ardore iuſſit adferri patrio more panem: hoc erat apud Macedonas ſanctiſſimum pignus amicitię, *Ritus Macedonum.* quem diuiſum gladio vterq; libabat. Credo eos, qui gentis mores erudierunt, parco & parabili victu oſtendere voluiſſe in

tantis

tantis opibus quantulo cõtenti eſſe debeãt. Plura de nuptiarũ ſolemnitatibus videri poterũt apud Antonium Guibertum Coſtanum in Tract. de Matrimon. Iul. Cæſarem Scaligerum lib. 1. Poetices, cap. 101. Briſonium de Ritu nuptiarum lib. ſingulari, quorum ex ſcriptis fertiliſſimis, & vel ipſis Alcinoi hortis floridioribus, amœniora hæc pleraq; delibata ſunt.

Hedera.

EMBLEMA CCV.



HAVD QVAQVAM areſcens Hedera eſt arbuſcula, Ciſſo
Quæ puero Bacchum dona dediſſe ferunt:
Errabunda, procax, auratis fulua corymbis,
Exterius viridis, cætera pallor habet.
Hinc aptis vates cingunt ſua tempora ſertis:
Palleſcunt ſtudijs, laus diuturna viret.

COMMENTARII.

I. *Hedera conſideratio.* IN cenſu earum arborum, quæ adminiculis ſuſtinentur, hedera etiam venit referenda, per ſe enim non conſiſtit, ſed adhæret maioribus arboribus, vetuſtis ędificijs, & parietibus. Caudices eius lignoſi ſubinde ita craſſi, vt arboreſcere ipſa videatur: à quibus ramulos hac illac diffundit quàm plurimos, quibus veluti bra-

chijs latè ſerpens in multam peruagatur partem, radiculas etiam ab ipſis aſſiduè dimittens, quibus ſe arboribus, ipſisq; parietibus annectens pertinaciter hæret. Folia læuia ſunt, ſplendentia, ſuperiore præſertim parte, initio quidem haudquaquam, ſed vbi conſenuerunt, anguloſa; flores muſcoſi, in baccis varietas eſt, & quædam etiam in colore florum. Eius genera tria facit Plinius, nigram, candidam, & tertiã, quæ vocatur helix. Nigra & candida non ex folijs, ſed ex ligno dignoſcuntur.

II. HEDERA perpetuo viret, tenax eſt, eiq; parti moleſta, cui hæret: corymbos aureos producit, extra viridis, in cæteris palleſcens. Poetarum conditionem repræſentat, qui hærent ſtudijs, ſibique interdum nocent, quòd ferè corporeis exercitationibus careant: famam tamen nominis nunquam morituram, quaſi mercedem auream expectant. Solantur enim ſe ſpe, & ſtudiorũ moleſtias atq; difficultates ſempiternæ laudis opinione leuant. *Hedera poetarũ.*

III. *HAVD QVAQVAM areſcens*] in perpetuo virore manens.

Hedera eſt arbuſcula] Hedera dicta eſt quòd hæreat, autore Feſto, quodq; ſequatur quidquid proximum eſt, quamuis nõ ſcribatur per diphthongum. Alij ab edo deducunt, quod parietes edat atq; conſumat. Græcè κισσός. *Hedera unde dicta.*

Ciſſo] Ciſſus adoleſcens fuit, Liberi patris hiſtrio & ſaltator, qui cum Deo præſente tripudiaret & thyaſos exerceret, in quendam terræ hiatum caſu lapſus interijt. Tellus autem cùm gratificari Baccho vellet, florem produxit adoleſcenti cognominem, & iuuenis germina in plantæ germine conſeruauit. Quod vbi ex terra progreſſum eſt, vitem amplectitur, eo modo, quo adoleſcens Bacchum in tripudijs amplecti & circumplicare conſueuerat. Hæc ferè ex Caſſio Dionyſio de agricult. lib. 11. cap. 130. *Ciſſus hiſtrio Bacchi.*

Ludit adhuc, caſusq; memor vagus arbore Ciſſus,
Mille manus quærit nectere, mille pedes.

Hinc Pindarus in Olympijs, Bacchum κισσοφόρον, id eſt, hedereum, vel hederaceum, aut hederigeram appellat, quod ei hedera dicata ſit. Legitur quidem primo Epigrammaton:

κισσῷ μὲν διόνυσος ἀγάλλεται, αἰγίδι δὲ ζεύς.

Bacchus amat hederas, & Iupiter ægide gaudet.

Retulit autem in Atticis Pauſanias κισσὸν διονύσιον Bacchum appellatum, quòd in ea Atticæ regionis parte, id eſt, Acharnis, primùm hedera viſa ſit: quo loco ſtatuæ etiam ſunt hedereæ. Sed & Homerus in hymnis κισσοκόμην διόνυσον, id eſt, *hedericomam* vocat.

Errabunda] Virgil. 4. Eclog.

At tibi prima puer nullo munuſcula cultu
Errãtes hederas paſſim cũ bacchare tellus.

Procax.] Donatus ad Hecyram Terẽt. Procax petacem ſignificat: procari enim nihil aliud eſt quàm impudenter & importunè petere, ait Nonius. Hinc procacitas, ſeu procacia, vt in l. ſi traditio, C. de actio. emp. Ideò autem Plutarchus amorem hederæ confert: δεινὸς ἐστιν ὁ ἔρως, ὥσπερ ὁ κιττὸς, αὐτὸν ἐκ πάσης ἀναδῆσαι προφάσεως. *Ea eſt amoris vis, vt non ſecus atque hedera, valeat ſe applicare, arrepta omni occaſione.* Vide adagium, *Hedera laſciuior.* *Procax.*

Exterius viridis.] Intelligit hederam nigram, quæ florem croceum habet, pulla folia. Id eſt, hederæ nigræ folia parte altera vireſcunt, altera palleſcunt. Ne quid ad hæc requiras, cõſule Plinium lib. 16. c. 34. *Hedera nigra.*

Hinc aptus vates] Horatius 1. Carminum:

Me doctarum hederæ præmia frontium
Dijs miſcent ſuperis. *Hedera poetis ſacra.*

Idem in Epiſtolis:

Prima feres hederæ victricis præmia. ——

Virgilius in Eclogis:

Paſtores hedera creſcentem ornate Poetã.

Quod ridet in Satyrarum veſtibulo Perſius: ait enim,

Heliconidasq; pallidamq; Pirenen
Illis relinquo, quorum imagines lambunt
Hederæ ſequaces.

Sic Ouidius 1. Triſt. eleg. 6.

Si quis habet noſtris ſimiles in imagine vultus,
Deme meis hederas, Bacchica ſerta, comis:
Iſta decent lætos felicia ſerta poetas;
Temporibus non eſt apta corona meis.

Idem 5. de Ponto, eleg. 4.

Tu tamẽ è ſacris hederæ cultoribus vnum
Numine debueras ſuſtinuiſſe tuo.

Idemque 3. Artis, vbi queritur poetas eſſe ſine honore:

Nunc

Nunc hederæ ſine honore iacent.

Fama doctorũ. *Palleſcunt ſtudijs*] Sicuti errabunda tenaxque hedera ſenſim altum conſcendit, exterius vireſcens, in cęteris pallida, & aureos corymbos ex ſe producit: ita Poetæ ſuis laboribus humo pedetentim ſeſe efferunt: & quamquam aſſiduo ſtudio pallidi ſint, fama tamen ex ſcriptis & ingenio concitata ſemper virent: quippè qui aureos eruditionis & doctrinæ fructus parturiãt.

IV. *Hedera cur ſymbolũ poetarum.* HEDERA Emblema & ſymbolum poetarum eſt, propter cauſas, quas hic Alciatus enumerat: quorum prima eſt, quia ſemper viret. Secunda, quia munus Bacchi. Deinde, quia ſit errabunda & procax, & fulua, id eſt, pulchra & viridis, vt fama poetarum; & pallida, vt poetæ præ nimio ſtudio pallere ſolent. Vnde non immeritò olim poetis coronæ hederaceæ conferebantur, ita tamen vt hedera vna cùm lauro coronas iſtas perficeret. Virg. 8. Eclog.

—— atq; hanc ſine tempora circum
Inter victrices hederã tibi ſerpere lauros.

Poeta & vates δαφνηφάγοι. Inde etiam diſcimus ex poetis Græcis, & eorumdem ſcholiaſtis, nempe vates appellari δαφνηφάγους, id eſt, lauriuoros, vel lauro veſcentes, aut laurum edentes: Quò reſpexit Iuuenalis quadam Satyra, quo loco dixit,

—— laurumq́; momordit.

Poetis autem hederas decretas eſſe, cum Pierio, & alijs quibuſdam doctioribus crediderim, vt vnà cum lauro permiſcerentur, non tam vt perpetuus vtriuſque viror, quẽ diuturna eorum ſcripta repræſentaret, in cauſſa fuit, quàm vt oſtenderetur eos, qui digni hederis euaſiſſent, *Digni hederis.* laureamque meruiſſent, & arte & ingenio excelluiſſe. *Lauro, quid intelligebant veteres.* Siquidem per laurum intelligebant inſitam quandam ingenij vim ac venæ fęcunditatem, Apollinis radijs vberem atq; locupletem: per hederam verò artem & induſtriam peruigili labore partam. *Hedera quid.* Huius quidem rei indicium eſt, quòd hedera ſuaptè natura ſit tam imbecilla, vt ſemper repere neceſſe haberet, niſi vel muro, vel plantæ, aut ſaxis hæreret, & pertinax conatu ſeſe attolleret, vt tandem paulatim irrepens victrix euadat. Eſt autem operæ pretium, vtroque (arte ſcilicet & ingenio) ſi quis velit alijs antecellere; quandoquidem

—— mediocribus eſſe poetis
Non homines, non Dij, non conceſſere columnæ.

vt habet ille. Sed & iſtuc aduertendum,

—ingenium cui ſit, cui mens diuinior, atq; os
Magna ſonaturum, des nominis huius honorem.

Et: *—— Ego quid ſtudiũ ſine diuite vena*
Nec rude quid poſſit video ingenium: alterius ſic
Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Quibus planè congruit, quod poetæ non fieri, ſed naſci quidem dicantur: quod ſi tamen ad naturam ars & exercitatio acceſſerit, tum neſcio quid præclarum, imò diuinum ſoleat prouenire, qua de re videatur Cicero in Oratione pro Archia poeta. Inque hanc ſententiam Pindarus hymnorum ſuauitatem & elegantiam per mel candido lacte commixtum intelligi voluit in Nemeis; vbi lac, quod à natura eſt, genium & venam indicat: mel verò artem & diligentiam, quoniam hoc non abſq; magno apum labore conficiatur. *Mel cum lacte mixtum.* Vnde ipſemet de ſe teſtatur Horatius, quod

—— apis matinæ more modoq;

ſcribundis verſibus laborem & diligẽtiam ſoleat adhibere. Et contrà reprehendendum eſſe ait carmen illud,

—— quod non
Multa dies, & multa litura coercuit, & quod
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguẽ.

Idq; pluribus exequitur Pierius lib. 51. in Hedera. *Baccho ſacra hedera.* Baccho verò hederam eſſe ſacram diximus. Siquidem Probus Grammaticus ait, in Cytherone ſacra Liberi patris arcana tertio quoque anno celebrari ſolita. Liber autem cũ Muſis & Apolline eſſe perhibebatur, idcircoq; ex hederæ eius fronde Poetas coronari. Porrò dicata eſt ei hedera, quod vt ea ſemper viret, ſic ille ſemper iuuenis; vt diximus alibi. Quãquam plerique referant ad ea ſerta ſeu corollas, quas poſt expeditionem Indicam circumtuliſſe Bacchus dicitur, Plinio teſte lib. 16. cap. 4. vnde & Dionyſiaca hedera dicta eſt, & Bacchica. Ouid. Faſtor. 6.

Bacche racemiferos hedera redimite capillos.

Idem alibi corymbiferum eum nominat. Diſcumbentes etiam, qui ſe fortè munere Bacchi inuitarent pluſculum, hederacea ſe ornabant corona, quæ inſita frigiditate vini potentiam retunderet, minuſque inde afficerentur bibentes, ebrietatis violentia

Locus Plutarchi. reſtincta hederæ vi frigorifica. Plutarchus tamen Sympoſiac. 3. ſectione 2. Hederam dicit à Baccho ſumptam, non vt auxiliũ eſſet aduerſus ebrietatem, aut vt vino aduerſam, quippe qui Methymnęum, à methy, quod vinum ſonat, ſeſe appellari voluit: ſed vt vinoſi vino vero deſtituti, hordeaceo potu pro vino vtuntur, & è malis aut palmulis quædam ſibi vina conficiũt: ita qui hyeme deſideratet coronam viteã, quòd tunc temporis vitem nudam vidit, & folijs carentem, ob ſimilitudinem quandam, hederam eſt amplexus. Vide adagiũ, *Hedera poſt Anthiſteria.*

Ilex.

EMBLEMA CCVI.



D*VRITIE nimia quod ſeſe rumperet Ilex,*
Symbola ciuilis ſeditionis habet.

COMMENTARII.

I. *Ilex.* ILEX ad iuſtæ arboris magnitudinem non rarò exreſcit, ſubinde pyro magnitudine haud inferior, ramis aliarum glandiferarum more diffunditur. Folia humilis ac tenellę adhuc, per margines ſpinoſa & aculeata, adultę verò nequaquam ſpinis horrent, ambitu quidem nonnihil, ſed minus quàm roboris ſinuoſa, inſtar foliorum ſuberis, ſed maiora & latiora, quæ ſuperius virentiora, inferius ſubalbicant. Glans calyci ſpinoſo inhæret, ſimilis quernæ. Sub hac arbore ciues ſeditioſi hic ſublatis ſignis

guis manus conſerunt.

II. *Fons Emblematis.* MVTVATVS eſt huius diſtichi argumentum ex Ariſtotele, Rhetoric. lib. 3. *Pericles*, inquit ille, *Bœotios ilicibus eſſe ſimiles dixit, vt enim ilices ſeſe viciſſim frãgunt: ita Bœotios inter ſe præliari.* Græcè ita: ἢ εἰς Βοιωτὰς, ὅτι ὅμοιοι τοῖς πρίνοις· τούς τε γὰρ πρίνους ὑπ' αὐτῶν κατακόπτεσθαι, καὶ τὰς Βοιωτὰς πρὸς ἀλλήλας μαχομένας. Naturam autem huius arboris repete ex Plinio, lib. 16. cap 8.

III. *RVMPERET*] pro rumpat. Enallage temporis pro tempore.

Ilex. *Ilex*] Græcè πρῖνος, Hiſpan. *Meſto*, ò *Coſcoia*. Poeta in Eclogis, argutam ilicem ait, hoc eſt, ſtridulam. Hinc adiectiua Iliceus, Iligneus, & Ilignus.

Seditio. *Ciuilis ſeditionis*] Seditio cõponitur à *ſe*, id eſt, ſeorſum, & *itio*, quod ab Eo deriuatum eſt. Cicero 6. de Repub. declarat ſeditionis proprietatem à diſſenſione ciuiũ dictam eſſe, quod ſeorſum eant alij in alium. Eſt enim propriè, cùm populo diſcordante itur ad manus. Talem deſcribit Virgil. 1. Aeneid.

Ac veluti magno in populo cùm ſæpe coorta eſt
Seditio, ſæuitq; animis ignobile vulgus:
Iamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Dicitur autem ſeditio in exercitu, in claſſe, in campo, & vbicunque eſt multitudo hominum.

IV. *Ilex, nota ſeditioſorum.* SEDITIOSI duræq; ceruicis homines, quos citiùs frangas quàm flectas aut corrigas, ſuo magno malo efficiunt quod ilex, cuius tanta durities eſt, vt non niſi magna difficultate proſcindi queat, niſi etiam per ſe fatiſcat & diffindatur. Proterui enim, quibus ſeditio & turbatus Reipublicæ ſtatus cordi eſt, cũ nunquam poſſint cùm alijs conuenire, ſæpenumerò à reliquo ciuitatis corpore quaſi agmine facto, diſcedunt: & tandem cùm nonnihil diſſentiunt à ſua factione, facillimè corripiuntur, ſuorumque flagitiorum pœnas luunt. Rectiſſimè igitur Claudianus monet, furorem efferatæ multitudinis, licet interdum terribilem, attamen non diu durare, hiſce verſiculis:

Sed caret euentu nimius furor, improba numquam
Spes lætata diu.

Quare temerè illi faciunt, qui populo innixi & magnas res ſuſcipiunt agendas, & ſuſceptas ſibi ſucceſſuras ſperant. Parum enim præſidij, inquit Cominæus, poſitum eſt in promiſcua multitudine, niſi contineatur aliqua neceſſitate & imperio: tametſi incidat, quãdo populi furor & repentinus impetus valde ſit pertimeſcẽdus. Nullum enim profundum mare (vt veriſſimè ſcripſit Curtius) nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, vtique ſi noua & breui duratura libertate luxuriat. Quod ſi præterea ſuperſtitio aliqua mentes ſeditioſæ multitudinis occupat, quæ (teſte Liuio) aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur; libertatem, quæ media eſt, nec ſpernere modicè, nec habere ſcit: tunc demùm ea bellua multorum capitum, multò atrocius furit, neq; modum tenere poteſt, exitumq; vllum reperit, vbi aut fauere ſemel, aut ſæuire inſtituit, hocque prætextu ſibi quidvis licere putat. Et non ſecus *Seditio popularis qualis.*

——quum carceribus ſeſe effudere quadrigæ,
Abdunt ſe in ſpacia, & fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Cæterũ vt hac de re multæ inſignes hiſtoriæ, tam veteres, quàm recentes recenſeri poſſunt, ſicut vna præ cęteris memorabilis ab Euſebio ex Dionyſij epiſtola ad Fabiũ Antiochenum, lib. 6. cap. 40. Eccleſ hiſtor. narratur; altera quoq; à Sozomeno lib. 5. cap. 8. tertia à Socrate lib. 3. cap. 2. Ita præ reliquis memoria digna eſt, quã Hieron. Oſorius in Hiſtor. Afric. & Indic. lib. 4. memoriæ tradidit, de ſeditione Olyſipponenſi, Anni 1506. Vide ibi. Id verò de ilice reuocat in mentem quod Plinius obſeruat lib. Hiſtoriæ rerum 16. cap. 26. nuces pinus, quæ ſe in ipſa arbore præ nimia, aut potius præpropera maturitate diuiſere, Zamias appellari, & niſi detrahantur, cæteras lædere. Hoc ipſi Galli viderunt, ſenſerunt, expreſſerunt non ita pridem, maximo ſuo malo, cùm plebs ſtupens quaſi medio interregno fureret, nihil præter patriæ exitium affectaret, bonis quibuſq; & pacis ſtudioſis aut mortem, aut exſilium minaretur, vel extrema quæq; diſcrimina etiam morte duriora intentaret. Qui furẽtum hominum impetus numquam ſiſti *Gallica ſeditio.*

aut cohiberi poſſe videbatur, niſi factio ipſa diſciſſa, ac in ſe diuiſa primùm fomenta ac ſemina diſcordiarum retardaſſet. Nam hoc nouum portenti genus & exemplum inſolens edidere turbulenti, vt de ijs peius meriti ſint, qui ſuæ coniurationi nomen dederant, quàm alij, qui contrà palam ſtetiſſent. Ita rabie perciti ſibi ipſis vim attulerunt, ſeſeq; confoderunt, & in exitium ſpontaneum coniecerunt. At verò quàm innumerabiles ex ijs, qui de vita potius, quàm de ſententia decedere maluerint? imo ſuperſunt adhuc qui reſtinctis mortuum incendijs, animum tamen armatum retineant; & neſcio quid muſſant adhuc, cùm apertè eloqui non audeant. Horatius 4. Carm. 4. ilicem pro nota fortis animi vſurpauit, dum ait: *Ilex nota animi fortis.*

Duru vt ilex tonſa bipennibus
Nigra feraci frondis in Algido,
Per damna, per cades, ab ipſo
Ducit opes animumq; ferro.

Sed de his ſatis; ad alia feſtinemus.

Malus Medica.

EMBLEMA CCVII.



AVREA ſunt Veneris poma hæc: iucundus amaror
Indicat, eſt Græcis ſic γλυκύπικρος amor.

COMMENTARII.

1. Mali Medicæ conſideratio. ARBOR hæc nō admodum magna eſt: rami eius, lenti & obſequioſi, cortice virent, & ſpinulas aliquas, non tamen frequentes adnatas habent. Folium oblongum

gum, latum, læue, odoratum, laurino ſimi le: flores ſubpurpurei, ſtaminibus in medio tenuibus & capillaceis. Fructus oblongus eſt, cucumere vulgò dicto non rarò maior, quandoq; minor, & limonia mala non multum magnitudine excedens: cortex huic diluti aurei coloris, tuberculis nonnullis exaſperatus, odore grato præſtans; ſubeſt caro craſſa, albida, dura, aromaticũ quid reſipiens, ſed exiguum, & neq; acris, neque acida, ſed ferè qualitatis guſtabilis expers: interior medulla non multa quidem, ſucco acido plena turget, in qua ſemen conditur hordei grano maius & craſſius, cortice duro, interiore ſubſtantia albida & amara. Hæc arbor perpetuò viret, & omnibus temporibus pomifera eſt, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis verò ſubnaſcentibus. Appingitur hic Venus nuda, vtpote cui poma ſacra ſunt; & ex altera parte Amor mellilegus, de quo alibi. *Fructus.*

II. SCRIBIT Plato, teſte Marſilio Ficino in Sympoſium, amorem rem amaram eſſe; nec certè iniuria, quia moritur quisquis amat. Hunc & Orpheus γλυκύπικρον, id eſt, *dulceamarum* nominat: quippe cum amor mors voluntaria ſit. Vt mors eſt, amara res eſt; vt voluntaria, dulcis: moritur autem quisquis amat. Hæc Ficinus. Meminimus huius argumenti ſupra in duobus locis, nempe Emblem. 114. in ſcuto Amoris, & Emblemate 112. Confer vtrumq; Emblemate verò 113. attulimus Amorem mellilegum Theocriti, Latinè redditum, quem ita vertit lingua Hetruſca Reuerendiſſimus P. Nicolaus Oddo, quem ſemper honoris & reuerentiæ debitæ cauſa nomino. *Amor γλυκύπικρος.*

Amor mellilegus Theocriti.

Furaua il ladro Amore
Vn giorno da le celle
E di queſt' api e quelle
Il mele; quando ape ſdegnata il punſe,
E da le dita il ſangue traſſe e munſe.
Volando ratto ei corſe
A la pia madre, dibbattendo i piedi,
Piangendo la ferita,
E di chi il punſe e morſe
Dolendoſi, le dita
Moſtraua: Ahime, dicendo, ahi madre, vedi
Piagha quanta, e qual face
Picciolo animalino,
Picciolo ſi, ma audace.
Ed ella pur ridendo: E tu bambino
Sei, diſſe, à l'ape mal vgual, e fai
Piaghe profonde, e non ſanabil mai.

AVREA ſunt Veneris poma] Pomum Veneri ſacrum eſſe, alibi diximus; vnde etiam aureo malo ob id à Paride donata fuit. Malum Medicum ſiue Aſſyrium Græcis μῆλον μεδικὸν ἢ κίτριον, dicitur; Latini etiam Citrium & Citromalũ vocant. Imò Galenus amplius malum Medicum vocari negat, ſed Citrium dici, atque eos qui Medicum dicunt, hoc agere ait, vt quæ loquuntur nemo intelligat. Aemilianus apud Athenæum, Iubam Mauritaniæ regem refert de Citrio meminiſſe, qui malum hoc apud eos Malum Heſpericum dicat nominari. A Media autem primum in Italiam veniſſe non modò Plinius apertè ſcribit, ſed & Virgilius de Malo Medico (quidquid contra gauniant Commentatores) ſcribens ſic ait 2. Georgic. III. *Malum Medicũ.* *Vnde ſic dictum.*

Media fert triſtes ſuccos, tardumq; ſaporẽ
Felicis mali, quo non præſentius vllum,
Pocula ſi quando ſæuæ infecere nouercæ,
Miſcuerũtq; herbas, & nõ innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipſa ingens arbos, facieq; ſimillima lauro:
Et ſi non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat, folia haud vllis labentia ventis:
Flos apprimà tenax, animas & olentia Medi
Ora fouent illo, & ſenibus medicatur anhelis.

De hac arbore vide Theophraſtum lib. 4. cap. 4. & Plinium lib. 12. cap. 3. Sed Plinius & Theophraſtus emendari poſſunt ex Athenæo, lib. 3. nam diminuti ſunt in hac parte.

Iucundus amaror.] Paronomaſia elegans, quam lepidè vſurpauit aliquis è recentibus ita:

Non amor antiquo fuerat, ſed amaror ab auo
Dicendus, cùm ſit ſemper amarus amor.

γλυκύπικρος *amor.*] quaſi dicas, dulce-amarus. Sic Muſæus: *Amor γλυκύπικρος.*

ἤδη καὶ γλυκύπικρον ἐδέξατο κέντρον ἐρώτων.
Iam & dulcem amarum acceperat aculeum amorum.

& apud Hephæſtionem Sappho ait:

ἔρως γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.
Amor dulciamara auis inexpugnabilis.

Eadem ratione γλυκυθυμία dicitur voluptas. Huc facit prouerbium, *Dulce & amarum*. De amore etiam, qui γλύκυπικρος appellatur, Plutarchus 5. Sympoſ. problem. 7. Hunc verò ſaporem dulceamarum explicat Galenus lib. 3. de ſimpl. medic. facult. cap. 16. Si parem, inquit, abſinthij potionem melli exquiſitè cõmiſtam linguæ imponas, γλυκύπικρον (quemadmodum Poetæ cognominãt amorẽ) quod ex ambobus miſtum fuerit, videbitur.

γλυκύπικρος qualis ſapor.

IV. *Citrus, Amoris ſymbolũ.*

MEDICA malus, quæ & Citrus, & apud noſtros ob aliquam cum auro ſimilitudinem nomen reperit, non inconciunnè amoris poteſt eſſe nota. Eſt enim coloris aurei, dulcis quidem & auſteri nonnihil ſaporis habet, ſed amari corticis: ita turpis voluptas primo blandiens aſpectu, tota videtur aurea, ſed vbi guſtu dulce dedit, amarum ad ſatietatem vſq; aggerit, quod γλυκυπίκρου nomen indicat. Hanc autem γλυκυπικρότητα in Lyde expreſſit Horatius lib. 1. Ode 13.

Vror, ſeu tibi candidos
Turparunt humeros immodica mero
Rixa: ſiue puer furens
Impreſſit memorem dẽte labris notam.
Non, ſi me ſatis audias,
Speres perpetuum, dulcia barbarè
Lædentem oſcula, quæ Venus
Quinta parte ſui nectaris imbuit.

Idem Ode 19. ſequenti:

Vrit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius:
Vrit grata proteruitas,
Et vultus nimium lubricus aſpici.
In me tota ruens Venus
Cyprum deſeruit. ——

Plautus Caſſina, Act. 2. Scena 4.

Neq; ſalſum, neq; ſuaue eſſe poteſt quicquam, vbi amor non admiſcetur.

Hæc dum commentor, offert ſe mihi tanquam exemplum quidam de meo contubernio (nomen conſultò ſupprimere iuſſit) menſę aſſecla, ſynchronos & æqualis æuo, natus mecum & educatus, alitus paribus incrementis, eadem cura, arcanorum meorum particeps, quem Amor iſte γλυκύπικρος tangit & angit, vrget & vrit. Cauſa caputq; huius eſt Cœlia famoſiſſima & formoſiſſima, addo & doctiſſima Comica, cuius decens corporis habitus, ſermo eloquens, acutus diſcurſus face ardentiſſima accendit plurium & velut corriualium pectora, & ſuaui quodam aculeo non patulas modò aures, ſed & ipſos animos penetrat, hæret & ferit.

Cœlia Comica celebris.

Amphion ſcopulos, Delphinas traxit Ariõ,
E denſis Orpheus horrida bruta iugis.
Non ſcopulos, non Delphinas, non horrida bruta,
Nos trahit ex verbis Cœlia pulchra ſuis.
Cur non blanda trahat doctis nos Cœlia verbis?
Solus id aſpectus vel ſine voce poteſt.

Quid de geſtu iam dicam? quo vel ipſum Roſciũ prouocare auſit. Si iraſcitur, frons caperata è fulgurantibus luminibus tela triſulca Iouis vibrat. Si ridet, totus vultus depulſa nube in gratam & amęnam ſe tẽperat proteruiam. Si diſcurrit, videas ſerena ſeueritate, & ſeuera ſerenitate permiſtam frontem: audias prægnantes ſententias, grandiſona verba, quæ fauces concipiunt, lingua & candentes dentes moderantur, roſea labella ore tereti edunt, vt ſingulari naturæ miraculo coralia loqui, & margaritas ſubridere credas; quibus omnibus delicatula & albicans manus gratiam addit, &, quaſi ludibunda applaudit. Sic irata Iunonem, ridens Venerem, & vbiq; Mineruam repræſentat. Hæc nõ ideo ſcribo tanquam formæ encomiaſtes (reſeruata enim eſt alteri, qui integro libello edito eam breui celebrabit, hæc prouincia) ſed tanquam raræ virtutis in viragine admirator: vtq; eandem ad maiora inuitem & incitem, quo ipſius Genius & ingeniũ, imò & florida ætas aperta via eam ducit. Deinde ad noſtrum γλυκύπικρον, vt intelligas,

Eius in actione dexteritas.

—— κρύψαι, ΚΟΙΛΙΑ,
Ἅπαντα τἄλλα τις δύναιτ' ἂν, πλὴν δυοῖν,
Οἶνόν τε πίνων, εἰς ἔρωτά τ' ἐμπεσὼν.
Ἀμφότερα μηνύει γὰρ ἀπὸ τῶν βλεμμάτων,
καὶ τῶν λόγων αὐ· ὥστε τοὺς ἀρνουμένους
Μάλιστα ταῦτα καταφανεῖς πολλοῖς ποιεῖ.

Nec malè quadrat in amorem γλυκύπικρον illud, quod Martialis in cuiuſdam φιλομισοφιλίαν luſit:

Difficilis, facilis, iucundus, acerbus es idẽ:
Nec poſſum tecum viuere, nec ſine te.

Plura habes de hoc argumento ſupra citatis Emblem. 112. 113. & 114.

Buxus

Buxus.

EMBLEMA CCVIII.



PERPETVO viridis, criſpoq́; cacumine Buxus,
Vnde eſt diſparibus fiſtula facta modis.
Delicijs apta eſt teneris, & amantibus arbor:
Pallor ineſt illi, pallet & omnis amans.

COMMENTARII.

I. *Buxi deſcriptio.* BVXVS paruæ arboris ſimilitudine aſſurgit, caudice ſubinde humani cruris, rarò femoris craſſitudine: ramoſa eſt, & ad topiaria opera accommodatiſſima: folia verò habet ferè myrti magnitudine, duriora tamen & craſſiora, rotundis longiora, læuia & reſplendentia. Materies ligni duriſſima & denſiſſima quidem, ſed ad quæuis opera tractabilis, colore luteo pallesſcens; cariem ac teredinem non ſentit. Et quia ex hoc ligno multiforatiles tibiæ & pyxides fiunt, huc eadem appingi placuit D. Pignorio.

II. *Ex buxo tibiæ fiũt* BVXVS in folijs perenni eſt virore, in ligno autem exangui pallore, quo tamē harmonicæ tibiæ excauantur, ad amatoria carmina ſuauiter perſonanda; & alia multa ludicra pueris apta, & puellis amatis gratiſſima. Sic & amatores viuaci amoris calore, iuuenili vigore virent, bilioſis affectibus ſuffuſi palleſcunt: voce autem & ſermone ſunt blando & ſuauiloquente De

hac.

hac arbore conſule Plinium lib. 16. Natur hi ſtor. cap. 16.

III. *PERPETVO viridis*] Ouidius 10. Metamorph.

Perpetuoq; virens buxus, tenueſq; myricæ.

Criſpo que cacumine] Huic proximum eſt illud Claudiani 2. de raptu Proſerp.

—Hinc denſo criſpata cacumine buxus.

Plinius In primis verò materies honorata buxo eſt, rarò criſpicanti, nec niſi radice.

Buxus, & Buxum. *Buxus*] Dicitur Buxus, fœm. & Buxum, neut. Virgilius 2. Georgic.

—aut torno raſile buxum.

Vbi Seruius ait, *Buxum*, pro ligno, *Buxus*, pro arbore dici: quamuis Ennij exemplo etiam arborem potuerit dicere neutro genere; ſic enim ille in 7. Annal.

—longiq; cupreſſei

Stant rectis folijs, & amaro corpore buxũ.

Bene dixit amarum, nam etiam mel, quod conficitur, vbi hæc arbos frequens eſt, inſuaue, atq; amarum eſt, vt in Corſica tradit Plinius, & in Cyrena Theophraſtus, hic lib. 3. cap. 15. ille verò lib. 16. cap. 16. Caper quoque diſtinguit, vt Buxus arbor intelligatur, Buxum verò materies. Interim hæc confundi ſæpè animaduertas. Dicitur autem Buxus à Græco πύξος, παρὰ τό πεπυκνάσθαι ἤγουν πεπυκνῶσθαι, διὰ τό πυκνὸν τοῦ ξύλου. Hinc deriuatur

Pyxis. πύξις. *Pyxis*, vaſculum è buxo teres, excauatũ, & in ſumma parte operculo clauſum: & generaliter pro ſimili vaſe ex quauis materia confecto. Italicè, *Boſſolo, Boſſoletto*. German. *Buchslin*. Hiſpan. *Buxetta*.

Diſparibus fiſtula facta modis] Virgil. 2. Ecloga:

Eſt mihi diſparibus ſeptem cõpacta cicutis
Fiſtula.—

Ouid. 8. Metamorph.

—ſic ruſtica quondam
Fiſtula diſparibus paulatim ſurgit auenis.

Et 2. Metamorph.

—diſpar ſeptenis fiſtula cannis.

Idem loco alio de tibia buxea:

Longaq; multifori delectat tibia buxi.

Item 6. Faſtor.

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Vt daret effeci tibia longa ſonos.

Phrygum tibias è buxo fuiſſe memini, vnde etiam buxus ſæpe pro tibia buxea po-

Buxus pro tibia. nitur apud Poetas, συνεκδοχικῶς. Aliorum verò fiſtulæ è loto fuerunt, apud Iulium Pollucem.

Delicijs apta eſt teneris] Amoribus blãdis, & aliquando turpibus voluptatibus. Ouidius ſe etiam tenerorum luſorem amorum vocat.

Pallor ineſt illi] Martialis 12. lib. 32. epigr. *Pallor buxi.*

Et non recenti pallidus magis buxo.

Hinc apud eundem buxei dentes. & apud Columel. lib. 7. cap. 86. buxea forma. & apud Plinium, lib. 12. cap. 7. buxeus color. In Priapeijs:

Vuis aridior puellæ paſſis,
Buxo pallidior, nouaq; cera.

Ouid. 2. Metamorph.

—cui protinus intima frigus
Oſſa receperunt, buxoq; ſimillimus ora
Pallor obit.

Et 4. Metamorph.

—oraq; buxo
Pallidiora gerens exhorruit.

Apuleius 1. de Aſino aur. Eumque auidè eſitantem aſpiciens, aliquanto inferiore macie atq; pallore buxeo, deficientem video. Idem lib. 8. At ille modicum commoratus, refert ſeſe, buxantique pallore trepidus, mira ſuper conſeruo ſuo renuntiat.

Palles & omnis amans] Cur amantes palleant, rationem reddit Marſilius Ficinus Comment. in Platonis conuiuium. Ouidius in amatorijs: *Amantes pallent.*

Palleat omnis amans; color hic eſt aptus amanti.

Catullus de amaſio quodam:

—inaurata pallidor ſtatua.

Horat. 3. Carm. 10.

Nec tinctus viola pallor amantium.

BVXVS quorundam amãtium vitam & conditionem refert. Vt enim eſt fronde ſemper viridi & pallida, ex cuius etiam ligno fiſtulæ optimæ conficiuntur: ita inter- IV. *Amantiũ conditio per buxũ repræſentata.*

no quodam vigore & vernantis ætatis affectu viuunt quicumq; ſe amori dedunt, pallorem tamen contrahunt, huic affectui peculiarem, quòd ſingulis penè momentis reformident, ne ſpe concepta cadant, vel turpem quam ſibi fingunt, repulſam patiantur. At quidem nihilominus hilarem præ ſe vultum ferunt, vt blandum & feſtiuum ſermonem, ſemperq; aliquid cantuum, aut legunt taciti, aut meditantur ſtudio, vel etiam ſcribunt aut recitant ad pellendos ex animo mœrores, aut exprimenda ea quæ ipſi concipiunt. Claudiani illud non eſt alienum à pallore amãtum,

qui

qui de nuptijs Honorij & Mar. *Gratus amantum pallor.* Et Naſo 4. Metamorph.

——Palles: facit hunc amor ipſe colorem.

Epigramma Thuilij. Ego quoq; dum me meus ardor habebat, huc αὐτοσχεδιασὶ aliquando alluſi tali epigrammate:

Omnis amans pallet, pallet ſtudioſus & omnis:
Si ſtudioſus amat, nonne cadauer erit?

Locus D. Ambroſij. D. Ambroſius lib. 3. in Hexaemero cap. 13. hæc de Buxo: Buxus elementorum apicibus vtilis exprimendis: leui materia vſum manus puerilis informat. Vnde ait Scriptura: Scribe in buxo. ſimul vt admoneat te ipſa materia, quæ ſemper viret, nec vnquam folijs exuitur ſuis, ne vnquã ſpei tuę diſſimulatione nuderis, ſed ſemper tibi per fidem germinet ſpes ſalutis.

Amygdalus.

EMBLEMA CCIX.



CVR properans folijs præmittis Amygdale flores?
Odi pupillos præcocis ingenij.

COMMENTARII.

I. *Amygdali pictura.* AMYGDALVS Perſicæ ſimilitudinem refert, arbor tamen eſt procerior, caudice craſſior, & vita diuturnior. Folia eius oblonga, acuminata, marginibus crenata, qualia Perſicæ, flores ſimiles. Fructus quoq; Perſicum æmulatur fiſſuram ab vna parte inſtar rimę habens, & exteriore cute molli, araneoſaque quaſi lanugine obducta.

obducta. Interior nux longior quàm Perſico, non ita aſpera, ſed læuis, in qua nucleus, hoc eſt, amygdalum continetur, Perſici nucleo longius, ſapore dulce, quandoque amarum. Appictus eſt hic infans præcocis ingenij, cui plerumque imminet vel hinc mors præmatura, vel illinc puerilis & delira ſenectus.

II. *Amygdalus ſymbolum præcocis ingenij.* FLORET prima omniũ amygdalus menſe Ianuario, Martius verò pomum maturat. Plinius lib. 16. capp. 25. & 26. Quod torquetur in illud ingeniorum velut præcox genus, quod non temerè vnquam peruenit ad frugem, ait Fabius lib. 1. cap. 3 Hoc Accius tragicus de ſe iudicauit, apud Gellium lib. 13. c. 2. Nam cùm Pacuuius graui iam ætate & diutino corporis morbo affectus, Tarentum ex vrbe Roma conceſſiſſet, Accius tunc haud parno iunior, proficiſcens in Aſiam, cum in oppidum veniſſet, diuertit ad Pacuuium, comiterq; inuitatus, pluſculisq; ab eo diebus retentus, tragœdiam ſuam, cui Atreus nomen eſt, deſideranti legit. Tunc Pacuuium dixiſſe aiũt, ſonora quidem eſſe quæ ſcripſiſſet, & grandia; ſed videri ea tamen ſibi duriora paulùm & acerbiora. Ita eſt, inquit Accius, vt dicis; neq; id ſanè me pœnitet: meliora enim fore ſpero quæ deinceps ſcribam. Nam quod in pomis eſt, itidem, inquit, eſſe aiunt in ingenijs: quæ dura & acerba naſcuntur, poſt fiunt mitia & iucunda. Sed quæ gignuntur ſtatim vieta & mollia, atque in principio ſunt vuida, non matura mox fiunt, ſed putria. Relinquendũ igitur viſum eſt in ingenio, quod dies atq; ętas mitificet. Hinc Cicero 2. de Oratore: Non poteſt in eo eſſe fructus diuturnus, quod nimis celeriter eſt maturitatem aſſecutus. Nec minus ſapienter ſub perſona cuiuſdam Q. Curtius: Nullum eſſe eundem & diuturnum, & præcocem fructum. Occaſione huius ſymboli Minos aliquando effudit eiuſdem penè argumenti carmen, ad hunc modum:

Accij de ſe iudicium.

Carmen Minois.

Glauca ſalix properat, ſed multùm tardat oliua:
Illa perit citiùs, ſed valet iſta diu.
Ingenium præcox feſtinat prępete curſu,
Sic tamẽ ad frugem vix bene perueniet.
Tardior at multo vnquã niſi tẽpore venit
Natura, at multò fit magis illa tenax.

Huc ſpectant adagia, *Odi puerulos præcoci ſapientia.* &, *Ante barbam doces ſenes* cuius prioris meminit Apuleius 2. Orat. pro ſe, ſed aliò torquet. Vide etiam prouerbia, *Ergini cani* &, *Feſtina lente*, in fine.

III. *Properare & feſtinare quid differant.* *CVR properans.*] Properare aliud eſt quàm feſtinare, ait Nonius: qui enim vnũ quodq; maturè tranſigit, is properat: qui multa ſimul incipit, neque perficit, is feſtinat. Sic omnino Cato, oratione De ſuis virtutibus, & apud Gell. legimus, lib. 16. cap. 14. Verùm vtrorumque verborum ratio ſub hac ſignificantia proxima eſt veritati, vt Properare, ſit ſæpe animi ſtudioſè ad res aliquas contendentis. Feſtinare corpore neceſſitatibus obſequendi.

Amygdalus. *Amygdale*] Dicitur Amygdalus & Amygdala, de arbore: cuius fructus dicitur Nux Græca, Nux Thaſia, Amygdalum & Amygdala. In hanc arborem fabulantur poetæ mutatam fuiſſe Phyllida, Lycurgi regis Thracum filiam, ob amorem in Demophoontem.

Odi pupillos] paruos pueros: Pupus enim & Pupa dicebatur olim pro puero & puella.

Præcox. *Præcocis ingenij*] Præcox, quod ante ſolitum tempus maturitatem adipiſcitur. De huius vocabuli inflexione Gellius lib. 10. cap. 11.

IV. *Ingenia præcocia.* EMBLEMA cum Alciato ad ingenia præmatura flectimus, quę magna pollicentur primęuo ætatis flore, ſed poſtmodum langueſcunt aut debilitantur. Sunt enim qui ſtatim primoque omnia diſcant, memoriterq; teneant, qui tamen quanto ætate fiunt prouectiores, tanto minus complectuntur, ita vt ad ſolidam eruditionem vix aliquando perueniant. Spem eam lactant patres nimis indulgentes, aut ſtulti magiſtri, qui adoleſcentulos ſibi concreditos fouent ſpe illa plerumq; fallaci ac ſtolida, qua imbuti tenelli animi labores abijciũt, vel ſtudia ipſa deſerunt, quia ſe iam putãt conſecutos, cùm vix per ſomnium doctrinæ ſolidæ guſtum perceperint. Atqui vt plantarum, ſic & ingeniorum ſua tempeſtiuitas exſpectatur, quibus ſi vis ante tempus inijcitur, nunquam matureſcũt. Eam ob rem vulgò penè apud omnes creditũ, eos, quibus ſit ingeniũ tam præcox & maturum, aut inſanos fore, aut non diu victuros. Id quidem obſeruatũ maximè fuiſſe in Hermogene tradunt, cui vix dũ pubeſcenti tam admirabilem ingenij & memoriæ vim fuiſſe dicunt, vt annos natus octodecim

De Hermogene Rhetore mirum

decim artem Rhetoricam conſcripſerit, quæ ab omnibus admodum commendatur: quem etiam declamantem aliquando Muſonius Philoſophus grauiſſimus audire non refugit, quemadmodum nec M. Imperator. At cùm annum quartum & vigeſimum attigiſſet, mẽte lapſus dicitur, omniumq; penè rerum oblitus nulla euidenti cauſa.

Hermogenis elogium.

De hoc Hermogene illud iactatum olim, ἐν παισὶ γέρων, καὶ ἐν γέρουσι παῖς. Quo elogio ſunt qui laudatum adoleſcentis ingenium putent; ſunt etiam qui non probatum omninò ſuſpicentur: & quidem, vt eſt apud Menandrum,

Ὁ παρ' ἡλικίαν νοῦς μῖσος ἐξεργάζεται.

Odioſa præcox ſemper eſt prudentia.

Ex Hiſtoria Bohemica, prope finem.

Ioannes Dubrauius, Ludouici huius nominis II. Hungariæ Bohemiæque Regis res geſtas, & quomodo in flore ætatis ſuæ (agebat enim vigeſimum primum ætatis annum) dignus certè longiori vita, infelix iuuenis (qui neſcio imprudentiore an inauſpicatiore conſilio, cum exigua militum tumultuariorum, & magna ex parte ruſticorum inermium manu, contra exercitatiſſimas copias Solimani ſtare non dubitarit) prope Mohacium in riuulo, Anno 1526. 29. Sextil. miſerè extinctus ſit, deſcribens ait, tria peculiaria in illo fuiſſe adnotata, cuncta nimis præcocia: Quod citò adoleuerit: ante tempus barbam emiſerit, & vix annum decimumoctauum ingreſſus canos oſtenderit. Quibus inſuper præcox eius natiuitas addi poteſt; nulla enim cute vel pelle tectus in lucem editus eſt, quam tamen poſtea Medicis arte naturam adiuuantibus eſt conſecutus. Memini aliàs adagij, *Canem feſtinantem cæcos parere catulos*. Et in rerum natura præcocem nimiſque celerem cucurbitam ſe in altum cacumen breui admodum ſpacio temporis efferre, & de ſe quid magni promittere, ſed leui momento deficere. Et qualia cenſeas animalia ἡμερόβια, quæ tam propere occidunt quàm naſcuntur?

Alceſtidi tarditas obiecta.

Alceſtidi obiectum à poeta vano legimus, quod non niſi verſus tres immenſo labore conderet, at iactator dicebat, centũ: Bene, inquit Alceſtis, nam tui in triduum tantũmodò, mei verò in omne æuum ſufficient. teſtis Valer. Maximus lib. 3. c. 7. Præclara eſt Lyſiæ Oratoris vox, cũ diceret, ſe nolle conſcribere quæ feſtinatio præcipitaſſet, οὐ βούλομαι ἔγωγε ταυτὰ τὴν ἐσπευσμένα.*

In eos qui præcipitãter aliquid edunt.

Quod tortũ apparet in eos, qui nimium præcipitante ſtylo edunt, ſeu potiùs euomunt, quæ nondum bellè concoxerunt. Non minùs lepidè Syneſius, cùm diceret eos, qui ſibi in ſtylo indulgerent, cæca & ſubuentanea parere: nec enim incubando fouere orationem eos, quibus neceſſe eſt vomere: fieri namq; ſtylum euanidum & ἐξίτηλον, qui non congrua temporis mora dictionem elimat: nam quod in fœtu immaturo ſolet accidere, abortit; eoq; fieri ſolet, vt abortus huiuſmodi nihil patiat quod ſit vitale, integrum, diuturnum. Philoſtratus tradit in Sophiſtis, cùm M. Antoninus fama excitus Ariſtidis Smyrnæi, audire ipſum diſſerentem vellet, dixiſſe: *Hodie proponito, & cras audito; neq; enim ſumus è numero vomentium, ſed exacta cura elaborantium.* id eſt: τήμερον πρόβαλε, καὶ αὔριον ἀκροῶ, οὐ γὰρ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων, ἀλλὰ τῶν ἀκριβούντων.

Homerus vomens.

Homerum à quodam depictum fuiſſe vomentem ſupra diximus: quod de argumentorum & materiæ ſuppeditatione potiùs, quàm de fundendorum carminum celeritate interpretor, qui ſciam præcipitantiam illam veteribus nunquam fuiſſe in laude. Sic enim M. Antonius librum de ebrietate à ſe ſcriptum euomuiſſe, alicubi legitur, probri loco. Et cum Agatharchus magnos ſibi ſpiritus ſumeret de pingendi celeritate,

Zeuxis.

Zeuxis id intelligẽs: Diu, inquit, ego pingo, quia pingo æternitati. Etſi enim multis placet extemporalis quędam ſcriptitandi ratio, & in conficiendis libris celeritas, velut prompti atque in numerato poſiti ingenij argumentum: mihi tamen ſecus videtur, probaturq; impenſius diligentia accurata, longiore tempore iudicij confirmatore expreſſa. Illic verba veluti primoribus in labris nata, aut ſuperficiario ingenij æquore natantia eduntur: hic lectionis multifariæ opes tanquam è ſanctiore quodam ærario reconditæ promuntur, & habito delectu rerum verborumq; pondera examinantur feliciùs & exhibentur. Dixit veterum vnus, nihil ſibi videri inamabilius, quàm ſit ſtultitia diligẽs, hoc eſt, περιεργία, quæ contra naturæ leges cœpto nondum vere, autumnum cogitat.

In eos, quĩ ſua ſtudia præcipitant.

Sic enim nondum benè delibatis rei Grammaticæ primordijs ſtatim properant ad Logicas ſubtilitates manibus illotis, aut ſcholas iuris nullo pudore irrumpunt, vel

alias

alias graues diſciplinas imparati adgrediuntur. Bene olim ac ſapienter conſtitutum à maioribus, qui ſcholas bonis moribus ac legibus informarunt, vt annorum aliquot exactis ſpatijs, ſtudiorum curricula exigerentur: collegia priuata per certas decurias (claſſes appellant vulgò) tribuerentur: ſuperiores collegiorum ordines, Theologorum nempè, Iuriſprudentum, Medicorum, ſuis legibus continerentur. Quorſum enim ad gradus ſcholaſticos promotiones non niſi ſtatis temporibus cuiquam affectandas? Et quid, vt de alijs taceam, cenſente principe Iuſtiniano quinquenniũ præſtitutum ſtudioſis Iuris? vel quid primo anno, Iuſtinianæi noui nuncupati; dein Decretales, Pandectarij ſeu Prætorij, & Edictales; poſtmodum Papinianiſtæ, Lytæ, Prolytę, niſi quòd cenſuerit ſtudia non niſi maturè ineunda & perficienda?

Lytæ.

Per Lytas autem intelliguntur ij, qui legum nodos quodammodo iam poſſint ſoluere; ſiue quod à ſcholis iam ſolubiles ferè ſint, & liberè ſilentium auſint rumpere, quod diſcipulos dum diſcerent, ſeruare oportebat, poteſtate quippe ex inferiore loco diſputandi ipſis conceſſa.

Prolytæ.

Per Prolytas verò, qui Lytis præſtent, & legum ænigmata ſoluant perfectiùs, & digni magis ſint, qui ſcholaſticorum munere mittantur. Petr. Gregorius de Iuris arte, cap. 34. n. 15. Illos hodie Baccalaureos vocant, hos Licentiatos: quemadmodum & Anteceſſores Iuſtiniano fuerunt, qui nobis Doctores ſunt. Sic enim ad honorum gradus euecti iam olim, qui exacto legitimo ſtudio fructum diſciplinę principis expreſſiſſent, non, vt hodie fieri ſolemne, per ſaltum, vt ita dixerim, datisque pecunijs, non virtute, ſed ambitu occupantur tituli magnifici, quibus impensè multi nunc temporis intumeſcunt, ſed imprimis qui non eſſe, ſed videri volunt. Plinius Secundus ſuo æuo non ab re ſuccenſebat nouitijs aduocatis, obſcuris & ineptis, qui nimis irreuerenter ac temerè ad centumuiralia iudicia irreperent: ſed iſtud cacoethes pridem noſtrorum hominum animos occupauit, vt ſtudiorum herbas amputare malint, quàm ſegetem exſpectare. Et ſic ferè fit, vt quod Menedemus Eretrienſis de ijs dictitabat, qui ſtudiorum cauſſa Athenas concederent, primo anno Philoſophos, ſecundo Rhetoras, tertio rerum omnium imperitos: ita de noſtris longè multis pridem iactatum accepimus, primo anno Baccalaureos dici, ſecundo Licentiatos, tertio Doctores, quarto nihili cenſeri, & in magna rerum ignoratione verſari. Contrà nihil deſperandum putamus de ijs, qui primò tardiores, certeque rudiores, & in quibus vis ingenij viuida non ſtatim erumpit.

Similitudo arboribus.

Vt enim in arboribus, omnisq; generis ſtirpibus, quæ citiſſimè adoleſcunt, atque ante legitimum tempus, conſuetumq; morem maturitatẽ aſſequuntur, citò intercidunt, ac confeſtim langueſcunt: ita quoq; in humanis ingeniis & corporibus, ſi quę naturæ dotes & munera ſpecioſius maturiusque ſe proferunt, minus diuturna eſſe ſolent, ac feſtinantius dilabi. Non enim ſubeſt ſolida vis, nec penitus firmis nituntur radicibus. Sic infantes, qui citiùs dentire incipiunt, celerrimè dentes excutiunt. Similiter qui citiùs ingrediuntur ac pedibus inſiſtunt, inualidis minusq; firmis cruribus eſſe ſolent.

Properata minus ſolida.

Itaq; melius eſt omnia cunctãtius procedere, tardaq; incrementa ſuſcipere: ſiquidem cùm natura ſuas vires ac facultates cumulatiùs quàm par eſt, in membra profundat, efficitur vt ætatis acceſſu deſit, quod illis impertiat. Quo fit, vt illæ partes deterius ſua munia ac functiones exequãtur, vt quas nullis viribus, aut alimenti affluuio fulciri contingat. In omni etiam ſtirpium genere celerius occidit feſtinata maturitas. Quocirca minus probari ſolet in adoleſcentibus præcox & præmaturum ingenium, tum pleraq; naturæ munia, aut corporis animique dotes, quæ præter vulgatam conſuetudinem, aut quàm ea fert ætas, ſe præſtantius proferunt. Hac de re Petrus Paulus Vergerius Senior, in Commentario de ingennis moribus, ad Vbertinum Carrarienſem, hęc habet: Nec verò ſuſcipiendum eſt, quod omnibus penè vulgò eſt vſurpatum, vt exiſtimemus eos, qui iuuenes ſupra ætatem ratione ſapiant, maiores factos deſipere aliquando ſolere, (quanquam & hoc quibuſdam non abhorreat à phyſica ratione) quibus cum impuberibus ſenſus vigeant, creſcenti poſtmodum ætate marceſcunt. Quo in genere eſt ſenex quidam ab adoleſcente confutatus; obſcurum eſt autem vtriuſq; nomen.

Argutum adoleſcentis reſponſum.

Cùm enim is præter ætatem prudens probusq; haberetur, ſenque admirandum illum oſtenderet: Erit igitur,

tur, inquit, in ſenectute demens, qui ſit in adoleſcentia tam ſapiens. & ita quidem voce ſublata, vt adoleſcens audiret. Ille verò innati acuminis nihil oblitus, atq; in eum protinus conuerſus: Tu ergo, inquit, præclarè in adoleſcentia ſapiens extitiſti. ſuisq; illum (vt aiũt) armis confodit. Sed hæc hactenus.

Morus.

EMBLEMA CCX.



SERIOR at Morus nunquam niſi frigore lapſo
Germinat: & ſapiens nomina falſa gerit.

COMMENTARII.

I. *Mori conſideratio.* MORVS procera eſt arbor, nec minus ramoſa: caudex eius non rarò craſſus, cortex ſcaber, radicis verò luteus: folia lata & acuminata, duriuſcula, & ſecundum margines ſerrata. Pro floribus iuli ſunt virentes, lanuginoſi. Fructus oblongus, ex granis coaceruatus, moro in rubo naſcenti ſimilis, ſed craſſior, longior, & omnino maior, initio virens, maturitate nigricans, ſucco tamen, quo redundat, rubens. Radix in multas ſpargitur propagines. Affingitur hic quidam veſtimentis inuolutus, quem ſequitur æſtas onuſta ſpicis & cornucopiæ, ad deſignandum tempus floris mori, qui non niſi frigore lapſo, & calore ingruente erumpit.

II. *Morus ſymbolũ viri prudentis* NON niſi hyeme preterita morus germinat, extra hyberni rigoris & gelu periculum: ſic & vir prudens nullo in negotio prepoſterè feſtinat ante tempus, nec quid-

quam

quam periclitatur, ſed tutò rẽ agit. Quare hæc arbor Græco nomine μῶρος dicta videtur ἀντιφρασικῶς, μῶρος enim Græcè, ſtultus eſt Latinè: at contra ſapiens videtur, quæ florem & fructum ab hyemis iniuria præſeruat. De hac arbore Plinius lib. 16 cap. 25. Nouiſſima, inquit, vrbanarum germinat, niſi exacto frigore, ob id dicta ſapientiſſima arborum; ſed cum cœpit, in tantum vniuerſa germinatio erumpit, vt vna nocte peragat etiam cum ſtrepitu. Hæc Plinius. Vide adagium, *Maturior moro.* Politianus in Ruſtico:

Mox vbi iam ſapiens cœpit frondeſcere morus,
Antè quidem ſapiens, nunc ambitioſa, nec vllum
Quæ pariat pomum, ſed ſerica penſa miniſtrat.

Bõbyces.

Etenim folijs huius arboris nutriuntur ac ſuſtinentur vermes illi, qui ſericum nent ac præbent; ex erucarum hi ſunt genere, ſerico confecto in papiliones vertuntur, velut aliæ omnes erucæ. Papiliones iſti corpore graues, exiguas pro ratione corporis habent alas, proinde non auolant, ſed generationi intenti citò pereunt; mas quidem in coitu, fœmina vbi oua excluſerit.

III.

† μαυρός.

Morus vnde dicta.

SERIOR *at Morus*] Morus, quaſi † μῦρος quibuſdam dicitur, quòd nigra ſit: alij à mora, id eſt, tarditate deriuant, quòd arborum poſtrema floreat. Nonnulli κατ' ἀντίφρασιν, Morum quaſi μῶρον appellatam exiſtimant, id eſt, ſtultam, cùm præ cæteris prudentiſſima eſſe videatur. Huius arboris fructus Mora vocantur, quæ cùm, prius alba eſſent, cruore Pyrami & Thiſbes rubra facta ſunt, vt canit Ouidius lib. 4. Metamorph. circa initium:

Mora cur rubra ſint.

Arborei fœtus aſpergine cædis in atram
Vertuntur faciem, madefactaq; ſanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore.

Et paulò poſt:

Nam color in pomo eſt, vbi permaturuit, alter.

Pontanus:

Atq; in ſanguineam morus poſt verſa figuram.

Mori ſteriles.

Illud de Moris mirum eſt, quod Hegeſander apud Athenæum affirmat, ſuis temporibus intra viginti annorum ſpacium moros fructum non tuliſſe, atque tantam podagræ peſtem omnes inuaſiſſe, vt non viri ſolùm, ſed pueri, puellæ, eunuchique & mulieres eo morbo laborarent.

Sapiẽs nomina falſa gerit.] Plinius lib. 16. cap. 25. citato.

IV.

Prudẽtiæ cum moro analogia.

M O R V S arbor prudentię gerit ſymbolum, ait Pierius lib. 52. Hieroglyph. quòd, ne aeris iniuria lædatur, tempeſtiuam & commodam occaſionem præſtolari videatur. Nam vbi primùm leniores & mitiores aliquantum auræ ſpirauere, erũpunt germina, & flores exſinuant magna interdum ſtrage ob temporis inconſtantiam. Ne autem pruina lædi poſſit, quem hoſtem ſibi pernicioſum agnoſcit, non antè germinat quàm frigus penitus lapſum fuerit, atq; ad amœniſſima adulti veris tẽpora peruentum omnino ſit. Ita vir prudens grauiora negotia, & conſilia omnia conſultò prorogat: neq; ante tempus ſeſe effert, ſed maturam occaſionem citra noxam & periculum expectat. Praua enim & temerè ſuſcepta conſilia duri & infauſti exitus plerumq; è veſtigio conſequuntur. Ideoq; temeritas definiri ſolet, eſſe defectum conſilii & præcipitationem quandam, quæ imprudentiæ cognata eſt. & per quam ea fieri dicuntur, quæ; ratione non geruntur, vel propter impetum voluntatis, vel paſſionis, vel ex contẽptu. Quo reſpexit pulcherrima admonitio Menandri:

Temeritatis definitio.

βουλὴν ἁπαντος πράγματος προλάμβανε.
βουλῆς γὰρ οὐδὲν ἐστὶν ἀσφαλέστερον.
Conſilium in omni praeat negotio.
Conſilio aliud haud eſſe tutius poteſt.

Rectè etiam Horatius lib. 3. Carm. Od. 4.

Vis conſilij expers mole ruit ſua:
Vim temperatam Dij quoq; prouehunt
In maius: ijdem odere vires
Omne nefas animo mouentes.

τὰ γὰρ τῶν πραγμάτων μεγάλα οὐκ ἰσχύϊ, ἢ τάχει, ἢ ὀξύτητι σωμάτων κατασκευάζεται· ἀλλὰ εὐβουλίᾳ, καὶ γνώμῃ, καὶ ἀξιώματι. Id eſt: *Res enim magnæ non viribus, aut velocitate, aut celeritate corporum geruntur: ſed conſilio, ſententia & auctoritate.* Rectiſſimè igitur reprehenditur eorum inſcitia, audacia & inſolentia, qui res arduas præcoci & temerario auſu ſuſcipere & perficere ſatagunt, neq; prius prudenti deliberatione habita perpendunt, qualis euentus expectandus ſit. Quamobrem prudens eſt Annibalis apud Liuium oratio, vbi ita dicit: Quod ſi

in ſecundis rebus bonam quoq; mentem darent Dii, non ea ſolùm, quæ eueniſſent, ſed etiam ea, quæ euenire poſſent, reputaremus. D. Ambroſius, cùm olim apud Theſſalonicam ſeditio eſſet exorta, & Theodoſius Imperator ira incenſus, ex improuiſo plebem ad ludos congregatam à militibus obtruncari iuſſiſſet, perſuaſit Imperatori, vt in omni pœna capitali ſumenda ſpacium triginta dierum interponeretur à lata ſententia ab Imperatore, ne is impetu & furore illa faceret, quorum etſi poſtea eum pœniteret, ea tamen non poſſent amplius emendari, & hac ratione locus miſericordiæ vel pœnitentiæ non periret. Sicut legimus in Sozomeni hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 7. cap. 24. Quod ſi idem ad res conſcientiæ traducere vis, deprehendes itidem non aliud præſentius peccati remedium eſſe, quàm moram & deliberationem. Dies prauè traductos à fato colligi, & poni in expēſi tabulis, indubitatum eſt: non periit quod perditum negligenter, aut turpiter admiſſū credimus, quod luxu abſumptum aut deſidia, quod inter amores ſæculi & curas lubrico lapſu euanuit, in aduerſaria venit & codicillos, vnde ratio vitæ ſupputanda ſingulis aliquando infallibili calculo. Deus ipſe notarius eſt, & chalybi incidit adamantino ſtylo quidquid omiſſum aut commiſſum. Magna itaq; cautione opus & prudentia, ne ſignum aliquod noſtri aut cælatura appareat in ferreo illo codice, ne contracto debito fidem & animam oppignoremus rigido creditori, qui ad ſanguinem vſq; vel aſſem minimum repetet, ſtricto & ſeuero iudicio. Cauere poſſumus eodem præeunte & adiuuante, ſtudio & voluntate, quæ ab altiori illa flamma ſic incaleſcit interdum, vt poſthabita vita vitet quæ offendunt & diſplicent, adhibitis remediis, quæ præuertant, aut morentur, & ſiſtant impetū, ſumpta deliberatione, & audito prius conſilio mentis.

D. Ambroſij conſilium.

Remediū peccati, mora & deliberatio.

Laurus.

EMBLEMA CCXI.



PRAESCIA venturi Laurus fert ſigna ſalutis:
Subdita puluillo ſomnia vera facit.

Aliud.

DEBETVR Carolo ſuperatis laurea Pœnis:
Victrices ornent talia ſerta comas.

COMMENTARII.

I. *Lauri pictura.* LAVRVS non rarò mediocris arboris altitudinem aſſequitur, ramis pluribus luxuriat, cortice virentibus. Folia ei oblonga, lata, dura, perpetuo virore decora, ſuaueolentia, ſapore nonnihil amaricantia. Flores herbacei coloris ſecundum ramulos ac folia exeunt. Baccæ ſiue fructus rotundis longiores, cortice integuntur nigricante. Subiunctæ figuræ ad victoriam, & diuinandi cæremonias ſpectant, vt iamiam dicemus.

II. *Laurus vaticinij nota.* APHTHONIVS Rhetor Laurum vaticinii ſymbolum eſſe prodidit: idcircò veteres *μαντικὸν φυτὸν, vaticinam arborem*, Laurum dixere, & Apollini diuinationis Deo ſacram putarunt. Si enim ſtrepitu quodam in igne crepuiſſet, felicitatem portendebat. Vide adagium, *Clamoſior lauro ardente*. Huc pertinet ex Lucilio illud à Macrobio citatum libro ſexto Saturn. cap. 4.

Nec res vlla magis quàm Phœbi Delphica laurus
Terribili ſonitu flamma crepitante crematur.

2. *Item victoria.* SECVNDVM epigramma indicat, Carolo V. victoriam Thunis referẽte lauream coronam deberi, quam triumphantes antiquitùs geſtabant. Plinius 15. cap. vlt. idemq; miras lauri virtutes lib. 23. c. 8. Vrbem eam ab Imperatore Carolo expugnatam anno 1535. ereptam Barbaroſſæ, ſuoque regi tandem reſtitutam, à patribus non ita dudum accepimus, qua de victoria libri editi circumferuntur.

III. 1. *PRÆSCIA venturi*] Sic potiùs legendum videtur, nam alia exemplaria habẽt, *Præſcia ventura*. Sic etiam apud Claudian. 2. de raptu Proſerp.

——venturi præſcia laurus
Fluctuat.——

De huius autem epitheti ratione vide Parrhaſium in Claudian. & Cœlium Rhodigin. lib. 5. Var. lect. cap. 7.

Fert ſigna ſalutis] Laurum ſalutis ſymbolum eſſe ait, quoniam domum à fulmine ſecuram præſtare creditur. Vnde legimus Tiberium Cæſarem lauream coronã ſolitum geſtare, præcipuè cum tonabat, vt refert Suetonius in eius vita. *Laurus tuta à fulmine.*

Laurus] Pleriq; laurum Græcè *δάφνη* dictam putant, à *δα*, intenſiua particula, & *φωνέω*, quod eſt *cano* & *voco*: quòd in igne ſonitum & crepitum edat: vt Latini à *la*, particula, quam etiam dicunt habere vim intendendi, & *vro*, vt ſignificatione conueniat, non voce. Vocatur autem hæc arbor Daphne, à puella ſic vocata, ab Apolline adamata, & in hanc arborem verſa, vt canit Ouidius 1. Metamorph. Hanc Daphnen à Spartanis diuinis cultam fuiſſe honoribus, ſed mutato nomine Paſiphaen nuncupatam, à qua certiſſima ederentur oracula, ſcribit in Agide Plutarchus. *Laurus cur Daphne dicta.*

Subdita puluillo &c.] ſuppoſita ceruicali. Promittunt id Antiphon & Philochorus, qui de ſomniorum interpretatione ſcripſerunt, quibus Artemon & Serapion Aſcalonites adſtipulantur, & Fulgentius Placiades; ſi quis lauri frondes ſub puluillo capiti ſubiectas habuerit, is vera ſomnia noctu eſt viſurus. Fides ſit penes auctores. Vide Macrobium Saturn. 6. cap. 4.

LAVREA] Corona ex lauro facta, quæ in triumphis adhibebatur. Q. Curtius lib. 4. Dextera præferens lauream, haud dubium victoriæ auſpicium. 2.

Pœnis.] Pœni fuere Carthaginienſes: quo nomine Thunos intelligit, vel Thunenſes, qui eam regionem incolunt, in qua olim Carthago fuit, vt ſcriptores quidam tradunt, quorum in numero eſt Pacchimerius: qui tamen erroris conuincitur ab alijs quibuſdam ſtudioſis antiquitatum. Ea enim vrbs Ptolemæo eſt *τύνητον*. Straboni *τύνις*, vt Tunicenſe oppidum Plinio. Quia verò fortè Tunetu, vel vt alij Tunitum, digna monimentis literarum ciuitas *Pœni, Thuni.* *Tunetum qua ciuitas.*

tas eſt, addo quæ ſequuntur in ſtudioſorum gratiam. Tunetum itaque Scipionis ætate tumulus erat editior, vnde ille ſpectauit Carthaginenſes ad claſſem Romanorum exurendam accinctos. Poſt exciſam Carthaginem, eam incoluerūt pulſi à Romanis, patriaque carere coacti: quam ob cauſam amplificata illa fuit, adeò vt noua Carthago diceretur. Apuleius eam nominat Auguſtam ampliſſimam & honorificentiſſimam. In ea fuere viri literatiſſimi, & gymnaſium celebre, in quo profitetur ſe contendiſſe D. Auguſtinus. Aberat olim à Carthagine duodecim fermè paſſuum millibus; locus tum arte, tum natura ſuapte tutus, & qui à Carthagine conſpici & præbere conſpectum tum ad vrbem, tum ad circumfuſum mare vbi poſſet. Doza epiſt. 51. In Africa oppreſſis Tunetibus grauiter premitur Goletta, quam olim fuiſſe volunt Carthaginis portum.

Victrices ornent talia ſigna comas.] Horatius initio 2. Carm. de Pollione Aſinio:

Cui Laurus æternos honores
Dalmatico peperit triumpho.

De corona Laurea triumphis aptata Ouid. 1. Metamorph. vbi de puella fugiente Apollinem in Laurum tráſformata. Quid ea de re ſentiant Mythologi, viderint alij.

IV. 1. *Laurus ob vim diuinãdi Apollini ſacra.*

LAVRVS plura denotat, vt ex his duobus Epigrammatis patet. In primis Apollini Deo vaticino ſacram eſſe, futurorumque habere præſenſionem quandam, vulgò creditum eſt; ſiquidem nil crepitantius vritur, ſicut ſupra diximus, & à Lucretio quoq; proditum nouimus: ſed eo prior etiamnum Theocritus canit. Hinc euentus rerum ex crepantis modo veteres aucupabantur, quod nec Porphyrium latuit: nam ſi crepuiſſet abundè ac ſonãtius, haud dubiè, portendi felicitatem rebantur. Quod ſignificat illo verſiculo nobilis elegiographus Tibullus lib. 2. eleg. 6.

Laurus ubi bona ſigna dedit, gaudete coloni.

E diuerſo ſi tacita deflagraſſet, inauſpicatiſſimum habebatur, quod etiam approbat Propertius lib 2.

Et tacet extincto laurus aduſta foco.

Vnde etiam in maleficijs amatorijs incendi conſueuit, tanquam amantium querimonias repræſentans. Virgilius in Bucol.

Daphnis me malus vrit, ego hanc in Daphnide laurum.

Scribit Heſiodicæ Theogoniæ interpres, laurum ἐνεργεῖν πρὸς τοὺς ἐνθουσιασμούς. id eſt, *efficacem eſſe auxilij in numinum afflatu.* Propterea in Caſſandra Sophocles, δαφνὴν φαγὼν ὀδόντι πρίετο στόμα. Eodem modo Lycophron, δαφνηφάγων φοίβαζεν ἐκ λαιμῶν ὄπα. Hinc aperitur Tibulli locus de Sibylla:

Vera cano, ſic vſq; ſacras innoxia laurus
Veſcar, & æternum ſit mihi virginitas.

Ex hoc & Iuuenalis dixit:

——. laurumq; momordit.

Certè δαφνηφάγους dici vates ſcimus. Et Euſtathius Apollinis corollam fuiſſe lauream ſcribit, quam ſecum tulerit Chryſes in Græcorum exercitum veniens. Lycophronis interpres in Alexandra, dici omnia putat fabuloſè, niſi quod vaticinantes futura præcinebant lauro coronati, vt quæ ſemper vireat. Vorare autem inde dicti, quoniã ferè diuinationum capturis alerentur. Quibus verò cogerentur numina vel recedere vel accedere, illis maximè verſibus commouemur, qui appoſiti à Porphyrio ita fermè Latinè ſonant: *Poetæ δαφνηφάγοι dicti.*

Soluite ſerta, pedes liquidis & ſpargite lymphis,
Eq; manu ramũ, lauros auferte virenteis.
Linea ſitq; omnis deleta, omniſque character.

Ariſtophanis interpres: Lauro, inquit, ſacerdotes coronabãtur, & diuinaculi εἰς γνώρισμα τῆς τέχνης, quia eſſet id artis indicium ac velut inſigne. Laurum etiam poetis dari ſupra aſſeruimus: Vbi id me obiter vniſ monet, quod Poetæ ſibi hederam tribuũt, arborem infrugiferam, ſoloq; virore perpetuò celebrem. De hoc tamẽ facilè tranſilio aliorum coniectanea: & non diſplicet cuiuſdam non illepidum ea de re carmen, quod excepit aliquando ex ore dicentis Minos: *Laurus poetis data.*

Quid Lauri ſine honore virent? Quia dia poeſis
Deſpicitur lautis principibuſq; viris.
Nempe poeta bonus non laurum poſcit, at aurum;
Nec modo ſi ſapiat, eſſe poeta velit.

Deinde laurus eſt ſymbolum ſalutis & incolumitatis, id quod ex Proclo diſcimus, qui ait, veteres laurum tutelæ conſecraſſe, & in ſacrificijs, & in locis vbicunq; vel ſata, vel affixa fuerit, incolumitatem præbere: nam hæc vna arborum fulmine non *Laurus ſalutis ſymbolũ.*

icitur. Credebatur item laurus efficax aduerſus venena; inde iactatum, vt qui ſe tutum à periculis & inſidijs approbare vellet, diceret: *δαφνίνην φορῶ βακτηρίαν.* id eſt: *Laureum geſto baculum.* vt apud Suidam legitur. Quin & Aeſculapij caput laurea redimitum non alia de cauſa dicũt, niſi quia ea arbor plurimorum ſit remediorum. Præſtant & hordeo condito incolumitatem lauri folia, ſi ſicca granis immiſceantur, aut supernè ſternantur, diuq; à vitio conſeruant, vt Demagerontis præcepto admonemur in ijs, quæ à Conſtantino ſelecta ſunt. Imò Romani, vt apud eundem Cæſarem, laurum boni Genij plãtam ſunt appellare ſoliti: perſuaſumque habuere, locum vbi laurus eſſet, neq; à ſacro vllo morbo, neq; à dæmone infeſtari. Et ſalutaris ominis gratia, folia ipſius à populo Calendis Ianuarij magiſtratibus nouis offerebantur, vnà cum caricis. Portata inter armatos hoſtes, erat indicium pacis & quietis, vt oliua. Hinc à Plinio dicitur pacifera. Statius:

Pacifera lauro crinem, vittisq; decorus.

Somnia quæ obſeruanda, quæ non.

Quod verò laurus capiti ſuppoſita dicatur ſomnia vera facere, ſuperſtitioſa vanitate non caret. Nam cum olim hac ſuperſtitione excæcati ſomnia obſeruare, ijsque fidere atq; adſenſum præbere ſoliti fuerint homines, Deus ter Max. qui neminem torqueri voluit anxijs ac fallacibus rebus, quæ animæ tranquillitatem perturbant, vetuit, ne quis in his obſeruandis eſſet curioſus, ac temerarias interpretationes cõfingeret, vt nobis ſacræ loquuntur literæ. Cæterùm ſomnia illa obſeruare licitum eſt, quæ in naturalium rerum ratione conſiſtunt, ſic tamen, vt non fixè ac ſtabiliter illis inſiſtamus, cum plerumq; coniecturæ optatum euentum non conſequantur. Imaginationes ſiquidem, & quæ per quietem ſimulacra mẽti obijciuntur, ex ſpirituum vaporumq; concurſu atque agitatione excitantur, qui ſi craſſi ſint denſique ac copioſi, aut nulla ſomnia animo obuerſantur, aut confuſè & obſcurè ea mens diſcernit ac diiudicat. Quod in temulentis fit, aut quos arctus ſomnus ex laſſitudine opprimit. Secus fit in iis, qui moderato victu quieti ſe tradiderunt, ea parte animi in qua ratio & conſilium conſiſtit, alacri & erecta, corpore verò nec inopia defecto, nec ſatietate affluente oppreſſo: hi enim, cuicumq; operi interdiu intenti ſunt & occupati, reſoluto in ſomnum corpore, retractant, ſecumq; verſant atq; agitant. Quod cuiq; pro vitæ ſuæ ſtatu euenire, venuſto carmine commõſtrat Claudianus, dum ait:

Claudiani carmi, lib. 3. præfation.

Omnia quæ ſenſu voluuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Venator defeſſa thoro dũ membra reponit,
Mens tamen ad ſiluas, & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites; auriga ſomnia currus,
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.
Gaudet amans furto; permutat nauita merces;
Et vigil elapſas quærit auarus opes.
Blandaq; largitur fruſtra ſitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte ſopor.
Me quoq; Muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Artibus innumeris ſollicitare ſolet.

Et ſanè vix aliæ animo obuerſantur cogitationes aut ſimulacra, vbi corpus optimè conſtitutum eſt, quàm diurnæ actiones ac quotidiana munia. Quod ſi aliquando ſomnus nec perpetuus fuerit, nec placidus, ſed inæqualis & interruptus, quem inſomnia à memoratis diuerſa comitantur, ac minus conſuetæ viſiones occurrũt: vel craſſis, vt ait Plutarchus, humoribus abundare corpus, vel ſpiritus intus turbatos eſſe declarat. Sic temulenti & febricitantes abſurdis inſomniis inquietari ſolent, adeo vt plerique horrenda ſpectra ſe videre imaginentur, lemures, ſtriges, harpyias, & quod melancholicis peculiare, cadauerosas facies, vultusq; tetricos & triſtes. Quibus verò bilis flaua redundat, faces, cædes, incendia, pugnas, rixas, iurgia mente concipiunt. Vt ſanguinei tripudia, cantilenas, iocos, riſus, ac quæque laſciua: pituitoſi largam aquæ copiam. Quare Medici non prorſus operam ludunt, ſi ſubinde ab ægrotis ſciſcitentur, qua ratione ijs nox tranſacta ſit, quibus inſomniis mens fuerit exagitata: illa ſiquidem morbos affectusq; corporis indicant, atque humorum redundantiam commonſtrant, certius quàm lauri ramus ſub puluinari.

Somnia varia pro humorũ redũdantia.

Eſt deniq; laurus victoriæ & triumphi ſignum, quod ſecundum indicat epigrammas: vnde Plinius lib. 15. Laurus Romanis præcipuæ lætitiæ victoriarumq; nuncia, additur literis, & militum lanceis, pilisq; 2.

Laurus ſignum victoriæ & triumphi.

Nam

Nam notum eſt, Imperatores Romanos ſolitos eſſe, re bene geſta, literas lauro reuinctas mittere, victoriarumq; & lætitiæ nuncios, quæ Laureatæ dicebantur, quòd in Epiſtolis ad Atticum & alibi habetur. Hinc Ouidius:

Non ego victrices lauro redimire tabellas,
Nec Veneris media ponere in æde morer.

Triumphantes lauro coronati. Conſtat & illud, Imperatores triumphantes capite coronam ex lauro Delphica ſiue ſterili initio geſtaſſe, poſtea cum Liuię Druſillæ ſub Auguſti nuptias in Veientano ſuo ſedenti, aquila ex alto gallinam conſpicui cādoris, ramum lauri baccis onuſtum roſtro tenentem in gremium demiſiſſet illæſam, & conſeruari auem & ſobolem aruſpices iuſſiſſent, ramumq; eum ſeri & ritè cuſtodiri: inde tanta pullorum ſoboles genita eſt, vt Tranquillus ad ſua vſq; tempora villam eam *Ad Gallinas*, vocitatam atteſtetur. Ex ramo verò tam feliciter ſilua prouenit, vt ex ea triumphans poſtea Cæſar laurum in manu teneret, & coronam in capite gereret: atque inde Imperatores cuncti mox ominis cauſa laureas decerperent, traditusque mos eſt, ramos quos tenuiſſent confeſtim eodem loco ſerendi. Auctor eſt Plinius libro citato, cap. 30. Suetonius in Galba, Dio lib. 48. alii. Adeo verò laurus triumphātium propria fuiſſe videtur, vt obſeruatum ſit, in huiuſmodi laureto ſub cuiuſq; obitum arborem ab ipſo inſitam elanguiſſe. Ex quo etiam prodigij cauſam intelligas, quod Iulij Cæſaris cædem præmonſtrauit, cum pridie Idus Martias auis regaliolus cum laureo ramulo Pompeianæ curiæ ſeſe inferens, à varij generis volucribus ex proximo nemore perſequentibus ibidem diſcerpta eſt. *Prodigiū ante mortem Cæſaris.* Nouiſſimo verò Neronis anno, in quo Cæſarum progenies defecit, ſilua illa Veientana radicitus exaruit, & quidquid ibi gallinarum erat, interijt. *Laurus cur in triūphis adhibita.* Adhibebatur autem laurus in triumphis non quia perpetuò vireret, nec quia pacifera eſſet (præferenda enim ei vtriq; olea) ſed quia ſpectatiſſima ſit monte Parnaſſo, ideo etiā grata Apollini eſſe crederetur, aſſuetis eo dona mittere iam & regibus Romanis, teſte L. Bruto. Fortaſſe etiam in argumentum, quoniam ibi libertatem publicam is meruiſſet, lauriferam tellurem illam oſculatus ex reſponſo: & quia manu ſatarum receptarumq; in domo, ſola non tangitur fulmine. Ob has cauſas Plinius credit honorem ei habitum in triumphis potiùs, quam quia ſuffimentum ſit cędis hoſtium & purgatio, vt Maſſurius & Feſtus tradiderunt. Addo ego quoq; aliam cauſam ex dictis elicitam, nēpe ob victoriam à triumphantibus reportatam: nam laurum aliquando victoriam præmonſtraſſe fidem facit ea, quæ in domo Alexandri Seueri iā infantuli nata iuxta Perſicum arborem, intra vnum annum ipſam Perſicum incremento mirabili ſuperauit: vnde aruſpices futurum prędixerunt, vt puer is olim Perſas euinceret; quod euentu poſtea comprobatum eſt: Sub eo enim primò Perſæ ſerui apud Romanos fuere. *Laurus victoriæ præſagiū.* Quare apud Virgilium ex ea deſumptum doctrina legas de victore:

——viridiq; aduelat tempora lauro.

Sed pleraque, quæ de lauro diximus, breuiter complectitur Ouidius lib. 1. Metamorph. in transformatione Daphnes: *Ouidius de Lauro.*

Cui Deus, At quoniam coniux mea non potes eſſe,
Arbor eris certè, dixit, mea: ſemper habebūt
Te coma, te cithara, te noſtra laure pharetra;
Tu ducibus lætis aderis, cum læta triūphū
Vox canet; & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis eadem, fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediāq; tuebere quercū.
Vtq; meum intonſi caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoq; perpetuos ſemper gere frondis honores.

Nunc ad Populum noſter declinet ſermo, coronidem inde operi impoſiturus.

Populus alba.

EMBLEMA CCXII.



HERCVLEOS crines bicolor quòd Populus ornet,
Temporis alternat noxq́ dieśq́ vices.

COMMENTARII.

I. *Populi alba conſideratio.*

POPVLVS alba arbor eſt auctu perquam facilis, citò in altitudinem aſſurgit, ſuperius ramoſa, caudicis cortex læuis eſt, ramulorum verò etiam albicãs. Folia ſunt lata, profundius inciſa ac anguloſa, vitigineis ferè ſimilia, ſed multò minora; ſuperiore parte læuia, glabra, & virentia, auerſa verò albida ac lanuginoſa: iuli oblongi, papposi, initio purpuraſcentes: radices in diuerſa tendunt, ſummo terræ ceſpiti ſubſunt, nec altiùs demittuntur, atque idcirco validiore vento has arbores ſubuerti non rarò accidit. Apponitur huc figura Solis & Lunæ, quibus Aegyptii temporis perpetuitatem ſignificabant, teſte Oro.

II. *Populus alba Herculi ſacra.*

POPVLVM albam Herculi ſacram Plinius tradit c. 1. lib. 12. & lib. 16. cap. 23. Hæc quòd ſit folio ſemper tremulo, ſupernè candicanti, & inferiori parte viridi, temporis motum continuum in diem clarum, & obſcuram noctem diſtributum repræſentat. Sic autem Plinius: Populus alia alba, alia nigra, alia quæ Libyca appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungiſque enaſcentibus laudatiſſima. Alba folio bicolor, ſupernè candicans, inferiori parte viridi. Hanc albam populum Herculi indigeni ſacram, idem Plinius ſcribit, & Virgil. Ecloga 7.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Iaccho.

Adhæc Lilius Gyraldus Syntagm. 17. hiſt.

Deorum

Deorum, hos Virgiliana auctoritate repre hendit, qui tradunt eos ſola lauro coronari ſolitos, qui ad aram maximam Herculi ſacra facerent. Sic enim Virgil. in 8.

——Herculea bicolor cùm populus vmbra
Velauitq; comas, folijsq; innexa pependit.

Et paulò poſt:

Populeis adſunt euincti tempora ramis.

Populus arbor, temporis ſymbolũ. Hoc quidem vidit diligentiſſimè Pierius lib. 52. Hieroglyph. qui populo arbore tempus ſignificari ait, quòd ſit bicoloribus folijs, quippè quæ diem ac noctem referre videantur. Quin etiã hęc habet populus commune cum tempore, quod eius folia poſt ſolſtitium circumaguntur, nec vllo argumento certiùs intelligitur ſidus confectum. Sunt quidem pleræque arbores, quæ duorum colorum folia habeant, vt ſunt oleæ, ſalices, citri: in illis tamen color penè idem, licet ab vna parte dilutior, altera denſior atque coloratior habeatur. In populo verò, alba præſertim, candor vna ex parte penè niueus ac ceruſſatus, ex altera porracei folii inſtar viridiſſimus. Eius arboris coronam geſtaſſe Herculem narrant, cùm ad inferos deſcendit, eamque *Folia populi cur bicoloria.* partem, quæ foris eſſet conſpicua, fuligine tetri chaus obſcuratam, quæ condebatur interius, ſudore ablutam candidiorem euaſiſſe: inde cum ſurculos eos in Acherontis ripa ſeuiſſet, feminium id latè propagatũ. Secus habet Pauſanias; qui aſſerit ab Hercule populum albam ex Theſprotide regione iuxta Acherontem fluuium genitam ad Græcos fuiſſe tranſlatam, atq; hinc fabulæ locum datum. Acheron enim Theſprotidis fluuius Leucen, quæ alba eſt populus, paſſim fert, perinde ac Alpheus oleaſtrum, Aſopus Bœotiæ iuncos, Mæander myricas, Perſicam Nilus. Sed omnes haſce opiniones ſigillatim recenſere vt non eſt animus, ſic non video quã ſit neceſſe.

III. *Hercules, pro tempore.* *HERCVLEOS crines*] Populus cùm tẽporis ſit ſymbolum, vt diximus, meritò Hercules populum geſtat coronam, nam & Hercules ipſe tempus eſt. Etenim Macrobius 1. Saturn. cap. 20. Herculem tempus eſſe ex profeſſo tradit, & Oſiridis imaginem tricipitem deſcribit, quem & Herculem, & Solem nominat.

Bicolor] Græcè δίχροος ἄγειρος.

Populus] populus ſic appellata videtur à frondium multitudine. A nonnullis Far- *Farfarus.* farus nominatur, vt à Plauto in Pœnulo.

——Viſcum legioni dedi,
Fũdamq; eos proſternebam vt folia farfari.

Apuleius: Folia ſunt farfari & nugæ meræ. Quod Lipſius prouerbii vice vſurpatum annotat Epiſt. quæſt. lib. 2. De populo, eiusq; differentiis vide Theophraſt. lib. 3. hiſtor. plant. c. 1. & lib. 5. de cauſ. cap. 8. Dioſcorid. l. 1. c. 114.

Temporis alternat &c.] Apud Horatium 1. Carm. Teucer, cum Salamina patremq; fugeret,

Tempora populea fertur vinxiſſe corona.

vices temporum ac fortunæ deſignans. Quod idem Horatius ad Canidiam Epodo 17. citra figuram arguit his verbis:

Vrget diem nox, & dies noctem.

Populeam coronam etiam ad ſignum fortitudinis traxit Ouidius epiſtola Deianiræ Herculi: *Corona populea ſignũ fortitudinis.*

Auſus es hirſutos mitra redimire capillos?
Aptior Herculea populus alba coma.

IV. Albae populi frondibus Herculem coronari, ad ſignificandum temporis continuum curſum, perpetuumq; motum, iam diximus. Ne verò aliquid antiqui ſinamus intactum, Athenagoras, Athenienſis Philoſophus, Apologia pro Chriſtianis, eo loci vbi deorum gentilium monſtroſitatem arguit, exempla quædam confert, ſed primum Herculis, gigantum alterum, & tertium Proſerpinæ. Herculem Deum inuolutum dracone ex Orpheo dicit: eundem cum Orpheo κοσμογονίαν referens, ita deſcribit, vt alterum caput habere à natura leonis dicat, & inter alia duo, quorum vnum eſt draconis, alterum leonis, medium caput Dei ſit, hunc Herculem tempus fuiſſe nominatum, & onus prægrande ait poſuiſſe: quæ phyſicis rationibus vtrinque conſtant, vt ſolent reliquæ Græcorum fabulæ. *Hercules triceps quid.* Probus Grammaticus commentariis in Virgilium teſtatur, phyſicos Herculem tempus interpretari, ideoque illi populum arborem ἀλληγορικῶς aſſignari, quòd bicolor ſit: quæ hac ratione partes temporis indicet, diei ſcilicet ac noctis. Et ſerpentem ſeu draconem conuolutum temporis habere ſymbolũ, in ſemetipſum reuoluti, notius eſt quàm vt teſtimoniis egeat. Tria igitur Herculis capita, tria ſunt interualla temporis, præteritum, præſens, futurum. At pręteritum quidem rectè per leonis caput exprimi, cùm eius poſſeſſionem ſcriptis ac memo-

ria firmiſſimam homines teneāt: futurum per draconis caput. Vt enim futura proſpicimus, ita nullum animal eſt, quod acutius videat: nam & draco à videndo dicitur, nempè δέρκεσθαι, vt alibi dictum. Præſens porrò tempus per Dei caput exprimitur, quia Deus, qui tempori ſubiectus non eſt, neq; præteritum, neque futurum ſentit, ſed in præſenti ſemper eſt. Quod autem hic Hercules prægrande onus poſuerit, vnde cœlum & terra originem duxerit, hoc ſignificat, hunc mundū, & quæ in eo ſunt omnia tempori eſſe ſubiecta: initium ſcilicet cepiſſe, & proinde habitura finem: Deum verò eius conditorem ſolum eſſe immortalem. Eſt ergo publicus morbus mortalitas, nihilominus videas multos (vt ſalutari aliquo monito, quale paſſim iniecì, concludam) qui ſibi immortalitatem audeant ſpondere in hac vita, id quod eorum vita perdita & ſoluti mores abundè docent. Hi in media fuga ſtare volunt, & ruendo quieſcere: interim feruntur impetu, nec ſentiunt motum, ſicut qui noctu nauigant, in ipſo curſu iacent, ſtertunt ac dormiunt, rapiente fluctu & remo: ſimilis à tempore prouectio, labitur atq; aufert ſecum quidquid ſub Luna, perenni fuga, nec in mora vel momentum. Mirari ſæpius ſoleo hominum iſtorum inſaniam, qui ex argilla cum ſint & luto caducum plaſma, fortunæ ſe ictus ac mortis ſuſtinere poſſe illæſo vaſculo, ſtolidam neſcio quam perſuaſionem iam dudum imbiberunt. Coeant in ingentem globum militum aliquot cohortes, clauſæ hoſtilibus alis, tormentorum omnis generis horribili nube circumtonante, quis ſecuritatem ibi ſperet? Nos in acie ſtamus omnes aperto campo, circumſepti vallo mortis, nec ad egreſſum patente porta: hęc lento paſſu circuit & lunat arcum, aut fundam rotat, communi meta & periculo; ſcutum ſuum aut lorica neminem defendit (audite ſcutati & loricati thraſones) pellis eſt & caro, exiguæ firmitudinis ad reſiſtendum, hoſti præſertim ſic exercitato & aſſueto victoriæ. Quinimò noſtris armis vincimur, quæ ſanè miſeranda calamitas: partes enim quæ componunt, deſtruunt deniq; & ſoluunt iterum, iuuante natura aut conniuente, quam acerbius idcirco nonnulli velut periurij ream maledictis impetunt, clamant ſe deſertos ab ea ac proditos, vbi maximè tutela opus ac pręſidio. Falsò; ceſſit iuri ſuo, nec poteſt aliter, mancipium peccati, ſpoliata dominatu ac priuilegijs maximis; ex pacto nunc vicaria & ſubdelegata poteſtate fungitur certis conditionibus, vt ſcilicet ſub imperio ſubmittat faſces ſuas, cum iuſſa, & quoties, reddito depoſito per manus mortis, quæ iuſtè repetit ex mandato & lege, quam generalis ille creditor Deus dictat. In tabulis iſtis fati ſingulorum nomina, ſubſcripſimus publicæ cautioni, quæ vniuerſos ligat, & in vniuerſo quidquid naſcitur. Annum & minutiſſimas eius ſectiones conſideremus, infantiam ſuam habent ac ſenium, cum medijs interuallis: principia vernant in ſucco & vigore, extrema languent & moriuntur. Ita hominis conditio eſt, à flore in fœnum; neceſſe enim, vt ſpicam quæ maturuit, vitam meti. Frigidæ brumæ iniurias ſæpe hyeme ſentimus, præſertim nos, qui cœlo aſperiori ſubiacemus Germani, lugubri aliquando ſpectaculo, quod & poſteros tangit damni communione: fit interitus in ſiluanorum & hortēſium ampla illa & numeroſa proſapia, clade vix reparanda niſi multorum annorum interuentu, natura ipſa ſtupente, quæ decurſa menſium hibernorum periodo, protrudentis gemmis humorem, vti ſolet, inſtillatura, canales reperit clauſos in arido ligno, & medullam, vehiculum animæ, deferendo alimento nuſquam ſatis diſpoſitam. Ergo non poteſt tegere cortex, quāuis rigidus & aſper, contra vim, ſtirpem incluſam: & nos fluida hac cuticula, qua operimur, putre figmentum, fatorum incurſus & arma vitabimus? Inuerſam arborem ſtantem videri hominem placet Phyſicis, quod enim radix ibi, truncus & frondes, hic caput eſt & corpus reliquum cum brachijs & pedibus. Typus igitur noſtrę conditionis ſit arbor & ſpeculum, in quo fragilis ſtructuræ momentaneam hanc & fugacem molem contemplemur, quæ fortunæ flatibus aduerſis, vt Auſtris illa & Aquilonibus, perpetuò obnoxia: commune vtriſq; naſci, adoleſcere, ſeneſcere, perire, imò præmori pluries & præuertere ſenium, præciſo termino, ſicut tenellus frutex ſæpius afflatu turbinis in lacte decutitur. Per gradus lentè creſcimus, ſcalam hanc vitæ aſcendendo, ſed præcipitium & caſus in puncto, deturbamur in reditu,

Publicus morbus mortalitas.

Vita humana arboribus comparata.

non

non deſcendimus: quis enim in lubrico hoc ſtabilem pedem figat? Quaſi per glaciem greſſus noſtri, aut cruore natantem ſemitam, vacillant & labuntur, in gyrum rapiente vertigine, qua mortalitas infeſtat nos omnes, morbus incurabilis. *Finis ab origine pendet.* In finem principium omnē tendit, & quidquid incepit, aliquando deſinet: à primis ad vltima proſpectus, atq; hæc ad illa ſe vertunt relatione quadam, anguſto ſanè orbe, quē tempus deſcribit, intermedio. Qui ſemel in curſu eſt, ad ſtationem properat, & in ipſo veſtibulo ſcopum in oculis fert. Nemo intraret, ſi deſperaret exitum: ſpes quietis, propoſita meta, laborem mitigat. Finis miſeriarum mors eſt, non ſolùm vitæ; naſcimur vt moriamur: fixus rebus omnibus ſuus terminus; conſiſtendum ſemel in meta vel portu, quia in fluctuatione & motu vita noſtra, donec appellat, & in eo tandem fine deſinat, quò infantia nos fert à primo die, & iuuenta, & ſequens omnis ætas, quam incidit deniq; aut abrumpit fatum. Nihil quo fuit loco ſtabit: ruūt alia, alia ſurgunt. *Omnium rerum viciſſitudo.* Solis lucentes radios furuæ noctis diſpellunt tenebræ. Nec cum hominibus ſolùm, ſed locis, ſed regionibus, ſed Mundi partibus in hoc interregno tumultuario ludit brachium mortis, & fortunæ proteruia. At tu, mi homo, cogita à manu diuina eſſe quidquid obtingit, nec caſu ferri, ſed electione & conſilio à prima cauſa, cui creata hæc vniuerſa ſubiacent. Sola cura ſit & ſtudium, vt parati tangamur, & in ſtatione quisque ſua. O fiat, fiat.

EPILOGVS Ioannis Thuilij Mariæmontani.

AVdi Veritas, & tu Sancta Romana Fides: Catholicus ſum, & Catholico ſenſu, quidquid hic vel vnquam dixi, ſcripſi, & publicaui; dictum, ſcriptum, & publicatum volo. Et te, Benigne Lector, ſi vel apex offenderit, aut candidè interpretare ad affectum hunc candidum & mentem: aut expunge & oblitera, Veritatis amans, & orthodoxæ Fidei. De reliquo officium tuū eſſe memineris, ſicubi lapſa eſt adoleſcentia noſtra, humano errori hominē te præbere. Equidē, vt ab initio monuimus,

Scripſimus hæc ſubito nimis indigeſta labore,
Confuſumque Chaos, glomeratamque agmine turbam.

Nec ſcripta ſemel calamo torquere, & de verbis, imò rebus ſingulis in iudicium ire aut voluimus, aut ob otij penuriam, & Typographorum importunitatem potuimus. Quapropter ea, quæ ad huius operis cōſummationem prætermiſſa viſa ſunt, venia digneris: quæ placuerunt, multa proſequaris gratia, rogo. Hæc poſt rem non abs re monendus mihi fuiſti, mi Lector, ob Aculeonum, & in alienis rebus hoc æuo Curionum vbertatem, qui inſcitię ſuæ hoſtorio quiduis radere audent. Ad horum auerſionem auertentia ſacra mecum facias

INVIDIAE ET PALLORI.

COROLLARIA ET MONITA

Federici Morelli Profeſſoris Regij,

Ad Andreæ Alciati Emblemata.

DVM hoc Emblematum Opus ſub prælo ferueret, & iamiam coronidem expectaret, peruenit ad manus noſtras Editio nouiſsima Pariſienſis (ſatis quidem ſcabra & literis fugientibus) cum COROLLARIIS ET MONITIS *Federici Morelli; quæ, ne quid deſiderari poſsit, huc ad calcem reliquorum Commentariorum adijcere operæ precium iudicauimus. Afferimus itaque ipſiſsima Morelli verba: typi defectus & ſphalmata paſſim iuuamus, quà licet, aut ſaltem obiter monemus: nonnunquã Latinam interpretationem Græcis ſubiungimus: & ne de plagio rei agamur, ſingula ex noſtro penu, ſignis hiſce [ ] includimus. Denique vt hæc commodè cum noſtris Commentarijs coniungi poſſint, in margine numeros ſolitos apponimus, qui indicent, ſub qua noſtrarum Claſsium iſthæc militare debeant. Hiſce Lector fruere, & Vale.*

AD PRAEFATIONEM.

III. *Ludus nucum.* *Dum pueros iuglans*] καρυεντίζοντες. Et Philo ſcribit in κοσμοποιίᾳ. M. Ludũ καρυεντισμõ ſcitè deſcripſit; [Quis? non enim mihi ſatisfacit illud M.] quomodo Ouidius in Nuce:

Quattuor è nucibus non amplius alea tota eſt,
Cùm ſibi ſuppoſitus additur vna tribus.

Teſſera fallit] Huc referre poſſim Prouerb. ὅρκοις ἄνδρας, ἀστραγάλοις δὲ παῖδας ἐξαπατητέον. *Viros iureiurando, pueros verò talis ſeu teſſeris fallendos.*

IV. pag. 7. b. Locus ex Xenophontis conuiuio adductus, ſic Græcè ſonat] Ξενοφῶν φησὶ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἔχειν τὶ καὶ τὰς ἐν οἴνῳ καὶ παιδιᾷ φωνὰς, καὶ διατριβὰς ἀξιομνημόνευτον, ὀρθῶς λέγων.

AD EMBLEMA II.

Teclæ] Cuius vitam luculenter & perelegãter Græcè ſcripſit Baſilius Seleuciæ Epiſcopus. III.

AD EMBLEMA III.

Eodem ſpectat iſtud auguſtum Auguſtini monitum, in Pſalm. 101. *Iam bene viue. Cras* (inquit) *bene viuam. Indulgentiam tibi Deus promiſit: craſtinum diem tibi nemo promiſit. Si malè vixiſti, bene viue iam hodie.* IV.

AD EMBLEMA IV.

Conſilium, mens atq; Dei &c.] Quid ſi clauſulæ Epigrammatis Hexameter ſic animi cauſa reponeretur: III. *Emendatio carminis Alciatini.*

Cuius forma, animique decus det gaudia diuus.

numquid ſtomachum moueret Homero? Imò concineret pulcrius Homericis verſibus

ſibus, Iliad. 20. expreſſis, quibus ſola formæ præſtantia Ganymedem ad ęthera Iouemq; euehendi cauſa perhibetur:

τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διῒ οἰνοχοεύειν,
Κάλλεος εἵνεκα οἷο.

Id agnoſcit Philo Iudæus in l. Fragment. τῦ περὶ προνοίας, *de prouidentia*. Quod in Græca editione Germ. & in Latina verſione noſtra nuper Lutetiæ edita ſubiectũ libro ſingulari eiuſdem Philonis de ſeptenario numero, & feſtis Iud. diebus his verbis: *Non vſq; adeo vnquam à veritate aberrandum, vt felicem quempiam ſceleratorum eſſe putes, tametſi Crœſum opibus ſuperet, & Lyncea oculorum perſpicuitate, itemq; viribus Milonem Crotoniatam anteeat, licet deniq; formoſior ſit Ganymede,* — *Sceleratus ſemper infelix.*

Quẽ ſuperi rapuere, Ioui quo pocula ferret,
Ob formæ decus egregium.

AD EMBLEMA X.

IV. Etiam laudatus Ge. Pyſides in eodem carm. Coſmurgiæ, verſu 657. — *Lyra vitæ humanæ ſymbolũ. pag. 64. a.*

εἴτις καθ᾽ ἡμᾶς σαρκικὴν λάβοι λύραν.
Si ſumat aliquis carneam hanc noſtram lyram. &c.

AD EMBLEMA XI. in fine.

IV. Et Libanius in Declamat. Moroſi, qui Loquutuleiam duxerat. [De Harpocrate ibi agit, & ſilentio] Et Gregor. Naziãz. in Carm. εἰς σιωπὴν.

AD EMBLEMA XII.

IV. Ex Aurelio Victore, in Caligula: Tres ſorores ſuas ſtupro maculauit. Incedebat habitu Deorum ſuorum: Iouem ob inceſtum; in choro Bacchanali Liberum ſe aſſerebat: de quo neſcio an queri liceat, niſi fortè quia iuuat de principibus noſſe omnia, vt improbi ſaltem famæ metu talia declinent. Huc ſpectat Ouidianum illud:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi eſt?
Inſcius Actæon vidit ſine veſte Dianam;
Præda ſuis canibus non minus ille fuit.

AD EMBLEMA XV.

III. *Eſt leo ſed cuſtos*] Autor Græc. Sphæræ vet. leonem à λεύειν, quod eſt *lanigare* dici mauult. — *Leo vnde dictus.*

AD EMBLEMA XVI.

IV. *Venter pinguis non gignit ſenſum tenuem.*] παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν ὐ τίκτει νόον.

pag. 98. b. verſ. 3. Et in Libanij Sophiſtæ orat. 1. de ſeditione ad Theodoſ. & 2. Euchariſtica ad eundem Imp. quæ editæ ſunt vtraq; lingua à Feder. Morello Profeſſ. Reg. in Tomo 2. Oper. Liban. [De lege Theodoſij ſermo eſt]

AD EMBLEMA XVIII.

Hoc verò prouerbium [πρόσω καὶ ὀπίσω. *A fronte & à tergo*] ab Homero ſumptum eſt, apud quem Menelaus, Iliad. 3. Troianos alloquens ait: II.

Οἷς ὁ γέρων μετέῃσιν, ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω λεύσσει.
Proſpicit ante pedes vetulus, videt atque futura.

AD EMBLEMA XX.

Volitant ſpicula miſſa manu] Apud Homerum ἔνσει πτερὸν ὐ ἐνόμμα. III.

Eruditè Fabius Quintilianus lib. 12. cap. 6. Agendi initium ſine dubio ſecundum vires cuiuſq; ſumendum eſt: neque annos definiam, cùm Demoſthenem puerum admodum actiones pugillares habuiſſe manifeſtum eſt. Modus mihi videtur quidam tenendus, vt neq; præproperè diſtinguatur immatura frons, & quidquid eſt illud acerbum proferatur Nam & inde contemptus operis innaſcitur, & fundamenta iaciuntur impudentiæ, & quod eſt vbiq; pernicioſum, præuenit vires fiducia. Nec rurſus differendum eſt tyrocinium in ſenectutem: nam quotidie metus creſcit, maiuſq; fit ſemper quod auſuri ſimus; & dum deliberamus quando incipiendum ſit, incipere iam ſerum eſt. Quare fructum ſtudiorum viridem & adhuc dulcem promi, dum & venia, & ſpes eſt, & paratus fauor, & audere non dedecet, & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas: & ſi qua dicta ſunt iuueniliter, pro indole accipiuntur. Hæc Fabius, longo vſu doctus, de conatu ſtudioſorum. Attexo huc conſilium in rebus arduis non ita maturandum, ſed occupandum, ex Capitolino in Maximo & Balbino: Oratione Conſulis, ait, qui primus ſententiam rogatus, poſt mortẽ Gordiani, vbi maximus timor omnium animos occupaſſet, vt qui Maximini ſcelera, & truculentiam horrerent: Scio, P. C. hãc rebus nouis ineſſe oportere conſtantiam, vt rapienda ſint conſilia, non quærenda: verbis quin etiam plurimis abſtinendum atq; ſententijs, vbi res perurgent. — IV. *Modus vbique tenendus.* *Maturandum.*

AD EMBLEMA XXV.

Rapientem Gnoſſida] Vide Catullum in nuptijs Thetidis & Pelei. & Nonn. Διονυσιακῶν III.

νυστακῶν l. 47.

IV. Baſilius Magnus Inuectiua, κατὰ μεθυόντων. pag. 487. Tom. 1. edit. Morell. [Hæc iungenda ſunt in fine Emblematis]

AD EMBLEMA XXVIII.

III. *Iuſtior Neptunus*] Solon ſapiens in Epigram.

Ἐξ ἀνέμων γε θάλασσα ταράσσεται· ἢν δέ τις αὐτὴν
Μὴ κινῇ πάντων ἐστὶ δικαιοτάτη.

Oceanus ſæuit turbantibus æquora ventis:
At placido ventu æquius æquore nil.

IV. Ἐν παντὶ δεῖ &c. quos verſus ſic vertit Morellus]

Iuſtitia tandem obtinet.

Fas tempore eſt omni quod æquũ eſt vincere:
Vnus vir æquus longè iniquis plurimis
Præſtat, Deo Diceq; eum iuuantibus.

Adiſis Libanij Encomium Iuſtitiæ, pag. 91. editionis & verſionis noſtræ. In eo maximè inſignis eſt hæc ſententioſa pericope, quę totum Emblema, nedum eius clauſulam illuſtrare queat. τῶν ἡμιθέων ὅσοι τὸν αὐτῶν βίον δίκαιον παρέσχοντο, ζῶντες τέ μοι δοκοῦσι καὶ μεταστάντες εὐδαιμονέστερον διαιτᾶσθαι. *Ex Heroibus*, inquit, *ſeu ſemideis quicunq; vitam iuſtitiæ conſentaneam inſtituerunt, & dum viuunt, & cum ex hac vita ad aliam commigrauere, felicius degiſſe mihi videntur.* Videſis etiam notas noſtras ad illud ſcriptum Libanii.

AD EMBLEMA XXIX.

III. *Patriæ peſtis acerba ſuæ*] Tranquill. Nerone: Domitii patris vox inter gratulationes amicorum, negantis quidquam ex ſe de Agrippina niſi deteſtabile, & malo publico naſci potuiſſe. Ouidius:

O mihi perpetuum nata puella malum.

Seneca 1. de Clementia, cap. 18. Quanto non naſci melius fuit, quàm numerari inter publico malo natos.

AD EMBLEMA XXXII.

III. *Phinea raptans Harpyia*] Heſiodium eſt:

Δὼς ἀγαθὴ ἅρπαξ δὲ κακή, θανάτοιο δότειρα.

AD EMBLEMA XXXV.

III. pag. 196. a. verſ. 7. Subiungit hiſce verbis: Hęc vetus ſcriptor de Belgis, fortaſſe verè pro ſuo tempore:] ſed nunc noſtro æuo excuſandi, ni fallor, qui nimis imperioſos ac truculentos Hiſpanos ferre non potuerunt.

AD EMBLEMA XXXVI.

III. Palma] Libanii in Encomio Palmę & Pomi. Ὁ φοίνιξ προῆλθεν Ἀπόλλωνος, καὶ γεγενημένος τοῦ καλλίστου θεοῦ, καλλίστοις χώροις ἐπίσταται φύεσθαι· καὶ ὑψοῦ πρόεισι, καὶ γῆς ἀνέχει τὰ μάλιστα· καὶ παρ' αὐτὸν, ὡς εἰπεῖν ἰέναι σπεύδει τὸν οὐρανόν. τόν γε τοῦ βίου χρόνον παραπλήσιον ἔχει· οὐκ ἔστιν οὐδεὶς, ὃς θᾶττον οἶδεν ἀναιρούμενον φοίνικα. ἀλλ' οἶδε μόνον τῶν φυομένων μακροβιώτερον. μόνος δὲ κατ' εὐθὺ προϊὼν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διασώζει τὴν βλάστην. *Palmæ natura.* Hoc eſt, ex verſione noſtra: *Palma ab Apolline proceſſit, & à pulcherrimo Deo profecta, pulcherrimus quoq; in locis naſci conſueuit: eadem in altum ſe erigit, & humo ſe extollit quàm maximè: atq; ad ipſum, vt ita dicam, cœlum pergere contendit. Vigoris etiam ac vitæ tempus eiuſmodi habet: adeo vt nemo ſit, qui citò peremptam palmam nouerit. Duntaxat quiſque ſolam è ſtirpibus, quæ oriuntur è terra, longioris æui eſſe agnoſcit. Porrò cum ſola palma pergat rectà in capite, ſurculum conſeruat. &c.* Hæc à me primùm Græcè & Latinè edita clam te eſſe nolui, quæ ſi lubet conferes cum ijs, quæ de hac arbore ſcribuntur à Theophraſto lib. 1. hiſtor. plant. cap. 23. & à Philone Iudęo l. de Vita Moſis.

AD EMBLEMA XLIV.

Vt ſperes nil niſi quod liceat] Inde illud B. Pauli 2. ad Titum: φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν [*Saperè ſobriè*] Martialis: III.

Crede mihi ſapere eſt, non nimiũ & ſapere.

AD EMBLEMA XLV.

Kalendarum ἔκφρασιν, ſeu deſcriptionẽ elegantiſſimam habes Attico ſermone ſcriptam olim à Libanio Sophiſta Antioch. & pridem Latinam à nobis factam, pag. 178. editionis noſtræ bilinguis. In ea ſolemnitatem earum percelebrem, & munerum genera graphicè & feſtiuè expreſſa reperies. II.

AD EMBLEMA XLVII.

De Porphyrione Georgius Piſid. in Carm. κοσμουργίας, à verſ. 998. ad 1103. etiam δείγμα, vt μαγλάδας καὶ πόρνας θέαν odiſſe memorat fol. 37. & 38. edit. & verſionis noſtræ. Itemq; Euſtath. in 3. Odyſſ. luculenter. II.

Abdita in arcanis natura eſt cauſa] Dicitur in iis, quæ ἀναντιλόγητα Græci vocant; de quibus fusè agit B. Auguſtinus lib. 22. de Ciuit. Dei, cap 4. & 5. Iſtis, inquit, & ſimilibus Dei miris operibus infirma III.

ma

ma mortalium ratiocinatio vincitur.

AD EMBLEMA XLVIII.

III. *Aiax vnde dictus.* *Aiacis tumulum*] Aiax, Græcè αἴας dictus ἀπὸ τῦ αἰετῦ, *ab aquila* præpete alite, quæ apparuit poſtquam Hercules precatus Iouem eſſet, vt Telamonem hoſpitem ſuum orbum liberis augeret: Pindaro perhibente in Iſthm. Od. 6. Stroph. 2. & 3. [cuius etiam nos ſupra Emblem. 28. mentionem fecimus] Καί νιν ὄρνιχος φανέντος κέκλετ' ἐπώνυμον εὐρυβίαν Αἴαντα. Virgilianus etiam verſus in Eclog. 3.

Dic quibus in terris inſcripti nomina Regum
Naſcuntur flores.

innuit ὑπαινίττων. At, primas vocales Aiacis, Αἴαντος expreſſas arcana vi quadam naturæ fuiſſe in Oebalio flore, qui cruore Aiacis reſperſus è candido purpureus factus eſt. Ouidius 13. Metamorph.

Litera communis medijs pueroq; viroq;
Inſcripta eſt folijs, hæc nominis, illa querela.

AD EMBLEMA LI.

IV. *Rabulæ, & maledici.* Idem argumentũ fabulæ Ariſtophanis, cuius ἐπιγραφὴ eſt, Σφῆκες, hoc eſt, *Veſpæ*. quo nomine traducuntur rabulæ & cauſidici iurgia & conuitia iactantes, & maledictis certantes. Ad quos pertinet illud Homeri Iliad. 20.

ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

Si quis traducas, ita traduceris ab illis.

Illud item Pindari Olymp. 1. Epod. 2.

ἀκέρδεια λέλογχε θαμίνα κακαγόρως.

Hoc ita verti:

Noua ſemper maledicos damna manent.

AD EMBLEMA LII.

II. *Actæon pro ſuis canibus orat.* Nonnus Panopolit. lib. 5. Dionyſiacũ, Actæonem poſt obitum ita patrem, vt canibus ſuis parceret, inducit.

Ἀλλὰ πάτερ πημάτων πόριμος χάριν· ἀφραδίας δὲ
Πένθος ἔχων φιλότεκνον, ἐμὰς μὴ κτεῖνε φονῆας
Παιδοφόνως οἴκτειρον ἀμεμφέας. ἢ μετέρης γὰρ
Θηρείης ἀέκοντες ἀπεπλάγχθησαν ὀπωπῆς.

Quos ita Romanis modulis expreſſimus:

Extremum pater hunc quæſo impertire fauorem:
Ne luctum ob nati innocuas occide canes, quin

Parce meis potiùs caſoribus: error adegit
Inuitos, hac deceptos facieq; ferina.
Quis catulus cernovnquam pareat?

AD EMBLEMA LIV.

De Medeæ ſæuitia Libanius in Ethopœia 1. Quid dixerit Medea liberos ſuos occiſura, pag. 138. editionis noſtræ. II.

Colchidos] vide Apollonium in Argonaut. III.

AD EMBLEMA LV.

Ratio quem nulla gubernat] Gratius in Carm. Cynegetico hunc *inconſultum* vocat, cuius III.

——Vita fuit error in omni.

ſtatimq; ſubiungit:

Poſt alia propiore via, meliusq; profecti
Te ſociam Ratio rebus ſumpſere gerendis.

Homerus iuuenum indolem hoc verſu pulcrè expreſſit: IV. *Iuuenum indoles.*

ὁπλοτέρων ἀνδρῶν αἰεὶ φρένες ἠερέθονται.

Hoc ita reddidit Lucretius lib. 2.

——ætas improuida ludificatur.

Auſonius Eidyll. 15.

——iuuenum temeraria pubes.

AD EMBLEMA LVI.

Lapſus ab axe miſer] Horatius:

Terret ambuſtus Phaethon auaras
Spes. III.

AD EMBLEMA LXI.

Legeſis Epigrammata facetiſſima εἰς λέπτας, lib. 1. Antholog. Græcor. Epigrã. II.

AD EMBLEMA LXII.

III. *Νυκτερίς.* *Veſpere quæ tantùm volitat &c.*] Νυκτερὶς generale nomen eſt πετεινῶ νυκτερινῶ. Heſychio etiam νυκτίβιος exponitur, ὁ ἐν νυκτὶ ὡς ἡμέρᾳ διάγων. τοιαῦτα δὲ τὰ θηρία καὶ τὰ πλείω τῶν πτηνῶν. *Qui per noctem degit vt per diem, cuiuſmodi feræ ſunt & volucres pleraq;* Idem Νυκτίδας explicuit γένος τι τῶν τὰς λοιμικὰς νόσυς ἐνδεικνύντων. *Genus quoddam peſtilentes morbos inſequuntur.* Videſis an hi ſint Libitinarii, qui vernaculè *Corui* nuncupantur. Pſalm. 101. ὡς νυκτικόραξ ἐν οἰκοπέδῳ [*Sicut nycticorax in domicilio*] B. Auguſtinus in eius Pſalmi enarratione: Nycticorax, inquit, eſt auis amans noctem. Parietinæ dicuntur, quas vulgo dicimus ruinas, vbi parietes ſtant ſine tecto, ſine habitantibus; ibi habitat Nycticorax. *Nycticorax.*

AD EMBLEMA LXV.

Hinc fatuos &c.] Nonius: Sanniones dicuntur, qui ſunt in dictis fatui, & in moribus III

ribus, & in ſcenis, qui *μῶροι* dicti Græcis. Cicero 2. de Orat. Quid tam ridiculum, quam Sannio eſt? qui ore, vultu, imitandis moribus, voce deniq; ac corpore ridetur ipſo?

II. AD EMBLEMA LXVII.

Ethopœiam geminam de Niobe, quid dicere potuerit amiſſis liberis, habes apud Libanium, pag. 143. & 145. editionis & verſionis noſtræ.

III. AD EMBLEMA LXIX.

φιλαυτία] Hic *φίλαυτος*, quem tranſuerſum agit *Cæcus amor ſui*. Flacco permittente,

——ſine riuali ſeq; & ſua ſolus amabit.

Ariſtoteles 11. Moral. ad Nicomach. *ἐπιτιμῶσι τοῖς ἑαυτὲς μάλιςα ἀγαπῶσι· καὶ ὡς ἐν αἰσχρῷ φιλαυτὲς ἀποκαλὲσι.* Tandem exploſa *φιλαυτία* vitioſa, optimum illius vitæ genus eſſe probat, qua virtute præditus meliorem ſui partem amat, qua ſapit & intelligit, vt ſibi & aliis proſit. *τὸν ἀγαθὸν δεῖ φίλαυτον εἶναι, καὶ γὰρ αὐτὸς ὀνήσεται τὰ καλὰ πράττων, καὶ τὲς ἄλλες ὠφελήσει.*

III. AD EMBLEMA LXX.

Hirundo vigilax. *Progne mihi garrula ſomnos Rumpis*] Hirundinem peruigilem ſeu vigilacem vocat Auſonius in Phaleuciis Ephemeridis:

Iam ſtrepit nidis vigilax hirundo.

vt Heſiod. *λακέρυζα κορώνη* dicitur *cornix garrula.*

III. AD EMBLEMA LXXIV.

pag. 351. b. in fine. *ἢ ξανθὸν κατόπτρῳ πλόκαμον ἐξήσκεις κόμης.*]

Flauos coma nexus reuincis molliter.

Huic Laidis tumulo non inconcinnè inſererentur quæ apud Libanium dicit meretrix cum reſipuiſſet, in Ethopœia, *τίνας ἂν εἴποι λόγες πόρνη σωφρονήσασα*, pag 170. editionis & verſionis noſtræ; hoc exordio: *ἐῤῥέτω μοι γένος τῶν προαγωγῶν. Valeat mihi genus lenonum.* In medio legendum, *νόμον ἐν τῷ Λιβάνῳ θήσω. Legem in Libano conſtituam.* de Libano monte, in quo delubrum & ſignum fuit Veneris. In clauſula profitetur ſe euerſuram *τῶν ἑτέρων*, vel potiùs *ἑταιρῶν πικρὸν ἐργαςήριον. Meretricum acerbam officinam.*

Delubrũ Veneris in monte Libano.

II. AD EMBLEMA LXXV.

Conſtat hic alludi ad Platonicum hoc: *ἡδονὴ δέλεαρ κακῶν. Voluptas eſca malorum.* de quo ſupra.

AD EMBLEMA LXXVI.

Et rationem animi perdere, quisquis amat] Minimè malè, *εὐηθεῖ*, quamuis *ἐυγενεῖ*, ſibi non cauenti à meretricum illecebris, iamq; irretito appoſitè quis dixerit, quod apud Sophoclem in Electra de Oreſtis caſu memoratur: III.

——ἀνωλόλυξε τὸν νεανίαν

οἷα ἔργα δράσας, οἷα λαγχάνει κακά.

AD EMBLEMA LXXVII.

Gloſſar. vet. Philoxeni. Amoletum, pro Amuleto exponit *φυλακτήριον*, quaſi tutamen ſeu præſidium. Ibidem *ἀποτροπιασμὸς*, deteſtatio & expiatio, explicatur: quod huic Emblemati non eſt abſonum. *Ad epigraphen ἐπισφράγισμα.*

AD EMBLEMA LXXVIII.

Quam quadriradiam] Alciatus legit apud Pindarum Pyth. 4. Stroph. 9. *ποικίλαν ἴυγγα τετράκναμον.* & motacillam quadriradiam vertit, quod verticilla quatuor, quaſi *κνήμας* habeat, duas videlicet alas, [caput & caudam] & ſic radijs quatuor rotæ affigi commodè poſſit; vel quia digitos pedis quatuor habet, duos antrorſum, duos retrorſum, ex Ariſtotele loco laudato, & lib. 4. de part. animal. cap. 12. Germana tamen lectio ſcholiaſtæ Græco, & pleriſq; eruditis videtur: *τετρακνάμον'* Ουλ. in dandi caſu, pro *ἐν τετρακνάμονι ἀλύτῳ ζεύξασα κύκλῳ. Torquillam in quatuor radios habente indiſſolubili alligatam rota.* Syneſius Cyren. in lib. *περὶ ἐνυπνίων*. III. *Locus Pindari de Iynge.*

AD EMBLEMA LXXIX.

Gregorij Nazianzeni carmen Satyricum, *κατὰ τῶν καλλωπιζομένων*, quod Latinis elegis operoſis pridem expreſſimus & edidimus, ad huius Emblematis *ὑπόθεσιν* & *δήλωσιν* ſpectat; nempe aduerſus fucantes ſe mulierculas, & nimio mundo immundas. IV.

AD EMBLEMA LXXX.

Fontem Emblematis *ἀμφιβόλως καὶ εἰπὼς* detegens perſpic. & Commentator, optimè coniecit ex Artemidori *ὀνειροκριτικῶν* lib. 5. cap. 24. fuiſſe tractum, ſed Heliodorum pro Artemidoro, *κατὰ μνεμονικὸν ἁμάρτημα* ſcripſerat. Vide editionis noſtræ *δηγλώττε* pag. 26. Adiſis etiam Acmetis F. Seirim *ὀνειροκρ.* cap. 104. pag. 71. & 72. eiuſdem editionis. II. *De fonte Emblematis.*

Turpe quidem dictu] Primi verſus hemiſtichium huic Homerico par eſt: III.

Αἰσχρὸν

Αἰσχρὸν μὲν δηρόν τε μένειν.
Sententia ab Ariſtotele ſic explicatur lib. 4 Ethic. Nicomach. *ἕκαστος οἷός ἐστι, τοιαῦτα λέγει καὶ πράττει, καὶ οὕτω ζῇ. Qualis quuq; eſt, talia loquitur & facit, itaque viuit.*

AD EMBLEMA LXXXI.

III. *Non ſe, non alios vtilitate iuuat*] Heſiodios verſus de ingeniorum differentia ſcitè apud Liuium M. Minucius in concionis ad milites exordio, Decad. 3. lib. 2. Sæpe ego audiui, milites, eum primum eſſe virum (Heſiod *πανάριστον*) qui ipſe conſulat quid in rem ſit: ſecundum eum, qui bene monenti obediat (*ἐσθλὸς δ' αὖ κακεῖνος ὃς εὖ εἰπόντι πίθηται*) Qui nec ipſe conſulere, nec alij parere ſcit, eum extremi ingenij eſſe. *ὃ δ' αὖ ἀχρήιος ἀνήρ.*

AD EMBLEMA LXXXII.

IV. Heſiodus 1. *ἔργων*.
Οὔτοι ἔργον ὄνειδος, ἀεργίη δέ γ' ὄνειδος.
Non opus eſt probrum, ſed ſegnis inertia probrum eſt.
Baſilius Magnus in Hom. *σχολὴ ἄνευ θεοῦ, μήτηρ πονηρίας. Otium ſine Deo parens improbitatis eſt.*

AD EMBLEMA LXXXIII.

III. *Remora.* *Remora*] Remoram Græci non tãtùm *ἐχενηΐδα* vocant, ſed & *ναυκράτην*, vt noſter Georgius Piſides Coſmurgiæ verſu 983. & ſeq. vbi de medela ſceleri ipſius, verſ. 994. Porrò Echeneis multis paraſangis diſtat ab Echino, de quo idem Piſides verſu 1133.

AD EMBLEMA LXXXIV.

IV. Heroica vetus parœmia ad hoc Emblema referri poteſt:
πολυμαθημοσύνη ἦεν κενεώτερον οὐδέν.
Doctrina varia multa arteq; inanius eſt nil.
Ariſtoteles Politic. 1. *πολιτικὸν* improbat gladio Delphico ſimilem, cuius duplex vſus erat, *πενιχρῶς*.

AD EMBLEMA LXXXV.

II. *Tãtalus.* De Tantalo eiusq; ſaxo Homerus in *νεκυίᾳ* Odyſſeæ, Pindarus Olymp Od. 1. Epod. 2. *καταπέψαι μέγαν ὄλβον οὐκ ἐδυνάσθη. κόρῳ δ' ἕλεν ἄταν ὑπέροπλον τὰν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε, καρτερὸν αὐτῷ λίθον.* Idem in Pyth. Od. 3. de Aeſculapio: *κέρδει καὶ σοφία δέδεται.* Tertullian. aduerſus Gentes cap. 14. Eſt ille de *Æſculapius.* Lyricis (Pindarum dico) qui Aeſculapiũ canit auaritiæ merito, qua medicinam nocenter exercebat, fulmine vindicatum.

III. *Qui quaſi non habens*] Huc prouerbiũ Iuuij, *Alauda*. 4. 37.

AD EMBLEMA LXXXVII.

II. *Democedes Medicus Darij.* Herodotus in Thalia lib. 3. ſcribit, Darium Regem Democedi Crotoniatæ Medico, à quo tali ſeu aſtragali luxati cruciatu liberatus fuerat, largitus eſt duo compedum aurearum paria, *χρυσέων πεδέων δύο ζεύγεα.* Tum iocosè Democedes munificum Principem interrogauit: *εἴ οἱ διπλήσιον τὸ κακὸν ἐπίτηδες νέμει, ὅτι μιν ὑγιέα ἐποίησε. Nunquid ſe duplici malo remunerandum conſtituiſſet, quod ope ſua ſoſpes euaſiſſet.* Auſonius in ludo Septem Sapient. Solonem ita loquentem de Cyro fingit:

——*Crœſum in amicu habet,*
Vinctumq; pedicis aureis ſecum iubet,
Reliquum quod eſſet vitæ, totum degeret.

AD EMBLEMA LXXXVIII.

III. *Ibis clyſteris inuentrix.* *Proluit aluum Ibis*] Habes apud Georgium Piſidam in Coſmurgia *ἔκφρασιν* Ibidis venuſtiſſimam, & *κλυσμοῦ*, purgatorij medici ab hac aue indicati, quando *χυλὸν ἅλμης ἐμβαλοῦσα τοῖς ἔσω,*
Salſum profundens viſceri ſuccum intimo,
Sic arida fluxis onera trudit foras. &c.
pag. 40 & 41. edition. noſtræ.

AD EMBLEMA XCIV.

IV. *Figulus figulum odit.* Ex inuidia & diſcordia hæ querimoniæ inter opifices *ὁμοτέχνους*. Vnde Heſiodium iſtud:
καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.
Et figulus figulo, & fabro faber inuidet omnis.
Alioqui *Nulla fuit res parua vnquam æquanimus, addo nec vnanimus.* vt Auſonius M. ait in Herediolo, Ariſtoteles in Politic. & 8. Ethic. ad Nicomach.

AD EMBLEMA XCV.

IV. Hoc ſymbolũ eſt humani generis *αὐτολεθροφόρου*. Siquidem
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.
vt canit Flaccus ex illis Homeri 1. Odyſſ.
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν.
Baſilius Magnus Homil. 2. in Hexaem. pag. 22. edit. noſtræ; & Gregorius Nyſſenus in 4. Cant. initio.

AD EMBLEMA XCVIII.

III. *Naturam hoc dicere rerum eſt*] Lucretius

Natura humana duplex. tius aureo hoc Hexametro μικροκόσμου vim naturamq; comprehendit:

Altera pars homines terra ſumus, altera cœli.

Anima. Hanc Ariſtoteles τὸ θεῖον appellat, alii τὸ κρεῖττον. Ouidius meliorem partem, in Epilogo Metamorph.

Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar. Illam verò,

Corpus. ——*qua nil niſi corporis huius*
Ius habet,

Plato σῶμα ὡς σῆμα. vt ſepulchrum animi: Phocylides, Σῶμα γὰρ ἐκ γαίης ἔχομεν κ̀ πάντες ἐς αὐτὴν λυόμενοι κόνις ἐσμὲν ἀὴρ δ' ἀνὰ πνεῦμα δέδεκται. Iuuen.

—— *mors ſola fatetur*
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Baſilius Imperator in προτρεπτικῷ ad Leonem filium, σῶμα χῶμα, tanquam glebam eſſe vult. Georg. Piſides κοσμουργίας verſ. 658. τὴν καθ' ἡμᾶς σαρκικὴν λύραν: *Carneam noſtram lyram*, corpus humanum nuncupat.

AD EMBLEMA XCIX.

III. *Fortuna & Ars ferè circa idē ſunt.* *Vt ſphæra Fortuna, cubo ſic inſidet Hermes*] Ariſtoteles 6. Ethic. ad Nicomach. ſcribit, Fortunam & Artem circa eadem quodammodo verſari, idq; firmat auctoritate Agathonis Comici: τρόπον τινὰ περὶ τῶ αὐτῶ ἐςὶν ἡ τύχη κ̀ ἡ τέχνη καθάπερ καὶ Ἀγάθων φησὶ.

τέχνη τύχην ἔςερξε, κ̀ τύχη τέχνην.
Fortunā amauit Ars, & Artem Fors quoq;

AD EMBLEMA CII.

II. *Scyphus Neſtoris.* Proponitur hic Νέςορις κύλιξ ex 11. Iliad. Homeri, de cuius artificio quoſdam veterum Criticorum libros integros ediſſe conſtat. Apud Athenęi Dipnoſophiſt. lib. 12. tractantur quæſtiones aliquot ſuper Homericis verſibus in huius Neſtoris poculi deſcriptione: cuiuſmodi iſtud eſt de clauis aureis, quibus canit poeta fuiſſe hūc ſcyphum argenteum πεπαρμένον. Quod ſic explicatur & legitur ex emendatione eruditorū virorū: οἱ μὲν οὖν λέγουσιν ἔξωθεν δεῖν ἐμπείρεσθαι τοὺς χρυσοῦς ἥλους τῷ ἀργυρῷ ἐκπώματι κατὰ τρόπον τὸν τῆς ἐμπαιςικῆς τέχνης. Fabrilis vtiq; artis verbū eſt ἐμπαίειν, quod declarat clauis bulliſq; adactis & infixis ſceptrum aut vas aliquod ornare. Porrò opus ita elaboratum ἔμπαιςον indigetabant. De cuiuſmodi operibus videſis quæ eruditè notata ſunt à C. V. Iſac. Caſaubono ad lib. 2. Suetonij. & lib. 11. animaduerſ. in Athenæ. cap. 12.

AD EMBLEMA CIII.

Verſus Bacchidis ex Stobæo ſic vertit Morellus] III. pag. 430. a.

Hoc ego ſcio, imbellis licet ſim fœmina,
Vt quanto magis quis res Deum cognoſcere
Deſiderat, tanto minus eas nouerit.

AD EMBLEMA CV.

Emblema eodē, quò hoc Trimetrum IV.
Græcum refertur:

Μισῶ σοφιςὴν, ὅςις οὐκ αὐτῷ σοφός.
Odi Sophiſtam, qui ſibi ipſe non ſapit.

quia nequidquam ſapit. Paulus ad Roman. 12. μὴ ὑπερφρονεῖν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν. quod pulchrè Martialis ita expreſſit:

Crede mihi ſapere eſt, non nimium ſapere.

AD EMBLEMA CVI.

III. *Dirum.* *Dira lues*] Morellus mauult τὸ dirū, referre ad τὸ δεινὸν. quod graue & formidabile eſt. ἀπὸ τοῦ δέους.

A nobis temperet anne manus?] Muſæ apud Muſicium Epigrammatographum 1. Antholog. minitanti Veneri, niſi ipſę numen ſuum venerarentur, ſe aduerſus eas ἔρωτα, Cupidinem ſuum armaturam, reſpondent:

Ἡμῖν οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον.
Non volitat nobis ille Cupido puer.

AD EMBLEMA CVII.

III. *Flos terreſtre ſidus.* *Altera ſed manuum flores gerit*] Flos, quem dextra tenet nudus Amor, non terram ſolum deſignare, ſed & cœlum ipſum videtur: ſiquidem à Columella lib. 10. *terreſtria ſidera flores* ſcitè vocantur. Itaque ἄνθος à Græcis dicitur *flos*, ἀπὸ τοῦ ἄνω θέειν, *quod ſurſum tendat*; vt tendit in ardua virtus, & ignis cœlum petit, ideoq; à Gregorio Nazianzeno conferuntur ἄνθεσι πῦρ, κ̀ ἀρετὴ.

Quod verò Commentator hic in Epigrammatis ſui clauſula aſſerit, piſcem ferum eſſe, nec vlla arte cicurari poſſe, firmatur à Baſilio Magno Homil. 7. in Hexaem. pag. 88 6. edit. noſtrę his verbis: ἴδιος κλῆρος τῶν ἰχθύων, ἰδία φύσις, δίαιτα κεχωρισμένη ἰδιότροπος ἡ ζωὴ διὰ τοῦτο οὐδὲ τιθασσεύεσθαι τι τῶν νηκτῶν καταδέχεται, οὐδὲ ὅλως ὑπομένει χειρὸς ἀνθρωπίνης ἐπιβολήν. In quem locum videſis Notas noſtras, quæ 3. Tomo Baſil. continentur, pag. 89. ex Plutarcho, Plinio, Athenæo, Martiale & alijs auctoribus, de manſuefactis & cicuratis piſcibus. pag. 448. b. ſub fi.

AD

IV. pag.451. b. AD EMBLEMA CVIII.

Euripidis ex Stobæo verſus ſic reddidit Morellus]

Qui non amorem cenſet ingentem Deum,
Numinibus atq; auguſtiorem cæteris,
Ineptus eſt, magni vel ignarus boni
Negat eſſe maximum Deum mortalibus.

AD EMBLEMA CXI.

III. & IV. *Lex talionis.* *Vt quæ alijs fecit, patiatur*] Hæc, quæ de lege talionis dicta ſunt, à Federico Morello excocta, emendata & illuſtrata ſunt. Ariſtoteles 5. de Morib. ad Nicomach. & 4. Ethic. ad Eudemum ſcribit, Pythagoreis τὸ ἀντιπεπονθὸς legem talionis eſſe ἁπλῶς δίκαιον, Rhadamanthi ius hoc Heſiodio verſu expreſſum:

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε, Δίκη γ' ἰθεῖα γένοιτο.

Si quod quisq; alijs fecit, patiatur, erit ius.

In clauſula oraculi Pythij ad Lacedæmonios apud Pauſaniam in Meſſeniacis:

ταῖς δ' αὐταῖς τέχναισιν ἁλώσεται, αἷσπερ ὑπῆρξεν.

Artibus eſt quibus aggreſſus, capietur ab ijſdem.

Pindari quoq; Scholiaſtes in 1. Pyth. [noſter in 4. Pyth. habet] laudat hunc Heroicum in eundem ſenſum:

Οἷα τ' ἀνὴρ ἔρξοι, τοῖον τέλος αὐτὸν ἱκάνει.

Qualia quis patrat, talis manet exitus illum.

AD EMBLEMA CXII.

II. Bianoris clauſulam ſic verterem libentius & dilucidius:

Vos pro delicijs ſtimulos fixiſtis acerbos,
Væ ſanis grati vindicibus laticis.

IV. pag. 468. b. Verſus Euripidis in Hippolyto ſic vertit Morellus]

PH. *Quid eſt, quod homines prædicant amare ſe?*
NVT. *Suauiſſimum, nata, atq; idem eſt acerrimum.*

AD EMBLEMA CXIII.

IV. Quod Venus Anacreontica, & Theocritea non ſine felle mellito Cupidini exprobrat, in ipſammet Catullus retorquet hoc aculeato verſiculo:

Spinoſas Erycina ſerens in pectore curas.

Cupido cruci affixus. Vis hanc ob cauſam oculos pictura paſcere inani? Conuerte eos, ſi lubet, ad nebulam pictam in pariete, & fucatam tabulã, quam Treuiri in Triclinio Zoli memorat ſe vidiſſe Auſonius. Ibi Cupidinem cruci affigebant Heroinę amatrices, quæ ſibi ignoſcentes plectebant Deum. Hanc imaginem ſpecie & argumento miratus poeta Conſularis, hoc lepido lemmate Eclogam 6. elegantiſſimam condidit. *Cupido cruci affixus.* In cuius Eidyllij προσφωνήσει fatetur, ſe mirandi ſtuporem tranſtuliſſe ad ineptiam poetãdi. Quod ſi quis φιλόχριστος ad pium ſtudium transferre volet, audiat beatiſſimum Martyrem ἰσαπόστολον Ignatium in aurea epiſtola, de ſalutis noſtræ autore exclamantem: ὁ ἔρως μου ἐσταύρωται. *Amor meus crucifixus.*

AD EMBLEMA CXIV.

οὐχ ὁ ἔρως ἀδικεῖ &c.] II. pag. 476. a.

Non homines Amor vrit, ſed laſciua virum vis;
Prætexunt dulci hoc nomine nequitiam.

AD EMBLEMA CXVII.

Senariũ vetus Græcorum prouerbiale à Plutarcho laudatur, quod integrè ita legendum:

Γαμεῖ γέρων αὑτῷ τε καὶ τοῖς γείτοσι.

Ducit ſenex ſibi & propinquis coniugem.

Nicetas Choniates, initio Hiſtoriæ Andronici Comneni, increpat eum Imperatorẽ, quòd Annam Alexij Imperatoris (quem regno vitaq; ſpoliarat) ſponſam Regis Frãcorum filiam connubio ſibi iunxiſſet, nihil verecundatus effœtus & vietus ſenex, κρονίων ἀπόζων [*priſcam ſtoliditatem redolens*] ſobrini vxorem adoleſcentulam roſeam, & nondum annos vndecim natam per nefas amplecti. παραγκαλιζόμενος ὁ πέπων τὴν ὀμφακίζουσαν, &c. pag. 138. editionis Baſil. *Andronicus ſenex puellam duxit.*

AD EMBLEMA CXIX.

IV. *Caduceus Mercurij.* Dio Chryſoſtomus Orat. de Lege, pag. 647. editionis noſtræ, ſcribit κηρύκειον eſſe τοῦ νόμου σύμβολον. *Mercurij caduceum ſignum legis eſſe:* quæ κήρυκα fecialem παρὰ τῶν ἐχθίστων πεμπόμενον, *ab hoſtibus miſſum*, ſaluum & incolumem ſeruat, παντὸς θώρακος καὶ πάσης ἀσπίδος αὐτῷ δοὺς ὅπλον τὸ κηρύκειον. *quauis lorica & quouis clypeo fortius armaturæ genus, præconi præbens.* Caduceum videlicet. Quo magis mirum eſt, quod narrat Pauſanias in Bœoticis, Herculem, cuius ſignum ſub Dio ſtabat (non procul à fano Ἀγοραίου Διὸς, *Iouis forenſis*) ῥινοκολουστὴν, cognominatum fuiſſe, quaſi *narium amputatorem*; quòd fecialibus ab Orchomenijs delegatis pro tributo nares ignominioſè amputaſſet. *Hercules ῥινοκολουστής.*

LII AD

AD EMBLEMA CXXI.

II. *οὐδὲν πενίας* &c.]

Nullum penuria eſt onus moleſtius.

AD EMBLEMA CXXII.

III. *Occaſio unde dicta.* *Me ſemel alipedem*] Occaſio Græca dictio eſt, vt docuimus & ſcripſimus alibi. ὁ καιρὸς, articulo adiuncto nomini, & mutatione literæ caninæ in ſibilum, more Romano.

AD EMBLEMA CXXV.

IV. Liuius lib. 35. Quò diutiùs trahebatur bellum, variabant ſecūdæ aduerſæq; res nō fortunam magis quàm animos hominum. Paulus Aemilius Coſ. apud eūndem Liuiū lib. 55. hæc Greco ſermone Perſeo captiuo dixit: *Fortuna volubilitas.* Vtcunq; hæc, ſiue errore humano, ſeu caſu, ſeu neceſſitate inciderunt, bonum animum habe; multorum regum, populorum caſibus cognita P. R. clementia, non modò ſpem tibi, ſed propè certam fiduciā ſalutis præbet. Latinè deinde ſuis: Exemplum inſigne cernitis, inquit, mutationis rerum humanarum: vobis hoc præcipuè dico, iuuenes; ideo in ſecundis rebus nihil in quemquam ſuperbè ac violenter conſulere decet, nec præſenti credere fortunæ, cùm quid veſper ferat, incertum ſit. Is demùm vir eſt, cuius animum nec proſpera ſtatu ſuo effert, nec aduerſa refringit.

AD EMBLEMA CXXVII.

III. *ἐνόδιον σύμβολον.* *Muſtela tibi ſi occurrat*] De hoc auſpicio, quod Græci ἐνόδιον σύμβολον vocāt, Theophraſtus in Charactere δεισιδαιμονίας, ita ſcribit: τὴν ὁδὸν ἐὰν παραδράμῃ γαλῆ, μὴ πρότερον πορευθῆναι, ἕως διεξέλθῃ τις, ἢ λίθους τρεῖς ὑπὲρ τῆς ὁδοῦ διαλάβῃ. *Si ſuperſtitioſus viam, muſtela ingrediente, tranſcurrerit, non ante progredietur, quàm alius prior tranſierit, aut ipſe tres lapides trans viam miſerit.* &c. Plautus in Sticho. Ariſtophanes in Concionantibus, γαλῆς tranſcurſum diremiſſe comitia docet. Artemidor. 3. ὀνειροκρ. B. Auguſtin. lib. 2. de doct. Chriſt.

AD EMBLEMA CXXVIII.

II. *Locuſta.* Locuſtarum tantæ nubes (inquit Liuius lib. 52.) à mari vento in Apuliam repente illatæ ſunt, vt examinibus ſuis agros latè operirent.

AD EMBLEMA CXXXI.

II. *Ate.* Ἄτη, ἄτη, ἄτειν, à vocabulo Hebraico *Hata*, quod errare, nocere, offendere denotat. Budæus in Annotationibus ad legem 2. ff. de legib. Homeri & Heſiodi verſus expendit de hoc dæmone humano generi infenſo; vt Suidas Aten indigitat τὸν διάβολον, τὸν ἀντικείμενον. quam odioſam notionem Satan etiam Hebraicè præ ſe fert. Hoc firmat Beſſario lib. 3. in calumniat. Platonis, vbi ſcribit [vt & nos adduximus] Homerum ſiue beneficio quodam naturę, ſiue Moſis prophetæ ſcriptis, carmine ſuo expoſuiſſe lapſum Luciferi, quem ille Aten appellat. *Luciferi lapſus.* Eandemq; Noxam Aſcræus vates in Theogonia, contubernalem eſſe canit Dyſnomiæ, peruerſæ iuris legumq; conſtitutioni Δυσνομίην Ἄτην τε συνήθεας ἀλλήλῃσι.

AD EMBLEMA CXXXIII.

III. *Toto mandas & orbe legi*] Laureas Tullius libertus M. Ciceronis; ita ſcitè claudit carmen in fontes calidos villæ Academiæ, apud Plinium lib. 31. Nat. hiſt. cap. 2.

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cùm patefecit ope.
Vt, quoniā totum legitur ſine fine per orbē,
Sint plures oculis quæ medeantur aquæ.

IV. Libanius in Βασιλικῷ, ſeu Panegyri Cōſtanti & Conſtantio Imperatoribus dicta, pag. 4. editionis noſtrę Græcolatinæ: ὥσπερ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσιν εἰς τοὺς παιδοτρίβας ἔρχεταί τι τῆς ἀπὸ τῶν στεφάνων εὐκλείας, οὕτως ὁ τοῦ λόγου συναίτιος κοινωνεῖ τῆς ἀπ' αὐτοῦ φιλοτιμίας. *Vt in certaminibus* (inquit) *gymnicis aliquid à coronarum celebritate ad ludimagiſtros peruenit: ita ſermonis cauſa adiuuans, orator particeps honoris, qui inde proficiſcitur.* Idem in Orat. de Antochien. Profeſſoribus, multa in hanc ſententiam enunciat, vtraq; lingua nuper à me edita.

AD EMBLEMA CXXXV.

IV. *Ciuis bonus.* Cicero lib. 1. de Inuent. Qui ita ſe armat eloquentia, vt non oppugnare commoda patriæ, verùm propugnare poſſit, is mihi vir & ſuis & publicis rationibus vtiliſſimus atq; amiciſſimus ciuis fore videtur. Philo Hebræus lib. de Cherub. pag. 88. editionis Adriani Turnebi: ἕκαστος ἡμῶν ὥσπερ εἰς καινὴν πόλιν ἀφῖκται, τόνδε τὸν κόσμον, ἧς πρὸ γενέσεως οὐ μετεῖχε. Et mox: δόγμα εἰσηγεῖται πάνσοφον, ὅτι μόνος κυρίως ὁ θεὸς πολίτης ἐστί. *Quisq; noſtrum in hunc mundum tanquam in nouā ciuitatem venit. Sapientiſſimū porrò decretū cenſetur; quod ſolus propriè Deus ciuis eſt.*

AD EMBLEMA CXXXVII.

II. Athenienſium ἀρχαιολογίαν. Iſocrates in

Panathenaici μυρσινηκόυ incluſit, vbi probat, μόνους αὐτοχθόνας τῶν Ἑλλήνων. Philo Iudæus περὶ εὐγενείας docet, Iudæos nobilitatis veræ alios fines ὅρους ἐξαιρέτους præſcriptos τῇ καλοκαγαθίᾳ habuiſſe, vt apud Satyrographum: *Nobiles et generoſi.*

Nobilitas, vera eſt atq; vnica virtus.

AD EMBLEMA CXXXVIII.

I.I. Apud Ariſtid. Adrianenſ. in exordio Orat. 5. de Hercule: Ὦ φίλτατε Ἡράκλεις, σέ γε ἐπαινεῖν ἆθλος ὁ ἤδιστός τε πάντως δὲ πολύμνητος εἶ. Gratius vetus poeta Romanus in Carm. Cynegetico idem grauiſſimis Heroicis cecinit: *…aus Herculis.*

Et prædexter erat, geminisq; ſecuribus ingens

Ipſe Deus, cultorq; feri Tirynthius orbis;

Quem mare, quem tellus, quem præceps ianua Ditis

Omnia tentantē, quà laus erat obuia, paſſi.

Hinc decus & famā primus patrauit honorem.

AD EMBLEMA CXXXIX.

IV. Menander Comicus aureo hoc verſiculo, quaſi lapide Lydio Herculeové, certum legitimi & ſpurij ἔλεγχον, iudicium patefecit: *Qui nothi, qui legitimi.*

Νόθος πονηρὸς· ὁ δ' ἀγαθὸς δίκαιος γνήσιος.

Quiſq; improbus, ſpurius: probus, legitimus eſt.

Philo Iudæus lib. de Cherub. ſpurios allegoricè exponit, τοὺς νόθους καὶ πλαγίους λογισμούς, *illegitimos, vagos & obliquos cogitatus.* Et ſubijcit: τὰ ὑπαρκτὰ αἱ τέλειοι ἀρεταὶ μόνου τοῦ τελείου καὶ γνησίου κτήματα. *Facultates eſſe perfectas virtutes, ſolius perfecti ac legitimi poſſeſſiones.*

AD EMBLEMA CXLIV.

III. *Anchora quod nautis*] Vtinam regibus & principibus omnibus maneret alta mente repoſtum Agamemnonium illud regale ἐπιφώνημα, vel σύγκριμα, non ſine numine ab Homero ita celebratum: *Regia ſententia.*

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.

Non ego perniciem populi peto, malo ſalutē.

AD EMBLEMA CXLV.

III. *Cæcus at eſt Princeps*] Iuuat ita cæcutire. Multa interim Reges (inquit Seneca lib. 4. de Benefic. cap. 37.) in bello præſertim, opertis oculis donant.

Quod ſolis auribus] Tritum id è prouerbiali Trimetro:

ἄρχων ἄκουε καὶ δικαίως κ' ἀδίκως.

Gerens magiſtratū aqua & iniqua audias.

IV. Huius Emblematis argumentum illuſtrat Philo Iudæus lib. inſcripto, Vita ciuilis 5. de Ioſepho & de Iudice & de conſtituendo Principe. Itemq; 2. de vita Moſis, in cuius proœmio hic inſignis maximè locus eſt de boni principis munere: Βασιλεῖ προσήκει προστάττειν ἃ χρὴ, καὶ ἀπαγορεύειν ἃ μὴ χρὴ· ὡς εὐθὺς εἶναι τὸν βασιλέα νόμον ἔμψυχον, τὸν δὲ νόμον βασιλέα δίκαιον. *Regis munus eſt, quod oportet, imperare; quod non oportet, vetare: vt procul dubio Rex ſit lex animata, lex autem iuſtus Rex. &c.* Videſis Libanij iuſtitiæ elogium, editionis noſtræ, pag. 91. *Regis munus.*

AD EMBLEMA CXLVII.

IV. [Sententiam illam Alexandro Macedoni tributam, Morellus potiùs Alexandri Seueri eſſe iudicat]

AD EMBLEMA CXLIX.

IV. Libanius in Oratione, quam habuit pro Antiochenis, poſt euerſas Principum imagines Theodoſium I. Imperatorem omnes Atticorum oratorum lecythos & myrothecia in clementia Principum celebranda conſumpſit: eam Græcè & Latinè pridem edidimus, & Chriſtianiſſimo atq; clementiſſimo Regi Henrico Magno, felicis æternæq; memoriæ conſecrauimus, idq; munuſculum literarium ſibi gratiſſimum acceptiſſimumq; eſſe ſignificauit tantus Heros, qui Platonicum illud dogma, μεγαλοθυμίαν ἐκ ἄνευ μακροθυμίας εἶναι, egregia regiaq; manſuetudinis & magnitudinis animi copula comprobauit.

AD EMBLEMA CLII.

III. *Extolle cachinnum*] Dictum eſt, cachinnum ἀπὸ τοῦ καγχασμοῦ, Græco fictum eſſe, Atticis enim καγχάζειν, *cachinnare* deſignat. *Cachinnus.*

AD EMBLEMA CLIII.

II. Geſnerus Apologum hic Æſopicum, vt fabuloſum commentum explodit, tametſi à Græcis & Romanis antiquis ſcriptoribus celebratum & peruulgatum.

III. *Medicatū virilia*] Guilielmus Rondeletius in tractatu de Amphibijs arcanum naturæ αἰδοίων καστορείων aperit. *Caſtoreū.*

Vitam ut redimat] Oraculum Euangelicum eſt: εἰσὶν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν. [*Sunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnū*] Matthæi 19. Adi Theophylactum.

AD EMBLEMA CLIV.

IV. *Mortui ſepel. di.* Teucer apud Sophoclem in Aiace Lorario, ſollicitus de Aiacis fratris cadauere, vt illicò conderetur, ait queritans: μήτις ὡς κενῆς σκύμνον λεαίνης δυσμενῶν ἀναρπάσῃ. *Ne quis vaga catulum leæna rapiat hoſtis debilem.* Et cauſam ſubijcit: τοῖς θανοῦσι τοι φιλοῦσι πάντες κειμένοις ἐπεγγελᾶν. *Omnes ſolent letho datos traducere.* At Virgilianus Polydorus ſepultus, Æneam, tumulum ſuum incautè mouētem, ſic increpat, Æneid. 3.

Sepulti non laceſſendi.

Quid miſerum Ænea laceras? iam parce ſepulto,
Parce pias ſcelerare manus.

Eiuſmodi querela eſt in Epigr. 3. Senecæ philoſophi relegati:

Parce relegatis: hoc eſt, iam parce ſepultis.

Et 4.

Occiſi iugulum quiſquis ſcrutaris amici,
Tu miſerum necdū me ſatis eſſe putas?

Et 5.

Crede mihi vires aliquas natura ſepulchris
Attribuit: tumulos vindicat vmbra ſuos.

AD EMBLEMA CLV.

τετράστιχον εἰς τὸ αὐτό

Ο᾽ππότ᾽ ἔρως πρὸς πότμον ἀμείβετο τεύχεα λαμπρὰ,
καὶ πότμος δᾶδα, καὶ δρέπανον λάβ᾽ ἔρως.
Ὡς ἴδεν, ὡς ἐμάνη πολιὸς φὼς δᾶδι μόροιο,
ὁπλότερος δ᾽ ἄρ ἔρως ἐξέπεσεν δρεπάνῳ.

AD EMBLEMA CLVI.

Alciati diſtichon Græcè redditum.

Τίπτ᾽ ὀλοὸν κὺρ τλῶς παῖδ᾽ ὑπεροπτεῦσαι ἔρωτα;
Ὡς σὰ βέλη βάλλειν οἰόμενόν γ᾽ ἴδια.

AD EMBLEMA CLVII.

II. Non deſunt anguſtiora epicedia in eloquijs ſacris. εἰς τοὺς ἀώρους ὄντας καὶ μοῖραν ἔχοντας θανάτου, vt canit Solon in clauſula ἑβδομάδων βίου. In primis Dauidis vatis & Regis θεοφιλεστάτου in Abeſſalomum filium, impia arma ſequēdo interemptum, 2. Samuel 18 οὕτως εἶπεν ἐν τῷ κλαίειν αὐτὸν υἱέ μου Α᾽βεσσαλώμ, υἱέ μου. τίς δώῃ τὸν θάνατόν μου ἀντί σου ἐγὼ Α᾽βεσσαλὼμ ἀντί σου υἱέ μου. Eiuſdem lugubres verſus ſuper Saule Rege & Ionatha filio, qui in acie occubuerant, leguntur 2. Samuel. 1. è Codice Iaſar. Στήλωσον Ι᾽σραὴλ ὑπὲρ τῶν τεθνηκότων ἐπὶ τὰ ὕψη σου τραυματιῶν· πῶς ἔπεσαν δυνατοί; &c. quæ M. Antonius Flaminius elegātiſſimis dimetris Iambicis olim expreſſit. Alia id genus Gregorius Nazianzenus in Poemat. & Anthologia Græcorum epigrammatum ſuppeditant; præter Statium in Siluis, & Martialem.

Dauidis epicediū ſuper Abſolon.

AD EMBLEMA CLIX.

III. *Heres vnde dictus.* *Maxima rixa oritur*] Maxima vtique cognatio patet inter has voces, *heredis*, ἔριδος, & *rixa*. Ideo τὸ *heres* ſine diphthongo in antiquis monumentis & ἐπιγραφαῖς ſcribi conſtat; idq; ab eruditis probatur, qui τὸ erctum, & actionem familiæ erciſcundæ ἀπὸ τοῦ ἐρίζειν deduci poſſe agnoſcunt, quia ex diuiſione rixa vt plurimum oritur. Catullus in coma Berenices memorat. *Dulcia nocturna veſtigia rixæ*, νυκτερινῆς ἔριδος.

AD EMBLEMA CLX.

IV. *Mortui ſepeliēdi.* Antigone Sophoclea ſancti huius in mortuos officij amorisq; heroici exemplum inſigne præbet, de vetita Polynicis fratris ſepultura anxia:

——κεῖνον δ᾽ ἐγὼ
Θάψω· καλόν μοι τοῦτο ποιούσῃ θανεῖν.
Φίλη μετ᾽ αὐτοῦ κείσομαι, φίλου μέτα.
——*Ipſum* fratrem *ego*
Sepeliam: pulcra mihi mors deinde erit.

Martialis ad Meliorem lib. 8. Epigrā. 39.

At ſi quis dare nomini relicto,
Poſt manes tumulumq; perſeuerat,
Quærit quid niſi parcius dolere?

AD EMBLEMA CLXIII.

IV. Æneas apud Homerum Iliad. 20. hortatur Achillem, vt ſibi temperet à cōuitijs iactandis, quod obtrectatio muliebre ſit vitium:

Στρεπτὴ δὲ γλῶσσ᾽ ἐστὶ βροτῶν, πολέες δ᾽ ἔνι μῦθοι,
[παντοῖοι· ἐπέων δὲ πολὺς νομὸς ἔνθα καὶ ἔνθα.]
Ο᾽πποῖόν κ᾽ εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ᾽ ἐπακούσαις.
Α᾽λλὰ τίη ἔριδας καὶ νείκεα νῶιν ἀνάγκη
Νεικεῖν ἀλλήλοισιν ἐναντίον, ὥστε γυναῖκας.

Contendere verbis mulierū eſt.

[Ad verbum ſic ſonant:
Volubilis enim lingua eſt hominum, multique inſunt ſermones
Omnigeni: verborum autem multa profuſio hinc atq; inde.
Quale dixeris verbum, tale etiam audies.
Sed quid rixis & opprobrijs nobis neceſſe eſt

Con-

Contendere mutuò contrà, vt mulieres.]
Quibus concinunt hæc Turni apud Virgilium Æneid. 11.
Larga quidem ſemper tibi, Drance, copia fandi.
——ſed non replenda eſt curia verbis,
Quo tutò tibi magna volant. Mox:
——An tibi Mauors
Ventoſa in lingua?

AD EMBLEMA CLXV.

Canis] Hecuba, canis vocitata. Iunius Cent. 7. Prouerb. 83.

III. *Deus, tutum refugium.* *Et peragit curſus*] B. Auguſtinus in enarratione primæ partis Pſalmi 70. ad verſ. 3. *In locum munitum eſto mihi.* Quid munitius (inquit) cum ad illum locum confugeris? dic mihi quos aduerſarios formidabis? Neſcio quis dicitur de montis vertice clamaſſe cum Imperator tranſiret: Non de te loquor. Reſpexiſſe ille dicitur & dixiſſe: Nec ego de te. Contempſerat Imperatorem cum inſignibus armis, exercitu, poteſtate: vnde? De loco munito. Si ſecurus ille in alta terra, quomodo tu non in eo, à quo factum eſt cœlum & terra? Hic aſcribere libet Epigrammatis noſtri in hymnos Græcos εἰς Θεοτόκον, clauſulam ἀντίστροφον clauſulæ epigrammatis Alciati:
Inuidia humani generis diſrumpitur hoſtis:
Solus & hæreticus rumpitur inuidia.
Rumpatur ſed vtraq; licet, Regina polorum
Satanicam longè deſpicit inuidiam.

AD EMBLEMA CLXVII.

IV. *Mare Mænadi comparatū.* Mare ob violentiam ventorum fluctuū decumanorum quaſi ad inſaniam adactū, Mænadi furioſæ comparatur à Baſilio Magno orat. 4. in Hexaem. Et ab Euagora in epiſt. ad Antipatrum: παλινδρομεῖ πρὸς ἑαυτὸ τὸ ῥέεθρον μαινόμενον μεγάλην ἀπειχοῦσαν τῇ χέρσῳ τὴν ἔφοδον. Itemque à Georgio Piſide verſ. 375. Coſmurgiæ:
Ὅλην ἑαυτὴν οἷα μαινὰς ἀγρία τῇ γῇ περικρύσασα.
Vt Mænas inſana & furens toto impetu
Circumfluum allidit ſolo &c.

AD EMBLEMA CLXIX.

IV. Deorum cœtus oraculum apud Homerum Odyſſ. 8. huc pertinet:
οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.
[*Non rectè ſuccedunt mala opera: aſſequitur tardus celerem.*]
de vincto Gradiuo à Mulcibro loripede.

Quod autem omnia tuta timenda ſint prudentibus, Lyricus Latinus monet: *Omnia tuta timenda.*
Quod quiſq; vitet nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas.
B. Ioa. Chryſoſtomus in illa τῶν ἀνδριάντων, quæ incipit εἴδες καὶ τήμερον luculenter diſſerit, ὅτι χρήσιμος πανταχοῦ φόβος. tametſi
—— timor ipſe malorum
Sæpe ſuperuacuos cogit habere metus.
Ouidius.

AD EMBLEMA CLXXIII.

Hexaſtichon Alciati Græcè expreſſum.
Ὁππότε δὴ κύκλωψ σκιόεντος χείλεσιν ἄντρου
ἵζετο, ταῦτ' ἄστευγ' οἳ καὶ ἑοῖς εἶσι·
Ἄμμες βόσκετέ μοι λάχαν, αὐτὰρ βόσκομ' Ἀχαιούς,
Νειαίρῃ ἄρ ἐμοὶ ὕστατον Οὖτιν ἄγων.
Πεύσατο ταῦτ' Ἰθακήσιος. Ὄμματος αἶψα δ' ἄμερσε,
Κύκλωπ' ἠνὶ δίκην ἔχεν ἀτασθαλίης.

AD EMBLEMA CLXXV.

Tetraſtichon Alciati Græcè redditum.
Ὡς λᾶαν σκύλαξ μάρψας δάκνει ἀίδηλον
ὅντινα δ' ἂν λώβην τῷγε βαλόντι φέρει
ὡς πλεῖστοι μάψ ἀντιπάλους ἀποφεύξαι ἐῶσι,
καὶ οἷς οὐδὲ μὴ ἐς ἄτη ὀδοῦσι τρίβον.

AD EMBLEMA CLXXVII.

Suppoſuit nunc colla iugo] Sic apud Tibullum lib. 1. eleg. 10. III.
——Pax candida primum
Duxit araturos ſub iuga curua boues.
Quod ſic olim Græcè expreſſimus:
—— εἰρήνη ἀγαστὴ
ἦγεν ἀρωσομένον ζευγάριον βοϊκόν.
Philemon Comicus pacē vocat τὴν ἐπαφρόδιτον καὶ φιλάνθρωπον θεόν. *Suauiſſimam & mortalibus charam Deam.* Eiusq; munera venuſtiſſimis hiſce Senarijs complectitur: IV. *Pacis munera.*
Γάμους, ἑορτάς, συγγενεῖς, παῖδας, φίλους,
Πλοῦτον, ὑγίειαν, σῖτον, οἶνον, ἡδονήν,
Αὐτὴ δίδωσι ταῦτα. πάντ' ἂν ἐκλίπῃ
Τέθνηκε κοινῇ πᾶς ὁ τῶν ζώντων βίος.
Quæ iiſdem numeris ita reddidimus:
Cognationes, nuptias, feſtos dies,
Natos, amicos, ſanitatem, opes, cibum,
Vinum, voluptates, dedit benigna pax.
Adiſis Pacem Ariſtophanicam, aureum Drama, hilaritatis dulce ſeminarium.

AD EMBLEMA CLXXVIII.

τίκτει δέ θνατοῖσι εἰρήνα μεγάλα II.

pag. 738. a. πλοῦτον.] quod ſic F. Morellus obiter emēdauit, & vertit:
τίκτει δὲ θνατοῖς πάντα εἰρήνα μεγάλαν πλοῦτον.
Magnas opes mortalibus pax parturit:

AD EMBLEMA CLXXIX.

II. Pereruditus Ioachimus Camerarius in auctario ſeu appendice ad Philemonē, περὶ ἰδιότητος ζώων. aliquot Senarijs Iambicis, Græcis & Latinis elegantiſſimis, cuncta quæ à ſacris & profanis autoribus vtraq; lingua ſuper Alcyone ſcripta compererat, mirificè comprehendit. Id carmen δίγλωττον non ſine fructu percurres, ſi libet & vacat. Exordium eiuſmodi eſt:
Ἡ δ᾽ Ἀλκυὼν ὄρνις μὲν ἐστὶ παράλιος.
Pontum accolit cui nomen eſt auis Alcyon.
Nidus Alcyonis. Et poſt nidi ἔκφρασιν, quod fortè nūcupat νεοττιὰν εἶναι νεναυπηγημένην, quia nauis inſtar concauum ſit: Mox ſubiungit elogiū amoris coniugalis in hac alite, verſu aureo:
Φίλανδρος αὐτὴ ἡ καὶ φιλόστοργος πάνυ,
πιστὴ ἀνὰ τοσ πάσας συνοῦσα γυνὴ πόσει.
Ales mariti perquam amans eſt fœmina,
Irrupta iungit coniugi quam copula.
IV. pag. 746. a. ὅσῳ τι πολέμου, &c.] Hæc à ſe emendata & diſtincta ſic vertit Morellus:
Commoda pacis. 1 *Quanto melior eſt pax duello, hinc collige:*
2. *Pax alma Muſis eſt amica maximè:*
3. *Aduerſa luctus; iuuant hanc liberi;*
4. *Probi placetq; copia huic. At his mali*
5. *Spretis, mouemus bella, & imbellem virum*
6. *Nos ſubiugamus, vrbs & vrbem non parem.*

AD EMBLEMA CLXXX.

II. Aureum iſtud diſtichum Epigrammatographi Græci mirum in modum congruit, & coniurat amicè cum hexaſtichi Alciati è fonte Græco hauſti clauſula:
Nemini detrahendum. ἐσθλὰ λέγειν αἰεὶ πάντας καλὸν· αἰσχρὰ δὲ λυγρόν,
κἂν ὦσι τούτων ἄξιοι ὧν λέγομεν.
Omnes laudare eſt pulchrum, at traducere acerbum;
Vt ſit vita horum digna probro & ſcutica.

AD EMBLEMA CLXXXIII.

Hexaſtichi Alciati paraphraſis Græca.
παλλιγενὲς γέρον Πρωτεῦ μιμικῶς πολύμορφε.
Ὅς μελη ἀνδρὸς νῦν νῦν δὲ φέρεις ἀλόγων,
εἶπέ τε τίπτε σὺ χαίρεις ἤδεσι παντοδαποῖσιν;
Ὡς σαφερὰν μορφὴν μηδεμίαν σοι ἔμεν;
ἀλλὰ παλαιοτάτου αἰῶνος σήματα φαίνω,
ὧν ἐπ᾽ ὀνειρώττει ἐν φρεσὶν ἕκαστος ἑαῖς.

AD EMBLEMA CLXXXVI.

Vniuerſam Cadmi μυθολογίαν Nonnus Panopolitanus in Dionyſiacis luculenter admodum Heroico carmine proſecutus eſt: ac de draconis quidem dentibus ſatis lib. 4. II.
Ἰοβόλων ἔσπειρε πολυσίχον ὄγμον ὀδόντων, &c.
De Harmoniæ coniugio lib. 13. De literarum inuento lib 40. ſub fin.
Κάδμος εὐγλώσσοιο διδάσκεται ὄργια φωνῆς.
Cadmus ſacra docet docta myſteria lingua. &c.

AD EMBLEMA CLXXXVIII.

Τὸ ΓΝΩΘΙ &c.] Hoc ita metricè vertit Fed. Morellus: III. pag. 799. b.
Cognoſce teipſum, ſcito non inauiter
Oraclo celebre factum Delphico.
Georgius Piſides noſter in carmine laudato De opificio Mundi, rationem ſubmonendæ ignorantiæ hoc Emblemate propoſitam, & à ſui rerumq; conditarum notitia ad θεογνωσίαν rectè perueniendi multis verſibus docet; quorum pulcherrima clauſula coroniſq; hæc eſt: IV.
Οὕτω τελειπὸν ὥσπερ ἐξ ἀγνωσίας, Ratio ignorātiæ ſubmonēda.
τὸ Γνῶθι σαυτὸν εἰς διάγνωσιν λάβοι,
καὶ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἰδιαζούσης φύσεως
Ἕως ἑαυτῷ συλλαλήσῃ καὶ μάθοι,
πόθεν παρήχθη μηδὲν ὢν πρὸ τοῦ βίου;
Duntaxat homo, tanquam ex mera ignorantia
Si noſcat ipſum mentis & ſpectet bona,
Noſtraq; natura immorans mortalium,
Secum loquatur cogitetq; talia,
Productus vnde, qui ante vitam nil erat?
His conſentiunt, quæ Mercurius Triſmegiſtus ſcribit cap. 5. Poem. Et Perſius in Satyr. 3.
——— *Cauſas cognoſcite rerum:*
Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metæqua mollis flexus, & vnde.
Gregorius Nyſſenus in Sacramento Baptiſmi. Prudentius in Romanum militem 2. Machab. & τῷ κατὰ Matth. 9.

AD EMBLEMA CXCI.

Poma

III. *Poma etenim Veneris ſunt*] Theocritus adſtipulatur Idyll. 11. verſ. 1.

Ἤρατο δ' οὔτι ῥόδοις, οὐ μάλοις, οὐδὲ σε-
λίνοις.

ſic enim legendum, non κικίνοις. vt εὐστό-
χως emendauit V. C. Daniel Heinſius, in omnibus priſcorum autorum ſcriptis ὀξυ-
δερκέστατος. Cyclops (inquit) Galateam ſuam non

Ardebat pomis, roſeis atq; coronis.

Amatorũ mores. Siquidem qui impensè amabant, vel impensè donabant, ἐρᾶν ἢ δωρεῖσθαι οὐ κατὰ μῆλα καὶ στέφανος, parœmiacè dicebãtur, quod hæc munuſcula ad amicas vulgò miſſitarent.

[Hic quoq; me in vtramq; aurem dormitante, Typographus aliquid omiſit, quod appoſitum volebam; nempe Epigramma Platonis ex Laertij lib. 3.

τῷ μήλῳ βάλλω σε, σὺ δ' εἰ μὲν ἑκοῦσα
φιλεῖς με.

Malo ego te ferio; cape, ſi me diligis, illud.

Et aliud quoque Philodemi, ſeu, vt idem Laertius vult, Platonis ad Xanthippen, ſic:

Μῆλον ἐγώ· βάλλει με φιλῶν σέ τις. ἀλλ'
ἐπίνευσον

Ξανθίππη, κἀγὼ καὶ σὺ μαραινόμεθα.

Quod ſic vertit Beutinus.

Malum ego: me iaculatur, amat qui te, annue quaſo

Xanthippe, tibi mox & mihi forma perit.]

AD EMBLEMA CXCV.

IV. Claudiani extat elegiacum carmen elegantiſſimum de pijs fratribus Siculis, qui fortunis opibusque ſuis relictis, parentes ſuos ab incẽdio Aetnæo liberarunt: ex quo hos inſignes verſus ſelegimus:

Pietas in parentes. *O bene Natura memores, documẽta ſuperna*

Iuſtitiæ, iuuenum numina, vota ſenum:

Qui ſpretis opibus medios properaſtis in ignes,

Nil præter ſanctam tollere caniciem.

Haud equidem immeritò tanta virtute repreſſas

Enceladi fauces obriguiſſe reor.

Ipſe redundantem frænauit Mulciber Aetnam,

Læderet exempli ne monumenta pij.

Prætermiſſis alijs clauſulam tantùm ἀξιο-
μνημόνευτον addam eiuſmodi:

Dũ potuit pietas flamma ceſſante probari,

Empta eſt ingenti clade perenne decus.

AD EMBLEMA C.

Velat vultus, obnubit ocellos] Videſis Notas Morelli ad Epithalamium Violantillæ, Statij 5. III.

——— ducit

Lumine demiſſum, & dulci probitate rubentem.

& ad Silu. 1. l. 5.

——— mixta pudori

Gratia. vbi ἄγαλμα αἰδοῦς.

Mulieres ſubditas eſſe viris oracula ſacra præcipiunt, ex 2. & 3. Geneſ. & Eſther 1. cap. in Aſſueri edicto. Itemq; Pauli. &c. IV.

AD EMBLEMA CXCVIII.

Iungere mortua viuis] Quod Hector Homericus Alexandro fratri propter Helenę ἁρπαγὴ imprecatur, Iliad. 1.

Αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι, ἄγαμός τ'
ἀπολέσθαι:

O vtinam natus numquam innuptusq; periſſes.

hoc Mezentius Alciati contagioſo ſuo ſemiuiro obiectare iure poterat: vel in ſe ipſam illa retorquere:

O vtinam numquam nata, aut innupta periſſem.

Integra mihi quid cum putre ſemiuiro.

Lubet etiam παρῳδιάζειν ex Martialis Senarijs:

Coniunx integra, ſonticus maritus;

Non mirum malè conuenire vobis.

AD EMBLEMA CXCIX.

Alciati diſticha Græcè expreſſa.

1.

Κώνῳ σχῆμα καὶ ὄνομα κηρύσσει κυπαρίσσων.

Δέξασθαι σφετέρως ὧδε κατ' αἶσαν ἴσην.

2.

Καλλίεθειρα πέλει, εὔτακτοί τ' εἰσὶ ῥάδαμνοι.

Καλλίκομος περ ἐοῦσ', αὐτὰρ ἄκαρπος ἔφυς.

AD EMBLEMA CC.

Diſticha Alciati Græcè reddita κατὰ ἔπος. III.

1.

Δρῦς Διός ἐστὶ φίλη, ἀγανοῦ σωτῆρος ἁπάντων,

Ἄνδρα δὲ σώζοντ' ἦν ἐκ δρυὸς ὁ στέφανος.

2.

Ὠγυγίους βαλάνοις ἔτρεφέν ποτε· νῦν σκιὸ ὀφέλλει.

Δένδρεον ὡς Ζηνὸς ἐκ ἀνόνητον ἔφυ.

Prudentius ex oraculo Moſaico Geneſ. 18. II.

Hoſpitium hoc Domini eſt, ilex vbi frondea Mambre
Armentale ſenis protexit culmen.
ὤφθη αὐτῷ Ἀβραὰμ ὁ θεὸς πρὸς τῇ δρυῒ τῇ Μαμβρῇ. At Geneſ. 35. quercus vocatur ἡ βάλανος, à fructu; vbi agitur de ſepultura Deborę nutricis Rebeccæ ἐτάφη κατώτερον Βαιθὴλ ὑπὸ τὴν βάλανον. & vocauit Iacob quercum illam βάλανον πένθους.

AD EMBLEMA CCII.

Metaphraſis diſtichi Alciati in Abietem.
εὔπλοος ἥ τ' ἐλάτη φύεται ἐν ὄρεσιν ἄκροις.
Ἀντιθέτοις δὲ τόποις πλεῖστον ὄνειαρ ἔφυ.

Ἢ

Τῆχος ἁλὸς ἐλάτη πέλ' ἐν ὄρεσιν ὑψιπέτηλος.
ὥσμιγ' ἀπ' ἀντιθέτων ἐςὶ τόπων ὄφελος.

AD EMBLEMA CCIII.

Alciati προσλεγεῖον libuit hoc diſticho Grę co Iambico rependere:
πεύκη παραφυάδ' ὅτιν' ἐκβάλλει ποτὲ,
ἔοικε δ' ἄνδρεσσιν γόνυ τιθεμένοις.

III. Stolones. *Stolones*] Ariſtoteles 1. de moribus ad Nicomach. vbi adoritur ideas Platonicas exagitare, ſcribit τὸ πρός τι παραφυάδι ἔοικε καὶ συμβεβηκότι τοῦ ὄντος. Quod cum aliquo confertur ſimile eſſe ſtoloni propaginive, eiq; rei, quæ ſubſtantiæ accidit: vbi arboris trunco ſubſtantiam, ſtolonibus accidentia comparat.

AD EMBLEMA CCIV.

Alciati tetraſtichi metaphraſis Græca.
Τρώγειν γηθομένας κῦρ μῆλα κυδώνια νύμφας,
τάξασθαι λέγεται θεσμοθέτης ὁ Σόλων.
Ὡς στόματι στομάχῳ τ' ἐρίηρ; ὄφρ' ἆσθμα γένοιτο
ἥδιστον κεῖναις, λειριόεσσά τε ὄψ.

AD EMBLEMA CCV.

III. Ciſsus. De Ciſſo puero, qui Dionyſio in delicijs fuit, deq; eius transformatione in κισσὸν, hederam, Nonnus poeta lib. 12. Dionyſiac. ita canit:
Κισσὸς ἀερσιπότης ἐρόεις νέος ἐς φυτὸν ἕρπων.
ἔσαι κισσὸς ἕλιξ καὶ ἐν ἔρνεσι. Sic lego, non ἔσσεται.
Procerus Ciſſus gratus puer, exilit arbor:
Flexilis hinc erit in plantis hedera ſtirps.

AD EMBLEMA CCVI.

Noſtram Metaphraſin Græcam diſticho Alciati hic ſubnectere non cunctabor:
Ὅττι πρῖνος βλαβερῷ αὐτοῦ κατακόπτεται ἴσχυ,
Σύμβολα ῥ' ἐμφυλίου δηιότητος ἔχει.
Obſeruandum apud Eſaiam cap. 44. v. 14. vbi verſione vulgari ſeu Hieronymiana legitur, *Tulit ilicem & quercum*, &c. ſeptuaginta interpretes Græcos habere, καὶ ἔλαβε ἀγριοβάλανον καὶ δρῦν. Hoc animi cauſa. Sed animi cauſa addatur hæc parodia Virgiliana: II.
Qui ſemet frāgit, vult eſſe ſub ilicibus ſuis.
Romanos non minus quàm Bœotos malus abſtulit error πολέμου ἐραμένους ἐπιδημίου ὀκρυόεντος, expertos ſerò vt robur conſilij expers mole ruat ſua. Vtinam Chriſticolis nationibus θρησκείαν φιλανθρωποτάτην (vt meritò Syneſius Religionē Chriſtianam vocat) profitentibus idem iure obijci non poſſet; nec vnquam ilicis vim natu ramq; ipſis imitari libuiſſet. IV. Seditio perniciosa.

AD EMBLEMA CCVII.

Alciati diſtichum Græcum factum.
χρύσε' Ἀφροδίτης τάδε μῆλα, πικρὴν γλυκύτητα
Σημαίνει Δαναοῖς ὡς γλυκύπικρος ἔρως.

AD EMBLEMA CCVIII.

Alciati tetraſtichum Græcè redditum.
χλωρὰ κ' ἀειθαλεῖς, θαλλῶ πύξος μάλα γ' ὕλῃ
ὥσπερ ἀνίσοισιν ῥ' αὐλὸς ἔγεντο τρόποις.
Ταίγμασι καὶ μαλακοῖσιν ἐρασαῖς προσφόρον ἔρπες
χλωρὸς ἐρασὴς πᾶς, πύξος ἔφυ χλοερά.
Sed quid ad Emblema? Buxus perpetuò vernat, criſpo cacumine, & è cuius ligno bonæ fiſtulæ tornantur, quod amaſiorum vitam ſymbolicōs repræſentat, viror ſpei ſymbolum; & quid non ſperant miſeri amantes? Sed id quidquid eſt amorum, omne ad fiſtulas, resq; nugatorias impenditur, puta verſus amatorios & cantilenas, quibus ocioſorum & ſinguentium occupatur animus. Quin palleſcunt amantes, inter ſpem metumq; dubij. IV. Buxus amātium ſymbolū.

AD EMBLEMA CCIX.

Metaphraſis Græca Alciati diſtichi.
πίπτ' ἄνθη φύλλων προβαλοῦσα ἀμύγδαλε θάλλεις,
Μισῶ πρωθῆ βας οἷς πρὸ τριχῶν σοφία.

AD EMBLEMA CCX.

Vis noſtram Alciati diſtichi Gręcam verſionem, ὦ φιλέλλην; paulò liberiorem?
Ἡ μυ-

Ἡ μορέα βράδιον βλαστεῖ ψύχους μετ' ἰρωὴν
ῥιγεδανοῦ, εὔφρων καὶ σοφόδενδρον ἅμα.

II. De moro arbore (quam μορέαν Græci vocant, vt fructum eius μόρον, prima correpta, & à Latinis producta, ratione proſodiæ accentusve, more ſuo) Ioannes Paſſeratius μακαρίτης. Collega quõdam meus, nulli flebilior quàm mihi, Siluam Heroicam cum Statianis certantem ſcripſit, qua perdiu diuino ſata carmine viuet morus, imò caneſcet ſeclis innumerabilibus.

AD EMBLEMA CCXI.

Alciati diſtichũ primum Græcè verſum.

Μάντις ἔχει ἀγαθὴ σωτήρια σύμβολα δάφνη.
κρατίγ' ὑποσρωθεῖς' ἀτρεκὲς εἶλκεν ὄναρ.

IV. Extat Libanij Ethopœia lepidiſſima pictoris fruſtra tentantis Apollinem pingere εἰς δάφνην ξυλίνην. pag. 43. noſtræ edition.

Docet autem Theophraſtus 1. de Charact. morum, cap. περὶ δεισιδαιμονίας, in princip. δάφνης εἰς τὸ σόμα λαβὼν. ſuperſtitioſum ambulare folia lauri ore prehenſo. Monet etiam Clemens Alexandrinus in προτρεπτ. καθαρεύων μεταλάμβανε θεοπρεπῶς, οὐ δάφνης μετέχων. *Piacula adhibeto Deo decora, non lauri folia*: Poetæ certè laurum mordentes imitantur Caſſandram δαφνηφάγον Lycophronis. Ideo tamẽ præclàriùs actum eſt cum Dione, eiusq; collegis Senatoribus, quòd Commodo geſticulante in theatro, δάφνης φύλλα διέφαγον. Sic enim ipſos ab Imperatoris ſæuitia ſeruauit Apollo. Xiphilinus in extr. Comm. *Superſtitio de lauri foliys.*

AD EMBLEMA CCXII.

Alciati diſtichi Metaphraſis Græca.

Ὅττι κόμην Ἀλκείδου λεύκη ἔστεφε δίχρους,
Ἀλλάσσει χρόνος ὡς νύκτα καὶ ἤμαρ ἄγων.

Tibi Chriſte σῶτερ ἀλεξίκακε Opt. Max. gloria in æuum.

F I N I S.

INDEX

INDEX
RERVM ET VERBORVM,

Emblematum, Hiſtoriarum, Apophthegmatum, Sententiarum, Prouerbiorum, Fabularum, Mythologiarum, Hieroglyphicorum, Aenigmatum, Nummorum, Deorum, Hominum, Animalium, Arborum, &c. memorabilium, per totum Opus ſparſorum locupletiſſimus & accuratiſſimus.

A.

AEderitica mens. *adagium.* 67.b.
Abderologus. *ibidem.*
Abdomẽ quid propriè, quid figuratè. 398.a.
ABIES. 857.
Abies fretu apta. 858.a. *ſymbolum commoditatis in rebus aduerſis.* *ibid.*
Abietis deſcriptio. 857.a.
Abſtemius. 95.b. & 132.b.
Abſtemij per ſalicem deſignati. 856.b.
Abſtemios reddit aqua lacus Clitorij. ibidem. a.
ABSTINENTIA. 176.
Abſtinentia. 192 a. *ab eſu piſcium.* lv. *à muneribus capiundu.* 176.a. *triplicem habet gradum.* 192.a.
Abſtinentia officia. 192.a.
Abluere manus olim quid. 177.a.
Ablutio manuum innocentia hieroglyphicum. *ibid.*
Abuſus lingua. 66 b. *veſtium ſericatum.* 352. a.b.
Accola & Incola. 205.a.
Acceptor perſonarum non ſit iudex. 622. a.
Acanthia cicada. *adag.* 777.b.
A carceribus ad metam. *adag.* li.b.
Achelous in varias formas mutabilis. 764.b.
Acheloi cornu. 509.b.
Acheron fluuius Epiri. 660. b. *Heraclea. ibid.* a. *infernalis. ibid. vnde dictus. ibid.*
Achilles à Chirone eruditus. 624.a.b. *Æacides dictus.* 582. b. *formoſiſſimus Græcorum ab Homero introducitur.* 446. b. *flaua coma ornatus.* 503.b. *lyra modulis furibundum animum ſedabat.* 64.a. *Medicus* 624.b. *murus Græcorũ.* 583.a. *Tenedu odioſus.* 584.a. *vitijs enormibus obnoxius.* 583. b. *vnde ſic dictus.* 624. b. *vt tractarit Hectoris occiſi corpus.* 655.a.
Achillis arma ad Aiacis tumulum delata. 163.a.b. *ſepulchrum coronis ex amarãtho redimitum.* 582.a.
Achillis Statij locus, de amore puerorum. 371.a.
Achimi. 719.b.
Ἀκριδοφάγοι *populi Æthiopia.* 551.a.
Ἀκρόκαρπος *quid.* 326.b.
Acropolis Athenarum, & in ea mira 78.b.
Actaon cur in ceruum mutatus. 252.b. *pro ſuis canibus patrem orat.* 893.a.
Actaonis fabula, 251 b. & 252.a. *mythologia.* 252.a.b. & 254.a.
Actaones venatores. 254.a.
Actia matris Octauij Auguſti ſomnium. 11.b.
Allij ſinceri lepidum pro oculis remediũ. 319.a. *Tragici poeta de ſe ipſo iudiciũ.* xjj. & 876 a.
Adagium & Symbolum inter ſe differunt. lx.b.
Adagiã. Vide, Prouerbia.
Adamitarum ſecta à Ziſca Bohemo deleta. 710.b.
Ad Cynoſarges. *adag.* 601.a.
Addere quàm auferre magis regiũ. 628.b.
Ad finem vbi perueneris, ne retrouertare. *adag.* li.a.
Ad fractam canis. *adag.* 777.b.
Adhortatio ad preparationẽ mortis. 662.b.
Ioſeph ad Iudaos, ne manus ſibi inferant. 517.a.b.
Aditus virtutis qualis. 519.b.

Ad-

Admiſſarij, homines immoderatæ libidinis. 332. a.
Ad nuces redire. *adag.* 2. b.
Adoleſcentis deſcriptio. 263. b. *reſponſum argutum ſeni cuidam datum.* 873. b.
Adoleſcentes prodigi Actæoni comparati. 254. b. *quibus luſibus indulgeant.* 2. b.
Adoleſcentia ad vitia prona. 98. b.
Adoleſcentiari, quid. 498. a.
Adonibezecus legē talionis expertus. 464. b.
Adonidis fabula. 342. a.
Adorare pro Fari. 50. a. *pro Ori admouere.* 49. b. *quid Nonio ibid. quid propriè. ibid. ſacram purpuram.* 50. a.
Adorato circumactus. *adag.* 55. a.
Adoraturi ſedeant. *adag.* *ibid.*
Adorea, quid. 829. b.
Adraſte & Ida nymphæ, Iouis nutrices. 509. b.
Adraſtia Nemeſis. *adag.* 162. b.
Adraſtia quæ. 158. a.
Adriani apophthegma, de bono Principe. 657. a. *nummus.* 173. b. & 228. a.
Aduerſarij S. Crucis. 202. a.
Aduerſæ res ſtatim accedunt, tardè recedunt. 563. a.
ADVERSVS naturam peccantes. 353.
Aduerſus Solem ne loquitor. *adag.* 113. b.
Aduerſus Solem ne meijto. *adag.* *ibid.*
Adulatio comes magnæ fortunæ. 195. a. *in aulis Principum plerumq; dominatur.* 196. b. *malum perpetuum regum.* 195. a. & 257. b. *taxata.* 196. b.
Adulator vt Chamæleon. 256. a.
Adulatores Conſtantij. 196. b.
Adulatorum mores. 257. a. b.
Adulteri caſtrati. 238. a.
Adulterorum pœna apud varias gētes. *ibid.*
Adulterarum duarum hiſtoria duæ facetæ. 603. a. b.
Adulterium quantum crimen. 238. a. *unde ſic dictum.* 276. a.
Adulterij proœmium oſculum. 127. a.
Adulteratio moſchi. 350. b.
Aduocatus Mediolani Alciatus. xxvi.
Æacides dictus Achilles. 655. b.
Ææa cur dicta Circe. 759. a.
Ædis Spei Romæ. 228. a.
Ægeus Theſeum mortuum credens in mare ſe præcipitat. 500. b.
Ægidij Boſij ſymbolum. lxii. b.
Ægri pileati. 613. b.
Ægroto dum anima eſt, ſpes eſt. *adag.* 229. b.
Ægyptus cur tot Deos effinxerit. 410. a.
Ægypti hieroglyphicum, ibis auis. 381. a.
Ægyptiæ mulieres cur diſcalceatæ. 856. a.
Ægyptij cur ſalem omnem auerſabantur. 323. a. *cur ſphinges præ foribus templorum ſtatuerint.* 802. b. *Deum cæruleæ veſte indutum fingunt.* 504. a. *primi inuentores ſymbolorum.* xlv. a. *quid per leonem deſignabāt.* 86. b. *quid per oculum in ſceptro regio.* 110. b. *quid per ſerpentem.* 10. b. & 11. a.
Ægyptiorum literæ, earumq; inuentio. 782. b. *mos in eligendis regibus.* xlvi. b. *ſeuera lex de ſilentio.* 7x. b.
Æliani locus de caſtore. 652. a. *de ſargo piſce.* 334. a.
Æliorum concordia. 675. b.
Aello Harpyia, vnde dicta. 181. a.
AElurus ſymbolum ſalaciſſimæ fœminæ. 349. b.
AEmilianus Scipio inuidia preſſus. 320. a.
AEmonia, Theſſalia eſt. 707. a.
AEMVLATIO impar. 608.
AEmulatio duplex, vtilis & pernicioſa. 610. a. *inter diſpares patria aliquando vehementior.* 780. a. *rei honeſtæ ingenij vires intendit.* *ibid.*
AEneas pietatis exemplar. 830. a. *pulcherrimus à Virgilio inducitur.* 446. b.
AEneæ pietas. 829. a.
AEnigma de anno. 422. b. *de coniugio.* 820. b. *de filiabus Cadmi, Auſonij.* 782. a. *de gallo in pinnis templi.* 89. a. *de lucanica.* 234. a. *de termino.* 670. a. *Samſonis.* 738. b. *Sphingis.* 797. b.
AEnigmata de gallo. 87. a. b. *de teſtudine.* 824. a.
AEnigmatum lex. lxiii. a.
AEqualitas in hæreditate ſeruanda. 850. a. *in ſuos per cupreſſum deſignata.* 849. a.
AEquum eſt cum ea pati, quæ in alios feceris. 464. a.
AERE quandoq; ſalutem redimendam. 651.
AErarium quid. 628. a.
AEruſcatores qui. lii. a. & 305. b.
Aerius, pro alto. 173. a. 326. a. & 539. a.
AEſchylus poeta non niſi inter pocula tragœdias ſcribebat. 233. a.
AEſculapius quis. 638. b. *ad Sycionios mulorum bigis inuectus.* *ibid.* *cur Deus habitus.* 637. a. b. *cur fulmine ictus.* 895. a. *cur lauro redimitus.* 884. a. *Medicorum præſes.* 640. b. *ſub forma ſerpentis cultus.*

tus. 637.b.
AEſculapij hiſtoria, ex Valerio Maximo. 638.a. mythologia. 640. b. templum. 639.a.
AEſtatis ſignum ciſta ſpicis referta. 420.b. cuculus. ibid.
AEſtus, & Aeſtuarium quid. 702.b.
AEſtuaria inſula Venetorum exordiũ. ibid.
AEtas Ciceronis. 169.a.
AEtates hominum anni temporibus comparata. 422.a.
AEtatum varia diuiſiones. 3.a.
AEternitatis conſideratio. 671.a.
AEternitati cedit terminus. ibid.
AEther. 84.b.
Aethiops non albeſcit. adag. 274.a.
Aethiopem dealbare. adag. ibid.
AEthiopes cur nigri. 273. b. vnde dicti. 274 a.
AEthon, Solis equus, cur ſic dictus. 265. b.
A fabis abſtinendum. adag. l.b.
affabilitas Nicolai de Oddis. xvi.b.
affectui oculorum ſimilis liuor. 318.a.
affectus amoris à Plauto expreſſi. 445. b. coloribus exprimuntur. 500. a. debent cedere iuſtitia. 165. b. furioſi. 732. b. impotentum hominum. 729.b. moderandi. 262.b. omnes præter pudorem in amore concurrunt. 444.b. praui in omni homine. 580.a. ſedati ſint in iudicibus. 620.a.
Afri, miræ calliditatis gens. 38.b.
A frõte & à tergo. adag. 109.a. & 891.b.
A gallo candido abſtineas. adag. liii b.
Agamemnon. 240.b. quis, & vnde dictus. 269.a.
Agamemnonis clypeus. 269.a. inſignia leo. lvi.a. & 268. regia ſententia. 899.a.
Agamemnoni quid vitio datum. 266.b.
Agaſiclis apophthegma, de regimine principum. 64.b.
Agathoclis Peripatetici iactantia retuſa. 310. a.
Agendi initium ſecundum vires cuiusq; ſumendum. 119 a.
Agentes & conſentientes pari pœna puniuntur. 726 a.
Ageſilaus noluit ſimultatem exercere cum Lyſandro mortuo. 656.b.
Ageſilai apophthegma, de ciuitatibus Spartanis. 64 b. de concordia. 215.b. tumulus. 184.b.
Agidis apophthegma, de æditoribus, 260.b.
agilitas delphini. 702.a.
Aglaia, vna Gratiarum, vnde dicta. 688.b.
agmen formicarum, ſeu cohors pulicum faciliùs cuſtoditur quàm vna fœmina. 128.a. militare Macedonum Phalanx dicebatur. 73.b.
agnomina, quæ pueri maioribus impingũt. 408. b. varia rabularum forenſium. 404.b.
agnus vellere purpureo natus, quid portenderit. 809.a.
agon Capitolinus à Domitiano inſtitutus. 854.a.
agrorum fertilitas per Gratias ſignificata. 688.b.
agricola cur dicti cuculi. 277 a.
agriculturæ vtilitas & voluptas. 223.b.
Agrigentini colorem cæruleum geſtari prohibuerunt. 504.b.
Agrippa ficticius. 76.a.
Aiax ſcutifer. 706 b. ſe ad arma componens Deos inuocat. 547. a. vnde ſic dictus. 165.a. 240 a. & 893.a.
Aiacis cum Vlyſſe contentio. 163.b. inſania. 731.a. mors. 732.a. tumulus vbi. 240.a.
Aiacis riſus. adag. 732.a.
Αἲξ Σκυρία. adag. 606.a.
alæ ingenij vigorem & acumen ſignificant. 521.a.
alauda auis. 152.a. & 439.b. galerita & caſſita eadem. 439 b. in gramine nidificat. 153.b.
Alaudæ in nido latet gramen. adag. ibid.
alaudæ, milites galeati. 439.b.
albus color qualis. 501. b. quid ſignificet. 502.a. gaudium 501.a. integritatem. 257. a. ſignum autumni. 506.b.
album & purpureum quid. 502.a.
alba indumenta in conuiuijs. 502 a. in cultu diuino. 501.b.
alboris ſignificationes. ibid.
ALBVTII ad Alciatum, ſuadentis vt de tumultibus Italicis ſe ſubducat, & in Gallia profiteatur. 631.
Albutij Mediolanenſis Emblema ad Alciatum. xxxii.
Alcæus & Ariſtophanes vino madidi ſcribebant poemata. 133.a.
alcæa cauda leonis. 200.a.
Altatraz auis Mexicana qualis. 403.a.
alce fera. 23.a. vnde dicta. 24.b.
alcis deſcriptio ex Cæſare. 23.a.b. ex Plinio, Solino, & Pauſania. 24.a. paſcendi modus. ibid. vngula, remedium epilepſia.

pſia. 24.b.

Alcedonia ſunt apud forum. *adag.* 745.a.

Alceſtidi tarditas obiecta. 877 a.

alchymia. Vide, *Chymia.*

alchymici viua pictura. 537.b.

Alciatus ad Bituriges euocatus. xxvi. *aliàs Alzatus dictus.* 24. b. *apud Bituriges Ius ciuile docet.* 19. b. *bellicis tumultibus agitatus.* xxxii. *Bononia docet.* xxvi. *carmine à maleuolo quodā ſuggillatus.* xxxiv. *cur aliquādo à communibus opinionibus deſciuerit.* xxviii. *Doctor Iuris creatur.* xxv. *erroris argutus defēditur.* 707 a. *Ferraria docet.* xxvii. *Gratijs talaria addidit.* 689. b. *inuidia preſſus.* xxix. *Iuris ſtudia priſtino nitori reſtituit.* xxviii. *leuiter correctus.* 195. b. *Mediolanenſis.* lxvi. *Mediolani aduocatum agit.* xxvi. *notatus.* 179.a. *profitetur apud Aueniomenſes.* xxvi. *pro obſcuro habitus, & cur.* xxix. *quadam ſcripta ſua recoxit et correxit.* xxxii. *quibus ſtimulis incitabatur ad mutandam docendi rationem* xxxi. *Senator Frācisci Sfortia.* xxvi. *Ticini docet. ibid. Ticinum reuocatus.* xxvii. *Ticinum tertiò redit. ibid. vnde ſic dictus.* 24.a.

Alciati ad Bituriges carmen. xxxiv. *amici.* xxxiii. *candor & induſtria.* xxx. *docendi munus.* xxxi. *Emblema in detractorē σύνδρομον.* 608. & xxxiii. *in padotribas* 691. *et* xxxiii. *Emblemata philologis omnibus probata.* xli. *excuſatio de frequenti locorum mutatione.* 612.a.b. *ingenioſa deciſio.* xxv. *inſignia gentilitia.* xxxv *et* 507. *lapſus.* 424.b. *laus in aliena patria* 612.a. *lectio qualis.* xxx. *linguarum peritia, eloquentia, doctrina, & ſolertia.* xxvii. *locus de inſignibus Mediolanenſibus.* 10 a. *de methodo ſtudiorum* 105. a.b. *de principum electione.* 209.a *maleuoli et amuli.* xxxiii. *memoria lapſus.* 582.b. *methodus docendi.* xxix. *morbus, mors & ſepultura.* xxxiv. *mors quando incidit.* 154. a. *oratio extemporanea.* xxvi. *paradoxa quando edita.* xxviii. *patria.* xxv. *praceptor Ianus Parrhaſius. ibid. ſtipendium.* xxvi. *ſymbola qua* xxxv. *et* 507.b. *vita.* xxv. *& ſeqq.*

Alciatorum ſchema. 24.a.

Alciata gentis inſignia. 23.

Alcibiades cur naturam Chamaleōtis habere dictus. 257.a. & *Critias leui cauſa ab officio auocati* 365.b. *poeta, adoleſcens factioſus.* lii.b. *vt rumorem populi inhibuerit* 347.b.

Alcides vnde dictus Hercules. 271 b. 755.a.

Alcimenas auceps. 439.a.

alcyon an Halcyon ſcribendum 744 a. *cur hyeme pariat.* 743. b. & 744 a. *hieroglyphicum iuſtitiæ forenſis.* 744. b. *Latinis Alcedo. ibid.* a. *vnde dicta. ibid.*

alcyonis forma. 742. a. b. *nidus qualis.* 742.b. 743. a. & 902. a. *ſolertia in nidificando.* 743.a.b.

alcyonum fabula. 744 a. *nomina. ibid.*

alcyonij dies qui. 744.b.

Ἀλκυόνιον, *ſpuma marina.* *ibid.*

Aldi Manutij ſymbolum. lxi b. & 616.a.

Alc luporum catulos. *adag.* 254.b.

alea ludo vita hominis comparata. 558.b.

alouada Theſſali. 194.a.b.

Alexāder Epirota oraculo deceptus. 660.b.

Alexander Magnus ambitioſus. 267.a. *cadaueribus pontis loco vſus.* 656. b. *cum Roxane concumbens cur panem gladio diuiſerit* liv.a. *cur Iouis Ammonis dicatur filius* 13.b. *cur ori Hephaſtionis annulum appreſſerit.* 68. b. *inſatiabilis.* 267. a. *inuidus* 320.a. *ira percitus Clytum amicum interfecit.* 288.a. *Pellaus iuuenis vnde dictus* 12.b. *Promachum corona donat ob bibacitatem.* 327. b. *quos formidaret.* 710.b.

alexander Pheraus ab vxore Zelotypa occiſus. 244.a.

Alexandri Magni ambitio. 266.b. & 267. a. *apophthegmata de inuidis.* 319.a. *in rigidos vectigalium exactores.* 628. b. μηδὲν ἀναβαλλόμενος. 24. a. *bibacitas.* 147.a. *celeritas & feſtinatio* 25.a. b. *continentia.* 192.b. *laus, ex Seneca.* 25.a. b. *mater Olympias.* 13. b. *nummus* 10 a. *ortus preclarus.* 14 a. *pernicacitas.* 25.a *ſymbolum ſerpens.* lvii.a.

Alexandro emblema acceptum. 10. a. *hirundo garriens periculum præſagit.* 315. a. *reſponſum à pirata datum.* 209.b.

alexandria πόλις *dicta per excellentiam.* 485.b. & 578.b.

alexandrinus Iuriſconſultus Alciato infenſus. xxxiii & 609.a.

Ἀλεξεῖν, *quid.* 341.a.

Ἀλεξητήριον, & Ἀλεξιφάρμακον, *quid. ibid.*

Alexius Comnenus filio purpureos calceos dedit. 42.b.

aliens

Alieus campus Lyciæ, à caſu Bellerophontis ſic dictus. 82.b.
A L I Q V I D mali propter vicinum malum. 698.
Aliquid mali propter vicinum malum. *adag.* 181.a. & 700.b.
Aliud agere, qui dicantur. 105.b.
A L I V S peccat, alius plectitur. 728.
allectator. 246.b.
Allegoria armorum Amoris. 479.a. *Castoris & Pollucis.* 227.b. *de principum conditione.* 197.b. *ex Pontico Heraclide de Ate & Litis.* 563.b. *Seruij de Prometheo.* 428.a.
allegoriæ poeticæ ratio. 27.b.
allegoria laborum Herculis. 593.a.
Aller leut freund, iedermans Geck. *adag. Germ.* 101.a.
Ἀλλοπρόσαλλος, *qui.* 282.b.
Ἀλλοτριοφάγοι *adag.* 397.b.
altare. 235.b.
Alter Ianus. *adag.* 109.b.
Alterum pedem in cymba Charontis habere. *adagium.* 660.a.
alphabetum aulicum. 379.a.
Alphonſi apophthegma de iudicibus. 622.a. *inſigne, liber apertus.* lix.a.
Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus. *adag.* 98.b.
amabiles poſt mortem. 716.b.
amalthea unde dicta. 511.b.
amalthea capra cornu quid. 510.b. 511.a. *bi fabula.* 509.b.
In Amando delectus & conſilium. 335.b.
amans à Plauto expreſſus. 814.a. *qui verè amat, ſemper amat.* 678.a.
amantes nullum periculum refugiunt. 477.a. *pallent.* 874.b.
amantium conditio per buxum repræſentata. 874.b. *ſymbolum buxus.* 904.b.
amantibus cur tribuitus color flauus. 503.b. *ubique tuta via.* 477.a.
amara Cypris eſurientibus. 343.a.
amaranthus aqua tepida hyeme reparatur Venetijs. 583.a. *cur tumulis apponi ſolitus.* 582.a. *cur viridis dicatur.* 582.b. *qualis flos.* 583.a.
Amare, aliquando verbū petulantiæ. 323.b.
amaſia iuſſu Galeazius Mantuæ Dux ſe in flumen præcipitat. 445.a.
amaſius nullus deformis. 308.b.
Amaſis regis fatum. 209.b. *ſphinx.* 802.b.
amator ut aries ſtolidum animal. 332.b.
amatores meretricum. 335.a. *ſenes à Plauto irridentur.* 498.b.
amatorum mores. 903.a.
amazones ab Hercule deuictæ. 596.b. *cum Chimæra comparatæ.* 84.a.
amazonum allegoria. 596.b.
ambages. 171.a.
ambidextri homines. 121.b.
Ambigatus Rex Celtarum. 19.a.
ambitio Alexandri Magni. 266.b. & 267.a. *C. Marij* 266.b. *Cn. Pompeij.* 266.b. & 267.a. *Iulij Cæſaris.* 266.b.
ambitionis mala. 266.b. & 267.a.b.
ambitioſi & auari lupo ceruario collati. 295.b.
D. *Ambroſij conſilium Theodoſio datum.* 881.a. *locus de æqualitate hæreditatis.* 850.b. *de galli cantu.* 87.a. *de locuſtis.* 553.b.
amens. 67.a.
amica quæ. 78.b.
A M I C I T I A etiam poſt mortem durans. 676.
amicitia in aduerſis cernitur. 678.b. *quæ deſinere potuit, numquā vera fuit.* ibid.a.
amicus & amator differunt. 78.b. *omni tempore diligit.* 678.a. *ſimulatus ægrè declinatur.* 245.b. *verus dimidium animæ.* 678.b.
amici veri typus. 684.b.
amici fucati non admittendi. lii.b. *Ixionis qui Heliogabalo.* 197.b. *plures oppreſſerunt quàm inimici.* 98.a. *qui deligendi.* 678.a.
amicorum duo genera. 485.b. *octo tantùm paria leguntur.* 679.a.
A M I N I M I S quoq; timendum. 709.
amiratus regū Siciliæ à Matthæo Bonello occiſus. 721.a.
amis quid. li.a.
Ammiani locus de elephantis. 534.b. *de Nemeſi.* 160.a.b.
ammon cur dictus Iupiter. 13.a.
Ἀμυνσίας *lex.* 577.b.
Amor affectus potentiſſimus. 442.a. *aliger, & quare.* 451.a. *amaror.* 472.a. *animæ otioſæ affectus.* 481.a. *animi arbitrio ſumitur, nō deponitur.* 478.b. *apibus comparatur.* 472.a. *artium magiſter.* 449.b. *carnalis, ex Seneca.* 476.a. *caſtus & pudicus.* 57.b. *coniugalis.* 679.a.b. *coniugalis qualis eſſe debeat.* 820.a. *cur alatus.* 479.b. *cur cæcus.* 480.a. *cur Honori iunctus.* 57.b. *cur ignis dictus.* 452.b. *cur nudus.* 476.b. *cur pēnatus.* 479.b. *cur*

b. cur pharetratus.ibid.a.| diuinus quomodo γλυκύπικρος.483.a. diuinus totus ignis.ibid. diuinus Venereum diſſipat. 453.b. diuinus vnde petendus. 483.a. diuiſus infirmior. 346.a. diuitiarum multos à virtute auocat. 571.b. duplex quid ſignificet. 460.b. eſt pulchritudinis deſiderium.446.b. & Fortuna in eodem delubro culti. 130.a. & regnum non patiuntur ſocium. 400.b. & vinolentia tegi non poſſunt. 476.b. & 872.b. & voluntas omnes difficultates ſuperant.518.b. Euryali & Lucretia,apud Silnium 445.a. ex otio naſcitur.481.b. ex otio ortus laborem creat. ibid. & b. extorqueri non poteſt, elabi poteſt. 479.a. facilè irrepit in otioſos. 481.b. fœmina Smyrnea in coniugem demortuum. 679.b. fulmine fortior. 451.b. fugitiuus in Italicam linguam traductus à Nicolao de Oddis. 659.a. fugitiuus Politiani. 475.a. γλυκύπικρος.468.b.& 871.a.b. hedera comparatur.866.b. Honori iunctus Verecūdiam creat.58.a. igneus.480.b. ignis, imò igne fortior.451.a. & 452.b. incōſtās. 478.a. in gemma ſculptus. 442.a. in maritum vxoris Domitij Tulli. 846.a. inter confœderatos.452.b. labor iucundus. 481.a. laqueos vndiq; tendit.125.a. leonum domitor.442.a. L.Vitellij in libertinam.444.b. M.Antonij in Cleopatram.ibid.a. melle & felle eſt fœcundiſſimus. 482.a. mellilegus depictus apud Aloyſium Corradinum. 471.a. mellilegus Nicolai de Oddis, ex Theocrito. ibid. militia eſt. 481.b. mirus Claræ Ceruentæ in maritum valetudinarium. 846.b. multorum malorum cauſa.472.b. mutuus palmæ arboris.200.a.b. Neſtore & Iapeto ſenior. 477.b. nudus,ridens,nullis armis inſtructus. 447.b. & 448.a. omnia domat. 448.a. optima principis cuſtodia. 64.b. πανδαμάτωρ.448.a.& 451.b. peregrinatione declinatur. 492.a. Philippi in Theſſalam mulierem.491.a. plus poteſt quam vis. 453.b. pudicus Honorem & Veritatem colligans. 57.b. pullorum in palumbe. 825.a. Pythagoræ in gallos albos. liv.a. quantam vim habeat animos flectendi. 449.a. qua ratione vincat ætate Neſtorem. 477.b. quomodo ab amore ſuperetur.463.b. quomodo generetur, phyſicè, 472.a.b. quomodo inhiberi & ſopiri poſſit.347.a. res leuis.ibid.b. ſine arcu & telis.447.b.& 448.a. ſenilis,error dicitur.660.b. ſenilis turpis. 496.b. ſenilis vehemens.497.b. tribus rebus inducitur. 489.b. triplex apud Apuleium. 460.b. triplex ob pulchritudinem triplicem.446.b. turpis vt pellatur. 463.b. τυφλὸς καὶ τυφλοποιός. 480.a. velociter accedit,tardè diſcedit. 478.a.

AMOR filiorum. 824.

amoris affectus à Plauto expreſſi. 445.b. antidotum. 492.a. antiquitas. 477.b. armorum allegoria.479.a. cœleſtis effecta.460.a.b. coniugalis virtus. 847.b. definitio ex Theophraſto. 478.a. deſcriptio ex Marullo. 474.b. deſcriptio ex Phornuto. 475.b. deſcriptio ex Propertio.ibid. deſcriptiones variæ.481.a. diuini ſymbolum S. Crux. 482.b. diuini vis.483.b. error & inconſtantia. 478.a. & Mortis error.658.b. honeſti agalma.458.a. illecebra. 489.a. impatientia qui ſe occiderint.444.b. initium,viſus.490.a. inſignia.473.b. mel & fel. 468.a. natura. 478.b. petulantia per Chimærā denotata. 83.b. pictura. 473.b. potentia & vis.449.a. præſtigium præſtigio non pellitur. 347.a. ſtatua & deſcriptio. 474.b. & 475.a.b. ſymbolum citrus. 872.a. ſymbolum glans punica in nigro clypeo.481.b. turpis amuletum efficax. 492.a. vis. 444.a. vis in cæteros Deos.452.a. vulnera ex oculis. 490.a. vulnera qualia. 472.a.b.

Amori fax attributa.448.a.& 458.b. qui inter doctos operam dederunt. 455.b.

amorem accēdunt verba & cantus.489.b.

amore captus ſtudioſus.455.b. non capiuntur Muſæ. 492.b. à turpi cauendum. 335.a.b.

amores duo. 460.a.

Amphiaraï inſigne draco. lvi.a.

amphisbæna ore parere traditur. 14.a.

amplexari pedeſtrem Philoſophiam, quid? 35.a.

amuletum quid.341.a.& 346.a. ad amorem.346.b. contra obtrectatores.696.b. ſacrum contra amorem. 348.a.b. vnde dictum. 346.a.

AMVLETVM Veneris. 340.

amuletorum differentia. 341.a.

Amiclæ in Italia à ſerpentibus deleta. 711.b.

AMYGDALVS. 875.
Amygdalus ſymbolum præcocis ingenij. 876. a.
amygdali deſcriptio. 875.a.b.
Anacharſis apud ſuos nullus, Athenis admirationi fuit. 654.a.
Anacharſidis apophthegma de foro 465.b. & 713 a. de inuidia. 319.a. de nauigantibus 704.a. dormientis decubitus. 76.b. 94.b & 192.b.
Anacreontis Ode, de Amore mellilego. 470.b.
Ἀναισθησία, & ſenſuum vacuitas. 299.a.
anagrammatiſmus artificium ad oſtentationem. lxiii.a.
anagrammatiſmi ratio quæ. ibid.
analogia prudentis cum moro. 880.b.
Anapij & Amphinomi fratrum pietas in parentes. 830.b.
anas vnde dicta. 246.b.
anathema Veneris, ſpeculum. 331.b.
Anaxagoras Solem ferri igniti maſſam credidit. 595.a.
Anchiſis ex tumulo ſerpens exiuit. 12.a.
anchora quid. 616. b. delphino iuncta. 616.a. pro refugio & ſecuritate. ibid. Thalaſſiarchi Gallici. ibid.a.
Anchora domus. adag. 616.b.
anchoræ orthographia. ibid.
Anchoram ſacram ſoluere. adag. ibid.
Anchoris duabus fultus. adag. 617.a.
Andocidæ Pythagorei ſymbolum. xlix.b.
Andreæ Cratandri de Chonrado Peutingero teſtimonium. 2. a. VVechelij ſymbolum Pegaſus. lxii.a.
Andronicus Imperator cornibus ceruorum paſſim affixis adulteras notabat. 278.b. ſenex puellam in vxorem duxit. 897.b.
ΑΝΕΧΟΥ καὶ ἀπέχου. 190.
Anello di fede, qualis. 211.a.
Angerona, ſilentij Dea. 68.b. & 69.a.
Angeronia & Volupia Dea apud Romanos. 468. b.
angeronia ſimulachrum. ibid.
angli diuinatoris vana prædictio. 436.a.
anguilla. 121.a. lubrica. ibid.
Anguilla in ſtrigmento. adag. ibid.
anguillæ ſerpentes fluuiatiles. 97.b.
anguillarum multitudo vbi. 121.a. natura. 383.b.
Anguillas captare. adag. 383.a.
anguillas captare qui dicantur. 383.a. & 384.a. in aqua turbida piſcari. 383.a.
anguis Ambroſianus Mediolani. 641. b.
quale hieroglyphicum in oſtentis. 11.b.
quid hieroglyphicè ſignificabat. ibid. rerum variarum hieroglyphicum. ibid. a. ſibi caudam mordens. quid. ibid. ſinnoſus. 12.a. tortilis Ducum Mediolanenſium inſigne. 10.a.
anguis praſagium. 11.b.
angues cur ſenectute abiecta quotannis reiuueneſcant. 51.a.
anguifer Dux qui. 574.b.
anguipedes gigantes. 37.a.
angusta cœli porta. xv.a.
animalia commoda & incommoda ſua norunt. 653.a. cor magnum habentia, timidiora. 252.b. duo, quæ non poſſunt cicurari. 693.b. ἡμερόβια. 877.a.
Animalia quadrupedia, quorum mentio fit in Emblematis Alciati. Alce 23. Aper. 542. Aries. 329. Aſella. 394. Aſinus. 47. & 373. Canis 251. & 695. Caper. 409. Capra. 289. 333. & 606. Catulus. 728. & 813. Elephantus. 533. & 734. Equus. 193. 261. & 533. Fiber. 651. Hinnulus. 294. Hircus. 321. Leæna. 77. 329. & 542. Leo. 86. 107. 268. 285. 442. 654. 751. 768. & 796. Lepus. 654. Luca bos. 533. Lupus. 289. & 714. Lupus ceruarius. 294. Mus. 281. & 401. Mus albus. 348. Mus Sarmaticus. ibid. Muſimon. 785. Muſtela. 545. Pellis leonis. 270. Pelles. 348. Pelles murinæ. 203. Sucula. 18. Sus. 233. 336. & 731. Taurus. 190. Veruex. 18. Vulpes. 803. Zibellus. 348.
animalia, quæ pro ſignis adhibita à Romanis. lvi.b. pro Dijs habita. 410.a.
animalium inimicitia poſt mortem. 715. a.b. quorundam ſolertia. 153.b. triage nera, acria, aquatilia, terrena. 413.a.
anima de cœlo eſt. 39.b. eſt non vbi animat, ſed vbi amat. 678.b. hominis æterna. 671.b. omnibus rebus corporalibus præferenda. 654.a. ſedendo fit prudens. 621.b. ſicca ſapientiſſima. 138.a.
Anima tres partes. 16.b.
animus ab externis minimè pendet. 206.a. ad ſuperna eleuandus. 39.b. & 40.a.b. aliquando relaxandus. 7. a.b. conſtans cuiuſdam Euſebij in tormentis. 80.a. humanus inconſtans & lubricus. 365. a. moderatus Artaxerxis. 636.a. moderatus Themiſtoclis. 629.b. pertinax Catonis improbatus. 516.b. vt auriga. 262.b.
animi amor Dijs gratus. 28.b. conteplatio

quæ.

qua.ibid. fores, oculi.490.b. fortis nota, ilex.870.b. partes duæ.413.b. puritas Deo gratiſſima.30.b. ſedes an in cerebro, an in corde.412.b. & 413.a. timidi eſt mortem ſibi afferre.514.a.b. voluptas magnum virtutis præmium, 195.b.
animum animo videre, maximum. 801.a.
Animi generoſi, qui amori ſuccubuerunt. 446.a.
Annæ Mommorancij ſymbolum, enſis nudus. lviii.b.
Anno Dux Carthaginenſium in exilium pulſus, quod leone pro iumento uſus fuerit. 170.b.
annona Romana. 745.a.
Annoſam arborē tranſplātare. adag. 853.a.
annulus in primis nuptijs cur detur. 840.b. pronubus ferreus. 862. b. pronubus ſponſæ pro arrha olim dabatur. ibid. ſervitutis ſymbolū. xlix.a. vnde dictus. ib.
annuli dextras implicitas exhibētes. 211.a.
annulorum origo vnde. 429.a.
annus luctus. 96.a.
anni hieroglyphicum, ſerpens in ſe euolutus. 569.b. quatuor tempora, eorumque munera. 421.b. ſymbolum Sol. xlviii.b.
anonymi cuiuſdam epigramma in meretricē Venetā. 330.b. in Phaethontē 265.a.
Antagoniſta fortunatorum inuidia Ariſtoteli. 319.a.
Ante barbam doces ſenes adag. 876.a.
Ante myſteria diſcedere. adag. 49.a.
Antequam incipias conſulto. adag. 116.a.
ΑΝΤΕΡΟΣ, id eſt, Amor virtutis. 457.
ΑΝΤΕΡΟΣ, Amor virtutis alium Cupidinem ſuperans. 461.
Ἀντέρως quis, & vnde natus. 458. b. & 460 a.
Anteuorta & Poſtuorta Romanis culta numina. 109.a.
Anthuſa nomen arcanū Vrbis Romæ 69.a.
Ἀντιάνειρα, vel ἀνδρὶς, virago. 79.a.
Antichriſtus creditur futurus Nero à quibuſdam. 291.b.
Antidota duo contra Sirenū cantū. 491.b.
Antigenidis apophthegma, aduerſus obtrectatores. xxvii.
Antigonus Liberum patrem imitatur hedera redimitus. 10.b.
Antigoni regis apophthegmata. de adulatione aulicorum 197 a. de filij temeritate. 266.a. de hoſte aggrediendo. 536.a. de regibus. 64.b. de taciturnitate. 72. b. clementia in maledicos. 635.a. reſponſum de mouendis caſtris. 72.b.
Antimachus Lyricus cur pſecas dictus. 407.a.
Antiochus & Charicles fratres, vt hereditatem diuiſerint. 850.a.
Antiochi Soteris nummus. 170. b. & 641. b. ſtratagema in Galatas. 533.a.b.
Ἀντίπαλος quid. 468.a.
Antipatri crudelitas in matrem Theſſalonicen. 291.b.
Ἀντιπελαργεῖν. adag. 173.a.
Antiphanes viuere & bibere in eadem ſtatera collocat. 132.b.
ANTIQVISSIMA quæque commentitia. 760.
Antiſthenes Athenienſes αὐτόχθονας vid. t. 587.a.
Antiſthenis apophthegma, de fratrum concordia. 215.a.
Antonini Auguſti nummus. 645. a. 769.a. & 853.b. nummi quatuor. 641.a. Pij apophthegma, de bono principe. 617.a.
Antonius. Vide, M. Antonius.
Antonius Rota Patauinus excellens lyriſta. 62.b. Verus à Lucilla zelotypa occiſus. 244.a.
Antonij Querengi epigramma, in annulū. 211.a. Thyleſij epigramma de Promethei furto. 428.a.
Anuli epigramma, de Narciſſo. 306. b. in indociles. 274.b.
anus cū ſaltat, morti delicias facit. 497.b.
anus cuiuſdam apophthegma in Thaletem aſtra contemplantem. 451.b.
Aonia vnde dicta Græcia. 782.a.
Apelles vulgus ſuæ artis adhibuit iudicem. 526.b.
Apellis pergula. ibid.
aper Erymanthaus, tertius labor Herculis. 595.b.
aper fulmen in dentibus habet. 542. b. impetus & furoris hieroglyphicū 595.b.
apri Erymanthæi allegoria. ibid.
apis & cupidinis collatio. 472.a. in adulteros ſæuitia. 469.a.
apes citius pungunt pollutos libidine. ibid. nec feri, nec manſueti generis ſunt. 471. b. ſola ex brutis regem habere dicūtur. 633.a.
apum natura. 633.a. rex an aculeum habeat. ibid.b.
apex genus geſtaminis Flaminis. 643.a.
Ἀφροδίτη cur, & vnde dicta Venus. 338.b. & 456.b.

Apicius gurges, & eius mors. 391.b. ſcripſit libros deguloſitate. ibid.

A piſcibus abſtineto. adag. lv.b.

Απιςία cur veteribus tantopere laudata. 93.a.b. & 98.a.

Apium ſepulchris adhibitum. 850.a.

Apio opus eſt. adag. ibid.

Απλανῶς. ſymbolum Annæ Mommorancij. lix.a.

Apodemius aſſentator Conſtantij. 257.b.

apodidraſcinda, ludus puerilis. 278.b.

Apollinaris carmen, de laboribus Herculis. 594.a.

Apollo Delphicus, teſſera L. Syllæ. xlvi.a. & Bacchus cur iuncti. 419.b. fidicen per cygnum deſignatus. 772.b. medicinæ vſum primus tradidit. 419.a. Pythius cur cognomen λοξίας habuerit. xlvi.b. vbi natus. 419.a.

Apollinis oraculum de Oedipode. 797.b. reſponſum Branchidis datum. 411.b.

Apollini ſacra cicada. 778.b.

Apollonius Rhodius ingratus in præceptorẽ. 381.b.

Apollonij apophthegma, de regibus. 93.a.

Apologi. de aſini pelle. 559.b. de aſino ſacra ferente. 47.a. de aucupe & vipera. 438.a. de bubone. 308.b. de caſtore. 651.b. de coruo & ſerpente. 722.a. de duabus ollis. 699.a. de leone & apro. 542.a. de leone & vrſo. ibid. de mure ob gulam capto. 402.a. de natiuitate duplicis Cupidinis. 460.b. de pinu & cucurbita. 539.a. de tubicine in bello capto. 725.a. de vitulo inteſtina vomente. 554.a.b. de vulpe & capite humano. 804.a.

Apophoreta, quid. 233.b.

Apophthegmata & patria ſeptem Sapientum. 786.b. Biantis Prienei. 793.b. & 794.a.b. Chilonis Lacedæmonij. 790.a.b. & 791.a. Cleobuli Lyndij. 789.b. & 790.a. Periandri Corinthij 791.a b. Pittaci Mitylenæi. 792.a.b. Solonis Salaminij. 792.b. & 793.a.b. Thaletis Mileſij. 794.b. & 795.a.

Apophthegmata variorum. Adriani Cæſaris, de bono Principe. 617.a. Agaſiclis, de regimine Principum. 64.b. Ageſilai, de ciuitatibus Spartanis. ibid. de concordia. 215.b. Agidis, de proditoribus. 260.b. Alexandri Magni, de feſtinatione. 24.a. de inuidis. 319.a. in exactores rigidos vectigalium. 628 b. Alphonſi, de iudicibus 622.a. Anacharſidis, de foro. 405.b. & 713.a. de inuidia. 319.a. de nauigantibus. 704.a. Aniculę cuiuſdam, in Thaletem aſtra contemplãtem. 431.b. Antigenidis, contra petulãtiam obtrectatorum. xxviii. Antigoni, de adulatione. 197.a. de filij temeritate. 266.a. de hoſte aggrediendo. 536.a. de Regibus. 64.b. de taciturnitate. 72.b. Antiſthenis, de fratrum concordia. 215.a. Antonini Pij, de bono Principe. 617.a. Apollonij, de Regibus. 93.a. Archidami, de moderatione victoris. 171.b. de temeritate filij. 272.b. Architæ Tarentini, de ira. 288.a. Argei, de vxoribus alienis. 238.b. Ariſtippi, de artibus addiſcendis. 417.a. Ariſtonymi, de diuitijs. 254.b. de philautia. 309.a. Ariſtophanis, de Socrate. xxx. Ariſtotelis, de pulchritudine. 446.a. Auguſti, de ædificio Piſonis. 486.b. Biantis, de artibus. 417.a. de bonis animi. 204.b. de vita innocentia. 182.a. Carneadis, de filijs Regum. 196.b. Catonis, de adulatoribus. 197.b. de taciturnitate. 115.b. de verecundia puerorũ. 504.a. Cleomenis, de oratore garrulo. 315.b. Conſtantis Imperatoris, de fiſco Principis. 629.a. Demarati, de ſilentio. 69.b. Demetrii, de maledicentia. 697.b. Democriti, de connubio. 846.a. de ira cohibenda. 288.b. Demoſthenis, in funus auari. 675.a. Diogenis, de adulatoribus. 258.a. de Ariſtippo & Ariſtotele. 377.a.b. de meretrice Olympionice. 332.b. de mutatione morum. 274.a. de ſenectute inopi. 361.b. de ſorte humana. 559.b. de ſpe. 225.a. de verecundia in puero. 504.a. in Aſtrologos. 434.b. in Muſicos. 61.b. & 62.a. Epaminondæ, de bono Principe. 617.b. Fabii Verrucoſi, de beneficio aſperè dato. 691.b. Heracliti, in concordia ſuadenda. 94.a. Iſidori Cynici, in Neronem lyra canentem. 61.b. Lacænæ cuiuſdam fœminæ, de coniugali pudore. 841.a. Lacænæ alterius, de cura domeſtica. 836.b. Laconum, in ignauos. 362.b. Lyſimachi, de gula. 402.b. Menedemi, de ſtudioſis Athenienſibus. 234.b. Panætii, de vxore ducenda. 456.a. Periandri, de Regibus. 64.b. Periclis, de Baorijs. 869.a. de continentia. 192.a. Platonis, de ignauis. 362.a. de Regibus. 93.a. Pythagoræ, de ſobrie-

brie-

brietate.95.b. *de vſu Veneris*. l.b. Q. Cæcilii Metelli Macedonici, *de taciturnitate*.72.b. Rhodii cuiuſdam, *de ſpe*. 230.a. Scipionis Africani, *de conſilijs militaribus*. 272.a. Sileni, *de vita humana conditione*.l.a. Socratis, *de adoleſcente* 93.a. *de occultando igne aut ſcelere*.358.a.b. Solonis, *de amicitia*. xlix. a. Sophoclis, *de vſu Veneris*.497.a. Spartani cuiuſdam, *de uxore puſilla*. 395. b. Themiſtoclis, *de bono vicino*.700.a. *de inuidis*.319.a. Tiberii Cæſaris, *de taciturnitate*.74.b. *in tyrannos δημοβόρος*. 628.b. Traiani Cæſaris, *de fiſco*.627.b. Zenonis Cittici, *de adoleſcente garrulo*. 70.b. *de hilaritate in conuiuio*. 146.b. *de philoſophiæ ſtudio*. xxxii. *de quodam vnguentis delibuto*. 351. b.

Apoſtrophe Thuilij ad S.Crucem. 202.b.

Ἀποθέωσις Herculis. 597.b.

Ἀποτροπαῖον, *quid*. 341.a.& 346.a.

Appellationes pulchritudinis variorum varia. 445.b.

Apuleius aſinum ſe fingit Cererem circumferentem.49.b. *de Gymnoſophiſtis quid dicat*.106.a. *quid ſentiat de meretricibus*. 335.b.

Aqua quid.762.b. *cur pro ærumnis vehementioribus accipiatur*.222.b. *Clitorij lacus abſtemios facit*. 856.a.

aquæ potus commoditates. 146.b.

Aquam bibens, nihil boni parias. *adag*. 134.b.

aqua vitrea quæ. 383.b.

aqualis. 177.a.

Aquila auium regina, & Iouis ales.30.a. *aurea, Perſarum inſigne*.lvii.b. *cur cygnos inſectetur*.768.a. *fortitudinis nota*. 183.b. *Ganymedem rapiens quid*.30.b. *imperij ſymbolum*. lvi. *in editiſſimis locis nidum ponit*.710.b. *inſigne Romanorum*.189 a. *in ſtemmatis quibus vſitata*.768.b. *panè Octauio Cæſari eripuit, & reddidit*.189.b. *Promethei vnde nata*. 429. b. *pro ſtemmate Imperatoris*. 283.b. *Pyrrhus dictus*, 189. a. *quibus ſacra auis*.ibid. *Tarquinio pileum è capite abſtulit*.ibid.b. *volucris Saturnia*. 184.b. *vnde dicta*. 32.b.

Aquila in nubibus. *adag*. 604.a.

Aquila non captat muſcas. *adag*. 693.a.

Aquila & ſcarabei diſſidium. 710.a. *hieroglyphicum cur D. Ioannis Euangeliſtæ attributum*.32.b. *omina varia*.189.b. *præſtantia*. ibid.a.

Aquila quis primus pro inſigni vſus ſit. lvi.b.

aquilæ duæ in culmine domus ſedentes nato Alexandro. 189.b.

Aquileia ab Atyla triennio obſeſſa.552.a.

aquilino naſo homines regij. 189.a.

ara Bonæ ſpei. 229.a.

Arabum adulatio. 257.a.

Arachnes arrogantia. 300.b.

Arbor quid.762.b. *funeſta cupreſſus*. 849. b.& 851.a. *inuerſa homo*. 888.b.

Arbore deiecta quiuis colligit ligna. *adag*. 656.a.

Arbores & Fructus, quorum fit mentio in Alciati Emblematis. Abies 857. Amygdalus.875. Buxus. 873. Caprificus.325. Cucurbita. 538. Cupreſſus. 848. Cydonia.861. Ficus acerba.325. Glans. 852. Glans Punica. 474. Hedera. 865. Ilex. 868 Iuglans.1. Laurus. 882. Lotus. 484. Malus. 813. Malus Medica.870. Morus 878. Nux. 822. Olea. 835. Palma. 198. & 773. Perſica. 611. Picea. 270. & 859. Pinus. 538. Platanus. 564. Poma. 370. & 813. Populus alba. 886. Quercus. 220. & 852. Roſa. 56. Rubus. 373. Salix.855. Vitis.276. 676. & 742. Vlmus. 676.

Arbores Dijs ſacræ.136.b. *quædam tranſplantatione fiunt meliores*. 613.a.

Arboribus comparatur vita humana.a. 888.b.

arbuſtum. 400.b.

Arbuſtum vnum non alit duos erithacos. *adag*. ibid.a.

Arcades cur βαλανοφάγοι.482.a *cur προσέληνοι dicti*.588.b.& 589. a. *Luna antiquiores ſe exiſtimabant*.765.b. *primi Lunam obſeruarunt*. 588.b.

Arcana domus Imperatoris non detegenda.76. a. *quanta diligentia celanda*. 75.a.

Archelai reſpõſum tonſori garrulo datum. 316.b.

Archidami apophthegma, de temeritate filij. 272.b. *de victoria moderatè ferenda*. 171.b.

Archidamia Cereris ſacerdos Ariſtomenem liberat. 186.a.

Archilochus poeta maledicus. 248.a.

archilochi epitaphium. 249.a. *maledicentia*.248.a. *tumulus*. 248.

Archilochi patria. *adag.* 248.b.
Archilochum calcare *adag.* *ibid.*
Archilochum terere. *adag.* *ibid.*
Archilochia dicta. *adag.* *ibid.*
Archippe ſcortum à Sophocle adamatum. 496.a.
Archita Tarentini apophthegma, de ira. 288.a.
Arctum annulum ne geſtato. *adagium.* xlix a.
Arcula Gratiarum inanis. 689.a.
Ardea. 367.a.
Ardearum tria genera. *ibid.*
Ardeola ſtellaris. *ibid.*
Ardelio quis. 367.a.b. *ſuis coloribus depictus.* *ibid.*b.
ardelionum arrogātia. 368.b. *mores.* *ibid.* *ſtudia.* *ibid.*
ardor, pro amore vehementi. 814.a.
Areopagitarum iudicandi mos. 621.a.
Argei apophthegma, de uxoribus alienis. 238.b.
Argi mythologia. 127.b.
Argo nauis vbi fabrefacta. 346.b.
Argonautica expeditio quid mythologicè. 809.a.
Argumentum præfationis Emblematum. 2.a.
Argutia Ouidij. 74.a. *puellarum in colorum ſignificationibus.* 506.b.
Ariadne à Baccho rapta. [illegible]40.a. *in inſula Naxo à Theſeo relicta.* *ibid.*
aries amatorem ſignificat. 332.b. *in aureo vellere quis.* 808.a. *Phryxum vehens quid allegoricè.* *ibidem.* b. *ſtolidi ſymbolum.* 332.b. *vir gregis.* *ibid* a.
Aries nutricationis mercedem perſoluit. *adag.* 290.a.
Arietis aurei velleris mythologia. 807.b.
Arion ſe in mare præcipitaturus coronam capit. 55.a.
Arionis à delphino ſeruati hiſtoria. 386.b.
Arioſti ab Ariſtijs manare creduntur. 664.b.
Ariſarchi qui. 250.b.
Ariſtea locus, de ritu Iudæorum in abluendis manibus. 177.a.
Ariſtides cur Athenis pulſus. 118.b. *iuſtus appellatus.* 269.b. *Locrenſis morſum muſtelæ ægrè ferebat.* 694.a.
Ariſtidis integritas damnata. 631.b.
Ariſtippus pecunias ſuas in mare proijcit. 653.a.
Ariſtippi apophthegma, de artibus addiſcendis. 417.a. *cautio.* 653.a.
Ariſtij tumulus. 662.
Ariſtocrates proditor. 186.a.
Ariſtocratis proditoris pœna. 188.a.
Ariſtomenes Meſſenius. 184.b. *à mulieribus capitur.* 186.a. *captus elabitur ope Archidamiæ.* *ibidem.* *corde hirſuto præditus.* 188.a. *ſecundò capitur, & ope vulpis elabitur.* 186.b. *tertiò capitur, & à virgine liberatur.* 187.a.
Ariſtomenis cor hirſutum. 188.a. *hiſtoria, ex Pauſania.* 184.b. *& ſeqq. mors.* 188.a. *parentes.* 185.a. *tumulus.* 183.
Ariſtonis & Eunomi certamen muſicum. 775.b. & 776.a.b.
Ariſtonymi apophthegma, de diuitijs. 254.b. *de philautia.* 309.a.
Ariſtophanes hominem ſapiētem optimum muſicum dicit. 62.a.
Ariſtophanis apophthegma, de Socrate. xxx. *fabula, de gallo.* 88.a.
Ariſtoteles cur ἡμίονος, *ſiue Mulus dictus.* 291.a. *explicatur.* 303.a. *ingratus in præceptorem.* 291.a. *negat, grues lapillum tenere in volatu* 105.a. φίλαυτος 310.a. plagiarius. xxx.
Ariſtotelis apophthegma, de pulcritudine. 446.a. *diuiſio ætatum.* 3.a. *lapſus memoriæ.* 303.b. *locus, de ſolertia alcyonum.* 743.a.
Ariſtoxeni θριδάκιναι. 341.b.
Arma Achillis poſt mortem Aiacis ad tumulum eius eiecta. 165.b. *Achillis ſub quibus iudicibus Vlyſſi adiudicata.* 163.b. & 164.a. *armis irritantur.* 65.b. *Palladis.* 123.b. *ponere quid.* 331.a.
Armorum ſymbola. 6.a.
Armellinus ſymbolum caſtitatis. 349.b.
Armenij ſagittam Tigrim vocant, & cur. 118.a.
Arnaldus de Villa noua aurum verum Romæ confecit. 810.b.
Arnobij locus, de antiquorum figmentis. 765.b. *in futurorum coniectores.* 430.b.
Arruntius Paterculus ſuo equuleo tortus. 724.b.
Arria Pæti uxor. 815.b.
Arria Pæti uxoris mors. 513.b.
Arrha ſponſa à ſponſo olim quæ data. 862.b.

Arri-

arrigere, proprium eſt marium. 355.a.
arrogantes. 310.a.
arrogantiores ſunt ij, qui nuper diuites facti. 540.a.
arrogantia Arachnes. 300.b. *ardelionum.* 368.b. *gigantum.* 37. b. *indoctorum.* 51.a. *Marſyæ.* 300.b. *Menecratis Medici.* 311.b. *Rhemnij Palæmonis.* 310. a. *Thamyris.* 300.a. *Theſſali Medici.* 311. b. *victoria comes.* 171.b.
ARS naturam adiuuans. 414.
Ars & Fortuna ferè ſunt circa idem. 896. a. *magyrica.* 98.a. *pro fraude.* 74.a. *ſua cuiq; pro viatico eſt.* 417.a.
Artem qui ſequuntur. 417.b.
Arte facta, de quibus in Emblematis Alciati paſſim incidit mentio. Adorea. 828. Alea. 557. Alueolus. 469. & 738. Amuletum. 344. Auchora. 615. Antidotum. 758. Arcus. 438. 457. 461. 658. & 751. Baltheus. 705. Bractea auri vel argenti. xiii. Caduceus. 507. Calceus. 585. Campana. 86. Catena. 751. Ceræ. 216. 432. & 768. Chartula picta. 1. Chœnix. 353. & 360. Chordæ. 60. Circulus. 344. Cithara. 60. & 773. Claua. 270. & 751. Clauiculi. 423. Clypeus. 268. 473. & 683. Clyſter. 380. Compedes. 377. Corolla. 742. Corona ex gramine. 152. Corona ex oliua. 576. Corona ex quercu. 852. Coronæ. 457. Crater. 41. & 423. Cubitus. 157. Cubus. 414. Currus. 167. 264. & 734. Doliolum. 228. Ebur. 734. Enſis. 312. 512. 642. 705. & 725. Fax. 357. 426. 447. & 457. Fibula. 585. Fides. 773. Fila. 393. Fiſcus. 627. & 630. Fiſtula. 873. Flabrum. 692. Fræunm. 157. Funda. 822. Funis. 393. Galea. 738. Habenæ. 261. & 442. Iugum. 734. Labyrinthus. 71. & 406. Lembus. 60. Libra. 785. Lituus. 725. Lupata. 193. Malluuium. 176. Membrana. 714. Modius. 357. Moneta Bruti. 642. Mulctrale. 606. Mullea. 585. Muſcus Arabs. 348. Nauis. 224. Nomiſma. 1. Nouacula. 523. Olla. 698. Palla. 228. Parma. 1. Pedica. 438. Peniculus. 228. Peplum. 41. Pergula. 523. & 803. Petaſus. 1. Pharetra. 473. & 658. Pileus. 642. Pilulæ. xiii. Plectrum. 773. Puluillum. 881. Ratis. 363. Remi. *ibid.* Retia. 246. & 333. Sceptrum. 207. Scutica. 442. Scutum. 162. Scyphus. 423. Sella. 41. Serta. 52. & 658. Sertum oliuæ. 576. Signum militare. 71. Sindon. 499. Siſtra. 139. Speculum. 695. & 785. Sphæra. 414. Stola. 499. Stragula. *ibidem.* Tænia. 473. Talaria. 523. & 686. Talus. 557. Tela. 116. 228. 457. 461. 473. 474. 658. & 661. Terebella. 406. Terminus. 785. Teſſera. 1. & 667. Trophæum. 533. Tumulus. 495. 572. 581. & 663. Tympana. 139. & 714. Viſcum. 438. & 785. Vitrum. 785. Vitta. 473. Vrceus. 176.
Arte metallum fieri poſſe qui negarint. 810.a.
Artes ex cerebro Iouis prouenire, quid ſit. 15.a. *liberales quàm illiberales ſequi ſatius.* 417.a.
Artifex nullus Muſas falſis imaginibus expreſſit. 769. a. *omnis ſuo delectatur opere.* 308.b.
Arſinoes mira in liberos pietas. 827.b.
Artaxerxis moderatus animus. 636.a.
Artemidori locus, de Nemeſi. 160.b.
Artemiſia Mauſolaum excitauit. 665.a.
Arthemenis & Xerxis de ſucceſſione cõcors contentio. 675.b.
Artus, quid. 628.b.
Arundo pro ſagitta. 439.b.
Aruum quid. 374. b. & 782. a. *genitale quid.* 342.a.
Arx Athenarum Acropolis. 78 b.
Aſinus hieroglyphicum ſapientiæ, fortitudinis, laboris & frugalitatis. 47.b. *iuuentam ferens.* 51.a. *mederi putatur ictis à ſcorpione.* 47 b. *putationis vitiũ author.* 132.b.
Aſinus portans myſteria. *adag.* 49.a.
Aſinus ſtramina mauult quàm aurum. *adag.* 375.a.
aſini encomiũ per Corneliũ Agrippã. 47.b.
aſino obſonijs onuſto comparantur auari. 374.a.
aſinorum quorundam velocitas. 48.b.
aſinis commiſſa ſacerdotia. 51.b.
aſio auis. 292.a.
aſſentatio Arabum. 257.a.
aſſentationis malum. 309 a.
aſſentatorum mores. 257.b.
Aſſidua ſtilla ſaxum excauat. *adagium.* 425. b.
Aſſiduitas in ſtudijs. 234.b.
Aſſueſcere, verbum. 361.b.

aſtra cogere malos eſſe, falſiſſimum. 436.a.
aſtrorum vis quanta. ibid.b.
aſtrologi iudiciarij. 435.a.
aſtrologorum reprehenſio. 440.b. vanitas. 434.b.
aſtutia dæmonu. 703.b. Lyſandri. 536.a. & 626.b. Sirenum 492.a. Solonis, pro patria liberanda. 579.a.b. Vlyſſis. 719.a.
Aſt: damas hiſtrio φίλαυτος. 309.b.
Ἀστυλίδα, cur lactucam vocent mulieres. 342.b.
Atalanta ab Hippomene curſu victa. 814.b.
Ate calamitatem & nocumentum ſignificat 562.a. Homerica. 561.a. Iouis nuncia. 560.b. vnde dicta. 562.a. & 898.a.
Ata de cœlo deturbata fabula. 560.b. & 561.a. fabula in quos torqueri poſſit. 563.b.
ater à nigro differt 500.b. vtrumq; pro malo capitur. xlviii.a.
Atergate Dea Syrorum. lv.b.
Athanaſius à paganis ſuggillatus. 231.a.
Athanaſij de Iuliani cæde præſagium. ibid.
athei & Epicurei. 39.b.
Athena ἄστυ dicta per excellentiam. 485.b. & 578.b. cur docta dicãtur. 36.b. vnde nominata. 113.b. vrbs loquaciſſima. 70.a.
Athenarum inſignia 112. laus. 36.b. & 37.a. ſymbolum noctua. 112.b.
Athenæi locus, de poculo Neſtoris. 424.a.
Athenienſes αὐτόχθονες. 587.a. cur τεττιγοφόροι dicti. ibid. loquaces. 588.b. pulsati de bello decreuerunt 504.a. vnde dicti Cecropidæ. 36.a. & 113.b. volantem noctuam pro ſymbolo victoriæ habebant. 113.a.
Athenienſium antiqua origo. 765.b. bella exitioſa. 740.b. inſigne cicada. 587.a. & noctua. lvii.b. inſtitutum contra otioſos. 361.b. iudicia de cædibus. 621.a. pœna in eos, qui ſe ipſos occiderent. 516.a.
Athenienſium inconſulta temeritas. adag. 113.b.
Ἀτιμαγελεῖ, abarmentatur, verbum Ariſtotelis. 191.b.
Atlas Latinè dicitur Telamon. 244.a.
Atreus. 269.a.
Attalus. 296.a.
Attali dicebantur omnes Reges Pergami. 715.b.
Atyla Aquileiam obſidet. 552.a. flagellum Dei ſe nominabat. ibid. in campis Catalaunicis vincitur. 551.b. victus Italiam inuadit. 552.a.
Atyla exercitus numeroſiſſimus. 551.b. mors qualis, & quando incidit. 552.a. ſtrages. 551.b.
AVARITIA. 369.
Auaritia metropolis omnium vitiorum. 373.a. & 388.a. negotiatoris cuiuſdam Chij. 374.a. quale monſtrum. 376.b. radix omnium malorũ. 373.a. ſummum malum. 388.a. Valẽtiniani. 629.b. Veſpaſiani. 630.a.b.
auaritiæ comites. 388.a. currus. 372.b. deteſtatio. ibid. & volucrum collatio. 596.a. idea. 372.b. mala. 388.b. pernicies quanta. ibid.a.
auarus hydropico comparatur. 371.b mar ſupiorum miniſter. ibid. Tantalo in aquis ſimilis. 370.a.b.
auari hominis pietas. 375.b. preces & deuotio. 376.a. viua idea. 375.b.
auari aſino obſonijs onuſto comparati. 374.a. & ambitioſi. 295.b.
auarorum conditio. 371.b. & 375.a. Principum commentum. 631.b.
auaris cur tributus color flauus. 503.a.
anceps. 440.a.
auctor & Autor differunt. 104.b.
auctoris Theſauri lingua Latina lapſus. 5.a.
aucupium cum anatibus domeſticis. 246.a.
audacia quomodo licita. 577.b.
audentes ſupra vires. 272.b.
Audi Chelydonem. adag. 421.a.
Augeriani epigrammata de Amore. 452.a. & 475.a.
Augiæ ſtabuli hiſtoria. 596.b. purgatio, ſeptimus Herculis labor. ibid.
augurium ex cornice. 208.a.
auguria ſpreuerunt, Hannibal, Miſonianus Hebræus, & P. Claudius. 546.a.
Auguſti Cæſaris apophthegma, de ædificio Piſonis. 486.b. clementia. 634.b. de Varo amico confeſſio 197.a. dictum, Feſtina lentè. 117.b. ſymbolum, papilio cũ cancro, item Sphinx. lvii.a.
Auguſtinus Niphus Philoſophus, amator ſenex. 456.a.
Auicenna & Medicorum diuiſio ætatũ. 9.a.
Aues, quarum meminit Alciatus in Emblematis ſuis. Alæ. 457. 473. 474. 507. & 520. Alaudæ. 152. & 438. Alcyones. 742. Anas. 246. & A-pes. 466. & 469. & 738. Aquila. 26. 183.

183. 426. 709. & 768. Ardeola. 366. Bubo. 495. Cicada. 585. 691. 748. & 773. Ciconia. 172. Coccyx. 276. Colũbę. 183. & 423. Cornix. 112. 207. 228. & 325. Corui. 325. 673. & 722. Cuculus. 275. 357. et 420. Epops. 312. Erithacus. 399. Falco. 366. & 604. Ficedula. 399. & 420. Frigilla. 420. Fulica. 712. Gallus. 86. Graculus. 604. Grues. 102. 389. & 438. Harpa. 608. Hirundo. 406 420. & 748. Ibis. 380. Larus. 389. Locuſtæ. 548. Mergus. 712. Merops. 785. Miluus. 554. & 608. Motacilla. 334. Muſca. 692. Nidus. 709. Noctua. 112. 292. & 495. Olor. 768. Onocrotalus. 389. Otis. 292. Oua. 709. Palumbes. 824. Parra. 785. Paſſer. 564. Pennæ. 785. Porphyrio. 237. Scarabæus. 709. Sturnus. 406. Truo. 403. & 406. Turdus. 438. Veſpę. 248. & 632. Veſpertilio. 406. Vultur. 542. & 673.

aues canoræ Muſarum volucres dicuntur. 749.a. *πελέυτριαι quæ.* 45.a. *Stymphalides, quintus labor Herculis.* 596.a.

Aues quæris *adag.* 293.b.

auium cantus vt compeſcatur. 314.a. *induſtria naturalis.* 153.b. *Stymphalidũ allegoria.* 596.a.

aula. 378.a. *igni comparata.* 379.a.

aula ſcita deſcriptio ex Luciano. 378.b. & 379.a.

aulica vita ſplendida miſeria. 378.b.

aulicorum aureæ compedes. 377.a. *conditio.* 378.a.

A. Gellij locus, de palma. 199.a.

aurata, ſiue Orata piſcis. 712.b.

aurea fibula quibus competebat. 586.a. & 588.b. *mediocritas.* 118.b.

Aureæ compedes. *adag.* 377.b. 378.a.

aurea dicebantur quæ lucroſa. 809.a. *mala Heſperidum, quid.* 809.b.

aureum poculũ Babylonis quid. 41.b. *vellus quid hiſtoricè.* 809.b.

Aureliani Imperatoris omen ex ſerpente. 11.b.

Aurelius Albutius IC Mediolanẽſis. 612.a.

Aurelij Seueri nummus. 641.b.

auriga vnde dictus. 262.b.

auriga comparatur mens humana. ibid. a.

Auris Bataua. *adag.* 607.b.

aures cur duæ, os vnum à natura datum. 70.b. *in linguam defluere quid ſit.* ibid.

Aurora Eos. 87.b. *ex Aſtræo fratre peperit ventos.* 616.a. *Pegaſum dono accepit à Ioue.* 82.b.

aurum arte fieri poſſe probat ipſa experientia. 810.b.

Aurum habet Toloſanum *adag.* 545.b.

Auſonij ænigma, de filiabus Cadmi. 782.a. *carmen de Mediolano.* 19.a. *deſcriptio Occaſionis.* 525.a. *epigramma Virgilio tributum, de roſa & Venere.* 448.b.

auſpicium quid. 546.b. *lugubre in fabarum flore.* ibid. b. *ruſtici cuiuſdam ſalsè irridet ſeruus.* 546.a.b.

auſpicia ſuperſtitioſa Germanicæ plebis. 546.a.

auſpicijs bonis inchoanda res. 862.a.

Αὐτόχθονες qui appellati. 587.a. *ſoli Græci ſunt.* 899.a.

Aut regem, aut fatuum naſci oportere. *adag.* 267.b.

autumni ſignum cornucopia vuis & pomis plenum. 420.b. *ficedula.* ibid.

auxilium legis fruſtra implorat, qui in legem committit. 716.b. *mutuum claudi & cæci.* 680.a.b. & 681.a.b.

AVXILIVM numquam deficiens. 683.

B.

BAbel quid Hebraìs. 44.a. *Babylon Ægypti à quo ædificata.* ibid. *cur meretrix purpurata vocetur.* ibid. b. *meretricis typus.* 41.b. *Meſopotamiæ à quo ædificata.* 44.a. *vnde ſic dicta.* ibid.

Babylonia mores corrupti. 44.b. *muri inter orbis miracula numerati.* ibid. a. *nomine vrbes duæ inſignita, vna Ægypti, altera Meſopotamiæ.* ibid.

Babylonia mulieres impudicæ. 44.b.

Bacchus cur Bromius dictus. 137.a. *cur βουκέρως, & δικέρως appellatus.* 141.b. *cur cornutus.* 142.a. *cur Dithyrambus dictus.* 144.a. *cur furens & inſanus dicitur ab Homero.* 145.b. *cur iuuenis.* 140.a. *cur ἴυγγης dictus.* 345.b. *cur Liber.* 140.a. *cur Muſis iunctus.* 133.b. *cur nudus.* 143.a. *cur nymphis temperandus.* 143.b. *cur pater dictus.* 131.a. *cur plures habuerit nutrices.* 144.b. & *Minerua συνναοὶ.* 130.b. & *Pallas cur eadem ara locarentur.* 133.a. & *Pallas cur Ioue patre nati.* 131.b. *femoris Ioui inſutus.* 143.b. *haberi voluit C. Caligula* 16.b. *haberi voluit Heliogabalus.* 17.a. *igneus, ſeu ignigena, & cur.* 143.a. *Lyæus dictus.* 205.b. *νεβριδόπεπλος.* 42.b.

42.b. templum Ioui conſtituit. 13.a. vnde dictus. 131.b.
Bacchi cognomina varia. 137.a. currus à tigribus tractus. 170.b. & Apollinis comparatio. 419.a. inuenta. 140.b. mater Semele. 131.b. mythologia. 139.b. natiuitas 143.b. nutrices nymphæ. 144.b. ſimulacra vnde. 143.a & 476.b. ſodalitium. 146.b. ſtatua. 138.
Baccho cur cornua attributa 142.a. cur effigies puerilis. 133.a.b. cur ferula & papauer tribuuntur. 96.a. quare ſacra hedera. 867.b. cur tympanũ datur. 141.b.
Bacchum cornutum qui finxerint. ibid.
Bacchylides poeta lyricus. 605.a. propter ſuauitatem carminis dictus Siren. ibid. quatuor in conuiuijs requirit. 134.a.
Bacchylides tres fuerunt. 605.a.
Baiazetes à Tamerlane captus & cauea inclusus. 720.b. malum, quod alteri meditabatur, ipſe expertus. ibid.
Baltheus & Baltheum. 707.a.
Balatro ſcurra. 250.a.
Balatrones. 556.b.
Baptiſta Cynthij epigramma de Venere & Solone. 459.b.
Baptizati pileolis alicubi teguntur. 645.a.
barathrum, in quod Lacedæmonij nocentes præcipitabant. 186.b.
barbam vellere, illuſionis ſignum. 656.a.
barbaries ex Iure ab Alciato depulſa. xxx. xxxv. xxxviii. Gothica & VVandalica etiamnum formidabilis. 717.a.
Barbatio, garrulus nebulo. 103.b.
Barbiton, inſtrumentum muſicum. 775.a.
barrire, elephantorum eſt. 536.a.
barritus quis clamor. ibid. vox elephanti. ibid.
barrus pro elephanto. 535.b.
Bartholomæus Anulus. 783.b.
Βασιλεὺς, vnde ſic dictus. 208.b.
Baſilica D. Virginis Mediolani. 21.b. quãdo, & à quo ædificata. 22.a.
baſilica nux. 3.a.
Baſilij Magni locus, de echeneide. 364.a. de pietate in parentes. 172.b.
Baſſus ut Neronẽ à flagitijs auocarit. 347.b.
Baſtardi qui ſint. 601.b.
Battus Rex Cyrenenſium. 381.b.
Batti Silphion. adag. ibid.
Battiades cur dictus Callimachus poeta. ibid.
Baucis & Philemon concordia coniugalis exemplar. 215.b.
Bauius & Meuius Virgilij æmuli. 610.b.
Beare quid. 510.a.
beatus nemo ante obitum. 667.b. & 788.a.
Beccesſelenus. adag. 589.a.
Becch, vox naturalis deprehenſa in pueris. 278.a.
Becchus vnde dictus. ibid.
Becchi cornuti, conuitiũ probroſum. ibid.b.
Beelzebub dæmon, Deus muſcarũ. 693.b.
Belga pertinax & ſuperbum hominum genus. 196.a.
Beliſarij, Iuſtiniani Ducis, exitus. 320.b.
bellaria. 199.b.
Bellerophon Chimæram vicit. 84.a. equo alato vectus, quid. ibid.b. natura Neptuni filius, fama Glauci. 82.a. quid ſignificet. 83.a. vnde dictus. 82.a.
Bellerophontis fabula. 82.a. mythologia, ex Plutarcho. ibid.b. & 83.a. temeritas. 82.b.
Bellerophontis literas. adag. ibid.
Bellona quæ. 15.b.
Belloueſus & Sigoueſus Ambigati ex ſorore nepotes. 19.b.
Belloueſus Mediolanum ædificauit. ibid.
belluæ interdũ mitiores hominibus. 165.a.
bellũ Bruti & Caſſij. 513.a. ciuile. 511.b. & 544.a. Galeacij contra Florentinos. 574.b. inter Samios & Prienenſes. 717.a. quibus vtile. 384.b.
belli etymon. 544.b. finis quis eſſe debeat. 741.b.
bello ciuili nihil exitioſius. 544.a.
bella Athenienſium exitioſa. 740.b. Chriſtianorum quàm peruerſa. 543.b. cur, et qua cautione ſuſcipienda. 739.a. inteſtina Lacedæmoniorum. 741.a. Romanorum. ibid.
bellorum ſuaſores. 726.b.
bellicis in rebus celeritas. 25.a.
Benedictus Maximus, Brixianus Thraſybulus. 579.a.
benefacere eſt Deos imitari. 563.a.
bene facta malè locata, pro malefactis arbitranda. 101.b.
Beneficium qui accipit, libertatem vendit. 688.b. qui neſcit reddere, iniuſtè petit. 690.b. tardum ingratum eſt. ibid.a. voluntarium eſt. ibid.b.
Beneficij inter duos lex. 690.b. malè compenſati exempla. 703.a.
Beneficia non ſunt exprobranda. 690.b.
beneficia dando imitamur Deum, non fœneramur. 691.a.

bene

bene ſentiendum de Dijs. 300.a.
beneuolentia ciuium firmum imperij præſidium. 64.b.
Bernardini Trebatij teſtimonium, de Chonrado Pentingero Auguſtano. 2.b.
Beroſi Babylonici locus, de gigantibus. 38.a.
Beta inſipidior. *adag.* 375.a.
Bias quis. 788.a.
Biantis Prienei apophthegma, de animi bonis. 304.b. *de artibus.* 417.a. *de vita in ægritate.* 182.a. *apophthegmata.* 793.b. & 794.a.b.
bibacitas Alexandri. 147.a.
Bibe quinq; aut tres, aut ne quater. *adag.* 146.a.
biblia in membranis ſcripta, ad Philadelphum miſſa. 716.a.
bibliotheca à Nicolao de Oddis inſtructa. xvi.a. *Ptolemæi Philadelphi.* 715.b.
bibliotheca veteres per quercum deſignata. 854.b.
bilis quid, & quotuplex. 286.b.
bilis glaſtea qualitas. 287.a.
bilem in aliquem euomere, quid. 692.b.
birrus color qualis. 504.b.
Bis dat, qui cito dat. *adag.* 689.b.
bis peccat, qui peccanti auxilium commodat. 727.b.
bis pueri ſenes. 497.a.
Biturix metropolis Biturigum. 19.b.
Biturigas populi Aquitaniæ. ibid.
Biturigum inſigne veruex. 18.b.
biuium Herculis. xv.a. & 567.b.
Bizari, *qui dicantur Italis.* 307.b.
blaſus, cognomen Semproniorum. 407.a.
Blanca Rubea fortiſſima & caſtiſſima matrona. 815.a. *ab Acciolino tyranno vi ſtuprata.* 815.b. *viua ad maritum in ſepulchrum deſcendit.* ibid.
boare quid, & vnde dictum. 404.a.
boatus. 165.a.
Bœotica auris. *adag.* 781.b.
Bœotij cur rudes habiti. 392.a.
bombarda vnde dicta. 778.a.
Bombarda ſua Ioannes Manguerus miſerè perijt. 724.b.
bombus quid. 778.a.
bombyces, vermes ſericum nentes. 880.a.
Bonauentura Caſtillionæi teſtimonium de Albutio. 612.a.
bonus præſumitur, qui eſt bona nationis; malus, qui mala. 789.a.
boni euentus ſimulacrum. 231.a.b. *templum.* ibid.b.
boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere. 628.b.
bona externa. xiv.b. *vnde dicta.* 327.a.
Boni viri lacrymabiles. *adag.* 241.b. & 647.b.
Bonis à diuitibus nihil timendum. 179.
Bonis auſpicijs incipiendum. 545.
Bononia ſtudiorum omnium altrix. xxvi.
Bononiæ docuit Alciatus. ibid.
Borbonij Cardinalis inſigne, gladius flammeus. lix.a.
Boreas ventus Septentrionalis. 181.b.
bos animal ad laborem natum. 511.a.
boues Lucæ. 534.b.
Βότρυς. 137.a.
bractea vnde ſic dicta. xiv.b.
bractea & Lamina differentia. ibid.
Braſidæ Ducis à ſorice morſi dictum. 711.a.
Britannus claudus vxorem cæcam ducit. 681.b.
Bromius cur dictus Bacchus. 137.a.
Brontes, vnus ex Vulcani famulis. ibidem.
Brutus & Caſſius. 512.a.
Bruti mors. 512.b. & 513.a. *nummus.* 642.a. *opinio de fortuna virtutem ſuperante, perniciosum delirium.* 515.a.
bubo prius adoleſcens, dictus Aſcalaphus. 497.a.
buccina Tritonis qualis. 569.b.
Burgundionum rex ab Attyla captus. 551.b. *ſtemma, tria repagula rubea.* lvii.b.
buſtum. 189.a.
buſtuarij qui ſint. 501.a.
Buxus. 873.
buxus amantium ſymbolum. 904.b. & *Buxum dicitur.* 874.a. *pro tibia.* ibid. *vnde dicta.* ibid.
buxi deſcriptio. 873.a. *pallor.* 874.b.

C.

ΚΑκὴ βελὴ τῷ βελεύσαντι κακίςη. *adag.* 920.b.
Cachinnus. 899.b. *vnde dictus.* 648.a.
Cadere. 208.b.
Cadmi draco. 11.b. *fabula ſeu hiſtoria.* 781.a.b. *mythologia.* ibid.b. *vxor Harmonia.* 783.a.

Cadu-

caducentores legati qui. 509.a.
caduceus Mercurij quid. 509.a. & 897.b. *ſignum concordia.* 510.b. *eloquentia. ibid. pacis.ibid. rectus quid.* 509.b. *unde ſumpſerit originem.* 508.a.
caducei deſcriptio. 507.a. *ſymbola.* 510.a.b.
caduceo impliciti ſerpentes. 509.a.
caada barathrum Lacedæmoniorũ. 186.b.
Cæcilij Metelli Macedonici apophthegma, de taciturnitate. 72.b. *fallacia in teſtamento condendo.* 675.a.
cæcitas animi maxima in philautis. 308.b. *mortalium.* 671.b.
Cęcitate percuſſus Tireſias ob viſam Minervam. 252.a.
cæcum quid. 480.a.
cæcus claudum geſtans. 680.a.b. & 681.a.b. *cur debeat eſſe præſes ſenatus.* 621.a. *cur fingatur Amor.* 480.a.
Cędes leonis Nemęi primus labor Herculis. 594.b.
Cęremonię precantium. 50.a. *ſacrę S.Crucis.* 639.b.
Cęſar ambitioſus. 266.b. *imitatus Alexandrum.* 25.a. *leoni furibundo comparatus.* 186.b. *occiſus in ſenatu.* 168.b. *ſuo ſplendore patrem ferè obſcurauit.* 860.b.
Cęſaris ambitio. 266.b. *Borgię prǽſumptio.* 236.a.b.
Καγχασμὸς *quid.* 648.a.
C.Caligula nouus Bacchus haberi voluit. 16.b.
C.Cornelius ob prępoſteram libidinem morte multatus. 355.a.
C.Marij teſſera militaris Lar Deus. xlvi.a.
Calais & Zetes, ad quid relata nomina. 181.b. *unde dicti.* 182.a.
calamitas nulla ſtudijs pernicioſior quàm philautia. 307.b.
calamitatum catenata ſeries. 553.a.
Calceus lunatus inſigne Romanorum nobilium. 588.a.
calcei Romanorum duorum generũ. 589.a. *quales.* 586.b.
Calceos mutare. *adag.* 588.a.
Calceis an uſi veteres. 589.a.
Calchas augur quis. 566.a.
Calchantis cum Mopſo certamen diuinandi. ibid. vaticinium. 565.a.
caligo humanę mentis quanta ſine ope cœleſti. 56.a. *intellectus humani & à re & à ſe.* 766.b.
Caligulę nummus. 853.b.
calix aureus Babylonis, quid. 48.b.
callere. 110.a.
Callias à ſcortis deplumatus. 327.b.
Callidus. 425.b.
Callimachus cur Battiades dictus. 381.b. *in muſca alcaam abſurdè poſuit.* 286.b. *poeta elegiacus.* 381.b.
Callipedes. *adag.* 367.a.
Callus & Callum. 110.a.
Καλὸν à καλεῖν *quidam deducunt.* 446.a.
calor inſitus interdum mœrore extinguitur. l.a.
caluitiũ ægrè ferebat Iulius Cæſar. 642.b.
campana mentem ad Deum excitat. 86.a. *ſymbolum interioris vigilantia. ibidem. prædicationis.* 89.b. & 90.b. *unde ſic nominata.* 89.b.
campanarum origo. 90.b.
cancer ſymbolum inconſtantia. 399.a.
cancri hippi dicti veloces. 397.b. *ſcorpiones fluuiatiles.* 97.b.
Cancrorum & paraſitorum comparatio. 397.b. *graphica deſcriptio. ibid.*
Candia quo olim nomine appellata. 73.b.
candidus & Candor quid. 501.b.
candidę veſtes gaudij ſignum. ibid.
candidati qui dicti Romanis. 502.a.
candor animi per cygnum deſignatur. 772.b. *& induſtria Alciati.* xxx. *quid Alciato.* 491.a.
Canina victitãs cynocephalum oppugnas. *adag.* 750.b.
Caninum oculum habere quis dicatur. 696.a.
canis cur appellata Hecuba. 696.a. *cur dictus Diogenes. ibid. cur lapidem miſſũ mordeat.* 729.a. *fidelitatis nota.* 813.a. *Herculis purpura inuentor.* 58.b. *orbem Lunę conſpiciens, quid.* 696.b. *Oſiridis inſigne.* lvii.b. *percuſſa lapide, non percuſſorem, ſed lapidem petit.* 729.a. *pro inuido.* 696.a. *pro rapaci.* 304.b. *quid in hieroglyphicis.* 696.a. *rhetoricus dictus Zoilus.* 694.b.
Canis feſtinans cæcos parit catulos. *adag.* 877.a.
Canis ſæuiens in lapidem. *adag.* 729.a.
canes regij qui Diogeni. 197.b. *ſpectris nocturnis terrentur.* 696.a.
Canes dominos ſequi, mos antiquus. 58.b.
canus color qualis. 502.a.
cantharus Baccho dicatus. 424.b.
canticum à mulieribus Ariſtomeni cantatum.

tum. 185.b.
cantilena Sirenum. 492 a.b.
Cantus coccygis. adag. 277.a.
cantus Sirenum, adulatores. 493.b.
Capanei inſigne Hydra. lvi.a.
Caper paſtorem corriualem dormientem oc cidit. 278.a.
Capere crines, adag. 526.a.
Capere, pro decipere. 45.a.
capilli mortalitatis ſymbolum. lii.a.
Capiuaccius ex curatione morbi Gallici magnum quaſtum fecit. 845.a.
Capra gladium adag. 723.b.
Capra libidinis ſymbolum. xlvii.b. libidinoſa. 334.b. lupi catulum lactans. 289. b. meretricem ſignificat. 334.b. & quare. 335.a.
Capra Scyria adag. 606.a.
Caprificus. 326.b.
captare, quid. 543.b.
CAPTIVVS ob gulam. 401.
Captiui quidam in Selandia à concaptiuo ſupplicio affecti. 720.b.
Captores ſæpe ipſi capiuntur. 723.b.
Capularis ſenex quis. 660.a.
Caput Æſculapij cur lauro redimitum. 884. a. equi, aſini, aut canis in ſomnis viſum, quid deſignet. 194.b. equi inuentum in fundamentis Carthaginis. ibid. Gorgoneum Meduſæ, quid. 664.a. Gorgonis in clypeo Mineruæ. 123.b. leoninum hieroglyphicum cuſtodiæ & vigilantiæ. 86.b. & 89.b. pars corporis diuiniſſima. 460.a. ſphæricum ait eſſe Plato. 16.a.
Caput vacuum cerebro. adag. 806.b.
Cardamus noxius vicinis herbis. 700.a.
Cardani & Scaligeri opinio, de cauſa riſus. 648.b.
Cardui altiles cibus proprius aſinorum. 97.b.
Carmen. Vide Epigramma.
Carmen, pro incantatione. 346.a.
Carmina aurea Pythagoræ. 103.a. Ciceronis, de vaticinio Calchantis. 565.a.
Carneadis apophthegma, de filijs regum. 196.b.
Carnifex iuxta triumphantes in curru ſedebat. 168.a.
Caro noſtra quid. 650.b. caſeo vermiculanti ſimilis. 703.b. cordis qualis. l.a.
Carnis noſtræ ſaginatæ fructus & petulantia. 703.b.
Carnes ſuillæ in delicijs. 234.a.
Carolus Dux Burgundionum ob temeritatem perijt. 267.b. Magnus vt factus Imperator. 109.a. Quintus cur quercui cõparatus. 222.a. Quintus ſatis ex ſe laudatus. 189.b.
Caroli Lothareni Cardinalis ſymbolum, hedera pyramidi inhærens. lix.a. Magni ſobrietas. 147.a. Noni ſymbolum, duæ columnæ complicatæ lviii.b. Quinti mors quando incidit. 184.a. ſymbolum, duæ Herculis columnæ. lviii.a. & 233.a.
Carpaſij lini ellychnium. 78.b.
Carpere facilius quàm imitari. 696.b.
Carthaginis hiſtoria. 194.b.
Caruatalus in Eraſmum. 672.a.
Caſſiodori locus, de fiſco. 629.a. de mortuis non vexandis. 657.a.b. de pietate erga parentes. 175.a. de ſilentio. 75.a.
Caſſioticus nodus adag. 508.a.
Caſſis, is. & Caſſis, idis. 121.a.
Caſſus lumine. 720.a.
Caſtitas virginum Patauinarum. 126.a.
Caſtitatis contemptus. 125.b. exempla in Ethnicis. 126.a. laus. 125.a.b. ſymbolum armellinus. 349.b.
Caſtor animal vnde ſic dictum 652.b. & fiber idem eſt. ibid. quale animal. 651. a. teſticulos ſibi abſcindit. 652 a.
Caſtor & Pollux. 28.b. Dioſcuri dicti. 226. b. Iouis & Ledæ filij. 225.b.
Caſtoris & Pollucis cauſa phyſica. 226.a. mythologia. ibid.
Caſtoris ſeu fibri ſolertia. 651.b.
Caſtorem ſibi genitalia exſcindere, quidam negant, alij affirmant. 652.a.
Caſtoreū. 899.b. ſunt fibri teſticuli. 652.b.
Caſtorei vires. ibid.
Caſtruccij dictum veſtibus inſcriptum. 5.a.
Caſus errorem in natura facit. 73.b. infirmitas, ſenectus, tres mortis nuncij. 662.b. Procopij Cilicis miſerrimus. 266.a.
Catalogus breuis bellorum Romanorum. 741.a.
Καταπότια pilulæ. xiv.b.
Καθαραὶ χεῖρες. 178.a.
Catharina Medicea ſymbolum iris. lviii.b.
Catholicus homo filius Dei. 17.a.b.
Cato Grammaticus Latina Siren. 493.b. Porcius in varijs ſtudijs excelluit. 368.a.
Catonis Vticenſis apophthegma, de adulatoribus. 197.b. de taciturnitate. 115.b. de verecundia in puero. 504.a. modeſtia. 51.a. pertinax animus improbatus 516. b. taciturnitas. 69.b. & 115.b. tolerantia. 697.a.

Catullus partem rerum ſuarum proijcit in pelagus. 653 a.

Catulli opinio de metamorphoſi Prognes & Philomelæ. 313 b.

Catulus quid. 813 b.

Cauda alcaa in quibus animalibus. 286 b. *leonum animi index.* 285. b. *leonũ cur alcaæ dicta.* 286. a.

Cauda tenes anguillam. *adagium.* 121. a.

Caudam cur moueat leo iratus. 286. a.

Cauea, vocabulum polyſemum. 732. b.

cauendum ab ijs, quibus nihil eſt quod perdant. 710. b.

CAVENDVM à meretricibus. 336.

Caunij populi vt plurimum lienoſi. 628. a.

caupones & inſtitores primi Lydi. 467. b.

cauſa frequentis mutationis locorum Alciati. xxvii. *materialis Emblematum.* 4. b. *morbi Gallici.* 844. a. *multorum malorum amor.* 472. b. *occulta.* 237. b. *phyſica Caſtoris & Pollucis.* 226 a. *triplex ignorantiæ.* 799. a. 801. b.

cauſa, cur ignis & aqua à ſponſis tangebantur. 863. a. *duæ, cur nudæ Charites.* 689. a. *quæ iuuenes à laudato propoſito auocant.* 364. b. *rerum multæ hominibus incognitæ.* 714. b. *variæ, cur lunulas in calceis geſtarent Romani.* 587. b.

cauſidici & rabulæ forenſes vulturij rogati Apuleio. 674 b.

cautio quanta eſſe debeat in bellis ſuſcipiendis. 740. a.

Cecropia vnde ſit dicta Attica. 36. b.

Cecropidæ Athenienſes dicti. ibid. a. 113. b. & 588. a.

Cecrops biformis. 34. b. *cur* διφυὴς *nominatus. ibid.* & 36. a. b. *ferinam commiſtionem in Attica abſtulit, & viris legitimas vxores iunxit.* 36. b. *primus bouem immolauit. ibid. primus idolorum cultum induxit.* 34. b. *quo tempore vixit.* 36. b. *Rex Athenienſium. ibid.* a.

Cecropis mythologia. 34 b. & 36. a. b.

Celæno Harpyia, vnde dicta. 181. b.

Celænum, id eſt, nigrum. ibid.

Celeritas Iulij Cæſaris. 25. a. *nimia, & tarditas nimia vitanda.* 118. b.

celeritatis & diligentiæ laus. 25. b.

cenotaphiũ Pompeij & filiorum eius. 574. a.

cenſum qui perdit, ſenſum amittit. 555. a.

centaurea herba, vnde dicta. 624. a.

Centauri qui 625. a. *vnde dicti.* ibid b. *vnde dicti* διφυεῖς. *ibid.* a. *vnde dicti Nubigenæ.* ibid. b.

Centaurorum forma. 625. a. b.

Centauros, & huiuſmodi monſtra negat Lucretius. ibid. b.

cepphi & lari differentia. 390. b.

Ceram auribus obdis. *adag.* 495. b.

cerberus triceps, duodecimus labor Herculis. 597. b. *vbinã bilẽ vomuerit.* 660. b.

cerberi tricipitis allegoria. 597. b.

cerberum ex inferis trahere, quid. 598. a.

Cerebrum ne mandito. *adag.* 1. a.

cerebrum ſedes animæ. 805. b.

Ceres & Neptunus cur ijſdem aris culti. 129. b. *vnde dicta.* 745. a.

certamen diuinandi Calchantis & Mopſi. 566. a. *Eunomi & Ariſtonis quæ documenta ſuppeditet.* 779. b. *Muſarum & Sirenum.* 491. b. *Othonis Vicecomitis cum Sarraceno.* 10. a. *vinarium quorundam Germanorum.* 150. a.

certius quod arte, quàm quod natura perficitur. 417. b.

cerua aripes, quartus labor Herculis. 595. b. *aureis cornibus diuitiarum ſymbolum.* ibid.

Ceruæ aripedis allegoria. 595. b.

Ceruinus vir. *adag.* 252. b.

ceruus cur tam diu viuat. 640. b. *ſtultitiæ ſymbolum.* 252. b.

Κηρύκειον, virga Mercurij. 509. a.

Κέσος, pudoris cingulum. 237. b.

Ceuere, verbum obſcœnum. 367. a.

Chabrias è patria in Ægyptum migrauit. 614. b.

Chærephon. 279. a. b. *cur appellatus veſpertilio, vel noctua. ibid. a. paraſitus laro comparatus.* 390. a.

Chærephontes duo fuerunt. 280. a.

Cham magus & veneficus. 109. a.

Chamæleon diutiſſimè famem tolerat. 256. b. *non ſolo veſcitur aere. ibid. vnde ſic dictus.* ibid.

chamæleontis deſcriptio. 255. a. b. *natura.* 256. a.

Chamæleonte mutabilior. *adag.* ibid.

chaos primum. 762. a.

Chares è patria in Sigeum migrauit. 614. b.

Chariclis & Antiochi fratrum diuiſio patrimonij. 850. a.

Charites. Vide, Gratiæ.

charta Pergamena origo. 725. b.

chartarum pictarum luſus. 4. a.

Charybdim fugiens incidi in Scyllam. *adag.* 302. b.

chela quid. 397.b.
Chelys muſicum inſtrumentum. 774.a.
Chilon quis. 787.a. *gaudio expirauit.* ibid.
Chilonis Lacedamonij apophthegmata. 790.a.b.& 791.a.
Chicani, rabula unde dicti. 404.a.
Chimæra cur triformis. 83.b. *gens bellicoſa.* 84.a. *ira.* 85.b. *mons Lyciæ ignem eructans.* 83.b. *monſtrum.* 82.a.& 83.a.b. *mulier.* 84.a. *vitiorum varietas.* ibid.
Chimæra mythologia. 83.a.b. *pictura.* 81.a.b.
Chimarus pirata à Bellerophonte occiſus. 83.a.
Chinenſes pellibus vtuntur. 206.a.
Chinenſium fucus in moſcho vendendo. 350.b. *ratio colligendi moſchi.* ibid.
Chiron quis. 623.b. *Achillem, Æſculapium, & Iaſonem erudijt.* 624.b. *Herculis ſagitta vulnere immedicabili ſe ſauciauit.* ibidem.a. *inter ſidera relatus.* 624.a. *iuſtitia omnes Centauros ſuperauit.* ibidem. *primus vires herbarum obſeruauit.* ibidem. *ſono cithara, morbos ſedabat.* ibidem. *vnde dictus.* 625.a.
Chiron redibis. *Diogenis iocus.* 625.a.
Chironis deſcriptio. 624.a. *ferina natura quid.* 626.a.
Chironium vulnus. *adag.* 624.a.
Chirurgi peritia vnde dignoſcenda. 625.a.
Chœnix quid. xlviii.b. 354.b. & 360.b.
Chœnici ne inſideas. *adagium.* xlviii. & 361.a.
Chonradus Peutinger Auguſtanus quis. 2.a.b.
Chonradus quid Germanis. 7.a.
choragus & Choragium quid. 804.a.
Chordæ vice. *adag.* 777.b.
Χρυσόλογοι, qui. 258.a.
Chriſtiani Imperatores dum inter ſe rixantur, auctum eſt imperium Turcicum. 543.b.
Chriſtianorum Imperatorum prudentia in hæreticos. 111.a.b.
Chriſtus Seruator cur diſcalceatus. 589.a. *verus Pan.* 412.b.
Chriſtophori Madrucij Cardinalis inſigne, Phœnix ſe comburens. lix.a. *Plantini ſymbolum Circinus.* lxii.b.
χρυσᾶ πέδα. *adag.* 377.b.
Chymia eſt caſta meretrix, multos inuitans; neminem admittens. 811 b. *per vellus aureum deſignata.* 809.b.
Chymia defenſores contra aliorum ratiunculas. 811.a. *difficilis poſſeſſio, numquam tuta profeſſio.* ibid. b *difficultas quanta.* ibid.a.b. *veritas.* 810.a. *vetuſtas.* 809.b.
chymicæ artis ſcriptores. 810 b.
Chymici, ſeu Chryſopæi viua pictura. 537.b.
Cibum in matellam ne immittas. *adag.* li. a.354.a.& 361.a.
Cicada Apollini ſacra ob cantum. 749.a. & 778.b. *ſignum nobilitatis apud Athenienſes.* 587.a.b.
Cicadam ala corripuiſti. *adag.* 693.a.
Cicada vocalior. *adagium.* 748.b. & 777.b.
cicadæ αὐτόχθονες *cur dicantur.* 589.b. *humi canent, quid.* 551.a. *hyeme euaneſcunt.* 748.b. *Locrenſes ſonoræ, & cur.* 775.a. *Rheginenſes cur mutæ.* ibid.
cicadarum cantus qualis. 693.a. *fabula.* 778.a.
Cicadis cur tributa canendi ſuauitas. ibid.
Cicadis pleni. *adag.* 587.b.
Cicero eloquentiæ parens. 169.b. *emendatus.* ibid. *iuuenibus voluptates quaſdam admittit.* 498.a. φίλαυτος. 310.a. *restitit Antonio.* 168.b. *Romani eloquij auctor.* 169.b. *ſcripta quædam ſua correxit.* xxxiii.
Ciceronis ætas. 169.a. *cædes.* ibid. *carmina, de vaticinio Calchantis.* 565.a. *diſſimulatio poſt bellum Pompeianum laudata.* 516.b. *fuga.* 169.a. *infelix contentio cum Antonio.* 517.a. *inuectiua in Vatinium.* 502.b. *iocus mordax in P. Clodiū.* 805.a. *lapſus memoriæ, de patre Ganymedis.* 29.a. *locus, de miſera virorum clarorum ſorte.* 241.a.b. *de occupatione ſtudiorum.* 493.a. *de regendis affectionibus.* 263.a. *de republica.* 61.a. *de viuentibus.* 460.a. *ex Epiſtolis ad Atticum.* 92.a. *ex oratione pro Archia poeta.* 2.b. φιλαυτία. 310.a. *reſponſum, de amore & philoſophiæ.* 456.a. *ſententia ænigmatica explicata.* 130.a. *verſus à multis reprehenſus.* 755.b.
Ciconia pietatis, & gratitudinis in parentes hieroglyphicum. 173.a.& 174.b.

veris

veru & aſtatu ſignum. 421.a.b.
Ciconia effigies in ſceptru. 173.b. in auem conuerſa fabula.ibid. pietas in parentes. ibid. a.
Cimbrorum & Teutonum arma. lvi.b.
Cimon Athenienſis inuidia preſſus. 320.a. patrem è carcere liberat. 830.b.
Cingulum laneum nodo Herculano ſponſa circumligatum. 863.b.
cinis,pro pœnitentia in ſacris.lii.a. vipera, remedium ictus viperini. 640.b.
cinericeus color qualis. 505.a.
Circe qua.338.a. cur dicta Æea.759.a. illuſtris cur dicta.338.b. meretrix.337.a. b. Solis filia.338.a. venefica. ibid.
Circes & Vlyſſis mythologia. 337.a.
Circenſium ludorum colores. 506.b.
Circulus totum orbem denotat. 569.b.
Cirni populi cur tam longaui. 640.b.
Cirrus,& Cirratus, quid. 670.a.
Ciſſus hiſtrio Bacchi. 866.a.
Ciſſi fabula. ibid.
ciſta florum veris ſignum. 420.b. ſpicis referta,ſignum aſtatis. ibid.
cithara quid. 62.a. muſicum inſtrumentum. 774.b.
Cithara inuentor Mercurius. 62.a.
citharas in legationibus adhibebant Getæ. ibid.
citrus amoris ſymbolum. 872.a.
Ciuis bonus quis. 898.b.
Ciuis boni officium quod. 579.b.
ciuilis prudentia apud Romanos. 110.b.
Ciuitas in Africa à locuſtis pulſa. 711.b. incolarum virtute optimè munitur. 64. b. in Gallia à ranis pulſa.711.b. ſenatu velut anchora firmatur. 616.b.
Clamor Minerua vix dum nata quid ſit. 15.b.
Clamoſior lauro ardente.adag. 882.a.
Clara Ceruenta in maritum amor mirabilis. 846.b.
claſſes huius Editionis quid ſingula contineant. ix.
Claſſicum quid ſit. 726.b.
claſſicum canere, quid. ibid.a.b. quando canebatur. ibid.a.
Claua,Herculis arma propria. 271.b.
Clauam extorquere Herculi.adag. ibid.
Claudia Veſtalis pietas. 831.a.
Claudiani de gigantibus teſtimonium. 38. b verſus leuiter mutatus. 19.b.
Claudius auguria irridebat. 546.a.
clauecymbalum,inſtrumentum muſicum. 774.b.
clauis ad portam cœli,qua. xv.b.
Claues adimere,quid. 864.b. cur dabãtur noua nupta. ibid.
Clauum clauo pellere.adag. 463.b.
Cleanthis induſtria. 521.b.
Clemens animus Veſpaſiani, & Titi filij. 635.a.
Clementis Alexandrini locus, de ſymbolis. xlvi.b.
clementia Iulij Caſaris. 634. b. principem maximè decet.195.b. quorundam Imperatorum. 634.b. vera virtus Principis. ibid.a.
Cleobis & Bito beati à Solone iudicati. 668.a.
Cleobulus quis. 787.a.
Cleobuli Lyndij apophthegmata. 789.b. 790.a.
Cleomenes Spartanus vino in inſaniam verſus. 149.a.
Cleomenis apophthegma,de oratore garrulo. 315.b. verba grauiſſima contra deſperationem. 515.b.
Cleon cur Larus vocatus. 391.a.
Cliens. 233.b.
clientis cuiuſdam ſimplicitas. 178.b.
Κλειτορὶς,quid ſit. 856.a.
Clitoridis varia nomina. ibid.a.b.
Κλειτορίζειν,quid. 856.a.
Clitorius lacus abſtemios reddit. ibid.
Clitorij mores,qui. ibidem.
Clodius Albinus inſignis comeſſator.391.b.
Clodoueus Rex Galliæ primus tribus lilijs pro ſymbolo vſus eſt. lix.b.
Clunes ſedes libidinis. 332.a.
Cluſius C. Marij nepos, ob ſtuprum caſus. 355.b.
clypeare,quid Pacuuio. 684.b.
Clypeum,& Clypeus quid. ibid.
Clypeus Agamẽnonis.269.a. Myrtili quid. xxxii.& 685.a. quid, & vnde dictus. 481.b.
Clyſter quid. 381.a. vnde dictus. ibid.
Clyſteris vſum ibis auis hominibus oſtendit. ibid.& 895.b.
Clytemneſtra ab Oreſte occiſa. 724.a.
Cn. Flauius cornicum oculos confixiſſe dictus. 27.b. Pompeius digitum combuſſit,ne conſilia P.R.reuelaret. 80.a.
Coa veſtis,qualis. 352.b.
Coccinea veſtes,id eſt,purpurea. 503.b.
Κόχλος, cornu tortile, Panos inuentum. 530.a.

Cœlia

Cœlia celebris Comica. 872.a.
Cœlia Comica in actione dexteritas & eloquentia. 872.b.
cœlum terra miſcere, qui dicantur. 392. b.
cœlus, vel Cœlius quid Poetis. 27.a.
coemptio matrimonij ſpecies. 843.a.
cœnobitarum quorundam deſidia. 358.b.
cœruleus color qualis. 504.a.
cognitio herbarum animalibus quibuſdam inſita. 153.b.
cognomen Magni, paucis tributum. 624.b.
cognomina Bacchi. 137. a. *Iouis.* 622.a.
colloquium Socratis cum Theodota meretrice. 567.b.
colobotes. 407.a.
Color quid Platoni. 500.a. *albus qualis.* 501.b. *albus & rubeus.* 257.a. *birrocinus quis.* 505. a. *birrus qualis.* 504. b. *blauus qualis.* 503.a. *burrhus qualis.* ibid.b. *canus qualis.* 502.a. *cinericeus quis.* 505.a. *coccineus quis.* 503. b. *cœruleus qualis.* 503.a. & 504.a. *flammei, quo velabantur nouæ nuptæ.* 840.a. *flauus qualis.* 503.a. *fuluus qualis.* 505.b. *fuſcus qualis.* 500.a. *giluus qualis.* 504. b. & 505.a. *glaucus qualis.* 504.a. *heluus qualis.* 505.a. *ianthinus quis.* ibid. b. *impluuiatus quis.* ibid.a. *leucophæus quis.* 504.b. *melinus quis.* ibid. & 505. a. *natiuus quis.* 504. b. *niger qualis.* 500. a. *niger in Æthiopibus.* ibid. *niger laboris index.* 482.a. *oſtrinus qualis.* 503.b. *pullus qualis.* 500.b. *purpureus quis.* 503. b. *purpureus ſymbolum verecundiæ.* 504.a. *rauus quis.* 505.b. *ruber qualis.* 503.b. *rufus qualis.* ibid. *ruſſeus quis.* 505.a. *ſaginatus quis.* ibidem. *toga Romana quis.* 756.b. *Venetus qualis.* 503.a. *violaceus quis.* 505.b. *viridis qualis.* 503. a. *viridis ſperantium eſt.* 229.b.
colores ludorum Circenſium. 506.b. *paganici quales.* ibid.
colorum ſignificationes. 500.a. *varia nomina.* 506.a.
coloribus affectus animi exprimuntur. 500.a.
Colubrum in ſinu fouere. *adag.* 290.a.
Columba à Noe emiſſa cur ſurculum oliuæ attulerit. 578. a. *ſymbolum trepidationis.* 188.b.
columba hieroglyphicum, ibidem. *natura.* 189.a.
Columbina ſimplicitas, in prouerbium abijt. ibid.
Columna Iſidis. 48.b.
Columnas rumpere. *adag.* 407.a.
coma flaua iracundiæ argumentum. 503.b.
comedones cœlum terra miſcent. 392.b.
Comitis S. Pauli infauſtus caſus. 700.b.
comites auaritiæ. 588.a.
Comitia diremit muſtela tranſcurſus. 898.a.
commendatio Muſicæ. 778.b. *pulchritudinis.* 446.b.
commentatorum Plauti lapſus. 5.a.
commentum Principum auarorum. 631.b.
Commercium. 699.b.
commoditas boni vicini ſumma. 699.b. & *incommoditas vicinorum.* 181.a. *orbitatis.* 680.b.
commoditatis ſymbolum Abies. 858.a.
commoda pacis quanta. 737. a. b. 745. b. 746.a. & 902.a. *ſpei.* 229.b.
Commodus Imperator Hercules, & Iouis filius nominari voluit. 17.a.
Communis Mercurius. *adag.* 271. b. & 427.b.
Como. 850.a.
Companatico, *quid Italis.* 375.a.
comparatio Apollinis & Bacchi. 419.a. *cygni & poetæ.* 768. a.b. *interdum odioſa.* 605.b. *reipublica cum lyra.* 61.a. *reipublicæ cum naui ventis agitata.* 225. a. *Solis & Lunæ.* 696.a.
compedes aureæ aulicorum. 377.a. *ſuas etiam aureas amare, ſtultum.* 127.b.
compendium vitæ Chriſti Seruatoris. 645.b.
compeſco, Germanis quibuſdam, Paſchgen. 50.b.
compos, & Impos, vnde. 262.b.
comptuli et forma ſtudioſi reprehenſi. 805.b.
concio, tria ſignificat. 164.b.
concionatores quid à campanis diſcant. 90.b.
concipere preces, quid. 50.a.
CONCORDIA. 210.
concordia Æliorum. 675.b. *ciuium, principibus curæ eſſe debet.* 209. a. *non violanda.* ibid.a. *per lyram deſignata.* 61.b. *plebis principi neceſſaria.* 208.b. 209.a. *vnde dicta.* 64. a. & 212.a.
CONCORDIA inſuperabilis. 213.
Concordia fraterna exemplum in Eumene & Attalo. 215.a. *ſymbolum caduceus.* 510.b. *cornices* 208. a. *dextra.* 212.a. *vis & commoda.* 209.a.b.
CONCORDIAE ſymbolum. 207.

Con-

Concordiam vt ſuaſerit Heraclitus. 94.a.
Concordia fulciuntur opes, etiam exiguæ. *adag.* 208.b.
Concubinæ Romanis admiſſa. 496.b.
Conditio amantium per buxum repræſentata. 874.b. *auarorum qualis.* 371.b. & 375.a. *aulicorum.* 378.a. *humanæ vitæ.* 666.a. *miſera adoleſcentum pauperum, at felicis ingenij.* 521.b. *miſera inuidorum.* 319.a.b. *nothorum qualis.* 601.b.
confectio encauſti. 433.b.
confeſſio imperitiæ ſumma prudentia eſt. 431.a.
confiſcare, quid. 628.a.
congeries lapidum virorum fortium tumulis appoſita. 53.a.
congreſſus murænæ & viperæ. 818.b.
congruere, verbum. 105.a.
coniectura Lipsij, de Minotauro, ſigno militari Romanorũ. 72.b. *Pignorij, de* Spuere in ſinum. 463.a. *Thuily, de Glauco Polybide.* 155.b. *de imaginis cuiuſdam epigraphe.* 5.a. *de porphyrionum raritate.* 238.b. *de* Spuere in ſinum. 463.b.
coniugatio vitis & vlmi, ſimilitudo amoris. 677.b.
coniugia Germanorum. 820.b.
coniunx & Coniux. ibid.a.
coniuges ſuos è carcere liberant vxores Minyarum. 816.a. *humeris efferunt vxores oppidi VVeinsburgi.* ibid.
coniugum diſcordium lepidum epitaphiũ. 817.a.
connubij ſymbolum malum cotoneum. xlvii.b.
Conon ex patria in Cyprum diſceſſit. 614.b.
conſcientia mille teſtes. 161.a. *ſimilis fœneratorum ſacculo.* 107.a. *ſimilis libello rationario.* ibid.
conſcientia mala tormenta. 430.a.
conſiderare, & Deſiderare, per i, non per y, ſcribendum. 227.a.
conſideratio æternitatis. 671.a. *viperæ, maris & fœminæ.* 818.a.
CONSILIARII Principum. 623.
Conſilium D. Ambroſij Theodoſio datum. 881.a. *non maturandum in rebus arduis.* 891.b. *nullius momenti, niſi ſit, qui illud ſequatur.* 727.b. *res ſacra.* 75.b.
conſilij & fortitudinis vis. 85.a.
CONSILIO & virtute Chimæram ſuperari. 81.
Conſilia aliquando rapienda potiùs quàm quærenda. 526.b. & 891.b. *cum viribus coniungenda.* 218.b. *principum occultanda.* 74.b. *quàm pauciſſimis committenda.* ibid. *viribus deſtituta.* 218.a.
conſtantia mira Q. Fabij Maximi. 101.a.
conſtantiæ miræ exempla in mulierculis. 79.b.
Conſtantis Imperatoris apophthegma, de fiſco Principis. 629.a.
Conſtantius credulus. 100.a.
Conſtantij Imperatoris adulatores 196.b. *cunctatio.* 116.b.
conſuetudo gruum in volatu. 104.b.
conſulere Principibus res difficilis. 295.b.
Conſultor res ſacra. 74.b.
Contemplatio, dicitur vehiculum animi. 30.b. *humanæ miſeriæ.* 649.b.
Contendere cum potentioribus, periculoſum. 182.b. *verbis, mulierum eſt.* 900.b.
contentio de armis Achillis. 163.b. *infelix M. Tullij cum Antonio.* 517.a.
contentiones virorum doctorum. 750.b.
contiguum. 180.a.
continentia Alexandri Macedonis. 192.b. *coniugalis.* 192.b. *Druſi.* ibid.
continentia geſtus. ibid.
Contorquet piger funiculum. *adag.* 394.a.
contradictio duorum Emblematum conciliatur. 135.a.
controuerſia Aiacis & Vlyſſis, de armis Achillis. 165.b. *perpetua inter aquilam & ſcarabæum.* 709.b.
Contumelia ſæpè animis tranquilliſſimis patientiam extorquet. 694.a.
cõuitia in profeſſores noſtrorum temporum. 407.b.
conuitiorum contemptor Tiberius. 636.b.
Conuitiari procliue eſt publicè docentes. 407.a.
conuiuæ pileati. 643.b.
Conuiuium Phrynæum. 837.b.
Copia ciborum libidinem irritat. 342.b.
Copiæ cornu. *adag.* 509.b.
Cor duplex elephanto. 737.a. & *cerebrum non edenda, vt præcipit Pythagoras.* l.a.b. *hirſutum in Ariſtomene inuentum.* 188.b. *ſupra craticulam impoſitum, furoris nota.* l.a.
Cor magnum habent timida animalia. 252.b.
Cor ne edito. *adag.* xlix.b & 318.a.
Corbita, quid ſit Longobardis. 278.b.
Cordum quid. 552.b.

Corin.

Corinna Naſonis amica. 455.b.
Corinthij χοινικομέτραι dicti. 361.a.
Corneis poculis vtebantur veteres. 142.a.
Cornelius Agrippa ex ſpiritu auri verum aurum facere nouit. 810.b.
*Cornelij Agrippæ vanitas.*48.a. *Galli inſolentia punita.*50.b. *Taciti locus de malis, eorumq; remedijs.* 563.b.
cornicari, quid. 114.b.
Cornix cur à Pallade reiecta.ibidem. cur Spei adiuncta. 231.a. *Domitiani mortem prædixit. ibid. Heſiodo ſignum hyemis.* 421.a. *hieroglyphicum concordiæ.* 208.a. *inauſpicata auis.* 326.b. *in Palladis manu.* 114.b.
Cornix ſcorpium.*adag.* 723.b.
*Cornicis dictum ex Suetonio.*231.a. *vox, cras, cras. ibid.*
Cornices ſymbolum concordiæ. 208.a.
Cornicum & vlularum diſſidium. 114.b. & 115 a. *fidiſſima ſocietas.* 207.a. *natura. ibid.*& b.
Cornicum oculos configere.*adag.* 208.a.
Cornicibus viuacior.*adag. ibid.*
Cornu Amalthea quid. 510.b.& 511.a. b. *copia pomis & vuis plenum, ſignum autumni.* 420.b. *pro arcu.* 448.a.
Cornua an dentes habeant elephanti. 735. b. *audaciam ſignificant.* 142. b. *cur Baccho attributa.* 142.a. *cur Pani attributa.* 529.b. *ſumere, quid.* 142.b.
Corollarium quid. 459 a.
Corollaria & monita Federici Morelli. 890.
Corona Capitolina quæ. 854.a. *ciuica qualis.* 578.a. *ciuica ex quercu.* 153.a. & 853. a. *ciuica quibus donabatur.* 853. a. *ex hedera cur impoſita diſcumbentibus.* 867. b. *graminea data Fabio Maximo.* 153.a. *graminea ſalutis ſignum. ibid. Gnoſſia in cœlo, Ariadne.* 140.a. *populea ſignum fortitudinis.* 887.b. *pro magiſtratu.* liii.b.
Corona ciuica dignitas. 853. b. *graminea dignitas.* 152.b.
Coronam ne carpito. *adag.* liii.b.
Corona quatuor ad totidem virtutes relata. 460.a. *ſtatuis Deorum appendebantur.* 54.b. & 55.a. *varia apud veteres.* 152.b.
Coronidis mythologia. 114.a.
Corpus hominis nido vpupa comparatum. 40.b. *vitioſum plerunq; vitioſa naturæ imago.* 244.b.
Corruptus quidam iudex, eiusq; excuſatio. 178. b.
Coruus impoſtoris hieroglyphicum. 326.b.
Coruus ſerpentem.*adag.* 723.a.b.
Coruum deluſit hiantem. *adag.* 674.a.
*Corui qui.*326.b. *Ciceroni infauſta prædixerunt.* 169.a.
COTONEA. 861.
Cotonea mala cur ederentur à nouis nuptis. ibid.b.
Cotys Rex vitrea & pulchrè elaborata vaſa cur fregerit. 288.b.
Cotys turpitudinis præpoſtera Dea. 330.a.
Craſſus auaritiæ pœnas luit. 375.b.
*Crater.*43.a. *Neſtoris.*424.a. & 425.b. *vnde dictus.* 43.b.
Crater litium.*adag. ibid.*
Κράτηρ, *quaſi* κερατὴρ, *à* κέρας *dictum.* 142.a.
Crateres, Ætnæ fauces. 43.b.
Crater Thebanus theſaurum demergit. 653.a.
Crathis paſtor ab hirco Zelotypo occiſus. 278.a.
Cratinus fingit Ocnum funem torquentem apud inferos. 394.a.
Creatura omnis eſt homo. 413.b.
credendum cui non. 262. b.
Credere omni ſpiritui ſcriptura prohibet. 99. a. *omnibus & nulli, vitium eſt vtrumq;* 100. b.
Credulitas aut maturè admittenda, aut ſtatim repellenda. 98.a. *nimia, multa mala inuexit.* 99. a. *nimia Valentis.* 100.b.
Crepida vnde Italis Muli *dicta.* 589.b.
crepido, quid. 326.a.b.
crex auis. 380.a.
crimen ſtellionatus. 243.a.
crimina tria rupti fœderis. 63.a.
Critias & Alcibiades leui cauſa ab officio auocati. 365.b.
Crœſus à Cyro captus. 669.a.
Crœſi theſauri. 668.a.
Crudelitas Antipatri in matrem Theſſalonicen. 291.b. *Mezentij.* 843. a. *Neronis.* 269. b. *Tulliæ in mortuum patrem.* 271.b. *Vedij Pollionis.* 819.b.
S. Crux amoris diuini ſymbolum. 482. b. *palma naturam habet.* 201. b. *ſignum libertatis Chriſtianæ* 645.a. *ſignum ſalutiferum.* lvii.b.
Crucis aduerſarij. 202. a. *vis.* 201. b. & 202. a.

Cubitus menſura genus.159.a. regius maior communi tribus digitis. ibid.b.
Cubus,quid. 3.b.
Cuccu,*occinitur maritis impudicarum vxorum.* 277.b.
Cuculus. *adag.* 276.a.
Cuculus & cucullus quid. 276.b.& 277.a. *Ægyptijs imperaſſe creditur.* 277.a. *cur in nidis alienis oua ponat.* 276.b. *deſides agricolas ſignificat.* ibid.a. *pro adultero.* ibid. *pro inepto & inſulſo.* 278.b. *ſignum æſtatis.* 420.b. *ſignum veris.* 277.a.
Cuculi natura & mos. 276.a.
CVCVLI. 275.
Cuculi qui ſint,& vnde. 276.b.& 277.b.
Cucupha auis gratitudinis hieroglyphicum. 173.a.
Cucupha auis pictura,& in parentes pietas. ibid.
Cucurbita præcox. 877.a. *qualis planta.* 539.b. *quid allegoricè.* ibid. *quis dicatur.* 278.b.
Cucurbitæ ſimiles thraſones tumidi. 539.b.
Cucurbitare,verbum iuridicum. 278.b.
Cudere verſus,Emblemata,&c. 4.b.
Cui dei videto. 6.b.
Cuius, cuia, cuium, interrogatiuum. 330.b.
Culina quibus ſit modulus vitæ. 392.b.
Culpa in inſontes reiecta. 730.a.
Cultus religioſiſſimus,imitari. 32.b.
Cumæi fratres. 31.a.
Cuminiſector. *adag.* 375.a.
Cum laruis luctari. *adagium.* 655.b.& 729.a.
CVM laruis non luctandum. 654.
Cùm ſis nanus,cede. *adag.* 272.b.
Cunctatio. 116.b. *& deliberatio peccati remedium.* 119.a b.
Cupiditas animi humani per Proteum ſignificata. 762.b. *habendi Pyrrhi Epirota.* 295.b.
Cupiditatis habendi idea. 372.b.
Cupido aliger,quare. 451.a. & 479.b. *apibus comparatus.* 472.a. *cruci affixus.* 897.a. *cur cæcus.* 480.a. *cur nudus.* 476.b. *cur pharetratus.* 479.a. *cur puer.* 477.a. *cur Veneri ſemper iungatur.* 467.b. *& Fortuna in eodem delubro culti.* 130.a. *& Muſa σύνναοι.* ibid. *fugitiuus.* 475.a.& 659.a. *fulmen tenens in Clypeo Alcibiadis.* 450.b. *fulmine fortior,* 450.b. *in gemma inſculptus.* 442.a. *laqueos vndique tendit.* 125.a. *leonum domitor.* 442.a. *mellilegus.* 471.a. *quomodo ab Amore ſuperetur.* 463.b. *ſe leonibus familiarem fatetur.* 442.b. *ſine arcu & telis.* 447.b.& 448.a.
Cupidinis armorum allegoria. 479.a. *& Amoris differentia.* 458.b. *& Mortis error.* 658.b. *fax.* 448.a. *inſignia.* 473.a. *vis in cæteros Deos.* 452.a.
Cupidini cur fax attributa. 448.a. 458.b.
Cupidines duo, & totidem Veneres. 460.a.
Cupidorum mos. 296.a.
CVPRESSVS. 848.
Cupreſſus arbor funeſta. 849.b.& 851.a. *Diti ſacra.* 489.a. *funeribus adhibita.* ibidem.b.& 850.b. *mortis ſymbolum.* 849.a. *res pulcras,ſed inutiles ſignificat.* ibid.a. *tria ſignificat.* ibid.
Cupreſſi deſcriptio. 848.a. *frondes in ſepulchris magnatum.* 849.a. *nomen & natura.* ibid.& b.
Cura ſepulturæ nobis quaſi congenita. 575.a. *veterum pro pupillis.* 98.b. *vnde dicta.* 205.b.& 318.a.
Curculio,quid. 190.a.
Curij Dentati feſtinatio. 119.a.
Curioſa hominum ingenia circa vanitates. 537.a.
Currus Auaritiæ. 372.b. *Bacchi à tigribus tractus.* 170.b. *Luxuriæ.* 324.a. *Veneris à cygnis tractus.* 770.b.
Currus triumphalis forma. 168.a.
Currum Magnæ Deæ vehebant leones. 170.b.
Curſu lampada trado. *adag.* 427.a.
Cuſpis aurea & plumbea Amoris. 462.b.
Cuſtodia caſtitatis difficilis. 127.b. *principis firmiſſima ipſius innocentia.* 65.a. *principis optima, amor.* 64.b. *principis optima,ciuium beneuolentia.* 65.a.
Cuſtodia ſymbolum leo. 86.a.
CVSTODIENDAS virgines. 122.
Cuticulam an habeat fœtus in vtero exiſtens. 12.a.
Κυαμοτρώξ,*quis.* 31.a.
Cyathus. 146.a. Bacchi. 147.a.b.
Cybele haberi voluit Heliogabalus. 17.a.
Cyclops,affectus ratione priuãs. 721.b. *vir ſapiens Seruio.* ibid.
Cyclops excæcatus. *adag.* 721.b.
Cyclopis donum. *adag.* 720.a.
Cyclopes qui. 37.b. *vnde dicti.* 719.b.

Cyclo-

Cyclopum tria genera. ibid.
Cydonia mala unde dicta. 862.a.
Cygnea cantio. adag. 771.b.
Κύκνειον ἆσμα. adag. ibid.
Κύκνος, unde dictus. 769.b.
Cygnus candoris animi, & Apollinis hieroglyphicum. 772.b. cur ante mortem canat. 771.b. Dircæus dictus Pindarus. 770.b. Fauonio ſpirante ſuauiùs canit. 772.b. inſigne poetarum. 768.a. muſici & poetæ ſenis hieroglyphicum. ibid. a. Neptuni filius in auem mutatus. 771.a. Phœbo ſacer. 769. b. 770. a. Rex Ligurum in auem mutatus. 770.b. & 771.a. Veneri ſacer. 770.b.
Cygni & poetæ comparatio. 768. a.b. regis hiſtoria. 770.b.
Cygnum ante mortem canere, quinam negent. 771.b. & 772.a.
Κῦμα & Cymatilis color. 504.b.
Cymodocea nympha fandi doctiſſima. 510.a.
Cynici muſcis ſimiles. 694.b.
Cynomyia quid. 693.b.
Cynthia Propertij amica. 455.b.
Cypariſſi fabula. 849.b. fructus. 850.a.
Cypriani locus, de animo coercendo. 262.b.
Cypris & Cypria, unde dicta Venus. 455.a.
Cyprus inſula à Venere ſic dicta, non vice verſa. 342.a.
Cyrenenſes lembi inuentores. 62.a.
Cyrus aquilino naſo præditus. 189.a. Crœſum amicum ex inimico facit, & cur. 669.b. cur dictus eſt Mulus. 601.b.
Cyri inſigne gallus aureus. lvii.b. pœnitentia de iudicio læto. 669.a.
Cytherea unde dicta Venus. 456.b.

D.

Δάκνεσθαι quid Græcis. 318.b.
Dactyli dicuntur fructus palmæ. 199.b.
Dædalus quis. 73.b. quo tempore claruerit. ibid.
Dæmon meridianus apud Ruſſos. 765.a.
Dæmonis aſtutia. 703.b.
Damnum facere quid ſignificet. 729. a.b. graue, temporis iactura. 7. b. præferendum turpi lucro. 536.a.
Danubius & Iſter idem ſunt. 221. a. fluuius Germaniæ. ibid.
Dapes. 609.b.
Daphne ab Apolline amata, & in laurum conuerſa. 882.b.
Δάφνη, unde dicta. ibid.
Δαφνηφάγοι poetæ & vates dicti. 867.a. & 883. b.
Dardanij epigramma in Spem. 228. b.
Dare, accipere, referre, tres actus ſunt diſtincti. 688.a.
Dare manus, quid. xlix.a.
Dares Phrygius ſcriptor belli Troiani. 455. a.
Daria Malegucia Ludouici Arioſti mater. 664.b.
Darij de Alexandro querela. 25.a.
Dauid Semei impunitatē promittit. 635.a.
Dauidis epicedium ſuper Abſolon filium. 900. a.
Daulia, Daulis, & Daulias, cur dicta luſcinia. 314.a.b.
Daulia cornix. adag. ibid. b.
Deæ gentilium, quarum in Emblematis Alciati incidit mentio. Aglaia. 686. Ate. 560. Ceres. 203. & 742. Charites. 686. Diana. 695. Euphroſyne. 686. Eurynome. ibid. Fortuna. 264. 414. & 512. Harmonia. 781. Iſis. 47. Iuno. 600. Latona. 418. Litæ. 560. Mineruæ. 18. & 112. Mors. 658. & 661. Muſæ. 488. Naiades. 473. Natura. 409. Nemeſis. 157. 228. 235. & 461. Nymphæ 321. Occaſio. 523. Pallas. 9. 122. 129. 135. 453. & 781. Parcæ. 329. Pitho. 686. Rhamnuſia. 228. Spes. 228. & 235. Thetis. 581. Venus. 329. 340. 409. 453. 457. 469. 686. 813. 832. & 870. Veritas. 56. Virtus. 239.
Deartuo, quid. 628.b.
Debitor fruſtrator, Chamæleon. 256.a.
Debitores lucifugæ & veſpertiliones. 283.a.
Decipula murem cepit. adag. 403.a.
Deciſio ingenioſa Alciati. xxv.
Decorum in muneribus obſeruandum. 6.b. & 7.a.
Decretum quid propriè. 621.a.
De curru delapſus. adag. 262.b.
Defenſores artis Chymicæ contra aliorum ratiunculas. 811.a.
Definitio amoris, ex Theophraſto. 478. a. temeritatis. 880.b.
Deflere mortem amatorum humanum. 665.a.
Defraudare genium, quid. 374.b.

Dehortatio luxuriæ. 340.b.
Delia Tibulli amica. 455.b.
Delige quem diligas. xlix.a.
Delirium veterum de virtute fortunæ ſubiecta. 515.a.
Delphica litera, quid. 799.b.
Delphicus quare cognominatus Phœbus. 777.b.
Delphin, ſiue Delphinus anchoræ alligatus Aldi Manutij ſymbolum. 117.a. *item Veſpaſiani.* lvii.b. *alligatus anchoræ quid Alciato.* 616.a. *à puero vocatus paret.* 387.b. *crocodili hoſtis.* 616.b. *cur ſignum muſicum.* 387.b. *è mari eiectus quid.* 703.a. *futuram tempeſtatem præſagire ſolet.* 616.a. *hominum amaſius.* 448.a. *inſigne Vlyſſis.* lvi.a. *iunctus Cupidini, amoris hieroglyphicum.* 665.a. φιλάνθρωπος. 616.a. φιλάνθρωπος, *amicitia nota* 664.b. *puerum ad ludum ferens & referens.* 387.a. *remora iunctus Pauli III. Pontificis ſymbolum.* 116.a.
Δελφῖνος ἐν χέρσῳ βία. *adag.* 702.a.
Delphini agilitas. 702.a. *deſcriptio.* 385.a.b. *natura.* 616.b. *pietas in filios, ibid.*
Delphini in terra vis. *adag.* 702.a.
delphinum anchoræ alligatum qui pro ſymbolo habuerunt. 616.a.
Delphines an ſtatim moriantur, vbi terram attigerint. 702.a.b. *Simones vocari gaudent.* 385.b.
delubrum Veneris in monte Libano. 894.a.
Demades Nemeſin ſuam expertus. 161.b. *orator Athenienſes ab inconſulto furore in Macedonas retraxit.* 99.a.
Demaratus mercator, Pythagoræ parens. 104.a.
Demarati apophthegma, de ſilentio 69.b.
Demetrius Cynicus à Veſpaſiano Canis appellatus. 696.a. *ab vxore Zelotypa occiſus.* 244.a.
Demetrij apophthegma de maledicentia. 697.b.
Democedes Medicus Darij Regis. 895.b.
Democritus quis. 648.a. *cur Gelaſius dictus. ibid. cur ſeipſum obcæcauit. ibid.*
Democriti apophthegma, de connubio. 846.a. *de ira cohibenda.* 288.b. *riſus.* 647.a.
De Morte & Amore. 657.
Demoſthenes ſoli eloquentiæ operam dedit. 308.a. *aduerſos habuit demagogos.* 115.a.
Demoſthenis apophthegma, in funus auari. 675.a. *locus, de ſuaſore criminis.* 727.a.
Deus vnus Gorgonibus communis. 664.b.
dente petere. 729.b.
Dentes à Cadmo ſati quid mythologicè. 783.a. *elephanti quos putant, cornua ſunt.* 535.a.
Deſcriptio abietis. 857.a. *amoris, ex Marullo.* 474.b. *amoris, ex Phornuto.* 475.b. *amoris ex Propertio. ibid. amygdali.* 875.a.b. *auium Stymphalidum.* 596.a. *aulæ, ex Luciano.* 378.b. & 379.a. *buxi.* 873.a. *chamæleontis.* 255.a. *Charitum ex adiunctis.* 687.a. *cupreſſi.* 848.a. *curruus triumphalis.* 168.a. *delphini.* 385.a.b. *hederæ.* 865.a.b. *Hunnorum.* 204.b. *ilicis.* 868.a.b. *inuidiæ.* 317.a. *iyngis.* 346.a. *lauri.* 882.a. *locuſtæ, ex Claudiano.* 548.a. *locuſtarum, ex Piſide.* 549.b. & 550.a. *lyncis.* 294.a. *mali cotoneæ.* 861.a. *mali Medicæ.* 870.a.b. *mori.* 879.a. *murænæ.* 818.a. *Occaſionis.* 524.a.b. *Panos, variorum.* 411.a. *paraſiti.* 396.b. 397.a. *piceæ.* 859.a. *populi albæ* 886.a. *porphyrionis auis.* 237.a. *quercus.* 852.a. *ſalicis.* 855.a. *ſcurræ.* 398.a. *Sirenum, ex Claudiano.* 488.b. *Sphingis.* 797.a.b. *ſtellionis.* 242.a. *ſuperbiæ* 300.b. *trophæi, ex Virgilio & Iuuenale.* 535.b. *viperæ.* 818.a.
Deſcriptiones amoris variæ. 481.a.
deſiderare per i, non per y. ſcribendũ. 227.a.
deſidere. pigritiæ ſignum. 358.a.
Deſiderium famæ Hieronymi Olgiati. 585.a.b.
Deſiderij Lignaminei Patauini ſymbolum. 508.a.
Desidia. 356.
deſidia quorundam cœnobitarum taxata. 358.b. *Siren.* 495.a.
Desidiam abijciendam. 360.
deſperantis opinio. 515.a.
deſperatio docuit πολυφαγίαν. 97.b.
Deſpondere animum. 237.b.
Deteſtatio auaritiæ. 372.b. *ebrietatis.* 150.a. *fori hodierni.* 713.a. *libidinis.* 328.a. *litigiorum inter eruditos.* 750.a. *mulierum fucatarum.* 837.a.b. *ſuperbiæ.* 300.b.
Detractor quidam Alciati. xxxiv.
Deucalion gruum beneficio à diluuio ſeruatus. 103.b.
Deus cur habitus Æſculapius. 637.a.b. *eſt, prodeſſe hominibus.* 410.b. *omnia videt.* 160.b. *ſæpe in rebus deſperatis miro modo ſuccurrit.* 780.a. *tutum*

tum refugium. 901. a. vindex iniuſtitiæ. 166.b. vita humana moderator. 85.a.
Dei arcana non eſt opus ſcrutari. 431. b. oculum nemo fallit. 178.a.
Deo præcipuè color albus decorus. 501.b.
Deum ſequere. adag. 54 a.
Deo monſtrante principium, nullus officit obex. 547.b.
Deorum coronæ. 54.b.
Deos cur tot effinxerit Ægyptus. 410.a.
Δεξιᾶς δοῦναι, quid. 212.a.
Dextera concordiæ ſignum. ibid. fidei ſacra. 59. a. & 212. a. fidei ſymbolum. 59. a. 211.a. & 813. a. hoſpitij ſymbolum. 212.b. quid ſignificet. xlix.a. teſtis fidei, cur. 212.a.
Dextræ parti potior cordis vis incumbit, ibid.
Dextra iuncta pro concordia. 211.b.
Dextras iungendi mos. 212.b. iungere, ſignum confœderationis. ibid.
Dialecticæ ſymbolum ſerpentes. 510.b.
Dianam haberi voluit Heliogabalus 17.a. pro Luna, frequens Poetis. 696.b.
Dicterium Phocionis in Leoſthenem. 850. a.
Dicteria in Chymicos. 812. a. b. in formoſos, ſed inutiles. 851.b. in ſpurios. 602.b.
dictum Caſtrucij veſtibus inſcriptum. 5.a. Iulij Scaligeri, de ſuo fato. 744.b. pij cuiuſdam viri. 666.b.
Dicta ſeptem Sapientum. 785.
Dicta Biantis Prienei. 793. b. & 794. a. b. Chilonis Lacedæmonij. 790. a. b. & 791.a. Cleobuli Lindij. 789.b. & 790. a. Periandri Corinthij. 791. a.b. Pittaci Mitylenæi. 792. a. b. Solonis Salaminij. 792.b. & 793. a b. Thaletis Mileſij. 794.b. & 795.a.
dies vnus de alio iudicat. ſupremus de omnibus. 670.b.
dies Alcyonij qui. 744.b. legitimi nuptiarum tres apud veteres. 862 b.
Differentia inter adagium. & Emblema. lxiii. b. inter caſtorem & lutram. 651. a. b. inter Cupidinem & Amorem. 458. b. inter Emblema & ænigma. lxiii. b. inter Emblema & ſententiam. ibidem. inter labra, labia, & labias. 67 b. inter Nemeſin & inuidiam. 160 a. inter nobiles & generoſos. 586. b. & 587. a. inter properare & feſtinare. 876. b. inter Venerem vulgarem & cœleſtem. 459. a. b. lari & ceppbi. 390. b. pauperis & egentis. 511 a. pilei & petaſi. 642 a. prætoris & ius dicentis. 177.b.
differentia amuletorum. 341 a. pilularum. xiv.b.
Difficile eſt animum vel mores mutare. 274.a. iuſtum dolorem temperare. 694. a. ſuſtinere vicem duorum. 219.a.
Difficilia quæ pulchra. adag 150. a. 566. b. & 759.b.
difficilia tria Sapienti viſa. 263.b.
Difficultas Alchymiæ. 811. a. b. cuſtodiendi puellas. 125.a. eloquentiæ. 759. b. & 760.a. verum indagandarum vnde. 767.a.
difficultates omnes ſuperant amor & voluntas. 518.b.
digitalis herba. 155.b.
dignitas corona ciuica. 853.b. corona graminea. 152.b.
dignus eſt decipi, qui de remunerando cogitat. 691.b.
Dij gentilium quorum facta eſt mentio in Emblematis Alciati. Aeſculapius. 637. Amor. 56. 442. 447. 450. 461. 469. 473. & 661. Apollo. 418. Bacchus. 129. 139. 418. 565. & 742. Bonus Euentus. 228. Boreas. 473. Cupido. 56 228. 457. & 658. Eurus. 548. Faunus. 321. & 529. Fulmen. 450. Glaucus. 152. Harpocrates 66. Honor. 96. Iupiter. 26. 560. 686. 785. & 852. Iupiter Ammon. 9. Mars. 152. Mercurius. 52. 414. & 718. Neptunus. 162. 568. & 701. Pan. 409. Phœbus. 768. & 773. Pudor. 838. Saturnus. 152. Satyri. 321. Sol. 264. Terminus. 667. Triton. 578.
Dij meliora, formula optandi. 843.a. multi ijſdem aris & templis culti. 129. b. qui veteribus habiti. ibidem. a. σύνναοι ijſdem delubris culti. 130.a.
Dilemma in Aſtrologos. 434 b.
Diligentia omnia perficiuntur. 25. b.
dimidium animæ amicus verus. 578.b. facti, qui bene cœpit habet. 547.b.
Diodori Siculi locus, de Theſſalis in libertatem reſtitutis. 194.b.
Diogenes comeſto polypo crudo perijt. 723. a. cur dictus canis 696.a. Muſicos cur ſtultitiæ arguerit. 61.b. veſpis ſimilis Antiſtheni 249.a.
Diogenis apophthegma. de adulatoribus. 258.a.

258.a. de Ariſtippo & Ariſtotele. 377. a.b. de meretrice Olympionice. 332. b. de morum mutatione. 274.a. de ſenectute inopi. 361.b. de ſorte humana. 559.b. de ſpe. 225. a. de verecundia in pueris. 504.a. in aſtrologos. 434.b. in muſicos. 61.b. & 62. a. impudentia. 694.b. iocus, de Chirone. 625.a.

Diomedes. 217. b. legem talionis expertus. 465.a. Thrax victus. 597.a. Venerem percuſſit. 217.b.

Diomedis equi, nonus Herculis labor. 597. a. & Vlyſſis effigies iuncta quid. 216.a.

Dione, mater Veneris. 59.a.b. ſæpe pro ipſa Venere ponitur à Poetis. ibid.b.

Dionis Chryſoſtomi liber, de Troia non capta. 583 b. locus, de laboribus Herculis. 599.a. de regum officio. 745. b. de ſeruis. 253.b.

Dionyſius rex, nepos & guloſus. 391.a.

Diophanis locus, de palma natura. 200.a.b.

Dioſcoridis de fibra opinio. 652.a.

Dioſcuri Iouis filij. 226. b. pileati. 643. a.

Dioſcurorum fabula ex Ouidio. 226.b.

Dioxippus cur à Diogene reprehēſus. 445.b.

diphthera quid ſit. 716.a.

Dipſas lenæ nomen apud Ouidium. 440. a. ſerpens. 439.b.

dipſadis morſus ſigna. 440.a.

à Dipſade percuſſi ſiti emoriuntur. 439.b.

Dirum quid. 345. b. & 443. b. unde dictum. 896.b.

diſciplina corrupta per quercum deſignata. 854.b. domeſtica Monaſterij S. Benedicti Nouelli Patauij. xvi. a. una unicuique excolenda. 367.b. & 368.a.

Diſcordia Dea. 208.b.

Diſcrimen inter bonam & malam mulierem. 821 b.

diſplaſiaſmus. 180.b.

diſputationes ſcholaſticæ quales. 766.b.

Diſſidium aquilæ & ſcarabæi. 709.b. ouiū & luporum. 715.a. ulularum & cornicum. 114.b. & 115.a.

diſſimulatio Ciceronis poſt bellum Pompeianum laudata. 516.b.

Ditare quàm diuitem eſſe conuenientius Principi. 628.b.

Diues imperitus eleganter ab Alciato expreſſus. 326.a. iniquus eſt, aut iniqui hæres. 556.a.

DIVES indoctus. 806.

Diuites improbi. 180. b. verè qui ſint. xiv.a.

diuitum ſtatio ſemper tuta, pauperum non item. 723.a.

Diuinatoris Angli vana prædictio. 435. a. b.

diuinitatem qui affectarint. 16.b. & 17.a.

Diuiſio ætatum varia. 3. a. hæreditatis Chariclis & Antiochi. 850.a.

Diuitiæ olim in pecore. 809.a. virtutis pediſſequæ. xiv.b.

diuitiarum amor multos à virtute auocat. 573.b. ſymbolum, ceruæ aureis cornibus. 595.b.

docentes publicè cōuiciari, procliue. 407.a.

Doctor Iuris creatus Alciatus. xxv.

Doctores cur pileo ornētur. 645.a. nouitatis reprehenſi. 307.b. ſacri hieroglyphicè galli nomine intelliguntur. 86.a.

DOCTORVM agnomina. 405.

Docti, qui amori operam dederunt. 455.b.

Doctorum diſſidia & certamen. 750. a. b. 707.a. & 783.b. fama. 867.a.

DOCTOS doctis obloqui nefas eſſe. 747.

doctrina non eſt ſine magiſtro. 15.a.

documenta, quæ nobis certamen Eunomi & Ariſtonis ſuppeditat. 776.b.

Dodonæum æs. adag. 89.b.

dogma. 104.b.

dolio Danaidum æquiparati guloſi. 392.b.

Doloris & Voluptatis fabula. 468.a.

dolorem qui regerit, tantùm excuſatius peccat. 697.a.

doloſi dolo capti. 720.b.

dolus alius bonus, alius malus. 243.b.

DOLVS in ſuos. 245.

dominium Occaſionis. 525.b.

dominij eccleſiaſtici & tēporarij diſcrimen. 854.b.

Dominus ſuæ voluntatis homo. 437. a.

Domitianus ex bono in peſſimum mutatus. 607.b.

Domitius Liberium occidit, quòd potare recuſaret. 147.a.

domus Inuidiæ. 317.a.

Dona hoſtium noxia. 707.b.

Donavveſchingen, origo Danubij. 221.a.

Dotis ampla duo mala ſocia, uxoris ſuperbia, & viri ſeruitus. 817.b.

Draco à Cadmo occiſus quid mythologicè. 783.a. inſigne Amphiarai. lvi.a. ſacratus Mineruæ. 123.b. unde dictus. ibid. & 783.a.

Draco legiſlator petaſis & tunicis exploſus. 643.b.

Draconem cur premeret ſimulacrum Palladis.

ladis. 123.a.
Dracones cuſtodiæ præfecti. 124.b. & vlula cur Palladi conſecrantur. ibid.a.
Dracontius puer ob occiſum per imprudentiam puerum relegatus. 828.a.
Druidæ Gallicæ religionis antiſtites. 752.a.
Druſi continentia. 192.b.
Dryades, nymphæ ſiluarum. 323.b.
Dryope Euryti filia in lotum transformata. 486.b.
Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται. adag. 656.a.
Ducatus Mediolanenſis inſignia. 9.
Ducis conſilium occultum eſſe debet. 74.b.
duces feroces in pace manſuefacti. 736.a.
ducibus ſtrenuis vnde contigit gloria bellica. 567.a.
Dulceamarum. adag. 467.b. & 872.a.
DVLCIA quandoq; amara fieri. 466. item. 469.
Δουλοκρατούμενος quis. 808.a.
Duo ad valetudinem conducentia, victus ratio, & vinum temperatè ſumptũ. 419.a. amicorum genera, ſanguinis & conſuetudinis. 485.b. in homine difficulter edomari poſſunt, lingua & genitalia. 192.b. liquores humano corpori gratiſſimi, vinum & oleum. 132.b. munera paſtoris eccleſiaſtici, vigilantia & cuſtodia. 90.a. præſtantur à vini vſu moderato, florida ætas & vires corporis. 141.a. ſæculi mala, libido & luxus. 328.a. ſeruari debent in occaſione arripienda, maturitas & ordo. 528.a.
Duobus pariter euntibus. adag. 217.a.
Duos inſequens lepores, neutrum capit. adag. 295.b.
DVODECIM certamina Herculis. 592.
duodecim labores Herculis. 593.b.
durum eſt, aſſueta relinquere. 275.a.
Δύσκολα τὰ καλά. adag. 150.a.

E.

EBrietas Babylonica meretrix. 150.a. Circe. 148.a. frequens Scythis. 424.b. præcipuè Germanos peſſundat. 150.a.
Ebrietatis deteſtatio. 150.a. imago. 148.b. inſana hiſtoria. ibid.a. mala. 150.b. ſpecies. 145.b. ſuggillatio à puero facta. 148.a.
Ebrij beſtijs deteriores. 150.b. qua ratione puniendi. 148.b.
Ebrioſorum excuſatio. 151.a.
Eccleſia in aduerſis creſcit. 101.b.
Eccleſiæ victricis ſymbolum palma. ibid.
Ecebolius Conſtantinopolitanus inconſtantis fidei. 284.b.
ἔχει καὶ ἡ μυῖα σπλῆνα, ἔνεστι καὶ μύρμηκι χόλος. adag. 711.a.
Echeneis multum diſtat ab Echino. 895.a. qualis piſcis. 116.a. vnde dicta. 118.a. & 364.a.
Echidna mater Chimæræ. 84.a. quid allegoricè. ibid.
Echo Panis amica. 530.a.
ΕΧΘΡΩΝ ἄδωρα δῶρα. 705.
Editionis huius nouiſſimæ Emblematum Alciati occaſio. viii.
Effectus ignauiæ & deſidiæ. 357.a.b. inuidiæ. 318.b. iræ. 733.b. timoris. 532.b. varij vini. 145.a. vini moderatè & immoderatè ſumpti. 142.a.
Effigies & Effigia. 48.b. ciconiæ in ſceptris. 163.b. locuſtæ, & monſtri ipſam præcedentis, anno MDXLII. Lombardiam Inſubrum infeſtantis. 550. viua hominis auari. 375.b.
Egens vnde dictus. 521.a.
Egnatius Metellus vxorem occidit, quod vinum bibiſſet. 137.b.
Egregius. 30.a.
εἰδέναι quid Græcis. 110.b.
Εἰδοθέα filia Protei. 762.b.
Eidyllion Theocriti, de Amore mellilego. 470.a. idem à Nicolao de Oddis Italicè redditum. 871.a. xxix. ab eodem conuerſum. 542.b. & 543.a.
Ein Pomeriſcher Sachſenkerles, quis Germanus. 150.b.
EI, qui ſemel ſua prodegerit, aliena credi non oportere. 258.
εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ. adag. 218.b.
Electores Imperij ſeptem. 209.a.
Electra inter Pleiades cur vix appareat. 425.a.
Elegia Franchini, de bellis ſui temporis. 544.a.
elementa quatuor totidem Deorum nominibus intellecta. 27.a.
Elephantiſtes, & Elephantarches, elephanti magiſter. 735.a.
Elephantus in triumpho. 735.a. Plutoni ſacer. 535.a. porcum perferre non poteſt. 534.a. quale animal. 535.a. trophæo inſculptus. 534.a.
Elephanti Hannonis iucunda hiſtoria. 736.a.b.

Elephanto cor duplex eſt. 737.a.
Elephanti an cornua, vel dentes habeant. 735.b. Lucæ boues cur dicti. 534.b.
Elephantorum impetus in Galatas, & victoria. 535.a.b. & 534.a. vſus in bellis. 534.b. & 735.a.
Elephantis qui triumpharint. 736.a.
Elingues. 79.b.
Ellychnium ex lino Carpaſio non abſumitur igne. 78.b.
elogium Epaminondæ. 575.a. Hermogenis Rhetoris. 877.a.
Elogia Romanæ vrbis. 485.b.
ELOQVENTIA fortitudine præſtantior. 751.
Eloquentia Herculis. 754.a. in fœmina quadam Romana exoſa. 835.a. malè ſine moribus diſcitur. 750.b.
eloquẽtia difficultas 759.b. & 760.a. laus. 759.b. parens Cicero 169.b. præſes Mercurius. 54.a. ſignum caduceus. 510 a. ſtudioſi Galli. 752.b. vis. 755.a.
Elpidius. 229.a.
emancipare. 293.a.
Emanuelis à Coſta epigramma, de Morte & Amore. 658.b.
Emblema quid ſit. lxiv.a.b. et 4.a. quomodo propriè, quomodo figuratè accipiatur. lxiv.a. vnde dictum. 4.a.
Emblemata & ænigmata inter ſe differũt. lxiii.a. triplicia, vermiculata, ſegmentata, teſſellata. 4.b.
Emblematum finis quis. ibid.
Empuſa quid. 765.a. in varias formas mutabilis. 764.b & 765.a.
Enalus adoleſcens à delphinis ſeruatus. 387.b.
encauſtum quid. 433.b.
encauſti confectio. ibid.
encauſtica pictura. 434.a.
Encomium Venetiarum. 740.a.b.
Enses. 14.b.
Ennius, de hariolis. 435.a.
Ἐνέδιον σύμβολον, quid. 898.a.
Enormitas peccati Sodomitici. 356.b.
Eos Aurora. 87.b.
ἑωσφόρος. ibid.
Eous Solis equus, vnde ſic dictus. 265.b.
Epaminondas boni Principis exemplũ. 617. a. ... ſerpentem pro hieroglyphico ferebat. 11. ... 583.b.
Epaminondæ apophthegma, de bono Principe. 617.b. laus. 575.a. taciturnitas. 67.b.
Epaphus qua ratione Phœbi filius. 14.a.
Ephydriades nymphæ fontium. 323.b.
Ephyra, nunc Corinthus dicta. 330.b.
Epicedium Dauidis ſuper Abſolon. 900.a. Germanici in Themiſtoclem. 573.b.
Epicharis mulier in tormentis conſtans. 80.a.
Epicharmus Siculus, Pythagoræ diſcipulus. 92.b.
Epictetus, & eius lucerna. 191.b.
Epicteti Philoſophia duobus verbis comprehenſa. ibid.
Epicurei vitæ futuræ contemptores. 34.b.
Epicuri guloſitas. 392.a.
Epidaurius cur dictus Æſculapius. 637. a. ſerpens. 11.a.
Epidaurus vrbs. 639.a.
Epimethei pyxis. 330.b.
ἐπιμύθιον fabulæ, de ortu Palladis ex capite Iouis. 15.a. φυσικὸν, de ortu Bacchi. 144.a.
Epiphania, quid in cadauer parentis ſpuiſſet, viua exuſta. 656.b.
Epiſcopi munera & officia. 90.a.
Epiſcythizare. adag. 146.a. & 424.b.
Epitaphium Archilochi. 249.a. Laurentij Vallæ. ibid.b. lepidum coniugum diſcordium. 837.a. Niobes. 298.a.b. Petri Aretini. 249 b. Phaethontis 265.b. pudica cuiuſdam matronæ Romanæ. 836. a. Pyrrhi Anglebermai. 513.a.
Epitheta varia mulierum à peplo deducta. 42.b.
ἢ τίθι, ἢ ἄπιθι, hodierna lex. 147.a.
Epilogus Operis, Ioannis Thuilij. 889.
Epigramma, Anonymi cuiuſdam, in meretricem Venetam. 330.b. Antonij Thyleſij, de Promethei furto. 428.a. Anuli, de Narciſſo. 305.b. de typographis Lugdunenſibus. 784.a. in indociles. 274.b. Angeriani, de Amore. 452. a. de eodem. 475. a. Antonij, Virgilio tributum, de roſa & Venere. 448. b. Baptiſtæ Cynthij, de Venere & Solone. 459. b. Bellaii, in rudem & ſordidum. 339. b. Dardanij, in Spem. 228.b. Fauſti Sabæi, de Arione. 386.a. in Amorem. 448. a. Georgij Anſelmi, de lacrymis Amoris. 463.a. Georgij Sabini, de rixis Principum Chriſtianorum. 543.b. Herculis Strozzæ, de amore mellilego. 471.a. in ... 392.a. Iacobi Bilij, de voluptate & dolore. 468.a. Iani Laſcaris, de Niceo conuentu. 225.a. Incerti, in bibones.

nes. 592.b. in Charites Roma.687.a. in confidentem quendam φίλαυτον.311 a. in vanum hariolũ.435 b. Ioannis Mallaræ, de pietate ciconiarũ.173.b. Ioannis Secũdi, de Amore.451.a. Marii Molſæ, de pace.739.a. Martialis, de hirundine.749.a. Marulli, de Spe. 229.a. de Thraſybulo.577.b. Minois, de Amore. 448.b. de aulicis.378.b. de præcocitate.876.a. in puellam formoſam.468. b. in puellam præmaturè mortuam.661.b. Pacuuii, de Fortuna.416.a. Palladæ, in Aſtrologos 440.b. Philippi, de delphine philomelæ vectore 387.a. Pierij, in Framarianum ſcurram.440. a. Sannazarii, de Æneæ pietate.829.a. b. Smyrnæi, de laboribus Herculis.593.b. Thomæ Mori, de cupido 295.b. Thuilii, de Cœlia celebri Comica.872.b. de pallore amantum.875.a. in Rachelem nobilem pſaltriam. 688 a.
Epigrammata duo lepida Thomæ Mori, in aſtrologum uxoris impudicæ maritum. 441.a.b.
Eques quidam Garſiæ Regis Nauarenſis amicus. 679.a.
equus animal ferox & ſuperbũ.194.b. fræ natus, hominis ferocis, ſed obſequẽtis hieroglyphicum. ibid. in itineris ingreſſu ceſpitans, infauſtum habetur omen. 545. b. neſcit adulari.196.a. pœnitentia ductus ob inceſtum cũ matre, ſeipſum punit. 354.b. poetarum, vinum 134.b. populo ferocienti comparatus. 194.b.
equi caput inuentum in Carthaginis fundamentis. 194.b.
Equum habet Seiauum. adag. 545.b.
equi argento circumtecti, Socrati ſunt diuites indocti.809.a. Diomedis, nonus labor Herculis.597.a. Solis, & eorum nomina. 265.b.
equorum aures, animi indices.285.b. Diomedis allegoria. 597.a.
equitandi peritia qua ratione Principibus neceſſaria. 196 a.
Ergini caui. adag. 876.b.
erithacus auis. 400 a.
ἔρως καὶ ἀντέρως ſibi contrarij. 462.b.
error incmendabilis uiolentia Martis commiſſus. 740. b. periculoſiſſimus quis. 670. b.
errores eorum, qui literas addiſcunt. 105.a.
eruca quid, & unde dicta. 322.a. Venerem ſtimulat. ibid.b. vermis & herba. ibid. a. vnde dicta. ibid.
Eruca qualitas. 342.b.
eructare, verbum obſcœnum. 36.a.
Eſſæi qui. 358. a.
Eteocles primus Gratijs ſacra fecit. 688.a.
Eteonici prudẽs & cautum facinus. 115.b.
ETIAM ferociſſimos domari. 167.
Et muſca ſplenem habet, & formica bilem. adag. 211. a.
Etymon belli. 544. b. & vſus vocis Pellis. 170.a. Iani. 109.b.
Eubuli poetæ epigramma de Baccho. 147. a.b. ſenarij, de amore. 479.
Euclio Plauti, miſerrimus ſenex auarus. 371.b.
Eucratitæ deliri hæretici. 95.a.
εὐδαιμονεῖν, quid. 32.a.
Euentus bonus, eiusq; ſimulacrum. 231.a.
Eumenides quinta Luna nata. 38.b.
Eunomi & Ariſtonis certamen muſicum. 775.b & 776.a.b. ſtatua. 775.b.
euocatus ad Bituriges Alciatus. xxvi.
Euphroſyne una Gratiarum unde dicta. 688 b.
Eurus ventus ab Oriente ſpirans. 551.a. unde dictus. ibid.b.
Eurydomene, unde dicta. 690.a.
Eurymeduſe, unde dicta. ibid.
Eurynome, Gratiarũ mater, unde dicta. ib.
Euſebius, de Ganymede. 30. a. de Harmodio & Ariſtogitone. 77.a.
Euſebij de mirabili Panos hiſtoria teſtimonium. 412.a.b. opinio, cur Cecrops διφυὴς dictus ſit. 36.b.
Euſebij cuiuſdam conſtans animus in tormentis. 80.a.
εὔσοχος. 440.a.
Eutelidas ſui amore captus. 306.b.
Euthydamus ab oratoria ad tyrannidem inclinauit. 607.b.
Eutropius legem, quam ferri curauerat, paſſus. 465.b.
Exactores rigidi, Harpyiæ. 181.b.
Examen ſui. 106.b. trutina quid. 787. a. vitæ humanæ. 106.b.
Ex arduis perpetuum nomen. 564.
Ex bello pax. 737.
Excidium Patauinum ab Atyla quando incidit. 552.a.
Exclamatio in luxuriam. 324.b.
excurſus in ardeliones. 368.b. in fœderum & fidei violatores Principes. 536. b. in miſeram adoleſcentium feliciſſimi ingenij conditionem. 521.b.

Excu-

Excuſatio Alciati. 63.a. *Alciati, de frequenti locorum mutatione.* xxvii. & 611.a.b. *cuiuſdam, qui patrem verberabat.* 175.a. *ebrioſorum.* 151.a. *iudicu corrupti.* 178.b. *Thuilij.* xi.

Ex damno alterius, alterius vtilitas. 541.

Exemplum concordiæ fraternæ Eumenis. 215.a. *conſtantiæ mira in muliercula.* 79.b. *ingratitudinis cuiuſdam militis Philippi.* 290.b. *pietatis Æneæ.* 830.a.

Exempla arrepta. occaſionis. 527.a.b. *bene ficij malè compenſati.* 703.a. *caſtitatis in Ethnicis.* 126.a. *eorum, qui deſciuerunt à virtute* 607.a.b. *Imperatorum, qui proborum hominum operam ſibi iunxerunt.* 634.a. *vitæ ſtatum in melius mutantium.* 464.a.

Exempla vitioſorum poſſunt licitè poſt mortem memorari. 656.a.

Exequiæ Menandri Regis Bactrorũ. 575.b.

Exercitus Atylæ numeroſus. 551.b. *Xerxis numeroſiſſimus.* 552.b.

Exire è poteſtate, qui dicantur. 262.b.

Exitij nulla ratio. *adag.* *ibid.*

Ex literarum ſtudiis immortalitatem acquiri. 568.

Ex pace vbertas. 742.

Expedit habere plura cognomina. *adag.* 54.a.

expeditio Argonautarum quando ſuſcepta. 810.a. *Iaſonis & Argonautarum quid mythologicè.* 809.a. *Pygmæorum contra Herculem.* 271.a.

Experientia oſtendit, aurum arte fieri poſſe. 810.b.

Exuuiæ quid. 674.a.

F.

FAba cur veteribus immunda habita. li. a.

Faba ſomnia faciunt turbulenta. l.b.

Fabius Maximus conuitijs militaribus impetitus. 115.a. *cur Cũctator dictus.* 153.a. *cur Marcello adiunctus.* 118.b. *cur Ouicula dictus.* 809.a.

Fabij Maximi mira conſtantia. 201.a.

Fabio Maximo data corona graminea. 153.a.

Fabij Verrucoſi apophthegma, de beneficio aſperè dato. 691.b.

Fabula Actæonis. 251.b. & 252.a. *Adonidis* 342.a. *Ariſtophanis, de gallo Perſis imperante.* 88.a. *Ate è cœlo deturbata.* 560.b. & 561.a. *Bellerophontis.* 82.a. *capra Amalthea.* 509.b. *cicadarum.* 778.a. *Ciſſi.* 866.a. *Cypariſſi.* 849.b. *de Æſculapij natiuitate.* 638.b. & 639.a. *de Aiacis nomine.* 165.a. *de Alcyonibus.* 744.a. *de aſino iuuentam ferente.* 51.a. *de Bacchi ortu.* 143.b. *de ciconia.* 173.b. *de coronide Palladi ſacra, vnde orta.* 114.b. *de Mercurio Argi occiſore.* 53.b. *de Morte & Amore, ex diuerſis.* 658.a. *de pacto cuiuſdam cum Morte.* 662.b. *de ſtellione.* 243.b. *de voluptate & dolore.* 468.a. *Dioſcurorum, ex Ouidio.* 226.b. *Fauni & Hecatæ.* 482.a. *galli in auem mutati.* 87.b. & 88.a. *Ganymedis ex Homero, Virgilio, & Statio.* 29.a.b. *Ganymedis variè accepta.* 28.b. *gigãtum.* 37.b. *Glauci.* 154.b. *Icari.* 433.a. *Ius in vaccam mutata.* 48.a. *Iyngis.* 344.b. *Loti nymphæ.* 486.b. *Mercurij euodij.* 53.b. *Mestra Eriſichthonis filia.* 764.a. *Mineidum in veſpertiliones mutatarũ.* 280.a.b. *Narciſſi.* 306.a. *Niobes.* 297.b. & 298.a. *Pandoræ.* 230.a.b. *Phaethontis.* 264.b. & 265.a. *Phalangis & Arachnes.* 74.a. *Phinei.* 180.a. *Phryxi.* 806.b. & 807.a. *Pici.* 338.b. *Promethei.* 427.a. *Scyllæ.* 302.b. & 338.b. *Tantali.* 370.a.b. *Terei.* 312.b.

Fabula Protei occaſio. 761.b.

Fabula integra narranda ſunt. 669.a.

Facere damnum, & dare damnum, quid ſignificet. 729.a.b.

Facere, & reddere Harpocratem, quid. 68.a.

Facies ea decentior, cui næuus ineſt. xxiii. *leonis ab Ezechiele viſa* 90.a. *virginea in Sphinge, quid mythologicè.* 801.b.

Facinus quos inquinat, æquat. 728.a.

Factio Praſina. 503.a. *Veneta.* *ibid.*

Facultates pulegij. 787.b.

FACVNDIA difficilis. 758.

Facundia in ſenectute perficitur. 754.b.

Facundia vires. 759.b.

Fæcem bibat, qui vinum bibit. *adagium.* 468.a.

Falco qualis auis. 604.b. *degener qualis.* 567.a.

Falcones omnes fœminæ ſunt. 604.b. *varij generis.* *ibid.*

Fallacia Q. Cæcilij. 675.a.

Fama doctorum virorum ſemper viret. 867.a. *Heroum nunquam intermoritur.*

tur. 584.a.
Fama perennis nota, tuba. 569.b.
Famam ex maledictis captare non oportet. 749.b.
familia illuſtris Oddorum. xvi.a.b.
Familiaritas nimia contemptum parit. 101.a. potentiorum vitanda. 699.b.
famuli cuiuſdam cum hero ſuo facetum pactum. 288 b.
Farfarus dicta populus alba. 887.a.
fatiſco. 225.b.
fatui. 327.a.
FATVITAS. 292.
Fatum Amaſidis Regis Ægyptiorum. 209. b. memorabile homicidarum Cæſaris, & Gordiani. 724.a. Oedipodis. 797.b.
Fauces. 12.b.
Faunus quis. 530.b. & Pan Inuus idem. 322.b vnde dictus. ibid.a.b.
Fauni & Hecates fabula. 482.a. mythologia. ibid.
Fauni monſtra Æthiopica. 529.a.
Fauſtus Verantius Epiſcopus Chanadienſis. 7. a.
Fauſti, magi Germani, infelix exitus. 708.b.
Fauſti Sabæi epigramma, de Arione. 386.a. in Amorem. 448.a.
Fauſtina nummus. 170.b. & 208.a.
fax cur tributa Cupidini. 448.a. & 458.b.
facem accenſam tegere, quid. 358.a.
Federici Morelli Corollaria ad Emblemata Alciati. 890. & ſeqq. ſymbolum, fons. lxii.a.
fel iracundiæ ſedes. 862.b.
felices qui. 32.a.
felicitas quid. 635.b. omnis inuidiæ obnoxia. xxxiv.
femur & Femen. 131.b.
Fenni populi, & eorum mores. 204.a.
fera Libyca. 35.a.
Ferdinandus Sanctius Franciſci frater. 147.b.
ferocitatis ſigna. 269.b.
Feronia, libertorum Dea. 644.b.
Ferraria docet Alciatus. xxvii.
ferrum oleo emollitur. 578.b.
fertilitas agrorum per Gratias ſignificata. 688.b.
fertilitatis ſymbolum papauer. xlvii. b.
ferula & papauer cur Baccho data. 96.a.
Feſcennini verſus, qui. 864.a.
Feſtina lentè, adag. 116.a.b. 364.a. 569. b. 615.b. & 876.b.
feſtinatio Alexandri. 25.a.b. Curij Dentati. 119.a. in re bellica magni momenti. 25.a.
feſtina hora, qua. 4.a.
fiber an ſibi teſtes exſcindat, controuerſum. 652.a. vnde ſic dictus. ibid.
Fibulæ aureæ quibus competebat. 586.a. & 588.a. Imperatorum ex gemmis. 586.a.
Fibulæ in veſtibus vſus apud veteres ibid. materia quæ. ibid. varia ſignificata. 588. a.
ficedula auis. 400. ſignum autumni. 420. b. vnde dicta. 421.b.
FICTA Religio. 40.
ficta cito ad ſuam redeunt naturam. 274.a.
fide, ſed cui, vide. 101.b.
fidere nemini inhumanum, fidere omnibus ſtultum. 92.a.
fidelitas Thuilij in hoc Opere colligendo & colligando. ix.
fidelitatis in cane hiſtoriæ. 813. b. 814 a. nota, canis. 813.b.
fides quid. 57.a. cauſis adiunctis deſcripta. ibid. non habenda ei, qui fidem violarit. 260.b. nulla eſt regni ſocijs. 400 b. qualis in coniugio, in liberis, in ſeruis requiratur. 59.b. vxoria. 813. a.
FIDEI ſymbolum. 56.
fidei ſymbolum dextra. 59.a. & 211 a. ancipitis & fallacis homines. 121. b. & 283.b.
Fidei quomodo ſacra fiebant. 58. a. ſacra dextera. 212.a.
Fides, & Fidicula, genus cithara. 63.a.
fidicularum tormentum quale. 79.a.
Fidij ſimulacrum Romæ in Capitolio. 57.a. b. ſtatua. 56.
Fiducia pecunias amiſi. adag. 92.b.
figere arma, quid. 5.b.
figmenta poetica tribus modis explicari poſſunt. 27.a.
Figulus figulo inuidet. adag. 610.b.
Figulus figulum odit, adag. 895 b.
filia Herodiadis mors. 723.b.
filia Erechthei παρθένοι dicta. 126.a. Iouis & Eurynomes Gratiæ. 687.a.
filius Iouis haberi voluit Commodus. 17.a. vnde dictus. 827.b.
filij clericorum ab eccleſiaſtico officio arcentur. 602. a. Niobes, eorumq; nomina. 298.a. parentes verberantes. 175.a.
Filiorum amor. 827.a.b.
Fines belli quis eſſe debeat. 741. b. Emblematum. 4.b. noſter ab origine pendet. 889.a.

889. a. operis paradoxorum Alciati emittendi. xxviii.
Finem vitæ ſpecta adag. 788.a.
FIRMISSIMA conuelli non poſſe. 219.
fiſcus quid. 628.a. cur lien d ictus. 627. b. rapit, quod non capit Chriſtus. 631. a. regis crumena. ibid. b. ſemper præſumitur diues. ibid.
fiſci & Ærarij differentia. 628 a.
fiſtula Afrorum ex loto. 874 a.
flabellum, quid. 693.b.
flagrum, quid. 50.a.
flagriferi qui. 692.a.b.
Flagritriba, Flagriciba, Flagrio, cognomina ſeruorum. 50.a.
Flamen Iouis albatus. 501.b. vnde dictus. 642.b.
Flamines qualiter ſacra faciebant. 212.a.
Flaminius Macedones ſuis legibus viuere permiſit. 111. a. Maleguccius Rhegienſis. 664.
Flaminij Conſulis temeritas exitioſa Reipub. 267.b.
flamma iræ typus. 766.b.
flammei nuptialis color quis. 840.a. ritus. 863.a.
flammeo ſponſa velabatur. ibid.
Flauia familia vnde ſic dicta. 503.b.
flauus color qualis. 503.a. quorum. ibid.
fletus Heracliti. 647.a.
Florentinum inſtitutum in otioſos. 362.a.
flos terreſtre ſidus. 896.b.
flores Dei miracula, & vitæ breuitatem docent. 223.a.
fœdus Hectoris & Aiacis. 706.a.b.
FOEDERA. 60.
fœdera tribus modis inita. 63.a.
fœmina iners animal. 394 b. quæ caſta cenſenda. 128.b. quæ facunda. 835.a.
fœmina ſalaciſſimæ ſymbolum alurus fœmina. 349. b. Smyrnæa amor in maritum demortuum. 679.b.
fœminam inueniſſe dicitur Prometheus. 426.b.
fœminæ illuſtres, quarum meminit Alciatus in ſuis Emblematis. Archippe. 495. Atalanta. 813. Circe. 758. Galatea. 813. Helena. 224. Heianira. 453. Lais. 329. Leæna. 77. Medea. 259. & 825. Niobe. 297. Penelope. 838. Progne. 312. 748. & 825. Semele. 139. & 418. S. Tecla. 18
fœminæ cur garrulæ, iocus. 835.a. cur imberbes, iocus. 79.b. vagabundæ vix probæ. 837 a.
fœminarum priſcarum pudicitia. 238.b.
fœminis nullum arcanum committendum. 75 a.
fœnum in Cruſtuminio ibi noxium, foris ſalubre. 613.a.
fœtus in vtero qualis. 649.b. recens editus cur rubeat. 12.a.
Folio ficulno anguillam. adag. 121.a.b.
folia lauri magiſtratibus Cal. Ianuarij oblata 884.a. oleæ ſolſtitiali die inuertuntur. 136.a. populi cur bicoloria. 887. a. populi poſt ſolſtitiū circumaguntur. ibid.
fomes ingenij virtutiſq; vinum. 133.a.
forceps. 397.b.
forfex. ibid.
fori hodierni deteſtatio. 713.a.
forma Alcyonis auis. 742.a. b. Centaurorum. 625.a.b. currus triūphalis. 168.a. Gorgonum. 664.a. Hermarum. 53.b. hiſtrica. 764.a. Inuidiæ. 317.a. nihil, ſi ſola forma. 804.b. pilei antiqui. 642.a. porphyrionis auis. 237. a. puerilis cur Baccho tributa. 133.a.b. res breui peritura. 805.b. Scyllæ. 302.a. ſenectute defloreſcit. 331.a. Socrati eſt modici temporis tyrannis. 244.b. Sphingis. 796. a. b. & 797. a. b. Stymphalidum auium. 569.a. Tritonis. 568.a.b. & 569.a.
formatio hominis. 649.b.
formidoloſi poſt mortem. 716.b.
Fornerij diſtichon, de ſpe. 230.a.
fortis non eſt, qui ſeipſum necat. 515.a.
fortitudinis ſignum, corona populea. 887.b.
fortuna artem inuenit, non ars fortunam. 416.b. cùm blanditur, captatum venit. 540.b. cùm proſpera, maximè timenda eſt. 191.a. cur rotæ, orbi, ſeu ſphæræ inſiſtat. 265.b & 416.a. errorem in homine parit. 73.b. & Amor σύνναοι. 130. a. & ars ferè ſunt circa idem. 896.a. fortes adiuuat. 685.b. miſera eſt, quæ caret inimico. 578.b. miſera quorundam principum ambitioſorum. 266.b. pro felici opum acceſſu. 508.b. pro incerto rerum euentu. ibidem. proſpera non caret periculo. 541.a. quem nimium fouet, ſtultū facit. 540.a. virtuti comes. 508. a. vitrea eſt, cum ſplendet frangitur. 191.a. vnde dicta. 416.a.
FORTVNA virtutem ſuperans. 512.
Fortunæ imago, ex Galeno. 415.a.b. potentia. 513.b. & 514.a.b. ſignificatio. 508. b.

b. *ſimulacrum*. 526. a. *typus ſphinx*. 802. a. b. *varietas*. 540. a. *volubilitas*. 898. a.
Fortunæ multum tribuerunt veteres pagani. 513. b.
fortunatos maximè decet modeſtia. 559. a.
Franchini elegia, de bellis ſui temporis. 544. a.
Franciſcus de Oddis Continuus Neapoli. xvi. b. *Floridus Alciato infenſus*. xxxiii. *Floridus doctus, ſed parum verecundus*. 692. a. *Sanctius abſtemius*. 134. b.
Franciſci Primi, Regis Galliæ, ſymbolum Salamandra. lviii. a. *Sforitæ inſigne, canis*. lix. a. *Turnonij Cardinalis inſigne Manna cœleſte*. ibid.
Francum pro amico habe, non vicinum. 700. b.
fraternitatis deſcriptio. 214. a.
Fratres Cumæi tres, Atelles, Maon, Dius. 31. a.
Fratrum duorum Patauinorum funeſta mors. 675. a.
fraudes proditorum. 247. a.
fraudulenti qui. 245. a.
frigiditas ſegnitiem parit. 3. b.
Frigilla ſeu Fringilla auis. 421. a. *hyemis ſignum*. 420. b.
fringultire, quid. 421. b.
Frobeniorum typographorum ſymbolum. lxi. b. & 508. a.
Fructus carnis noſtræ ſaginatæ. 703. b. *immites qui*. 326. b. *loti arboris quales*. 485. a. *mali Medicæ*. 871. a. *palmæ dactyli dicuntur*. 199. b. *qui maturi dicantur*. 117. a.
Frugalitas ad leges naturæ compoſita eſt. 96. a. *genitrix virtutum*. 92. b. *qualis virtus*. 95. a. *veterum*. 93. b. & 95. b.
Fucus Chinenſiũ in moſcho vendẽdo. 350. b.
fuga Ciceronis. 169. a.
fugax tandem deprehenſus. 121. b.
fulica, ſeu Fulix auis. 712. b.
fulmen aligerum. 451. a. *telum vocatur à Græcis*. ibid.
Fuluio malè ceſſit, ob detectum principis arcanum. 75. a.
fuluus color qualis. 505. b.
fului coloris nota. ibid.
fumoſæ imagines quæ. 591. b.
funda, quid. 823. b.
fundamentum virtutum pietas. 175. b.
funem Ocni torquere, quid. 394. a.
Furaces & raptores raro diu deliteſcunt. 555. b.
furioſi affectus. 732. b. *nulla voluntas*. ib.
furor quid. 733. a.
FVROR & rabies. 268.
furoris & impetus hieroglyphicum, aper. 595. b. *ſymbolum cor ſupra craticulam*. 1. a.
fuſcus color qualis. 500. a. *ſignum hyemis*. 506. b.
futurorum coniectores. 430. b.

G.

Gabinius & Piſo vulturij paludati. 544. b.
Gabriæ apologus, de aſino ſacra ferente. 47. a. *de vitulo inteſtina vomente*. 554. b. *opinio, de metamorphoſi Pregnes & Philomelæ*. 313. b.
Gabriel Simeon de Ducibus Mediolanenſibus. 10. b.
Gabrielis Faerni Cremonenſis apologus, de aſino ſacra ferente. 47. a.
Galatæ ab Antiocho victi. 534. a. *qui ſint*. ibidem. b.
Galatarum hiſtoria. 533. a. b.
Galatea nympha. 814. b.
Galba nummus. 853. b.
Galea Palladis. 123. b.
Galeazius Mantuæ Dux iuſſu amaſiæ ſe in flumen præcipitat. 445. a. *Sfortia ob temerarios auſus cæſus*. 266. a.
Galeazij bellum cum Florentinis. 574. b. *mors*. ibid.
Γαλῆν ἔχεις. *adag*. 545. a.
Galenus vult, malum Medicum vocari Citrium. 871. b.
Galerita, Caſſita, & Alauda, idem. 439. b.
Gallia diſcors pacificata cœtu nobilium. 780. b. *magiſtra Græciæ*. 752. b.
Gallicanæ gentes duræ, & ſemper Imperatoribus graues. 196. a.
Gallica ſcabies nouum morbi genus. 543. b. *ſeditio*. 569. b.
Gallicinium. 87. b.
Gallicus morbus. Vide, Morbus Gallicus.
Gallieni pœna ridicula impoſtori inflicta. 465. a.
Gallina incubans audito accipitre, oua vitiat. 715. b.
Gallus albus non attingendus. liii. b. *animal gallinis deditum*. 88. a. *animal Soli coniunctum*. ibid. b. *auis Perſica dictus*. 88. a. *aureus, Cyri inſigne*. lvii. b. *cur in manu Apollinis pictus*. 86. b. *cur* in

in turribus templorum ſtatuatur. 86.a. & 89 a. cur manè canteт. 88.a.b. cur Mercurio ſacer.87.a. hieroglyphicum do ctorum ſacrorum, & vigilantiæ. 86. a. Nocti caſus à Romanis.ibid.b. Pythagoræ.liv. a. vigilantiæ corporis ſymbolum. 86.a.
galli ænigmata.87.a.b. cantus nocturni vtilitas.ibid.a. in auem mutati fabula, ex Luciano.87.b.& 88 a. ex Ariſtophane.88.a. in pinnis templi ænigma.89.a. natura.86.b. nomine doctores ſacri intelliguntur. ibid.a.
Gallus Hercules Philoſophus Græca lingua gnarus. 753.b. quidam nobilis amore perijt. 445.a.
Galli cur albi.274. a. eloquentiæ ſtudioſi. 752.b. gens inquieta, & auida faciendi principis.195.a. olim maſculæ Veneri dediti.356.a. veteres qui.20.b. veteres φιλέλληνες,id eſt,Græca linguæ & ſapientiæ periti. 752.a.
ganeo quis. 400.a.
Γυννάσθαι μήδεσι τῶ Διὸς. 31.b.
Ganymedes filius Trois, non Laomedontis. 29.a. humana anima.28.b. Latinis dicitur Catamitus. 744. a. quid myſticè. 31.b. vnde dictus. ibid.
Ganymedis etymon.28.b. fabula variè accepta.ibid. locus vnde raptus.30.a. mythologia.28.b. nomen vnde. 31.b.
garrire. 247.a.
garruli & loquaces reprehenſi.315.b. nunquam conueniunt cum viris cordatis. 114.a.
GARRVLITAS. 311.
garrulitas Antonio à Cicerone obiecta. 80. b. auium vt compeſcenda. 314.a. fœminis familiaris. 79.b.
garrulitatis ſymbolum hirundo. 314.a.
Γαστρόπλωξ,paraſitus Euſtathio. 398.a.
Γαστίμαργος quis. 404.b.
gaudium populi Romani ex morte Tiberij. 717.a.
gaza quid. 808.a.
gemmarum in annulis origo. 429.a.
Γενεὰ quid. 140.b.
genera tria animalium,aeria,aquatilia, terrena.413.a. tria ardearum auium. 367.a.
generatio propria hominum eſt,nō Deorum. 14.a.
generoſi & nobiles qui. 586.b.& 587.a.
Γεννητικὰ μόρια. 481.b.
genitale viri manu cohibitum, quid ſignificet. 192.b.
genitalia ſibi præmordit equus ob inceſtum cum matre commiſſum. 354.b.
genium defraudare, quid. 374.b.
gentes quæ piſces non edebant. lv.b.
gentiles & Gentes cur dicti Ethnici. 45.a.
gentilium Deorum multitudo. 410.a.
gentilitas falſa & fallax in rerum originibus inueſtigandis. 765.b.
Georgij Anſelmi carmen,de lacrymis Amoris.463.a. Sabini epigramma, de rixis inter principes Chriſtianos. 543.b.
Geradæ reſponſum, de pudicitia Spartanorum. 238.a.b.
Germania miſera facies ob hæreſes.45.b.& 46.a.b.
Germana fides. 212.b.
Germani ab exteris quaratione vellicati. vii. à Tacito taxati ob vinolentiam, 147.b. longè abſunt à Venere maſcula, 356.a. vnde olim nomina imponebant, 7. a.
Germanorum coniugia. 820.b. principum de Turcis victoria. 210.b.
Germanos cerebrum in dorſo geſtare dicunt exteri. vii.
Germanici epicedium in Themiſtoclem, 573.b.
Germanus Audebertus Gallus Venetias carmine deſcripſit. 609.a.
Geryon cuius filius. 214. b. cur triceps & tricorpor.ibid.a.& 215.b. tricorpor, decimus labor Herculis. 597.a. vnde dictus. 214.b.
Geryonis allegoria.597.a. mythologia.213. b.214.a.& 682.a. regnum & armenta. 214.a.
Geryonem ſuperauit Hercules. 597.a.
geſtamen Æſculapij baculus ſerpente inuolutus. 639.a.
geſtus viri boni non minorem vim habet quàm oratio. 94.a.b.
Getæ in legationibus citharas adhibebant. 62.a.
Gigantis fraterculus, adag. 38.a.
gigantes anguipedes & ſerpentigenæ.37.a. gens impia.ibid.b. quales.ibid.a. quid denotent.37.a.b. quinta Luna nati.38. b. terrigenæ.ibid.a. vnde nati.ibidem. b. vnde ſic dicti. ibid.
gigantum arrogantia & audacia.37.b. fabula. ibid. mythologia. 37.a. nomina illuſtriora. 38.b. vaſtitas & pinnæ confuſæ.

ſuetudo. ibid.a.
giluus,ſeu melinus color. 504.b.
gith,quid. 787.b. *mediocritatis ſymbolū. ibid. ſaporem piperis habet.* 788.a.
gladiatorum prima inſtitutio,vnde. 501.a.
gladius mulierum, lingua. 835.a.
glans pars prior membri virilis. 481.b. *pro obſcœna parte.ibid. punica in nigro clypeo,amoris ſymbolum.* ibid.
glandes quernæ cibus veterum. 853.a.
glandibus veſcebantur olim veteres. 3.a.
Glaucopis Pallas. 124. a. *quare ſic dicta.* 504.a.
Glaucus ab equabus diſcerptus. 155.a. *alius,cur dictus Polybides.ibid. immortalitatem quomodo ſit conſecutus.* 154. b. *piſcator.* ibid.
Glaucus comeſa herba habitat in mare. *adagium.* 155.b.
Glauci fabula. 154.b.
Glauci tres diuerſi fuerunt. 154.b.155.a.
Γλαῦξ ἵπταται. *adag.* 113.a.
globo cur inſidsat Fortuna. 416.a.
gloria bellica vnde ducibus ſtrenuis contigit. 567.a. *nulla ſine labore paratur.* 566. a. *Pompeij.* 574.b. *ſuperbi citò fit ignominia.* 541. b. *virtutis merces.* 571. a.
gloria comes inuidia. 692.a.
Γλωσσογάστωρ,*quis.* 404.b.
Γλυκύπικρος *Amor.* 871.a.b. *qualis ſapor.* 872.a.
Gnathena meretrix loquacitatem amatoris argutè notat. 315.b.
Γνώμων. 159.a.
Gnoſſia ſeu Gnoſſis, Ariadne. 140 a.
Gnoſus vrbs Cretæ. 73.b.
Γνῶθι σεαυτόν. 799.b.
Gorgias Orator cur ab oratorio munere repulſus. 260.b.
Γοργὸν βλέπειν.*adag.* 665.a.
Gorgoneum Meduſa caput. 664.a.
Gorgonis caput in clypeo Mineruæ. 123.b.
*Gorgones monſtra quæ.*664.b. *ſcelerum vltrices apud inferos.* 665.a. *tres.* 664.b. *vnde dictæ.* ibid.
*Gorgonum forma.*664.a. *mythologia.ibid.* b. *nomina.* ibid.
Gorgus filius Ariſtomenis. 187.a.b.
Gothica & VVandalica barbaries etiamnum formidabilis. 717.a.
gradus primus ad ſapiētiam, noſſe ſeipſum. 800. a. *triplex virtutis abſtinentia.* 192.a.
*gradus ætatum varij.*3.a. *iracundiæ.* 287. a. *quidam adoleſcētum apud Athenienſes.* 98.b.
Græca fides,*adag.* 240.b.
Græcia cur dicta Aonia. 782.a.
Græci. 674.a. *à Gallis literas habuiſſe putantur.*752.b. *malè audiebant circa fidem.* 240.b. *ſemel tantùm olim interdiu epulabantur.*95.b. *ſoli* αὐτόχθονες. 899.a. *ſymbola inuenta poliuerūt.* xlv. a. *Tantalidæ vnde dicti.* 732.a.
GRAMEN. 151.
gramen cur inexpugnabile dicatur. 154.a. *cur Marti ſacrum.* 153.b. *cur Saturno. ibid. quid ſignificet.*152.a. *triplicis generis.* 156. a. *tutelæ, præſidij, & ſalutis ſymbolum.* 152.a.
graminis cum Marte ſimilitudo. 154. a. *virtus & vſus.* 156.a.
in Gramine nidificat alauda. 153.b.
graminea corona,quæ & obſidionalis.ib.a.
Gran rumor & puoca lana. *adagium Italorum.* 21.b.
grata Deo puerilis ſimplicitas. 30.b.
*gratia gratiam parit.*687.a. *libera eſſe debet.*689.a. *oculorum.* 491.a. *ſi non accipitur gratis,non eſt gratia.*690.b. *tardæ ingrata.*689.b. *vt referenda.* 690.a.
GRATIAM referendam. 171.
Gratiam vnam duæ cur reſpiciant. 687.a.
GRATIAE. 686.
*Gratiæ cur Iouis filiæ.*690.a. *cur iunctæ Veneri.*688.b. *cur nudæ.*687. a.& 689. a. *cur tres.*688.a. *& Mercurius* συνναοί. 130.a. *& Suada cur in eadem ara poſitæ.* 129. b. *filiæ Iouis & Eurynomes.* 687.a. *Veneris pediſſequæ.*688.b. *vnde dictæ.* 687.b.
Gratiarum arcula inanis. 689.a. *deſcriptio ex adiunctis.* 687. a. *mater quæ.* 690.a. *nomina.* 687.b. *parentes qui.* 690.a.
Gratijs ſacrificare, qui iubeantur. 687. b.
Gratias in Acidalio fonte lauari, quid. 688.a. *qui nudas,qui indutas finxerint.* 689.a.
Gratiani Imperatoris prudentia. 111.b.
*gratitudo omnium virtutum mater.*291.a.
Gregorij locus, de luxuria. 324.a. *Turonenſis teſtimonium,de locuſtis.* 540.b.
*gremium.*260.a. *& Sinus vt differāt.ibid.*
grex ſimus,pro capris. 334.b.
grus cum lapillo picta hieroglyphicum prudentiæ. 103.b.

grues,

grues cur lapillum volantes apprehendant. 103.b.
Grues lapidem deglutientes, adag 104.a.
gruum beneficio à diluuio liberatus Deucalion. 103.b. in volatu conſuetudo & ſagacitas. 104.b. volatus, quam literam exprimat. 103.b. & 104.a.
Guaiacum quando in Europa vſurpari cœptum. 844.b.
GVLA. 389.
gula M. Apicij. 391. b. in ſeruitutem pertrahit. 402.b.
gula hypotheſis. 392.b. mala. 391.b.
guloſi celebres. 391. b. dolio Danaidum æquiparati. 392.b. in ſpontaneam labuntur ſeruitutem. 402.b.
guloſorum imago. 390.a. & 393.a.b.
Gymnoſophiſtarum mos in adoleſcentibus exercendis. 106.a.
Γυναικοκρατούμενος quis. 808.a.

H.

HAbenas ignarus non tractet. adag. 267.b.
habitus irati. 287.a.b. triumphantis. 168.
habitum Bacchi induit Caligula, & M. Antonius. 17.a.
hares vnde dictus. 674.a. & 900.b.
hæreditatem captare, quid Iuriſconſultis. 543.b.
halcyon, an Alcyon ſcribendum. 744.a.
Halias, genus nauis. 62.a.
halieutica lyra forma. ibid.
halieuticum opus. ibid.
Hamadriades, nympha arborum. 323.b.
Hannibal amore meretricio victus. 444.b. auguria contempſit. 546.a.
Hanno Carthaginenſis poſt multas machinationes, tandem deprehenſus & occiſus. 121.b.
Hannonis elephanti iucunda hiſtoria. 736.a.b.
Hans in allen gaſſen, quis Germanis. 367.b.
Harmodii cantilena, adag. 78.b.
Harmodij & Ariſtogitonis hiſtoria. 77.b. & 78.a. mors. 78.a.
Harmonia 63.b. Cadmi vxor. 783.a. ex Martis & Veneris adulterio nata. 64.a. vnde dicta. 63.b.
Haro Normanorum. 716.b.
harpa. auis vorax. 689. a. inſtrumentum muſicum. 774.b.
harpax. & Harpagare. 181.a.
Harpocrates dictus Sigalion, & quare. 68. b. Serapidi præpoſitus. ibidem. a. ſilentij Deus. 68.a.
Harpocratis ſigillum in annulis. 68 b. ſimulacrum. ibid.a.
Harpocrati ſacra arbor Perſica. 614.a.
Harpocratem facere & reddere quid. 68.a.
Harpyia cur plumis prædita. 181.a. cur virgines. ibid. cur volucres. ibid. cur tres. ibid. quid denotent 181.a.b. quot, & vnde dictæ. ibidem.a. rigidi exactores. ibid.b.
Harpyiarum mythologia. 181.a. nomina. ibid. pictura. 179.a & 181.a.
haſta Palladis. 123. b.
haſta & gladij virorum ex dentibus draconis ortorum, quid mythologicè. 783.b.
Hebræi cur circulum flauum veſtibus aſſutum geſtent in quibuſdam locis. 503. a. quibus piſcibus abſtinerent. IV.b.
Hecate non curat latratus canum. XXXIV.
Hecates & Fauni fabula. 482.b.
Hector ab Achille occiſus. 583. b. Achillem occidit, ſecundum Dionem. ibidem. Apollinis filius à multis creditur. 707.a. filius Priami. ibid. Troiæ columna dictus. 583.a.
Hectoris & Aiacis fœdus. 706.a.b. tumulus, cuiuſdam poetæ. 753.a.
Hecuba cur canis appellata. 696.a.
HEDERA. 865.
hedera attritu ſcintillas emittere dicitur. 483.a. cur Baccho ſacra. 867. b. cur ſymbolum poetarum. ibid.a. nigra. 866. b. poetis dicata. ibid. poetarum conditionem refert. ibid. a. quid veteribus. 867.a. vnde dicta. 866.a.
hederæ deſcriptio. 865.a.b.
hederæ comparatur amor. 865.b.
hederam cur ſibi tribuant poetæ. 883.b.
Hedera laſciuior, adag. 866.b.
hederis digni. 867.a.
Hedui populi Galliæ, qui & Auguſtodunenſes. 20.a.
Heduorum inſigne ſucula. 18. b. varia nomina. 20.a.
Heel] kiechel, quid Germanis. 178.b.
Hegeſippi locus, in conſciſcentes ſibi ipſis mortem. 517.a.b.
Heliodora, nomen puellæ. 454.b.
Heliogabalus deteſtandæ libidinis homo. 324.b. Diana, Bacchus, & Cybele haberi voluit. 17.a.
Heliogabali & Baſſiani nomen odioſum
Ro-

Romanis. 718.b.
Helleſpontus vnde dictus, 807.a.
heluones dolium Danaidum. 392. b. *qui propriè.* 94.a.
helus, pro Holus. ibid.
hemina quid. 147.a.
Henricus Glareanus diligens antiquitatis ſcrutator. 62.a. *VII. Anglorum Rex.* 435.a.
Henrici Pantaleonis teſtimonium, de Chonrado Peutingero. 2.a. *Quarti Galliæ Regis laus.* Ivm.b. *Secundi Galliæ ſymbolum, Luna creſcens.* ibid.a. *Sexti ſymbolum, duo ſceptra colligata enſe intermedio.* ibid.b. *Tertij ſymbolum, tres coronæ.* ibid.
ἔπι θεῶ. *adag.* 54.a.
ἡρακλῆς, *vnde ductum.* 598.a.
Heraclidis Pontici locus, de laboribus Herculis. 598.a.b.
Heraclitus à canibus laceratus. 647. b. *quis.* ibidem. *vt concordiam ſuaſerit.* 94.a.
Heracliti apophthegma in concordia ſuadenda. ibid. *fletus.* 647.a.
herba digitalis. 155. b. *moly ab Homero deſcripta.* 759.a.
herba S. Ioannis dicta vſus ſuperſtitioſus. 156.b.
herbam dare, ſiue porrigere quid. 152 a.b.
Hercules amori Omphales ſuccubuit. 444. b. *apud Gallos orationis numen.* 753. b. *apud Spartanos religioſè cultus.* 189. b. *cur Alcides cognominatus.* 271. b. *cur nudus fingatur.* 755.a. *& Muſæ cur iiſdē aris culti.* 129. b. *&* 599.b. *Euandrum literas docuit.* 599.b. *Gallus.* 752. a. *Gallus philoſophus linguæ Græcæ gnarus.* 753.b *Geryonis armenta abduxit.* 214.a. *Geryonem vicit.* ibid.b. *infans Iunonis ſugens mammas.* 601.b. *luxurioſus.* 324.a. *maximus heluo.* 390.b. μεγαλόσωμος *καὶ* μεγαλόψυχος. 272. b. *muſcas à ſuo ſacello abegit.* 693.b. *nominari voluit Cōmodus.* 17.a. *nothus.* 601. b. ὄγμιος. 753. b. *&* 754. a. *pro Sole.* 599.b. *pro Tempore.* 887. a.b. *ſtomoleſtes.* 897 b. *triceps quid.* 887. b. *vir Gallus eloquens.* 599.a. *&* 752.a. *vitia domans.* 599.b.
Hercules aduerſus duos. *adag.* 595.a.
Herculei labores. *adag.* ibid.
Herculis apotheoſis. 597.b *biuium.* xv. a. *canis, purpura inuentor.* 58. b. *duodecim labores.* 593. b. *& ſeqq. eloquentia.* 754. a. *laborum allegoria.* 593. a. *laus.* 899. a. *tria capita quid.* 887. b.
Herculis Strozzæ epigramma, de Amore mellilego 471.a. *in heluonem.* 392.a.
Herculi indigena ſacra populus. 886.b. *oratio à Gallis tributa, non Mercurio.* 754.a.b.
Herculem prægrande onus poſuiſſe, quid. 888.a. *Pygmæi adoriuntur.* 271.a.
Hercules multi fuerunt. 593. a. *tres Diodoro, alijs ſex, Varroni quadragintatres.* ibid.
Herennia nummus. 838.b.
Herilus tres animas habuiſſe fingitur. 214.a.
Herma Græcis eſt firmamentum. 416.b.
herma ſtatua quædam. 52.b. *&* 53.a.
hermarum forma. 53.b.
hermathena quid. ibid.a.
ἑρμαῖον, *quid.* ibid.
ἑρμαῖον *adag.* 53.b.
Hermes cur dictus Mercurius. 416 b. *Triſmegiſtus Alchymiæ inuentor.* 810.a.
Hermogenis Rhetoris elogium. 877.a. *præcox ingenium.* 876.b.
Hernioſi in campum. *adag.* 276.a.
Herodotus explicatus. 860 a.
Heroes & Semidei, quorum fit mentio in Alciati Emblematis. Achilles. 162. 581. 623. & 654. Aeneas. 828. Agamemnon. 268. Aiax. 162. 239. 705. & 731. Alexander Magnus. 9. & 23. Ariſtomenes. 183. Bellerophon. 81. Cadmus. 780. Caſtor & Pollux. 224. Cecrops. 33. Chiron. 623. Diomedes. 216. Ganymedes. 26. Hector. 581. 654. 673. & 705. Hercules. 270. & 751. Ianus. 108. Iaſon. 344. Neſtor. 139. 423. & 473. Patroclus. 673. Phaethon. 264. Prometheus. 426. Tantalus 370. Vlyſſes. 162. 216. 488. 718. 731. 758. 838. & 884. Zetes & Calais. 179.
heroum fama numquam intermoritur. 584. a.
Heroum filij noxæ. *adag.* 824. a.
Hertmani Schedel de locuſtis hiſtoria. 549. b.
Heſiodus Aſcræus. 130.b *&* 477.b. *an Homero antiquior.* 83 b.
Heſiodo cornix ſignum hyemis. 421.a.

Heſperidum pomorum allegoria. 597. b.
hiſtoria. ibid.
Heſychius leuiter correctus. 5.b.
Heteromolia cauſa.*adagium.* 697.a.
ἑτερομόλιος δίκη. *adag.* ibid.
Hetruria unde dicta. 845.a.
hiare. 256.b.
Hiero omine aquilæ regnum adeptus eſt. 189.b.
Hieroni militanti noctua in haſta conſedit. 113.a.
Hieroglyphicum Ægypti, ibis auis. 381. a. *amoris, delphin Cupidini iunctus.* 665.a. *amoris, gratitudinis, & pietatis in parentes, ciconia.* 173.a.& 174. b. *anni, ſerpens in ſe reuolutus.* 569.b. *candoris & Apollinis, cygnus.* 772.b. *concordiæ, cornices.* 208.a. *concordiæ, lyra.* 61.b. *cuſtodiæ, leoninum caput.* 86.b.& 89.b. *dignitatis, anguis.* 11.b. *doctrina Iudaica, modius.* 358.a. *felicitatis, & etiam ſtultitiæ, ouis.* 808.b. *fortitudinis & diuturnitatis, quercus.* 222.a. *fortitudinis & roboris, leo.* 171.a. *fortitudinis, laboris, frugalitatis, aſinus.* 47.b. *frænata libidinis, virilia manu cohibita.* 192.b. *gratitudinis, cucupha.* 173. a. *hominis ferocis, ſed obſequentis, equus frænatus.* 194. b. *hominis vitijs dediti, vpupa.* 314. b. *imbecillis & temerarij. veſpertilio.* 284. a. *impedimenti & tarditatis, remora.* 117.a.& 364. b. *imperatoris & principis, ſerpens.* 10.b. *impetus & furoris, aper.* 595. b. *importunitatis & impudicitiæ, muſca.* 693.a. *impoſtoris cornus.* 326.b. *impudentis, conuiciatoris, inuidi, &c. canis.* 696. a. *impuritatis, oryx.* 695. a. *innocentiæ, ablutio manuum.* 177.a. *libidinis, hircus.* 323.a. *macularum abſterſarum, ignis & aqua thuribulo & phiala contenta.* 177.a. *mariti vxoris adultera, hircus.* 277.b. *meretricis, ſphinx.* 332.b. *mœchi, muræna.* 819.a. *pietatis & gratitudinis in parentes, ciconia.* 173. a. *poetæ & muſici ſenis, cygnus.* 772.a. *prædicationis, tintinnabulum.* 89.b. *prodiga vxoris, Ocnus.* 395. b. *prudentia, grus cum lapillo depicta.* 103.b. *pudoris & verecundiæ, veſtis purpurea.* 42. a. *rapacitatis, miluus.* 555.a. *regis prudentis, ſerpens caudam mordicus tenens.* 11.a. *regni, ſceptrum.* 208.a. *ſeruitutis, annulus.* xlix.a. *ſpei, lux.* 227. a. *ſtupidi, lapis.* 299.a. *temperantia inſtabilis, taurus genu ligatus.* 190.b. & 191.b. *temperantis & fortis, taurus integræ ſanitatis.* 191.a. *temporis annui, paſſer.* 565. b. *terroris leo.* 269.a. *timiditatis, columba.* 188.b. *velocitatis, telum.* 117. a. & 118.a. *vigilantiæ, gallus.* 86.a.
Hieroglyphicorum vſus apud Ægyptios. 6. a.
Hieronymus Paduanus amoribus deditus. 455.b.
Hieronymi locus de obtrectatione. 99.b. *Olgiati fama deſiderium.* 585 a.b.
εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ. *adag.* 218.b.
Himantopodes populi. 682.a.
hinnulus, vel Hinnuleus. 295.a.
hippi, genus cancrorum. 397.b.
Hippocentaurus à Plinio viſus. 489.b. *in Theſſalia natus.* 35.b.
Hippocentauri qui. 489.b.
Hippocentaurorum fabula vnde originem ſumpſerit. ibid.
hippocomos, quid. 195.b.
Hippocrates ſcripta ſua correxit. xxxiii.
Hippocratis imago cur pileata. 644.a.
Hippolyta Amazonum regina, ſextus labor Herculis. 596.b.
Hippomenes Atalantam curſu vicit. 814. b.
ἱππομιγῆς *Mares.* 35.b.
Hipponus dictus antea Bellerophon. 82. a. & 83. a.
Hircus aliquando inter Deos numeratus. 323. a. *hieroglyphicum libidinis.* ibidem. *hieroglyphicum mariti vxoris adulteræ.* 277. b. *ſymbolum libidinis.* 323. a.
hirci qui ſint, & quare ſic dicti. 277.b. & 278. a.
hirquitallire, quid. 323.a.
hirudines fiſcales, qui. 631.b.
Hirundo æſtatis ſignum, Philemoni. 421. b. *carniuora.* 748. b. *cicadam corripiens.* 748. a. *garriens Alexandro periculum præſagit.* 315. a. *garrula.* 314. a. *garrulitatis ſignum.* ibidem. *hyeme exulat.* 748. b. *in ſomnis viſa, malum.* lii. b. *nidificans ad ſtatuam Medeæ.* 259. a.b. *ſignum veris.* 420.b. *veris nuncia.* 421. a. *vigilax Auſonio.* 894 a.
Hirundinem ſub eodem tecto ne habeto. *adagium.* lii. b. 315.a.& 748.b.
Hiſtoria Æſculapij, ex Valer. Maximo. 638.

538. a. *Arionis à delphino ſeruati.* 386. b. *Ariſtomenis, ex Pauſania.* 184. b. & *ſeqq. armorum Achillis.* 163. b. *auium Stymphalidum.* 596. a. *Britanni claudi cæcam ducentis uxorem.* 681. b. *Cadmi.* 781. a. b. *Cygni regis.* 770. b. *ebrietatis inſanæ.* 148. a. *equitis Garſiæ regis amici.* 679. a. *fœminæ Belgicæ maritum valetudinarium magna conſtantia ſuſtinentis.* 846. b. *Ganymedis.* 29. b. & 30. a. *Harmodij & Ariſtogitonis, ex Thucydide.* 77. b. *iucunda, de Hannone elephanto.* 736. a. b. *lepida, de ſtudioſo quodam ignauo.* 456. b. *locuſtarum in Longobardia anno M. D. XLII. graſſantium.* 549. a. *locuſtarum, ex Hertmano Schedel. ibidem.* b. *malorum Heſperidum.* 597. b. *Medeæ.* 259. b. & 260. a. *Michaelis Imperatoris ſponte ſolio cedentis.* 653. b. *mira, de duobus fratribus Patauinis.* 675. a. *mira, de Pane.* 412. a. *Narciſſi.* 306. a. *Niobes.* 298. a. *nulla paganica ſine face fabularum.* 766. a. *Polyphemi.* 719. a. *prodigioſa, de Satyris.* 321. a. b. *Promethei.* 428. a. *Solonis, ex Herodoto.* 667. b. & 668. a. *Sphingis.* 801. b. & 802. a. *ſtabuli Augiæ expurgati.* 596. b. *Thraſybuli, qui tyrannide patriam liberauit.* 576. b. & 577. a. *Thryſi tyranni à ſuis occiſi.* 209. b. *vaticinij Calchantis, ex Homero.* 564. b. *Zyti magi Bohemi.* 708. a.
hiſtoria aliquot de fidelitate canum. 813. b. & 814. a. *aliquot Panici terroris.* 530. a. *duæ lepidæ de duabus adulteris.* 603. a. b.
hiſtoriarum ſcriptores rhapſodi. 765. b.
hiſtrica forma, quæ. 764. a.
Hodierna iuuencularum inſtitutio. 128. b.
Hodius & Hegemonius cur dictus Mercurius. 53. a.
ὁ ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν. adag. 54. a.
Homerus cur Mæonius, ſiue Mæonides dictus. 31. a. *Heſiodo ferè coætaneus.* 83. b. *Meleſigenes dictus.* 31. a. *piſcium abſtinentiam videtur aſſerere.* lv. b. *ſub Atæ fabula caſum Luciferi deſcribit.* 561. a. *vomens depictus quid ſibi velit.* 31. a. & 877. b.
Homeri laus. 31. a. b. *locus de Ate & Litis.* 561. b. & 562. a. *de Hectore interfecto.* 655. a.
Homo affectionibus obtemperans qualis. 263. a. *arbor inuerſa.* 888. b. *catholicus, filius Dei eſt.* 17. a. b. *cur dicatur puluis, vmbra, cinis.* 222. b. *Dei imago.* 413. b. *eſt omnis creatura, & cur, ibidem.* εὐμετάβολον ζῶον. 98. b. *fictili ſtatuæ comparatur.* 650. a. *laſciuus mus malus dicitur.* 349. a. *naturæ vniuerſæ compendium.* 413. b. *non ideo infelicior, quòd fortunæ flagris ſubiectus.* 17. b. *perturbationibus varijs obnoxius.* I. a. *qua re maximè ab animalibus brutis differat.* 39. a. & 413. b. *ratione & oratione à brutis diſtinguitur.* 66. a. *ſapiens, optimus muſicus.* 62. a. *voluntatis ſuæ dominus.* 437. a.
Homo homini lupus. *adagium.* 84. a. & 388. b.
Hominis deſcriptio. 413. b. *ferocis, ſed obſequentis hieroglyphicum, equus frenatus.* 194. b. *partes duæ.* 413. b. *propriū bonum religio.* 39. a. *ſuperbi viua idea.* 301. a. *vitijs deditis hieroglyphicum, vpupa.* 314. b.
Hominem mori quàm viuere ſatius eſt. 668. b. *qua ratione finxerit Prometheus.* 429. b.
Homines ambidextri. 121. b. *aquilino naſo, regij.* 189. a. *auribus vincti.* 754. a. *cur veteribus appellati αὐδήεντες.* 682. b. *ex ſermone vt vaſa figlina ex ſono cognoſcuntur.* 69. a. *folijs ſimiles.* 222. b. *impuri & ſordidi.* 382. a. b. *quidam improbi tenuis fortunæ.* 710. b. *qui omnibus ſectis colludunt.* 284. b. *ſerui ob imperitiam.* 808. b. *ſoli non poſſunt viuere.* 682. b. *triſpithami qui.* 271. b. *viatores.* 54. b.
Hominum diuerſa iudicia & voluntates. 500. a. *natura triplex.* 413. b. *proteruitas in vitijs notandis.* 407. a. b.
hominibus multæ rerum cauſæ ignotæ. 714. b.
Homines ad migrandum ſemper oportet eſſe paratos. liii. a.
ὁμωρόφιος, quid. lii. b.
Honor Deus veteribus. 58. a. *purpurea indutus.* 57. b.
honor alienus non affectandus. 50. b. *alit artes.* 310. a. *habitus ijs, qui pro patria mortui.* 584. b. *qualis impendendus parentibus.* 175. b. *quantus habitus*

tus imaginibus Auguſtorum. 591.b. *tributus libertinæ in tormentis fide.* 79 b.
honores habiti claris viris. 575.a. *plerunque mutant mores.* 487.a.
honorum ſpecies vndecim ſtatuit Ariſtoteles. 575.a.
hora, pro die. 4.a.& 361.b.
hora feſtina. 4. a.
Horatius Cocles. 684.a.
Horatius explicatus. 208.b.
Horatij opinio, de metamorhoſi Prognes & Philomelæ. 313.b.
Hortenſius & Didymus Ciceronis æmuli. 610. b.
Horti ſub tutela Veneris. 448.b.
hoſpes Athenis ob garrulitatem vinctus & tortus. 75. b. *qui recipit, & qui recipitur.* 748.b.
Hoſpitij ſymbolum dextera quibus. 212.b.
hoſtis nullus paruus eſt. 710.b.
hoſtes victi quomodo ſub iugum mittebantur. 171.a.
Hoſtium munera nō munera. *adag.* 706.a.
hoſtia ſuccedanea quæ. 732.b.
Hugo Capetus. 209.a.
humana ſapientia cur ſtultitia dicatur. 39. a.
Humana vita lapſus in tribus conſiſtit. 103. a.
Humi ſerpere. *adag.* 604. a.
humi ſerpere, quid. 605.a.
humum pedibus quatere, quid. 471.a.
Hungaria vnde ſic dicta. 551.b.
Hunni populi qui. 205.a.
Hunnorum deſcriptio. 204.b.
Hunniades dux Turcis terribilis. 716.b.
Hydra Lernæa inſigne Capanei. lvi. a. *ſecundus Herculis labor.* 595.a.
Hydra capita ſunt ſophiſtica captiones. ibid. *allegoria.* ibid.
Hydram ſecas. *adag.* 595.a.
hydropico comparatur auarus. 371.b.
hyems vnde dicta. 421.a.
hyemis ſignum frigilla. 420 b. *menſa apud ignem parata.* ibid.
hyperbole in Turcam. 221.b.
Hyperides quo aſtu Phrynem in iudicio defenderit. 446.a.
hypotheſis gulæ. 392.b.

I.

IAcchus vnde dictus Bacchus. 131.b.
Iacobus Cuiacius octogenarius iuuencu-lam duxit. 498.b.
Iacobi Bilij epigramma, de voluptate & dolore. 468 a. *Puteani ſymbolum Samaritana puteo proxima.* lxii.a.
Iactantia Agathoclis retuſa 310.a.
Iactura temporis graue damnum. 7. b.
Iain, Hebrais ſonat vinum. 109.a.
Iamblicho quid ſit Proteus. 763.a.
Iam dudum, vix de longo tempore dicitur. 485. a.
Ianus cur biceps ſeu biformis. 108 b. & 109.a. *cur Patulcius & Cluſius vocatus.* 109.b. *geminus à Numa Rege dicatus.* ibid. *idem qui Noe* ibid. a. *quadrifrons.* 109.b. *Rex Italiæ qui agriculturam docuit.* 108.a. *Sol.* ibid.b.
Ianus Parrhaſius præceptor Alciati. xxv.
Iani bicipitium duplicem principis virtutem deſignat. 108.b. *etymon.* 109. b. *mythologia.* 108.a b. 109.a.b.& 110. b. *templum.* 109.b.
Iani Laſcaris diſtichum ad Iouianum Pontanum. 7.a. *epigramma, de Niceo conuentu.* 225.a.
Ianthinus color. 505.b.
Iapeto antiquior. *adag.* 477.b.
Iaſon Pagaſæus cur dictus. 346.b. *quis, & vnde dictus.* ibid.
Iaſonis Mayni Iuriſconſulti ſymbolum. 508.a.
Ibis auis ab Ægyptijs cur culta 380 b. *hieroglyphicum Ægypti.* 381.a. *vſum clyſteris hominibus oſtendit.* 381. a. & 895.b.
Ibidis forma. 380.a.b. *natura.* 381.a.
ibides cum ſerpentibus pugnant. 380.b. *duorum generum.* ibid. a. *peculiares Ægypto.* 381.a.
Icarius cur à paſtoribus occiſus. 149.b. *pater Penelopæ.* 339.b.
Icarus mari Icario nomen dedit 433.b.
Icari fabula. 433.a. *lapſus quid Chryſoſtomo & Luciano.* 437. b. *mythologia.* 433.b.
Ida mons. 455.a.
Idea cupiditatis habendi 372. b. *inuidiæ.* 317.b. *luxuriæ.* 323. b. *ſuperbi hominis.* 301 a. *viuæ auari hominis.* 375. b.
Idolorum cultum primus induxit Cecrops. 34. b.
Iecur à Venere regitur, vt credunt Mathematici. 479. b. *ſedes libidinis.* ibidem.

IGNA-

IGNAVI. 366.
Ignauia & deſidia effectus. 357.a.b.
Ignauiam ſeuerè culpat Solon. 362.b.
Ignis, quid. 357.a. & aqua cur à ſponſis tacta. 862.b. & aqua in thuribulo et phiala cōtenta hieroglyphicum maculorum abſterſarum. 177.a. nullus ſine fumo. 692.a. ſymbolum naturæ. xlix.a.b.
Igni comparata aula. 379.a.
Ignem gladio ne fodito. *adag.* xlix.a.
Ignominia vitiorum præmium. 571.a.
Ignorantia δυσπέλαστον κακόν. 309.b.
Ignorantia ſubmouenda ratio. 902.b. ſymbolum ſphinx. 797.a. triplex cauſa. 799.a. & 801.b.
ILEX. 868.
ilex nota animi fortis. 870.b. ſeditioſorum. 869.a.
ilicis deſcriptio. 868.a.b.
Illecebræ ad voluptatem tres. 489.b.
Illex & Illix. 45.a.
Illicere. ibid.
ILLICITVM non ſperandum. 235.
illuſtris. 4.b.
Imago ebrietatis. 148.b. Fortunæ, ex Galeno. 415.a.b. guloſi. 393.a.b. guloſorum. 390.a. Hippocratis cur pileata. 644.a. leonis in templorum valuis. 90.a. Mercurij, ex Galeno. 415.b & 416.b. Titi Liuij in prætorio Patauino cur digitum ori admoueat, variæ opiniones. 68.b.
Imagines fumoſæ quæ. 591.b. Muſarum penpata Romæ. 491.b. Romanorum quales. 590.b. ſubitæ quæ. 591.b. veterum quales. lx.a.
imaginum ius apud Romanos. 590.b. vſus apud veteres. 769.a.b. vſus cur, & quā do deſijt. 591.b.
Imaginibus Auguſtorum quantus honor exhibitus. ibid. veterum ſubſtituta arma gentilitia. lx.b.
imagines & dicta veſtibus aſſuendi mos. 4.b.
Imbecillis & temerarij hieroglyphicum veſpertilio. 284.a.
imitari, eſt cultus religioſiſſimus. 32.b.
IMPARILITAS. 603.
impedimenti & tarditatis hieroglyphicum remora. 117.a. & 364.b.
Imperatoris arcana nō ſunt detegenda. 76.a. edictum, ne quis in Italia nouellaret. 149.b. & militis munera. 219.b. & principis hieroglyphicum ſerpens. 10.b.
Imperatores boni & pij. 634.b & principes ſæpe vtile honeſto præferunt. 536.a. qui opera Iuriſconſultorum vſi ſunt in adminiſtrando imperio. 757.a.
Imperatoriæ maieſtati nihil tam peculiare quàm humanitas. 636.b.
Imperatoria virtutes. 25.b.
imperiti extolluntur. 51.b. φίλαυτοι. 307.b.
Imperium eſt cura ſalutis alienæ. 617.a. Turcicum auctum ob rixas principum Chriſtianorum. 543.b.
Impetus & furoris hieroglyphicum aper. 595.b.
impietas matrum quarundam in proprios fœtus. 826.a.
impluuiatus color. 505.a.
importunitas garrulorum odioſa. 315.a.
importunitatis & impudentiæ hieroglyphicum muſca. 693.a.
IMPOSSIBILE. 273.
impoſtoris hieroglyphicum coruus. 326.b.
impotentum hominum affectus. 729.b.
improbitas muſca. 693.a. quorundam tenuis fortuna hominum. 710.b.
IMPVDENTIA. 302.
impudentia ad omnem turpitudinem dux. 291.a. ingratitudinem ſequitur. 291.a.
impudentiæ comites. 304.b. ſymbolum Helle. 243.a. vitium. 304.b.
impuritatis hieroglyphicum oryx. 695.a.
IN adulari neſcientem. 193.
IN adulatores. 255.
inæqualitas ingeniorum. 605.a.
IN amatores meretricum. 333.
Inanis conatus. *adag.* 695.a.
INANIS impetus. 695.
Inanis impetus. *adag.* 531.a.
In annulo Dei figuram non geſtato. *adag.* liii.a.
In apes irruiſti. *adag.* 468.a.
IN aſtrologos. 432.
IN auaros. 375.
IN auaros, vel quibus melior conditio ab extraneis offertur. 385.
IN aulicos. 377.
incepta conſtanter perficienda. 234.b.
inceſtare, quid. 237.b.
inceſtus quid. ibid. Oedipodis cum matre. 798.a. vnde dictus. 354.b.
Inchioſtro, vnde deriuatum Italis. 434.a.
incola Gyari Cycladum inſulæ à muribus fugati. 711.b.
IN colores. 489.

Incommoda nauigationis. 704.b.
Inconſtantia & error amoris. 478.a. *humani animi.* 365.a.
Inconſtantiæ ſymbolum cancer. 399.a.
Inconſtantes leuiſſima cauſa ab inſtituto auocantur. 364.b.
Incus maxima non metuit ſtrepitus. *adag.* 222.a.
Indagatio veri difficilis. 766.b.
In Deo lætandum. 26.
In deprehenſum. 120.
In deſciſcentes. 606.
In detractores. 691.
Index animi, lingua. 66.a. *ſtultitiæ, loquacitas.* 69.a.
In dies meliora. 232.
Indigenæ qui dicantur. 589.b.
In diuites publico malo. 382.
Indoles iuuenum. 893.b.
In dona hoſtium. 705.
Indulgere genio, quid. 374.b.
Induſtria Cleanthis. 521.b.
In eos, qui ob proſperos ſucceſſus intumeſcunt. 539.b.
In eos, qui ſupra vires quidquam audēt. 270.
Iners. 361.a.
In eum, qui ſibi damnum apparat. 289.
In eum, qui truculentia ſuorum periit. 701.
In facile à virtute deſciſcentes. 363.
Infans in lucem editus qualis. 650.a.
Inferiæ, quid. 500.b.
In fidem vxoriam. 812.
In fœcunditatem ſibi ipſi damnoſam. 822.
In formoſam fato præreptam. 661.
In fraudulentos. 242.
In garrulum & guloſum. 403.
Ingenij leuitas ignorantiæ cauſa. 801.b. *præcocis ſymbolum amygdalus.* 876.a. *viuentis ſymbolum laurus & hedera.* xlvii. b.
Ingenia hominum curioſa circa vanitates. 537.a. *præcocia rarò matureſcunt.* 876.b.
Ingenioſa gula eſt. 392.b.
Ingluuies quid. 321.a. *onocrotali. ibidem. ſupplicium eſt.* 97.b.
Ingrati. 290 b.
Ingratitudo ſummum vitium. ibid.
Ingratitudinis exemplum in milite quodā Philippi. ibid.
In illaudata laudantes. 532.
Iniuria duobus modis fit, aut fraude, aut vi. 626.b. *ſemel remiſſa reuocari non debet.* 579.a.
Iniuriam fortunæ quàm ægrè feramus. 8.a. *qui facit, & qui ſuadet, tenetur.* 727.b.
Iniuſtitia Piſonis. 730.a.
In Iuuentam. 418.
In momentaneam felicitatem. 538.
In mortem præproperam. 663.
Innocentes qui oppreſſerunt. 182.b.
Innocentia Deo gratiſſima. 30.b. *vera quæ.* 525.b.
Innocentiæ hieroglyphicum, ablutio manuum. 177.a.
In nothos. 600.
In obliuionem patriæ. 484.
In Occaſionem. 523.
In oleribus piper. *adag.* 94.a.
Inops. 205.a.
In paraſitos. 396.
In Pudoris ſtatuam. 837.
In quatuor anni tempora. 420.
In receptatores ſicariorum. 25
Insani gladius. 731.
Inſania Aiacis. 731. a. *mira Thraſylai.* 310. b.
Inſaniæ duæ ſpecies. 733. a. *pœna in eum lapſa, vnde manauit.* ibid.
In Senatum boni Principis. 618.
Inſignia Agamemnonis. 268. *Andreæ Alciati.* xxxv. 23. & 507. *antiqua Regum Galliæ.* lix. b. *boni Senatus.* 618. *Cupidinis.* 473. *Ducatus Mediolanenſis.* 9. & 10.a. *gentis Alciatæ.* 23. *Poetarū.* 767. *Pudicitiæ.* 236. *quarundam ciuitatum.* lvii. b. *Regum.* 615. *varia ducum bellicorum.* lvi. a. *varia quid denotent.* 771. a. *vrbis Athenarum.* 112. *vrbis Mediolani.* 18.
Insignia Ducatus Mediolanenſis. 9.
Insignia Poetarum. 767.
In ſimulacrum Spei. 227.
In ſinum ſpuere, ſignum humilitatis. 463.b.
Inſipientes, dicuntur oues. 809.a.
Inſolentia potentiorum hominum in homines tenuis fortunæ. 712.a.
In ſordidos. 380.
Inſpectio ſui quantum proſit. 107.a.
In ſtatuam Amoris. 475.
In ſtatuam Bacchi. 138.
Inſtitutio iuuencularum hodierna. 128. b. *prima gladiatorum vnde.* 501.a.
Inſtitutum Athenienſium in otioſos. 362.a. *Florentinum in otioſos.* ibid. *Lycurgi* de

de virginũ exercitijs reprehenſum. 841.a.
Periandri Corinthij, in ignauos. 361.b.
veterum, de rumoribus non ſpargendis. 75.b.
Inſtrumenta muſica triplicia. 774.a.
IN ſtudioſum captum amore. 453.
IN ſubitum terrorem. 529.
Inſula Satyrica. 321.b.
Integritas Ariſtidis damnata. 631.b.
Intellectus legis vn.C.ſi quis Imperat. maledix. 634.b.
Intellectus humani caligo. 766.b.
IN temerarios. 264.
Intemperantes, qui ſibi mortem praproperam accerſunt. 402.b.
Intereſt bonum habere vicinum. 182.b. & 699.b.
Interitus & viciſſitudo rerum omnium. 666.a.b.
Inter Orci cancros adhærere. *adag.* 121.b.
Interpres Mercurius. 54.b.
In triuio eſſe, quid. 55.a.
In tuum ipſius ſinum inſpue. *adagium.* 463.b.
Inuectio Ciceronis in Vatinium. 502.b.
Inuentio purpura. 58.b. *quinque rerum tributa Syri phœnicibus.* 782.b.
Inuentor cithara Mercurius. 62.a. *paraſitica quis.* 397.a. *purpura Herculis canis.* 58.b. *putationis vitium aſinus.* 132.b. *vini primus Noe.* ibid.
inuentores literarum qui. 782.b. *ſymbolorum primi Ægyptij & Chaldæi.* xlv.a.
inueſtis. 174.a.
In via ne ſeces ligna. *adag.* liv.b.
IN victoriam dolo partam. 239.
INVIDIA. 316.
Inuidia antagoniſta fortunatorum, Ariſtoteli. 319.a. *comes gloria.* 692.a. *comes virtutis* 578.b. *cum vipera comparata.* 318.a. *cur fœmina.* 317.b. & *contentio literatorum.* 783.b. *inter pares ſæpè naſcitur.* 750.a. *multos à patria eiecit.* 614.b. *quid in ſe boni habeat.* 319.b. *ſerra animæ, Socrati.* ibid.a. *ſimilis viperis.* 317.b.& 318.a. *vbi naſcatur, nutriatur, moriatur.* 378.b. *vlcus à vero contractum, Anacharſidi.* 319.a. *unde dicta.* 318.a.
Inuidia deſcriptio 317.a. *domus ibid. effectus.* 318.b. *forma.* 317.a. *idea.* ibid. b. *mores.* ibid. *natura.* 320.b. *nulla voluptas, nullum commodum.* 319.a.
Inuidia ſemper obiecta gloria ampliſſima. 320.a.
Inuidia nullum vitium damnoſius. 319.a. *preſſus Alciatus.* xxix.
Inuidi nũquam deſunt viris cordatis. 694. *rebus à Iuliano geſtis impensè detrahebant apud Conſtantium.* 320.a.
Inuidorum maledicentia. 318.b. *miſera conditio.* 319.a.b. *pallor & macies.* 318.b.
INVIOLABILES telo Cupidinis. 343.
IN vitam humanam. 646.
inuolucer, impotens ad volatum. 745.a.
Ioachimus Perionius Ariſtotelis interpres. 116.a.
Ioachimi Bellaij epigramma, de Morte & Amore. 658.b.
Ioannes Andreas Ciolus Venetus, veri amici exemplar. 685.a.
Ioannes Auratus ſenex iuuenculam duxit. 498.b. *Baptiſta Chriſti pracurſor, an locuſtis veſcebatur.* 551.a. *Fauſtus, magus Germanus.* 608.b. *Galeazius Dux Mediolanenſis.* 573.a. *Galeazius fundator Baſilica D. Virginis Mediolani.* 22.a. *Hunniades poſt mortem formidabilis.* 716.b. *Mangueus ſua machina perijt.* 724.b. *Marius Belga.* 658.a. *Papa I. à Theodorico rege ad Iuſtinum Imperatorem miſſus.* 111.b. *Saluberienſis bonus auctor.* 199.b.
Ioannis Fauſti magi horrenda mors. 708.b. *Fratris laus.* 14.b. *Grammatici opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomela.* 313.b. *Mallara Hiſpalenſis epigramma, de pietate ciconiarum.* 173.b. *Merceri diſtichon, de aſino ſacra ferente.* 47.b. *Oporini ſymbolum, Arion delphino inſidens.* lxii.a. *Richerij ſymbolum, arbor vireſcens.* ibid.b. *Secundi epigramma, de Amore.* 451.a.
D. Ioanni Euangeliſta cur aquila attributa. 32.b.
Iobates Lycia Rex, Prœti ſocer. 82.a.
Iocaſta Oedipodis mater & vxor. 798.a.
Iocus, cur fœmina imberbes. 79.b. *cur ſenes incurui incedant.* 497.a. *de craſtina ſolicitudine.* 362.b. *Diogenis de Chirone.* 625.a. *intempeſtiuus exitioſus.* xlix b.& 69.b.
Io in vaccam mutata. 48.a. *eius fabula.* ibid.
Ioſeph adhortatur Iudaos, ne ſibi manus inferant. 517.a.b. *veſtem à muliere ta-*

ctam abijcit. 127.b.
Iouis ales aquila. 30.a.b. glans, nux. 2.b. varia cognomina. 622.a.
Ioui ſacra quercus. 853.a.
Iouiani Pontani carmen, de duabus palmis arboribus. 200.b.
Iphicrates. 79.b. ex patria in Thraciam diſceſſit. 614.b.
IRA. 285.
ira Chimæra eſt. 85.b. cohibenda. 287.a.b. fumo comparata. 288.a. furor breuis. 287.a. initium inſaniæ. ibid. a.b. vitium deteſtandum. 85.b.
Ira omnium tardiſſimè ſeneſcit, adagium. 562.a.
iræ effectus. 733.b.
iracundiæ gradus. 287.a.
irati habitus. 287.a.b.
Irritare crabrones adag. 249.b.
irritus. 503.a.
Irus. 471.a.
Iſis. 48.a. cur cornua habeat. ibid. eadem cum Cerere. ibidem. & Tiphon cæruleo. 504.a. legifera. 48.a.
Iſidis columna. 48.b. inuenta & inſtituta. ibid. a.b.
Iſidori Cynici apophthegma, in Neronem lyra canentem. 61.b.
Iſocratis locus, de bello iniuſto. 536.b. de bono principe. 617.b.
ἰσομερία. 850.a.
Iſter & Danubius idem. 221.a.
Italia inter duo maria ſita. 574.a.
Itali, vituli dicti. 20.a.
Ithaca inſula, Vlyſſis patria. 839.b.
Ithacus Vlyſſes. 164.b.
Iudæi cur manus abluerent. 177.a. parati ſibi ipſis manus inferre. 517.a.
Iudæorum querela de Herode. 389.b. ritus in manibus abluendis. 177.a.
Iudas proditor. 247.b.
Iudex à muneribus manus abſtinere debet. 176.b. à Prætore quomodo differat. 177.b. non ſit acceptor perſonarum. 622.a. nullis affectibus debet commoueri. 178.a. qualis eſſe debeat. 622.b. qua ratione xenia accipiat. 620.b. quidam corruptus. 178.b. ſententiam dicturus, ſedeat. lv.a.
iudicis tumulus. 176. virtutes. 178.a.
iudices apud Ægyptios quales. 622.a. iudicantes cur ſedeant. 619.b. & 621.b. iureiurando aſtringendi. 622.b. munera non debent accipere. 620.a. olim omnes magiſtratus dicebantur. 177.b. ſobrij. 95.b.
iudicum affectus debent eſſe ſedati. 620.a. Thebanorum pictura, eiusque cauſa. 619.a.
iudicium Accij de ſe ipſo. 876.a. de armis Achillis an Græcorum vel Troianorum fuerit. 164.a. in ratione punit. 159.b. oculorum præpollet iudicio auriū. 93.b. Pacuuij de Accio. 876.a. Zopiri Phyſiognomi de Socrate. 464.a.
Iudicia & teſtimonia præſtantiſſimorum virorum, de hac nouiſſima editione Emblematum Alciati. xvii. & ſeqq.
iuglans vnde ſic dicta. 2.b & 3.a.
Iugulare mortuos. adag. 655.b.
iugum quid. 171.a. pro legum ſymbolo. 584.a.
Iulianus elephantos aſſuefacere conatus. 170.b. maledictorum contemptor. 272.b.
Iuliani Imperatoris dictum, de pulchritudine corporis. 805.a.
Iuliano obfuerunt aſſentatores. 320.a.
Iulius Baſſanus repetundarum accuſatus ob munera ab amicis prouincialibus accepta. 620.b. Cæſar caluitiū agrè tulit. 642.b. victor ab amore victus. 444.b. Scaliger Eraſmum mordet. 672.b. Silanus, aurea pecus, cur dictus. 808.b.
Iulij Cæſaris celeritas. 25.a. clementia. 634.b. teſſera Venus. xlvi.a. triūphus. 736.a. Scaligeri dictum, de ſuo fato. 744.b.
iunctæ cur Charites. 687.a.
Iunij Emblemata duo, de virtutibus vxorijs. 833.a.b.
Iuno matrimonij præſes. 862.b.
Iupiter Agamemnonis abauus. 732.a. Ammonius. 13.a. à Prometheo deceptus. 427.a. Piſtius, Sanctus, Sagus. 57.b. quid myſticè ſignificet. 31.b. quo tempore Io rapuit. 48.b. Saturnius. 184.b. vnde ſic dictus. 30.b.
Iuriſconſulti mortem ſpontaneam prohibent. 516.a.
iuriſconſultorum ſententia, de re auſpicanda. 547.b.
iuriſperiti veteres artem ſuam vulgare noluerunt. 27.b.
ius imaginum apud Romanos. 590.b.
ius dicere, quid. 177.b. eſt magiſtratuum. ibid.
iuris ſtudia priſtino nitori reſtituit Alciatus.

mi. xxviii.

IVSTA vindicta. 718.

IVSTA vltio. 722.

Iuſti Lipſij locus, de inuidia. 320.b.

iuſti qui. 327.a.

Iuſtini locus, de Scylla. 303.a. *opinio, de Cecrope biformi.* 36.b.

Iuſtinianus contra Vallam defenſus. 562.b.

Iuſtitia in voluntate punit. 159.b. *Nemeſis.* 158.a. *premitur, nō opprimitur.* 166. a. *tandem obtinet.* 892. a.

iuſtitia duo munia. xlviii. b. *& Nemeſis pictura veterum. ibid.* a. *imago à Chryſippo expreſſa.* 619.a. *munera.* 327.a. *nomine, quid Plato intelligat. ibid.*

iuſtitium forenſe. 744.b.

Iuuenalis locus de auaritia. 388.b. *verſus emendatus.* 297.a.

iuuenilis impetus regendus. 263.b.

iuuenis & Iuuentus vnde dicatur. 3.a. *hereditati ſenis inhians regula occiditur.* 558.a.b.

iuuenes quibus luſibus indulgeant. 2.b.

iuuenta Bacchi. 140.b.

Ixionis amici qui Heliogabalo. 197.b.

Ἰυγγίης cur dictus Bacchus. 345.b.

Iynx quid. 344.b. *ad veneficia adhibetur. ibid. amorem conciliat, non pellit.* 345.a. *qualis auis.* 344.a.

iyngis deſcriptio. 346.a. *fabula.* 344.b.

Iyngem habet. *adag.* 345.b.

Iynge trahor. *adag.* 344.b.

Iynges. *adag.* 345.b.

L.

LAbia, orum. & Labia, arum, veteres indifferentes dicebant. 67.b.

labor & conſtantia omnia vincunt. 519.b. *obſonium ſenectutis.* 361.b.

laboris index color niger. 482.a.

labores duodecim Herculis, eorumq; allegoria. 593.b. *& ſeqq.*

labores creat amor, ex otio ortus. 481.a.b.

laborantibus ſuccurrendum, non otioſis. liiii. a.

labra vnde dicta. 67.b.

Labyrinthus, *adag.* 406.b.

Labyrinthus eiusq; periphraſes. 72.b.

labyrinthi quatuor celebrati, Ægyptius, Creticus, Italicus, Lemnius. ibidem. & 73.a.

Lacænæ fœminæ apophthegma, de cura domeſtica. 836. b. *de pudore coniugali.* 841.a.

Lacedæmonium marmor. 298.b.

Lacedæmonij ad lyræ ſonum exercitum inſtruebant. 64.a.

Lacedæmoniorum bella inteſtina. 741. a.

lacerta an ore pariat. 14.a.

lacinia togæ caput operiebant veteres. 644.b.

Lacones breuiloqui. 588.b. *cur in bellis rubris vterentur veſtibus.* 503.b.

Laconum apophthegma in ignauos. 362. b.

lacrymæ amoris incendium excitant. 463.a.

lacrymo & Lacrymor. ibid.

Lactantij locus, in occiſores ſuorum infantum. 827.a.

lactuca hebetes reddit in Venerem. 341.b.

lactucæ folia, vis, & vſus. 341. a. b. & 342. b.

lacus Clitorius abſtemios facit. 856.a.

Lælius & Scipio amici celebrati. 219. a.

Laertes pater Vlyſſis. 217.b.

Læſtrigones. 37.b.

lætitia quæ propriè ſit. 31.b.

lætitiæ ſignum veſtis candida. 501.b.

lætitiam & dolorem dat vinum. 145.a.

Lais quæ. 330.a. *cur Ephyræa. ibid.* b. *meretrix formoſiſſima. ibid.* a. *occiſa à mulieribus Theſſalis.* 330.a.

Laidis facetum dictum de ſpeculo. 331.b. *monumentum.* 330.a.

Laius Oedipodem filium interficiendum exponit. 797.b. *ſupplicium ignis in emaſculatores ſtatuit.* 355.b.

Laij libido in Oedipode punita. 724.a.

Lamiæ, terriculamenta. 717.b.

lamina, & bractea differentia. xiv.b.

lampetra diuerſa à murænā. 819.b.

lanicium. 22.a.

lanugo. 140.a.

Lapis hieroglyphicum ſtupidi. 299. b. *in dextera quid.* 522.b. *pro ſtupido.* 299.b. *ſymbolum paupertatis.* 520.b.

Lapidem proiectum cur mordeat canis. 729.a.

lapides inſulæ Cycladicæ integri natant, fracti merguntur. 215.a.

lapides & ſtipites in via oblatos olim tanquam numina colebant. 54.b.

lapillum cur grues apprehendant in volatu. 103.b. *tenere grues volantes negat Ariſtoteles.* 105.a.

lapſus

Lapſus Alciati. 424. b. & 582. b. commentatorum Plauti, & auctoru Theſauri linguæ Latinæ. 5. a. hominum triplex. 103. a. Icari, quid Chryſoſtomo & Luciano. 437. b.
LAPSVS vbi? quid feci? aut officij quid omiſſum eſt? 102.
laqueus amorem ſignificat. 334. b.
laquei, quid. 595. b.
largitionum primus auctor ignotus. 178. b.
Latinum verbum. adag. 535. a.
Lars Deus, teſſera C. Marij. xlvi. a.
Larus. 390. a. auis vorax. 390. b. & 391. a. cur Mercurio ſacer. 390. b. vnde dictus. ibid.
Larus hians. adag. 390. a. b.
Larus in paludibus. adag. ibid. b.
Larus parturit. adag. ibid.
lari & Cepphi differentia. 390. b. varia nomina. ibid.
λαρυγγίζειν quid. 404. a & 407. a.
LASCIVIA. 348.
laſciuia cuiuſdam puellæ Auguſtæ Taurinorum. 324. b.
Laſthenes proditor apud Olynthios. 247. b.
latex, quiuis humor. 43. a.
Latina lingua quando purior. 21. a.
Latini aliquando nomina Græca corrumpunt. 744. a.
latrones qui. 252. b. de ſpolijs certantes ſeipſos occidunt. 388. a. magni à laqueo immunes. 384. b. olim pro ſtipatoribus. 252. b. vnde dicti. ibid.
laudandum in homine id, quod proprium ipſius eſt. 578. b.
Laurentij Vallæ epitaphium. 249. b.
Laurentius Medices ſymbolum tres plumæ tricolores. lix. a.
Laurios regio Attica metallifera. 113. a.
LAVRVS. 881.
Laurus aduerſus venena efficax credita. 884. a. Apollini ſacra. 882. a. & 883. a. attritu ſcintillare dicitur. 483. a. cur Daphne dicta. 882. b. cur in triumphis adhibita. 885. & hedera ſymbolum ingenij virentis. xlvii. b. fulmine non tangitur. 882. b. & 883. b. maleficijs amatorijs adhibita. 883. a. μαντικὸν φυτόν. 882. a. planta boni genij habita Romanis. 884. a. poetis data. 883. b. puluillo ſuppoſita ſomnia vera facere dicitur. 882. b. ſalutis ſymbolum. 883. b. ſignū victoriæ & triumphi. 884. b. vaticinij vim. 882. a.
lauri deſcriptio. 882. a. ramum manu ferebant triumphantes. 885. a.
Laus Athenarum. 36. b. & 57. a. caſtitatis. 125. a b. eloquentia. 759. b. Henrici IV. Galliæ regis. lviii. b. Herculis. 899. a. Homeri. 31. a. b. Ioannis Fratris. 14. b. Mediolani. 19. a. Muſicæ. 778. b. Nicolai de Oddis. xv. b. Pindari. 604. b. Plauti. 498. b. poeſeos. 27. b. Pythagoræ. xlvii. b. ſobrietatis. 95. a. b. Solonis à Crœſo. 669. a. Venetiarum. 746. a. b. vini, verſu Italico. 134. b.
laudis auidi poetæ. 772. b.
Lazurion, qualis color. 503. a.
Leæna meretricis ſymbolum. 332. b.
Leæna ſcortum Harmodij & Ariſtogitonis. 78. a.
Leænæ meretricis hiſtoria quo tempore accidit. 78. b. in tormentis conſtantia. ibid. a. ſtatua elinguis. 76.
lectio Alciati qualis. xxx.
lectus carnis voluptates ſignificat. lv. a.
legumlatores primi Dijs legum inuentionem aſſcripſerunt. 310. b.
lembus nauicula. 62. a.
lembi inuentores Cyrenenſes. ibid.
lenitudo Principis ſtatus afflicti ſolatium. 636. a.
lentigo. 244. a.
Leo animal ſolare. 88. b. cauda catulos flagellans quid. 285. b. cur ante templi fores erigatur. 90. a. cur gallum timeat. 88. b. cur in ira caudam moueat. 286. a. fœminam cum pardo coeuntem occidit. 238. a. herba gallum quoq; timet. 88. b. herba quomodo per gallum extirpetur. 89. a. inſigne Agamemnonis. lvi. a. & 269. a. inſigne Pompeij. lvi. b. in ſtemmatis. 769. a. Nemeæus ab Hercule occiſus. 755. a. Nemeæus inuulnerabilis. 394. b. Nemeæus vnde ortus. 595. a. oculis apertis dormit. 89. b. perſpicaciſſimi viſus eſt. ibid. roboris hieroglyphicum. 170. b. & 171. a. ſymbolum cuſtodiæ. 86. a ſymbolum iræ, terroris, dominatus. xlvii. b. terroris ſymbolum. 269. a. vnde dictus. 89. b. & 891. a.
Leo chordula vinctus. adag. 377. b.
Leo & Draco fratres, filij Amiſodari Lyciæ regis. 84. a.
Leonis Byzantij ſtōma in gibboſum. 159. b.
leonis caput terrorem ſignificat. 269. a. cauda cur alcæa dicta. 286. a. cauda index animi 285. b. facies ab Ezechiele viſa.

ſa. 90.a. image in valuis templorum. ibid. irati ſigna. 285.b. Nemeæi allegoria. 594.b.
leonēs in amore furiūt. 443.b. Magnæ Deæ currum vehentes. 170.b. tres ab Hercule interfecti. 594.b. viri fortes & graues. 443.b.
leones ad currum iunxit primus M. Antonius. 168.b.
Leocras pictor nobiliſſimus. 30.a.
Leonidæ cum Xerxe pugna. 552.b.
Leoſthenis promiſſa cupreſſo ſimilia. 850.a.
lepos, venuſtas in verbis. 862.a.
Lerna malorum. adag. 595.a.
Leſbia Catulli amica. 455.b.
Leucoſia, Siren, vnde et cur ſic dicta. 491.b.
leuitas ingenij cauſa ignorantia. 801.b.
Lex Agenoris filio data. 811.b. ἀμνηστίας legi Euangelicæ conformis. 579.a. ἀμνηστίας qualis. 577.b. cur primùm lata. 383.b. in mente punit. 159.b. Iudaica vmbra Euangelij. 854.a. Iulia repetundarum. 176.b. ſeuera Ægyptiorum, de ſilentio. 75.b. σεισάχθεια à Solone lata quæ. 579.a. Solonis, de parte alterutra ſequenda in bellis ciuilibus. 284.a. talionis. 897.a. Theodoſij, de dilatione pœnarum. 98.a. vinculum ciuitatis. 383.b.
legis virtus. ibid.
legi vt Deo parendum. liii.b.
leges minis mixta præcepta. 383.b.
legum inuentio ad Deos cur relata. 310.b. ſymbolum, iugum. 384.a.
legibus antiquis, obſonijs verò recentibus vtere. 791.b.
liberales artes illiberalibus præferendæ. 417.a.
libellio quis. 454.b.
libello rationario ſimilis cōſcientia. 107.a.
Liber cur dictus Bacchus. 140.a India deuicta elephantis triumphauit. 736.a.
liber, pro parte corticis interna. 823.b.
libri Archilochi recti. 250.b.
liberi molliter educati parentibus damnū arceſſunt. 823.b. parentibus in neceſſitate ſuccurrere debent. 175.b. pignora cur dicantur. 174.a. ſtultiſſimi ex parentibus ſapientiſſimis naſcuntur. 824.a.
libertas res inæſtimabilis. xlix.a.
libertatis adeptæ ſigna. 644.a. Chriſtianæ ſignum S. Crux. 645.a. ſignum pileus. ibid.
liberti noui pileum geſtabant. 643.a.
libertina in tormentis conſtans. 79.b.
libido & Luxus duo ſæculi noſtri mala. 328.a. immanis Neronis. 356.a. portentoſa Meſſalinæ. 324.b. puellæ cuiuſdam Auguſtæ Taurinorum. ibid. Quartillæ Petronianæ. 324.b. quomodo ſubmoueri poſſit. 347.a.b.
libidinis deteſtatio. 328.a. frenatæ hieroglyphicum, virilia manu cohibita. 192.b. hieroglyphicum hircus. 323.a. nota capra vel Satyrus. xlvii.b. ſedes iecur. 479.b.
libidinem irritat ciborum copia. 342.b.
libidine nefanda polluti citius ab apibus punguntur. 469.b.
Libycæ feræ. 35.a.b.
licentia nimia paraſiti. 398.b.
lien. Vide, Splen.
Ligia Siren, vnde & cur ſic dicta. 491.b.
lignipedes qui. 505.a.
lignum fortem animum ſignificat. liv.b. Guaiacum, eiuſq; in Europam inuectio. 844.b.
lilijs tribus quis primus Rex Galliæ pro ſymbolo vſus. lix.b.
limniades nymphæ ſtagnorum. 323.b.
lingua animi index. 66.a. effrænata ſtultitiæ argumentum. 67.b. frænanda. ibidem.a. Gallica qualis veteribus & modernis. 20.b. & 21.a.b. naturæ plectrū. 66.b. Neſtorij à vermibus conſumpta. 724.a. mulierum gladius. 835.a.
linguæ abuſus. 66.b. vſus. ibid.a.
Lippo oculo ſimilis. adag. 610.a.
lippo oculo vti, quid. 609.b.
lippi cur plerumq; garruli. 316.b.
lipsij coniectura de Minotauro, ſigno militari Romanorum. 72.b.
liria, flores. 754.b.
liroeſſam edere, quid. ibid.
Lita cur clauda & luſca. 562.b cur Iouis filiæ. 563.a. quæ, & vnde dictæ. 562.b.
Litarum mythologia. ibid.
Litania, preces dicuntur. ibid.
litera Delphica quid. 799.b.
Litera occidit, ſpiritus viuificat. 780.
literæ Ægyptiorum, earumq; inuentio. 782.b. Cadmi filiæ. ibid.a. laureatæ quæ. 885.a.
literarum inuentores qui. 782.b.
literatorum inuidia & contentio. 783.b.
lites hodiernæ immortales. 713.a.
litigiorum inter eruditos deteſtatio. 750.a.
lituus quid ſit. 726.a. equitum eſt, tuba pedi-

peditum. 726.a.
Liuij imago Patauij cur digitum ori appreſſum habeat. 68.b. locus, de Theſſalis. 194.a.
liuor, oculorum affectioni ſimilis. 318.a.
Liuto, unde ſit nominata lyra. 62.a.b.
Locrenſibus vinum bibiſſe, niſi præſcribente Medico, capitale. 137.b.
Locris regio. 777.b.
Locus Achillis Statij, de amore puerorum. 371.a. Æliani, de caſtore. 652.a. de ſargo piſce. 334.a. Alciati, de inſignibus Mediolanenſium. 10.a. de Principum electione. 209.a. ex prælectione quadam. 105.a.b. Ambroſij, de æqualitate hæreditatis. 850.b. de galli cantu. 87.a. de locuſtis 553.b. Ammiani, de elephantis. 534.b. de Nemeſi. 160.a.b. Ariſteæ, de ritu Iudæorum in abluendis manibus. 177.a. Arnobij, de figmentis antiquorum. 765.b. in futurorum coniectores. 430.b. Artemidori, de Nemeſi. 160.b. Baſilii, de echeneide. 364.a. de pietate in parẽtes. 172.b. Caſſiodori, de fiſco. 629.a. de mortuis non vexandis. 657.a.b. de pietate erga parentes. 175.a. de ſilentio 75.a. Ciceronis, de miſera clarorum virorum ſorte. 241.a.b. de regendis affectibus. 263.a. de republica. 61.a. de ſtudiorum occupatione. 493.a. de virtutibus. 46.a. ex Epiſtolis ad Atticum. 92.a. ex Oratione pro Archia poeta. 1.b. Clementis Alexandrini, de ſymbolis. xlvi.b. Cornelii Taciti, de malis, eorũque remediis. 563.b. Cypriani, de animi impetu coercendo 262.b. Demoſthenis, de ſuaſore criminis 727.a. Diodori Siculi, de Theſſalis in libertatem reſtitutis. 194.b. Dionis Chryſoſtomi, de laboribus Herculis. 599.a. de regum officio. 745.b. de ſeruis. 253.b. Diophanis, de palmæ natura. 200.a.b. ex iure Pontificio, de reditibus fiſci. 630.b. ex Panegyrico Conſtantini, de pace. 739.b. Gellii, de palma. 199.a. Gregorii, de luxuria. 324.a. Hegeſippi, in conſciſcentes ſibi ipſis mortem. 517.a.b. Heraclidis, de laboribus Herculis. 598.a.b. Hieronymi, de obtrectatione. 99.b. Homeri, de Ate & Litis. 561.b. & 562.a. de Hectore interfecto. 655.a. Interpretis Demoſthenis, de Theſſalis 194.a. Iſocratis, de bello iniuſto. 536.b. de bono Principe. 637.b. Iuſti Lipſii, de inuidia. 320.b. Iuſtini, de Scylla. 303.a. Iuuenalis, de auaritia. 388.b. Lactantii, in occiſores ſuorũ infantum. 827.a. Liuii, de Theſſalis. 194.a. Luciani, de Cupidine leonibus familiari. 442.b. de Hercule Gallo. 752.b. & 753.a.b. Macrobii de Iano. 109.a. Maximi Tyrii, de auaris. 372.a. Minutii Felicis, de ſupernarum rerum indagatoribus. 430.b. & 431.a. Ouidii, de potentia Amoris. 452.b. in matres conſulto abortientes. 827.a. Parœmiographi, de impari coniugio. 845.b. Pauſaniæ, de armis Achillis. 165.b. Phornuti, de Muſis palma coronatis 199.a. Pici Mirandulæ, in Aſtrologos. 435.a. Pindari, de Iynge. 894.b. Platonis, de cygno ante mortem canente. 771.b. de φιλαυτία. 308.a. de pietate filiorum in parentes. 810.a.b. de Republica. 61.a.b. de ſæuientibus in mortuos. 656.b. de ſpe. 236.b. Plauti, de occultandis conſiliis. 74.b. Plinii, de Caſtore & Polluce. 226.a. de iure imaginum apud Romanos. 591.a. Plinii Secundi, de bono Principe. 617.a.b. Plutarchi, de arbore Perſica. 613.b. de Circe. 339.a.b. de Leana meretrice. 77.a. de ira. 730.a. de negotiatore auaro. 374.a. de ſociis Vlyſſis in belluas mutatis. 337.a. Polybii, de iure imaginum apud Romanos. 591.a. Procopii, de cupiditate habendi. 295.b. Propertii, de naufragiis. 704.b. Salluſtii, de Scylla. 303.a. Senecæ, de apibus. 633.a.b. de Caſtore & Polluce. 226.a. de credulitate. 100.b. de examine ſuiipſius. 106.a. de ira. 733.b. de pietate in parentes. 829.b. de vita humana. 649.a. Seruii, de Hercule. 757.a. Statii, de Sphinge. 798.b. Syneſii, in eos, qui præcipitanter aliquid edunt. 877.b. Valerii Flacci, de terrore Panico. 531.a. Xenophontis, de bono Principe. 617.a.
locus manumiſſionis. 644.b.
locuſta quale inſectum. 550.b.
locuſta in Africa. 549.a. in agro Brixiano, & per Italiam. 549.b. in Apulia. 898.a. in Gallia. 549.b. in Polonia regno. ibid.a. inter animalia munda numerantur in Leuitico. 551.a.
locuſtarum deſcriptio ex Claudiano. 548.a. ex Piſide. 549.b. & 550.a. hiſtoria, per Lombardiam anno MDXLII graſſantium. 549.a. incommoda. 550.b.
locuſtas Seleucis auis deuorat. 553.b.

locu-

locuſtis an veſceretur S. Ioannes Baptiſta. 551.a.
lolium oculos obſcurat. 282.b.
Lolio victitant. adag. ibid.
Longæ regum manus. adag. 631.a.
Longonallius Alciato infeſtus. xxxiii.
loquaciores quibus rationis defectus. 315.a.
loquacitas à meretrice notata. ibid. b. index ſtultitiæ. 69.a.
Loquendi magiſtri homines, tacendi Dy. ibid. b.
L'Orco, in Lombardia quid. 217.b.
loripedes qui. 682.a.
Lotophagi, voluptatibus dediti. 487.b.
Lotus arbor & plãta. 485.a. qualis. 484.b.
Loti fructus quales. 485.a. nympha fabula. 486.b.
Lotum guſtauit. adag. 485.a.
Lucam dixere veteres pro grandi. 535.a.
Lucæ boues cur dicti elephanti. ibid.
Lucani qui. ibid.
Lucanica à Lucanis populis inuenta. 234.a.
lucerna Epicteti tribus drachmarum millibus empta. 191.b. peruigil à pronuba accendebatur. 864.a.
Luciani locus, de Cupidine leonibus familiari. 442.b. narratio, de iuuene alterius hæreditati inhiante. 558.a.b. verba, de Hercule Gallo. 752.b. & ſeqq.
Lucifer è cœlo deturbatus. 561.a.
Luciferi lapſus. 898.b.
Luciferum deturbatum Homerus Aten vocat. 561.a.
Lucilius Capito ob vim prætoriam vſurpatam relegatus. 50.b.
Lucij Sylla teſſera Apollo Delphicus. xlvi.a. Vitellij in libertinam effœminatus amor. 444.b.
Lucretiæ tumulus in Epiſcopatu Viterbieñ. 815.a.
Lucretius negat Centauros eſſe poſſe. 625.b.
lucrum malum ſemper damnum fert. 555.b.
lucri parum è rebus minimis. 400.b.
lucro turpi damnum præferendum. 536.a.
lucta cum tauro igniuomo, octauus Herculis labor. 597.a. Panos & Amoris. 411.b.
luctus Martia. 240.b.
Luculli apophthegma de die inauſpicata. 546.a.
lucus. 124.b. vnde dictus. ibid.
ludere verbum à Lydis deductum. 467.b.
Ludouicus Arioſtus ſummus poeta. 664.b. Sextus Francorum Rex mutato habitu ſe turbæ ſæpe immiſcuit. 197.a. Sfortia Panico terrore conſternatus. 531.b.
Ludouici du-decimi Galliæ regis ſymbolũ, hyſtrix. lviii.a. Secundi regis Hungariæ omnia præcocia. 827.a. Sfortiæ temeritas. 5.a.
ludus principum periculoſus. 740.b.
ludo aleæ vita hominis comparatur. ibid.
lues quid, & vnde dicta. 443.b. Venerea morbus lucroſiſſimus. 845.a. Venerea morbus nouus. 843.b.
luis Venereæ cauſa. 844.a. origo. 843.b. varia nomina. 844.a.
lumen pro ſpe. 227.a.
lumine caſſus. 720.a.
Luna quinta inauſpicata veteribus. 38.b. ſymbolum menſis. xlvii.b.
Lunam primi obſeruarunt Arcades. 588.b.
lunula cur in Romanorum nobilium calceis. 587.b.
lupa meretrix 332.b. cur. 333.a.
lupata fræna. 195.b.
lupina pellis ouinam conſumit. 715.b.
lupus ceruarius cur ſic dictus. 292.a.
Lupus pilum mutat, non animum. adag. 290.a.
lupi ceruarij natura. 295.a.
luporum & ouium diſſidium. 715.a.
luſcinia cur dicta Daulias. 34.b. Maiorum, dictus Palamedes. 770.b. veris nuncia. 421.a.
Luſciniæ deeſt cantio. adag 314.a.
luſcinijs citius deficit ſpiritus quàm cantus. 119.a.
luſcus, Luſciciſus, et Luſcitioſus qui 282.a.b.
luſori imperito comparatus Pyrrhus ab Antigono. 295.b.
luſus ætatibus ſingulis quis aptus. 2.b. chartarum pictarum. 4.a. nucum 890.a. teſſerarum & talorum diuerſi. 3.b. trium generum. 558.b.
Lutum ſanguine maceratum. adag. 607.b.
lux eſt animus. 358.a. hieroglyphicũ ſpei. 227.a.
lucem relinquere, eſt mori. 720.a.
LVXVRIA. 321.
luxuria facilius accuſatur quàm vitatur. 324.a. triumphans. ibid.
luxuriæ currus. 324.a. idea 323.b. ſeria dehortatio. 340.b.
luxuria nihil fœdius & damnoſius. ibid. a.
LVXVRIOSORVM opes. 325.

luxus

luxus populator opum. 328.b.
Lyaus cur dictus Bacchus. 205.b.
lychnus in Acropoli Athenienſi. 78.b.
Lycia regio minoris Aſia. 84.a.
Lycurgus à Baccho hoſtili odio proſecutus. 149. a. cadauera hoſtium nudari vetuit. 656. b. cur vites excidi iuſſerit. 148.a. Riſui ſtatuam erexit. 419.b. vites ſecuit. 149.a.
Lycurgi inſtitutum de exercitijs virginum reprehenſum. 841.a.
Lydio more. *adag.* 467.b.
Lydus cauponatur. *adag.* ibid.
Lydus in meridie. *adag.* ibid.
Lydus oſtium clauſit. *adag.* ibid.
Lydi populi mollicie inſignes. 467.b.
Lydorum caricæ. *adag.* ibid.
lyncis deſcriptio. 294.a.
λύπη, quaſi λύσις. 1.a.
lyra, clypeus, & ſagitta Phœbi quid ſignificent. 770.a. cum Venere, Gratijs & Amore habet ſimilitudinem. 64.a. hieroglyphicum concordia. 61 b. inſtrumentum muſicum. 774.a. vita humana ſymbolum. 64.a. & 891.a.
lyra inuentio. 62.b. inuentores primi Graci, Itali perfectores. ibid.
lyriſta excellentes. ibid.
Lyſandri aſtus. 536.a. & 626.b.
Lyſimachus leonem ferocientem ſtrangulauit. 769.a.
Lyſimachi victi dictum, de gula. 402.b.
Lyſippus ſtatuarius. 525.b.
Lyta qui dicantur Iuriſconſultis. 878.a.

M.

Μακάριοι qui dicantur. 32.a.
Macchiauellita quales. 39.b.
Macchiauellius Italus qualis. 626.a.
macies Charephontis in prouerbium abijt. 279 b. & pallor inuidi. 318.b. Philetæ mira. 280.a.
Macrobij locus, de Iano. 109.a.
macularum abſterſarum hieroglyphicum ignis & aqua in thuribulo & phiala contenta. 177.a.
Mæander fluuius Phrygia. 406. b. pictura genus. ibid.
Mæcenatis ſymbolum, rana. lvii. b.
Mæna libertus Pompeij ab infimo ad ſummum gradum aſcendit. 540.a.
Mænades ſacerdotes Bacchi, unde ſic dicta. 345. b.
Mauius Horatianus. 310.a.
magiſter artium Amor. 449.b.
magiſtro opus eſt in omni diſciplina. 56.b.
magiſtratus omnes olim iudices dicebantur. 177.b.
magiſtratus, qui ambibant, cur candidati. 502.a.
magnanimi viri deſcriptio. 620 a.
Magni cognomen paucis tributum. 624.b.
magna regna, magna latrocinia, vocat Auguſtinus. 209.a.
magnetis miracula. 715.a.
magus à dæmone abreptus. 708.b.
magi Bohemi hiſtoria. ibid.a.
Magyrica ars. 98.a.
Mahometes Othomanus iratus duos iuuenes occidit. 288.a.
maieſtas ex Honoris et Reuerentia coniugio nata. 58.a.
Malè coniugati. *adag.* 845.b.
Male parta, malè dilabuntur. 554.
malè tractatus quidam ab aulicis. 713. b. viuitur inter ſuſpecta. 532.b.
maledicendum non eſt mortuis. 656.a.
Maledicentia. 248.
maledicentia inuidi. 318.b. non curata. 635. a.
maledicentia nota veſpa. 249.b.
maledici. 249.b. & 250.a.
Maleuoli & æmuli Alciati. xxxiii.
Malignitatis nota in pleriſq; animalibus. 244.b.
Malitia mulierum. 260.a.
Mallonia Romana matrona caſtitatē morte defendit. 815.a.
Malluuium. 177.a.
Malum bonumq; ex vicinis proficiſcitur. 182.b.
Malum conſilium conſultori peſſimum. *adag.* 720.b.
malo malè euenit. ibid.a.
malum alijs qui ſtruit, ſibi arceſſit. ibid.b.
Male accepto ſtultus ſapit. *adag.* 163. a. & 230. b.
Mala ebrietatis. 150.b. equis accedunt, pedibus recedunt. 563.a. nomina. 283. a. publica. 553.a. veniunt etiam non vocata. 559.a.b.
Malorum meminiſſe. *adag.* 578.a.
Mala multa inuexit nimia credulitas. 99. a.
Malum Veneri ſacrum. 814.a. Cotoneum, ſymbolum connubij. xlvii.b. Medicum Galenus Citrium vocat. 871.b. Medicum.

ſum, unde ſic dictum. ibid.
Mala Cydonia unde ſic dicta. 862.a.
Malis ferire. *adag.* 814.a.b.
MALVS Medica. 870.
mali Medica deſcriptio. 870.a.b.
Mamilij nummus. 813.b.
Mammaa Imperatoris querela de adulatoribus. 197.a.
Mancipare, & Mancipium. 293.a.
mancipatio quid, & quomodo fiebat. ibid. & b.
mancipia aurea, diuites ſunt Socrati. 809.a.
Mandrabuli in morem res ſuccedit. *adag.* 234.b. & 607.b.
Manduco apud Romanos nomen terrificū. 717. b.
manipulus fœni olim ſignum militare Romanis. lvi.b.
Mantuani infelices propter vicinitatem Cremonenſium. 700.a.
manumiſſionis locus. 644.b.
manumittendi triplex ratio. ibid.a.b.
manus dextera cordis potiſſima miniſtra. 212.a.
Manus manum fricat. *adag.* 682.a.
Manus, pro multitudine. 253.a. 271. b. & 486.b. *pro operibus artificum.* 6. b.
Manum habere ſub pallio. *adag.* 358.b.
manum inijcere, quid. xlix.a.
Manu ignauus, mēte præſens. *adag.* 802.b.
manus actionis organa. 460.a. *iudicis, quo unguento ungēda.* 178.b. *oculata.* 92.b.
manuum ablutio hieroglyphicum innocentia. 177.a.
manus abluere, quid olim. ibid. *puras qui habeant.* 178.a. *tendere, Gallis eſt ſignū petendæ pacis.* 211. b. *item deditionis.* ibid.
marcor. 306.b.
Marcus Antonius Bacchi habitum uſurpauit. 17.a. *primus leones ad currum iunxit.* 168.b. *tyrannus, & peſtis patriæ.* ibidem. *Lectorius ſtupri cum puero accuſatus ſeipſum occidit.* 355.a. *Sitticus Baro a VVolcKenſtain, antiquitatis ſtudioſus.* 72.a.
Marci Antonij amor in Cleopatram. 444.a. *nummus.* 110.b.
mare infidum. 702. b. *iuſtius hominibus.* 164. b. *Manadi comparatum.* 901. a. *mitius hominibus.* 388. a. *pro tumultu.* 222. b.
maris pericula quanta. 704.a.
Mares, vir ἱπποκμιγῆς. 35.b.
Mareſcalli Santandrei ſymbolum, nodus Gordius. lix.a.
Margarita Nauarraa ſymbolum, heliotropium. lviii.a.
Marini poetę Itali carmen, de miſeria humana. 650.b.
Maritimi mores. *adag.* 703.a.
maritus & uxor πολύγαμοι. 127.b. *viginti uxorum.* 324.b.
mariti uxoris adultera hieroglyphicum hircus. 277.b.
mariti cum uxoribus grauidis non coeant. 193.b.
maritorum de uxoribus querela. 821.a.
Marius opifex ferrarius. 541.b.
Marij ambitio. 266. b. *Molſa epigramma de pace.* 739.a.
Mario quid aquila nidus cum pullis inuentus portenderit. 189.b.
marmor. 298.b.
Marrani. 284.b.
Mars ex gramine ortus. 153.b.
Marti cur ſacrum gramen. ibid. & 154.a.
Marſya arrogantia. 300.b.
Martia matrona luctus. 240.b *Otacilla Seuera nummus.* 838.b.
Martialis carmen, de laboribus Herculis. 594.b. *epigramma, de hirundine.* 749. a. *opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomela.* 313.b.
Martiani Capella verſus emendatus. 14.b.
D. *Martinus Ithacium accuſatorem Priſciliani increpat.* 111.b.
Marulli epigrāma, de ſpe. 229.a. *de Thraſybulo.* 577.b.
mater Charitum qua. 690. a. *Chimara, Echidna.* 84.a. *Ludouici Arioſti, Daria Maleguccia.* 664.b. *Sirenum quę.* 488.a.
Matris vt capra. *adag.* 277.b.
matrum quarundam in proprios fœtus impietas. 826.a.
materia fibula apud veteres qua. 586.a. *prima per Proteum ſignificata.* 761. b.
Matrea Alexandrini dictum de inuidia. 318. b.
matrimonij ſpecies coemptio. 843.a.
matrona pudica epitaphium. 836.a.
matrona Romana vinum non attingebant. 137. b.
Matula, Matella, & Matellio, quid. 692.b.
MATVRANDVM. 116.
maturare. 116.b.
maturitas quid ibid.a. Muciani. ibid.b.
Maturior moro. *adag.* 880.a.

Matuta. 313.a.
Mauſoleum argumentum perpetui mœroris. 605 a. ſignumglorioſæ iactantiæ. ib.
Maximi Tyrij locus, de auaris. 372.a.
Maximilianus Dux Mediolanenſis. 10 a.
Maximini Iunioris ex ſerpente præſagium. 11 b.
meatus varij pro excrementis in hominē. 96. b.
Medea cur Colchis dicta. 259.b. cur Phaſiaca. 346. b. liberos ſuos interfecit. 826.a. lues vocata à Seneca. 443.b.
Medeæ crudelitas. 826 a. hiſtoria. 259 b. et 250.a. patria vera Corinthus. 259.b.
Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, dictum Alexandri. 23.a.
medicamentum ex ſtellione, quod faciem lentigine deturpat. 243.a.
medicina ſuperſtitioſa aduerſus ictus ſcorpionum. 47.b.
medicinæ vſum primus tradidit Apollo. 419.a.
Medicus citò, tutò, & iucundè curet. xiv.a.
Medici ex ſomnijs humorum redundātiam poſſunt colligere. 884. b.
mediocritas aurea. 118.b.
mediocritatis ſymbolum gith. 787. b.
Mediolanenſe numiſma. 10.a.
Mediolanenſis Ducatus inſignia. ibid.
MEDIOLANVM. 18.
Mediolanum Alciati patria. 20.b. à quibus, & quando ædificatum. 19.a. Magnum dicitur. 22. b.& 579.a. vnde nominatum. 18.b.& 19.a.
Mediolani vrbis inſignia. 18. laus. 19. a. & 22.a. omen iocoſum. 22.b.
Medius adulator Alexandri. 250.a.
medium tenuere beati. 117.a.
Meduſæ caput, quid. 664.a.
Megabizus à Zeuxide pictore reprehenſus. 69. b.
Megarenſium ſtratagema in Antipatrum. 534.a.
Megaricæ ſphinges. adag. 803.b.
Megaricæ ſphinges cur dictæ meretrices. 332.b.& 803. a.
mel cum lacte mixtum, quid. 867.b. & fel amoris. 468.a.
Melanthij poetæ ὀψοφάγε votum. 390 a.
Melanurus ex genere piſcium. xlvii b.
melanuri qui nominentur. xlviii.a.
Meleſigenes cur dictus Homerus. 31.a.
Melitæ oratio ad Cliſophontem maritum. 371. a.
Μηλοβολεῖν quid. 814.b.
Μῆλον & pomum, & ouem ſignificat. 809. b.& 597.b.
Melonis pagina, papyrus. 782.a.
Meluſina fabula anilis. 14.a.
membra cætera cur deficiant aucto liene. 628. a.
membrana, & eius origo. 715. b.& 716.a.
Menandri regis Bactrorum exequiæ. 575.b.
Menecratis Medici arrogantia. 311. b.
Menedemi Eretrienſis apophthegma, de ſtudioſis. 234.b.& 878.a.
Menelaus flaua cæſarie præditus. 503.b.
Menelai cordata oratio. 69.a.
Μῆνις quid, & vnde. 287.a.
mens caſta viridarium diuinitatis. 125.a. humana aurigæ comparata. 262.a. humana ignis. 357. a.b. quibus voluptatibus delectetur. 32.a.
MENTEM, non formam plus pollere. 803.
mente pura Deo ſacrificandum. lv.a.
menſa apud ignem parata, hyemis ſignum. 420.b.
menſa amarantho per hyemem ornantur Venetijs. 583. a.
menſis ſymbolum Luna. xlvii.b.
mentagra qualis morbus. 845. a.
merces virtutis gloria. 571.a.
Mercuriale. adag. 53.b.
Mercurius bifrons. adag. ibid.
Mercurius citharæ inuentor. 62.a.& 63.b. cur cubo inſideat. 416. a. b. cur cum Venere eadem ara cultus. 129. b. & 862. a. cur Hermes dictus. 416. b. cur Hodius & Hegemonius dictus. 53.a. cur triceps effingeretur. ibid.b. ἐνόδιος cur pectore tenus ſolùm effictus. 52.a. & Gratiis σύνναοι. 130.a. geminus quid ſignificet. 218.b. petaſatus. 5.b. præſes eloquentiæ 54 a. qualiter effictus. 415. b. viatorum Deus. 53.b. vnde dictus. 54.a.
Mercurius ſuperuenit. adag. ibid.
Mercurij caduceus. 509. a. ἐνόδιος fabula. 53.b. imago, ex Galeno. 415.b.& 416. b. officia. 53.a.b.
Mercurio cur gallus ſacer. 87. a. cur laurus. 390. b. cur olim lacte & non vino ſacrificabatur. 145.b. ſacer nodus Herculanus. 508.a.
Mercurio dextro. adag. 53.b.
Mercurij plures ſunt, ſed poetæ vnum faciūt. 54 a.
meretrix cur dicatur ſcortum. 327.a. differt à proſtibulo. 496. b. quæ dicenda. ibid.

ibid. vnde dicta. ibid.
Meretricis anus ridicula metamorphoſis. 498.a. argutum reſponſum. 555.b. hieroglyphicum ſphinx. 332.b. ſymbolum leana. ibid.
meretrices ſuos amantes dementant. 339.a. toga pulla à matronis adulteris diſtincta. 503.b.
meretricibus cur tributus color flauus. ibid.
Mergus auis. 712.b.
Mergorum inſtar. adag. ibid.
merops auis. 789.a.
meropes parentes ſuos nutriunt. 173.a.
Μηρὸς, coxa ſeu femur. 844.a.
Meros mons Baccho ſacer. ibid.
Meſſalina cur Myonia dicta. 349.a.
Meſſalinæ portentoſa libido. 324.b.
meta quid. 849.a.
metallũ arte fieri poſſe qui negarint. 810.a.
Metamorphoſis Prognes & Philomelæ. 313. a.b. Protei in leonem, draconem, arborem, aquam, quid. 762.b. ridicula meretricis vetulæ. 498.a. Sirenum ex Ouidio. 488.b.
Metellus Macedonicus ſecretorum tenax. 72.b.
Μετεμψύχωσιν primus inuenit Pythagoras. 104.a.
Meteora quomodo generentur. 96.b.
Methanenſium ſacrum cum gallo albo pro frugibus. liv.a.
methodus. 55.a. & 307.a. docendi Alciati. xxix. in hac nouiſſima editione Emblematum obſeruata. viii. & ix.
Metis prima Iouis vxor, ab eo deuorata. 15. b. & 16.a.
Metius Suffetius ancipitis fidei homo. 283. b. in duas partes diſtractus. 724. a. proditor apud Romanos. 147.b.
Metra in formas varias mutabilis. 764.a.
Metræ Eriſichthonis fabula. ibid. mythologia. ibid.b.
metropolis omniũ vitiorũ auaritia. 388. a.
Meydland, Germanis Med olanum. 21.b.
Mezentius legem talionis expertus. 464.b.
Mezentij crudelitas. 843.a.
Mezentij qui vocari poſſint. 845.a.
Michael Imperator ab aſſentatoribus perditus. 195.a. & 253.b. Phaethonti comparatus. 267.b.
Midas vnde dictus. 250.b.
miles vnde dictus. 739.a.
militis & Imperatoris munera. 219.b.
milites Marij ſequentes Gorgonem, mortui concidunt. 665.a.
Mileſiæ virgines turpitudinem morte declinarunt. 126.a.
militia eſt vita noſtra. 685.b.
militiæ ſpecies eſt amor. 481.b.
miluius, ſeu Miluus auis rapax. 609.a. æſtatis ſignum certiſſimum. 421.b. cur dicatur ἰκτῖνος. ibid. pro prædone & graſſatore, in ſacris. 555.a. rapacitatis hieroglyphicum. ibid.
miluij forenſes qui. 556.a.
Mineides in veſpertiliones mutatæ. 280.a.
Mineidum fabula. ibid.a.b.
Minerua cur armata. 15.b. & 114.a. cur Tritogenia dicta. 16.a. & 123.b. è Iouis cerebro proſilijt. 14.b. & Bacchus σύνναοι. 130.b. olim apud Mediolanenſes culta. 21.b. virgo. 124.b. vnde ſic dicta. 16.a.
Mineruæ clamor in natiuitate, quid. 15. a. panoplia. 123.b. ſtatua in Acropoli Athenienſi. 78.b.
Mineruæ cur draco appoſitus. 123.a. cur ſacra noctua. 112.b. Vide plura in Pallas. Palladis.
miniſter marſupiorum auarus. 371.b.
miniſtri triumphantium cur coronis oleaginis vterentur. 578.b.
Minois carmen, de aulicis. 378.b. epigramma, de amore. 448. b. de præcocitate. 876.a. in formoſam puellam. 468.b. in puellam præmaturè mortuam. 661. b. modeſtia. 130.b.
Minotaurus. 73.a. ex Paſiphae natus. 72. a.
Minotauri effigies cur in ſignis militaribus. 72.a. parentes. 73.a.b.
Minutij Felicis locus, de rerum ſupernarum indagatoribus. 430.b. & 431.a.
Minyiarum vxores maritos è carcere liberant. 816.a.
mira de duabus palmis. 200.b. de fabis. l.b.
miracula Dei flores docent. 223.a.
Miſenus à Tritone ſubmerſus. 570.a.
miſeria ſola caret inuidia. xxxiv.
miſeria humana contemplatio. 649.b.
miſericordia & Nemeſis quomodo differũt. 160.a. qualis paſſio. ibid.
Miſomanus Hebræus auguria contempſit. 546. a.
modeſtia Catonis Vticenſis. 51.a. decet vel maximè fortunatos. 559.a. & mores probati in muliere commendandi. 836.a.
modius hieroglyphicum Iudaicæ doctrinæ. 358.a. quid in ſacris. ibid.

Modus in re optimus. 786.b. *redemptionis generis humani.* 645.b. *vbiq; tenendus.* 786.b.
mœchi hieroglyphicum murana. 819.a.
mœror voluptatis comes. 467.b.& 468.a.
mœrore interdum extinguitur calor internus. l.a.
Molionides qui. 214.a.b.
Molionidum nomina, Eurytus & Cteatus. 214.b.
molitoris cuiuſdam dictum ad artiũ quendam Magiſtrum. 417.b.
Moly herba à Mercurio inuenta. 759.b. *facundiæ ſymbolum. ibid. qualis.* 758.a. *quid deſignet.* 759.b. *vnde dicatur. ib.*a.
moly herba vires. 759.b.
Moneta vnde dicta. 644.b.
monſtrum quid ſit. 35.a.& 73.b. *ex homine & capra natum.* 35.b. *homiceps & anguipes.* 34.a. *Libyæ à Dione deſcriptum.* 35.a. *præceps cur dicta ſphinx.* 800.a. *quale auaritia.* 376.b.
Monſtra an dentur, qualia Poetæ fingunt. 489.a. *hominum ſycophãta.* 84.b. *non reperiri aſſerit Lucretius.* 35.b.
Monſtra, quorum mentio in Emblematis. Aries aurei velleris. 806. Bos ſemiuir. 71. Centaurus. 623. Chimæra. 81. Cyclops. 718. Geryon. 213. Gigãtes. 33. Gorgon. 663. Harpyiæ. 179. Manus oculata. 91. Minotaurus. 71. Polyphemus. 718. Proteus. 761. Pygmæi. 270. Scylla. 302. et 336. Sirenes. 488. Sphinx. 796. Sus laniger. 18. Vir anguiceps. 33.
Monumentum Laidis. 330.a.
Mopſus augur. 566.a.
Mora & deliberatio peccati remediũ. 119.b. 120.a.b.& 881.a.b. *medici temporis non nocet, ſecundũ Iureconſultos.* 526.b.
Morbus Gallicus. Vide, *Lues Venerea.*
morbus latẽs inſanabilis. 107.a. *maximus* φιλαυτία. 308.a. *publicus mortalitas.* 888.a.
Morbos ſono citharæ ſedabat Chiron. 624.a.
morimur citò, quia moribus viuimus. 392.b. *morimur quotidie.* 662.a.
Μῶρος, *Latinè ſtultus.* 880.a.
morſus Ciceronis in P. Clodium. 805.a. *febri horrendus.* 652.b. *in nimium fœminarum cultum.* 351.a.b.
Mors Alciati. 184.a. *Ariſtomenis.* 188.a. *Arriæ vxoris Pæti.* 513.b. *Atylæ.* 552.a. *Caroli Quinti.* 184.a. *Ciceronis.* 169.a. *cur atra dicatur.* 500.b. & *Amor tela mutant.* 658.b. & *ſepultura Alciati.* xxxiv. *filiæ Herodiadis.* 723.b. *Galeacij.* 574.b. *ineuitabilis.* 671.a. *M. Bruti.* 512.b.& 513.a. *mariti, vxor moroſa.* 821.b. *meliora rapit, deteriora relinquit.* 660.a. *nemini parcit.* 331.a. *Portiæ vxoris M. Bruti.* 513.b. *puellarum præpropera.* 662.a.
Mors optima rapit, deteriora relinquit. *adag.* 663.b.
Mortis et Amoris fabula, ex diuerſis. 658.a.b. *neceſſitas.* 665.b. *nuncij qui.* 662.b. *ſymbola, cupreſſus.* xlvii.b.& 849.a. *pinus & myrtus.* 851.b. *tela fracta.* 229.b. *tela oſſea.* 660.a.
mortem deflere amatorum, humanũ. 665.a. *qui ſibi intulerint amoris impatientia.* 444.b. *ſibi inferre timidi eſt animi.* 514.a.b. *ſpontaneam Iuriſconſulti prohibent.* 516.a.
mortalitas morbus publicus. 888.a.
mortalitatis ſymbolum, capilli. lii.a.
Mortuo leoni & lepores inſultant. *adag.* 655.b.
Mortui ſepeliendi. 900.a.
Mortuis non conuiciandum. *adag.* 655.b.
Mortuos rurſus occidere. *adag. ibid.*
mora cur rubeant. 880.a.
MORVS. 879.
morus ſymbolum viri prudentis. 879.b. *vnde dicta.* 880.a.
mori deſcriptio. 879.a.
moros ſteriles fuiſſe ſuo tempore ſcribit Hegeſander. 880.a.
Mos Ægyptiorũ in regibus eligendis. xlvi.b. *barbarus Thracum in conuiuijs.* 149.a. *Germanorum dextras iungendi.* 212.b. *Gymnoſophiſtarũ in adoleſcentibus examinandis.* 106.a. *imagines veſtibus aſſuendi.* 4.b. *indicandi Athenienſium in Areopago.* 621.a. *iungendi dextras.* 212.b. *propinandi vnde ductus.* 43.b. *ſilentij indicandi per literam* S. 69.a. *ſtrenas mittendi vnde.* 233.b. *Venetarum virginum in publicum prodeuntium.* 126.b.
mores adulatorum. 257.a. b. *adulatorum à Iuuenale delineati.* 257.b. *adulatorum à Terentio deſcripti.* 258.b. *amantium.* 903.a. *ardelionum.* 368.b. *Babylonis corrupti.* 44.b. *cupidorum.* 296.a. *Fennorum, ex Tacito.* 204.a. *Hunnorũ.* 204.b.& 205.a. *indies in peius labuntur.*

tur. 649. a. *inuidia.* 317. b. *iuueniles quales.* 263. b. *paraſiti.* 398. b. *pueritia noſtri ſaeculi.* 408. a. b. *rabularum.* 404. b. *Scytharum, ex Iuſtino.* 204. a. b.
mores, vel animum mutare difficile. 274. a.
Moſchus quid ſit. 350. a. *corruptus vt reſtauretur.* 351. a.
Moſchi adulteratio. 350. b. *colligendi ratio Chinenſium, & in regno Peru.* ibid. *ſinceri probatio.* ibid.
Moſis natiuitas quando incidit. 810. a.
motacilla Baccho ſacra. 345. a. *Iaſoni à Venere tradita.* 344. a. *qua auis.* 345. b. *veneficijs vtilis.* ibid. a.
Muciani maturitas. 116. b.
mulcere, quid. 94. b. & 387. b.
Mulciber quare dictus Vulcanus. 94. b.
Mulctra, Mulctrale, & Mulctrum. 607. a.
muliebre, ne moriare, mori. 517. b.
Mulier à natura curæ domeſticæ dicata. 835. b. *Babylonica ſuper beſtiam ſedens.* 41. a. *fucu apum comparata.* 394. b. *illicium.* 489. b. *infracti animi in tormentis.* 80. a. *literis à marito miſſis impregnatam ſe mentiens.* 88. b. *maritum parentibus præferre debet.* 840. b. *Mileſia capitis damnata ob fœtum medicamento abactum.* 826. b. *prodiga.* 395. a. *vnde dicta.* 824. b.
MVLIERIS famam, nõ formam, vulgatam eſſe oportere. 832.
Mulieris podex. *adag.* 394. b. & 395. b.
mulieris pudicæ officium. 835. b.
mulierem decet ſilentium. 834. b. *olere, quid.* 351. b.
Mulierem ornat ſilentium. *adag.* 835. a.
Mulieres Ægyptiæ cur diſcalceatæ. 836. a. *Ariſtomenem capiunt.* 186. a. *cur circa cultum ſtudioſæ.* 351. b. *cur lactucam ἀστυλίδα vocent.* 342. b. *cur odoribus delectentur.* 351. a. *grauidæ cur magis in Venerem pruriant.* 192. b. *oppidi VVeinsburgi maritos humeris efferunt.* 816. a. *Romanæ quo habitu in luctu vſæ.* 501. a.
Mulierum Babylonicarum enormis impudentia. 44. b. *Chriſtianarum verus ornatus.* 352. b. *fucatarum deteſtatio.* 837. a. b. *malitia.* 260. a.
Mullei calcei regum Albanorum. 589. b. *vnde dicti.* ibid.
Mullus piſcis, qui etiam Barbatulus. 609. a.
mulſum vnde dictum. 94. b
Multæ manus reddunt onus leuius. *adag.* 682. a.
Multa audire, pauca loqui, adoleſcentis eſt. 70. b.
Multa belli inania. *adag.* 531. a.
Multa inter calicem ſupremaq; labra. *adag.* 559. b.
Multa inter os & offam. *adag.* ibid.
Multorum feſtorum Iouis glandes comedit. *adag.* 853. a.
multis terribilis, caueto multos. 791. b.
multitudo anguillarum vbi. 121. a. *Deorum Ægyptiorum.* 410. a. *popularis lenitate retinenda.* 196. a.
Mulus cur dictus Ariſtoteles. 291. a. *cur dictus Cyrus.* 601. b.
Muli, qui dicantur Italis, & vnde. ibid.
mundus quid. 394. b. & 395. a. *muliebris quid Iuriſconſultis.* 395. a.
Mundus non capit duos Soles. 400. b.
Munus Imperatoris & militis. 219. b. *proba vxoris.* 814. b. *Regis.* 890. b.
munera excæcant prudentes. 620. a. b. *non debent accipi à iudicibus.* ibidem. *nuptialia dabantur ſponſæ.* 864. b. *pacis.* 901. b.
Munerum corruptela. *adag.* 509. a.
muræna & Lampetra differunt ſpecie. 819. b. *hieroglyphicum mœchi.* ibid. a.
muræna deſcriptio. 818. a. *& viperæ congreſſus.* ibid. b.
Murænæ ſibilo allliciuntur & capiuntur. 819. b.
Muri Babylonis forma & ſtructura. 44. a. b.
Muri Babylonis inter orbis miracula numerati. ibid. a.
Mus albus. *adag.* 349. b.
mus, cognomentum amatorium. ibid. a. *mus, dicitur homo laſciuus.* ibid. *Sarmaticus Zibellus dicitur.* 350. a.
Mus picem guſtans *adag.* 403. b.
Mures abſq; coitu concipiunt. 349. b. *ſalaciſſimi.* ibid. a. b.
Μοῦσαι *dicuntur, quaſi* ὁμοιοῦσαι. 750. b.
Muſæ cur palma coronatæ. 199. a. *& Cupido in eodem delubro culti.* 130. a. *& Hercules cur in eadem ara culti.* 129. b. *non capiuntur amore.* 492. b. *vnde ſic dictæ.* 62. a.
Muſarum imagines pennatæ Romæ. 491. b. *Sirenes explumantium mythologia.* 491. b. & 492. a. *volucres dicuntur omnes aues canoræ.* 749. a.

Muſis cur ante bella ſacrificabant Spartani. 570.b.
Muſas amore non capi quid. 492.b. & 493.a. *armatas nullus artifex expreſſit, & quare.* 769.a.
Muſca cur ſapius abacta redeat. 693.b. *quid allegoricè.* ibid.a.
Muſca ſplenem habet, & formica bilem. *adag.* 711.a.
muſca improbitas. 693.a.
muſcis ſimiles Cynici. 694.b.
Muſcas depellere. *adag.* 693.a.
muſcus à moſcho diuerſus. 350.a.
Muſica laboris lenimen. 779.a. *priſcis in honore,* ibid.b. *vino incitatur.* 133.b.
muſica laus & commendatio. 778.b. *vires.* 779.a.
MVSICAM Dijs curæ eſſe. 773.
muſicam neſcire, olim turpe. 778.b.
muſicum appellatur quidquid eruditum & ſuaue. 749.a.
muſici & poeta ſenis hieroglyphicum cygnus. 772.a.
muſica inſtrumenta triplicia. 774.a.
Muſimon quale animal. 788.b.
muſtela animal inauſpicatum. 545.a. *an ore pariat.* 14.a.
muſtela occurſus ominoſus. 546.b. *tranſcurſus comitia diremit.* 898.a.
Muſtelam habes. *adag* 545.a.
muſtelam occurrere, quid allegoricè. 547.a.
muſtelarum tria genera. 546.b.
mutabiles in varias formas qui fuerunt. 764.a.
Mutabilior Metra Eriſichthonis. *adag.* ibid.b.
mutui auxilij exempla. 681.a.b.
MVTVVM auxilium. 680.
Myodes, Deus muſcarum. 693.b.
Myrtilus quis. 684.a.
Myrtili clypeus. *adag.* 685.a.
Myrtili clypeus quid. xxxii.
myrtus arbor funeſta. 851.b. *pudendi muliebris ſignificatum habet.* 482.a. *Veneri ſacra.* 155.b.
myſterium quid. 49.a. *aliquod in numero impari.* li.b.
myſteria vnde dicta. 49.a.
myſteriorum duo genera. ibid.
Mythologia Actaonis. 252.a. b. & 254.a. *Æſculapij.* 640.b. *Argi.* 127.b. *arietis aurei velleris.* 807.b. *Bacchi.* 139.b. *Bellerophontis, ex Plutarcho.* 82.b. & 83.a. *Cadmi.* 781.b. *Caſtoris & Pollucis.* 226.a. *Cecropis.* 34.b. *Chimara.* 83.a.b. *Circes & Vlyſſis.* 337.a. *Coronidis.* 114.a. *dentium à Cadmo ſatorum.* 783.a. & 784.a. b. *draconis à Cadmo occiſi.* 783.a. *Fauni & Hecates.* 482.a. *Ganymedis.* 28.b. *Geryonis varia.* 213.b. 214.a. & 682.a. *Gigantum.* 37.a.b. *Gorgonum.* 664.b. *Harpyiarum.* 181.a. *Iani.* 108.a.b. 109.a.b. & 110.b. *Icari.* 433.b. *Litarum.* 562.b. *Metra Eriſichthonis.* 764.b. *Muſarum Sirenes explumantium.* 491.b. & 492.a. *Niobes.* 298.a.b. & 300.a.b. *Palladis armata.* 123.b. et 124.a. *Palladis ex cerebro Iouis orta.* 15.a.b. *Pandora.* 230.b. *Panos ex Phornuto.* 410 b. & 411.b. *Pegaſi.* 84.b. *Phaethontis.* 265.a. *Phœbi.* 770.a. *phyſica de ortu Bacchi.* 144.a. *Pleiadum.* 425.a. *Polyphemi.* 721.b. *Promethei.* 427.b. *Scylla.* 303.a. *Sphingis.* 801.b. *Zetis & Calais.* 182.a.

N.

N*Abuchodonoſor Rex Babylonia.* 42.a.
Naiades, nympha fluuiorum. 323.b. *qua, & vnde dicta.* 480.b.
Nannieni cunctatio, & Mallobaudis celeritas coniuncta. 118.a.
Napea, nympha florum. 323.b.
Narce flos. 306.a. *ſtuporem ſonat.* ibid.
Narciſſus Claudij libertus à concione prohibitus. 540.b. *vnde dictus.* 306.b.
Narciſſi fabula. 306.a. *hiſtoria.* ibid.
Narciſſi & Pallantis ab epiſtolis Claudij Caſaris, rapacitas & diuitia. 632.b.
naſus aquilinus ſignum regium. 189.a.
Natiuitas Bacchi. 143.b. *Moſis quando incidit.* 810.a. *Palladis.* 15.a.
Natiuitatis Æſculapij fabula. 638.b. & 639.a.
natiuus color qualis. 504.b.
NATVRA. 409.
Natura amoris 478.b. *anguillarum.* 383.b. *an ſeneſcens deficiat.* 328.b. *apum.* 633.a. *chamaleontis.* 256.a. *columba.* 189.a. *cornicum.* 207.a.b. *cuculi.* 276.a. *cupreſſi.* 849.b. *Delphini.* 616.b. *ferina Chironis, quid.* 626.a. *galli.* 86.b. *hominum triplex.* 413.b. *humana duplex, anima & corpus.* 896.a. *ibidis.* 381.a. *inuidia.* 320.b. *lupi ceruarij.* 295.a. *mira Porphyrionis auis.* 237.a. *omnibus doctrinis imperat.*

perat. 274.b. *palmæ admiranda.* 199.b. 200.a.b & 892.b. *paucis contenta.* 97.a. *plerunq; malignos notat.* 244.b. *porci.* 233.a. *ſequenda.* 55.b. *ſpongia.* 631.a. *tauri.* 191.a. *vbiq; ſuperflua excernit* 96.a.b. *veſpertilionis carmine explicata.* 282.a.
natura ſymbolum ignis. xlix.a.b.
natura ſimile eſt, facere ſcelus & probare. 254.a.
Naucrates Ægyptius inuentor luſus talorum. 3.b.
naues ex abiete ſunt. 858.a. *roſtrata qua.* 233.a.
naufragium Zenonis. 685.a.
nauigationis incommoda. 704.b.
nauigij origo. ibid.
naulium, inſtrumentum muſicum. 775.a.
nauſea quid, & vnde dicta. 555.a.
Naxo inſula Baccho ſacrata. 140.a.
Neapolis vnde dicta Parthenope. 491.b.
Nebula linea, & Ventus textilis, quid. 352.b.
Neceſſitas mortis. 665.b. *plus quàm pietas poteſt.* 80.b.
Nec quæſtioni quidem cedendum. 76.
Nec ſibi, nec alijs vtilis. *adag.* 358.b.
Nec verbo, nec facto quemquam lædendum. 157.
Ne cuiuis dexteram iniecerîs. *adag.* xlix.a. & 93.a.
Neda fluuius. 187.a.
Ne deguſtaueris ex ijs, quibus eſt nigra cauda. *adag.* xlvii.b.
Negotiatoris cuiuſdã Clij auaritia. 374.a.
Ne libes Dijs ex vitibus non amputatis. *adag.* liv.b.
Ne malorum memineris. *adag.* 577.b.
Nemeſis. 158.b. *Adraſtia dicta. ibidem.* a. *à Politiano deſcripta.* 158.b. & 159.a. *cur alata.* 232.a. *filia Oceani et Noctis.* 158.a. ἰχναίη. 159.a. *in imaginatione punit. ibid.*b. *iudicij Angelus Platoni.* 160.b. *non eadem eſt cum inuidia.* ibid.a. *qualis.* 462.b. *qua ratione miſericordia opponatur.* 160.a. *quod numen fuerit.* 232.a. *ſiue Rhamnuſia ſcelerum vindex.* 158.a. *virtus.* 160.a. *vnde appellata.* 158.a.
Nemeſeos & inuidia diſcrimen. 160.a. *imago.* 158.b. *pictura correcta.* 157.a.b.
nemo ante obitum beatus dicendus. 668.b. *ex aſſe bonus, ſed ſecundum legem.* 580.b. *ferè clarus ſine æmulo.* 610.b. *iraſcitur vbi vitium natura defendit.* 649.a. *ob ſucceſſus fortunæ intumeſcere debet.* 171.b. *reſiſtere poteſt ſpiritui Dei.* 784.b. *ſanus natura iraſcitur.* 649.a. *ſua ſorte contentus.* 365.b.
Nemo cantat ſobrius. *adag.* 149.a.
nemini detrahendum. 902.a. *licet vitam ſibi eripere.* 515.b.
Nemini fidas, niſi cum quo priùs modium ſalis abſumpſeris. *adag.* 92.a.
Neoptolemi vindicta. *adag.* 465.b.
Ne patris quidem nomen dicere poſſit. *adag.* 601.b.
ΝΗΦΕ καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν· ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. 21.
Neptunus & Ceres cur ſimul in eadem ara culti. 129.b. *vnde dictus.* 164.b. & 840.a.
Neptuni buccinator & armiger Tritõ. 569.b. *filius haberi voluit Sextus Pompeius.* 17.a.
Ne quære mollia, ne tibi dura contingant. *adag.* 468.a.
Neque mel, neque apes. *adag.* 468.a. & 759.a.
Ne quid nimis. *adag.* 118.a. & 787.b.
Nero ab Iſidoro Cynico meritò correptus. 61.b. *à quibuſdam creditur futurus Antichriſtus.* 291.b. *matrem ſuam interfecit.* 291.b. *Nemeſin ſuam expertus.* 161.b. *quos ditauerat, egentiſſimi facti ſunt.* 556.b.
Neronis crudelitas. 269.b. *immanis libido.* 356.a. *nummus aureus.* 853.b. *parricidium immane.* 291.b. *quinquenniũ laudabile.* 365.b.
Neronis quinquennium. *adag.* 607.b.
Neronem à flagitijs vt auocarit Baſſus. 347.b.
Nerua Imperator ex ira in febrem deploratam incidit. 733.b.
Nerui Reipublicæ. 92.b.
Ne ſacrificato ſine farina. *adag.* liv.b.
Neſtor cur Pylius ſenex dictus. 140.b. *eloquens.* 69.a *non tot annos vixit, quot vulgo creditur.* 140.b.
Neſtoris crater. 424.a. & 425.b. *lingua.* 754.a.b. *ſcyphus.* 869.a. *tres ætates.* 141.a.
Neſtorem qua ratione ætate vincat Amor. 477.b.
Neſtorij hæretici lingua à vermibus abſumpta. 724.a.

Nicei colloquij tempus. 224.a.
Nicias Lamachum ſibi ſocium adiungit. 682. b.
Nico meretrix cur capra dicta. 335.a.
Nicolaus Contarenus Senator Venetus, Tractatum, De bono ciue, ſcripſit. 580 b.
Nicolaus de Oddu Abbas Bibliothecam ſui Monaſterij inſtruxit. xvi a. ſeminarium inſtituit xv.b. Theocritum idiomate Italico vertit. 542.b.
Nicolai Chenelli ſymbolum. lxii.a.
Nicolai de Oddu affabilitas. xvi b. amici. ibid. Amor fugitiuus, ex Moſcho. 659. a. Amor mellilegus, ex Theocrito. 871. a. diſcurſus de floribus. 223.a.b. diſcurſus, de luxu et libidine huius ſeculi. 328. a b. illuſtris familia. xvi.a.b. laus. xv. b. pietas. xvi.a. virtutes aliæ. ibid.
Nidus Alcyonis qualis. 742. b. 743. a. & 902 a.
nigella an eadem cum gith. 788.a.
niger color qualis. 500.a.
nigrorum ſymbolum. ibid.b.
nihil exitioſius bello ciuili. 544.a. ex omni parte beatum. 580. a. fragilius ſexu fœmineo. 126.b. intereſt inter mortuum & otioſum. 359.b. intolerabilius inſipiente fortunato. 540.a. præter vires ſuſcipiendum. 272.a. b. quod reprehendi non poſſit. 696.b. tam arduum, quod ingenij dexteritas non aſſequatur. 85. a. tam durum, quod frangi non poſſit. 121.b.
NIHIL reliqui. 548.
Nilus, antiquus Latinus Melo dicitur. 744. a. & 782.a.
nimium altercando veritas amittitur. 749.b.
Niobe ſaxea. 297. a. ſtupidum ſignificat. 298.b.
Niobes epitaphium. 298.a.b. fabula. 297. b. & 298.a. filij, & eorum nomina. 298. a. mythologia. ibid.a.b. & 300.a.b.
Niobes mala adag. 297.b.
Niphalia ſacra in honorem Iunonis. 95.b.
Nireus formoſiſſimus, ſed imbellis. 804.b.
nobilis. 664.a.
NOBILES & generoſi. 585.
nobiles qui, & qui generoſi. 586.b. & 587. a. Veneti togati. 756.b. veri qui. 590. a. b.
nobilitas ementita. 590.a.
nocere etiam poſſunt minima. 711.a.
Nocti gallus caſus à Romanis. 86.b.
noctua ab vlula differt. 113.b. Athenienſium inſigne. lvii.b. cur Mineruæ ſacra, & ſymbolum Athenarum. 112. b. cur Palladi dicata reiecta cornice. 114.a.b. Hieroni in haſta conſedit. 113.a. in nummis Athenienſium ſculpta. 112.a et 113. a. in tumulo. 496.a. mures, lacertos, & huiuſmodi venatur. 113. b. prudentiæ ſymbolum. 115. a. ſymbolum Athenarum. 112.b.
Noctua volauit. adag. 113.a.
noctuæ cum cornice ſimultas. 114.b. volatus, victoria ſignũ Athenienſibus. 113.a.
Noctuæ Laurioticæ. adag. ibid.
Noctuas Athenas. adag. ibid.
nocuit, & qui nocere diſpoſuit. 727.b.
nocumenta fiunt documenta. 858. b.
nodus Herculanus Mercurio ſacer. 508.a.
Noe dictus Ianus. 109. a. primus vini inuentor. 132.b.
nola ſeu tintinnabulum. 89.b.
nomen cupreſſi. 849.a. Dei non temerè pronunciandum. liii.a. Ganymedis vnde. 31.b. Ocni. 394.b. ſolum interdum formidabile. 718.a.
nomine Mercurij quid intelligatur. 54.a.
nomina Alcyonum. 744.a. aurei velleris varia. 807.b. Charitum. 687.b. Clitoridis varia. 856. a.b. colorum varia. 506.a. duo vrbis Romæ. 69. a. Gigantum illuſtriora. 38.b. Gorgonum. 664. b. Harpyiarum. 181 a. lari auis varia. 390.b. luis Venereæ varia 844.a. Pleiadum. 425.a. pro debitoribus. 282. b. Sirenum. 491.a.
nomina vnde Germani olim imponere ſoliti fuerunt. 7.a.
Non abſq; Theſeo. adag 682.a.
Non eſt Dithyrambus, ſi bibat aquam. adag. 134.b.
non audiendi obtrectatores. 99.b. omnia poſſumus omnes. 682.a. quiuis in amicitiam recipiendus. 100.b. ſtatim fidendum. 93.a.
NON tibi, ſed religioni. 46.
NON vulganda conſilia. 71.
norma Regum. 64.a.b.
Noſce teipſum. adagium. 524.b. 787.a. & 800 a.
Noſce tempus. adag. 528. b.
noſſe ſeipſum quam vim habeat. 800. b.
nota, pro probro. 280.b.
nota malignitatis. 244.b.
notis inſignes cauendi. ibid.

nothi

nothi qui. 601. a. nobiles & virtute inſignes. 602.b. qui, & qui legitimi. 899.a.
nothorum conditio qualis. 601.b.
nouacula Occaſionis. 526.a.
noui doctores reprehenſi. 307.b.
noxa & Noxia quid. 562.a b. & 729.b.
noxa. 230.b.
Nubigena cur dicti Centauri. 625. b.
nuditas corporis laſciuiam irritat. 476.b.
nuda cur Veritas. 59.a.
nuda cur Charites. 687.a.
nudus cur fingatur Amor. 476.b.
nullus è maledictis famam captat. 749.b. paruus hoſtis. 710.b.
NVLLIVS indiga virtus. xiii.
Numa Pompilius templum Iani inſtituit. 109.b.
Numen quid, & vnde dictum. 21. b.
de Numine bene ſentiendum. 300.a.
numerus dierum Alcyonidum. 744.b. ternarius in libaminibus adhibitus. ibid.
numeri imparis myſterium, ibid.
numiſma & Nomiſma vnde, & cur ſic dictum. 6.b.
numiſmata quorundam Principum. lvii.a.
Nummus Adriani. 173.b. & 228.a. Alexandri Magni. 10.a. Antiochi. 170. b. & 641.b. Antonini. 645.a. 769. a. & 853.b. Athenienſium. 113.a.b. C. Caligula. 853.b. C. Mamilij. 813.b. C. Publicij. 769.a. cum imagine Iani bifrontis. 109.b. Fauſtina. 170. b. & 208. a. Galba. 853.b. Herennia. 838.b. Martia Otacilla Seuera. 839.a. M. Antonij Triumuiri. 510.b. M. Aurelij Seueri. 641. b. M Bruti. 642.a. Mediolanenſium. 10.a. Neronis aureus. 853.b. Sabina Auguſta Adriani. 838. b. Seruij Galba. 645. a. Seueri. 231. b. & 636.b. Tiberij Claudij. 645.a. Titi. 231.a. Traiani. 769.a. Veſpaſiani. 615.a. vetus Romanus. 486. a. Vitellij Germanici. 853.b.
Nummi caduceo inſigniti. 508.a. Commodi, Criſpina, & aliorum. 641.b. cum corona ciuica. 853.b. cum noctua. 112.a. & 113.a. quatuor Antonini. 641. a.
nuncij mortis tres, caſus, infirmitas, ſenectus. 662. b.
Nunc tuum ferrum in igne eſt. adagium. 24. a.
nundinis ſimilis vita humana. 648.b.
Nunquam à nucibus recedere. adag. 2.b.
NVNQVAM procraſtinandum. 23.
NVPTA contagioſo. 842.
nupta cur limen mariti non tangeret. 864. b. qua ſimul & vidua dici poſſit. 498.b.
nuptia vnde dicta. 840.a.
nuptiales ritus veterum. 862.b. 863.a. b. & 864.a.b.
nurus, pro fœminis in communi. 349.b.
nuſquam eſt, qui vbiq; eſt. 368.a.
nutrices Bacchi. 144.b.
nutrire lupos, quid. 290.a.
nux arbor quo magis caditur, eò plures fere fructus. 823.a.
nux baſilica. 3.a. iuglans. 2.b.
nuces cur in nuptijs ſparſa. 864.a.
Nucibus indulgere adag. 2. b.
nycticorax & νυκτερὶς. 893.b.
Nympha cur dicatur nutrices Bacchi. 144. b. qua, & quam varia. 323.a.b.
Νύμφαις ἰσῆλιξ, quis dicatur. 3.a.

O.

OBDVRANDVM aduerſus vrgentia. 198.
obiectiones contra hanc vltimam Emblematum editionem diluuntur. x.
Oblatio munerum tinea regiminis eſt. 621 b.
obliti ſui & ſuorum lotum guſtant. 486.b.
OBLIVIO paupertatis parens. 294.
OBNOXIA infirmitas. 711.
obſcœnum vnde ductum. 335.a.
obſcura obſcuris deſcripta. 84.b.
obſequia dæmonum magis noxia. 707.b.
obſidionalis corona ex gramine. 153.a.
Obſonium, & Obſonari, quid. 375.a.
obſonium ſenectutis labor. 361. b.
Obſtetrix rectius iudicat quam mater. 308.b.
obſtruere luminibus, quid. 180.b.
obtrectatio vitium muliebre. 900.b.
obtrectatores non audiendi 99. b. veſpis ſimiles. 249.b.
Obtrudere palpum. adag. 195.a.
Occa, & Occare quid. 526. b.
Occaſio fabula Protei. 761.b. huius nouiſſima editionis Emblematum. vii. operis Paradoxorum Alciati emittēdi. xxviii.
Occaſio quid. 525.b. 527.a & 528.b. arripienda. 526.a. cur calua à tergo, comata à fronte. ibid. Græcis puer eſt, Latinis fœmina. 525. b. non negligenda. 527. b. non negligenda in re bellica. 528.a. præceps. 526.a.b. vnde deriuata vox. 526.b. & 898.a. volatica. 525.b.

occaſionis arrepta exempla. 527. a.b. *deſcriptio.* 524. a. b. *dominium.* 525.b. *nouacula.* 526. a. *opportunitas. ibidem*.b. *ſtatua Salmantica.* 525.b. *vis.* 527.a.
Occulta proprietates rerum quarundam. 715.a.
occupatio Thuilij, de ſuo in hac editione ſtudio. x.
occurſus muſtela inauſpicatus. 546.b.
Oceanus cur pater dictus. 220. b. & 221.a. *vnde appellatus.* 220.b.
Ocimum ſerere. *adag.* 250.a.
Ὄκνος, *auis.* 366. b.
Ὄκνος καὶ ὀνηρὸς, *quid* 394.b.
Ocnus quis. ibid. a *funiculum torquens hieroglyphicum vxoris prodiga.* 395. b. *vnde ſic dictus.* 394.b.
Ocni effigies. 393.
Ocni funiculum torquet. *adag.* 394.a.
Ocni nomen. ibid.b.
Octauij Augusti de Roma æternitate dictum. 486.b. *Cleophili carmen, de cygno.* 770.b.
octo tantum paria fidorum amicorum leguntur. 679.a.
oculata die vendere, quid. 92.b.
oculata manus, quid. ibid.
oculus diuinus à nemine fallitur. 161. a. *impudicus impudici cordis index.* 490. b. *in ſceptro, quid hieroglyphicè ſignificet.* xlvii. a. & 110.b.
oculo lippo vti, quid. 609.b.
oculi Cupidini pro ſpecula tributi. 490. b. *fores animi. ibid. irritamenta vitiorum. ibid.*a. *ſunt in amore duces. ibid. Veneris illices.* 490 b.
oculorum gratia. 491.a. *indicium præpollet indicio aurium.* 93.b.
Oculis magis habenda fides quàm auribus. *adag.* ibid.
oculos cornicum confixiſſe, cur dictus Cn. Flauius. 27.b.
Ocypete Harpyia, vnde dicta. 181.a.
Oda Anacreontis, de Amore mellilego. 470.b.
Oddorum familia ex Vngaria oriunda. xvi. b.
Odi puerulos præcoci ſapientia. *adag.* 876. a.
odium ouium & luporum. 715.a.
odor & color roſa à ſtella Venere proficiſci creditur. 478 b.
odoribus cur delectentur mulieres. 351. a.
Odryſia in Thracia. 180.a.
Oedipus Coloneus tragœdia, Sophoclem in iudicio liberat. 496.a.
Oedipus Laium patrem occidit. 797.b. *ſibi oculos eruit.* 798.b. *vnde dictus.* 797.b.
Oedipodis inceſtus. 798.a. *vita & fatum.* 797. b.
Oenocrates vnde dictus. 609. b.
Οἶνος *vnde dicatur.* 133.b. 137. b. & 142. a.b.
Officere luminibus. *adag.* 181.a.
officium boni ciuis. 579.b. *boni Principis.* 745.a. *docendi Alciati.* xxxi. *filiorum eſt, obſequi parentibus.* 17.b. *lienis.* 628. b. *mulieris pudica.* 835. b *Prætoris.* 177.b. *prudentis.* 109.b.
officia abſtinentia. 192.a. *Parcarum ſingularum.* 331.a.
olea & Oliua, idem. 131. b. *ab impudicis conſita non creſcit.* 132.a. & 136.b. *caſtitati dicata.* 132.a. *Palladi ſacra, & quare.* 132.a. 136.a. & 578.a. *qualis arbor.* 136.a. *quomodo, & à quo inuenta.* 131.b. *ſymbolum pacis.* xlvii.b. 132. a. & 578. a.
olea folia die ſolſtitiali inuertuntur. 136. a. *ſurculum attulit columba à Noe emiſſa.* 578.a.
olea coronabantur equites, triumphantes, & ouantes. 136.a.
ὀλέθρε ἐδεὶς λόγος. *adag.* 262.b.
oleum & Oliuum dicitur. 131.b. *adulterari nequit alio humore.* 136. b. *cur Mineruæ donum. ibidem. ferrum emollit.* 578.b. *pro adulatione, in ſacris.* liii.a.
Oleum & operam perdere *adag.* 132.a.
Oleum ferre in auriculam. *adag.* liii.b.
oleo inuncti reges, & quare. 136.b.
olla ænea, quid allegoricè. 699. a. *igne & carbonibus ſuccenſa, quid.* lii.a. *pro corde in ſacris. ibid. terrea, quid allegoricè.* 699. a.
Ollæ amicitia. *adag.* 253.a.
Ollæ veſtigium in cinere confunde. *adag.* lii. a.
Olor, inſignia poetarum. 768. a. *vnde dictus.* 769.b.
olus. 9 : .a. & 306.b.
Olympias Alexandri Magni mater. 13. b. *filio arcana generationis aperit.* 14.a.
omen Thuilij de Mediolano. 22.b.
omina varia ex aquila. 189.b.
omnes ad mutua officia tenentur. 682.b.
omnia à S. Cruce in Eccleſia Catholica inchoan-

choantur.639.b. *bona à Deo*.229.a. *tu ta timenda prudentibus*. 901.a.
Omnibus anteuertenda vitæ cura. *adag*. 654.a.
OMNIA mea mecum porto. 203.
omnia reuelat tempus. 166.a.
Onocrotalus.390.a. *aſinus crepitans*. 391. a. *tabulas forenſes refert*. 404.b.
onocrotali ingluuies. 391.a.
Ὄνος ἄγων μυστήρια, *adag*. 49.a.
Ὄνος, *lapis molaris*. ibid.b.
opes luxurioſorum caprificu ſimiles.325.b. *ſtultitiam patiuntur*. 540.a.
Ophion gigas. 37.b.
Ὄφις, *vnde deriuetur*. 123.b.
ophites. 299.a.
opici mures qui Iuuenali. 349.a.
Opimius, auarus apud Horatium. 374.b.
opinio Cardani & Scaligeri, de cauſa riſus. 648.b. *communis, de armis Achillis*. 164.a. *eorum, qui aſtra cogere aſſerunt, refutatur*. 436. a. *Pignorij, de dracone Palladis*. 123. a. *quantum ſæpe poſſit*. 531. b.
opiniones variæ, cur Cecrops διφυὴς *ſit dictus*. 36.a.b. *cur Titus Liuius digitum ori admoneat in Patauino prætorio*. 68. b. *de metamorphoſi Prognes & Philomelæ*.313.a.b. *de Tantali pœna*.371.a. *de veteri lingua Gallica*. 20.b.& 21.a.
oppidum in Hiſpania à cuniculis ſuffoſſum. 711.b. *in Theſſalia à talpis erutum*. ib.
Oppius à filio ſeruatus. 831.a.
optica vanitas. 557.b.
OPTIMVS ciuis. 576.
optima, cibus inuidiæ. 578.b.
OPVLENTIA tyranni paupertas ſubiectorum. 627.
OPVLENTI hæreditas. 673.
opus halieuticum. 62.a.
oratio cibus animi.li.a. *extemporanea Alciati*. xxvi. *Maronitarum, ex Liuio, de aſſentatoribus*.195.a. *Mellites ad Clitophontem maritum*.371.a. *Menelai cordata*.69.a. *Tiberij ad M. Hortalũ*.362.a. *Vlyſſis vehemens*. 69.b.
orationis non modò, ſed etiam geſtus viri boni magna vis. 94.b. *vis*. 165.b.
orbitatis commoditas. 860.b. *ſymbolum picea*. ibid.
Orcus quinta Luna natus. 38.b.
ordo gruum literatus. 103.a.
Oreades, nymphæ montium. 323.b.
ὀργὴ *quid, & vnde*. 287.a.& 299.a.
Origo annulorum. 429. a. *campanarum*. 90. b. *chartæ Pergamenæ*.715.b. *et fons Danubij*.221.a. *morbi Gallici*. 843. b. *nauigij*. 704.b. *pepli*.43. a. *ſtemmatũ*. lvi.a. *ſuperbiæ*.301.b. *Venetiarũ*.552.a.
ornamentum maximum amicitiæ, verecundia. 58.a.
ornatus nimius matronarum.351.a. *qualis conueniat matronis*. ibid.b. *regius, purpura*.42.a. *verus mulierum Chriſtianarum*. 352.b.
Orpheus à mulieribus diſcerptus, in cygnũ mutatus eſt.772. b. *Sirenes cantu ſuperauit*. 492.b.
orſus, & Orſa. 607.a.
Ὀρθρογόη, *quid apud Heſiodum*. 514.a.
ortographia vocis Anchora. 616.b.
ortus Palladis. 15.a.
Orus Apollo Niliacus libros de Hieroglyphicis ſcripſit. 6.a.
oryx canis genus.695.a.b. *hieroglyphicum impuritatis*. 695.a.
os cur vnicũ homini, aures vero duæ. 70.b.
Os infræne *adag*. 262.b.
Oſcè loqui *adag*. 382.b.
oſcen. 231.a.
Oſci populi de turpi libidine notati. 335.a.
oſculum prooemium adulterij. 127.a.
Oſiris idem cum Baccho. 48.a.
Oſiridis inſigne, canis. lvii.b.
oſtrea. 402.a.
Otho ab Otide. 293.b.
Othonis Vicecomitis cum Sarraceno certamen. 10.a.
otis auis qualis. 292. a.b. & 293.a. *vnde dicta*. 293.a.
otioſi venatores taxati. 254.b.
otium cum dignitate ſpectandum viro prudenti.516.b. *& ignauia fures temporũ*. 8.a. *fugiendum*.xlviii.b. *labori miſcendum, & quomodo*. 7.a.b. *parens libidinis*. 481. b. *ſine Deo parens improbitatis*. 895.a.
otus & Otis aues diuerſæ. 293. a. *quid*. 292. b.
Ὠτεῖ, *qui*. 293.a.b.
Ouidius canit Ganymedem ab ipſo Ioue raptum.29.b. *in Ibin inuectus*. 361. b.
Ouidij argutia.74.a. *locus, de potentia amoris*. 452. b. *locus, in matres conſultò abortientes*.827.a. *opinio de metamorphoſi Prognes & Philomelæ* 313.a.b. *ſententia, de armis Achillis*. 164.a. *teſtimonium, de gigantibus*. 38.a.b.

Ouis

ouis animal ſtultum. 807. b. *hieroglyphicum tũ felicitatis, tum ſtultitia*. 808. b.
Oues purpurea nata imperium aliquando portenderunt. 809. a. *vocantur ſtolidi*. 22. b.
Ouium mores. *adag*. 809. a.

P.

PActum facetum famuli cuiuſdã cum ſuo hero. 288. b.
Pacuuij carmen, de fortuna 416. a. *iudicium de Accio poeta*. 876. a.
pædagogi miſeri. 522. a.
pæderaſtia notatus Sophocles. 497. a.
Pagani quidquid admirarentur, Deum dicebant. 419. a.
paganorum ſtudia qua. 35. a.
Pagaſa, vrbs Theſſalia. 346. b.
Palamedes inuentor luſus teſſerarum. 3. b. *luſcinia Muſarum dictus*. 770. b. *vnde literam Y, inuenit*. 103. a.
Palatini qui, & vnde dicti. 378. a.
παλεύτριαι *aues*. 246. a. b.
palla. 229. b.
Palladæ epigramma, in Aſtrologos. 440. b.
Pallas cur armata. 15. b. 114. a. & 123. b *cur cum Marte diſſideat* 27. a. *cur è Iouis cerebro nata*. 14. b. *cur præſes belli dicatur*. 15. b. *cur Tritonia dicta*. 16. a. b. *cur virgo*. 136. b. *Dea belli*. 15 b. & *Bacchus cur eadem ara locarentur*. 133. a. *glaucopis*. 124. a. & 504. a. *prudentia ipſa, ſecundum Democritum*. 16. b. *vira* 80. 79. a. *virgo*. 124. b. *virginitatis numen*. 123. a. *vnde dicta*. 16. a.
Palladis arma. 123. b. *armata mythologia*. 123. b. & 124. a. *ex cerebro Iouis nata mythologia*. 15. a. b. *natiuitas ſecundum Heſiodum*. 15. b. *ortus*. *ibid*. a. *ſimulacrum*. 833. b. *ſtatua*. 122.
Palladi cur ſacra noctua, reiecta cornice. 114. a. b. *ſacra oliua*. 578. a.
Pallene vrbs Thracia. 763. b.
pallium Græcis peculiare. 756. b. *Palladis*. 123. b.
pallor buxi. 874. b. & *macies inuidi*. 318. b.
palma arbor. 198. a. *aduerſus pondus reſurgit*. 199. a. *cur in arcum conſurgit*. 199. b. *ſignum victoria*. 777. b. *ſine compare non fert fructum*. 200. a. *ſymbolum victricis Eccleſia*. 201. b. *vtrumq; ſexũ maritali copula iungit*. 200. a.
palma amor mutuus. *ibid*. *et* b. *natura admiranda*. 199. b. 200. a. b. & 892. b.
Palmam ferre. *adag*. 199. a.
palma cur coronata Muſa. *ibid*.
palmula, pars extrema remi. 383. b.
palpones qui. 195. a.
palpum obtrudere, quid. *ibid*.
palumbes ſe explumat, vt fœtum foueat. 826. b. *vnde dictus*. 825. b.
palumbu pietas in pullos. *ibid*. a.
palumbes comeſti Venerem retardant. *ibid*. b.
Pan belliger. 531. a. *contra Titanas militauit*. 530. a. *Deus*. 413. a. *dux Bacchi*, & *eius inuentum*. 529. b. *famulus Dionyſij agricolas nouem viſu necat* 411. b. *homo*. 413 a b. *magnus interijt, quid ſignificet*. 412. a. b. *totum ſonat*. 413. a. *vniuerſum deſignat*. 410. b.
Panos deſcriptio variorum. 411. a. *hiſtoria mirabilis*. 412. a. *mythologia ex Phornuto*. 410. b. & 411. b.
Pani cur tributa cornua. 529. b.
Panathenæa, quæ feſta. 78. a.
Panatij apophthegma, de vxore ducenda. 456. a.
Pãdarus per linguam telo traiectus. 724. a.
pandiculari, & *Pandiculatio*. 49. a.
pando, as, are, quid. *ibid*.
Pandora. 427. a. *à Charitibus coronata*. 55. a.
Pandora fabula. 230. a. b. *mythologia*. *ibid*. b. *pyxis*. *ibid*.
pandura, inſtrumentum muſicum. 775. a.
pandus. 48. b. & 49. a.
Panici caſus. *adag*. 531. a.
panici tumultus ac terrores. 530. a.
panis Octauio ab aquila ereptus, & *redditus*. 189. b.
Panem ne frangito. *adag*. liv. a.
panoplia Palladis. 123. b.
panthera auida excrementorum humanorum. 382. b.
papauer & *ferula cur Baccho tributa*. 96. a. *ſymbolum fertilitatis*. xlvii. b.
Para Rex Armeniorum à Valente in conuiuio oppreſſus. 100. a.
paradoxa Alciati quando in lucem edita. xxviii.
paraſitus quis, & *vnde dictus*. 397. a.
paraſiti deſcriptio. 396. a. & 397. a. & *cancri comparatio*. 397. b. *mores*. 398. b. *nimia licentia*. *ibidem*. *pernices pedes*. 397. b.

para-

paraſiti. 327. libertatem offa venalem habent. 397.b.
paraſitica inuentio. ibid.a.
Parca qua. 331.a.
Parcarum officia. ibid.
PAREM delinquẽtis & ſuaſoris culpam eſſe. 725.
parentes Ariſtomenis. 185. a. Charitum qui. 690.a. crudeles, Mezentij dici poſſunt. 845.a. inſtar Deorum. 830.a.
parentibus damnum arceſſunt mollius educati liberi. 823.b. quantum debeamus. 174.b.
parium marmor. 298.b.
parma quid. 5.b. & 6.a.
Parœmiographus à Iulio Scaligero morſus. 672.b. notatus. xlviii.a. lv.a. 113.b. 163.a. 303.b. 595.a. 624.a. 625.a. & 764.a. Veſpaſiani nummum ſe vidiſſe teſtatur. 615.b.
Parœmiographi locus, de impari coniugio. 845.b. reſponſio ad Caruaialum. 672.a. Terminus, & ſymbolum. ibid.
parra auis. 789.a.
parricidium Neronis. 291.b.
partes anni, earumq; munera. 421.b. tres Rhetoricæ per Chimæram demonſtratæ. 83.b.
Parthenope Siren, vnde & cur ſic dicta. 491. b.
παρθένος vnde dicta. 125.a.
partus & fœtus viperæ qualis. 819.a.
partum qui excuſſerit, ſupplicio extremo afficiendus. 826.b.
PARVAM culinam duobus gaueonibus non ſufficere. 399.
Paſco, actiuum & neutrum. 290.a.
Paſithea vna Gratiarum Homero. 687.b.
Paſſer temporis annui hieroglyphicum. 565.b.
Paſſio Chriſti Seruatoris incidit anno decimooctauo Tiberij. 412.b.
paſtoris Eccleſiaſtici duo munera. 190.a.
Patauinarum virginum caſtitas. 126.a.
Patauium quo anno vaſtatum ab Atyla. 552.a.
pater ex pœna filij magis torquetur. 827.b.
Patres, Senatores Romani dicti. 153. a.
patere legem, quam ipſe tuleris. 465.b.
patientia & Abſtinentia duæ virtutes vtiles. 191.a. hominem à communi hominum fece excipit. 192. a. Leæna meretricis in tormentis. 78. a. Socratis. 192.a.
patria eſt vbicunq; bene eſt. 486.b.
patria & apophthegmata ſeptem Sapientum. 786.b.
patricij qui apud Romanos. 153.a.
Patroclus quis. 673. a.b. quid allegoricè. 674.b. ſub falſis armis, typus diuitum. ibid.
Patulcius & Cluſius cur vocatus Ianus. 109.b.
Paturſa, lues Venerea. 844.b.
pauciloqui ſapientes. 115. a.
Paulinus Epiſcopus Nolanus campanarum inuentor falsò creditur. 90. b.
Paulus Æmilius centum ſexaginta elephãtos turritos Romam miſit. 535.a. Macedonum leges intactas reliquit. 111. a. Terentio Varroni cur adiunctus. 118.b.
Pauli Iouij locus, de Othone Vicecomite. 10. b.
pauper ob amorem Dei inclementer raſus. 713.b. vnde dictus. 521.a.
pauperis & egentis differentia. ibid.
Pauperes ne parenti quidem amici. adag. ibid.
paupertas onus graue. 521.a.b. vbiq; tuta eſt. 206.a.b. vnicum ſapientis incommodum. 521.b.
paupertatis ſymbolum lapis. 520.b.
PAVPERTATEM ſummis ingenijs obeſſe, ne prouehantur. 520.
Pauſanias inſolentia tumidus. 539.b.
Pauſaniæ locus, de armis Achillis. 165.b.
PAX. 734.
Pax redimenda. adag. 653.b.
pacis commoda quanta. 737.a.b. & 902 a. munera. 901 b. redempta ſigna. 738.a. ſymbolum, caduceus. 510.b. olea. xlvii. b. 132.a & 578.a. toga. 756.a.
pectis, inſtrumentum muſicum. 775.a.
pecunia anima & ſanguis hominibus. 555.b.
pecunia nothia qua. 602.a.
pecunijs non parcendum pro ſanitate. 654. b.
pecus aurea, cur à Cæſare appellatus Iulius Silanus. 808 b.
pedere, verbum obſcœnum. 35 b.
pedes leonini in Sphinge quid mythologicè. 801.b.
pedica. 439.b.
pediſſequa virtutis diuitiæ. xiv.b.
Pegaſus equus alatus. 82.b. Auroræ donatus à Ioue. ibid. famæ immortalitas allegoricè. 84. b. genus nauigij celerrimi.

mi ibid. vnde natus. 82.b. vnde ſic dictus. 84.b.
Pegaſi mythologia. ibid.
pelagus quid allegoricè. 703.a.
Pelecani auis pietas in ſuos pullos. 827.a.
Pella vrbs Macedoniæ, Alexandri patria. 12.b.
Pellena vrbs Achaiæ. 763.b.
Pellenæa tunica. adag. ibid.
pellex quæ, & vnde dicta. 244.a. & 455.a.
pellis aurei velleris quid. 716.a. leonina, Herculis thorax. 272.a. lupina in ouili ſuſpenſa, oues à paſtu arcere dicitur. 715.b.
pelles cuniculorum in Batauia. 206.a. murina. 205.b. & 206.a.
pellium vſus quando Romæ introductus. 350.a.
pelluuium. 177.b.
πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον. adagiū. 607.b.
Pelopides cur Epaminondam ſibi ſocium adiungit. 682.a.
pelta. 5.b. & 6.a.
πέμματα, bellaria. 199.b.
Penelope vnde ſic dicta. 839.b.
peniculus, vel Penicillus. 229.a.
penſum. 89.a.
Pentheus contemptor Diuum. 300.a.
penus, ſecunda, tertia, & quarta declinationis. 402.a.
Πῇ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. 101.
peplum, ſiue Peplus, quid. 42.b. curruum periſtroma. inſtratum equorum, velum Panathenaica nauis ſignificat. 43.a.
peplus Ariſtotelis quidam commentarius. ibid. frutex. ibid.
pepli origo. 43.a.
Peplo dignus. adag. ibid.
perdices ſupervolitantium marium afflatu concipere dicuntur. 88.b.
peregrinatio confert ad amorem declinandum. 492.a. Democriti. 648.a.
peregrinationis frequentis Alciati cauſa. xxvii.
Pergræcari. adag. 240.b.
pergula, quid. 526.b.
Periander quis. 787.b. bonus medicus, ſed malus poeta. 607.b. cum vxore mortua concubuit. 787.b.
Periandri Corinthij apophthegma, de regibus. 64.b. apophthegmata. 791.a.b. inſtitutum in ignauos. 361.b
Pericles Sophoclem reprehendit de curioſo aſpectu. 192.a.
Periclis apophthegma, de Bœotijs. 869.a. de continentia. 192.a.
Pericli concionāti noctua aduolauit. 113.a.
Periclymenus in varias formas mutabilis. 764.b.
pericula maris quanta. 704.a. nulla deterrent amantes. 477.a.
Perillus ſuo inuento interijt. 724.b. tauro incluſus pœnas dedit crudelitatis. 465.a.
peritia Chirurgi vnde dignoſcenda. 625.a. equitandi qua ratione Principi vtilis. 196.a.
per malum velle perditur bonum poſſe. 528.a.
pernicies auaritiæ quanta. 388.a. regum, delatoribus facilem aditum præbere. 93.a. vnde dicta. 170.a.
pernicitas quorundam aſinorum. 48.b.
perones quales calcei. 589.a.
Perpenna ob temeritatem caſus. 266.a.
Per publicam viam ne ambules. adagium. li.b.
Perſæ in conſilijs occulendis fidi. 75.b. ſeuerè animaduertunt in ingratos. 291.a. ſub Alexandro Seuero ſerui facti Romanis. 885.b.
Perſarum inſigne aquila aurea, Sol, & ignis. lvii.b. mos in arcanis Regis celandis. 75.b.
Perſea arbor alia à Perſico. 612.b. in Æthiopia lethalis, in Ægypto ſalubris. ibid.
Perſeus primus Perſicum in Ægypto creditur ſeuiſſe. 613.a.
Perſei inſigne, Meduſæ caput. lvi.a.
Perſica arbor ſacra Iſidi. 613.b.
Perſicum pomum in Perſide virulentum creditur. ibid.a. nota eius, qui in alieno cœlo fit melior. ibid.b.
Perſici ſymbolum Alciato aſcribitur à Iouio. 612.b.
pertinaces. 122.a.
Peſcennius Niger Veneris ignarus, niſi pro liberis procreandis. 192.b.
peſſum, vnde. 307.a.
peſtis patria. 170.a. vocabuli vſus & etymon. ibid.
petaſus quid, & vnde dictus. 5.b. marginatus. 643.a.
petaſi & pilei differentia. 642.a.
Petrarchæ locus, de Azone Vicecomite. 10.a.

Petronius Arbiter correctus. 206.b.
Petrus Bonus Ferrarienſis, excellens lyriſta. 62.b.
Petrus Paulus Venturinus Veronenſis, alter Fabius Pictor. 644.b.
Petri Aretini epitaphium. 249. b. *Vinea Campani miſer interitus.* 378.b.
petulantia amoru per Chimaram denotata. 83.b.
Phaethontis epitaphium. 265. b. *fabula.* 264. b. & 265.a. *mythologia.* 265.a. *ſorores in arbores mutatæ.* 265.a.
Phago comeſſator ſtrenuus. 391.b.
phalanx agmen militare. 73.b. *agmen vnde nomen traxit. ibid. animal, & de eo fabula.* 74.a. *internodium digitorũ. ibid.*
phantaſia quid. 307.a. *morbus. ibid.*
phantaſia & phantaſmatis differentia. ibid.
Phao Leſbius à Venere inter lactucas conditus. 342.a.
phari, quid. 68.a.
Phariſæi, & Eſſæi. 45.b.
pharmacopœius Taruiſinus argentum viuum in aurũ conuertit Venetijs. 810.b.
Pharos Harpocratis patria. 68.a.
Pharſalia quæ. 514.a.
Phaſis fluuius Colchorum. 346.b.
Phaſiaca dicta Medea. ibid.
Phidias ſtatuarius & pictor. 834.b.
ΦΙΛΑΥΤΙΑ. 305.
φιλαυτία quid. 307.a. *morbus maximus.* 308.a. *ſuperbi hominis.* 301.b.
φιλαυτίαν quæ vitia ſequantur. 309.b.
φίλαυτοι. adag. 307.a.
φίλαυτοι imperiti. 307.b.
Philemonis in Magum poetam clementia. 634.b.
Philetas ad miraculum macilentus. 280.a.
Philippides Comicus renuit ſcire arcanum Lyſimachi. 74.b.
Philippus Macedo ex inſolenti moderatus. 540.a. *inter fratres iudex electus, prædatorem egit.* 544.a.
Philippi Macedonis amor in quandam Theſſalam. 491.a. *ſcurra.* 257.a.
φιλοκολακία, vitium ſolenne. 197.b.
Philomela lingua caret. 314.b.
Philon Iudæus de cynomyia. 693.b.
Philonis de Moſe teſtimonium. 263.b.
Philoſophia Epicteti duobus verbis comprehenſa. 191.b. *Ethnicorum vana.* 518.b. & *Poeſis συγγενὴς.* 130.a.
philoſophiam pedeſtrem amplexari, quid ſit. 35.a.
philoſophi cæci veſpertiliones. 283.a. *φίλαυτοι.* 310.a. *qualia ſcrutentur.* 431.b. *veteres à Patribus correpti.* 34.b.
philoſophorum cum poetis comparatio. 27.b. *veterum ſimulatio.* 45.b.
φιλοσοφία. 827.a.b.
Philoxenus & Gnatho gulæ proceres. 392.a. *guloſus.* 389.b. *opum contemptor.* 653.a.
philtra noxia ſunt. 347.a.
Phineus Rex Odryſiæ, non Arcadiæ. 180.a.
Phinei fabula. ibid.
Phlegon Solis equus, vnde dictus. 265.b.
phocarum paſtor Proteus. 761.b.
Phocionis dicterium in Leoſthenem oratorem. 850.a.
Phœbus Apollo. 770.a. *in cœlo Sol, in terra Liber, apud inferos Apollo. ibid. vnde dictus. ibidem. vnde dictus Delphicus.* 777.b.
Phœbi mythologia. 770.a.
Phœbo ſacer cygnus. 769. b. & 770.a. *triplex poteſtas aſcribitur.* 770.a.
Phornuti locus, de Muſis palma coronatis. 199.a.
phrenes, quid. 413.a.
phrenetici qui. ibid.
Phryne fœmina pulcherrima. 446.a. *ob pulchritudinem in iudicio abſoluta. ibid. vt fucum mulierum detexerit.* 837.b.
Phryxi fabula. 806.b. & 807.a.
Phyllis in amygdalum mutata. 876.b.
pica Baccho ſacra, & cur. 144.a.
PICEA. 859.
picea arbor. 271.a. *cur plerunq; in monaſterijs feratur.* 860. a. *quinta cedri ſpecies,* 271.a. *ſymbolum illius, qui ſine prole perit.* 860. a. *ſucciſa non ſuccreſcit.* 859.b.
piceæ deſcriptio. ibid.a.
pictores olim rerum variarum periti 30.a.
pictura Chimæra 81.a.b. *encauſtica qualis.* 434.a. *eſt muta poeſis.* 30 b. *mirabilis in Paſauino prætorio.* 421. a. *Nemeſeos correcta.* 157.a.b. *Spei.* 228.a.
Picus cur in auem mutatus 339.b. *Saturni filius.* 338.b.
Pici fabula. ibid.
Pici Mirandulani locus, in Aſtrologos. 435. a.
Pierius Valerianus ſphingem ſe Veronæ vidiſſe teſtatur. 799.a.

Pietij

Pierij Valeriani epigramma in Framarianum ſcurram. 440. a. reſponſio ad Græcum quoddam epigramma. 149.b.
PIETAS filiorum in parentes. 828.
Pietas Æneæ in patrem. 829.a. Anapij & Amphinomi fratrum in parentes. 830.b. Arſinoes in liberos. 827.b. auari hominis qualis. 375.b. ciconiæ in parentes. 173.a. Cimonis Athenienſis in patrem. 830.b. Claudiæ Veſtalis in patrem. 831. a. Delphini in filios. 616.b. fratrum Siculorum in parentes. 903.a. mira filij erga patrem Iulium Manſuetum. 831. a. mortuos ſepeliendi. 900. b. Nicolai de Oddis. xvi. a. pelecani in pullos ſuos. 827.a. Plutonis iuuenis Pinenſis in patrem. 830.b. virtutum fundamentum. 175.b. vnde dicta. 173 b.
pietatis in parentes hieroglyphicum ciconia. 173.a. & 174.b.
pignora cariſſima liberi. 174.a. & 565.b.
Pignorij coniectura de illo. In ſinum ſpuere. 463.a. opinio, de dracone Palladis. 123.a. ſolertia & fides. 550.b. teſtimonium de locuſtis anni M.D.XLII. ibid.
pigritiæ & otij ſignum, deſidere. 358.a.
Pilatus iudex iniquiſſimus manus abluens. 177.a.
pileati agri. 643.b. conuiuæ. ibid. Dioſcuri. ibid. a. ſenes. 643.b.
pileus baptizatorum. 645. a. Doctorum. ibid. Græcorum. ibid. in ludis Saturnalibus vſitatus. ibidem. in militia. 643. a. in nummis. 645.a. in peregrinatione. 643.a. ſignum libertatis. 635.a.
pilei forma antiqua. 642.a. impoſitio. 643. a. vſus in ſacris. 642.b.
pileum gerebant liberti noui. 643.a.
pileis an veteres vſi. 642.a.
pilulæ medicinales καταπότια. xiv.b. cur auro obducantur. ibid. a. cur inuentæ. ibid.
pilularum differentia. xiv.b.
Pindarus ab Apolline adamatus 604.b. cygnus Dircæus dictus. 770.b. imitatione inacceſſus. 604.b. in gremio dilecti pueri mortuus. 605.a. lyricorum princeps. 604. b. quinquies à Corinna victus. ibid.
Pindari laus. 604.b. locus, de iynge. 894.b.
pinguedo enormis Dionyſij regis. 391.a.
penna, quid. 525.b.
pinus & myrtus mortis ſymbola. 851.b. pronaui. 858.a. qualis arbor. 538.b.
Pinus in morem. adag. 860.a.
Pipinus quomodo Rex Francorum creatus. 209. a.
piratæ cuiuſdam reſponſum ad Alexandrũ. ibid.b.
piſcari anguillas, quid. 384.a.
piſcis quid allegorice. 489.b.
piſces animalia ignobiliſſima. lv.b. an poſſint cicurari. 896.b.
Piſces & ſerpentum genus, quorum meminit Alciatus in Emblematis. Anguilla. 120.& 382. Anguis. 9.33.507.& 637. Aurata. 712. Cancri. 396. Cetus. 568. Chamæleon. 255. Concha. 60. Delphinus. 385.615.663.& 701. Dipſas. 438. Draco. 33.122.& 564. Echeneis. 116. Lacerta. 242. Limax. 363. Mullus. 608. Muræna. 817. Oſtrea. 401. Pulices. 270. Remora. 363. Sardæ. 712. Sargus. 333.& 608. Scorpio. 722. Serpens. 568. & 768. Stellio. 242. Teſtudo. 832. Vipera. 406.466.& 817.
Piſces magni paruulos comedunt. adag. 712.a.
Piſiſtratus Solonis æmulus. 788.a.
Piſo & Gabinius vulsurij paludati. 674.b.
Piſonis iniuſtitia. 730.a.
Pithecí pactum cum vxore. 817.b.
πειθὼ quæ. 688.b.
Pitho, id eſt, Suadela, à Gallis magna religione culta. 752.b.
Pittacus quis. 787. b. Amaſidi linguam mittit. 94.b.
Pittaci Mitylenæi apophthegmata. 792. a. b.
pityocampa, picearum eruca. 859.b.
placuit, eſt verbum Iuris 79.a.
plagiarius Ariſtoteles. xxx.
planta boni genij habita laurus. 884. a.
Plantæ, quarum paſſim in Emblematis Alciati incidit mentio. Amaranthus. 581. Apium. 848. Arundo. 438. Beta. 373. Carex. ibid. Eruca. 321. & 340. Farra. 548. Fœnum. ibid. Gith. 785. Gramen. 151. & 233. Lactuca. 340. Milium. 548. Moly. 758. Pulegium. 91. & 785. Rapum. 373. Spartum. 393. Spica. 742. Spongia. 630.
platanus arbor qualis. 564.a. vnde dicta. 565.b.
Plato animum cum auriga, corpus cum equis comparat. 262.b. animum harmoniam vocat. 62.a. animum in duas partes diuidit. 528. a. de amore licentius ſcri-

ſcripſit.455.b. & Xenophon æmuli.610. b. ex omni fabula aliquid boni elicit. 15.a. plantas animalia aſſerit. 201. a. qualem magiſtratum optet. 93.a. quatenus vinum laudat.133.a. ſoli Philoſophia incubuit. 368.a.
Platonis apophthegma de ignauis. 362. a. de regibus. 93. a. dictum, in Venerem maſculam.355.b. locus, de cygno ante mortem canente.771.b. locus, de philautia.308. a. locus, de pietate filiorum in parentes.830.a.b. locus, de Republica. 61.a.b. locus, de ſapientibus in mortuos. 656.b. locus, de ſpe. 236.b. modeſtia. 310.b. modus caſtigandi ſeruum. 288. a. ſcita de parentum cultu. 831. b. tumulus. 184.a.
Plauti laus.498.b. locus, de occultandis conſilijs. 74 b.
plebis concordia Principi neceſſaria. 208. b.& 209 a.
Pleiades quæ. 425.a.
Pleiadum mythologia.ibid. nomina.ibid.
Plinius negat Perſicum eſſe noxiam in Perſide. 613.a.
Plinij locus, de Ganymede. 29.a. locus, de geminis, Caſtore & Polluce. 226.a. locus, de iure imaginum apud Romanos. 591.a. ſententia, de Satyris. 322.a.
Plinij Secundi locus, de bono principe.617. a. b.
pluma Sphingis quid mythologicè. 801.b.
pluma aquilæ columbinas deuorant. 715.b.
plumis cur prædita Harpyia. 181.a.
plus amore, quàm vi efficitur. 453.b. cæteris dedit, qui ſine ſpe recipiendi dedit. 690.b.
plures ab amicis quàm ab inimicis opprimuntur.98.a. gula quàm gladio cadũt. 402.b.
Plutarchus tria iuuenibus habenda præcipit. 419.b.
Plutarchi locus, de arbore Perſico. 613.b. de Circe.339.a.b. de ira.730.a. de Leæna meretrice.77.a. de negotiatore auaro. 374.a. de Vlyſſis ſocijs in belluas mutatis.337.a. opinio, de Cecrope biformi. 36.b.
Pluto illacrymabilis. 241.b.
Plutonis, iuuenis cuiuſdam Pinenſis in patrem pietas. 830.b.
poculum aureum meretricis Babylonicæ, quid. 41.b.
poculis corneis vſi veteres. 142.a.
podagra filia Bacchi & Veneris. 134.a.
pœna adulterorum.238. a. furum. 171.a. inſania in eum lapſa, vnde manauit. 733.a. receptatorum. 254. a. ridicula Gallieni in impoſtorem.465.a. in Sodomitas conſtituta. 355. a. ſtellionatus nulla à legibus conſtituta. 243. a.
pœna pari puniuntur agentes & conſentientes. 726.a.
pœnas auaritiæ luit M Craſſus.375.b. garrulitatis dedit Tantalus. 371.a.
Pœni qui. 882.b. vnde orti. 153.a.
Poeſis eadem & Philoſophia. 28.a. eſt loquens pictura. 30.b. penè tota ænigmatis plena. 27.a.
poeſeos laus. 27.b.
Poeta vnde dictus. 30.b.
poetæ & Cygni comparatio. 768.a.b. ſenis hieroglyphicum cygnus. 772.a.
poetæ boni cygnis comparati, mali anſeribus.770.a. cur ſibi hederam tribuant. 883.b. cur Venerem ore roſeo loqui dicant.448.b. δαφνηφάγοι.867.a.et 883. b. laudis auidi.772.b. μετῶν ὄρνιθες. 770.a. nomine, re Philoſophi.28.a. non irritandi.693.a. Philoſophis haud poſteriores. 27. b. quem ad finem figmentis vtantur. 27. b. turpes inſidias pudori ſtruunt 494.b. turpiloqui notantur.ibidem. vulgo ſe faciliùs accommodant, quam philoſophi. 28.a.
poetarum inſignia, olor. 767.& 771.a.
poetis dicata hedera.866.b. laurus.883.b.
poetica figmenta triplicia. 27.a.
Polemon ad bonam frugem ſe recepit audito Xenocrate. 464.a.
πόλεμον, vnde deductum. 739.a.
polluti nefanda libidine citius ab apibus punguntur. 469.b.
Pollux & Caſtor. 226.a.
Polybij locus, de iure imaginum apud Romanos. 591.a.
Polydus Cerami filius augur. 155.a.
polygami. 324.b.
polyphagiam docuit deſperatio. 97.b.
Polyphemus ab Vlyſſe exoculatus. 719.a.
polyphemi hiſtoria. ibidem. mythologia. 721.b.
Polypi.adag. 397.a.
Pompeia Plotina quæ ratione gloriam Traiani auxit. 617.b.
Pompeius inuidos & detractores expertus. 320.a.
Pompeij ambitio. 266. b.& 267.a. annulus.

lus. lvi.b. cenotaphium. 574.a. gloria. 574.b. inſigne, leo enſem tenens. lvi.b.
Pompeium quomodo vituperarint obtrectatores. 320.a.
pomum Perſicum quid in hieroglyphicis. 613.b.
poma Heſperidum, vndecimus Herculis labor. 597.a.
poma legere, quid. 814.b. Perſica Æthiopes malo animo in Ægyptum miſerunt. 613.a.
pomus Perſica quomodo in Italiam venerit. ibid.
Pontici Heraclidis allegoria, de Ate & Litis. 563.b.
Popilius Lænas Ciceronis interfector. 169.a.
Popilij ingratitudo in Ciceronem ſuum patronum. 291.b.
poples. 191.b.
popularis conſenſus ſtabilimentum regum. 208.b. rebellio vnde ſæpe. 194.a.
populari aura veſci, quid. 256.a.
populus aut humiliter ſeruit, aut ſuperbè dominatur. 869.b. lenitate retinendus. 196.a.
POPVLVS alba. 886.
populus alba Herculi indigena ſacra. 886.b. temporis ſymbolum. 887.a.
populus arbor quare ita dicta. ibid.
populi albæ deſcriptio. 886.a. folia cur bicoloria 887.a. folia poſt ſolſtitium circumaguntur. ibid.
Porc. aries quid Mediolanenſibus portenderit. 22.b.
porcus elephanto inuiſus. 534.a.
porci natura. 233.a.
Porphyrio auis muliebris pudicitiæ obſeruatrix. 237.a.
porphyrionis forma. ibid. mira natura. ibid.
porphyrionum raritas vnde. 238.b.
porrigere & dare dextram, quid. xlix.a.
porrigere proprium eſt fœminarum, arrigere virorum. 355 a.
porta cœli anguſta. xv.a.
porta templi Iani ter clauſa. 109.b.
Portia vxoris M. Bruti mors. 513. b.
poſca quid. 93.b.
poſtes Romani ſpolijs hoſtium ornabant. lvi.a.
POTENTIA Amoris. 447.
potentia et vis amoris quanta. 449.a. Francorum, veterum ſuſpecta Romanis et Græcis. 700.b.
potentiorum mala non inquirenda. 74.b.
potentioribus pares eſſe nō poſſumus. 699.b.
POTENTISSIMVS affectus amor. 441.
præcepta tria, quæ ſtudioſo cuilibet obſeruari debent. 105.b.
Præcidere ſpem. 230.a.
præcones qui, & vnde dicti. 726.a.
præcoquus. 826.a.
præcox quid. 876.b.
prædicationis ſymbolum campana ſeu tintinnabulum. 89. b.
prædictio vana Angli diuinatoris. 435.a.
præeminentia doctorum virorum. 570.b.
Præfatio Emblematum Alciati. 1.
Præfatio Ioannis Thuilij in hanc Emblematum editionem. vii.
præfationis in Emblemata argumentum. 2. a.
præfecti & miniſtri principum. 50.b.
præmium vitiorum ignominia. 571.a.
præpes quid. 429 a.
præſagium Athanaſij de cæde Iuliani. 231. a. victoriæ laurus. 885.b.
Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris? adag. 296.a.
præſes matrimonij Iuno. 861. b. Medicorū Æſculapius. 640. b. Senatus cur cæcus eſſe debeat. 621.a.
præſidibus quæ munera capere liceat. 620.b.
præſidium firmum imperij, beneuolentia ciuium. 64.b.
præſidij & ſalutis ſymbolū, anchora. 616.b.
præſtigiatoribus & magis obſequia dæmonum noxia. 707.b.
præſtigium amoris præſtigio non pellitur. 347.a.
Prætexta toga qualis apud Romanos. 756.a.
prætexta patricia & plebeia differentia. ibid.
Prætor & iudex non idem. 177.b.
prætoris & ius dicentis differentia. ibidem. officium. ibid.
Prætus Argorum rex. 82.a.
prandia captare, quid. 543.b.
praſinus color veris ſymbolum. 506.b.
Praxiteles ſtatuarius. 140.a.
preces & deuotio auari. 376.a.
preces concipere. 50.a.
Premenda occaſio. adag. 626.a.
primas tenere non poſſunt omnes. 605.b.
Primum Aegina optimos pueros alit. adag.

adag. 607.b.
Primùm Mars in filijs laudatus eſt. *adag. ibid.*
Princeps æqualitatem tueatur. 850.b. *bonus, pater patriæ.* 636.b. *equorum domitori rectè comparatur.* 196. a. *quomodo tutus ſit abſq; ſatellitio.* 64.b.
P R I N C E P S ſubditorum incolumitatem procurans. 615.
P R I N C I P I S clementia. 632.
Principis boni officium. 745. a. *cuiuſdam dictum, de Senenſibus.* 284.a. *cuſtodia optima, amor.* 64.b. *doctrina debet prodeſſe omnibus ſubditis.* 110.b. *vera virtus, clementia.* 634.a.
Principes ab aſſentatoribus perditi. 195. a. *ambitioſi cum Phaethonte comparati.* 267. b. *fidei & fœderum violatores.* 536.b. *ſtulti & excordes.* 266.b.
Principum auarorum commentum. 631. b. *bonorum exempla.* 628. b. & 629. a. *Chriſtianorum vitijs auctum eſt Turcicum imperium.* 543. b. *conſilia occultanda.* 74. b. *conſiliarij.* 626.a. *eſt bene & malè audire.* 635. a. *lenitudo afflicti ſtatus ſolatium.* 636. a. *ludus periculoſus.* 740.b. *quorundam ambitioſorum miſera fortuna.* 266. a. *quorundam rapina.* 384.b.
Principibus dare conſilia, res ambigua alea. 195. b. *equitandi peritia quatenus neceſſaria.* 196.a.
principium omne à Deo ſumendum. 55.b.
principia optima quid præſtent. 546.b.
priſci ante vſum frumenti glandibus veſcebantur. 222.a. & 853.a.
Prius locuſta Lucam bouem pariet. *adag.* 535.a.
Priuſquam gallus iterum cecinerit. *adag.* 88. a.
Προβάτων ἦθος. *adagium.* 808.a.
Probi opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomelæ. 313.b.
proboſcis, ſiue Promuſcis, quid. 535.b.
procare quid. 256.b.
procacitas. 299.a.
procax, & Procacitas. 866.b.
Procopij Cilicis miſerrimus caſus. 266. a. *hiſtorici locus, de cupiditate habendi.* 295.b.
Procul ſpuere, ſignum eminentiæ. 463.b.
Proculus vna nocte decem captiuas virgines ſtuprauit. 324.a.
Prodere fidem. 277.b.
Prodigi. 253.a. & 327.b.
Prodigium ante mortem Cæſaris. 885.a.
Proditores patriæ. 247.b.
Proditorum fraudes. *ibid.* a.
Profeſſor apud Aueniouenſes Alciatus. xxvi.
Προγάστορες *qui.* 390.b.
Progne cur garrula vocetur. 314.a. & *Philomela Metamorphoſis.* 313.a.b. *Ityn filium trucidauit.* 826.a.
Prolytæ qui ſint apud Iuriſconſultos. 878.a.
Promachus vini certamine victor coronam meruit. 147.a.
Pro matula habere, quid. 692.b.
Προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα. *adag.* 429. a.
Prometheus Caucaſo alligatus. 430.a. *fœminam, ſceleſtum genus, inueniſſe putatur.* 427. b. *qua ratione fuerit a Caucaſo liberatus.* 429. a. *qua ratione hominem effinxerit* 429. b. *Rhetoricam communicauit mortalibus.* 427.b. *vnde dicatur.* 429.a.
Prometheus poſt res confectas. *adagium. ibid.*
Promethei ad Caucaſum alligati querimonia. 428. b. *fabula.* 427. a. *hiſtoria.* 428. a. *mythologia.* 427.a. *vultur, tormenta malæ conſcientiæ.* 430.a.
properare & Feſtinare vt differant. 876.b.
properata minus ſolida. 878.b.
Propertij locus, de nauigijs. 704.b.
Propheta nullus acceptus in patria. 614.a.
propinandi mos vnde ductus. 43.b.
propinare quid propriè. ibid. in alterius ſanitatem, mos prauus. 43. b.
Proprietates & cognatio Veneris & vini. 137.a. *occulta quæ.* 714.b.
propter, pro Propè. 539.a.
Προσέληνοι *cur dicti Arcades.* 588. b. & 589.a.
Πρόσω καὶ ὀπίσω. *adagium.* 209. a. & 891. b.
Proſperi Columnæ ſymbolum, rami duo complicati. lix.a.
Proteruitas hominum in vitijs notandis. 407.b.
Proteus quis. 761 a. *aer, interpreti Arati, ibidem.* b. *Buſiris tyrannus, Valerio Probo.* 763. b. *cupiditas animi humani, Clementi Alexandrino.* 762.b. *diuinator, Tzetzi.* 763.b. *homo inconſtans, Baſilio, ibidem.* a. *informis materia, Heraclidi.* 762.b. *in varias formas*

mutabilis. 764.a. *magus quibuſdam* 763.b *materia prima Heraclidi*. 761. b. *nauta, Luciano*. 763.b. *orator, alijs. ibid*.a. *paſtor phocarum*. 761.a. *Philoſophus, Tzetzi*. 763.b. *quid ſignificet phyſicè*. 761.b. *ſaltator, Luciano*. 763.b. *ſapientiæ occultator, Iamblicho. ibidem*. a. *ſophiſta, Platoni ibid. vates plerisque ibidem*. b. *veritatis ſymbolum*. 766.a. *vir artium peritus, Diodoro Siculo*. 761. a.

Protei etymon. 765.b.

Proteo mutabilior. *adag*. 763.b.

Prouerbia, quæ in toto opere vndique obuia ſunt. Abderica mens. 67.b. Acanthia cicada. 777. b. A carceribus ad metam. li. b. Ad Cynoſarges. 601. a. Ad finem vbi perueneris, ne retrouertare. li. a. Ad fractam canis. 777. b. Ad nuces redire. 2. b. Adorato circumactus. lv. a. Adoraturi ſedeant. *ibid*. Adraſtia Nemeſis. 162. b. Aduerſus Solem ne loquitor. lii. b. Aduerſus Solem ne meijto. *ibid*. Aegroto dū anima eſt, ſpes eſt. 219.b. Aethiops non albeſcit. 274.a. Aethiopem dealbare. *ibid*. A fabis abſtineto. l.b. A fronte & à tergo 109. a. & 891.b. A gallo candido abſtineas. liii.b. Aiacis riſus. 732.a. *Αἲξ Σκυρία*. 606.a. Alaudæ in nido latet gramen. 153.b. Alcedonia ſunt apud forum. 745. a. Ale luporum catulos. 254.b. Aliquid mali propter vicinum malum. 181. a. & 700. b. Aller leut freund, iedermans Geck 101 a. *ἀλλοτριοφάγοι* 397. b. Alter Ianus. 109. b. Alterum pedem in cymba Charontis habere. 660.a. Ama tanquam oſurus, oderis tanquam amaturus. 98. b. Anchora domus. 616.b. Anchoram ſacram ſoluere. *ibidem*. Anchoris duabus fultus. 617.a. Anguilla in ſtrigmento. 121. a. Anguillas captare. 383. a. Anima ſicca ſapientiſſima. 138. a. Annoſam arborem tranſplantare. 853. a. Ante barbam doces ſenes. 876.a. Ante myſteria diſcedere. 49.a. Antequam incipias conſulto. 116.a. *ἀντιπελαργεῖν*. 173. a. Apio opus eſt. 850. a. A piſcibus abſtineto. lv.b. Aquam bibens nihil boni paries. 134. b. Aquila in nubibus. 604.a. Aquila nō captat muſcas. 693. a. Arbore deiecta quiuis colligit ligna 656.a. Arbuſtum vnum non alit duos erithacos. 400.a. Archilochia edicta. 248. b. Archilochum calcare. *ibid*. Archilochum terere *ibid*. Archilochi patria. 248.b. Aries nutricationis mercedem perſoluit. 290.a. Arctum annulum ne geſtato. xlix. a. Aſinus portans myſteria. 49. a. Aſinus ſtramina mauult quam aurum. 375. a. Aſſidua ſtilla ſaxum cauat. 425.b. Athenienſium inconſulta temeritas. 113. b. Audi Chelidonem. 421. a. Aues quæris 293.b. Aureę compedes. 377. b. & 378. a. Auris Batauа. 607. b. Aurum habet Toloſanum. 545.b. Aut regem, aut fatuum naſci oportere. 267. b. Batti Silphion. 381.b. Beccefelenus. 589.a. Bellerophontis literas. 81. b. Beta inſipidior. 375.a. Bibe quinque aut tres, aut ne quater. 146.a. Bis dat qui citò dat. 689. b. Bœotica auris. 781. b. Boni viri lacrymabiles. 241.b. & 647.b. *Κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη*. 720.b. Calceos mutare. 588.a. Callipedes. 367.a. Canina victitans cynocephalum oppugnas. 750. b. Canis feſtinans cæcos parit catulos. 877. a. Canis ſæuiens in lapidem. 729.a. Cantus coccygis. 277. a. Capere crines. 526. a. Capra gladium. 723. b. Capra Scyria. 606. a. Caput vacuum cerebro. 806. b. Cauda tenes anguillam. 121. a. Caſſioticus nodus. 508. a. Ceram auribus obdis. 495.b. Ceruinus vir 252. b. Chamæleonte mutabilior. 256. a. Charybdim fugiens incidi in Scyllam. 302. b. Chœnici ne inſideas. xlviii. b. & 361. a. Chironium vulnus. 624. a. Chordæ vice. 777. b. *χρυσαῖ πέδαι*. 377. b. Cibum in matellam ne immittas. li. a. 354. a. & 361.a. Cicadam ala corripuiſti. 693. a. Cicada vocalior. 748. b. & 777. b. Cicadis pleni. 587.b. Clamoſior lauro ardente. 882. a. Clauam extorquere Herculi. 171.b. Clauum clauo pellere. 463.b. Colubrum in ſinu fouere. 290. a. Columnas rumpere. 407. a. Communis Mercurius. 171. b. & 427. b. Concordia fulciuntur opes etiam exiguæ. 208. b. Contorquet piger funiculum. 394.a. Copiæ cornu. 509.b. Cor ne edito. xlix. b. & 318. a. Cor-

nix ſcorpium. 723.b. Cornicum ocu
los configere. 208.a. Cornicibus viua
cior. *ibidem.* Coronam ne carpito liii.
a. Coruus ſerpentem 723.a.b. Cor
uum deluſit hiantem. 674. a. Crater
litium. 43. b. Cuculus. 276. a. Cu
miniſector. 375. a. Cum laruis lucta
ri. 655. b. & 729. a. Cum ſis nanus, ce
de. 272. b. Curſu lampada trado. 427.
a. Cyclops excæcatus. 721. b. Cy
clopis domum. 720. a. Cygnea can
tio. 771. b. κύκνειον ᾆσμα. *ibidem.*
Cypariſſi fructus. 850. a. Daulia cor
nix. 314. a. b. Decipula murem ce
pit. 405. a. De curru delapſus. 282. b.
Delphini in terra vis. 702. a. Δελφῖ
νος ἐν χέρσῳ βία. 702. a. Deum ſe
quere. 54. a. Difficilia quæ pulchra.
150. a. 566. b. & 759. b. Dodonæum
æs. 89. b. Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυ
λεύεται 656. a. Dulce & amarum. 467.
b. & 872. a. Duobus pariter euntibus.
217. a. Duos inſequens lepores neu
trum capit. 295. b. δύσκολα τὰ κα
λά. 150. a. ἔχει καὶ ἡ μυῖα σπλῆνα,
ἔνεστι καὶ μύρμηκι χόλος. 711. a. Epi
ſcythizare. 146. a. & 424. b. Equum
habet Seianum. 545. b. Ergini cani.
876. b. Et muſca ſplenem habet, &
formica bilem. 711. a. Exitij nulla ra
tio. 262. b. Expedit habere plura co
gnomina. 54. a. Fæcem bibat, qui vi
num bibit. 468. a. Feſtina lentè. 116. a.
b. 364. a. 569. b. 615. b. & 878. b. Fidu
cia pecunias amiſi. 92. b. Figulus figu
lo inuidet. 610. b. Finem vitæ ſpecta.
670. b. & 788. a. Folio ficulno anguil
lã. 121. a. b. Γαλῆν ἔχεις, 545. a. Gi
gantis fraterculus. 38. a. Glaucus co
meſa herba habitat in mari. 155. b.
Γλαὺξ ἵπταται. 113. a. Γοργὸν βλέπειν.
665. a. Græca fides. 240. b. Grues
lapidem deglutientes. 104. a. Habenas
ignarus non tractet. 267. b. Harmo
dii cantilena. 78. b. Hedera poſt Anthi
ſteria. 868. b. Hedera laſciuior. 866. b.
τὶς ἀνήρ; οὐδεὶς ἀνήρ. 218. b. ἕπου Θεῷ.
54. a. Herculei labores. 595. a. Her
cules aduerſus duos. *ibid.* ὅρμαθον. 53.
b. Hermoſi in campum. 276. a. He
roum filii noxæ. 824. a. Heteropolia
cauſa. 697. a. ἑτερομόλιος δίκη. *ibid.*
Hirũdinem ſub eodem tecto ne habeas.
lii. b. 315. a. & 748. b. ὁ ἑρμῆς ἱππεύ-
λαύνειν. 54. a. Homo homini lupus.
84. a. Hoſtium munera non munera.
706. a. Humi ſerpere. 604. a. Hy
dram ſecas. 595. a. Iapeto antiquior.
477. b. Ignem gladio ne fodito. xlix.
a. Inanis conatus. 695. a. Inanis im
petus. 531. a. In annulo Dei figuram
non geſtato. liii. a. In apes irruiſti.
468. a. Incidit in Scyllam, qui vult
vitare Charybdim. 303. b. Incus ma
xima non metuit ſtrepitus. 222. a. In
oleribus piper. 94. a. Inter Orci can
cros adhærere. 121. b. In tuum ip
ſius ſinum inſpue. 463. b. In via ne ſe
ces ligna. liv. b. Ira omnium tardiſſi
mè ſeneſcit. 562. a. Irritare crabro
nes. 149. b. Iugulare mortuos. 655.
b. Iyngem habet. 345. b. Iynge tra
hor. 344. b. Iynges. 345. b. Labyrin
thus. 406. b. Latinum verbum. 535.
a. Larus hians. 390. a. b. Larus in
paludibus. *ibidem* b. Larus parturit.
ibid. Leo chordula vinctus. 377. b.
Lerna malorum. 595. a. Lippo oculo
ſimilis. 610. a. Lolio victitant. 282. b.
Longæ regum manus. 631. a. Lotum
guſtauit. 485. a. Lupus pilum mutat,
non animum. 290. a. Luſciniæ deeſt
cantio. 314. a. Lutum ſanguine mace
ratum. 607. b. Lydio more. 467. b.
Lydus cauponatur. *ibid.* Lydus in me
ridie. *ibid.* Lydus oſtium clauſit. 467.
b. Lydorum caricæ. *ibid.* Malè con
iugati. 845. b. Malum conſilium con
ſultori peſſimum. 720. b. Malo acce
pto ſtultus ſapit. 163. a. & 230. b. Ma
lorum meminiſſe. 578. a. Malis feri
re. 814. a. b. Mandrabuli in morem
res ſuccedit. 234. b. & 607. b. Manus
manũ fricat. 682. a. Manũ habere ſub
pallio. 358. b. Manu ignauus, men
te præſens. 802. b. Maritimi mores.
703. a. Matris vt capra 277. b. Me
garicæ ſphinges. 803. b. Mercuria
le. 53. b. Mercurius bifrons. *ibidem.*
Mercurius ſuperuenit. 54. a. Mer
curio dextro. 53. b. Mergorum in
ſtar. 712. b. Mors optima rapit de
terrima relinquit. 663. b. Mortuo
leoni & lepores inſultant. 655. b.
Mortuis non conuiciandum. *ibidem.*
Mortuos rurſus occidere. *ibid.* Mu
lieris podex 394. b. & 395. b. Mulie
rem ornat ſilentium. 835. a. Mul-

tæ manus reddunt onus leuius. 682. a. Multa belli inania. 531. a. Multa inter calicem ſupremaque labra. 559. b. Multa inter os & offam. *ibidem*. Multorum feſtorum Iouis glandes comedit. 853. a. Munerum corruptela. 509. a. Mus albus. 349. a. b. Mus picem guſtans. 403. b. Muſcas depellere. 693. a. Muſtelam habes. 545. a. Mutabilior Metra Eriſichthonis. 764. b. Myrtili clypeus. 685. a. Nec ſibi, nec alijs vtilis. 358. b. Ne cuiuis dexteram inieceris. xlix. a. & 93. a. Ne deguſtaris ex ijs, quibus eſt nigra cauda. xlvii. b. Ne libes Dijs ex vitibus non amputatis. liv. b. Ne malorum memineris. 577. b. Neoptolemi vindicta. 465. b. Nemo cantat ſobrius. 149. a. Nemini fidas, niſi cum quo prius modium ſalis abſumpſeris. 92. a. Ne patris quidem nomen dicere poſſit. 601. b. Ne quære mollia, ne tibi dura contingant. 468. a. Neque mel, neq; apes. *ibid.* & 759. a. Ne quid nimis. 118. a. & 787. b. Neronis quinquennium. 607. b. Ne ſacrificato ſine farina. liv. b. Neſtorea ſenecta. 140. b. Niobes mala. 297. b. Noctua volauit. 113. a. b. Noctuæ Laurioticæ. *ibidem*. Noctuas Athenas. *ibid.* a. Non abſq; Theſeo 682. a. Non eſt Dithyrambus, ſi bibat aquam. 134. b. Noſce teipſum. 524. b. 787. a. & 800. a. Noſce tempus. 528. b. Nucibus indulgere. 2. b. Nunc tuum ferrum in igne eſt. 24. a. Nunquam à nucibus recedere. 2. b. Obtrudere palpum. 195. a. Ocimum ſerere. 250. a. Ocni funiculum torquet. 394. a. Oculis magis habenda fides quam auribus. 93. b. Odi puerulos præcoci ſapientia. 876. a. Officere luminibus. 181. a. ὀλέθρου οὐδεὶς λόγος. 262. b. Oleum & operam perdere. 132. a. Oleum ferre in auriculam. liii. b. Ollæ amicitia. 253. a. Ollæ veſtigium in cinere confundere. lii. a. Omnibus anteuertenda vitæ cura. 654. a. ὄνος ἄγων μυστήρια. 49. a. Oſce loqui. 382. b. Os infræne. 262. b. Ouium mores. 809. a. Palmam ferre. 199. a. Panem ne frangito. liv. a. Panicus caſus. 531. a. Pauperi ne parentes quidem amici. 522. a. Pax redimenda. 653. b. Pellucida tunica. 763. b. πηλὸν αἵματι συμπεφυρμένον. 607. b. Peplo dignus. 43. a. Pergræcari. 240. b. Per publicã viam ne ambules. li. b. φίλαυτοι. 307. a. Pinus in morem. 860. a. Piſces magni paruulos comedunt. 712. a. Præſentem mulge, quid fugientem inſequeris? 296. a. Premenda occaſio. 526. a. Primum Ægina optimos pueros alit. 607. b. Primũ Mars in filiis laudatus. *ibidem*. Prius locuſta Lucam bouem pariet. 535. a. Priuſquam gallus iterum cecinerit. 88. a. προβάτων ἦθος. 808. a. Prometheus poſt res confectas. 429. a. προμηθεὺς μετὰ τὰ πράγματα. 429. a. πρόσω καὶ ὀπίσω. 109. a. & 891. b. Proteo mutabilior. 763. b. Pſecas, aut ros. 407. a. Pudor in oculis. 840. a. Pulchre fallit vulpem. 246. b. Pygmæo breuior. 271. b. Pygmæorum acrothinia coloſſo adaptare. *ibidem*. Polypi. 897. a. Quæ ceciderint, ne colligito. liii. b. Quæ fero contingunt, ſed magnifica. 566. a. Quæ vncis ſunt vnguibus, non nutrienda. lii. a. *Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem*. 759. a. Quo tranſgreſſus? 103. a. & 104. b. Quot capita, tot ſenſus. 506. a. Reddidit Harpocratem. 68. b. Relinquere nuces. 2. b. Rhamnuſia Nemeſis. 235. b. Riſus Sardonius. 788. b. Salem apponito. liv. a. Salem & menſam ne præterito. *ibidem*. Sapiens non eget. 595. b. Sardi venales. 788. b. Sartaginum pernicies. 398. a. Scarabæus aquilam quærit. 619. a. & 710. a. Scorpion pro perca. 723. a. Scorpius ſub omni lapide. *ibidem*. Sedens columba. 146. b. Sellam oleo ne abſterſeris. liii. a. Senem vel nolentem vinum ſaltare compellit. 140. b. Sera in fundo parſimonia. 8. b. Seruatori tertius. li. b. Simonidis cantilena. 689. a. Σιμωνίδου μέλη. *ibidem*. Si vultur es, cadauer expecta. 674. b. Spes alunt exules. 729. a. Spes ſeruat afflictos. *ibidem*. σπεῦδε βραδέως. 117. b. Sphingis ænigmata diſſoluit. 802. b. Sponde, noxa præſto eſt. 789. a. Stateram ne tranſilias. xlviii. a. Stragula ſemper circumuoluta habeto. liii. a. Sub tunica & ſinu. 358. b. Superis impari numero, inferis pari ſacrificandum.

dum. li.b. Surdo oppedere. 696. b. Surgens è lecto veſtigium corporis confundito. lv. a. Suſtine & abſtine. 191. a. Suum cuique pulchrum. 307. a. Suo ipſius laqueo captus. 723. b. τὰ γὰρ χαλεπὰ τὰ καλά. 759. b. Talanta audire. 526. a. Tantali lapis. 371. a. Tantali pœna. *ibidem*. Tantali talenta. *ibid.* Temeraria mala. 465. b. Temporis punctum. 525. b. Tenuis ſpes. 400. a. Terræ filius. 58. a. & 587. a. τῆς μητερὸς ὡς αἴξ. 277. b. Thymbra victitans. 94. a. Thraſybulo Dionyſium ſimilem eſſe dicitis. 577. b. τὸ ἐν λαχάνοις πέπερι. 94. a. Tollenti onus auxiliare; deponenti nequaquam. lii. a. τῷ δρίῳ τὴν ἐγχέλην. 121. a. τρικέφαλος ἑρμῆς. 53. b. Triceps Mercurius. *ibidem*. Tuo te gladio iugulo. 541. b. Turdus ipſe ſibi malum cacat. 439. b. Turdo ſurdior. 439. b. Tutum ſilentij præmium. 69. b. & 71. a. Vbi mel, ibi fel. 783. b. Vbi quis dolet, ibidem & manum habet. 610. a. Vbi vber, ibi tuber. 783. b. Vento viuere. 256. b. Ver hyemem ſequitur. 422. b. Vertumno inconſtantior. 764. b. Veſpertilio. 283. a. Vinum caret clauo. 151. b. Vinum ſenem etiam nolentem ſaltare facit. *ibidem*. Vlulas Athenas. 113. b. Vna domus non alit duos canes. 400. a. Vna hirundo non facit ver. 421. a. Vnguium crinium que præſegmina vrina non inſpergenda. lii. a. Vnica ſcutica impellit omnes. 443. a. Vnus homo nullus homo. 682. a. Vnus vir, nullus vir. 218. b. & 682. a. Vrſus cum adſit, veſtigium quæris. 729. a. VVer ſchmiert der fahrt. 178. b.

PRVDENS magis quàm loquax. 111. a.

prudentis cum moro analogia. 880. b. *eſt, præterita noſſe, futuris verò prouidere*. 108. b.

PRVDENTES. 108.

prudentes curis macerantur. 430. a. *pauciloqui*. 69. a.

PRVDENTES vino abſtinent. 135.

prudentia ciuilis apud Romanos. 110. b. *in Cæſaribus Chriſtianis*. 111. a.

Prudentia hieroglyphicum grus cum lapillo deuictus. 403. b.

Pruina vnde dicta. 205. b.

Pſalterium, inſtrumentum muſicum. 774. b.

Pſammetichus primus menſis vinum adhibuit. 147. a.

Pſecas aut ros. *adag.* 407. a.

Pſecas quid. *ibid.*

Pſeudochriſtiani. 45. b.

Pſeudoſophi. *ibid.*

Pſittacus loquacior fit ſi vinum bibit. 133. a.

Ptolomæus Euergetes cur φύσκων dictus. 390. a. *Philadelphus à Theocrito laudatus*. 371. b.

Ptolomæi dicti omnes reges Ægypti. 715. b.

Publicꝫ nummus. 769. a.

publica non turbanda. liv. b.

Publicus morbus mortalitas. 888. a.

P. Mænius ſeuerus pudicitiæ vindex. 127. a.

pudendagra, lues Venerea. 844. b.

PVDICITIA. 236.

pudicitia priſcarum matronarum. 238. b. *propria virtus mulierum*. 841. b. *Spartanorum*. 238. a. b.

pudicitia inſignia. 236.

pudicitiam oſculo delibari, creditum veteribus. 127. a.

pudor eſt fæminis nuptiarum præmia non habere. 827. b.

Pudor in oculis. *adag.* 840. a.

pudoris hieroglyphicum veſtis purpurea. 42. a. *ſtatua ex nummis*. 838. b.

pudori inſidias parant poetæ turpiloqui. 494. b.

puella patrimonij aliena depaſtrix καλαμαία μάντις dicta. 551. a. *quæ dicatur*. 813. a.

puella ſæpe tumulo conduntur, quæ thalamo erant addicenda. 661. a.

puellas cuſtodiendi difficultas. 125. a.

puer vno ictu lapidis triginta fecit viduas. 88. a.

pueri quibus luſibus delectentur. 2. b. *virgas adurunt, quibus plexi ſunt*. 729. b.

pueritiæ noſtri ſæculi mores. 408. a. b.

Pulchrè fallit vulpem. *adag.* 246. b.

pulchritudo res diuina. 446. b. *triplex tribus ſenſibus percepta*. *ibid.*

pulchritudinis commendatio. *ibid.* *varia variorum appellationes*. 445. b.

pulegium & eius vires. 93. b. *vinolentiæ contrarium*. *ibid.*

pulegij facultates. 787.b.
pulla veſtes cur in funeribus adhibeantur. 500.b.
pullus color qualis.ibid. mæroris ſignum. ibid. a.
pupus & Pupa,pro puero & puella. 876. b.
pura veſtis,quæ. 502.a.
pura manus. 178.a.
purpura honoris ſignum. 58.a. *inſigne imperatorium.ibid.b. ornatus regius.* 42. a. *pro magiſtratu.* ibid.b.
purpura inuentio. 58.b.
purpureus color quid ſignificet. 502.a.
puſio. 442.b.
putare. 314.b.
Pygmæo breuior.adag. 271.b.
pygmæi qui,& vnde dicti. ibid.
Pygmæorum acrothinia coloſſo adaptare. adag. ibid.
Pygmaeorum contra Herculem expeditio. 271.a.
Pylius ſenex Neſtor. 140.b.
Pyramides in tumulis collocata. 573.a.
Pyrois equus Solis vnde dictus. 265.b.
Pyrrhus ab Antigono luſori imperito comparatus. 295 b. *Aquila dictus.* 189.a.
Pyrrhi Anglebermai epitaphium. 513.a. *Epirotæ clementia.* 634.b. *habendi cupiditas.* 295.b.
Pythagoricum ſilentium. 70.b.
Pythagoras. 104.a. *gallos albos ſuos fratres germanos ſalutabat.* liv. a. *primus μετεμψύχωσιν inuenit.* 104.a. *quem verſum ſuis auditoribus commendauit.* 103.a. *Samius.* 361.a. *ſobrius.* 95.b.
Pythagoræ apophthegma,de ſobrietate.ibid. de vſu Veneris. l.b. *aurea carmina.* 103. a. *laus.* xlvii.b. *ſymbola pro oraculis habita.* 361.a.
Pyxis Pandoræ fallax. 707.b. *quale vaſculum.* 874.a.

Q.

QVÆ Dij vocant, eundum. 52.
Quadrans. 146.a.
quadratum ſaxum cur termino conueniēs. 670. a.
Quæ ceciderunt,ne collígito. *adag.* liii.b.
Quæ homini ſuo ex animalibus admiſcuerit Prometheus. 429.b.
Quę ſerò contingunt,ſed magnifica.*adag.* 566. a.
QVÆ ſupra nos,nihil ad nos. 426.
Quæ vncis ſunt vnguibus non nutrienda. *adag.* lii.a.
Qualitas quercus arboris. 222.a. *virtutis.* 460.b.
Quantum aſtronomi metiuntur, tantum aſtrologi mentiuntur. 437.b. *debeamus parentibus.* 174. b. *proſit inſpectio ſui.* 107.a.
Quartilla Petroniana libido. 324.b.
Quatere terram pedibus,quid. 471.a.
quatuor abeunt irreuocabili tranſitu. 128. a. *ad punitionem mali parata.* 159. b. *anni temporum ſymbola.* 420. a.b. *elementa,totidem Deorum nominibus intellecta.* 27.a. *in conuiuijs requirit Bacchylides.* 134.a.
QVERCVS. 852.
Quercus hieroglyphicum fortitudinis & firmitatis. 222.a. *inter felices arbores prima.ibid. Ioui ſacra.* 221. b. & 853. a. *ſalutis ſymbolum.* 852.b.
quercus deſcriptio. ibid.a.
Querela Auguſti,de filiabus & vxore. 821. a. *Iudaeorum,de Herode.* 389.b. *Mammeæ Imperatoris,de adulatorum turba.* 197.a. *Martialis,de cerdone ditato.* 51. b. *puellæ,de inhumano patre.* 842.a. *Seueri Cornelij ſuper morte Ciceronis.* 169. a.b. *Theocriti, de Gratijs ſuis indotatis remiſſis.* 689.a.
querela maritorum de vxoribus. 821.a. *varia de fortuna varietate.* 508.b.
QVI alta contemplantur,cadere. 438.
Qui à patria ſua malè tractati fuerint. 703. a. *dat inuitus, nihil dat.* 693. b. *Deo chariſſimus,idem et beatiſſimus* 32. a. *fugit molam,fugit farinam.* 362. a. *monet,quaſi adiuuat.* 728.a.
Qui è nuce nucleum eſſe vult, frangat nucem.*adag.* 759.a.
qui dicantur à Deo rapi. 32. b. *non poſſint ingredi per anguſtā cœli portam.* xv.a.b.
Quidam malè ab aulicis tractatus,facetè. 713.b.
quid cogitandum viuenti. 671.a. *ex floribus diſcendum.* 222.b. *per leonem Ægyptij deſignabant.* 89.b. *per Prometheum Caucaſo alligatum intelligatur.* 430.a.
Quinque ſpectanda in ſymbolis inueniendis. lxi.a.
quinquennium Neronis laudabile. 365.b. *ſtudioſis Iuris præſtituum.* 878.a.
quinta Luna naſci inauſpicatum habetur. 38.b.

Qu: Antiſtiui vxorem repudiauit, & cur. 126.b.
Quintilianus ſua ſcripta de Rhetorica correxit. xxxiii.
Quisquis, pro Quiuis. 49.b.
Q V O D non capit Chriſtus, rapit fiſcus. 630.
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. 465.b.
Quomodo à turpi amore cauendum ſit. 335.a.b. aliquis ſe ipſo melior euadat. 106.b.
Quò transgreſſus? adag. 103.a. & 104.b.
Quot capita tot ſenſus, adagium. xxx. & 506.a.
Quotidie morimur. 662.a.

R.

RAbula quis. 404.a.
Rabulæ forenſes. 305.a. & maledici conuitijs certant. 893.a. ſunt vultures togati. 544.b.
Rabularum forenſium mores. 404.b. varia agnomina. ibid.
Radix deſperationis ignauia. 514.b.
Ramum lauri ferebant manu triumphantes. 883.a.
Rana Mæcenatis ſymbolum. lvii.b.
Rapacitatis hieroglyphicum miluus. 555.a.
Rapi à Deo qui dicantur. 32.b.
Rapina. 304.b. quorundam principum. 384.b.
Raptus. 304.b. & rapinæ diſcrimen. ibid.
Rapto & fraude viuentes. 555.b.
Ratio docendi apud Ægyptios triplex. xlvi.b. imaginum apud veteres. lx.a. legis Talionis. 464.a. manumittendi triplex. 644.a.b. moſchi colligendi apud Chinenſes, & in regno Perù. 350.b. ſubmouenda ignorantia. 902.b.
Rauca vox qualis. 404.a.
Rebellio vnde oriatur. 194.a.
Receptatores ſicariorum & ganeorum. 253.a.
Reciprocare. 256.b.
Reddidit Harpocratem, adag. 68.b.
Redemptionis humanæ modus. 645.b.
Regina auium aquila, & Iouis ales. 50.a.
Regium eſt malè audire cum bene feceris. 635.a. nomen Romanis inuiſum. 42.b.
Regni hieroglyphicum ſceptrum. 208.a.
Regna & Amor non patiuntur ſocium. 400.b. magna, magna latrocinia. 209.a.
Religio falſa quæ. 41.a. falſa meretrici comparata. 42.a. ſepulchrorum & monumentorum. 575.b. ſine ſapientia ſuperſtitio eſt. 39.a. ſola homines à belluis differentes facit. ibid. vera, cum virgine confertur. 42.a.
Relinquere nuces, adag. 2.b.
remedium aduerſus ſenectutem, vinum. 193.b. efficax contra amorem, labor & exercitatio. 347.a.b. glorioſulorum, ſcutitum aſpicere. 443.b. lepidum pro oculis Accij Sinceri. 319.a. peccati mora et deliberatio. 119.a.b. & 881.a.b.
remedia ex ſerpente varia. 640.b.
R E M E D I A in arduo, mala in prono eſſe. 650.
remora. 895.a. hieroglyphicum tarditatis & impedimenti. 117.a. & 364.b. qualis piſcis. 116.a. tarditatis ſymbolum. 117.a. vis. 363.b.
reprehenſio Aſtrologorum. 440.b.
requiſita ad perfectam eloquentiam. 760.b.
res bonis auſpicijs inchoanda. 862.a. magni laboris, ſuadere principi quod oportet. 196.b.
Rei gerendæ facultatem omittere, dementia eſt. 528.a.
rem turpem turpia verba decent. 35.b.
Res aduerſæ ſtatim accedunt, tardè recedunt. 563.a.
Rerum omnium viciſſitudo & interitus. 666.a.b. & 889.b. quarundam occulta proprietates. 715.a.
reſponſum argutum adoleſcentis ad quendam ſenem. 878.b. cordatum Simonidis, de Deo. 431.a. Eraſmi ad Caruaialum. 672.a.
R E S P V B L I C A liberata. 641.
reſpublica naui comparata. 225.a.b.
reipublicæ cum lyra comparatio. 61.a.
reuerentia debetur thalamo. lv.a.
R E V E R E N T I A M in matrimonio requiri. 817.
rex apum caret aculeo. 633.a. iuſtus qui populi conſenſu regit. 209.a. olim vpupa. 314.b.
regis arcana qui ſciunt, debent imitari armaria. 75.a. munus. 899.b. optimi typus. 110.b. prudentis hieroglyphicum ſerpens caudam mordicus tenens. 11.a.
reges Ægyptij metu denegatæ ſepulturæ coercebantur. 575.a. Ægyptij omnes Ptolemæi dicti. 715.b. Iudæorum oleo inuncti, cur. 136.b.

Regum Angliæ inſignia. lix. b. *Gallorum antiqua inſignia.* ibid.
Rhamnuſia Nemeſis. *adag.* 235.b.
Rhamnuſia ſeu Nemeſis ſcelerum vindex. 158.a. *vnde ſic dicta.* 231.b.& 232.a.
Rhea quid mythologicè. 27.a.
Rhea cum Marte concubitus. 14.a.
Rheginenſes cicadæ cur mutæ. 775.a.
Rhemnius Palæmon M. Varronis æmulus. 610.b.
Rhemnij Palæmonis arrogantia. 310.a.
Rhodij cuiuſdam apophthegma, de ſpe. 230.a.
Rhœteum oppidum & promontorium Troiadis. 582.b.
riſus Chami qualis. 471. b. *Democriti.* 647. a. *Saræ qualis.* 471.b. *ſtultorum qualis.ibid. triplex.* 471.a.
Riſus Sardonius.*adag.* 788.b.
riſus cauſa qua ratione ſit ſplen. 648.b.
Riſui ſtatuam erexit Lycurgus. 419.b.
ritus Macedonum in nuptijs. 864. b. *nuptiales apud veteres.* 840.a.862. b.863. a.b. & 864. a.b. *ſumendæ togæ virilis.* 756.b. *triumphi.* 167.b.& 168.a. *veterum, quibus nouas nuptas ſui officij commonebant.* 836.b.
Riualtus olim maxima inter inſulas æſtuarias. 552.a.
rixæ & contentiones à ſtudioſis alienæ eſſe debent. 749.b. *nullæ acerbiores quàm inter vicinos.* 700.b.
Robertus VVidius Profeſſor Pariſienſis,Glareani auditor. 194.b.
Roberti Stephani ſymbolum. lxii.a.
Roma caput orbis terrarum. 486.a. *communis patria.* ibidem. *mater omnium dignitatum.* ibidem. *non niſi ſuis armis vinci potuit.* 211.b. *per lepuſculum capta.* 531.b. *terra Martia.* 211.b. *vnde dicta.* 69.a. *Vrbs æterna.* 485. b. & 486. a. *Vrbs dicta per excellentiam.* 485 b.
Roma Vrbis duo nomina. 69.a.
Romana annona. 745.a.
Romanæ vrbis elogia. 485.b.
Romanæ mulieres quo habitu in luctu vſæ. 501.a.
Romanus nummus vetus. 486. a. *ſedendo vincit.* 622.a.
Romani Germanis ſuos mores permiſerunt. 111.a. *manus continebant à bonis proſcriptorum tempore belli ciuilis.* 629.b. *omnes actiones à felici omine & nomine auſpicabãtur.* 547.a. *ſpolijs hoſtium poſtes ornabant.* lvi.a.
Romanorum bellorum breuis catalogus. 741. a. *nobiles in calceis cur Lunulas habebant.* 587. b. *prudentia in victos populos.* 110.b.& 111.a. *ſtudium in flectendis iudicibus.* 621.b.
Romulus ſobrius. 137 b.
Rondeletius triremem à remora aliquando inhibitam ſe vidiſſe teſtatur. 364.a.
roſa cur rubeat & pungat. 448. b. *Veneri dicata.* ibid.
roſæ color & odor à ſtella Venere profectus creditur. ibid. *cum Cupidine collatio.* 448.a.
Roſcius in cunis à ſerpente circumplicatus. 11.b.
roſeus color æſtatis indicium. 506.b.
roſtrum. 233.a.
ruber color qualis. 503.b.
rubeus color pudorem ſignat. 257.a.
ruberis nota. 503.b.
rufus color qualis. ibid.
rumorem populi vt à ſe auerterit Alcibiades. 347.b.
Ruſſi dæmonem meridianum metuunt. 765.a.
Rutiliæ tumulus Romæ. 817.a.

S.

S *littera cur tricliniorum foribus ſuperponi ſolita.* 69.a.
Sabina Auguſtæ Hadriani nummus. 838.b.
Sabini ſacram τριάδα præfigurarunt. 57.b.
ſacculo fœneratorum ſimilis conſcientia. 107.a.
Sacerdotis veſtis in ſacris cur purpurea. 42.b.
ſacerdotes Ægyptij ijdem & reges. 147. b. *honore afficiendi.* 50.b. *Romani cur cane & capra abſtinerent.* 335.a.
ſacrum carmen precationis. 547.a.
Sacra an fierent piſcibus. lv.b. *Gratijs primus fecit Eteocles.* 688. a. *niphalia in honorem Iunonis.* 95. b. *nuptialia quo ritu fiebant.* 862. b. *quomodo Fidei fieri ſolita.* 58.a.
Sacramorus Vicecomes receptator diſſolutorum hominum. 254.a.
Sagina carnis noſtræ quos fructus pariat. 703.b.
ſaginatus color vnde. 505.a.

ſagit-

ſagittarius, ſignum Zodiaci, eſt Chiron. 624.a.

ſagmen.Sagmina, ſeu verbena. 156.a.b.

Sal ad libidinẽ incitat. 323.a. *ante alios cibos appoſitus apud antiquos.*liv.b. *diuinis rebus maximè conueniens, ibid. pro amicitia.*liv.a. *pro acrimonia, iuſtitia, ſapientia.* *ibid.* a.b.

Salem apponito. *adag.* liv.a.

Salem & menſam nou pręterito.*adagium. ibid.*

ſale cur abſtinerent Ægyptij. 323.a.

Salamandra Franciſci 1.*regis Galliæ quid ſignificauerit.* lviii.a.

ſalax à ſale dicitur. 323.a.

S A L I X. 855.

ſalix cur dicta frugiſperda. 855.a.b. *ſemen amittit. ibidem.*a. *vnde ſic dicta.* 856.a.

ſalicis deſcriptio. 855.a.

Salluſtius emendatus. 116.a.

Salluſtij locus, de Scylla. 303.a.

Salomonis ſententia, de meretricibus. 335.b.

ſalpuga formicæ genus. 788.b.

ſalſuginoſa vicinia quæ. 182.b.

ſalum, mare. 684.b.

S A L V S publica. 637.

*ſalus in SS.Cruce Chriſti.*639.b. *publica à SS.Cruce.* 640.a.

*ſalutis ſymbolum laurus.*883.b. *quercus.* 852.b. *ſerpens.* 639.a.

ſambuca, inſtrumentum muſicum. 775.a.

Samſonis ænigma. 738.b.

Samus inſula, Pythagoræ patria. 104.a.

*Sanctius abſtemius.*134.b. *temerè à Minoe reprehenſus.* 856.b.

ſanna quid. 110.a.

Sannazarij epigramma, de pietate Æneæ. 829.a.b. *in Cæſarem Borgiam.* 236.b.

ſanniones qui. 110.a.& 894.a.

ſapiens an amaturus ſit. 456.a. *diſceſcere poteſt ſi velit.* 510.a.

Sapiens non eget.*adag.* 595.b.

*Sapientes cur ſilentes, aut ſaltem pauciloquos finxerit Homerus.*69.a. *Græciæ ſeptem, eorumq; apophthegmata.*786.a.& *& ſeqq. pauciloqui.* 115.a. *temperatiſſimi.* 95.a.b.

S A P I E N T I A humana ſtultitia eſt apud Deum. 33.

Sapor γλυκύπικρος, *qualis.* 872.a.

Sapor Rex à crabronibus & culicibus pulſus, 711.b.

Saporis regis ad Conſtantium Imperatorem perſuaſio. 653.b.

Sappho amans excuſabilis. 455.b.

ſarda, & Sardina piſcis. 712.a.

Sardinia peſtilens regio, & quare. 788.b.

Sardi venales. *adag.* *ibid.*

Sardonia herba. *ibid.*

ſargus amatores incautos ſignificat. 335.a. *qualis piſcis.* *ibid.*

ſargi amor in capras. 334.a. *natura.* 609.b.

Σάρος *quid.* xlviii.b.

Sartaginum pernicies.*adag.* 398.a.

Satis ipſe facit, qui per alium facit. 726.a.

Saturnus filios deuorans, quid mythologicè. 27.a.

Saturno cur ſacrum gramen. 153.b.

Satyrica inſula. 321.b.

*Satyrus à D.Antonio viſus.*322.a. & 489.b. *Alexandriam perductus.* *ibid.*

*Satyri animalia perniciſſima. ibid. Baccho ſacri.ibid. libidinoſi.*323.b. *vnde dicti.* *ibid.*

de Satyris hiſtoria prodigioſa. 321.a.b.

ſaxeus quid ſignificet. 566.a.

ſaxum quadratum cur termino cõueniens. 670.a.

ſcabies Gallica, nouus morbus. 843 b.

ſcæua quis Græcis. 253.a.

ſculpere. 332.a.

Scarabæus aquilam quærit. *adag.* 619.a. & 710.a.

ſcarabæus quale animal. 710.a.

Scarabæo nigrior. *adag.* *ibid.*

ſcarabæorum ſpecies quæ. *ibid.*

ſcatere, quid. 648.a.

ſceleratus ſemper infelix. 891.a.

ſceptrum hieroglyphicum regni. 208.a.

Schema omne ſymbolo conſtat, non vice verſa. lx.a. *quid, & vnde dictum.* 840.b.

Σχοινισμὸς, *Italicè,* la corda. 79.a.

Scilurus Scytha quomodo filijs ſuis concordiam ſuaſerit. 94.b.& 215.a.

*Scipionis Africani apophthegma, de conſilijs in bello.*272.a. *cordata vox.*196.a. *erga Pœnos prudentia.* 110.b. *tumulus apud Caietam.* 574.b.

ſcita Platonis, de parentum cultu. 831.b.

*ſcomma Leonis Byzantij in gibboſum.*159.b. *quid, & vnde dictum.* 398.a.

Scorpion pro perca.*adag.* 723.a.

Scorpius ſub omni lapide.*adag.* *ibid.*

Scor-

Scorpius & Scorpio vnde dictus. 723.a.
ſcortum cur dicatur meretrix. 327.a. *quid propriè* ibid.
ſcribere tacitis notis, quid ſit. 6.a.
ſcripta Heracliti Delio natatore indigent. 647.b. *quædam ſua correxit Alciatus.* xxxii.
ſcriptores artis Chymicæ. 810.b. *de amore.* 483.b. *maledici.* 249.b. & 250.a.b. *qui in ſenectute præclara opera ediderũt.* 772.a. *rhapſodi Proteum nouum quotidie effingunt.* 765.b.
ſcurra Philippi Macedonis. 257.a.
ſcurræ deſcriptio. 398.a. *varia nomina.* ibid.
ſcutica quid, & vnde dicta. 443.a.
ſcuticam aſpicere, remedium glorioſulorũ. ibid.b.
ſcutum Aiacis. 163.a.b. *Palladis.* 123.b. *Vlyſſis.* 616.a.
Scylla in monſtrum marinum mutata. 302.b. *meretrix.* 303.a. *meretriciæ turpitudinis ſymbolum.* 339.b. *vnde dicta.* 304.b.
Scyllæ fabula. 302.b. et 338.b. *forma.* 302.a *mythologia.* 303.a.
Scyllæ duæ, & quæ. 304.a.
SCYPHVS Neſtoris. 423.
ſcyphus Neſtoris. 896.a. *vas Herculi dicatum.* 424.b. *vnde dictus.* ibid.
Scytharum mores, ex Iuſtino. 204.a.b.
Σκύζειν quid. 286.a.
Sebaſtianus Portugalliæ Rex cum Turca fœdus imprudenter init. 700.b.
Sebaſtiani Gryphij ſymbolum. lxi.b. *Niuellij ſymbolum ciconia.* lxii.a.
ſecta quid, & vnde dicta. 104.b. *Adamitarum à Ziſca Bohemo deleta.* 716.b. *diſpar in matrimonio conſiderãda.* 821.b.
ſedendo animus fit melior. lv.a.
Sedens columba. *adag.* 246.b.
ſedere, nota eſt ſtabilitatis. 813.a. *pro conſultare.* 621.b. *quid habeat myſterij.* 619.b. & 620.a. *quid in hieroglyphicis.* 42.a.
ſedes animæ cerebrum. 805.b. *libidinis iecur.* 479.b.
ſeditio Gallica. 869.b. *pernicioſa.* 904.b. *popularis qualis.* 869.b. *vnde dicta.* ibid.a.
ſeditioſorum nota ilex. 869.a.
ſegnis. 3.b.
Seianus Nemeſin ſuam paſſus eſt. 161.b.
Seleucis auis locuſtas deuorat. 553.b.
Sellam oleo ne abſterſeris. *adag.* liii.a.
Semele Bacchi mater. 143.b.
ſemen ſalicis in potu ſumptum ſterilitatem inducere creditur. 855.b.
ſemina virtutum à natura nobis indita. 319.a.
ſeminarium à P. Nicolao de Oddis in ſuo monaſterio inſtitutum. xv.b.
ſemidei. 188.b.
ſemper in melius tendendum. 234.a.
SEMPER præſto eſſe infortunia. 557.
Sempronius ſophus cur vxorem repudiarit. 126.b.
ſenator Franciſci Sfortiæ Alciatus. xxvi.
ſenatores Romani cur patres conſcripti dicti. 355.a.
ſenatus boni inſignia. 618.
Senecæ locus, de apibus. 633.a.b. *de Caſtore & Polluce.* 226.a. *de credulitate.* 100.b. *de examine ſuiipſius.* 106.a. *de ira.* 733.b. *de pietate in parentes.* 829.b. *de vita humana.* 649.a. *ſententia, de Deo Amore.* 476.a.
Senecta Neſtorea. *adag.* 140.b.
ſenectus eloquentior iuuentute. 753.b.
ſenectutis incommoda. 8.a.
ſenectute forma defloreſcit. 331.a.
Senenſes in bello Italico neutrales. 284.a.
ſeneſcentes in aula. 379.a.
ſenex Acherunticus quis. 660.a.
SENEX puellam amans. 495.
Senem vel nolentem vinum ſaltare compellit. *adag.* 140.b.
ſenes amatores à Plauto irriſi. 498.b. *capulares nonnunquam etiam amant.* 478.a. *cur à Venere alieni.* 498.b. *cur incurui incedant, iocus.* 497.a. *garruli.* 70.a. *pileati.* 643.b. *plerunq; auari.* 374.b. *plerumq; zelotypi.* 497.a. *procul à voluptatibus corporeis eſſe debent.* ibid. *quibus luſibus delectentur.* 2.b.
ſenum amor error dicitur. 660.b. *vehemens.* 497.b.
Sententia Ciceronis ænigmatica explicata. 130.a. *Iuriſconſultorum de re auſpicanda.* 547.b. Noſce teipſum, *quantam vim habeat.* 800.b. *Plinij, de Satyris.* 322.a. *Senecæ, de Deo Amore.* 476.a. *Socratis, de forma.* 805.a.
ſententia Biantis Prienei. 793.b. & 794.a.b. *Chilonis Lacedæmonij.* 790.a.b. & 791.a. *Cleobuli Lindij.* 789.b. & 790.a. *Periandri Corinthij.* 791.a.b. *Pittaci Mitylenæi.* 792.a.b. *Solonis Salaminij.*

nij. 792.b. & 793. a.b. *Thaletis Mileſij*. 794.b. & 795. a.
ſepia an ore pariant. 14.a.
ſeptem vrbes Græciæ pro Homero certarunt. 31.a.
Septentriones quæ. 425.b.
ſepulchra olim in montibus. 573.a.
ſepulti non laceſſendi. 900.a.
Sera in fundo parſimonia. *adag*. 8.b.
Serapidi præpoſitus Harpocrates aut Angerona. 68.a.
Sergius Galba reus paruos liberos in iudicium adduxit. 621.b *Orata cur hoc cognomine appellatus*. 712.b.
Series catenata calamitatum. 553.a.
ſermo à ferendo dictus. 781.b. & 783.b. *fœtens putrida mentis eſt indicium*. 250.a. *intelligentiæ cibus*. 354.a.
ſerpens Alexandri Magni ſymbolum. lvii. a. *caudam mordicus tenens quid ſignificet*. 11.a. *Epidaurius*. ibid. *ex tumulo Anchiſis exiens*. 12. a. *hieroglyphicum principis & imperatoris*. 10.b. *in ſe reuolutus hieroglyphicum anni*. 569.b. *quid Ægyptijs ſignificabat hieroglyphicè*. 10. b. & 11.a. *ſalutis ſymbolum*. 639.a. *ſæuens*. 565.b. *turpium voluptatum nota*. 36. a.
ſerpentis caudam mordicus tenentis hieroglyphicum. 11.a.
ſerpentes Dialecticæ ſymbolum. 510.b. *heroibus olim attributi*. 12.a. *in tutela Æſculapij*. 639.a. *vnde caduceo impliciti*. 509.a.
ſerpentigena gigantes. 37.a.
ſerpigo Indica, morbus Gallicus. 844.b.
ſerra animæ inuidia Socrati. 319.a.
ſerta cur Dijs ſuſpenſa. 54.a.
Seruatori tertius. *adag*. li.b.
Seruilius Vacia ocio ſolo natus. 359.a.
ſeruitia, pro ſeruis. 644.b.
ſeruitus miſera, quæ ab imperitia eſt. 808. b. *ſplendida & amabilis vita aulicorum*. 377.b.
Seruitutis hieroglyphicum annulus. xlix.a.
Seruius notatus. 180.a.
Seruij allegoria, de Prometheo. 428.a. *diuiſio ætatum*. 3.a. *Galba nummus*. 645. a. *locus, de Hercule*. 757.a. *opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomelæ*. 313. a. *teſtimonium, de Pane Deo*. 411.
Seruus auſpicium ruſtici ſalsè irridens. 546.a.b.
ſerui à regibus, reges à ſeruis oriuntur. 602. a. *herili cultu induti epulabantur in Saturnalibus*. 540. b. *manumiſſi albati*. 502.a. *nequam dum vendebantur, pileati*. 643.b.
ſeta quid, & vnde dicta. 235.b.
Seueri Imperatoris omen ex ſerpente. 11.b. *nummus*. 231.b. & 636.b.
Sextus Pompeius Neptuni filius haberi voluit. 17.a.
ſexus fœmineus ad dolos cõpoſitus. 603.b.
ſibulus quid. 820.a.
Siconius Catulli æmulus. 610.b.
Siculi, gens querula & controuerſa. 404.a.
ſidus. 227.a. *terreſtre flos*. 896.b.
Sigalion, dictus Harpocrates, & cur. 68.b.
Sigeum promõtorium vnde dictum. 315.b.
ſigillum Harpocratis in annulis. 68.b.
Sigiſmundus Imperator adulationis impatiens. 197.b.
ſignum honoris purpura. 58.a. *militare Romanorum*. 71.a.b. *muſicum cur Delphinus*. 387.b.
SIGNA fortium. 183.
ſigna ferocitatis. 269.b. *libertatis adeptæ*. 644.a. *militaria Romanis olim manipuli fœni*. lvi. b. *morſus dipſadis*. 440.a. *redemptæ pacis*. 738.a.
Silens apophthegma, de vita humana conditione. l.a.
SILENTIVM. 65.
ſilentium homini etiam imperito prudentiæ opinionem conciliat. 67.a. *in muliere probitatis argumentum*. 834.b. *mulierem decet*. ibid. *Pythagoricum*. 70.b.
ſimilis ſimili gaudet. 633.b.
Simonidis cantilena. *adag*. 689.a.
Simonidis cordatum reſponſum de Deo. 431.a.
Simonidi quid ſit vxor. 816.a.
Σιμωνίδου μέλη. *adag*. 689.a.
Simonis Colinæi ſymbolum, Saturnus falce armatus. lxii.a.
ſimones vocantur Delphini. 385.b.
ſimplicitas cuiuſdam clientis. 178.b. *puerilis Deo grata*. 30.b.
ſimul, pro poſtquam. 290.a.
ſimulacrum Angeroniæ. 468.b. *Boni Euentus*. 231.a.b. *Fidei Romæ*. 57.a.b. *Fortunæ*. 526.a. *Iſidis*. 46. *Palladis*. 833.b. *Palladis cur draconem premeret*. 123.a. *Pudoris*. 839.a. *Veneris*. 833.a.b.
Simultas quid, & vnde dicta. 578.a.
Simus grex. 334.b.
Sincerus. 237.b.

ſindon, quid. 503.a.
ſinuoſus. 12.b.
ſinus. 260.a.
ſiren deſidia. 495.a.
SIRENES. 487.
ſirenes quæ. 488.a. *à Muſis explumatæ, quid ſignificent.* 491.b. & 492.a. *aues fabuloſæ* 489.b. *diſcendi ſtudium Ciceroni.* 494.b. *in mare ſe præcipitarunt.* 492.b. *meretrices formoſæ.* 493.b. *quid ſignificent, varia ſententia. ibid. ſcorta fuerunt.* 489.a. *turpes voluptates.* 494.a. *unde ſic dictæ.* 489.b.
Sirenum aſtutia. 492.a. *cantilena. ibid.* a.b. *cantus adulatores ſunt.* 493.b. *deſcriptio ex Claudiano.* 488.b. *metamorphoſis ex Ouidio. ibid. nomina.* 491.a.
Sirenas ſingulis ſphæris inſidere putat Plato. 493.b.
ſiſtrum quid. 143.a. *vnde dictum. ibid.*
Si vultur es, cadauer expecta. *adag.* 674.b.
Smicrines amaſius Sophoclis. 496.a.
Smindyrides Sybarita luxu diffluēs. 392.a.
Smyrnæ carmen, de laboribus Herculis. 595.b.
ſobrietas animi robur. 92 b. *Caroli Magni.* 147.a.
ſobrietatis laus. 95.a.b.
SOBRIVS eſto, & memineris non temere credere. &c. 91.
ſocietas cum quibus non ſit ineunda. 699.b. *vix vlla tam ſancta, quæ non habeat ſuum Iudam.* 63.b.
ſocius. 62.b.
ſocium qui fallit, non eſt bonus vir. ibid.
ſocij inter negotiatores. 62.b. *populi Romani. ibid. Vlyſſis à Circe in belluas transformati.* 337.a. *Vlyſſis quid allegoricè ſignificent.* 339.a.
Socrates cur Sophiſtas execratus. 530.a. *per canem iurabat.* 813.b.
Socratis apophthegma, de adoleſcente 93.a. *apophthegma de occultando igne vel ſcelere.* 358.a b. *cum Theodota meretrice colloquium.* 567.b. *modeſtia cum ſapientia iuncta.* 283.b. et 309.a.b. *patientia.* 192.a. *ſententia de forma.* 805.a. *ſomnium de Platone.* 772.a b. *tria monita.* 115.b.
Sodomiæ enormitas. 356.b.
Sol Perſarum inſigne. lvii.b. *pro Deo.* lii.b. *ſymbolum anni.* xlvii.b.
Solis equi, eorumq; nomina. 265.b.
ſolertia Alcyonis. 743.a.b. *Caſtoris.* 651.b. *quorundam animalium.* 153.b.
Solo in Milano ſi mangia. *prouerb.* 22.a.
Solō quis. 788.a. *Athenienſis.* 667.a. *ignauiam ſeuerè culpat.* 362.b.
Solonis Salaminij apophthegma, de amicitia. xlix.a. *apophthegmata.* 792.b. & 793.a.b. *aſtus pro patria liberanda.* 579.a.b. *hiſtoria de Crœſo, ex Herodoto.* 667.b. & 668.a. *laus à Crœſo.* 669.a. *lex de neutris in diſcordia ciuili.* 284.a. *lex* σεισάχθεια 579.a. *ſapiens factum.* 516.a.
ſolſtitium quando contingit. 136.a.
Solymanus Viennam Auſtriæ obſedit anno MDXXIX. 220.b.
ſomnium Socratis de Platone. 772.a.b.
ſomnia quæ obſeruanda, quæ non. 884.a. *varia pro humorum redundantia. ibid.* b. *varia pro varia hominum conditione. ibid. vigilantium ſpes.* 231.b.
Somnus Mortis frater. 662.b. *tranquillus poſt ſui recognitionem.* 106.a.
ſonipes. 195.a.
ſophiſtæ qui dicantur. 595.b.
ſophiſtarum nomen. 309.b.
Sophocles quis. 496.a. *amator ſenex. ibid. ex inſperato gaudio obijt. ibid. noua Siren nominatus.* 493.b. *pæderaſtia notatus.* 497.a. *ſenex deſipere creditus eſt.* 496.a.
Sophoclis apophthegma, de vſu Veneris. 497.a.
ſordes, pro auaritia. 177.b.
ſordidi qui dicantur. 178.a.
Sorores Phaethontis in arbores mutatæ. 265.a.
ſors fauet viris cordatis. 685.b.
Sparta cur non cincta mœnibus. 64.b.
Spartani cuiuſdam apophthegma, de vxore puſilla. 395.b.
Spartani cur Muſis ante bella ſacrificabāt. 570.b.
Spartanorum pudicitia. 238.a.b.
ſpartum. 394.b.
ſpecies ebrietatis. 145.b. *vndecim honorū, ſtatuit Ariſtoteles.* 575.a.
ſpectare ſidera, quid. 229.a.
ſpectra nocturna quibus potiſſimum appareant. 717.b.
ſpeculum anathema Veneris. 331.b. *Veneri dicabatur à meretricibus emeritis. ibid.*
ſpeculi vtilitas. 787.a.
ſpes cum Nemeſi. 236.a. *cur viridi veſte indu-*

induta. 229. b. *Dea.* 228. a. *etiam in moribundis.* 230. a. *in aduerſis amplexanda.* 227. b. *quietis, laborem mitigat.* 889. a. *vigilantium ſomnia.* 231. b.
SPES proxima. 224.
Spes ſeruat afflictos. *adag.* 229. a.
Spei commoda. 229. b. *effecta.* 232. b. *hieroglyphicum, lux.* 227. a. *pictura.* 228. a.
Spei cur cornix adiuncta. 231. a.
Spes alunt exules. *adag.* 229. a.
Σπεῦδε βραδέως, *adag.* 117. b.
Sphinx Amaſis regis ſepulchrum. 802. b. *animal ex ſimiarum genere.* 798. b. *Auguſti ſigillum.* 802. b. *eſt ipſa ignorantia.* 801. a. *hieroglyphicum meretricis.* 332. b. *ignorantiæ ſymbolum.* 797. a. *inſigne Polynices.* lvi. a. *Laij filia notha.* 802. a. *meretricum ſymbolum.* 332. b. *Thebanorum inſigne.* lvii. b. *typus fortunæ.* 802. a. b. *vnde dicta.* 799. a.
Sphingis ænigmata diſſoluit. *adag.* 802. b.
Sphingis ænigma. 797. b. *deſcriptio. ibid.* a. b. *forma.* 796. a. b. & 797. a. b. *hiſtoria.* 801. b. & 802. a. *mythologia.* 801. b.
Sphingem Veronæ ſe vidiſſe teſtatur Pierius. 799. a.
Sphinges cur in liminibus templorum poſitæ. xlvii. a. & 802. b.
Spiculum. 118. a. b.
Spiritus & litera quid. 781. a.
Spiritui Dei nemo reſiſtit. 784. b. *non omni credendum.* 93. a. & 99. a.
Splen qua ratione ſit riſus cauſa. 648. b. *receptaculum humoris melancholici.* 628. a.
Splenis officium. 628. b.
Splene aucto cur cætera membra deficiant. 628. a.
Splēdor virtutis in patria obſcurior. 612. b.
Sponde, noxa præſto eſt. *adag.* 789. a.
Spongia vnde dicta. 631. a.
Spongiæ natura. ibid. vſus. ibid.
Spongijs ſenſum tribuit Ariſtoteles. 631. a.
Sponſa aſſes tres quomodo expendebat 863. b. *haſta cælibari comebatur. ibid* a. *quo ritu ad genialem thorum ducebatur. ibid* b.
Sponſalia veteribus auſpicato fiebāt. 862. b.
Sponſio noxæ filia. 789. a.
Spuere in ſinum, quid. 463. a.
Spurij qui. 601. a. *plerunq; animoſi.* 602. b. *vnde ſic dicti.* 601. a. b.
ſquallere & Squallor. 317. b.
Squartapiccioli, *quos vocent Itali.* 375. a.
ſtabuli Augiæ allegoria. 596. b. *purgatio, ſeptimus Herculis labor.* ibid.
Staphylus Sirrheni filius rationem vini diluendi docuit. 145. b.
ſtare, quid. 208. b.
Stateram ne tranſilias. *adag.* xlviii. a.
ſtatio diuitum ſemper tuta, non item pauperum. 713. a.
Statij locus, de Sphinge. 798. b. *opinio de metamorphoſi Prognes & Philomelæ.* 313. b.
Statthagen, *quos vocent Germani.* 332. a.
ſtatua Angeronia. 468. b. *Bacchi.* 138. *Boni Euentus.* 231. a. *Eunomi Locrenſis.* 775. b. *Fidei.* 56. & 57. a. b. *Fortunæ.* 526. a. *Iſidis.* 46. *Leanæ.* 76. *Palladis.* 122. & 833. b. *Palladis et Bacchi.* 129. *Pudoris, ex nummis.* 838. a. b. & 839. a. *τῶ καιρῶ, Salmanticæ.* 525. b. *Veneris.* 833. a. b. *Veneris apud Sicyonios.* 449. b.
ſtatua fictili comparatus homo. 650. a.
Statua Mineruæ olim ſedentes fiebant. 621. b.
ſtatus miſer Germaniæ ob hæreſes. 45. b. & 46. a. b.
ſtella, quid ſignificet. 227. a.
ſtellio impudentiæ ſymbolum. 243. a. *pellem exutam deuorat ex inuidia.* ibid.
ſtellionis deſcriptio. 242. a. *fabula, & metamorphoſis.* 243. b.
ſtellionem vocat Venus, irata ſuum Cupidinem. 243. a.
à Stellione malum medicamentum. ibid.
ſtellionatus quid ſit Iureconſultis. 243. a.
ſtemma quid, & vnde dictum. 12. b.
ſtemmata regum Angliæ. lix. b.
ſtemmatum vſus vnde. lv. b. & lvi. a. b.
Stephanus Hiſpanus inſignis lyriſta. 62. b.
Stephani Taſſeti ſymbolum arbor vireſcens. lxii. b.
ſternere. 84. a.
ſtimuli, quibus incitabatur Alciatus ad mutandam docendi rationem. xxxi.
ſtipator, à ſtipe dictus. 252. b.
ſtipendium Alciati. xxvi.
ſtipendia præceptoribus in Iure aſſignata. 525. b.
ſtola, quid. 502. a.
ſtolo, quid. 860. a.
ſtolones quid Ariſtoteli. 904. a.
ſtragula & Stragula. 205. b. *quid.* 505. a.
Stragula ſemper circumuoluta habere. *adag.* [illegible]

Stra-

Stratagema Antiochi in Galatas. 533.a. b. *Megarenſium contra Antipatrum.* 534.a. *Panos.* 529.b.
Stratoclis & Dromoclidis aurea meſſis. 178.b.
Stratonici citharœdi reſponſum ad Ptolemæum regem. 63.a. *ſcomma in Caunios populos.* 628.a.
ſtrena vnde dicta. 233.b.
ſtrenarum mos vnde. ibid.
STRENVORVM immortale nomen. 581.
ſtridere, quid. 777.b.
ſtudioſi cuiuſdam ignaui hiſtoria. 456.b.
ſtudioſi ſæpe deterrentur laborum difficultate. 201.b.
ſtudioſis Iuris quinquennium præſtitutum. 878.a.
ſtudium principum quale olim. lvi.b. *Romanorum in flectendis iudicibus.* 621.b.
ſtudia nuſquam non opportuna. 685.a.
ſtudijs varijs occupari an conſultum. 367.b.
ſtudia ſua multi præcipitant. 877.b.
ſtultitia ſemper incipit viuere. 234.b.
ſtultiſſimum ſuas compedes etiam aureas amare. 127.b
ſtultum ac periculoſum cuiuis fidere, miſerum nemini fidere. 99.a.
ſtultus ſi tacuerit, ſapiens habebitur. 67. a.
ſtulti hominis ſymbolum vitis non putata. liv.b.
ſtupidi hieroglyphicum, lapis. 299.a.
Stymphalides aues propter incuruos vngues auaritiam referunt. 596.a.
Stymphalidum auium forma. ibid. *hiſtoria.* ibid.
Styx fluuius inferorum, vnde dicta. 558.b. & 723.a.
Suada, ſeu Suadela quæ. 688.b. & *Gratia cur ijſdem aris culta.* 129.b. *religioſè à Gallis culta.* 752.b.
ſuaſores bellorum. 726.b.
ſuauitas canendi cur tributa cicadis. 778. a.
ſubitæ imagines quæ. 591.b.
Subiugare. 171.a.
ſub iugum mittere, quid. ibid.
ſublimitatis ſymbolum terminus. 672.b.
SVBMOVENDAM ignorantiam. 796.
ſubſannare. 110.a.
Sub tunica & ſinu. *adag.* 358.b.
ſuccedanea hoſtia quæ. 732.b.
ſucula. 20.a.
Suggillatio ebrietatis à puero facta. 148.a.
Sulpitij ſeueritas in vxorem. 836.a.
ſumere cornua, quid. 142.b.
ſummum bonum vbi. 59.a.
SVPERBIA. 296.
ſuperbia cauſa ignorantia. 801.b.
ſuperbia deſcriptio. 300.b. *deteſtatio.* ibid. *origo.* 301.b.
ſuperbi hominis viua idea. ibid.a.
ſuperbiendum non eſt ob proſperos ſucceſſus. 539.b.
Superis impari numero, inferis pari ſacrificandum. *adag.* li.b.
ſuperſtitio, de herba S. Ioannis dicta. 156. b. *de lauri folijs.* 905. b.
ſupplicium eſt ingluuies. 97.b.
ſupplicium differre graue habetur. 720.a. *ignis ſtatuit in Sodomitas Laius.* 355.b.
Surdo oppedere. *adag.* 696.b.
Surgens è lecto veſtigium corporis confundito. *adag.* lv.a.
Suſtine & abſtine. *adag.* 191.a.
Suum cuique pulchrum. *adagium.* 307.a. & 505.b.
ſuo ipſius laqueo captus. 723.b.
Σῦκα μερίζειν, quid. 850.b.
Sycophantæ ſunt monſtra hominum. 84.b.
Symbolum quid. xlv.b. *quid ſignificet.* ibidem. & xlvi.a. *Alciati.* 507.b. *Andocidæ Pythagorei.* xlix. b. *Caroli Quinti.* 233.a. *Dei.* xlvii.a. *Deſiderij Lignaminei Patauini.* 508.a. *fidei, dextera.* 59.a. *Frobeniorum* 508.a. *Iaſonis Mayni.* 508.a. *inuolutum ſic, breue, graue, adagio ſimile.* lx.b. *vitæ humanæ, lyra.* 64. a.
Symbola Alciati. xxxv. *cur inuenta.* xlvi. b. *debent eſſe apta rebus.* 769. a. *Ducum bellicorum.* lvi. a. *Pythagoræ pro oraculis habita.* 361. a. *quatuor anni temporum.* 420. a.b. *triplicis ſunt generis.* lix. b. *typographorum.* lxi. b. & lxii. a.b. *veterum varia.* 155.b.
Symbolorum arx quædam. lxi. a. *farrago.* lvii. a. b. & *ſeqq. inuentores qui.* xlv. a. *origo. ibidem. ſcriptores & cultores.* xlvii a. *tria genera.* lix. b. *vtilitas.* lvii. a.
Symbola inuenta poliuerunt Græci. xlv.a.
Σύμβολος ἱερὸν χρῆμα. 75.b.
Συνδυαστικοὶ, *cur veteribus appellati homines.* 682. b.
Syneſij locus, de ijs, qui aliquid præcipitanter edunt. 877.b.

Syr-

Σύνναοι, Dij eiſdem delubris culti. 130.a.
Syntagma de ſymbolis. xlvii. & ſeqq.
Syphilis, lues Venerea. 844.b.
Syriphœnicibus quinque rerum inuentio attributa. 782.b.

T.

T. littera finalis producta. 443.a. littera Hebraica ſalutis ſymbolum. lvii.b.
Taciti locus, de Fennis. 204.a.
tacitus natu ſcribere, quid. 6.a.
taciturnitas Catonis Vticenſis. 115.b.
tania, quid 480.a.
τὰ γὰρ χαλεπὰ τὰ καλά. adagium. 759.b.
Talaria, calceamenta Mercurij alata. 526.a.
Talaria induere. adag. ibid.
talaria cur in pedibus habeant Charites. 687.a. Gratijs primus addidit Alciatus. 689.b.
Talionis lex. 897.a. legis ratio. 464.a.
talus, quid. 3.b.
Tandem tandem iuſtitia obtinet. 162.
tancetum, qualis color. 505.b.
Tantalidæ, vnde dicti Græci. 732.a.
Tãtalus auarus 370.a. cum ſuo ſaxo. 895.a. garrulitatis pœnas luit. 371.a. vnde dictus. ibid.b.
Tantali ænigma quid ſignificet. 372.a. fabula. 370.a. pœnarum cauſa. 370.b. & 371.a.
Tantali lapis. adag. 371.a.
Tantali pœna. adag. ibidem.
Tantali talenta. adag. ibid.
tarditas Alceſtidi obiecta. 877.a.
tarditatis ſymbolum, remora. 117.a. & 364.b.
Tarquinius Superbus ſumma papauerum capita decutiens. 94.b.
Taurus animal ferox, aptum pugnæ. 72.b. animal Venereum. 597.a. & Laſtaurus verba obſcœna, ibid. genu ligatus hieroglyphicum inſtabilis temperantiæ. 190.b. & 191.b. mons aquilis abundans. 104.a. & 105.a. ſanitatis integræ hieroglyphicum temperantis & fortis. 191.a.
tauri igninomi allegoria. 597.a. natura. 191.a. ſymbolum quid ſignificet. 190.a.
techna. 74.a.
S. Tecla D. Pauli diſcipula martyr. 21.b.
tagereſſarum acceſſum, quid. 357.b.
tegmen. 2.
Telamon vnde dictus. 165.b.
Telemachus puer à Delphinis ſeruatus. 387.b.
Tellus à Solone beatiſſimus indicatus. 668.a.
telum quid. 118.a. hieroglyphicum velocitatis. 117.a. & 118.a.
tela Amoris aurea ſunt. 660.a. Mortis fracta ſpei attribuuntur. 229.b. Mortis oſſea ſunt. 660.a.
Temeraria mala. adag. 465.b.
temerarij & imbecillis hieroglyphicum veſpertilio. 284.a.
Temeritas. 261.
temeritas Bellerophontis. 82.b. Flaminij Reipub. exitioſa. 267.b.
temeritatis definitio. 880.b.
temetum cur dictum vinum. 132.b.
temperantia inſtabilis hieroglyphicum taurus genu ligatus. 190.b. & 191.b.
temperantis & fortis hieroglyphicum taurus ſanitatis integræ. 191.a.
templum Æſculapij 639.a. Ammonis pauperrimum, & vbi. 13.a. Boni Euentus. 231.b. Iani. 109.b. Veneri vulgari à Solone ædificatum. 459.b.
tempus luctus veterum. 96.a. Nicei colloquij. 224.a. omnia reuelat. 166.a.
temporis anni hieroglyphicum paſſer. 565.b. iactura graue damnum. 7.b. ſymbolum populus alba. 887.a.
Temporis punctum. adag. 525.b.
tempora noſtra facilè ad arma proſiliunt. 741.a. quãdo maximè periculoſa. 749.a.
temporum vices à ſapientia diuina. 422.b.
temporibus anni ætates hominum comparata. ibid.a.
Tenuis ſpes. adag. 400.a.
ter clauſa porta templi Iani. 109.b.
Tereus in vpupam mutatus. 313.a. Rex Thraciæ. 454.b.
Terei fabula. 312.b.
tergeminus. 214.b.
tergemini Horatij & Curiatij. ibid.
Terminus. 667.
Terminus quid. 669.b. æternitati cedit. 671.a. Capitolij 669.b. cur quadratus pingatur. 670.a. Eraſmi in digito annularis. 672.a. mors. 671.a. Saturni ſaxũ. 669.b. ſymbolum ſublimitatis. 672.b.
termini pertinacia. 670.a.
Terræ filius. adag. 38.a. & 587.a.

Terram pedibus quatere, quid. 471.a.
terribiles poſt mortem. 716.b.
Terroris, ira, dominatus ſymbolum leo. xlvii.b. & 269.a.
terrores & tumultus Panici. 530.a.
Tertullianus leuiter correctus. 589.a.
τῆς μητρος ὡς αἴξ *adag.* 277.b.
Teſſera quid. 3.a. *bellica.* xlvi.a. *C. Iulij Caſaris, Venus genitrix. ibid. C. Marij, Lar Deus. ibid. L. Sylla, Apollo Delphicus. ibid.*
Teſſerarum & talorum luſus diuerſi. 3.b.
teſtamentum ſpeculum eſt morum, non ſemper verum Plinio. 670.b.
teſtamentorum captatores vultures dicti. 674.a.b.
Teſtimonium Andrea Cratandri, de Chonrado Peutingero. 2.a. *Bernardini Trebatij, de Chonrado Peutingero. ibid.*b. *Bonauentura Caſtillionai, de Albutio.* 612.a. *Euſebij, de mirabili hiſtoria Panos.* 412.a.b. *Gregorij Turonenſis, de locuſtis.* 549.b. *Henrici Pantaleonis, de Chonrado Peutingero.* 2.a. *Laurentij Pignorij, de locuſtis anni MDXLII.* 550.b. *Philonis Iudai, de Moſe.* 263.b. *Seruij, de Pane.* 411.b.
teſtis oculatus vnus pluris quam auriti decem. 93.a.
teſtudo animal. 834.a. *muſicum inſtrumentum.* 774.b. *quomodo inuenta.* 63.b.
teſtudinis ænigmata. 834.a.
Tethys, pro mari, prima longa. 582.b.
Tetraſtichon maledicum cuiuſdam anonymi in Alciatum. 20.a.
Teutonum vxores pro pudore ſe ipſas occiderunt. 127.b.
Thalaſſio vnde Romanus inoleuerit 863.b.
Thales quis. 789.a. *ab anicula irriſus.* 431.b & 440.b. *omnia ex aquis generari exiſtimauit.* 220.b.
Thaletis Mileſij apophthegmata. 794 b. & 795.a.
Thalia vna Gratiarum, vnde dicta. 688.b.
Thamyris arrogantia. 300.a.
Thebana virginis capta conſtantia. 126.a.
Thebani quo modo iudices effigiabant. 619. a.
Thebanorum inſigne Sphinx. lvii.b.
Themiſtocles differentiam inter nothos & legitimos abſtulit. 602.a.
Themiſtoclis apophthegma, de inuidis. 319. a. *de vicino bono.* 700.a. *moderatus animus.* 629.b.
Theoclus vates Ariſtomenis ſocius, eiuſque interitus. 187.b.
Theocritus à Nicolao de Oddis in linguam Italicam conuerſus. 542.b.
Theocriti Eidyllion, de Amore mellilego. 470.b. *locus, de ſpe.* 229.b.
Theodoretus quos vocet χαμαιζήλες καὶ ἐπτυγάς. 35.a.
Theodoſius hæreticos ſuo arbitrio reliquit. 111.b.
Theodoſij ducis cunctatio. 116. b. *lex.* 98. a.
Theodotus iuſtam Nemeſin paſſus. 161.b.
Therſites Homericus loquax. 69.a.
theſaurus maximus lingua parca. 70.b. *vita integra.* 182.a.
theſauri Crœſi. 668.a.
Theſſalia cur Æmonia dicta. 707. a. *regio Græcia.* 195.a.
Theſſala cuiuſdam mulieris flexamina gratia. 491.a.
Theſſali medici arrogantia. 311.b.
Theſſali ortum ſuum ex lapidibus repetebant. 765.b. *primi equos conſcenderunt.* 489. a.
Thetis cur dicatur alba pedes. 582.b. *Dea maris. ibid. in varias formas mutabilis.* 764. a.
Thoma Mori epigrammata duo, in aſtrologum vxoris impudica maritum. 441. a.b. *tetraſtichon de cupido.* 295.b.
Thracum barbarus mos in conuiuijs. 149.a.
Thraſones cucurbita ſimiles. 539.b. *notati.* 293.b.
Thraſybulus inter exules Athenienſium. 577.a. *vnde ſic dictus.* 577.b.
Thraſybuli hiſtoria, qui patriam tyrannide liberauit. 576.b. & 577.a.
Thraſybulo Dionyſium ſimilem eſſe dicitis adag. 577.b.
Thraſylaus inſanus. 310.b.
Θριδάκιναι *Ariſtoxeni.* 341.b.
Thryſi tyranni hiſtoria, ex Æliano. 209.b.
Thuilij apoſtrophe ad S. Crucem. 202. b. *coniectura, de epigraphe cuiuſdam imaginis Patauij.* 5.a. *coniectura, de Glauco Polybide.* 155.b. *coniectura de illo,* Spaere in ſinum. 463.b. *coniectura, de porphyrionum raritate.* 238 b. *epigramma, de pallore amantum.* 875.a. *epigrāma, in Cœliam celebrem Comicam.* 872. b. *epigramma in Rachelem nobilem pſaltriam.* 688.a. *epilogus, & proteſtatio.* 889. *excuſatio.* xi. *fides in hoc opere.*

re.ix. *Occupatio de præſenti Opere.* x.
Thuni. 882.b.
Thymbra victitans.*adag.* 94.a.
Θύμος *quid.* 287.a.
thyno & anguilla ſacra etiam fiebant. lv.b.
*Tiberius Caſar conuitia non curabat.*636.b. *coronam lauream geſtabat cùm tonabat.*882.b. *elegantia verborum ſtudioſus.*lxiv.b. *ſerpentem in delicijs habuit.* 11.b.
*Tiberij apophthegma de taciturnitate.*74.b. *in tyrannos* δημοβόρος.628.b. *cautus animus.* 76.b. *Claudij nummus.* 645.a. *dictum de Caligula.* 267.b. *morte quantum populus Romanus lætatus ſit.* 717.a. *oratio ad M. Hortalum.*362.a. *ſtudium linguæ Romanæ.* 4.a.
tibiæ fiunt ex buxo. 873.b.
Ticini docet Alciatus. xxvi.
*Ticinum reuocatus Alciatus.*xxvii. *tertiò redit Alciatus.* ibid.
Tigellius prodigus. 327.b.
*Tigrides cur currui Bacchi iuncta.*146.b.
Tigrim cur ſagittam vocent Armenij. 118.a.
timiditatis ſymbolum columba. 188.b.
Timon Demeam adulatorem ligone percuſſit. 254.b.
timoris effectus. 532.b.
Timotheus ex patria in Leſbon diſceſſit. 614.b.
Timycha fœmina Pythagorica. l.b.
Tineæ & ſorices palatij qui Conſtantino. 197.b.
tintinnabulum prædicationis hieroglyphicum. 89.b.
Tireſias cæcitate percuſſus ob conſpectam Mineruam. 252.a.
Tireſiæ vaticinium de Narciſſo. 306.a.
Titanij fratres,vnde ſic dicti venti. 616.a.
Titi Liuij imago in Prætorio apud Patauinos,cur digitum ori admoueat. 68.b.
*Titi moderatus animus.*635.a. *nummus.* 231.a.
τὸ ἐν λαχάνοις πέπερι.*adag.* 94.a.
Toga picta ſummorum magiſtratuum. 756.b. *pura qualis.ibidem. Romanis peculiaris. ibidem. ſignum pacis.* 756.a. *virilis Romanorum. ibidem. vitrea quid.* 352.b.
Togæ Romanæ color. 756.b. *virilis ſumendæ ritus. ibidem. vſus antiquiſſimus.* 756.a.
toga recta ſponſa induebatur. 863.a.
tolerantia Catonis. 697.a.
Tollenti onus auxiliare, deponenti nequaquam.*adag.* li.a.
tollere cachinnum. 648.a.
tonſores cur plerumq; garruli. 316.a.
tonſtrina ſedes otioſorum. ibid.
Toranius patris proditor. 290.b.
tormentum fidicularum quid. 79.a.
Torquatus Taxus poetarum Italorum princeps. xvi.b.
*torrens.*699.a. *quid allegoricè.* ibid.
toruli & Tori quid. 5.a.
τῷ θριῷ τὴν ἐγκέλυν.*adag.* 121.a.
Tractatus de bono Ciue, à Nicolao Contareno ſcriptus. 580.b.
τραγίζειν,*quid.* 325.a.
trahit ſua quemque voluptas. 482.b. & 505.b.
Traiani Caſaris apophthegma, de fiſco. 627.b. *nummus.* 769.a.
trames. 55.b.
tres ætates Neſtoris. 141.a. *dies legitimi nuptiarum apud veteres.* 862.b. *illecebræ ad voluptatem.* 489.b. *modi fœdera ineundi.*63.a. *partes animæ.*16.b. *partes Rhetoricæ per Chimaram denotata.* 83.b.
Tria ad valetudinem neceſſaria. 419.b. *monita Socratis.* 115.b. *præcepta cuilibet ſtudioſo attendenda.*105.b. *quorum moderamen exceſſiſſe, eſt ad infernum acceſſiſſe.* 134.a. *rupti fœderis crimina.* 63.a. *Salomoni difficilia viſa.* 263.b. *ſpecioſa in conſpectu Dei.* 816.b. *vitia, quæ Deo & Naturæ repugnant.* 497.a.
*tria præſtantur ab anima.*16.b. *ſignificat* Concio. 164.b.
Trias ſacroſancta à Sabinis præfigurata. 57.b.
τρικέφαλος ἑρμῆς.*adag.* 53.b.
triceps Hercules,quid. 887.b.
Triceps Mercurius.*adag.* 53.b.
τρίοδον,*pro incertitudine conſilij.* 55.a.
*triplex amor,apud Apuleium.*460.b. *cauſa ignorantiæ.* 799.a. & 801.b. *genus ludorum.*558.b. *lapſus humanus.*103.a. *ratio docendi apud Ægyptios.* xlvi.b. *riſus.* 471.a.
triſpithami homines,nani. 271.b.
τριτὼ,*Bœoticè caput ſignificat.* 16.b.
Triton Deus marinus,Neptuni buccinator. 569.b. *in Luſitania ſub Tiberio viſus,* 569.a.

569. a. *Roma à Pauſania viſus*. 570.a.
Tritonis buccina qualis. 569. b. *forma*. 568.a.b.& 569.a.
Tritones cur in templorum ianuis ponãtur. 569.a. *qui ſint*. 570.a.
Tritonia, vel Tritogenia cur dicta Pallas. 16.a.b.& 123.b.
triuium. 54.a.
triumphantis habitus. 168.a.
triumphantes coronabantur lauro. 885.a.
triumphus Iulij Caſaris. 736.a.
triumphi & victoria ſignum laurus. 884. b. *ritus*. 167.b.& 168.a.
τρίζειν, ſtridere, *veſpertilionum vox*. 280.b.
Troiani nimia credulitate proditi. 99 a.
trophaum quid, & vnde dictum. 535.b.
Trophai deſcriptio, ex Virgilio & Iuuenale. *ibid.*
trophaa prima ex olea conſtituta. *ibid.*
Tros pater Ganymedis. 29.a.
truculentia Valentiniani. 635.b.
truo qualis auis. 404.a.
tuba fama perennis nota. 569.b.
Tubicen in bello captus, vt ſe excuſarit. 725.a.b.
Tullia crudelitas in mortuum patrem. 291.b.
Tumultibus bellicis agitatus Alciatus. xxxii.
Tumulus, quid 54. b. *Ageſilai*. 184. b. *Aiacis*. 162. *Aiacis vbi*. 240.a. *Archilochi*. 248. *Ariſtomenis*. 183. *aui Aſclepij in monte Libya*. 573.a. *Hectoris, ex quodam poeta*. 573. a. *iudicis incorrupti*. 176. *Laidis*. 329. *Platonis*. 184. a. *Rutilia*. 817.a. *Scipionis Africani apud Caietam*. 574.b.
TVMVLVS Ioannis Galeazij Vicecomitis. 572.
TVMVLVS meretricis. 329.
Tunetum, qua ciuitas. 882.b.
Tuo te gladio iugulo. *adag.* 541.b.
turba Martia, pro Romanis. 211.b.
turdus auis. 439.a. *piſcis*. *ibid.*b.
Turdus ipſe ſibi malum cacat. *adagium*. *ibid.*
Turdo ſurdior. *adag.* 439.b.
turma quid, & vnde dicta. 530.b.
Turnus legem talionis expertus. 464.b. *pulcher*. 446.b.
Turni inſignia à Virgilio deſcripta. lvi. a.
turpe eſt cum inerti congredi. 694.a.
turpis amor ſenilis. 496.b.
Turpitudinis prapoſtera Dea Cotys. 330.a.
Tutum ſilentii præmium. *adagium*. 69.b. & 71 a.
Tydeus ſtrenuus bellator. 217.b.
tympanum cur Baccho adiunctum. 141.b. *Indorum quale*. *ibid.* *inſtrumentum luxuria*. *ibid.* a.b.
Tyndarus μελάμπεπλος. 42.b.
typographorum nonnullorum ſymbola. lxi. b.& lxii.a.b.
typus amici veri. 684.b. *diuitum eſt Patroclus in armis falſis*. 674. b. *regis optimi*. 110.b.
Tyrannus eſt, qui inuitis dominatur. 209.a.
Tyranni δημόβοροι *tandem exitium incurrunt*. 721.b.
Tyrthaus ludimagiſter ad Spartanos ab Athenienſibus miſſus. 185.a.
Tzetzis opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomela. 313.b. *opiniones, cur Cecrops biformis dictus ſit*. 36.a.

V.

V*Adum, pro mari*. 387.b.
Vafer, quis. 38.b.
Valentinianus ira percitus animam exhalauit. 733.b.
Valentiniani nimia auaritia. 629.b. *truculentia*. 635.b.
Valentis nimia credulitas. 100. b.
Valerius Flaccus à vita perdita ad bonam frugem redijt. 464. a. *Soranus cur occiſus*. 69.a.
Valerij Flacci locus, de terrore Panico. 531.a.
vanitas aſtrologorum. 434.b.
Varietas quadam vitiorum Chimara. 84. a.
Varro leniter correctus. 313.b.
Varronis opinio, de metamorphoſi Prognes & Philomela. *ibid.*
vaſa pulchrè elaborata cur fregerit Cotys Rex. 288.b.
Vaticinium Calchantis, de excidio Troia. 565.a. *Tireſia, de Narciſſo*. 306.a.
Vaticinij nota, laurus. 882.a.
Vbi mel, ibi fel. *adag.* 783.b.
Vbi quis dolet, ibidem & manum habet. *adag.* 610.a.
Vbi vber, ibi tuber. *adag.* 783.b.
Vedij Pollionis ſæuitia. 819.b.

VII poſt mortem formidoloſi. 714.
Vel.pro etiam,& nam. 735.b.
vellus aureum quid hiſtoricè. 809.b.
velleris aurei varia nomina. 807.b.
velocitas Ates quid ſignificet. 562.a.
Velocitatis ſymbolum, telum. 117. a. & 118.a.
Velum virginum, pudoris armatura. 839.b.
venatores Actæones. 254. a. *otioſi.ibidem.* b. *quomodo à canibus diſcerpantur.* 254.a.
vendere oculata die,quid. 92.b.
veneficæ Romanæ ſua fraude perierunt. 724.a.
veneficorum immanitas. 518.a.
venenum nullum præſentius erronea opinione. 44.a.
Veneta factio. 503.a.
Venetarum virginum mos in publicum prodeundi. 126.b.
Veneti florum ſtudioſi. 583.a. *nobiles togati.* 756.b.
Venetia pacis ſtudioſa. 746.b.
Venetiarum laus ab admirandis. 747. a. *ab excellentia. ibid. à maieſtate.* 746. b. *origo.* 552.a.
venter pinguis non gignit ſenſum tenuem. 95.b.
ventus textilis, & Nebula linea, quid. 352.b.
Vento viuere. *adag.* 256.b.
Venus amica riſus. 471. a. *cur Adonidem lactucæ folijs occultauerit.* 341. a.b. *cur Amori iuncta.* 467.b. *cur nata ſalo fingatur.* 323. a. *Cypria, & cur ſic dicta.* 341. b. & 455.a. & *Mercurius cur in eadem ara poſiti.* 129. b. *hirco inſidens quid.* 323. a. & 833. a. *magnum priſcis numen.* 833. b. *Phidiæ, teſtudinem premens.* 833. a. *teſſera C. Iulij Cæſaris.* xlvi. a *vinculo ſignificatur.* 334. b. *unde dicta* ἀφροδίτη. 456. b. *unde dicta Cytherea. ibid. vocabulum polyſemum.* 834.b. *vulgaris & cœleſtis.* 459.a.b.
Veneris cœleſtis templum vbi. 459. b. *currus à cygnis tractus.* 770. b. *delubrum in monte Libano.* 894. a. & *vini proprietates & cognatio.* 137. a. *ſimulacrum.* 833. a. b. *ſtatua apud Sicyonios.* 449.b. *vulgaris templum vbi.* 459.b.
Veneri cur iuncta Gratiæ. 688.b. *pomum dicatum.* 814. a. *roſa dicata.* 448. b. *ſpeculum dicare, eſt meretricum emeritarum.* 331.b. *vulgari ſtatuit templum Solon.* 459.b.
Venerem cœleſtem qui coluerunt. ibidem. retardant palumbes comeſti. 825.b.
Venere licentius abutentes per ſalicem ſignificati. 856.b.
Veneres duæ,& totidem Cupidines. 460.a.
Ver hyemem ſequitur.*adag.* 422.b.
veris ſignum ciſta florum. 420.b. *cuculus.* 277.a. *hirundo.* 420.b.
verba alata. 70.a. *inflammant ad amorem.* 491.a.
verbena, quæ & ſagmina, cur ſacra. 156.a.b.
verbenæ vſus & virtus. ibid.
verboſi valdè, & vnà ſapientes non reperiuntur. 67.b.
verecundia maximum amicitiæ ornamentum. 58.a.
verecundiæ ſymbolum, color purpureus. 504.a.
verendus. 49.a.
Vergiliæ quæ. 425.a.
Veritas ab aulis principum exulat. 196. b. *amittitur nimium altercando.* 749. b. *Chymia.* 810. a. *cur nuda.* 59. a. *Dea quomodo pingebatur.ibidem. fortiſſima.* 453. a. *mater Fidei.* 57.b. *nuda ibid. premitur,non opprimitur.* 166. a. *tacendo diſcitur, loquendo prædicatur.* 70.a.
veritatis ſymbolum Proteus. 766.a. *vis.* 166.a.
vermes opum qui Anaxilao. 197.b.
Verres receptator flagitioſorum. 253.b.
vertigo in ſacris peragendis. lv.a.
Vertumnus in varias formas mutabilis. 764.b.
Vertumno inconſtantior.*adag.* ibid.
veruex. 10.a.
verſipelles,qui. 122.b. *veſpertiliones dicuntur.* 283.b.
Verſus Ciceronis à multis reprehenſus. 755. b. *Martiani Capellæ emendatus.* 14.b.
verſus Alciati à Biturigibus ad Italos diſcedentis. 19. b. *Macaronici de fraude meretricia.* 335.b.
verſuti qui. 282.b.
veſci aura, quid. 256.b.
veſpa pro apibus ab Alciato poſita καταχρηστικῶς. 633. b. *quæ, & quare ſic dicta.*

ſta. 249. b. *ſymbolum obtrectatorum.* ibid.
Veſpaſianus Demetrium Cynicum appellauit canem. 696.a.
Veſpaſiani aſtus & auaritia. 630.a.b. *& Titi filij clemens animus.* 635.a. *nummus.*615.a. *ſymbolum delphin anchoræ alligatus.* lvii.b.
VESPERTILIO. 279.& 281.
Veſpertilio.*adag.* 283.a.
Veſpertilio hieroglyphicum imbecillis & temerarij. 284. a. *vnde nomen ducat.* 282.a.
veſpertilionis natura carmine explicata. ibid. *variæ acceptiones.* 281. a. b. & 282.a.
Veſtales virgines albatæ. 501.b.
veſtigia perſequi. 159.a.
veſtigijs inſiſtere. ibid.
veſtis à Deianira Herculi miſſa, noxia. 707. b. *à Medea nouæ nuptæ Iaſonis miſſa fallax.* ibidem. *candida ſignum lætitiæ.* 501. b. *Coa qualis.* 352. b. *coccinea quæ.* 503. b. *purpurea pudoris nota.* 42.a. *purpurea puritatis ſymbolum.*58.b. *Sacerdotis in ſacris cur purpurea.* 42.b.
veſtes pullæ cur in funeribus adhibitæ. 500.b. *quando albæ, quando pullæ in luctu adhibitæ.* 501.b.
veſtium ſericarum abuſus. 352.a.b.
*veſtibus albis cur vſæ fœminæ Romanæ in luctu.*501.a. *rubris cur in bello vterentur Lacones.* 503.b.
Veteres an calceis vſi. 589. a. *an pileis vſi.* 642. a. *corneis poculis vtebantur.* 142. a. *Galli qui dicantur.* 20. b. *Galli ſapientia Græcæ periti.* 752. a. *multi vino abſtinuerunt.* 147. b. *quid per aſini ſymbolum intellexerint.* 47.b. *quid per laurum intelligebant.* 867. a. *quid per lyram intellexerint.* 61. b.
Veterum cura pro pupillis. 98. b. *delirium de fortuna virtuti dominante.* 515.a. *dicta ſenſum myſticum continentia.*795.b. *induſtria.* 254.a.b.
Vetronius Turinus fumo necatus ob fumũ venditum. 465.a.
vetuſtas Alchymiæ. 809.b.
Via lactea vnde orta. 601. b. *quam Deus oſtendit, tenenda.* 55. b. *tuta vbique amantibus.* 477. a. *virtutis non eſt adeo aſpera, vt putatur.* 518. b. *vitæ humanæ curſum ſignificat.* liv. b.
Viatores cur lapides ad ſtatuas Mercurij cumularent. 53.b. *homines in hac vita.* 54.b.
Vicecomites, familia. 574.a.
Vices temporum à diuina ſapientia. 422.b.
vicini boni ſumma commoditas. 699.b.
Vicinum bonum habere quanti referat. 182.b.
viciſſitudo & interitus rerum omnium. 606.a.b.& 889.b. *temporum.* 421.b.
Victores in agone Capitolino quercu coronati. 854. a. *Nemeſin inuocabant.* 232. a.
Victoria Chriſti in Cruce. 645.b. *principum Germanorum de Turcis.* 220. b.
Victoria nota laurus. 882. a. *ſignum palma.* 777. b. *comes arrogantia.* 171.b.
victoriam Alexandro Seuero portendit laurus. 885.b.
victus ratio temperata quid conferat. 342.b.
videndum, quem commendes. 99.b.
videre, verbum eſt ἐμφατικόν. 13.a.
Vienna vrbs Auſtriæ à Solymano obſeſſa. 220.b.
Vigilantia duplex, animi & corporis. 86. a.
VIGILANTIA & cuſtodia. 85.
vigilantia corporis ſymbolum, gallus. 86. a. *interioris ſymbolum campana.* ibidem. *hieroglyphicum caput leoninum.* 86.b.
Vil geſchrey vnd vvenig vvoll. *prouerb. German.* 22.b.
Villius Annalis à filio proditus. 290.b.
vindex ſcelerum Nemeſis. 158.a.
Vindicta nemo magis gaudet quam fœmina. 244.a.
Vinum acuit ingenium. 133. a. *aqua temperandum.* 144. b. *balbuciem inducit.* 145. b. *cur in Deorum cæremonijs adhibitum.* 147. b. *cur olim mulieribus prohibitum.* 133. b. & 137. b. *equus poetarum.* 134. b. & *adoleſcentiæ duplex incendium voluptatis.* 138. a. *facit diſertos.* 133. a. *fomes ingenij & virtutis.* ibidem. *igni vim æqualem habet.* 143. a. *inſanire facit.* 140.b. *lac Veneris.* 138. b. *lætitiam & dolorem dat.* 145. a.

Maronium ab Vlyſſe Polyphemo propinatum.719.a. *mœrori medetur*.133.b. *opinionum vanitate mentem opplet*.137.b. *quatenus à Platone laudatum*.133.a. *quibus olim interdictum*.137.b. & 142.b. *remedium aduerſus ſenectutem*.133.b. *ſenem etiam nolentem ſaltare facit*.151.b. *unde dictum*.133.b.137.b. & 124.a.b. *ut miſcendum*. 146.a.

Vinum caret clauo. *adag.* 151.b.

Vini diluendi rationem docuit Staphylus Sirrheni filius. 145.b. *incommoda*. 139.b. *laus verſu Italico*. 134.b. *moderati & immoderati effectus*. 142.a. *varij effectus*.145.a. *uſus*. 133.a.

Vino facundiam & inuentionem tribuit Plutarchus. *ibid.*

vinum non attingebant matronæ Romanæ.137.b. *primus menſis adhibuit Pſammetichus*. 147.a.

VINO prudentiam augeri. 129.

vino qui abſtinuerint. 147.b. *quomodo utendum*. 146.a.

violaceus color quis. 505.b.

violatores parentum. 174.b.

vipera unde dicta. 819.a.

Vipera cum murana congreſſus.818.b. *deſcriptio*. *ibid.*a. *maris & fœmina conſideratio*. *ibidem*. *partus & fœtus qualis*. 819.a.

Vir bonus an ullibi inueniatur. 579.b. *eloquens quantum poſſit*. 757.b. *gregis, aries*. 332.a. *mulierem tenet, mulier à viro tenetur*. 840.b. *pro membro virili*.813.b. *vocabulum polyſemũ*. *ibid.*a.

viri cuiuſdam pij dictum. 666.b. *prudentis ſymbolum mortis*. 879.b.

Virum bonum non decet rebus proſperis mores mutare. 487.b.

Viri animo inſignes qui dicantur. 570.a. *boni faciles ad miſericordiam*.241.b. *boni lacrymabiles*. *ibidem*. *excellentes nullo in honore quamdiu vixerunt, habiti*. 166.b. *frugi plerumque afflicti*. 824.b. *graues in teſtimonijs auctorum adducendis ſæpe memoria labuntur*. 29.a. *illuſtres pro Dijs habiti*. 418.b. & 419.a. *muliebres*. 352.a.

Viri illuſtres, quorum Alciatus paſſim in ſuis Emblematis meminit. Actæon. 251. Adonis. 340. Albius. 406. Antiochus. 532. Archilochus. 248. Areſtius. 663. Arion. 385. Atyla. 548. Bacchylides. 604. Bias. 785. Cæſar. 642. Calchas. 564. Callimachus. 380. Carolus V. 220. & 882. Cecrops. 33. Chærephon. 279. Chilo. 785. Chonradus Peutinger. 1. Cicero. 167. Ciſſus. 865. Claudius Cantiuncula. 406. Cleobulus. 785. Craſſus. 406. Curtius. 405. Cygnus. 768. Dædalus. 71. Democritus. 647. Dionyſius, gurges. 389. Elpidius. 228. & 229. a. Epicharmus. 91. Epictetus. 190. Eunomus. 773. Fabius Maximus. 152. Græci. 673. Hannibal. 152. Harmodius. 77. Heraclitus. 91. & 647. Heſiodus. 228. & 473. Hippomenes. 813. Homerus. 26. 581. & 855. Huninus Scytha. 203. Icarius. 838. Icarus. 432. Iphicrates. 77. Lydius puer. 466. Lyſippus. 523. M. Antonius. 167. M. Brutus. 512. Maximilianus Sfortia. 9. & 60. Mezentius. 842. Narciſſus. 306. Ocnus. 393. Oenocrates. 608. Ouidius Naſo. 380. Pariſius. 406. Parpalus. *ibidem*. Periander. 785. Phidias. 832. Phineus. 179. Phryxus. 806. Picus. 336. & 406. Pittacus. 785. Praxiteles. 139. Pyndarus. 604. Pythagoras. 102. & 360. Sardus eques. 785. Solon. 785. & 861. Sophocles. 495. Terens. 312. & 453. Thales. 785. Thraſybulus. 576. Traianus Cæſar. 627. Troiani. 673. Xerxes. 548. Zenalis. 216. Ziſcas. 714.

virago. 79.a.

virga Mercurij virtus. 509.a.

Virgilius explicatus. 174.a.

virginitas nuptijs præferenda. 127.b.

Virgo ad patrem, nupta ad maritum pertinet. 840.b. *pro quauis muliere*. 839.b. *Thebana violata & violatorem & ſe occidit*. 126. *unde dicta*. 839.b.

Virgines ab Ariſtomene captæ. 185.b. *centum intra quindecim dies ex Proculo conceperunt*. 324.a. *cur Charites*. 687.a. *cur Harpyiæ*. 181.a. *nubiles elocandæ*. 127.a. *ſacerdotio Dearum præfectæ*. *ibidem*. b. *Venetæ opertâ facie prodeunt*.126.b. *veſtales apud Romanos*. 1.1.b.

Viridis color qualis. 503.a. *ſperantium eſt.* 229.b.
Virilia manu cohibita hieroglyphicum frænata libidinis. 192.b.
virilis toga Romanorum. 756.a.
viror ſpei nota. 503.a.
Virtus ad Aiacis tumulum flens. 240.a. *amoris coniugalis.* 847.b. *deſultrix.* 514.b. *difficulter paratur.* 566.b. *graminis.* 256.a. *in aduerſis clareſcit.* 858.b. *in medio conſiſtit.* 96.b. *magnum ſui decus.* 805.a. *multis obfuit.* 703.a. *non tentata languet.* 858.b. *nulla diu latet.* 166.b. *propria fœminarum pudicitia.* 841.b. *quid ſignificet.* 508.a. *S. Crucis.* 483.b. *ſola æternitati conſecrat.* 570.b. *verba & voces.* 514.b. *vnita fortior.* 215.b.
virtutis aditus qualis. 519.b. *amor potentior Cupidine.* 462.b. *merces gloria.* 571.a. *qualitas.* 460.b. *triplex gradus.* 192.a. *vis.* 515.a.
virtuti comes inuidia. 578.b.
VIRTVTI fortuna comes. 507.
virtutem lugere quid. 241.a. *in ſolis verbis conſiſtere quidam putarunt.* 514.b. *vitia imitantur.* 45.b.
virtute duce, comite fortuna. 511.b.
virtutes duæ in Principe. 310.b. *eximiæ Nicolai de Oldis.* xvi.a. *imperatoria.* 25.b. *intellectiua & practica.* 460.a. *indicis.* 178.a. *morales in actione conſiſtũt.* 459.a. *regiæ quæ habeantur.* 269.b.
VIS Amoris. 450.
Vis amoris. 444.a. *Amoris in reliquos Deos.* 452.a. *aſtrorum quanta.* 436.b. *conſilij et fortitudinis.* 85.a. *eloquentiæ.* 755.a. *& potentia fortunæ.* 513.b. & 514.a b. *lactucæ.* 341.a. b. & 342.b. *magna eſt non modò orationis, ſed & geſtus viri boni.* 94.b. *orationis.* 165.b. *S. Crucis.* 201.b. & 202.a. *vini.* 133.a. *virtutis.* 515.a.
vires caſtorei. 652.b. *in rebus gerendis librandæ.* 26.b. *Muſica.* 779.a.
vires herbarum primus obſeruauit Chiron. 624.a. *ingenij intendit honeſta rei æmulatio.* 780.a.
viſcera pro diuitijs. 555.a.
viſcum & Viſcus. 439.b.
Viſus amoris initium. 490.a.
Vita Alciati. xxv. & *ſeqq. aulicorum ſeruitus ſplendida & amabilis.* 377.b. & *ſaxum Oedipodis.* 797.b. *Glauce reſtituta à Polydo vate.* 155.a. *humana aleæ ludo comparata.* 558.b. *humana arboribus collata.* 882.b. *humana fluctibus marinis comparata.* 222.b. *humana militia eſt.* 685.b. *humana nundinis ſimilis.* 648.b. *humana peregrinatio eſt.* 54.b. *innocens metu caret.* 182.a.
Vita humana breuitatem flores repræſentant. 223.a. *conditio.* 666.a. *examen.* 306.b. *lapſus in tribus.* 103.a. *moderator Deus.* 85.a. *ſymbolum lyra.* 64.a. & 891.a.
vitam ſibi eripere nemini licet. 515.b.
vitanda nimia celeritas, et nimia tarditas. 218.b.
Vitellius ſcorti ſaliuam cum melle miſcebat. 444.b.
Vitellij Germanici nummus. 853.b. *mors ſceleribus condigna.* 721.a.
vitis & vlmi coniugatio amoris ſimilitudo. 677.b. & 679.a. *non putata hominis ſtulti ſymbolum.* liv.b.
vites vlmis adiuncta. 677.b.
vitium eſt omnia credere, vitium eſt nihil credere. 100.a. *ſolenne* φιλοκολακία. 197.b.
vitia corporis nemini exprobranda. 407.b. *naturalia vix facilè tolluntur.* 274.b. *omnia ingratis inſunt.* 291.a. *potiùs quam virtutes obſeruantur.* 407.a. *quæ maximè pernicioſa.* 42.a. *quæ ſequātur* φιλαυτίαν. 309.b. *tria Deo & naturæ repugnantia.* 497.a. *virtutes imitantur.* 45.b.
vitiorum præmium ignominia. 571.a.
vitijs ſtomachi medetur pulegium. 93.b.
Vituli dicti Itali. 20.a.
viuacitas cornicum. 208.a.
viuere & bibere in eadem ſtatera collocat Antiphanes. 132.b.
vlcus à vero contractum eſt inuidia Anacharſidi. 319.a.
vlmus amica viti. 677.a.b.
vlna quid, & vnde dicta. 690.a.
Vlpiani interpretis Demoſthenis locus, de Theſſalis. 194.a.
vltima non ſemper ferunt de primis iudicium. 670.b.
vltio à contumelia non differt niſi ordine. 697.a.
vlula non eſt eadem cum noctua. 113.b. *picas venatur.* ibid.
Vlula & dracones Palladi ſacrantur. 124.a.

Vlularum & cornicum diſſidium. 114.b.
Vlulas Athenas.*adag.* 113.b.
*Vlyſſes quis.*217.b. *conſilia ſua callidè texit.* 98.a. *cum Aiace de armis Achillis contendit.*163.b. *Cyclopem excæcauit.*719.a. *& Diomedes iuncti, quid.* 217.a.b. *Ithacus.*486.b. *moly herbam à Mercurio accepit.*758.b. *nemini ſe facilè credidit.* 98.a. *oleo inunctus.* 136.b. *quid allegoricè.* 339.a. *ſapientis typus.*494.a. *Sirenes deluſit.* 492.b.
*Vlyſſis aſtus.*719.a. *inſigne Delphin.* lvi.a. *oratio vehemens.* 69.b. *ſcutum Delphinum habuit depictum.* 616.a. *ſocij à Circe in belluas mutati.* 337.a.
Vna domus non alit duos canes.*adagium.* 400.a.
Vna hirundo non facit ver. *adag.* 421.a.
Vnguis. 24.b.
Vnguium criniumque præſegmina vrina non inſpergenda.*adag.* lii.a.
*vngula.*24.b. *Alcis, remedium epilepſia:* *ibid.*
Vnica ſcutica impellit omnes. *adagium:* 443.a.
Vniuerſum hoc deſignat Pan. 410.b.
*vnus dens, & vnus oculus Gorgonibus communis.*664.b. *in plurali.* 684.a.
Vnus homo,nullus homo.*adag.* 682.a.
Vnus vir nullus vir *adag.* 118.b. & 682.a.
VNVM nihil,duos plurimum poſſe. 216.
volatus gruum quam literam exprimat. 103.a. & 104.a.
volubilitas fortuna. 898.a.
volucres cur Harpyia. 181.a.
voluptas corporis cauſa ignorantia. 801.b. *cuiusq; ſenſus propria* 32.a. *eſca malorum.* 335.b. & 894.a.
voluptatis comes mœror. 467.b. & 468.a. *& Doloris fabula.*468.a. *tres illecebra.* 489.b.
voluptates turpes,Sirenes. 494.a.
voluptatibus deditis,lotophagi. 487.b.
votum Melanthy ὀψοφάγε. 390.a.
*vox cordata Scipionis Africani.*196.a. *fuſca,* φαία φωνὴ. 280.b. *rana qualis.* 404.a.
voces imperitorum nihil differunt à ventris crepitu. 697.b.
*vpupa hieroglyphicum hominis vitijs deditis.*314.b. *olim rex. ibid. qualis auis. ibidem.*
οὐρά,*cur dicta cauda Gracis.* 286.b.
Vrbs æterna Roma. 486.a.
Vrceus. 177.a.
Vrere,verbum. 205.a.b.
vrna quid. 330.b.
Vrſa duplex,maior & minor. 425.a.b.
Vrſus cum adſit,veſtigia quæris.*adagium.* 729.a.
*vſus elephantorum in bello.*534.b. & 735.a. *fibularum in veſtibus apud veteres.* 586.a. *hieroglyphicorum apud Ægyptios.*6.a. *imaginum apud veteres.*769.a.b. *imaginum cur, & quando deſijt.* 591.b. *lingua.* 66.a. *pellium apud Romanos.* 350.a. *pilei in ſacris.* 642.b. *ſpongia.*631.a. *vini moderatus duo praſtat.* 141.a.
vti tanquam lippo oculo,quid. 610.a.
Vtile ſæpe honeſto praferunt principes. 536.a.
vtilitas agricultura. 223.b. *aqua potus.* 146.b. *ſpeculi.*787.a. *vini.* 133.a.
*Vtis,*οὖτις. 719.b.
VVenceslaus Rex Bohemia ex ira in paralyſin incidit. 733.b.
VVer ſchmiert der fahrt. *adag. German.* 178.b.
Vulcanus quare dictus Mulciber. 94.b.
vulnera amoris ex oculis. 490.a. *qualia, & vnde.* 472.a.b.
vulpes Ariſtomenem liberat. 186.b.
vultur odoratu pollet 543.b. *Promethei, tormenta mala conſcientia.* 430.a.
vultures ſunt teſtamentorum captatores. 674.a.b. *togati ſunt rabula forenſes.* 544.b.
vulturij paludati & togati qui. 674.b.
Vxor Cadmi Harmonia. 783.a. *eſt viri ſocia.*835.b. *Germanici,mariti funus perſequens.*665.a. *lectiſſima à marito zelotypo occiſa.*472.a. *moroſa mariti mors.* 821.b. *nomen dignitatis,non voluptatis.*127.b *qua ſimul nupta & vidua ſit.* 498.b. *quidnam ſit Simonidi.* 816.a. *ſemilignea qua dicatur.* 589.b. *ſimilis ſit apicula.*836.b. *ſubſit, non imperet.* 808.a. *viginti duorũ maritorum.*324.b.
Vxoris Domitij Tulli in maritum amor. 846.a. *proba munus.* 814.b. *prodiga hieroglyphicum Ocnus funem torquens.* 395.b.
vxorem percutere an expediat. 820.b.
vxores Teutonum pro pudore ſe ipſas occiderunt 127.b. *Turcarum velata in publicum prodeunt.* 841.a.

X.

Ξανθοχόλοι qui. 503.b.
Xanthus fluuius Lyciæ, item Ilij. 84.a.
Xenia. 233.b. quæ ſint. 621.a. qua ratione à iudice poſſint accipi. 620.b.
Xenocrate audito Polemon ſe ad bonam frugem recepit. 464.a.
Xenophon & Plato æmuli. 610.b.
Xenophontis locus, de bono principe. 617.a. de Ganymede. 28.b.
Xerxes à Themiſtocle victus. 552.b.
Xerxis & Aithemenis de ſucceſſione concors contentio. 675.b. exercitus numeroſiſſimus. 221.b. & 552.b.

Z.

ZAmbelotum, ſeu rectiùs Camelotum, quid. 504.a.
Zelotypus. 244.a. maritus vxorem lectiſſimum occidit. 472.a.
Zelotypi plerumque ſenes. 497.a. Itali & Hiſpani. 472.a. mulieres & præſertim grauidæ. ibid.
Zelotypia & ſuſpicio dentes amoris. ibid.
Zenalis quis. 218.a.
Zenobiæ caſtitas. 820.b.
Zeno ſenex inter pocula taciturnus. 69.b.
Zenonis Citiei apophthegma, de adoleſcente garrulo. 70.b. de hilaritate in conuiuio. 146.b. de quodam vnguentis delibuto. 351.b. naufragium. 685.a.
Zetes, & Calais ad quid relata nomina. 181.b. vnde dictus. 182.a.
Zetis, & Calais mythologia. ibid.
Ζεὺς, cur dictus Iupiter. 30.b.
Zeuxis, reſponſum Agatharcho datum. 877.b.
Zibellus, mus Sarmaticus. 350.a.
Ziſca, ſeu Ziſcas Bohemus. 716.a. etiam poſt mortem hoſtibus formidoloſus. ibid.b.
Ziſca in catholicos odium et tyrannis. ibid.
Zobellinæ pelles. 206.a.
Zoccoli, crepidæ Venetarum mulierum, vnde ſic dicti. 589.b.
Zoilus Homeri æmulus. 610.b. ob maledicentiam canis Rhetoricus vocatur. 694.b.
Zoili maledicentia. ibid.
Zona à quo ſponſa ſoluebatur. 864.a.
Zonam ſoluere, quid. 596.b.
Zopiri Phyſiognomi iudicium de Socrate. 464.a.
Zoroaſter à dæmone crematus. 708.b. primus magus. ibid.
Zungedreſcher, qui Germanis. 404.a.
Zyto magus Bohemus à cacodæmone ſublatus. 708.a. alium magum deuorat. ibidem.

FINIS.

MEMORIÆ. ÆTERNVM
SCIANT. OMNES
ANDREAM ALCIATVM

ALTERVM. IN. DICVNDO. TVLLIVM
IN. LEGIBVS. INTERPRETANDIS. SCAEVOLAM
PRORSA. VORSAQ. ORATIONE. EXSVMIVM
IN.ETHICIS.EMBLEMATIBVS. NEMINI. SECVNDVM
ABIISSE. NON. OBIISSE
VIVIT
FAMA. SVPER. AETHERA. NOTVS
HVNCCE
LEGVM. TYRONES. IN. DOCTOREM. ELIGITE
IVRISPRVDENTES. SECTATORES. VT. NVMEN. DILIGITE
PII. SPECTATORES. ENCOMIOLVM. LEGITE
LEGIRVPIONES. PROCVL. HINC
VITILITIGATORES. PROCVL. ESTE
LVCRIPETAE. RABVLAE
ASPICITE. SVSPICITE. INSPICITE
QVOD
VALERIANVS. CASTILLIONÆVS. COMPATRITIVS
IN. BENEVOLENTIÆ. PIGNVS
HEROI. BENEMERENTI
P
EX. VOTO

ERRATA & mendæ, quas aut incuria fudit, Aut humana parum cauit Natura.

** marginem denotat.*

[Pagina xxiv. verſ. 19. *Quin es aptus.* expunge, *es.* [xxxv. verſ. 19. fiet. lege. ſiet. [*ibid.* verſ. penult. *optimi cuiusq;* leg. *optimus quuq;* [p. liiii. a. verſ. 15. impendant. l. impendeant. [lviii. b. v. 23. Franciſci. l. Francici. [lix. a. v. 6. Borbouius. l. Borbonius. [lxiv. b. v. 26. *vaiſſenux.* l. *vaiſſeaux.* [lxviii. v. 39. *difficilia.* l. *difficile.* [7. b. v. 41. ſic. l. ſit. [44 a. v. 22. gratiſſimus. l. grauiſſimus. [48. a. v. 31. Iſicidem. l. Iſidem. [83. b. v. 7. eodem l. eoſdem. [103. b. v. 11. aliàsque. l. alasque. [115. a. v. 2. *τυινικαῦτα.* l. *τηνικαῦτα.* [124. a. v. 11. *ἀθιυνᾶς.* l. *ἀθανᾶς.* [ibid. b. v. 25. *lucroq;* l. *lucoq;* [125. a. v. 14. *ἔντοσθε.* l. *ἔντοθε.* [126. b. v. 13. *σαζιν.* l. *σώζειν.* [135. b. v. penult. *φυτὲν.* l. *φυτὸν.* [136. b. v. 1. *Tegeae.* l. *Tegeae.* [ibid. v. 29. *nobu.* l. *nobu.* [141. b. v. 48. *conuua.* l. *cornua.* [ibid. * *quid.* l. *qui.* [143. a. * *Bacchas,* l. *Bacchus.* [ibid. b. v. 19. Nymphus. l. Nymphis. [154. b. v. 29. *Neros.* l. *Nereos.* [155. a. v. 17. ſuperueniſſe &. l. ſuperueniſſet. [ibid. b. v. 36. vſus. l. vſos. [156. a. v. 10. *ἀειξώων.* l. *ἀειζώων.* [165. b. v. 3. Tlemonis. l. Telamonis. [170. a. v. 16. leonibus. l. lenonibus. [171. b. v. 34. Archidamum. l. *Archidamum.* [*ibid.* v. 43. quam. l. quum. [178. b. v. 10. accidere. l. accipere. [180. a. v. 49. *pulſabat.* l. *pulſabant.* [187. b. v. 34. Meſſenaim. l. Meſſeniam. [189. a. v. 40. eſſent. l. eſſet. [192. a. v. 37. iam. l. tam. [ibid. b. v. 27. *ἀπέχη.* l. *ἀπέχει.* [196. a. * *Scipione cordata vna.* l. *Scipionis cordata vox.* [212. b. v. 33. volentos. l. volentes. [214. b. v. 4. *ἐγνώρισι.* l. *ἐγνώρισε.* [219. a. v. 2. *δρασιρίν.* l. *δρασηρίν.* [230. a. v. 30. *πάσοντα.* l. *πάσσοντα.* [ibid. b. v. 8. *χύρεσσι.* l. *χείρεσσι.* [ibid. v. 45. doli. l. dolij. [231. a. v. penult. Titij l. Titi. [235. b. v. 1. *ἐλπίζη, τὴν δ',* l. *ἐλπίζης τὴν δ'* [247. b. v. 25. labefactabant. l. labefactant. [ibid. v. 32. Suffecus. l. Suffetius. [256. b. v. penult. *Æthera.* l. *Ætherea.* [258. b. v. 6. *primos.* l. *primos.* [260. a. v. 32. ſolet. l. ſolent. [262. a. v. 18. *ῥύμην.* l. *ῥώμην.* [263. a. * *Laus.* l. *Locus.* [265. b. v. vlt. *προτρεπτικῷ.* l. *προτρεπτικῷ.* [273. a. v. 10. *δυσφερὴν.* l. *δυσφερὲν.* [274. a. v. 31. *ἔχεις.* l. *ἔχει* [277. a. v. 19. *κοκκύζει.* l. *κοκκύζει.* [383. a. v. 24. õcuertitur. l. conuertitur. [290. a. v. 19. *ἀναγκάξει.* l. *ἀναγκάζει* [296. a. v. 7. proijcite. l. proijcit. [309. b. v. vlt. *ματαιόλογι* l. *ματαιόλογοι.* [317. a. v. 31. Ex. l. Et. [319. b. v. 12. *ὀδαναρὸν.* l. *ὀδυναρὸν.* [331. b. v. 50. *κατόπτρον.* l. *κατόπτρῳ.* [334. a. v. 19. *χάιτρι.* l. *κάς τοι.* [365. a. v. 46. vmbra. l. vmbram. [371. b. v. 48. optet. l. optes. [372. b. v. penult. *Is.* l. *Id.* [374. a. v. 28. *καταλέλοιπον.* l. *καταλέλοιπεν.* [376. a. v. 10. aduti. l. aduri. [390. b. v. 5. *προκάσορες.* l. *προγόσορες.* [398. a. * *deſcriptèo* l. *deſcriptio.* [414. b. v. penult. *τὸν.* l. *τῆς.* [422. b. * *vrces.* l. *vices.* [429. a. v. 35. *προμυθεὺς.* l. *προμηθεὺς.* [ibid. b. v. 24. aniorum. l. animorum. [ibid. v. 45. formanda. l. formanda. [436. a. v. 16. tactum. l. actum. [444. a. v. 9. de-inq; l. de-niq; [ibid. v. 13. inferri. l inferre. [451. a. v. 21. nuncupant. l. nuncupat. [452. a. * *Augeria in.* l. *Augeria-ni.* [457. b. v. penult. *τόξυν.* l. *τόξον.* [458. b. v. 27. *ἔρως.* l. *ἔρως.* [462. b. v. 4. deeſſet. l. deſſet. [470. a. v. 17. *ὅτι.* l. *ὅττι.* [479. a. v. 25. humoris. l. humeris. [491. a. v. 1. Fatidis. l. Foridis. [492. b. v. 28. *grauem.* l. *graue.* [493. b. v. 8. eſto. l. eſt. [497. a. * *ſanax.* l. *ſones.* [ibid. b. v. 23. ſe. l. ſi. [498 b. v. 4. molliti. l. moliti. [500. b. v. 2. oſcurum. l. obſcurum. [ibid. v. 36. *damnus.* l. *damus.* [510. a. v. 3. dicèdi. l. dicendi. [ibid. b. v. 15. *ſi quis.* l. *qui ſis.* [537. b. v. 26. flagitioſus l. flagitioſius. [549. b. inter verſ. 47. & 48. interpone hunc: *τὸ πτηνὸν ὅπλον τις ἀνάμνησιν φέρει.* [ibid. v. 48. *Βίλος.* l. *Βέλος.* [550. a. inter verſ. 8. & 9. interpone: *Vo-*

lucre

lucere genus armorum ad vrgendum metum. [551. b.v.16. petentes. l.potentes. [567. b.v.37. offeruefcens. l. efferuefcens. [584.b.v.51.*hoſtes*.l.*hoſpes*. [602. b.v.47. Hæc. l.Hac. [611.b.v.vlt.Alciatus. l.Albutius. [612.b.v.33. Deos.l. Deus. [616.b.v. 47. ἀγκυράυ.l.ἄγκυραν. [617.a.v.3.vbi. l.ſibi. [620.b. v.9. capere. l.caperet. [642.a. * *num- mus*.l.*num-mus*. [647.a. v. 23.ὄζης.l.ἔζης. [652.b. v.48.tremoris.l. tremori. [653.a.v.19.ἐπὲρ τῆς ὑαυτῶν.l.ὑπὲρ τῆς ἑαυτῶν. [655.a v.42. *fundebant*. l.*fundebat*. [656.b.v.46.*athero*.l.*athere*. [ibid.v. antepen. ἐ.l. τῦ. [658.v.9.*At*.l.*Aſt*. [669. b.v.17. colabatur.l.colebatur. [674.a. **Exunia*.l.*Exuuia*. [692.b. v. 19. permeare. l.permeiere. [ibid.v.21. *macula*.l.*matula*. [695.v.4.*Diaaa*.l.*Diana*. [696.b.* *Carpore*.l.*Carpere*. [700.a.v. 20. πονηῦ.l.πονηρῦ. [704.a.v.34.*fœcunda*.l.*fœcunda*. [707. a.v.14. *arripuit*.l.*arripui*. [710.b.v. 19. τέκνα.l.τέχνα. [719. b.v. 15. κύκχλωπος. l.κύκλωπος. [721.b.* διμοβόρυς.l.δημοβόρυς. [723.a.v.1.μιν.l.μὲν. [729.a. v.40. *cautlus*.l. *catulus*. [739. a. v. 44. *perſtat*. l.*perdat*. [745. a. v. 19. victuus. l. victus. [754.a.v. 16.*qui*.l.*qui*. [771.a.v.29. harte. l. parte. [772. a.v. 9. quicquam.l. quisquam. [774.a.v.39. quo.l. quòd. [ibid.v.40.ad.l. at. [778.b.v. 41. citharæ.l.cithara. [779. b.* *quadam*.l.*quanam*. [781.a.v. 10.ξωοποιεῖ.l.ζωοποιεῖ. [789.a.v.48. *recinantis*.l.*recinentis*. [798.b. * *Spinge*.l. *Sphinge*. [804. b. v. 28. *piumbum*. l. *plumbeum*. [805.a. * *Locus*.l.*locus*. [820.b.v. penult.exemplo.l. extemplo. [825. b. v. 8. *Ætheries*.l.*Ætherea*. [827.b.v.5.tum.l cum. [830.b.v.51.ignem.l.ignium. [ibid.v. ſeq.perueniſſet.l. perueniſſent. [831. a. * *Oppij pietas*.l.*Oppij filij pietas*. [843. a. v.3. *Componensq;* l.*Componens*. [846.a.v.51.Burgenſi.l. Brugenſi. [857.b.v.penult. mutant. l.nutant. [882.a.v.27.referente.l.referenti. [886.b.v.13. indigeni. l. indigenæ.

Literas inuerſas, ſcabras, fugientes, palantes; ſpatia, accentus, & interpunctiones vel violenter immiſſas, vel negligenter omiſſas, & huiuſmodi operarum ſphalmata, quiuis, etiam non ἐνόφθαλμος vel ὀξυδερκὴς, videre & iudicare facilè poterit.

Patauij ex Typographia Laurentij
Paſquati. M. D.C. XXI.



Superiorum Permiſſu.

Legatoria
. SALVAREZZA
Via Val Sassin... -56
l. 899.223 - ROMA
Digitized by Google

Digitized by Google